& ab Eutycheto unitatem naturæ, abſurdiſſimâ vanitate, utrique ſectæ in veritate repugnantibus, & in errore conſentientibus, atque ita utriuſque ſectæ impietate ſe obſtringentibus. ſicut monuimus ſupra, lib. 3. hujus operis, cap. 14. §. 5.

*Calumnioſe imputat Muhammedes.*

4. Diabolicus pſeudopropheta Muhammed, dum perſonarum divinarum Trinitatem cum obſtinatis Judæis, Hermogenianis, Praxeanis, Sabellianis impiè negat, videri vult oppugnare pluralitatem Deorum, & pro Deitatis unitate pugnare. Ne dicatis (inquit Muhammed,) Deos tres eſſe; cum non ſit niſi unus, qui filio caret: eique omnipotenti univerſa cœli terræque ſubjecta ſunt. Alcor. cap. 11. item, quiſquis Deo ſocium atque participem poſuerit, ingreſſum Paradiſi illicitum ſibi reperturus. —— Sunt iterum increduli firmantes Deos tres eſſe: quia non eſt niſi unus Deus. Alcor. cap. 12. prope finem capitis. Quaſi verò Chriſtiani Catholici aſſerentes perſonarum Trinitatem ſecundum ſacras Scripturas, multiplicarent Deos, aut dividerent Deitatem. imò non minus ardenter & conſtanter contra Paganos, & Valentinianos, & Cerdonianos, & Marcionitas, & Manichæos, & Arianos, & Tritheitas pugnarunt Catholici pro unitate ſimpliciſſimæ Deitatis, quam contra infideles Judæos, & Hermogenianos, & Praxeanos, & Sabellianos, pro perſonarum Divinarum Trinitate & diſtinctione. Sed quemadmodum hæretici Pelagiani Catholicos Manichæiſmi falſo inſimularunt, propterea quod defenderent gratiam Dei contra elatos liberi arbitrii aſſertores Pelagianos, qui per eam calumniam hoc ſatagebant, ut horribili Manichæorum hæreſi objecta, cujus ſe adverſarios eſſe jactabant, laterent inimici gratiæ in laude naturæ. Sic blaſphemus Muhammed Chriſtianis multitudinem Deorum mendaciter objicit, ut lateat ipſius atheiſmus ſub vituperio polytheiſmi.

*Pelagianorum imitator Muhammed.*

*Doctrina orthodoxa de Trinitate Dei.*

5. Chriſtus juſſit baptizare in nomen Patris & Filii & Spiritûs Sancti: ſalutem promittens baptizatis & credentibus, Matth. 28. 19. Marc. 16. 16. Hic eſt Antichriſtus, qui negat Patrem & Filium. Omnis qui negat Filium, is nec Patrem quidem habet. 1. Joan. 2. 22, 23. Tres ſunt qui teſtificantur in cœlo; Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: & hi tres unum ſunt. 1. Joan. 5. 7. Vide ſupra, quę ex profeſſo & prolixè diſſeruimus de unitate ſimpliciſſimæ Deitatis, & de perſonarum divinarum Trinitate & diſtinctione. lib. 1. ubi etiam invenies de hoc adorando myſterio fidem antiquiorum Patrum, verbis ipſorum propoſitam: Summa eſt; unum eſſe Deum Creatorem univerſitatis, unum quidem impartibili eſſentiâ, at perſonis trinum, videlicet Patrem & Filium & Spiritum Sanctum. Supra etiam oſtenſum eſt incarnatum eſſe Filium, dictumque Jeſum Chriſtum. ſed de Chriſto quam ſit impia doctrina Muhammedana, mox oſtendemus in duobus proximè ſequentibus ſpeciminibus.

*Omnes fere hæreſes Deum unum dicunt, ſed per ſententiam malam immutant, ſimulque ſunt idololatræ.*

6. Rectè Jrenæus; Omnes fere quotquot ſunt hæreſes, Deum quidem unum dicunt, ſed per ſententiam malam immutant; ingrati exſiſtentes ei qui fecit eos, quemadmodum per idololatriam. Hæc Jrenæus, lib. 1. adverſus hæreſes Valentini & aliorum, cap. 19. Idem Tertullianus; Deum (inquit) aut fingunt hæretici alium adverſus Creatorem: aut ſi unicum Creatorem confitentur, aliter eum diſſerunt, quam in vero eſt. Itaque omne mendacium quod de Deo dicunt, quodammodo genus eſt idololatrię. Hęc Tertullianus, lib. de præſcript. cap. 40.

7. Quid ſpecioſius, quàm profiteri Deum bonum non eſſe auctorem peccati? Non tamen excuſabilis eſt impietas Cerdonis hæretici, duos introducentis Deos; unum bonum, & alterum malum: quem malum Deum, & mundi opificem, & Veteris Teſtamenti Deum eſſe blaterabat. Et Cerdonis diſcipulus Marcion nomine, Ponticus genere, eam magiſtri ſui de duobus principiis inſaniam ſectatus eſt, dum à bono Deo originem malorum videri vult removere. ſicut de hæreticis illis Cerdone & Marcione ſcriptum reliquerunt. Jrenæus lib. 1. adverſus hæreſes, capitib. 28. 29. Tertullianus lib. de præſcriptionibus adverſus hæreticos cap. 51. & lib. 1. adverſus Marcionem cap. 2. & Cyrillus Epiſcopus Hieroſolymitanus, Catecheſi ſexta. Et Epiphanius in Panariis contra hereſes lib. 1. tom. 3. hæreſi 41. ubi contra Cerdonianos: & hæreſi 42. contra Marcioniſtas (ubi commemorat Marcionem, tertio adjecto, confinxiſſe tria principia, ſeu tres Deos eſſentiis & attributis diſcrepantes.) Et Auguſtinus, lib. de hæreſibus ad Quodvultdeum, hæreſi 21. ubi de Cerdone, & hæreſi 22. ubi de Marcione. Et Theodoretus lib. 1. hæreticarum fabularum. ubi ait Marcionem non contentum tradita ipſi à Cerdone doctrina, auxiſſe etiam impietatem, & quatuor ingenitas ſubſtantias oratione ſuâ confinxiſſe. Manichæus poſtea de duobus ſibi mutuo adverſantibus principiis nefarium dogma arripuit, idque cum multis aliis impiis fabulis, per literas diſcipuloſque ſuos diſſeminavit. ut ſcribunt Cyrillus Hieroſol. Catech. 6. & Epiphanius hæreſ. 66. & Auguſtinus hæreſ. 46. & Theodoretus lib. 1. hæreticarum fabularum, cap. ult.

8. Hermogenes autem, quamvis unum profiteretur Deum Creatorem univerſi, eadem tamen difficultate, de malorum origine, turbatus, poſuit materiam quæ ſemper fuerit; neque nata, neque facta, nec initium habens omnino, nec finem; ex qua Dominus omnia poſtea fecerit. Et hoc quidem figmentum à Stoicis ſumpſit Hermogenes, ut malorum cauſam adſcriberet vitio materiæ. Hanc ejus hæreſin accuratè & ſolidè refutavit Tertullianus, peculiari libro, quem ſcripſit contra Hermogenem: in cujus libri cap. 10. tum de hac hæreſi, tum de illa aliorum, Deos geminantium, Tertullianus meritò exclamat: Magna, bona fide, cæcitas hæreticorum pro hujuſmodi argumentatione, cum ideo aut alium Deum bonum & optimum volunt credi, quia mali auctorem exiſtiment Creatorem: aut materiam cum Creatore proponunt, ut malum à materia, non à Creatore deducant. Hęc Tertullianus.

9. Hanc Hermogenis hæreſin Marcion in ſuis etiam deliramentis complexus eſſe videtur, prout ea à Theodoreto deſcribuntur lib. 1. hęret. fab. cap. de Marcione. ubi ait Marcion, Opificem ex ingenita ſive originis experte materiâ fabricatum eſſe univerſa. Cœlum quidem ex eo quod erat puriſſimum; ex reliquo autem quatuor elementa, ex fæce autem quæ ſubſederat, inferos & tartara. Rurſus autem, cum terræ id quod erat puriſſimum percolaſſet, conſtituit, inquit, Paradiſum; ex eo autem, uno accepto ceſpite, formavit Adam, ex ſua ſubſtantia illi animam largitus. Hinc, inquit, exſiſtit inter corpus & animam



concertatio, cum corpus quidem ad materiam attrahere contendat, anima autem conetur corpus trahere ad Creatorem. Hæc ibi. ubi Marcion cauſam mali in homine refert ad conditionem materiæ increatæ.

10. Diabolicus autem pſeudopropheta Muhammed, omnium hæreſeon exſiſtens receptaculum, omniumque cœnum colligens, & ſub inſidioſa ſpecie reſiſtendi multis fæcem omnium miſcens, & deteſtandam inde peſtem conflans, mentionem quidem facit inobedientiæ Diaboli, (fabuloſè, ut ſolet) Alcor. cap. 1. & cap. 25. & cap. 48. at eundem Diabolum ait à Deo ex igne peſtifero eſſe creatum. Alcor. cap. 25. Unde patet Diabolum neceſſitate naturæ, nempe vitio materiæ malum eſſe, ſecundum impiam Muhammedis doctrinam. Deinde, de igne iſto peſtifero quęro, utrum ſit à Deo creatus; an fuerit ab æterno. ſi illud. Deus conſtituitur auctor & efficiens cauſa mali moralis in Diabolo; nam cauſa cauſæ naturali neceſſitate effectum producentis eſt cauſa illius effecti: ſin autem dicant Muhammedani exſtitiſſe ignem iſtum peſtiferum ſine origine ab æterno, tunc incidunt in hęreſin Hermogenis, & hæreſin Marcionis. Certè ſi duæ ponantur eſſentiæ ingenitæ, duo ponentur Dii, & ſic nullus erit Deus, nam Deitas ſupremitatem, & unitatem importat. Neque poteſt quicquam æternum ortuſque neſcium eſſe malum ſive peſtiferum. ut rectè docent Athenagoras in Legatione ſive Apologia pro Chriſtianis, & Tertullianus libro contra Hermogenem. Et lib. 1. adverſus Marcionem, cap. 3. Et Epiphanius hæreſi 41. contra Cerdonianos, & hæreſ. 66. contra Manichæos. Neque quicquam fuiſſe Deo ſυναΐδιον, coexiſtens ab æterno, quod ſit ἀγέννητον, alterius naturæ ab ipſa unius veri Dei ſimpliciſſima Deitate, aſſeri poteſt ſine manifeſta impietate, quia res iſta hoc pacto ἐν πάσαις δόξαις καὶ τιμαῖς in eodem honoris gradu collocatur cum Deo, ut eruditè diſſerit Zacharias Epiſcop. Mytelenes, in ſua diſputatione, de mundi opificio. Vel ſi dicant Muhammedani ignem illum à Deo quidem creatum eſſe, at peſtiferam ejus qualitatem non eſſe à Deo: quæro, à quo ſit ea qualitas? cum nulla creatura ante Diaboli creationem peccaverit; neque peccare poſſit ulla creatura cui datum non eſt liberum arbitrium. Deinde undecunque tandem adveniſſe delirent illam peſtilentiam, non liberant Deum, quin creaverit Diabolum initio malum; adeo ut Diabolus non evaſerit malus, degenerando à ſui origine, ſive à primævo aliquo integritatis ſtatu in quo conditus ſit, ſed à Deo ipſo in primo conditu creatus ſit malus. Ex quo ſequitur eum non peccare ſectando vias peſtiferas, quia hoc facit congruenter primæ ſuæ origini, quam accepit olim à Deo eum creante ex igne peſtifero. at verò, teſte divina Scripturâ, à principio diabolus peccat. Et quomodo puniet Deus Diabolum propter peccatum inevitabile, quod admittit vitio materiæ ex qua eum Deus primitus creavit, nullâ Diaboli præeunte culpâ? Nicetas & Euthymius obſervant ex Alcorano, Muhammedem ſtatuere Deum auctorem omnis mali, quemadmodum eſt auctor omnis boni.

11. Certè omnis creatura à Deo eſt creata bona, & vidit Deus omnia quæ fecit, & ecce erant valde bona. Neque ulla eſt mali ſubſtantia, nec ab æterno eſt malum. Sed qui nunc Diabolus eſt, erat olim in ſtatu integritatis; in quo eum Deus condidit: ab illo autem ſtatu ultro deſcivit, abutens libero ſuo arbitrio, & committens peccatum non neceſſitate, ſed liberâ voluntate, volens cadere cum poſſet ſtare, ſi vellet, cum etiam velle poſſet, ſed noluit. Idem dicendum eſt de lapſu hominis, qui Diaboli ſuaſu rebellavit adverſus Deum. De hac mali conſideratione & origine plura invenies apud Tertullianum lib. 2. adverſus Marcionem: & apud Epiphanium, hæreſ. 66. contra Manichæos: & apud Auguſtinum paſſim in libris contra Manichæos, tom. 6. operum Auguſtini.

12. Animam hominis de Dei ſubſtantia eſſe, ſeu partem eſſe ipſius ſubſtantiæ Dei, blaſphemo ore aſſerebant olim Cerdoniani, & Marcionitæ; referente Theodoreto lib. 1. hæreticarum fabularum, cap. de Marcione. Et in epitome divinorum decretorum, cap. de homine. ubi etiam hanc inſaniam Theodoretus refellit. Eandem impietatem ſectati ſunt Manichæi & Priſcillianiſtæ, ut referunt Auguſtinus hæreſ. 46. & hæreſ. 70. & Oroſius in commonitorio ad Auguſtinum de errore Priſcillianiſtarum. Et rurſum Auguſtinus lib. ad Oroſium contra Priſcillianiſtas: in cujus libri capite primo ſcribit ſe adverſus hunc errorem multis locis diſputaſſe in operibus contra Manichæos. Nam, ut ibi argumentatur Auguſtinus, licet anima humana ſecundum quendam modum ſuum ſit immortalis, tamen in deterius deficiendo, & in melius proficiendo, mutabilis eſſe convincitur, & per hoc non eſſe de Dei ſubſtantia dilucidiſſimè oſtenditur. Hæc ibi. Vide contra eundem errorem, Ambroſ. in tractatu in Symbolum Apoſtolorum, cap. 17. & 18. & Auguſtin. lib. de moribus Manichæorum, cap. 11. & lib. 2. de geneſi, contra Manichæos, cap. 8. tomo 1. operum Auguſtini. & alibi in libris quos ſcripſit contra Manichæos. tom. 6. operum Auguſtini. Et ſanè horrenda blaſphemia eſt ſubſtantiam Dei fingere compoſitam, partibilem, mutabilem, peccato contaminabilem, miſeriis obnoxiam. Huic blaſphemiæ affinis eſt pſeudopropheta Muhammed, aſſerens hominis animam eſſe portionem animæ Dei, Alcor. cap. 25. ubi Deum introducit loquentem hæc verba; Nos hominem de terra & luto, Diabolo prius ex igne peſtifero creato, plaſmavimus. Cumque me plaſmaturum hominem de luto, & eidem animę meę portionem inſufflaturum Angelis intimavi. Hæc ibi. Quid eſt anima Dei, niſi ipſa Dei ſubſtantia? Nullam aliam interpretationem recipiunt iſta Alcorani verba, niſi manifeſtam vim eis inferas.

*Animam hominis eſſe portionem ſubſtantiæ Dei, ajebant blaſphemi hæretici Cerdoniani, Marcionitæ, Manichæi & Priſcillianiſtæ, quos ſequutus eſt etiam pſeudopropheta Muhammed.*

13. Dices fortaſſe, Muhammedem alibi dicere Deum dediſſe animam ſuam Chriſto, quem tamen non agnoſcit eſſe Deum. Reſpondeo: Sic Muhammed vocat Chriſtum Verbum Dei & Spiritum Dei, neſciens quid loquatur. Certè non ſibi conſtat in ſuis dictis delirus ille pſeudopropheta. Nam ex eis ipſis, quæ Chriſto concedit, evincemus Chriſtum eſſe Deum. De qua veritate habemus certiſſima & clariſſima divinarum Scripturarum teſtimonia.

*Muhammed inconſtans & pugnantia docens. Vide cap. 5. §. 8. & §. 9. vide etiã lib. 3. c. 10. §. 26.*

14. Idem Diaboli ſatelles introducit in Alcorano Deum jurantem per nubes, per ventos, per naves æquore currentes, per Angelos, per ſtellam veſpertinam, per dæmones, aliaſque creaturas. & ſic jurare docet homines. Alcor. capp. 61. 62. 63. 78. 79. 85. 87. 93. 96. 99. 103. 105. Quæ manifeſta eſt impietas; nam per ſolum

*Impia doctrina Muhammedis de juramentis. vide ſupra, cap. 1. §. 5. & infra, cap. 9.*

numen jurandum eſt. Et per majorem jurante, ſi habeat majorem; ideò Deus jurat tantummodo per ſe ipſum, & hunc cultum ab hominibus exigit, ut non niſi per ejus nomen jurent. ſicuti nos inſtruunt ſacræ literæ legales & Propheticę & Apoſtolicæ. Commemorat Epiphanius hæreſ.19.§.1. Elxai hæreticum Iudæum, qui Trajano imperante extitit, tradidiſſe ſuis diſcipulis ὅρκου εἰς λατρείαν, jurationem religioſam, per ſalem, & aquam, & terram, & panem, & cœlum, & æthera, & ventum. hunc ſecutus eſt pſeudopropheta Muhammed.

15. Adhæc exſecrabilis eſt ea Muhammedis impietas, qua toties audet ſumere Dei nomen in vanum; prætendendo illud ſuis mendaciis, ſeque pro Dei nuncio venditando. Quod etiam ab aliis ante eum pſeudoprophetis, inſtigante Diabolo, ſæpiſſimè factum eſt. 1.Reg.22. Jerem.23. & cap.29. & 2.Corinth.11,13. multa etiam hujus rei exempla inveniuntur in Eccleſiaſtica hiſtoria.

## CAPUT SEXTUM.

### *Impietatis doctrinæ Muhammedanæ tertium ſpecimen, quod eſt De Chriſto.*

*Prima adverſus Chriſti nomen machinatio Satanæ per apertas blaſphemias.*

ANtiquus ille ſerpens, humanæ ſalutis adverſarius, in varias ſe formas vertit, multiplicesque exercuit technas, quibus homines à Chriſto (qui ſolus eſt vera ad vitam via) alienos detineret, aut abduceret. Inter alia expertus eſt viam apertæ blaſphemię & manifeſti odii contra ipſum Chriſti nomen, ac ſi Chriſtus impoſtor fuiſſet, ſicut blaſphemarunt Judæorum ſacerdotes & Phariſæi, Matth.26.63. & hac arte diabolus multos decepit; adeò ut eventus comprobaverit veritatem illius prædictionis, qua Chriſtus diſcipulis ſuis prædixit, eos omnibus exoſos fore propter nomen ejus, Matth.24.9. Luc.21.17.

*Secunda machinatio per inſidioſa encomia & perverſam laudationem Chriſti.*

2. Cum autem Diabolus cerneret Chriſti nomen, contra omnia opprobria, & crudeliſſimarum perſequutionum incendia, magis magisque inclareſcere, & prævalere; excogitavit improbus aliud impoſturæ artificium, priori in ſpeciem contrarium, at fine concordans, nam utraque viâ Satanas conatus eſt ſubvertere veritatem. Convertit igitur ſe verſutus ille ſerpens ad inſidioſa encomia & perverſam laudationem Chriſti, ut dum Chriſtum laudat, vera credantur quæcunque de Chriſto & religione Chriſtiana impudentiſſimè mentitur. Inſtrumenta ſeu miniſtros hujus fallaciæ adhibuit tum pſeudochriſtianos hæreticos, tum Paganos.

*Tertiæ technæ miniſtris uſus eſt hæreticis.*

3. Hæretici Chriſtum laudantes, & tamen ejus Deitatem negantes, inter ſe diſſidebant de Chriſti conceptione; Nam Cerinthus & Ebion Chriſtum ex ſemine Joſeph natum proponebant, ut ſcribit Tertullianus de præſcript. cap. 48. & Epiphanius hæreſ. 28. ubi contra Cerinthianos, ſive Merinthianos. & hæreſ.30. ubi contra Ebionæos. & hæreſ.51.§.2. ubi contra Alogos. Contra iſtos Euangelium ſuum ſcripſit Joannes Apoſtolus, ut monet Epiphanius lib.2. contra hæreſes, tom.1. hæreſ.51.§.12. & Hieronymus, in catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum, cap. 19. Poſtea extitit Theodotus quidam Byzantius hæreticus, Chriſtum Deum eſſe negans, ex Spiritu quidem ſancto natum dicens ex Virgine, ſed hominem ſolitarium atque nudum, nullâ alia præ cæteris ſed ſola juſtitiæ auctoritate. ut ſcribit Tertullianus lib. de præſcript. cap. ult. Alter etiam poſt hunc Theodotus hæreticus erupit, auctor ſectæ Melchiſedecianorum, Chriſtum quoque dicens hominem tantummodo eſſe, ex Spiritu Sancto, ex Virgine Maria conceptum pariter & natum, ſed cum inferiorem eſſe, quam Melchiſedec. teſte Tertulliano, de præſcript. eodem cap. ult. Contra Theodotianos ſcripſit Epiphanius, lib. 2, tom.1. hæreſ. 54. & contra Melchiſedecianos, hæreſ. 55. Eandem Theodotianorum & Melchiſedecianorum hæreſin, qua Chriſti Deitatem negabant, aſſerentes merum eſſe hominem ex Spiritu Sancto ex Maria Virgine conceptum & natum, hanc, inquam, hæreſin poſtea, diverſis temporibus renovarunt Artemon, & Paulus Samoſatenus, & Photinus, hæreſiarchæ. ſicut monuimus ſupra, lib.1. cap.2. §.3. & §.4. Omnes autem iſti hæretici ſive Chriſtum ex ſemine viri, ſive ex Spiritu Sancto, ex Virgine Maria conceptum eſſe dicant, in hac tamen impietate conſentiunt, ut Chriſtum negent eſſe Deum.

4. Quidam etiam Pagani Chriſtum laudarunt. ut virum ſapientiſſimum, excellentiſſimam ſapientiam ei tribuentes; ſed Dei Filium & Deum eſſe negarunt, & hoc nomine calumniati ſunt diſcipulos Chriſti, tanquam de eo mentitos, dicendo eum Deum eſſe & Dei Filium; id quod à diſcipulis dixerunt confictum eſſe contra mentem & doctrinam ipſius Chriſti. ut legimus apud Auguſtinum lib.1. de conſenſu Euangeliſtarum, cap.7. quam mendaciſſimam Paganorum calumniam prolixè & nervosè refellit Auguſtinus reliquo illo libro. Eandem nos confutavimus, ſupra, cap. 4. ubi de primo ſpecimine impietatis doctrinæ Muhammedanæ.

5. Porphyrius Philoſophus, Chriſtianæ religioni inimiciſſimus, refert dæmones (quos ille deos vocat) laudaſſe Chriſtum ut virum piiſſimum, & vituperaſſe Chriſtianos tanquam errantes, eo quod Chriſtum ut Deum colerent: præter opinionem, inquit Porphyrius, profectò quibuſdam videatur eſſe quod dicturi ſumus. Chriſtum enim dii piiſſimum pronunciaverunt, & immortalem factum, & cum bona prædicatione ejus meminerunt. Chriſtianos autē pollutos, inquit, & contaminatos, & errore implicatos eſſe dicunt: & multis talibus adverſus eos blaſphemiis utuntur. Deinde ſubjicit velut deorum oracula blaſphemantium Chriſtianos. De Chriſto autem interrogantibus ſi Deus ſit, ait reſpondiſſe Hecaten, virum eum fuiſſe pietate præſtantiſſimum, & ejus animam, ſicut & aliorum piorum, poſt obitum immortalitate donatam) & in cœleſti ſede collocatam: hanc autem colere Chriſtianos errantes. Scripſit iſta Porphyrius in libris quos ἐκ λογίων φιλοσοφίας. hoc eſt, de philoſophia reſponſorum à diis, appellat. eaque ex Porphyrio refert Auguſtinus, lib.19. de civitate Dei, cap.23.

6. Deinde pergens Auguſtinus; Quis ita ſtultus eſt, inquit, ut non intelligat, aut ab homine callido, eoque Chriſtianis inimiciſſimo [Porphyrio,] hæc oracula fuiſſe conficta, aut conſilio ſimili ab impuris dæmonibus iſta fuiſſe reſponſa, ut ſcilicet quoniam laudant Chriſtum, propterea credantur veraciter vituperare Chriſtianos: atque ita, ſi poſſint, intercludant viam ſalutis æternæ, in qua fit quiſque Chriſtianus? Suæ quippe nocendi aſtutiæ milleformi ſentiunt non eſſe contrarium, ſi credatur eis laudantibus Chriſtum, dum tamen credatur etiam vituperantibus Chriſtianos: ut eum qui utrumque crediderit, talem Chriſti faciant laudatorem, ne velit eſſe Chriſtianus. Ac ſic quamvis ab illo laudatus, ab iſtorum tamen dæmonum dominatu eum non liberet Chriſtus: præſertim quia ita laudant Chriſtum, ut quiſquis in eum talem crediderit, qualis ab iis prædicatur, Chriſtianus verus non ſit, ſed Fotinianus hæreticus, qui tantummodo hominem non etiam Deum noverit Chriſtum: & ideò per eum ſalvus eſſe non poſſit: nec iſtorum mendaciloquorum dæmonum laqueos vitare vel ſolvere. Hæc Auguſtinus lib.19. de civitate Dei, cap.23.

7. Satanas videns non ſibi amplius ex animi ſententia ſuccedere iſtam aſtutiam, multas alias fallendi vias excogitavit, multa etiam aliarum hæreſium examina, ſuperius commemorata, in mundum protrudens: tandemque novam nactus opportunitatem, ad iſtam perverſæ laudationis jam olim conſuetam technam rediit, uſus miniſtro Muhammede, qui Propheticam ſibi venditaret auctoritatem, nec jam Hecates nomen (cujus evanuerat auctoritas) ſed ipſius Dei Creatoris omnibus venerabile nomen audacter prætenderet eidem ſtygio veneno, quod olim Satanas auctoritate Hecates ſuis cultoribus perfuſum voluit. Quod etiam multorum hæreticorum miniſterio, ſub velamento nominis Chriſti, deceptis hominibus identidem propinaverat. Chriſtum ſcilicet bonum eſſe & ſapientem virum, Deo charum, at non eſſe Deum, non eſſe Dei Filium, & in hoc errare Chriſtianos quod eum Dei Filium eſſe dicant, & ut Deum colant. Quis non facile animadvertit conſuetam illam Diaboli fraudem, qua laudat Chriſtum, ut videatur veraciter vituperare Chriſti diſcipulos, & Deitatem Chriſti negare: ut quiſquis utrumque crediderit, talis exſiſtat laudator Chriſti, ut nolit eſſe verus Chriſtianus, nec credat Chriſtum eſſe Filium Dei, ſed hanc unicam ſalutis viam relinquat & aſpernetur, & ſic Diaboli laqueum evadere non poſſit?

8. Dicit Muhammed, Deum Chriſto Mariæ Filio animam ipſius Dei propriè contuliſſe. Alcor. cap. 4. Nugatur autem Mariam illam, quæ Moſis & Aaronis ſoror fuit, peperiſſe Chriſtum. ut referunt Joannes Damaſcenus, lib. de hæreſibus, & Nicetas in anathematiſmis contra Saraceniſmum, & Georgius Cedrenus in ſua ſynopſi hiſtoriarum, & Euthymius, in confutatione Saraceniſmi. Chriſtum etiam Muhammedes vocat faciem omnium gentium in hoc & in futuro ſeculo, & prudentem, ſapientem, virum optimum, ab Univerſitatis Creatore miſſum. Et ait, ſalutem conſequuturos omnes qui Chriſtum ſequuntur, ejuſque doctrinæ obediunt: incredulos vero ſummis cruciatibus ſubjectum iri. Alcor. cap.5. circa medium capitis. Alibi etiam Chriſtum Jeſum appellat Spiritum Dei, Verbum Dei, Mariæ cœlitus miſſum. Alcor. cap. 11. Et in libro doctrinæ Muhammedis, ſive dialogo Muhammedis cum Abdia Judæo, prope finem illius libri ſive dialogi, Chriſtum vocat Spiritum, Verbum, & virtutem Dei. Et alibi, dum prophanè fabulatur de conceptione Chriſti, ait pſeudopropheta, Deum ad Mariam Virginem miſiſſe Spiritum ſuum, qui in forma hominis coram ea apparens filium ei abſque viri contactu promitteret à Deo. Alcor. cap. 29. Et ibidem Spiritum Dei loquentem Mariæ vocat Dei nuncium.

9. Ex his manifeſtum eſt ſceleſtum illum Muhammedem nil penſi habuiſſe quid diceret, dummodo, quidlibet ad illaqueandos ſuperſtitione animos effutiret. Quid eſt anima Dei, niſi Deus? quid eſt Spiritus Dei, niſi Deus? quid eſt Verbum Dei hypoſtaticè exſiſtens, niſi Deus? non enim compoſitus eſt Deus, neque Deitati convenit accidens. Secundùm ipſius Muhammedis verba Spiritus Dei exſiſtebat hypoſtaticè ante conceptionem Chriſti in utero Mariæ: quippe qui ſe oſtenderit Mariæ in ſimilitudine hominis, eamque alloquutus ſit. Diabolicâ autem aſtutia confundit Muhammed Spiritum & Verbum, ne diſtinctæ agnoſcantur perſonæ; cum divinæ literę exſertè teſtentur Spiritum eſſe alium à Verbo. Joan.14.16. & ab eodem Verbo mitti. Joan. 15.26. & rurſus Verbum in aſſumptâ forma ſervi, & ſecundùm eam formam, miſſum eſſe à Domini Spiritu, Eſai.48.16. *Vide ſupra cap.5. §.12.*

10. Nugabatur olim Paulus Samoſatenus hæreticus, Verbum Dei eſſe in Deo, ſicut in hominis corde eſt proprium verbum, ſive ſapientia hominis. Quem blaſphemum errorem ſolidè refellit Epiphanius hæreſ. 65. ubi, inter alia, argumentatur ex verbis beati Joannis Apoſtoli, in Euangelio Joannis, initio capitis primi. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. *Joan.1.1.* Non enim hominis verbum (inquit Epiphanius) homo eſt apud hominem. Neque enim vivit, neque ſubſiſtit. Verùm corde vivente ac ſubſiſtente, motus eſt ſolum, & non ſubſtantia. Hæc ibi Epiphanius, §.3. Plura contra eundem errorem ibidem apud Epiphanium invenies, & ſupra in hoc opere, lib.1. ubi oſtenſum eſt, Verbum Dei eſſe Filium Dei Patris, eundem cum Patre Deum, perſonaliter à Patre diſtinctum. id quod prolixè etiam à nobis demonſtratum eſt in aliis prælectionibus noſtris de Deo. Neque dici poteſt Chriſtum Verbum Dei ideo appellari, quod verbo ſeu imperio ac potentiâ Dei creatus ſit; nam etiam canes & aſini Verbo Dei creati ſunt. Cum igitur Chriſtus ſit ſubſtantialiter & hypoſtaticè Verbum Dei, evidenter ſequitur eum Deum eſſe, conſubſtantialem Patri, & perſonaliter à Patre diſtinctum. De quo Patris vox audita eſt de cœlo dicens, Hic eſt Filius ille meus dilectus, in quo acquieſco. Matth. 3.17. & cap.17. verſ.5. & 2.Petr.1.17.

*Muhammedis argumenta contra Deitatem Filii.*

11. Sed impius Muhammed, ne ſine ratione inſanire videatur, quatuor utitur argumentis, per quæ diſcipulis ſuis perſuadeat, Chriſtum non eſſe Filium Dei.

*Primum argumentum.*

Primum ejus argumentum ſic ſe habet: Non eſt niſi unus Deus, qui ſocium & participem non habet Deum alium. Alcor. cap.11. & cap.12. & cap.53.

*Reſponſio.*

Reſpondeo: Ex unitate Dei non ſequitur Deum non habere Filium, ſed tantummodo ſequitur Patrem & Filium non eſſe duos Deos, ſed unum Deum. Quod autem ait Muhammed, Deum non habere ſocium & participem: ſi id intelligatur

gatur ad excludendam pluralitatem Deorum, ſicut monet cap. 33. nobiſcum ſentit; ſin autem per ea verba introducere vult Deum ſolitarium, & tollere perſonarum divinarum pluralitatem & diſtinctionem perſonalem, incidit in impiam Praxeæ & Sabellii hæreſin, divinæ veritati contrariam, quam meritò deteſtamur. Vide quæ diximus in ſuperiore ſpecimine de Deo.

*2. Argumentum Muhammedis.*

12. Secundum argumentum, quo ſtetur Muhammed negat Chriſtum eſſe Filium Dei, ſic ſe habet; Deus non eſt puellarum amator, non habet mulierem; ergo non genuit Filium. Alcor. cap. 47. & cap. 82.

*Reſponſio.*

Ad hoc argumentum ſcitè reſpondet Ricoldus, in ſua confutatione legis Saracenicæ, cap. 9. Hæc, inquit, argumentatio ſimilis eſt, ſicut ſi quis dicat, Deum non eſſe ſubſtantiam, quoniam non habet accidens; vel non vivere, quia non comedit, vel reſpirat. Fatua eſt talis phantaſia, & hominis carentis intellectu & ratione. Chriſtiani enim non tanquam ex muliere dant Filium Deo, ſed ſicut ex igne caliditatem, ex Sole autem ſplendorem, & verbum ab eo qui loquitur, quæ omnia verè dicuntur gigni, etſi non ex muliere. Hæc Ricoldus. Certè inenarrabilis eſt iſta divina Filii generatio, vera tamen & ſῶματικη. iſta verò Muhammedis argumentatio, de uſu feminæ, craſſa nimis & prorſus inſulſa eſt. Fatetur Muhammed Mariam Virginem concepiſſe & peperiſſe filium ſine viro, & tamen obſcœnus mœchus, blaſphemo ore, fingit neceſſariam eſſe Deo mulierem, ut gignat Filium. Certè æterna illa generatio Filii Dei non eſt actio materialis ſed ſpiritualis, neque tranſiens, ſed immanens in Deo, modo creaturis omnibus imperſcrutabili. verè autem genuit Deus Pater Filium ſibi conſubſtantialem, hoc enim in ſacris literis ipſe de ſe Deus teſtatur.

*3. Argumentum Muhammedicum.*

13. Tertium argumentum Muhammedis; Si Deus haberet Filium, periculum eſſet diſſidii inter eos, ne alter in alterum inſurgeret. Alcor. cap. 33.

*Reſponſio.*

Reſpondeo; Si diceremus Deum Patrem gignere filium, diverſæ ſubſtantiæ, Deum alium, rebellionis peccato contaminabilem; aliquem haberet colorem iſta inſulſiſſima argumentatio; At nos cum ſacris literis dicimus Deum Patrem genuiſſe filium ſibi conſubſtantialem, eundem cum Patre Deum, eandem habentem cum Patre indiviſam & immutabilem voluntatem. Una eſt Patris & Filii & Spiritus Sancti Deitas, una voluntas, una poteſtas, una majeſtas, individua in omnibus, perfecta in ſingulis. Neque poſſibile eſt ut unus iſte verus, ac Trinus Deus abneget ſeipſum, aut ſibi-ipſi contradicat. Iſta Muhammedis calumnioſa argumentatio nititur falſiſſima hypotheſi, ac ſi Chriſtiani credentes perſonarum divinarum Trinitatem, multos crederent Deos, & ipſam dividerent aut multiplicarent Deitatem: quod à Catholicorum Chriſtianorum mente & profeſſione alieniſſimum eſſe oſtendimus in ſuperiore ſpecimine: & prolixius, lib. 1. hujus operis.

*4. Argumentum Muhammedis.*

14. Quartum argumentum adfert Muhammed à confictis quibuſdam revelationibus, quaſi divinis; fingit enim poſtquam in Cœlum Chriſtus aſcendiſſet, Deum hoc Chriſto objeciſſe, quod ſeipſum Deum eſſe & ut Deum adorandum eſſe perſuaſiſſet hominibus: & Chriſtum Deo reſpondiſſe, hoc ſe nequaquam docuiſſe. Alcor. cap. 13. Et in dialogo cum Abdia, introducit Chriſtum reprehendentem homines de hoc, quod eum, pluſquam ipſe prædicaverit, fecerint Deum ſuum.

*Reſponſio.*

Reſpondeo. Iſtas confictas revelationes, & nominis Dei & Chriſti prophanum abuſum meritò rejicimus & abominamur. quia per iſtas confictas revelationes aliud nobis euangelizat Muhammed præter illud quod in ſanctis ſcripturis Propheticis & Apoſtolicis accepimus, imò eiſdem ſanctis ſcripturis, Chriſtum Dei Filium & Deum eſſe manifeſtè teſtantibus, apertiſſimè contradicit. Propterea Muhammedi iſtas contra Dei veritatem blaſphemias evomenti, anathema dicimus. ὁ παραβαίνων, καὶ μὴ μένων ἐν τῇ διδαχῇ τοῦ Χριστοῦ, Θεὸν οὐκ ἔχει. 2. Johan. 9. Vide contra iſtam Muhammedis ſceleratam audaciam plura ſuperius in primo ſpecimine impietatis doctrinæ Muhammedanæ, ubi de regula fidei.

## CAPUT SEPTIMUM.

### *Impietatis doctrinæ Muhammedanæ, quartum ſpecimen, quod eſt; De morte Chriſti.*

IN Alcorano, introducitur Chriſtus loquens de ſeipſo hæc verba; ſuper me eſt divina ſalus in die meæ nativitatis, & mortis, & qua vivus iterum accedam. Alcor. cap. 29. hinc videri poſſet, Muhammedem agnoſcere veram Chriſti mortem & reſurrectionem. At alibi Muhammed ait, Judæos in eo decipi quod exiſtiment ſe interfeciſſe Chriſtum Mariæ filium, eos enim non interfeciſſe Chriſtum, ſed ei ſimilem ſuſpendiſſe & interfeciſſe; Deum autem ad ſe tranſmigrare feciſſe Chriſtum. Alcor. cap. 11. Agnoſco Baſilidis hæretici diſcipulum, & eundem in Muhammede ſpiritum mendacii qui olim blaſphemabat in Baſilide, aſſerente non Jeſum crucifixum eſſe, ſed Simonem illum Cyrenæum, qui angariatus portavit crucem ejus. Jeſum enim transfiguraſſe Simonem in ſuam ſpeciem ut putaretur eſſe Jeſus; ipſum autem Jeſum Simonis aſſumſiſſe formam, & ita tradidiſſe Simonem qui pro ipſo crucifigeretur: ipſum autem Jeſum ſtetiſſe ſpectatorem, & deriſiſſe eos qui Simonem crucifigebant, & ſic aſcendiſſe ad eum qui miſit eum, deridentem eos, cum teneri non poſſet, & inviſibilis eſſet omnibus, illæſumque proceſſiſſe in Cœlum. Hanc Baſilidis inſanam & blaſphemam hæreſin commemorant Irenæus, lib. 1. adverſus hæreſes, cap. 23. & Epiphanius in Panariis lib. 1. tom. 2. hæreſ. 24. ubi etiam contra iſtam aliaſque Baſilidis blaſphemias accuratè diſputat.

*Idem mendacii Spiritus olim in Baſilide, & poſtea in Muhammede.*

2. Nempe hoc Muhammedico diabolo unicè propoſitum fuit, ut per inſidioſam laudationem Dei Creatoris, & Jeſu Chriſti, homines à vero Deo Creatore, & ab unica ad Deum ducente via abduceret. Certè oportuit Chriſtum mortem perpeti, & introire in gloriam, hoc enim manu & conſilium Dei prius decreverat fieri; hoc Deus per ſanctos ſuos Prophetas in ſanctis ſcripturis prædixerat, eaſque ſcripturas neceſſe erat impleri. Matth. 26. 54. Luc. 24. 26, 27. Act. 3. 15. & 4. 18. hoc mandatum accepit Chriſtus à Patre ſuo, ut poneret animam ſuam pro ovibus ſuis. Johan. 10. 15, 18. Commendat ſuam charitatem erga



nos Deus, quod, quum adhuc eſſemus peccatores, Chriſtus pro nobis mortuus ſit. Rom. 5. 8. Hæc ſumma eſt veræ & ſalutiferæ ſapientiæ, cognoſcere Jeſum Chriſtum, eumque crucifixum. 1. Corinth. 2. 2. Judæi ſignum petunt, & Græci ſapientiam quærunt; Nos autem (inquit B. Apoſtolus Paulus) prædicamus Chriſtum crucifixum; Judæis quidem offendiculum, Græcis verò ſtultitiam ipſis autem vocatis, tum Judæis, tum Græcis, Chriſtum, Dei potentiam ac Dei ſapientiam. 1. Cor. 1. 22, 23, 24. Per hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit. 1. Johan. 3. 16. Chriſtum Jeſum propoſuit Deus propitiationem, per fidem, in ipſius ſanguine, ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ. Rom. 3. 25. in Chriſti morte & reſurrectione eſt noſtra ſolida minimèque fallax conſolatio & gloriatio. Rom. 8. 34. Nam redemtionem & pacem habemus per ſanguinem crucis ejus. Coloſſ. 1. 14, 20. Sanguis Jeſu Chriſti Filii Dei purgat nos ab omni peccato. 1. Johan. 1. 7. Nec eſt in alio quoquam ſalus: nec enim aliud nomen eſt ſub Cœlo, quod datum ſit inter homines, per quod oporteat nos ſervari. Act. 4. 12. quoniam pueri participes ſunt carnis & ſanguinis, ipſe quoque conſimiliter particeps factus eſt eorundem, ut per mortem deſtrueret eum qui habebat mortis imperium, hoc eſt, Diabolum. Et liberaret eos qui metu mortis per omnem vitam obnoxii erant ſervituti. Hebr. 2. 14, 15.

3. Non mirum eſt igitur, quod tantopere niſus ſit Diabolus obſcurare veritatem doctrinæ Chriſtianæ de precioſa morte & glorioſa reſurrectione Domini noſtri Jeſu Chriſti: gnarus ſcilicet, quam ſit tenebrarum regno adverſa hæc veritas; & quod per hanc liberentur homines à poteſtate tenebrarum; neque ſit alia hominibus ſalutis via. Idcirco multos hæreticos impulit, ut impiè negarent Chriſtum verè mortuum eſſe, adeóque nec verè reſurrexiſſe concederent. ſic blaſphemabant Simoniani, Saturniniani, Baſilidiani, Marcitæ ſive Marcoſii, Marcionitæ, Manichæi, & alii. Eandem etiam blaſphemiam renovavit Diabolus per blaſphemum ſuum pſeudoprophetam Muhammed.

*Antichriſti, cum quibus conſentit Muhammedes in blaſphema negatione hujus veritatis.*

## CAPUT OCTAVUM.

### *Impietatis doctrinæ Muhammedanæ, quintum ſpecimen, ubi detegitur & refellitur diabolica Muhammedis in Chriſtianos calumnia, de deificatione beatæ Virginis Mariæ.*

*Diabolica Satanæ fraus.*

INter multas alias fraudes, & hanc fallendi artem ſæpe exercuit Satanas: excitavit horrendas hæreſes, Chriſtianiſmi vocabulo velatas, ut ita tum ſimpliciores nomen Chriſti haud averſantes facilius illaquearet, tum occaſionem arriperet calumniandi & infamandi Chriſtianam religionem apud extraneos, eoſque Chriſtiani nominis odio vehementiore accenderet, & eorum aures atq; animos ab auditu veritatis Euangelicæ prorſus averteret. ſicut obſervarunt Irenæus lib. 1. adverſus hæreſes, cap. 24. & Clemens Alexandrinus lib. 3. Stromatum. & Euſebius lib. 3. hiſt. Eccleſ. cap. 26. & lib. 4. cap. 7. & Epiphanius in Panariis, lib. 1. tom. 2. hæreſ. 27. & Theodoretus, lib. 2. hæreticarum fabularum, in principio libri. qua de re ſuprà etiam lectorem monebamus, libro primo hujus operis, cap. 37. § 7. & § 2.

2. Hinc illæ, de promiſcua & inceſta venere, deque infanticidio, ac Thyeſteis epulis, jactæ in Chriſtianos à Paganis calumniæ; quas commemorant Juſtinus Martyr, in dialogo cum Tryphone Judæo; paucis foliis poſt initium illius dialogi: & Athenagoras in legatione ſive apologia pro Chriſtianis: paullo poſt initium: & Minutius Felix in Octavio: & Tertullianus in Apologetico, cap. 7. & Euſebius lib. 4. hiſt. Eccleſ. cap. 7. iſta enim flagitia in ſuis conventibus patrabant ſcelerati illi hæretici, qui ſeipſos Gnoſticos appellabant, à Catholicis autem Chriſtianis vocabulo convenientiore dicebantur Borboriani [Βορβοριανοί] quaſi cœnoſi, propter fœdiſſimam & abominandiſſimam turpitudinem, quam in ſuis myſteriis exercebant. ut refert Epiphanius, in Panariis lib. 1. tom. 2. hæreſ. 26. Auguſtinus Borboritas vocat, hæreſ. 6. Deteſtandam conſuetudinem indifferenter utendi feminis multi hæretici ab hæreſiarchis magiſtris ſuis acceptam exercebant, videlicet Simoniani [Auguſt. hæreſ. 1.] utentes in hunc finem etiam incantationibus & amatoriis & agogimis. [Irenæus lib. 1. adverſus hæreſes, cap. 20. Theodoretus lib. 1. hæret. fabul.] & Carpocratiani, qui μιάνδρους ἀφροδισίους, promiſcuam venerem, prophanè appellabant κοινωνίαν μυστικήν, communionem myſticam. [Clemens Alexand. lib. 3. Strom.] qui etiam artes magicas operabantur, & incantationes, philtra quoque & charitefia, & paredros [ita dictos, id eſt, aſſeſſores quoſdam dæmones] & oniropompos, & reliquas malignationes. [Irenæus, lib. 1. adverſus hæreſes cap. 24.] & illi hæretici quos ἀντιτάκτας, id eſt, adverſarios, vocat Clemens Alexandrinus, lib. 3. Strom. de quibus ſcribit etiam Theodoretus, lib. 1. hæret. fabul. cap. de Antitactis. Et Caini, [de quibus ſcribit Irenæus, lib. 1. adverſus hæreticos, cap. ultimo.] & alii hæretici. Myſteria etiam funeſta habebant Gnoſtici, ut monuimus, id quod prolixè declarat Epiphanius, hæreſ. 26. ſimile quidpiam de Montaniſtis ſcribit Auguſtinus, hæreſ. 26. fœda etiam Manichæorum myſteria idem commemorat, hæreſ. 46. ſed iſtæ Montani & Manichæi hæreſes, poſterius exortæ, faciebant tantùm ad qualemcunque ſpecioſitatem illius calumniæ, quam occaſione impietatis Gnoſticorum ſparſerat Diabolus contra Chriſtianos Catholicos: per quas calumnias effecit, ut Pagani etiam Catholicis Chriſtianis ea flagitia objectarent, veroſque Chriſtianos blaſphemarent, licet in nullo cum illis hæreticis communicantes, neque in doctrina, neque in moribus, neque in quotidiana converſatione. ut monet Irenæus lib. 1. adverſus hæreſes, cap. 24. abutebantur quidem hæretici nomine Chriſti, ſeipſos Chriſtianos falsò appellantes, & velamen malitiæ ipſorum, ut ibidem loquitur Irenæus: ſed quid hoc ad veros Chriſtianos, qui hæreticorum illorum vitam luxurioſam, & ſententiam impiam, ex animo deteſtabantur;

tur, & palàm damnabant? iniquiſſimo igitur præjudicio & planè diabolica calumnia Pagani veros Chriſtianos, inauditos, damnarunt, habentes eos pro talibus, quales eſſe audierant nefarios illos hæreticos: adjectis etiam aliis mendaciis.

*Diabolica Muhammedis calumnia in Chriſtianos.*

3. Eodem mendacii & calumniæ ſpiritu ductus diabolicus pſeudopropheta Muhammed impietatem Collyridianorum hæreticorum tribuit Chriſtianis abſolutè, (in Alcor. cap. 13.) ac ſi ea Chriſtiana religio, quam Catholica Eccleſia Chriſtiana tenuit jam inde ab Apoſtolorum temporibus, impietatem illam contineret; quam tamen conſtat à Catholicis Patribus damnatam eſſe, & conſtanter oppugnatam, ut à vera Chriſtianitate alieniſſimam.

*Collyridianorum impietas.*

4. Collyridianorum impietas, (mulieribus quibuſdam autoribus) hæc erat; quod beatam Virginem Mariam divino honore colebant. Extiterant autem quidam in Arabia virginitati Mariæ uſque adeò contradicentes, ut aſſererent eam poſt natum Chriſtum, viro ſuo Joſepho commixtam fuiſſe. & hi ob aſſertionis illius pertinaciam, hæretici habiti ſunt, & appellati ſunt Antidicomarianitæ, ἀντιδικομαριανῖται. Contra eorum hæreſin Epiphanius epiſtolam ſcripſit ad Chriſtianos Arabas, quam inſeruit Panario, libro 3. tom. 2. hæreſ. 78. In ea epiſtola etiam propè finem, mentionem facit oppoſiti erroris Collyridianorum [κολλυριδιανῶν,] itidem in Arabia, ad alteram extremitatem prolabentium. Admirati ſumus, (inquit Epiphanius) quum aliud rurſus audiviſſemus; alios nimirum rurſus ita deſipere, ut in tractatione de ipſa ſancta ſemper-Virgine, pro Deo hanc introducere ſtuduerint, & adhuc ſtudeant, & furore quodam & amentiâ ducantur. Narrant enim, quod quædam mulieres illic in Arabia, ex partibus Thraciæ, hanc vanitatem invexerunt, ut in nomen ſemper-Virginis Collyridem quandam ſacrificent, [κολλυρίδα τινὰ ἱερουργεῖν] & ſimul congregentur: & in nomen ſanctæ Virginis ultra modum quid tentent aggredi, nefario ac blaſphemo negotio: & in nomen ipſius ſacra celebrent per mulieres, quod totum impium eſt ac nefarium, alienum à prædicatione Sancti Spiritûs; ut ſit totum diabolicum opus, & ſpiritus immundi doctrina. Impletur enim & in his hoc; Deficient quidam à ſana doctrina, attendentes fabulis & doctrinis dæmoniorum. Erunt enim, inquit, mortuis cultum divinum præſtantes, quemadmodum etiam in Iſraël culti ſunt. Et ſanctorum juxta tempus in Deum gloria, facta eſt aliis, non videntibus veritatem, in errorem. Nam in Sicimis, hoc eſt, in Neapoli nunc appellata, indigenæ ſacrificium faciunt in nomen puellæ, nimirum ex occaſione filiæ Jephthæ, quæ aliquando oblata eſt Deo in ſacrificium: & deceptis factum eſt hoc in detrimentum idololatriæ & vani cultus. Sed & filiam Pharaonis, quæ honoravit ſervum Dei Moyſem, ſuſtulitque ac educavit, propter celebritatem tunc pueri, ultra decorum honoraverunt Ægyptii pro Deo, atque hoc in malam traditionem ſtolidis demandarunt in religionem: & adorant Thermutim filiam Amenoph tunc Pharaonis; quoniam educavit, velut dixi, Moyſem. Et multa talia ac ſimilia facta ſunt in mundo, ad ſeductionem deceptorum: non quod ſancti ſint cauſa offendiculi quibuſdam; verum quod cogitatio hominum non quieſcit, ſed ad prava evertitur. Sive enim mortua eſt ſancta Virgo & ſepulta; in honore ipſius dormitio, & in caſtitate mors, & in virginitate corona: ſive interfecta eſt, velut ſcriptum eſt, animam ipſius pertranſibit gladius; inter martyres eſt ipſius gloria, & in beatitudinibus ſanctum ipſius corpus, per quam lux exorta eſt mundo: ſive manſit; nam non eſt impoſſibile Deo omnia facere quæ vult; finis enim ipſius nemini notus eſt, [τὸ τέλος τῆς αὐτῆς οὐδεὶς ἔγνω] non convenit colere ſanctos ultra decorum, ſed honorare ipſorum Dominum. [ὑπὲρ τοῦ δέοντος οὐ χρὴ τιμᾶν τοὺς ἁγίους, ἀλλὰ τιμᾶν τὸν αὐτῶν δεσπότην.] Ceſſet itaque error ſeductorum. [τῶν πεπλανημένων.] Neque enim Deus eſt Maria. Hæc ibi.

*Kollyris, Collyris eſt genus quoddam panis. & ab oblatione Collyridis dicti ſunt Collyridiani.*

*1. Tim. 4. 1.*

*Sanctorum gloria non videntibus veritatem facta eſt in errorem.*

*Ipſi tamen ſancti non ſunt cujusquam cauſa offendiculi.*

5. Eandem Collyridianorum hæreſin rurſum oppugnat Epiphanius mox in eodem opere, hæreſ. 79. ubi ex profeſſo diſſerit de hæreſi Collyridianorum, & adverſus eam diſputat. §. 1. Quædam (inquit) mulieres currum quendam ſive cellam quadratam ornantes, expanſo ſuper ipſum linteo, in die quadam illuſtri anni, per aliquot dies panem proponunt, & offerunt in nomen Mariæ. Omnes autem pane participant, velut in epiſtola in Arabiam à me ſcripta ex parte diſſeruimus. Et §. 4. Præterita juſtitiæ ſemper ſubiens hominum mentem Diabolus, mortalem naturam in hominum oculis deificans, ſtatuas humanas imagines præ ſe ferentes [ἀνδριάντας ἀγάλματα,] per artium varietatem expreſſit. [διὰ ποικιλίας τεχνῶν διαγράψας.] Et mortui quidem ſunt qui adorantur; [οἱ προσκυνούμενοι,] ipſorum verò imagines, quæ nunquam vixerunt, neque enim mortuæ eſſe poſſunt, quæ nunquam vixerunt, adorandas introducunt: adulterante mente ab uno & ſolo Deo: veluti commune ſcortum ad multam multiplicis coitus abſurditatem irritatum, & quod temperantiam legitimi conjugii unius viri detrivit. Revera ſanctum erat corpus Mariæ, non tamen Deus. Revera Virgo erat ipſa, Virgo, & honorata, [τετιμημένη] ſed non ad adorationem nobis data: [ἀλλ' οὐκ εἰς προσκύνησιν ἡμῖν δοθεῖσα:] ſed ipſa adorans [προσκυνοῦσα] eum, qui ex ipſa, carne genitus eſt; de cœlis verò ex ſinibus Paternis acceſſit. Et §. 5. Quæ verò Scriptura de hoc narravit? quis Prophetarum præcepit [ἐπέτρεψεν permiſit] hominem adorari, [προσκυνεῖσθαι;] nedum mulierem? Eximium equidem eſt vas, ſed mulier, & nihil à natura immutata, verùm & intellectu & ſenſu in honore honorata, velut corpora ſanctorum; & ſi quid amplius ad glorificationem dixerim, ſicut Elias ex matre Virgo, & ſic manens in perpetuum, & tranſlatus, & mortem non conſpicatus; ſicut Johannes, qui ſuper pectus Domini recubuit, quem diligebat Jeſus; ſicut Thecla ſancta. Et Maria adhuc honoratior hac eſt, propter diſpenſationem myſterii, qua digna facta eſt [ηξιώθη]. Sed neque Elias adorandus eſt, [ἀλλ' οὔτε Ἠλίας προσκυνητός,] etiamſi in vivis ſit: neque Johannes adorandus, quanquam per preces ſuas proprias dormitionem ſuam admirandam effecerit, imò potius ex Deo gratiam acceperit. Sed neque Thecla, neque quiſquam ſanctus adoratur. [οὔτε τις τῶν ἁγίων προσκυνεῖται.] Non enim dominabitur nobis antiquus error, ut relinquamus Viventem, & adoremus [προσκυνῶμεν] ea quæ ab ipſo facta ſunt. Coluerunt enim & adorarunt creaturâ, præter Creatorem, & ſtulti facti ſunt. Si enim Angelos adorari [προσκυνεῖσθαι] non vult, quanto



quanto magis eam quæ genita eſt ab Anna, quæ ex Joachim donata eſt Annæ?

6. Et ibidem, §. 7. Ut Plaſtes & rei poteſtatem habens, ſeipſum de Virgine velut de terra efformavit, qui de Cœlis deſcendit, & carnem induit Deus Verbum ex ſancta Virgine: non tamen ut adoretur Virgo, neque ut Deum hanc efficeret, non ut in nomen ipſius offeramus, non ut poſt tot ſecula mulieres ſacerdotes ac ſacrificulas oſtenderet. Non complacuit hoc Deo in Salome fieri, non in ipſa Maria. Non permiſit ipſi dare baptiſma, non benedicere diſcipulos, non imperare in terra juſſit, [οὐ τὸ ἄρχειν ἐπὶ τῆς γῆς ἐπέτρεψεν,] ſed hoc ſolum voluit, ut ipſa eſſet [ἁγιασμα] ſanctum quid, & digna efficeretur regno ipſius [καὶ καταξιωθῆναι τῆς αὐτοῦ βασιλείας.] Unde igitur rurſus nobis iſte in orbem ſe gyrans draco, [κυκλαδεύων,] unde renovantur obliqua illa conſilia? Sit in honore Maria. Pater & Filius & Spiritus Sanctus adoretur. Mariam nemo adoret. [ἐν τιμῇ ἔστω Μαρία, ὁ δὲ πατὴρ καὶ υἱὸς καὶ ἅγιον πνεῦμα προσκυνείσθω, τὴν Μαρίαν μηδεὶς προσκυνείτω.] Non dico mulieri, imò neque viro, ſed uni Deo debetur hoc myſterium. Neque Angeli capiunt talem glorificationem. [δοξολογίαν.] Deleantur quæ male ſcripta ſunt in corde deceptorum. Tollatur ex oculis cupiditas ligni. Convertatur rurſus figmentum ad Dominum. Revereatur Eva cum Adam, ut Deum ſolum colat [αὐτὸν τιμᾶν μόνον,] ne ducatur ſerpentis voce, ſed permaneat in Dei præcepto. [ἐμμενέτω τῇ τοῦ θεοῦ ἐντολῇ.] ne comedat de ligno. Et erat lignum non error, ſed per ipſum lignum facta eſt inobedientia erroris. Ne comedat quis de errore, qui eſt propter ſanctam Mariam. Nam etſi pulchrum eſt lignum, attamen non ad cibum. Etſi pulcherrima eſt Maria & ſancta & honorata, at non ad adorationem. [καὶ εἰ καλλίστη ἡ Μαρία, καὶ ἁγία, καὶ τετιμημένη, ἀλλ' οὐκ εἰς τὸ προσκυνεῖσθαι.] Et §. 9. Et quam multa dicere poſſem? Sive enim velut ipſam adorantes Mariam, ipſi offerunt collyridem vanæ iſtæ mulieres, ſive pro ipſa offerre conantur prædictam hanc putidam oblationem; tota res ſtolida eſt & aliena, & ex dæmonum impulſu fraus & impoſtura. Quo verò non longius extendam ſermonem, ſufficient nobis quæ dicta ſunt. Maria in honore ſit: Dominus adoretur. [ἡ Μαρία ἐν τιμῇ, ὁ κύριος προσκυνείσθω.] Juſti enim nemini exhibent errorem. Deus malis non tentatur. Et tentat etiam ipſe neminem, neque ſervi ipſius, ad deceptionem. Unuſquiſque verò tentatur ex propria concupiſcentia, &c. Hæc omnia Epiphanius, hæreſ. 79.

*Maria in honore ſit, Dominus adoretur.*

7. Plena ſunt Catholicæ antiquitatis monumenta hujuſmodi teſtimoniis, quibus declarant Patres alienam eſſe à vero Chriſtianiſmo religioſam adorationem cujuſcunque meræ creaturæ. Vide infra in hoc opere lib. 7. ubi de religioſa adoratione creaturarum, & imaginum.

8. Perversè igitur, & planè diabolicâ calumniandi libidine, pſeudopropheta Muhammed, captatâ à mulierculis quibuſdam Arabicis occaſione, impietatem earum indifferenter tribuit Chriſtianis, ut per hanc impudentiſſimam calumniam homines à vera Chriſtiana religione avertat. Alcor. cap. 13.

*Objectio.*

9. At, inquies, poſterioribus ſeculis, poſt Muhammedis tempora, ita invaluit ea ſuperſtitio, ut quamvis panis non amplius Mariæ offerretur, religioſè tamen eam plurimi adorarent Chriſtiani, tum in Oriente, tum Occidente.

*Reſponſio.*

Reſpondeo. Sic etiam citerioribus iſtis & deterioribus ſeculis multi alii errores proſerpſerunt, vireſque acquiſiverunt, juſto Dei judicio, mittentis hominibus efficacitatem erroris, ut crederent mendacio, propterea quod amorem veritatis non receperint, ut loquitur Apoſtolus 2. Theſſ. 2. futuras hæreſes & futuram apoſtaſiam prædixerunt ſcripturæ Apoſtolicæ. Matth. 24. & 2 Theſſ. 2. & 2. Timoth. 3. ubi Apoſtolus munimentum adverſus hæreſes nobis oſtendit, nempe ſacras ſcripturas, quas etiam nobis in eundem uſum commendant alii Apoſtoli, 2 Petr. 2. Jud. 17. hoc præclarum depoſitum nobis diligenter ſervandum reliquerunt. Huc ſemper eſt recurrendum, ut veritatem Chriſtianæ religionis videamus. quiſquis aliud nobis euangelizaverit, præterquam quod in ſacris V. & N. Teſtamenti ſcripturis accepimus, anathema ſit, etiamſi Angelus de cœlo ſit. Sicut graſſantem febrem peſtemque corporis non tam miramur, quam abominamur & præcavemus; ſic etiam noſtri eſt officii, quamlibet hæreſin, quæ animæ peſtis eſt, non mirari, quod ſit, vel quod ſicut gangræna ſerpat, multoſque inficiat, (ſic enim fert natura hujus mali, & prædixerunt Apoſtoli ita futurum.) ſed vigilanter eam devitare, ne ejus contagione corripiamur. Nobis verò (inquit Tertullianus) nihil ex noſtro arbitrio inducere licet, ſed nec eligere quod aliquis de arbitrio ſuo induxerit. Apoſtolos Domini habemus auctores, qui nec ipſi quicquam ex ſuo arbitrio, quod inducerent, elegerunt: ſed acceptam à Chriſto diſciplinam fideliter nationibus adſignaverunt. Hæc ferè Tertull. lib. de præſcr. c. 6. Vide ſupra in primo ſpecimine.

*Locus Sacra Scriptura.*

10. Quicunque igitur candidè agere vult cum Chriſtianis aliquibus in errorem aliquem lapſis, eoſque ad veram Chriſti doctrinam reducere, revocet eos ad Propheticas Apoſtolicaſque ſcripturas, ut inde potent eam diſciplinam, quam à Chriſto acceptam Apoſtoli fideliter nationibus adſignarunt. Conferat etiam ſcripta Catholicorum Patrum, ex quibus perſpici poterit eos in eadem illa diſciplina ab Apoſtolis accepta perſeveraſſe. Nemo autem niſi Chriſti inimicus, & ſalutis humanæ adverſarius, & religionis Chriſtianæ diabolicus calumniator, ex quolibet paucorum aut multorum Chriſtum profitentium errore occaſionem arripiet blaſphemandi eam doctrinam & religionem Chriſtianam, quam Apoſtolicis conſignatam literis accepit Eccleſia, ſervandam & ſequendam uſque ad ultimum Chriſti adventum ad judicandum vivos & mortuos: nemo, niſi ſatanico furore actus, ex tali occaſione conabitur homines à Chriſti doctrina in ſacris ſcripturis tradita, & à Catholica Chriſti Eccleſia, in eiſdem ſcripturis nobis commendata, abalienare, ſicut fecit diabolicus ſcurra Muhammed, & adhuc faciunt ejus miſeri ſectatores.

## CAPUT NONUM.

*Impietatis doctrinæ Muhammedanæ ſextum ſpecimen, quod eſt, De juramento, & Latrocinio.*

JUrare docet Muhammed per creaturas, & in eis etiam per Dæmones, ſicut docuimus ſuprà in ſecundo ſpecimine, cap. 5. §. 14.

In hoc autem ſpecimine triplicem inſuper oſtenſum imus doctrinæ Muhammedanæ impietatem: unam de juramento doloſo, quod admittere videtur Muhammed, dum illud ſolum juramentum damnat, quo falſitas ex corde per Dei nomen firmatur. (Alcor. cap. 3.) Nec per ipſum (inquit, Deum intelligens) nominavè ſua ſingulis negotiis jurate: cum ipſe ſit omnium auditor & cognitor. In illis quidem ſolis ſacramentis, quibus falſitas ex corde firmatur, Deus appoſitus læſionem contrahit. Hæc ibi. Simile videtur illud Ciceronis, qui ait; Non enim falſum jurare, perjurare eſt: ſed quod ex animi tui ſententia juraveris, ſicut verbis concipitur more noſtro, id non facere, perjurium eſt. Scitè enim Euripides, juravi lingua, mentem injuratam gero, Hæc Cicero, lib. 3. de officiis. Multò melius Juſtinus Martyr, in ſua Apologia, quæ ſecunda dici ſolet, veracis hominis officium docet procul abeſſe ab iſta fraude, qua ſe excuſabant ethnici homines dicentes;

> ἡ γλῶσσ' ὀμώμοχ', ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος·
> *Juravi lingua, mentem injuratam gero.*

Et Chriſtianos uſque adeò veracitati addictos eſſe oſtendit, ut ne vitam quidem conſervare, mortémve devitare tali ſubterfugio ſuſtineant. Nefas eſt (inquit Lactantius) eum qui veritati ſtudeat, in aliqua re eſſe fallacem, atque ab ipſa, quam ſequitur, veritate diſcedere. In hac juſtitiæ virtutumque omnium via, nullus mendacio locus eſt. Itaque viator ille verus, ac juſtus non dicet illud Lucilianum;

> *Homini amico, ac familiari non eſt mentiri meum:*

Sed etiam inimico, atque ignoto exiſtimabit non eſſe mentiri ſuum. Nec aliquando committet, ut lingua interpres animi, à ſenſu & cogitatione diſcordet. Hæc Lactantius, lib. 6. divinarum inſtitutionum, qui eſt, de vero cultu, cap. 18. Perſecutionis tempore falſum ore profiteri, dummodo in corde veritas retineretur, atque adeò pro celando ſuo dogmate intrepidè mentiri & pejerare docebant olim multi hæretici, quorum ſuprà à nobis facta mentio eſt, lib. 3. hujus operis, cap. 20. §. 38. His conſentire videtur Muhammed, ſolius juramenti quod ex corde ſit, reatum agnoſcens.

2. Altera autem impietas in doctrina ejus manifeſta eſt, nempe, de violati juramenti expiatione Muhammedanâ, per quam ad juramenti etiam ex animo jurati ſecuram violationem januam aperit, animoſque addit fœdifragis: in Alcorano cap. 13. ubi etiam rurſum doloſi juramenti impietatem elevare videtur: Iuſjurandum (inquit) ex corde factum, non aliud vos coram Deo reos efficit. Illius quidem veniam adipiſci ſtudens, decem pauperes paſcat, ſicut ſuam gentem paſcere mediocriter conſuetus eſt, aut eos induat, vel hominem redimat. Horum omnium impotens, tres dies jejunet. Hæc Muhammed loco citato. Ex quibus collige, quam ſint infida Muhammedanorum commercia, quam lubrica eorum fides. Memento autem Muhammedem nullam agnoſcere aliam ſublimiorem hujus peccati expiationem, aut ullius majoris pretii perſolutionem. quis illius diabolicæ diſciplinæ alumnus, ſi dives ſit, non violabit juramentum ex corde juratum per nomen Dei? aut ſi pauper ſit, annon vel obtendet diſſenſionem ſui cordis ab ore? vel ſi fateatur ſe ex animo juraſſe, juramentum tamen violabit, & eam perfidiam facilè redimet, triduano jejunio. noctes interim illius tridui in helluatione & deſrænato gulæ vagæque libidinis obſequio totas tranſacturus. Talia enim ſunt Muhammedana jejunia. Vide infra, cap. 11. §. 9.

3. His ſi adjicias præceptum illud latrocinale quod ſectatoribus ſuis dat Muhammed, dicens eis, uſquequo vos meliores & elatiores efficiamini, prædatores & expugnatores eſtote. Alcor. cap. 12. Et alia ejus ſanguinaria mandata, paſſim in Alcorano occurrentia; clarè perſpicies doctrinam Muhammedanam eſſe impium magiſterium perjurii, perfidiæ, latrocinii, & truculentiæ. Vide inferius cap. 13. hujus libri, §. 7. & §. 8.

## CAPUT DECIMUM.

*Impietatis Doctrinæ Muhammedanæ ſeptimum ſpecimen, quo tollit diſcrimen veræ & falſæ religionis, quoad ſalutis adeptionem.*

SCiendum (inquit) generaliter, quoniam omnis rectè vivens Iudæus, ſeu Chriſtianus, ſeu lege ſua relicta ad aliam tendens, omnis ſcilicet Deum adorans, bonique geſtor, indubitanter divinum amorem aſſequetur. Alcor. cap. 1. ſeu 2.

2. Philaſtrius Epiſc. Brix. in catalogo hæreſeon quæ ſub Apoſtolis extiterunt, cap. 43. de Rhetorio; alii ſunt (inquit) in Ægypto & Alexandria à Rhetorio quodam, qui omnes laudabat hæreſes, dicens omnes benè ſentire, & neminem errare ex eis, ſed ambulare bene omnes illos, & malè eos non credere ſentiebat. Hæc Philaſtrius.

3. Julianus hæreticus Pelagianus, ajebat etiam alienos à fide, veram poſſe habere juſtitiam. Cui reſiſtens Auguſtinus: Ubi quidem (inquit) dogma veſtrum, quo eſtis inimici gratiæ Dei, quæ datur per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui tollit peccatum mundi, evidentius expreſſiſtis introducens hominum genus quod placere Deo poſſit ſine Chriſti fide, lege naturæ. Hoc eſt, unde vos maximè Chriſtiana deteſtatur Eccleſia. Hæc Auguſtinus. lib. 4. contra Julianum, cap. 3. circa medium.

4. Hæc errorum portenta impiè renovavit pſeudopropheta Muhammed.

5. Certè nullus Euangelii Chriſti inimicus Deum ritè adorat, aut bonum ſaluti ferum gerit. Qui credit in Filium; habet vitam æternam: qui autem non paret Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei



manebit ſuper eum. Joan. 3. 36. Nec eſt in alio quoquam ſalus: nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo, quod datum ſit inter homines, per quod oporteat nos ſervari. Act. 4. 12.

6. Ex his paucis ſpeciminibus (ut plurima alia prætermittam) jam liquidò patet, doctrinam Muhammedanam eſſe multarum teterrimarum hæreſium abominandam farraginem, & peſtiferam multiplicis impietatis lacunam: & in eam, velut in ſentinam, multarum peſtium virus confluxiſſe.

## CAPUT UNDECIMUM.

*De ſpurcitie doctrinæ Muhammedanæ, ubi etiam de anniverſario Muhammedanorum jejunio, & de Paradiſo Muhammedano.*

MUhammed ejuſque ſectatores omnia ad corporis voluptatem referunt, adeò ut eam etiam jejunio miſceant, & ipſam futuræ vitæ Paradiſiacam felicitatem in voluptatibus carnalibus collocent, in eis, inquam, quas etiam exercent belluæ, (& Muhammedani adhuc turpius belluis) nempe in luxuria & libidine. In hoc diſſidentes à Gnoſticis & Carpocratianis hæreticis etiam voluptuariis; nam Gnoſtici & Carpocratiani ad omnem quidem in hac vita intemperantiam & ſpurcitiem projecti, nefandas operationes avidè exercebant, ὀπίσω σαρκὸς ἐν ἐπιθυμίᾳ μιασμοῦ πορευόμενοι, carnalem libidinem excluſerunt à vita futura, argumento quidem inepto & à vera pietate alieno utentes, negabant enim corporum reſurrectionem, & ſolas animas beari dicebant; ut patet ex Irenæo, lib. 1. adverſus hæreſes, cap. 24. & cap. 34. & Epiphanio, lib. 1. contra hæreſes, tom. 2. hæreſ. 26. & hæreſ. 27. Muhammedes autem ſequutus eorum incontinentiam & petulantiam in hac vita, dum alterum eorum errorem rejicit, affirmans corpora reſurrectura, etiam carnales epulas & libidinoſas corporum commixtiones æterno Paradiſo inferre non erubeſcit. Quia abſque iſtis nullam eſſe homini felicitatem ſomniabat, neque ad altiorem iſtis ullam beatitudinem anhelabat. Quem fœdum errorem hauſiſſe videtur ex fæce infidelium Iudæorum; eſt enim (inquit Ruffinus) Iudæorum verè de reſurrectione talis opinio; quod reſurgent quidem, ſed ut carnalibus deliciis & luxuriis, cæteriſque voluptatibus corporis perfruantur. Hæc Ruffinus, lib. 1. adverſus Hieronymum.

2. Quomodo autem fieri poteſt, ut aliquis à corporis voluptatibus victus aſſimiletur Domino, aut Dei habeat cognitionem? inquit Clemens Alexandrinus lib. 3. Stromatum. Et rurſum eodem libro, ὅπως δὲ γνῶσιν λαβεῖν τοὺς ἐν τοῖς πάθεσιν ἀγομένους, ἀδύνατον. id eſt; ut autem cognitionem Dei accipiant qui adhuc ducuntur à paſſionibus, minime poteſt fieri. & paulo poſt; ἀμήχανον γὰρ ἀδύνατον ἅμα τε καὶ ἐπιστήμονα εἶναι, καὶ τῷ σώματι κολακεύειν μὴ ἐπαισχύνεσθαι. id eſt; plane enim fieri non poteſt, ut quis ſimul ſit & ſcientiâ præditus, & blandiri corpori non erubeſcat. Hæc Clemens. Qui etiam eodem libro prolixè diſputat contra Marcionem & Tatianum hæreſiarchas, damnantes matrimonium; & defendens matrimonii caſtitatem, oppugnat ex adverſo vagam petulantiam, & libidinoſam intemperiem. Hæc enim (inquit ſanctus Apoſtolus Paulus) eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra, ut abſtineatis à ſcortatione: & ſciat veſtrum unuſquiſque ſuum vas poſſidere in ſanctificatione & honore: non in paſſione cupiditatis, ſicut & gentes quæ non noverunt Deum. 1. Theſſ. 4. 3, 4, 5. ſicut interdiu, honeſtè ambulemus; non in commeſſationibus, & ebrietatibus, non cubilibus ac protervia, non lite & invidiâ. Sed induamini Domino Jeſu Chriſto, & carnis curam ne habeatis ad [explendas] cupiditates. Rom. 13. 13, 14.

3. Una uni viro conceditur uxor, & unius viri cum una ſua uxore conjugium pronunciatur honeſtum & honorabile, & cubile impollutum. 1. Cor. 7. Hebr. 13. Deus initio unum virum creavit, eique unam uxorem dedit, quærens ſemen Dei. Malach. 2. Ab hac prima inſtitutione, & repetita toties lege matrimonii, ſi qui, etiam pii, declinaverunt ad polygamiam, non ſunt trahenda ejuſmodi exempla in ordinariam conſequentiam: non debet eorum exemplum præjudicare perpetuæ legi Dei, quam & ipſa dictat natura: ideò apud Ægyptios olim, & apud Græcos receptum fuiſſe, ut unuſquiſque cum una uxore habitaret, ſcribit Herodotus, in Euterpe ſeu lib. 2. cap. 92. *Monogamia.*

4. In vita autem illa futura, quam æternam in Cœleſti beatitudine promiſit Deus fidelibus, ceſſabunt omnino nuptiarum cauſſæ, adeóque ipſæ etiam carnales nuptiæ, corporumque commixtiones; nam neque generabitur ſoboles, neque opus erit uxore propter incontinentiam, neque ad vitæ caducæ ſubſidium, neque amplius mori poterimus: erimus enim ἰσάγγελοι, id eſt, æquales Angelis, & filii Dei [Luc. 20. 35, 36.] neque eſuriemus amplius, neque ſitiemus, neque opus habebimus comedere aut bibere corporaliter, ſublatâ jam mortalitate & corruptibilitate. Hæc ipſa quidem, quæ morientes deponimus, recipiemus in reſurrectione, æternumque geſtabimus noſtra corpora; non tamen amplius corruptioni obnoxia, ſed jam incorrupta, non ignominioſa, ſed glorioſa; non infirma, ſed valida; non animalia, ſed ſpiritualia. [1. Cor. 15. 42, 43. 44.] conformia glorioſo corpori Domini noſtri Jeſu Chriſti. [Philip. 3. 21.] Quum ipſe apparuerit, ſimiles ei erimus; quoniam videbimus eum ſicuti eſt. [1. Joan. 3. 2.] Chriſtus æternum virgo, & feliciſſimus; Maria æternum virgo, & benedicta inter mulieres, ſancti Angeli in æternum expertes conjugalis copulæ, æternumque beati; quos tamen corpora habere ad coitum idonea, & libidinis ſtimulos ſentire poſſe imaginatus eſt Muhammed, ut patet ex fabula illa de duobus Angelis Arot & Marot, quam ex libro doctrinæ Muhammedis retulimus ſupra cap. 1. §. 4. Summa autem hominum beatorum felicitas ſic deſcribitur in divinis literis, quod in ſtatu gloriæ ſint ἰσάγγελοι, æquales Angelis, & filii Dei. Luc. 20. 36. & cohæredes Chriſti, Rom. 8. 17. Qua igitur impudentia auſus eſt cœnoſus iſte porcus laſciviam veneream eique inſervientem gulæ luxuriam inferre Paradiſo, tanquam neceſſariam ad ſanctorum beatitudinem.

*Refutatio doctrinæ Muhammedicæ de voluptatibus Paradiſiacis.*

tudinem? apage, ad canes & hircos, iſtam beatitudinem.

5. Certè nemo, niſi aliquo incontinentiæ [ἀκρασίας] vitio laborans voluptatem putat rem veneream, quando ad ſpeciei conſervationem per prolis generationem non conducit; quemadmodum nemo, niſi aliqua laborans intemperantiâ, delectatur cibo aut potu ultra quam ad conſervationem individui in vita & valetudine & robore conducibile eſt. Neque hos terminos tranſiluiſſet Adam, ſi manſiſſet in primævo integritatis ſtatu. Poſt lapſum autem, hominibus jam infirmis conceditur cum propriis conjugibus conſuetudo etiam ſine intentione aut ſpe generandi, ſed conceſſionis hujus rationem declarat Apoſtolus illis verbis, διὰ δὲ τὰς πορνείας, ſed propter fornicationes, ſuam quiſque uxorem habeat, & unaquæque proprium virum habeat. Uxori vir debitam benevolentiam reddat; ſimiliter & uxor viro. ——— Ne fraudetis alius alium, niſi ſi quid ex conſenſu ad tempus, ut vacetis jejunio & orationi: & rurſum in unum convenite, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam veſtram. [ἵνα μὴ πειράζῃ ὑμᾶς ὁ σατανᾶς διὰ τὴν ἀκρασίαν ὑμῶν.] Hoc autem dico ex conceſſione [ſeu ſecundum indulgentiam κατὰ συγγνώμην,] non ex imperio. 1. Cor. 7. 2, 3, --- 5, 6. Alioquin ait bonum eſſe homini mulierem non tangere. ibidem verſic. 1. & paulò poſt; Dico autem (inquit) innuptis & viduis; bonum eſt ſi manſerint, ut ego. Quod ſi ſe non continent, nubant; melius eſt enim nubere quam uri. verſic. 8, 9. & in fine capitis ait, viduam beatiorem [μακαριωτέραν] eſſe, ſi ſic manſerit. verſic. 40.

6. Cum igitur neque generatio futura ſit in cœleſti Paradiſo, neque incontinentia, aut ullum fornicationis periculum, neque futurus ſit ibi tentator Satanas, qui poſſit ſanctos tentare propter aliquam ipſorum incontinentiam; Neque ullum ibi futurum ſit libidinis incendium, adeòque pro evitanda uſtione non opus habituri ſint conjugio, & cum carnales iſtæ voluptates, non propter ſe ſint expetendæ, ſed propter uſus (in hac vita) jam memoratos: turpe omnino eſt, & planè belluinum, collocare in ſuperflua & planè inutili epulatione & libidine beatitudinem hominum perfectorum.

*Vera beatitudo.*

7. Nos autem cum ſancto Davide dicamus: Eleva ſuper nos lumen vultus tui Domine. Dediſti lætitiam in corde meo, præ tempore quo frumentum eorum & muſtum eorum multiplicata ſunt. Pſal. 4. 7, 8, item; Ego in juſtitia videbo faciem tuam, ſatiabor, cum experrectus fuero, imagine tua. Pſal. 17. 15. Hoc unum peramus à Domino, ut habitemus in domo Domini omnibus diebus vitæ noſtræ, & videamus pulchritudinem Domini, & quæramus in templo ejus. Pſal. 27. 4. Beati mundi corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Matth. 5. 9. Pater, quos dediſti mihi, volo ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum, ut ſpectent gloriam illam meam, quam dediſti mihi. ait Dominus noſter Jeſus Chriſtus. Joan. 17. 24. Regnum Dei non eſt eſca & potus: ſed juſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto. Rom. 14. 17. in hiſce inchoatis eſt beatitudo viæ, & in eiſdem perfectis erit beatitudo patriæ. Intelligentes illic fulgebunt ut ſplendor firmamenti; & qui ad juſtitiam erudiunt multos, tanquam ſtellæ in ſeculum & in æternum. Daniel 12. 3. tunc juſti effulgebunt ut Sol, in regno Patris ſui. Matth. 13. 43. foris autem erunt canes & venefici, & ſcortatores, & homicidæ, & idololatræ, & quiſquis amat ac committit mendacium. Apocal. 22. 15.

8. Sed quid moror in refutatione tam craſſæ ſpurcitiei, cum eam retuliſſe ſit refutaſſe, tam manifeſta eſt fœditas. Vis audire ipſam belluam? En grunnitum! Mulieres (inquit Muhammed) vobis ſubjectas penitus pro modo veſtro, ubicunque volueritis parate. Alcor. cap. 3. ubi ſtatim ſubjicit hæc verba; Deum timentes ad quem omnium ſit reditus, &c. Conſueto utens illectamento, quo ſuam impietatem animis hominum facilius inſinuet. Quemadmodum & ante eum plurimi fuerunt hæretici, impietatem ſuam obtentu timoris Dei inumbrantes. Alibi etiam Muhammed, Quotcunque, inquit, placuerit, duas ſcilicet, aut tres, vel quatuor uxores ducite, niſi timueritis eas nullatenus pacificare poſſe. Alcor. cap. 8. Alibi tamen fatetur impoſſibile eſſe pacem & æqualitatem retinere inter plures unius viri mulieres. Alcor. cap. 13. item alibi ait; Illis [mulieribus] itaque veſtris taliter factis, quod deinceps placuerit, ruboris atque timoris expertes agite. Alcor. cap. 9.

8. Audi etiam quale imperet jejunium: Jejunium quidem (inquit) vobis, ſicut & prædeceſſoribus veſtris, per quod Deum timere videamini, tempore ſtatuto, certoque dierum numero, videlicet menſe Remodam, in quo liber legifer, boni malique diſcretivus, cœlitus eſt datus, injungimus: quod quiſque vivus præter infirmum, & viatorem, perſolvat. Quod & ipſi faciant, tempore quo libet. Deus enim manſuetus & pius, gravia à vobis nequaquam exigit: qui communiter etiam vobis nocturnos cum mulieribus coitus, cum abſtinentiam hujuſmodi tum difficilem, tum vobis impoſſibilem agnoſcat, permittit, inde daturus veniam. ——— Die totâ jejunantes, nocte jejunium ſolvite, tunc comedentes & bibentes quantum libuerit, fere uſque ad principium horæ quæ Solis ortum antecedit. Alcor. cap. 2. Lubet uti verbis Ludovici Vivis loquentis de hoc ipſo Muhammedano jejunio, [lib. 4. de veritate Chriſtianæ fidei.] Jubet Muhammed cibis abſtinere uſque ad ſerum, veſpere autem quaſi detractis frenis & ſublatis repagulis emittit edendi avidos ad præſepe belluinum. Edite, inquit, & bibite uſque ad auroram. Quid magis pecuinum? hæc non eſt jejunii lex, ſed ſaginæ magiſterium & officina. Hæc Vives. Quæ verò poterit eſſe contritio & devotio illius qui totam noctem helluatus, & in vagis libidinibus profuſè volutatus, ita onuſtus eſt crapulâ, & voluptatibus ebrius, & ſomno indigens, ut ante veſperam eſurire non poſſit, & vix caput præ ſomno attollere, & memor adhuc illius luxuriæ & earum laſciviarum quas præteritâ nocte exercuit, ſimileſque meditans & deſignans animo in noctem proximam, carnalibus cogitationibus totus immerſus ſit, nec ſapiat ea quæ Spiritûs ſunt?

10. Interea templis proſpicit Muhammed; In templis, inquit, nullus ſit cum mulieribus coitus. Alcor. loco citato, videlicet, cap. 2. Quid ni in templis? ſunt ne templa ſanctiora & venerabiliora æterno beatorum Paradiſo? aut quis poterit actus decentior eſſe in templis eiſque convenientior, quam Paradiſiacus & beatificus? Audi enim, (ſed cum ſeria averſatione & pia indignatione) quid blateret impudicus ille canis de Paradiſo beatorum: apertè indicans, non metaphoricè, ſed propriè intelligenda eſſe quæ effutit: Domini Paradiſo, (inquit) ubi dulciſſimas aquas, pomaque multimoda, fructus varios, & decentiſſimas, ac mundiſſimas mulieres, omneque bonum in æternum poſſidebunt. Alcor. cap. 1. ſeu 2. Item; Credentes & benefacientes, ſua non amittent opera. Illi namque Paradiſum fontibus amœnam, & illic annulos & torques aureos, & ornatus ſericos virides & deauratos poſſidebunt, & in lectis auleatis accumbent. Et hæc eſt maxima merces & interminabilis. Alcor. cap. 28. Item; Timentes autem, locum hortis & fontibus fecundum poſſidebunt, veſtibuſque ſericis & purpurâ veſtiendi, puellas ducent cum oculis claris & immenſis: quorum albugines candidiſſimæ, & pupillæ nigerrimæ. Alcoran. capite 54. Alibi ait, eas puellas fore papillis breviſſimis. Alcoran. capite 88. oculos verò ait habituras immenſos velut ova. Alcoran. capite 47. Alibi etiam eas puellas deſcribit, quod antea ab hominibus atque diabolis intactæ ſint. Alcoran. cap. 65.





11. Non ſordidabo hanc chartam, tranſcribendo obſcœnam orationem qua utitur Muhammed illo capite. & prius cap. 22. Etſi omittere non poſſum illam etiam fœdiſſimam voluptatis Paradiſiacæ deſcriptionem, quæ habetur in libro doctrinæ Muhammedis ſive dialogo Muhammedis cum Abdia Judæo; quia etiamſi ſpurciſſimè illic loquatur impudentiſſimus ille libidinum gurges, non tamen abs re videtur fore, ſi ejus obſcœnitatem detegendo, à contaminatiſſimo nebulone caſtos & verecundos homines & vel minimam ſpiritualis ſenſus aut etiam humani pudoris micam habentes, ipſa ſordidiſſimę ejus doctrinæ deteſtanda fœditate, ſævaque mephiti abſterreamus. In illo dialogo Abdias Iudæus Muhammedem alloquens, ait: Quoniam de victu incolarum Paradiſi plenè expoſuiſti, reſtat ut de voluptate eorum proſequaris. Et illud primum, quoniam comedent & bibent, ſi etiam miſceantur illic mulieribus, idque qualiter, & qua lege. Reſpondet Muhammed; Si ullum oblectamenti genus deeſſet, beatitudo minimè plena eſſet. Fruſtra ergo deliciæ adeſſent, ſi voluptas deeſſet. Quin imo quicquid volunt, præſto eſt, & quaſcunque, & quomodocunque volunt, habent & qualiter, & ubi, & quando, & quantum, & quoties volunt, ſine mora & difficultate: ita quidem quod quas hic uxores habuerunt fideles, habebunt & illic: cæteræ, concubinæ erunt: ancillarum verò non erit numerus. Hæc ibi Muhammed.

12. Nempe finxit, adjuvante diabolo, impuriſſimus ille turpitudinis magiſter Paradiſum ſuo & ſimilium canum ac porcorum ingenio congruum. Imò omnem beſtiarum obſcœnitatem execrandâ turpitudine ſuperat iſta ſpurcities. Alibi ait mulieres illas in Paradiſo oculos ſuos nunquam niſi tantum ad maritos ſuos erecturas. Alcor. cap. 47. Quænam igitur mulierum felicitas, ſi virorum felicitas in habendo innumerabiles mulieres conſiſtat? Certè aut mulieres in ipſo Paradiſo erunt infelices, quod abſurdum eſt; aut plures, imò innumerabiles habebunt viros: Et ſic rurſus felix eſſe non poterit ullus vir, quippe nullam habens ſibi fidam mulierem, ſed viris pluribus, imò innumerabilibus communem. Vel ſi dicant Muhammedani, mulieres fore ita continentes ut non appetant plures viros, neque frequentem cum ſuis maritis conſuetudinem; Cur non idem conceditur de viris? imò cur non perfectam utriſque concedunt continentiam, ut, ſublatâ jam prolis generatione, ceſſet prorſus in Paradiſo uſus & appetitus Veneris? niſi quia viri Muhammedani, φιλήδονοι μᾶλλον ἢ φιλόθεοι, ſuis ſervire cupiunt cupiditatibus, continentiam mulieribus imperantes, à qua ipſi, qui mulieribus honeſto continentiæ exemplo præire debent, longiſſimè abſunt. imitantes in hoc magiſtrum ſuum Muhammedem, qui inſatiabili libidine & effreni petulantiâ inſaniens, non erubuit nec veritus eſt blaſphemo auſu aſſerere conceſſum ſibi eſſe, & quidem ſoli præ reliquis viris, hoc à Deo privilegium dum adhuc in terris ſuperſtes eſſet, ut licitè uti poſſet non ſolùm ſuis uxoribus & ancillis & cognatis, ſed omnibus etiam bonis mulieribus ei volenti ſuccumbere cupientibus; & has à ſe ipſo ſe movere, illas verò adjungere pro velle ſuo. Alcor. cap. 43. bonas mulieres vocat ſpurciſſimus mœchus libidini ejus obſequentes, quaſlibet, ſive puellas, ſive viduas, ſive maritatas. Nam etiam has ſe intelligere apertè indicat, eodem capite.

*Sacrilega impudentia & flagitioſa mulierofitas Muhammedis.*

16. Nec ſatis ganeoni iſti fuit impurum & flagitioſum eſſe, niſi etiam ſpurcitiei & ſcelerum ſuorum auctorem & Patronum lenonemq; ſuum faceret Deum, qui omnis ſanctitatis & honeſtatis Pater eſt, omniſque turpitudinis oſor & ultor. Nempe in hanc blaſphemiam erupit obſcænus ille Pſeudopropheta, ut non ſolum licenter & impunè, ſed etiam cum aliquapiam religionis agnitione (ſicut olim Marcus ille magus, apud Irenæum lib. 1. cap. 9.) à muliebri ſimplicitate & ſuperſtitione admitteretur ad concubitum, ſinentibus maritis aut Patribus, atque etiam auctoritatem Numinis reverentibus, à quo eſſet Muhammedi tale privilegium conceſſum.

14. Refert Philoſophus ille Chriſtianus (apud Vincentium Bellovacenſem, lib. 23. Speculi hiſtorialis, cap. 44.) impudicum iſtum hircum Muhammedem non erubuiſſe tale etiam dedecus in ſcriptura prophetiæ ſuæ ſibi facere, ut diceret datum ſuis renibus à Deo quadraginta viros in coitum potentiſſimos fortitudine libidinis adæquare. Profiteri etiam ibidem inter cætera rebus odoriferis & mulieribus ſe delectari.

15. Erat Muhammedi ſodalis Zaidi nomine, qui formoſam habebat uxorem, Temech filiam Gaiſi: hanc cum adamaret Muhammed, & ſecum cogitaret, quoniam artificio ea potiri poſſet, dixit ſodali ſuo: ô Zaidi, imperavit mihi Deus ut tuam uxorem accipiam. Cui ille reſpondens dixit; Apoſtolus es, fac ſicut dixit tibi Deus. Tum Muhammed: Imò verò, inquit, rem altius repetamus; Imperavit Deus, ut dimittas uxorem tuam. Tunc ille dimiſit. Ac poſt paucos dies, dixit Muhammed; Mandavit Deus, ut ego illam accipiam. Deinde acceptam illam cum adulterio polluiſſet, hanc legem tulit; Uxorem ſuam qui volet dimittat: ſi quis autem uxorem ſuam dimittat, & voluerit ad eam reverti, ipſa prius nubat alii. Non enim fas eſt eam redire ad priorem maritum, donec prius alii nupſerit. Quâ ſpurciſſima lege præcipit adulterium, veluti neceſſariam dimiſſæ mulieris purgationem. Hanc narrationem de Temech uxore Zaidi, & de lege Muhammedis de divortio,

*Inhoneſta lex Muhammedis de divortio.*

deſumpſimus ex Joannis Damaſceni libro de hæreſibus, & diſputatione Philoſophi illius Chriſtiani, apud Vincent. Bellouac. lib. 25. Speculi hiſtor. cap. 44. & Euthymii diſſertatione contra ſectam Jſmaelitarum, in bibl. Patr. tom. 2. græcol.

*Quæ ſit hujus diſſertationis utilitas.*

16. Sed ceſſo hoc ſterquilinium fodere: quis enim mediocriter verecundus, aut ullas humanæ honeſtatis reliquias retinens, iſta legere vel audire ſuſtineat ſine nauſea? Cyrillus Hieroſolymitanus, catecheſi ſexta, rationem oſtendens, ob quam indicaverit quaſdam obſcœnitates Manichæorum, jubet fugere rem inquinatam; idque ait Eccleſiam denunciare ac docere: quæ (Eccleſia) cœnum attingit, ne tu cœno maculeris: vulnera dicit, ne tu ſaucieris. ἁπτέσθω βορβόρου, ἵνα σὺ μὴ βορβορωθῇς· λέγει τὰ τραύματα, ἵνα μὴ σὺ τραυματισθῇς. Et Epiphanius hæreſ. 26. præfatus ſe timere ne ipſa narratio flagitioſæ turpitudinis Gnoſticorum nociva ſit, dicit utile eſſe quædam nefaria detegi prudentibus, ut magis oderint & fugiant exitialem peſtem, & præcipitem ruinam, & puteum perditionis, nec ſolum fugiant ipſi, ſed & tortuoſum illum in ea voragine ſerpentem ac baſiliſcum lapidibus obruant, ut nullus deinceps audeat accedere.

## CAPUT DUODECIMUM.

### *De barbara inhumanitate doctrinæ Muhammedanæ, jubentis verberari uxores.*

CUm viros (inquit Muhammed) mulieribus præeſſe Deo placuit, ut ipſi corrigant eas cum quibus ſuam expenderint pecuniam, ipſæque Deum invocent, & maritis pareant, & eorum ſecreta ſibi commiſſa celent, jus æquum poſtulat. Quæ ſi forte præcepta non obſervaverint, à vobis correctæ & caſtigatæ, in domibus lectiſve detentæ verberentur, uſquequo veſtris nutibus atque præceptis pareant. Alcor. cap. 9.

2. Procul hinc, ad Leſtrigonas & Cyclopas iſtam inhumanam barbariem! ſunt quidem uxores divina lege viris ſuis ſubjectæ, non tamen mancipii aut jumenti nexu, ſed conjugii amiciſſima ſocietate. idcirco jubet lex Dei ut relinquat homo Patrem & matrem, & adhæreat uxori ſuæ, atque eos non amplius eſſe duos, ſed eſſe jam unam carnem. Matth. 19. 5, 6. Conſtructa eſt mulier, non ex ungue pedis, ſed ex coſta lateris viri. Geneſ. 2. 21, 22. Beatus Apoſtolus Paulus admonens viros officii ſui erga uxores ſuas, ait: Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſemetipſum tradidit pro ea. Epheſ. 5. 25. Item; ita debent viri diligere uxores ſuas ut ſua ipſorum corpora: qui diligit ſuam uxorem, ſeipſum diligit. Nullus enim unquam ſuam ipſius carnem odio habuit, ſed enutrit & fovet eam, ſicut & Dominus Eccleſiam. ibid. verſ. 28, 29.

3. Non tamen ideò licet maritis verberare uxores, quia Dominus quandoque caſtigat Eccleſiam. Nam Dominus non ſolum maritus eſt Eccleſiæ, ſed etiam Pater, & abſolutè Dominus & Deus, ſupremuſque judex; quæ hominibus maritis non competunt. Caſtigat Deus qua Pater & Dominus & judex: diligit autem & fovet qua maritus. inſtruit etiam & errantem reprehendit, cum ſuavitate conjugali. Debet enim vir inſtruere uxorem ſuam, eamque non rectè ſe gerentem etiam reprehendere, ſed ut uxorem, non ut mancipium aut jumentum; neque etiam ut puerum aut diſcipulum ferulæ obnoxium.

4. Iubet Apoſtolus Dominos remittere minas erga ſervos ſuos, Epheſ. 6. 9. quantam igitur ſuavitatem poſtulat inter conjuges? monet quidem mulieres, ut timeant ſeu revereantur viros ſuos, Epheſ. 5. 33. at non timore ſervili, ſed reverentia conjugali; ſicut Sara obedivit Abrahæ, Dominum eum vocans, 1. Petr. 3. 6. Dominum intelligens, non imperio herili, ſed honore conjugali. Propterea eodem capite beatus Petrus Apoſtolus monet viros, ut illi ſimiliter unà degant cum uxoribus ſuis ſecundùm ſcientiam, vaſi muliebri ut infirmiori tribuentes honorem, utpote cum una etiam hæredes ſint gratiæ vitæ, ne interrumpantur eorum preces, 1. Petr. 3. 7. debent enim conjuges concordi animo communes preces Deo fundere.

## CAPUT DECIMUM-TERTIUM.

### *De doctrinæ Muhammedicæ fabuloſa vanitate.*

*Antecesſores quos ſequutus eſt Muhammedes, doctore Satana.*

PRincipatuum & poteſtatum nomina quædam ſupponebat Simon Magus. [Epiphan. lib. 1. contra hæreſes, tom. 2. hæreſ. 21.] & Baſilides, [Epiphan. lib. 1. tom. 2. hæreſ. 24. Theodoret. lib. 1. hæret. fabular.] & Nicolaitæ, decipere conantes imperitos per nominum terriculamenta, & confictas appellationes barbaras, quibus terrerent auditores, quæ prudentibus (inquit Auguſtinus) riſum potius faciunt quam timorem. [Epiph. lib. 1. tom. 2. hær. 25. Auguſt. hæreſ. 5.] & Gnoſtici, quædam inanis ſoni nomina introducentes, ut Principum vel angelorum nominibus terribilibus infirmas animas caperent: iidemque de Deo rerumque natura, fabuloſa & à ſanitate veritatis aliena multa contexuerunt. [Epiph. lib. 1. tom. 2. hær. 26. Auguſt. hæreſ. 6.] Valentiniani etiam, ubi nominum vanitatem fraudulento errore conceperunt atque excogitarunt, multas fabulas confinxerunt. [Epiph. lib. 1. tom. 2. hær. 31.] Et ex Valentini ſeminibus Borboriani exſecrandi hæretici figmentis ſuis hebraica nomina adjecerunt, quibus ſimpliciores perterrerent, [Theodoret. lib. 1. hæret. fab. cap. de Barbelioris ſeu Borborianis.] idemque faciebant Marcitæ ſive Marcoſii, aliique hæretici. [Iren. lib. 1. adverſus hæreſes, cap. 18. Theodoret. lib. 1. hæret. fab. cap. de Marco.] Ex Marci hæreſiarchæ & magi ſectatoribus ii qui Archontici dicebantur, impii & flagitioſi hæretici, confictis quibuſdam libellis, eos vocarunt revelationes Prophetarum; unum autem appellarunt, euſymphonia, in quo ſeptem Cœlos conſcripſerunt: unumquemq; autem ipſorum habere unum Principem. [Theodoret. lib. 1. hæret. fab. cap. de eis qui dicuntur Aſcodrytæ vel Aſcodrupetæ.] iidem Archontici dicebant Marciadem & Marſianum Prophetas eſſe, & raptos in cœlos, & per triduum deſcendiſſe. [Epiphan. lib. 1. tom. 3. hæreſ. 40.] Baſilides etiam Prophetas habebat Barcabam, & Barcoph & quoſdam alios ſimiliter barbaros: & alias ſceleratas fabulas confinxit. [Theodoret. lib. 1. hæret. fab. cap. de Baſilide.]



2. Exſecrandas iſtas hæreticorum catervas ſequutus & imitatus impius Muhammed, multiplicis impietatis & vanitatis receptaculum, impudenti audaciâ confinxit quædam inaudita nomina Angelorum & Prophetarum ignotorum; ut per inanes ſonos deciperet imperitos. Angelos nominat, Arot, & Marot, & Adriel, & Sephiel, [in libro doctrinæ Muhammedis.] Prophetas confingit, Hut, & Schale, & Schaibh, [Alcor. cap. 17.] Jſmaelem quoque Prophetis accenſet, & Heſoram [Alcor. cap. 29.] & ſubinde ait, ſeptem eſſe cœlos. [Alcor. cap. 1. ſeu 2. & alibi in Alcorano, & in libro doctrinæ Muhammedis, ſive dialogo Muhammedis cum Abdia Iudæo.

*[illegible]*

3. Totum Alcoranum & reliqua illius ſuperſtitionis ſcripta vaniſſimis & ſceleratis fabulis referta ſunt. Et ſactas quaſdam ex divinis literis ſumtas hiſtorias impiè transformat, & contaminatiſſimis fabulis conſpurcat fabuloſus ille peſtiferi erroris magiſter. Planè etiam ſtolidum eſt, quod jubet homines dicere neſciis & brutis etiam, ſalvete: & inaniter promittit ſalutatoribus iſtis libertatem à pœnis gehennæ, & ſecuritatem Paradiſiacam. [Alcor. cap. 35.] Nugatur Alexandrum [Macedonem] uſque ad Solis ortum perveniſſe, & eum in fonte luteo quieſcentem inveniſſe. [Alcor. cap. 28.] ait in die judicii redacta primo ſonitu buccinæ in pulverem terra, cœloque fuſo & debilitato, Angelos octo Dei thronum ſuſtentaturos, Alcor. cap. 79. ſcilicet his Atlantibus opus habet Deus, ne corruat ejus thronus. Multa talia in Alcorano paſſim leguntur.

4. Meminiſſe autem oportet nos, in citatione capitum Alcorani, ſequutos eſſe latinam verſionem Roberti Retenenſis, & eoſdem adſcripſiſſe capitum numeros, quibus ille in ſua verſione uſus eſt.

5. Liber doctrinæ Muhammed, dialogum exhibens Muhammedis & Abdiæ, ſtolidiſſima farrago eſt & impudentiſſima congeries febrilium ſomniorum & abſurdiſſimorum deliramentorum. Ait ibi Abdias Muhammedi: Expone, quomodo facta eſt terra, & montes, & quæ eis nomina, & quando fuerunt? Reſpondet Muhammed; Deus fecit Adam de limo, limus autem erat de ſpuma, ſpuma autem de procellis, procellæ verò de mari, mare autem de tenebris, tenebræ verò de luce, lux de Verbo, Verbum de cogitatione, cogitatio verò de lacinto, lacintus autem ex præcepto Eſto & fuit.

6. Et paucis interjectis, ait Abdias; Quid poſt hoc operatus eſt Deus? Reſpondet Muhammed; Tabulam & calamum. Dic, quam tabulam, & quem calamum? Reſp. Tabulam quidem, in qua ſcriptum eſt quicquid fuit, eſt, & erit, in cœlo & in terra: Calamum verò de luce clariſſima. Ait Abdias, quæ longitudo calami? Reſpondet Muhammed; Longitudo quidem itineris quingentorum annorum, latitudo verò octoginta itineris annorum. Octoginta dentes habet, qui non ceſſabunt ſcribere, quicquid fit in mundo uſque ad diem judicii. Ait; & tabula unde? Reſp. De Smaragdo viridiſſimo, verba ejus de margaritis, dorſum ejus de pietate. Ait; Quoties ergo reſpicit Deus illam tabulam per diem & noctem? Reſp. Centum ſexaginta: ſinguliſque reſpectibus erigit quem vult, & deponit quem vult.

7. Iſta certè non ſolum ſtolida, ſed etiam manifeſtè impia ſunt: quaſi verò egeret Deus illiuſmodi adminiculis, & res quæ in mundo geruntur aliquando non cerneret, & per intervalla tantummodo tabulam conſulens eas ſubinde contemplaretur. O ſceleſtam inſaniam! Certè Deus immutabiliter omniſcius nunquam non cernit omnia quæ in mundo geruntur, ipſaque cordium arcana.

8. Expone, (inquit Abdias) cur cœlum dictum eſt cœlum? Reſpondet Muhammed; Ideo quidem, quia de fumo creatum: fumus verò vapor maris. Quid ergo habet, quod viride eſt? Reſp. Ex monte Kaf: mons enim Kaf ex ſmaragdis Paradiſi. Qui mons orbem terræ cingens, cœlum ſuſtinet. Cœlum iſtud noſtrum (ait Abdias) dic, unde creatum eſt? Reſp. Muhammed; primum de aqua viridi, ſecundum de aqua clara; tertium de ſmaragdo; quartum de auro puriſſimo; quintum de hiacinto viridi; ſextum de nebula lucida; ſeptimum de ſplendore ignis. Quid ergo ſuper cœlos ſeptem? Reſp. Mare viviſicum. Quid deinceps? Reſp. mare nebuloſum. Proſequere per ordinem uſque ad ſummum. Procedit deſuper mare aereum, deſuper mare lapideum, deſuper mare tenebroſum, deſuper mare ſolatii, deſuper Luna, deſuper Sol, deſuper nomen Dei, deſuper ſupplicatio; deſuper Gabriel, deſuper pergamenum raſum, deſuper plenum, deſuper ſeptuaginta intervalla lucis, deſuper ſeptuaginta millia intervallorum virtutis, deſuper ſeptuaginta millia montium, deſuper mille ſpatia, in unoquoque ſeptuaginta millia turbæ, in unaquaq; turba quinque millia Angelorum, nunquam ceſſantium laudare Dominum univerſitatis; deſuper addet Almunciha, id eſt, terminus Angelicæ dignitatis; deſuper vexillum gloriæ, deſuper intervalla de margaritis, deſuper intervalla gratiæ, deſuper intervalla potentiæ, deſuper intervalla divinitatis, deſuper intervalla diſpenſationis, deſuper ſcabellum, deſuper ſolium, deſuper domus univerſitatis.

9. Quærit Abdias, utrum fideles ſint Sol & Luna, an infideles? Reſpondet Muhammed; fideles quidem, & obedientes omni mandato Dei. Quid ergo habent, quod non æqualiter lucent? Reſp. Æquali quidem virtute & ſplendore creavit eos Deus. Evenit ergo ut incerta eſſet diei & noctis viciſſitudo, quouſque Gabriel prætervolans motu volitandi, forte ut ſic ala ſua Lunam tetigit, & exinde Luna obſcurata eſt. Ait Abdias; Quot ſunt ordines ſtellarum? Reſpondet Muhammed; Tres: primus dependentium per catenas à ſolio Dei lucentium, uſque in ſeptimum thronum: ſecundus ſtellarum quæ & cœlum ornant, & quando diaboli ad inſidiandum Cœleſtibus conſiliis ſubintrare parant, occurrentes fugant: tertius eſt, in conſpectu Angelorum.

10. O inſanam nugacitatem! ô abſurda & ridicula exſomniatæ ſtoliditatis deliramenta! quis ſanus & ſobrius iſta poteſt ſeriò dicere vel audire?

11. Similia ſunt illa. Quærit Abdias; ubi Sol? Reſpondet Muhammed; In fonte calido, fons autem in colubro, coluber in intervallo, intervallum in monte Kaf. Kaf autem in manu Angeli tenentis mundum uſque in diem judicii. Dic deinde, quis modus deferentium ſedem Dei? Reſp. Capita eorum ſub ſede Dei, pedes ſub thronis ſeptem: tantâ quidem cervicis amplitudine, ut ſi continuè volaret avis, vix mille annis ab una aure perveniret ad alteram. Cornua ſuper capita eorum implicata; victus & potus eorum laus & gloria Dei. Quorum prima acies, cujus dimidium nix, dimidium ignis; nec tamen vel ignis nivem conſumit; vel nix ignem extinguit. Secunda acies, cujus dimidium tonitruus, dimidium fulgur, impermixta. Tertia, cujus dimidium gleba, dimidium unda; nec tamen unda glebam diluit, vel undam ebibit gleba. Quarta, cujus dimidium ventus, dimidium aqua, incommota ab invicem. Quinta, cujus dimidium ferrum, dimidium ignis, inconfuſa ab invicem. Sexta, cujus dimidium aurum, dimidium argentum. Septima, cujus dimidium laus, dimidium gloria. Octava, de fulgidiſſimo ſplendore.

12. Quærit Abdias, ubi fuerit Mecca [oppidum Arabiæ] tempore diluvii in diebus Noe? Reſpondet Muhammed: aſſumpſit eam Deus in cœlum; Hieruſalem verò commiſit monti Abikobez, & ſervavit eam in ventre ſuo.

13. Iam & illud; Montes unde exierunt? Reſpondet Muhammed: De monte Kaf, fixitque eos Deus palos in terra. Dic conſequenter, quidnam reſtat ſub his ſeptem terris? Reſp. Bos. & pedes bovis ſuper quid? Reſp. ſuper lapidem album. Quæ forma bovis? Reſp. Caput ejus in Oriente cauda in Occidente: ei quadraginta cornua, & totidem dentes, à cornu ad cornu iter mille annorum. Et ſub lapide ſuper quem ſtat, quid? Reſp. mons cui nomen Zohot. Cujus hic mons? Reſp. Inferni. Quæ amplitudo? Reſp. Itineris mille annorum. Hunc aſcendet omnis turba infidelium, cumq; verticem conſcenderint, omnis contremiſcet mons, omnemque turbam dejiciet in profundum inferni. Sed quid ſub monte? Reſp. Terra. quod eſt ei nomen? Reſp. *Vuerelea.* Quid ſub ea terra? Reſp. mare. Quod eſt ei nomen? Reſp. Alkaſem. Et quid infra? ut omnia per ordinem ediſſeras. Reſp. Terra aholen; infra, mare Zere; infra, terra Neams infra, mare Zegir; infra, terra Therib; infra, alia terra Agiba, alba ut lac. redolens ut muſcus. mollis ut crocus, lucida ut Luna; ſuper hanc congregabit Deus omnes juſtos: infra hanc mare Alkutar; infra, piſcis nomine albehbut, cujus caput in Oriente, cauda in Occidente; ſuper cujus dorſum terræ & maria, tenebræ & aër. & montes uſque in finem ſeculorum: infra piſcem ventus piſcem ſuſtinens, infra mons, infra tonitruus, infra fulgur. Sub his mare ſanguineum; infra, infernus concluſus; infra, mare igneum; infra, mare opacum; infra, mare potentiæ; infra, mare nebuloſum; infra, laudes; infra, glorificatio; infra, ſolium; infra, tabula; infra, calamus; infra, majus nomen Dei. Et quid infra? Reſp. Infinita quærendo proſequeris Abdia. Quis ultra poteſt? præterquam quod æqualis eſt undique verſum omnipotentia Dei.

Vuerelea.

14. Dic, (inquit) quæ ſunt tria quæ de Paradiſo in hunc mundum venerunt? Reſp. Mecha, & Jeſrab & Hieruſalem. Quæ quatuor in hoc mundo ex inferno? Reſp. Vaſtat civitas Ægypti; ſecunda, Antiochia Syriæ, tertia Ehberam Armeniæ; quarta Elmeden Chaldeæ. Ait Abdias, & hoc quoque verum. Conſequenter ergo metire mihi orbem. Reſp. Orbis quantitas iter unius diei. Abdias, ait; quomodo? Reſpondet Muhammed; Totum enim Sol ab ortu ſuo uſque ad occaſum permeat. Abdias ait, argutè quidem hoc animadvertiſti.

*Auditum admiſſi riſum teneatis amici!*

15. Dicit etiam in eodem libro Muhammed, ingreſſis paradiſum primum proponi veſcendum jecur piſcis albehbut. Et ait ſuperfluitates ciborum in Paradiſo exituras per ſudorem. Carnem autem ſuillam ait nuſquam neque hic neque in Paradiſo comedi licitè poſſe. Cauſſam percunctanti Abdiæ reſpondet Muhammed in hæc verba, Ieſus Chriſtus, dum rogaretur à diſcipulis (verba hæc ſunt Muhammedis) ut modum arcæ habitumque ſuperſtites in ea generis humani exponeret; tacitus rogantes audiens, formulam ex luto inter manus ſuas confectam jecit humi. Et ait, Surge in nomine Patris mei. Et ſurrexit homo canus. Cui Chriſtus. Tu quis es? Reſpondit, Ego Jafeth filius Noe: Cui Jeſus, itane canus mortuus es? Reſpondit, nequaquam. Sed in hac ipſa hora putans me ad diem judicii ſurgere, metu canus effectus ſum. Præcepit ergo Jeſus, ut omnem hiſtoriam arcæ diſcipulis rogantibus exponeret. Tunc ille rem omnem à primordio narrans, ordine pervenit ad locum, ubi cum ſeceſſus, inquit, pondere egeſtionis arcam inclinaret; timuimus valde. Conſuluit itaque Pater Deum. Cui Deus; adduc, inquit, Elephantem, & verte poſteriora ejus ſuper locum. Et fecit. Ubi ergo Elephas fimum ſuum hominum egeſtioni injecit, ſurrexit ſus grandis. Satiſne videtur ergo cauſſæ, Abdia, vitandi animal immundum? ait Abdias, certe ſatis. Dum profecerit hac neceſſitate editus. Reſpondet Muhammed; quæ cum omnem, inquit, maſſam illam roſtro foſſorio diſpergeret, conceptum infectis naribus fœtorem efflans, murem edidit. qui deinde cum tabulas indeſinenter roderet, conſulto Pater Domino, Leonem in fronte percutit. Leo concitus flatu anhelo cattum naribus ejecit.

16. Plenus iſtiuſmodi nugaciſſimis fabulis eſt liber ille doctrinæ Muhammed, ſive dialogus cum Abdia. Uſi ſumus Latina verſione Hermanni Dalmatæ.

17. Extat liber de generatione Muhammed & nutriturâ ejus. Quem librum idem Hermannus in Latinum ſermonem vertit. in eo libro dicitur, lucem quandam in Adam ſplendentem fuiſſe, & ab eo per ſeriem generationum delatam eſſe in Patrem Muhammedis, & à Patre in matrem: atque ita tandem genitum eſſe Prophetam Muhammedem. Ea ipſa autem horâ qua natus eſt Muhammed, Angelos arreptum Luciferum immerſiſſe profundo maris Alcazum. Et inde vix poſt quadraginta dies eum evaſiſſe, & aufugiſſe in montem Kobelæ: Et illuc terribili fragore horrendoque mugitu omnes angelos ſuos convocaſſe: eiſque, quid cauſſæ eſſet, anxiè rogantibus, reſpondiſſe; quia natus eſt, inquit, Muhammed filius Abdalla in noſtram planè ruinam.

18. Attamen in Alcorano ait Muhammed, diabolos ad auditum Alcorani gaviſos eſſe, & ad Deum converſos, & peccatorum ſuorum remiſſionem conſequutos. Alcor. cap. 56.

19. Dicitur etiam in libro illo de Muhammedis generatione & nutriturâ; certatim conveniſſe omne avium genus, tum nubes, & ventos, ex omnibus mundi partibus, poſtremò & cœtus Angelicos, pro educatione infantis [Muhammedis] altercantes. Dixiſſe enim aves, ſe commodiores eſſe nutrimento infantis, pro eo quod diverſis fructibus congerendis faciles ſint. Ventos autem dixiſſe, imò nos potius, qui totius mundi odoribus eum replere poſſumus. Dixiſſe nubes, quinimo nos commodiſſimè, quibus omnium aquarum dulcedinem miniſtrare promptum eſt. Indignatos verò Angelos dixiſſe; ad quid hæc? nobis hæc cura ſupereſt. Litem compeſcuiſſe vocem divinam dicentē, non auferetur manibus hominū.

20. Et in eodem libro dicitur, 3. viros Muhammedem puerulum cum coætaneis in paſcuis ludentem arripuiſſe, & in montem elevaſſe; eorumque I. aperuiſſe à pectore Muhammedis uſque ad umbilicum, abſq; læſione; apertaque ejus viſcera nive laviſſe: Succedentem autem II. ſcidiſſe cor Muhammedis per medium, & è medio granum nigrum ereptum abjeciſſe, dicentem, hæc eſt portio Diaboli. (obſerva Manichæiſmum de ſubſtantia mali ſeu malo ſubſtantiali.) III. deniq; loca exterſiſſe, & Muhammedem ut fuerat reſtituiſſe.



21. Sed nolo ulterius fatigare lectorem ſtolidiſſimis Muhammedis & ſectatorum ejus nugamentis. Lubet hic uti verbis Epiphanii loquentis de Ptolemæo hæretico ejuſque ſodalibus. lib. 1. contra hæreſes, tom. 2. hæreſ. 33. contra Ptolemaitas. ubi poſtquam inſeruit inſanam Ptolemæi epiſtolam, ſubjungit hanc ſuam de ea cenſuram Epiphanius. Quis verò (inquit) horum verborum hujus impoſtoris ac ſodalium ejus inſaniam ſufferet? Neque enim quiſquam ex veteribus tragicis Poëtis, neque qui ſequuti ſunt imitatoriis moribus præditi, Philiſtionem dico, & Diogenem, qui incredibilia ſcripſit & alii omnes qui fabulas conſcripſerunt ac decantarunt, tantum mendacium effingere potuerunt, velut hi audacter contra ſuam ipſorum vitam ducti, horrenda ſibi ipſis conſtruxerunt, & mentem hominum ipſis credentium in ſtultas quæſtiones & genealogias nunquam finiendas conjecerunt, ipſi ea quæ in manibus ſunt non ſcientes. Hæc Epiphanius. Quæ appoſitè dici poſſunt contra Muhammedanam mentiendi impudentiam & fabuloſæ vanitatis inſaniam.

## CAPUT DECIMUM-QUARTUM.

### *De Saracenorum circumciſione, etiam ante Muhammedem; & unde dicti ſint Saraceni.*

EBionæi hæretici mandata carnalia legis obſervabant, circumciſionem ſcilicet carnis, & cætera à quorum oneribus per Novum Teſtamentum liberati ſumus, ſicut de eis ſcripſit Auguſtinus, hæreſ. 10. & ante Auguſtinum Epiphanius, hæreſ. 30. ubi loquens de circumciſione, ait, Quid verò jactat Ebion circumciſionem? quando etiam idololatræ & ſcelerati Ægyptii circumciſionem habent. Sed & Saraceni, qui & Iſmaelitæ, circumciſionem habent. Et Samaritæ, ac Judæi, & Idumæi, & Homeritæ. Pleriqué verò ex his, non propter legem hoc faciunt, ſed temerariâ quadam conſuetudine. Hæc ibi Epiphanius. Vixit autem Ebion hæreſiarcha tempore beati Joannis Apoſtoli, teſte Hieron. in catalogo ſcriptor. Eccleſiaſticor. c. 19. Epiphanius autē opus illud panarium contra hæreſes ſcribebat an. 13. Valentis Imperatoris, ut ipſe monet l. 2. illius operis tom. 2. hær. 66. §. 20. qui fuit Dom. incarn. annus 376.

2. Qui hebraicè appellantur ישמעאלים Iſhmaelitæ, Geneſ. 37. 25. iidem in Targ. Hieroſol. appellantur [illegible] Saraceni. Et in alio Targum Arabes ערבי. Rufus Feſtus in breviario rerum geſtarum populi Romani, ſcribit à L. Lucullo Phylarchos Saracenorum in Oſdroëna ſuperatos eſſe. & poſtea, à Pompejo Saracenos & Arabas victos eſſe. Et Dionyſius Alexand. ſcribit multos Chriſtianos, tempore perſecutionis Decianæ (an. Dom. 252.) captivos factos eſſe in monte Arabico à Barbaris Saracenis, ὑπὸ βαρβάρων Σαρακηνῶν. apud Euſeb. lib. 6. hiſt. Eccl. cap. 34. [illegible] Epiphanius in opere Panario lib. 1. tom. 1. cap. 1. §. 1. loquens de Iſmaele filio Abrahami; Naſcuntur (inquit) huic filii numero duodecim: ex quibus ſunt tribus Agarenorum ſive Iſmaelitarum, qui nunc Saraceni vocantur. [illegible] Et poſtea in eod. op. hær. 66. §. 1. ait, Scythianū, qui primus fuit fundator ſectæ Manichæorum, ex Saracenia oriundum eſſe. Scythiani diſcipulus fuit Terebinthus qui & Buddas, & hujus Cubricus qui & Manes & Manichæus dictus. Refert Epiphanius hæreſeos iſtius exortum ad tempora Aureliani Imperatoris, qui regnabat a. D. 276. De eod. Scythiano ſcribens Cyrillus Hieroſolymitanus, Catech. 6. ait eū fuiſſe genere Saracenū, [illegible] &c. i. e. Scythian⁹ quidam erat in Ægypto, genere Saracenus, &c. Hæc Cyrill. Hier. etiam in ſuo additam. ad Chron. Euſebii, indicans ea quæ geſta ſunt an. 20. Conſtantii Imperatoris, ſive an. Dom. 358. Saraceni (inquit) in monaſterium B. Antonii irruentes Sarmatam interfecerunt. Hæc Hieronymus.

3. Ex his patet, circumciſionem jam olim apud Saracenos idololatriæ addictos in uſu fuiſſe, & Muhammedem non introduxiſſe inter eos circumciſionem, ſed inventam retinuiſſe, quodam fallaciæ artificio. Quamvis autem Valentinus Schindlerus in ſuo Lexico Pentaglotto, in radice אלה ſcribat Muhammedanorum puellas eſſe à circumciſione liberas, & ſolos pueros eorum circumcidi quando octo annos nati ſunt; Cedrenus tamen in ſuo compendio hiſtoriarum, dicit de Muhammede, ἐδίδαξεν αὐτοὺς περιτέμνεσθαι καὶ ἄνδρας καὶ γυναῖκας: id eſt, docuit eos ut circumciderentur tum mares tum fœminæ. Euthymius etiam Zigabenus, in ſua confutatione ſectæ Iſmaelitarum, teſtatur Muhammedem legem tuliſſe de circumciſione marium & fœminarum. Adjicitque hanc ſuam cenſuram, [illegible] id eſt; Et mares quidem circumcidere Hebraicum: fœminas verò etiam [circumcidere] proprium eſt impudentiæ Muhammedis, ſcilicet ut circumciſionem in lege præſcriptam corrigeret. Hæc Euthym. in ſua Iſmaelit. confut. quæ ex ejuſdem Euthymii dogmaticæ Panopliæ part. 2. tit. 24. accepta, extat in Biblioth. Patrum, tom. 2. græcol. edit. Pariſ. an. Dom. 1624.

4. Manifeſtum eſt etiam, ex eis quæ modo commemorata ſunt, Saracenos dictos eſſe diu ante Muhammedem, quamvis Muh. ſecta initio dicta ſit Saracenica, de nomine illius gentis, ex qua erat ipſe Muhammed, quæque hanc ſuperſtitionem à pſeudopropheta Muhammede primum ſuſcepit.

5. Sozomenus, lib. 6. hiſt. Eccleſ. cap. 38. ſcribit Iſmaelitas, quo ſpurii generis maculam, & ignobilitatem Agar matris Iſmaelis penitus oblitterarent, ſe Saracenos, à Sarra Abrahami con-

juge nominaſſe. At Johannes Damaſcenus, lib. de hæreſibus, ait Iſmaëlitas ſive Agarenos dictos eſſe Saracenos tanquam à Sarra vacuos, ait enim, Σαῤῥακηνοὺς δὲ αὐτοὺς καλοῦσιν ὡς ἐκ τῆς Σάῤῥας κενοὺς. Διὰ τὸ εἰρῆσθαι ὑπὸ τῆς Ἄγαρ τῷ ἀγγέλῳ, Σάῤῥα κενήν με ἀπέλυσεν. Alii ſic appellatos dicunt à Saraco oppido Arabiæ. Alii à Sarra, quæ vox Arabicè ſecretum ſeu arcanum ſignificat, eò quod Iſmaëlitæ primas ſuas ſedes in montanis Arabiæ receſſibus haberent. Quia autem montani illi Arabes vicinos excurſionibus & prædationibus infeſtabant, inde dicti ſunt Saraceni quaſi fures & raptores. Et hæc videtur omnium maximè probabilis ſententia, quam refert Schindlerus in Pentaglotto, nam סרק ſarac verbum Arabicum ſignificat furatus fuit, rapuit, ſurripuit, expilavit. Et ſic fur, latro; ſarca, furtum, rapina: inde rabinicè Sarki, id eſt, Arabs, ſive Saracenus, & plural. סרקין Sarkin & Chald. סרקאין Sarkain, id eſt, Saraceni, Iſmaëlitæ, Arabes, quippe furtis & rapinis dediti.

## CAPUT DECIMUM-QUINTUM.

*Quibus modis propagata ſit, & conſervetur adhuc Muhammedana ſuperſtitio. Item de appellationibus Muſulmanorum, Iſlamorum, Iezideorum, Gaurorum, Sophinorum, Mamlucorum, Sultanorum, Chalipharum, Seriphum, &c. & de ſymbolo Muhammedano.*

ARtes, quibus propagata & conſervata eſt Muhammedana ſuperſtitio, ſunt præſertim quatuor, videlicet. 1. Latrocinium & terror gladii. 2. Perfidia. 3. Carnalium voluptatum effrenis licentia & promiſſio. 4. Imperatus ſtupor, & cæca obedientia, prohibet enim Muhammed examen ſuæ doctrinæ, nec ſinit de ea diſputare.

*Diſputationem de lege ſua prohibet Muhammed.*

2. Monebamus lectorem de Muhammedana violentia & perfidia, ſupra cap. 9. De ſpurcitie autem cap. 11. Diſputationem de lege ſua prohibet Muhammed in Alcorano, cap. 5. Si quis (inquit) tecum diſputare voluerit, dic te faciem tuam ad Deum, ejuſque ſequaces, convertiſſe, quod agendo tam legem ſcientes, quam illiterati bonam legem ſequentur. Item, cap. 15. Tu nullatenus cum auditu carentibus ſermonem ineas. Idem, cap. 20. Contradicentibus dicito, ut ſibi ſua ſint negotia, tibique tua, ipſique à tuis factis, & tu à ſuis liber. Idem, cap. 32. Tecum diſputare volentibus dic, Deum ſolum omnes actus tuos agnoſcere, qui die poſtremâ lites omnes & contrarietates diſcutiet. Item cap. 119. Homines incredulos taliter alloquere, Ego quidem legem veſtram atq; ſectam minimè ſequor, nec vos meam. Igitur mihi mea maneant, vobiſque veſtra. Hæc omnia habentur in Alcorano, locis citatis.

*Confutatio ſtupida abuſionis Muhammedanorum.*

3. Quod autem abutuntur Muhammedis diſcipuli nomine Dei, dicentes eum ſolum omnes actus noſſe, &c. non ſolum impii in hoc ſunt prętendentes Dei nomen ſuis nugis, ſed etiam ridiculi. Nam quid hoc ad præſentem controverſiam? Quæro ex te rationem fidei tuæ, paratus tibi meæ fidei rationem expromere: tu mihi reſpondes, Deum omnia ſcire? de hoc ego non ambigo. Sed unde ſcis, tuam fidem Deo placere? ad Deum, inquis, ejuſque ſequaces faciem meam converti. Hoc quilibet jactabit idololatra. Tu mihi Muhammedem, quem ſequeris, oſtende fuiſſe ſequacem Dei, & fuiſſe verum Prophetam à Deo miſſum, ſicut ego paratus ſum demonſtrare Chriſtum fuiſſe verum Prophetam à Deo miſſum, & eſſe Dei Filium, Deum benedictum in ſecula. Mihi mea, inquis, maneant, vobiſque veſtra. Hoc dicent ſpurciſſimi dæmonum adoratores. Sed quæſtio manet, quænam recta ſint, id eſt, quænam ex Deo ſint: tua ne, an ea quæ ego profiteor. Ego, inquis, legem veſtram atque ſectam minimè ſequor, nec vos meam. Scio te legem noſtram non ſequi, neque nos veſtram: ſed quæro, utram ſequi debeamus; Nam una tantum eſt ſalvifica fides, Neque poſſunt ex Deo eſſe duæ leges repugnantes & contradictoriæ. Hic obmuteſcis, & obſtinatam tantummodo proterviam, ac ultroneam cæcitatem perverſumque ſtuporem tuum prodis. Quantò rectius ſanctus ille Domini noſtri Jeſu Chriſti Apoſtolus, Paulus? Omnia, inquit, explorate; quod bonum fuerit, retinete. 1. Theſſ. 5. 21. & S. Joannes Apoſtolus; Dilecti, inquit, ne cuivis ſpiritui credatis: ſed probate ſpiritus, an ex Deo ſint. 1. Joan. 4. 1. Spiritum autem illum, quo actus Muhammed Alcoranum condidit, non fuiſſe ex Deo, ſupra demonſtravimus.

4. Huic ſtupori dum accedit carnaliũ voluptatum licentia, quid mirũ ſi homines carnales, voluptuariæ ſecuritati, ſub ſpecioſo religionis obtentu, ſe tradant? præſertim imminente, & carnalem hunc ſtuporẽ imperante immiti gladio, quem geſtat perfida & truculenta, & juſto Dei, peccata ulciſcẽtis, judicio victrix man⁹ barbarę impietatis.

5. Mandat Muhammed ſectatoribus ſuis, ut ab ejus doctrina alienos, quos incredulos vocat, ubicunque repertos, ſi ſit poſſibile, capiant, & interficiant: niſi ſe illis ſponte ſuâ ſubjiciant. Alcor. cap. 10. Item alibi ait; Nemo vir bonus incredulum amicum loco boni, niſi pro timore ſolo ſuſcipiat. Alcor. cap. 5. Et alibi prohibet credere verbis eorum qui ſunt alterius religionis. Alcor. cap. 6. His adde ea quæ ſuperius indicavimus de Muhammedana perfidia & latrocinio, cap. 9. Item ea quæ leguntur in Chronico Saracenorum, ab ipſis Saracenis ſcripto & recepto, cap. de generatione Muhammedis, ubi narratur quod Muhammed inito cum ſociis conſilio, eique ad legem ſuam regionibus & oppidis per vim metumque inferendam animatis, deinceps armatæ manûs viribus confiſus, apertè multa cum audacia prædicaverit, cùm enſe, tum ore proficiens. Enſis enim timorem, ſæpe plus quam rationis amorem efficere. ut ibi loquitur Aomar unus ex Muhammedis ſodalibus, & ſucceſſoribus, qui, hortante ad arma Muhammede, gladium ſuum evaginans, Deum juravit, ſe nullaten⁹ ultra paſſurum divinam invocationem legiſq; ſuæ celebrationem occultè fieri. Viribus enim fortem armatum viam invenire, enſiſque timorem ſæpius plus quàm rationis amorẽ efficere. hoc ſc. argumentum Latrociniis ſuis prædones illi prætendebant.

6. Ex aliorum etiam partim diſſidiis, partim ſecuritate & ſocordiâ, occaſiones amplificandæ ſuæ potentię in hunc uſque diem Muhammedani diligenter obſervarunt, & avidè arripuerunt. Deo permittente, & juſtiſſimâ animadverſione nos ob peccata noſtra caſtigante, ſicut prædixerat per S. Joannem Apoſtolum, Apoc. 9. 14, 15, &c.

7. Hic adjicere libet duo illa Paradoxa Turcorum, qui Muhammedis impietati addicti ſunt, Joannes Leunclavius lib. 1. hiſtoriæ Muſulmanæ Turcorum; indicatis aliquot cauſis durationis illius imperii, hæc ſubjicit verbâ; Huic (inquit) expoſitioni de cauſſis tam diu durantis hactenus imperii barbari, adjiciamus ipſorum paradoxa duo, portentis ſimilia. Nam primùm ajunt, perfidiam





fidiam ſuis utilem fuiſſe rebus; qui ex uſu ſuo fidem datam fallendo, pactaque conventa pro lubitu violando, ſæpe conditionem ſuam meliorem effecerint, & aliquando magnis hoſtium potentium provinciis hac viâ fuerint. Opinio que longè diverſa Muhammetis illius à ſententia, qui Saracenorum Regis Abdulmelichi Dux, confuſis ab Imperatore Juſtiniano ſecundo fœderibus, in perfidiâ certa, vindicaturum haud dubiè Numen hanc Juſtiniani perfidiam, pacis tabulas, ſumma vexilli haſta (flamulum dixit Cedrinus) præfixas, ad prælii locum, & ipſam in aciem præferri juſſit, & inſignem de perjuro Principe victoriam obtinuit. Cujus narrationem memorabili Græcus hiſtoriæ ſcriptor, manu exaratus, epiphonemate claudens; Omnia, inquit, illa gravia mala, quæ in hodiernum uſque diem nobis evenerunt, fœderum leges & pacta, cum hoſtibus inita, minimè violari debere docent; etiamſi cum eis ſancta fuerint, qui à religione noſtra ſunt alieni. Verum Oſmanidæ lege ſua Muhametana, quam *Coranum* adpellant, permitti ſibi volunt, ut in rebus ad incrementa regni ſpectantibus, ex commodo ſuo metiantur, an hoſti data fides ſervari debeat; & ut promiſſorum, Gauris factorum, nullam pro ſua libidine rationem habere poſſint. Alterum paradoxum priori etiam inſolentius eſt, quo perſuadere nituntur, non tam durabile futurum fuiſſe ſuum illud Oſmanidarum Imperium, ſi non inauditis apud alias gentes parricidiis, ſemper unus aliquis, ut ſolus rerum potiretur, reliquos ordine fratres, & fratrum filios, in ipſis auſpiciis regni de medio ſuſtuliſſet. Hoc ſui fundamentum dominatus, hoc in terris unum Divinæ rerum adminiſtrationis exemplum arbitrantur. Videmus igitur ex hac commemoratione rerum, cæteroqui magnis Imperiis inuſitatarum, quàm verè ſint in hoc populo pleraque prodigioſa. Hæc Leunclavius lib. 1. hiſt. Muſul. Turcorum.

8. Idem etiam in ejuſdem operis proemio; Quid, inquit, de fide, ſacroſancto rerum humanarum vinculo, dicam? Nullam apud Turcos invenias, præſertim in exteros; niſi videant hanc inſigni ſe cum emolumento ſuo ſervaturos. Interdum fallax ſervatæ ſpecimen edunt, ut impoſturis ſuis eo facilius incautos circumvenire majori fraude poſſint. Et plurimi prætextus ad violandam fidem latent in illis argutis & barbarè malicioſis ingeniis. —— Nullus itidem apud Turcos locus modeſtiæ, nec in ſenſu, nec in actiones nullus pudori, continentiæ, caſtitati. Apud alios hæ populos quærendę virtutes, agunt omnia Turci pro libidine. Nec minimum hic clementiæ veſtigium reperias, quæ amorem conciliat, ac provenientem ex amore ſecuritatem, & firmitatẽ Imperii parit. Fruſtra Barbaros è veterum præceptis ſapientum moneas, ſævitiam plus addere timoris, quàm potentiæ: metum ac terrorem infirma charitatis eſſe vincula. Tam moderationis, quam clementię contemptum, majeſtatis obtentu velant. Hinc omnem uſque adeò modeſtiam exuunt, &c. Hæc Leunclavius. Conſuetudo iſta parricidii in ſtirpe regia fortaſſe Turcis eſt peculiaris. At perfidiam, latrocinium, & luxuriam omnibus Muhammedanis concedit communis lex à Muhammede pſeudopropheta accepta: ſicut ex ſuperioribus manifeſtum eſt.

9. Ricoldus, in confut. legis latæ Saracenis à maledicto Muham. cap. 7. Originem appellationis Muſulmanorum, ſic explicat: Dixit Muhammed; Mandavit mihi Dominus, enſe gentes expugnare, quouſque confiteantur, quod non eſt Deus præter Deum, & quod ego ſum Apoſtolus Dei. Quod qui confeſſi ſunt, eorum argentum eo conſervaverunt, & ſanguinem. Hinc & Saraceni, ſalvati dicuntur. qui enim Muhamedis mandata ſuſcipiebant, ſervabantur, & ab eo, & ab eis qui ſub illo erant: neq; interimebant eos, neq; ſpoliabant. unde & Saraceni non vocantur Saraceni, ſed Muſulmani, id eſt, Salvati. Et derident Chriſtianos, qui dicunt ſeipſos ſalvatos. Multis autem talem ſalutem à Muhamete ſuſcipientibus propter prædictam cauſſam; juſſit poſthæc prædicari, quod quicunque dixerit, Non eſt Deus præter Deum, intrabit in Paradiſum: etſi mœchus ſit, vel latro. Venit autem ad eum quidam qui Euordi dicebatur, quęrens ab eo, ſi hoc eſt verum? Reſpondet autem, Etiam: Et addit ad prædicta, ſi bibat etiam vinum, vel & interficiat. Et addit; etiamſi torierit abidode [al: abi donda] nares. Ad confirmandum autem hæc omnia nullum ſignum oſtendit, ſed nudavit enſem. Hæc Ricoldus.

*Porta ſcelerata.*

10. אלה Alach, vox Arabica Deum ſignificat; & cum אל al articulo emphatico. אלאלה alalah, & conciſe אללה allah, Deus. ut monet Schindlerus in Lexico pentaglotto, in radice אלה. ubi etiam in ſymboli Muhammedani ipſa verba Arabica, quæ à Muhammedanis recitantur, commemorat, videlicet לא אלה אלא אללה מחמד רסול אללה *La alah alla allah, Muhammed raſul allah,* id eſt, non eſt Deus niſi Deus ille, Muhammed nuntius (ſive Apoſtolus) Dei illius. Hoc coguntur (inquit Schindlerus) erecto manus pollice recitare, cum non dies, ſed annos octo demum nati, & ſermonis periti ipſorum pueri circumciduntur, & puellæ, ſed à circumciſione liberæ: ad hoc initio gentes quoque cogebantur gladio: hoc morientes pronunciant: præcones ante orationem in templis ſuis hoc proclamant: hoc in funeribus ſacerdotes, illa comitantes, identidem concinunt. Turcæ item in exercitu, cum cubitum eunt, aut caſtra movent, aut pugnam ineunt, alta voce ter clamant אללה אללה אללה *allah allah allahu,* & hunc clamorem militarem vocant. אללה אכבר *alla achbar*, id eſt, alla magnum. Hæc ibi.

*Symbolum Muhammedanum.*

*Vide ſupra cap. 14. §. 1.*

*Alla magnum.*

11. Hoc ipſum de clamore, allah, allah, allahu, cõmemorat Bartholomæus Georgieuiz, in ſua epitome de moribus Turcarum, cap. 1. ſectione, de vectura animalium. Qui etiam eodem cap. 1. ſect. 1. de templis ſive Meſchitis Turcarum, ait, in Meſchitis (ſeu, Maſgidis) illis, ſe vidiſſe ſcripta verba illa Arabica Symboli Muhammedani: cum his adjectis verbis, *Tanre Bir pegamber hach*, id eſt, Creator unus & Prophetæ æquales. ait præterea ſacerdotem Turcicum, finita concione ſuâ, & poſt cantatas deinde à duobus pueris preces, tunc, inquam, ſacerdotem cum toto populo ſubmiſſa voce cantare, quaſſando corpus in latus, nihil aliud præter hæc verba. *La illah illellah*, (ſic corruptam plebejorum forte pronunciationem deſcribit) id eſt, non eſt niſi unus Deus. Et hunc cantum ac motum durare ad horæ ferme dimidium.

12. Monet autem Schindlerus in radice שלם vocabulum Muſulman, quod ſalvatum ſignificat, deductum eſſe à verbo Arabico סלם ſalam, quod ejuſdẽ eſt ſignificationis cum hebraico שלם ſcalam, *videl.* pacificus fuit, concors fuit, ſalvus evaſit, pacẽ habuit, & aluit. Hinc Arabicũ nomen. סלאם ſalam, pax, concordia, ſalus, & מסלם muſallam, ſalvus, ſeu ſalvatus à periculo. & מסלמאן

*Muſulman.*

Muſulman, id eſt, ſalvatus per profeſſionem religionis Muhammedanæ. Qui enim ſymbolum illud à Muhammede propoſitum amplectebatur, liberabatur à gladio & ſpoliatione, & appellatus eſt Muſulman; & pluraliter appellabantur מסלמאנין Muſulmanin, Muſulmani. Nunc autem pueri inter Turcos quam primùm circumciſi fuerint, dicuntur Muſulmani, & puella dicitur muſulman, ubi verba illa ſolemniter confeſſa fuerit, Non eſt Deus niſi Deus &c.

*Iſlami.*

13. Ab eadem radice סלם *Salam*, Turci Muhammedani ſe appellant Iſlamos, id eſt, concordes, unanimes, inter ſe pacificos: ut narrat Joannes Leunclavius, lib. 1. hiſtoriæ Muſulmanæ Turcorum. Iidem Chriſtianos appellant Gauros, veluti gentiles aut Paganos, teſte Leunclavio, eodem libro. homines autem à religione Muhammedana alienos vocant *Gauros*, fortaſſe ab Hebraico nomine ger, Chald. & Syriacè. gor & gar, id eſt, peregrinus, ſeu, extraneus: vel à vocabulo *gaura*, quod Syriacè ſignificat adulterium, aut vagam libidinem. Chriſtianos etiam Turci nominare conſueverunt Giaſiros. ut ſcribit Leunclavius lib. 18. hiſtoriæ Muſulmanæ Turcorum.

*Gauri.*

*Giaſiri.*

14. Omnes quidem Muhammedanæ ſuperſtitioni addicti, cujuſcunque nationis ſint, dici amant Muſulmani. ſicut omnes Chriſtiani ſe vocant orthodoxos & catholicos. Ac quemadmodum diſſidentes inter ſe Chriſtiani alteri alteros appellant heterodoxos & hæreticos: ita etiam Muhammedani ſuæ ſuperſtitionis homines quos pro heterodoxis & hæreticis habent, appellant Jezidæos, id eſt, hæreticos. Sunt autem Perſæ addicti Ali filio Abitalib, qui Ali fuit patruelis Muhammedis, ejuſdemque gener, nam in uxorem duxit Fatemam Muhammedis filiam unicam: fuitque unus ex Caliphis ſeu ſucceſſoribus Muhammedis. De hoc Ali ſcribens Leunclavius lib. 1. hiſt. Muſul. Muhammetani (inquit) plerumque hunc [Ali] Imamem ſolent appellare, vocabulo præceptorem ſignificante, cui debetur obedientia: videturque nomen Imamiæ ſectæ, quam Ali huic addictiſſimi Perſæ ac Sophini hodieque profitentur, hinc originem ſuam habere: licet in genere putem hac voce doctrinam ſignificari. Hæc ille. Eodem etiam libro religionem Muhammedis ait à Muhammedanis, Imaniam (forte Imamiam) appellari. Et eodem libro refert, quænam fuerit Origo & cauſſa appellationis Jezidæorum: nempe quendam nomine Jezidem, qui Agarenicus Emir, ſive Princeps fuerit, interfeciſſe filios Ali, Haſanem, & Huſeinem, Muhammedis ex filia nepotes; multaſque contumelias Prophetæ poſteris intuliſſe: & propterea Jezidem hunc, ab Agarenis, pro Latrone, parricida, & hæretico fuiſſe habitum: adeòque deinceps hæreticos quoſcunque Jezideos fuiſſe appellatos.

*Iezidæi.*

*Ali.*

*Imamia.*

*Origo appellationis Iezidæorum.*

15. Secta autem illa Sophina auſpiciis Schachi Iſmaelis, id eſt, regis Iſmaelis (qui Perſarum regno potitus eſt anno Chriſti 1507.) vel inchoata, vel aucta latiuſque propagata eſt. & quadruplici diſcrimine à Turcorum Oſmaneorum religione differt. ut refert ex Turcicis monumentis Joannis Leunclavius, lib. 16. hiſtor. Muſulm. Nempe. 1. Precandi formulis. 2. Chaliphorum ſive ſectatorum Muhammedis ſuſceptione. 3. Jejuniorum diſcrepantiâ. 4. Tegumento capitis diverſo in teſtimonium diverſæ religionis. Subditis enim ſuis per univerſum regnum Schachus Iſmaël edixit, ut omnes tegumenta capitum rubro tincta colore geſtarent; indéque novum ſuis nomen indidit, ut Kiſul baſſæ, ſive capita rubra, dicerentur, & ab Oſmanicis hac quaſi teſſerâ diſcernerentur. Preces etiam, quæ Namaſi ſolent à Muſulmanis vocari, quotidieque ſtatis horis concipi, novas Schachus Iſmaël inſtituit, & à formula Muhammedis alienas ac diverſas. Itidem ipſius inſtituto Perſæ tres primarios ejuſdem Prophetæ Muhammedis ſectatores non amplius in honore ac veneratione, ſed odio habere cœperunt. Jejunia etiam Muſulmanis uſitata tanquam ſuperſtitioſa Iſmael rejecit. Nummis, quos vel aureos vel argenteos ſignabat, hæc erant ab uno latere inſcripta verba, *La illahe illallahu. Muhammedhu reſul allahe*. Quorum verborum hic ſenſus eſt; *non ſunt Dii, præter unum Deum: & Muhammed Dei nuncius eſt*. Alterum latus ſequentium vocum literas continebat, *Iſmail haliſe Lullahe*. quarum ſenſus, *Iſmail vicarius Dei*. Hæc de Iſmaële & Kiſul baſſis refert Leunclavius, libro citato.

*Kiſul baſſa.*

16. Dicitur autem ſecta Sofina, & Kiſulbaſſæ appellantur Sofini, Soliſar, & Sophileri, à vocabulo Arabico Sofi, quod Lanam ſignificat. quia tegumentum capitis geſtant laneum, modeſtiæ & humilitatis cauſſa, non autem lineo tulipanto ſuperbè caput involvunt, ſicut Turci. ut monet Leunclavius in onomaſtico ſecundo. ubi etiam ait fuiſſe Soliferos apud Muſulmanos longè ante Iſmaëlem Sofinum: & conſequutos eſſe hoc nomen ab Arabio Sofi, non à græco vocabulo σοφός. Idem in hiſtoria Muſulmana paſſim Perſas vocat *Azemios*. Refert etiam multos ex Oſmanidarum provinciis, plauſibilis ſectæ Sophinæ ſpecie illectos, confugiſſe ad Schachum Azemiorum Iſmaëlem. Cui malo ut obviam iret Sultanus Turcorum Bajaſites, itinera paſſim præſidiis impoſitis occludi, fugienteſque interfici curavit. Præterea regiones Anatolicas perquiri juſſit, & capitis adfici ſupplicio, quotquot rubeis uti pileis deprehenſi fuiſſent. lib. 16. hiſt. Muſul.

*Soſini.*

17. Verbum מלך Malach, in lingua Arabica, ſignificat quidem regnavit, ſicut in lingua Hebræa: at aliâ ſignificatione malach Arabicè ſignificat accepit, acquiſivit, emit, poſſedit. Hinc *malic* accipiens, poſſeſſor, & ממלוך *mamluck* acquiſitus, emptus, mancipium, miniſter, ſive ſit ἀργυρώνητος, id eſt, mancipium ære emptum, ſive αἰχμάλωτος, id eſt, bello captus & in ſervitutem redactus, ut monet Schindlerus in Lexico pentaglotto, & Joſephus Scaliger lib. 3. canonum iſagogicorum, in notis in dynaſtiam Chaliphanum. ubi etiam monet, Mamluchos illos qui Soldani Ægyptiorum ſtipatores erant, venalitios fuiſſe ex Turcomanis & Circaſſis. Idcirco Abraham Zacuth Salmanticenſis, in ſuo Chronico, Mamlucos illos ſemper vocat Turcomanos. ut obſervat Scaliger loco citato. ubi ſenſum vocabuli indicans, Turcoman (inquit) aut Turcmen eſt νομάδες, qui ſtabile ſtabulum non habet; cujuſmodi eſt natio unde illi Turcomani ſumebantur, Circaſſis finitima.

*Mamluchi.*

18. Mamluchos illos, Sultani Miſerenſis, id eſt, Sultani Ægyptii ſtipatores, Abraham Zacuthi Turcomanos, vocabulo gentis, appellat: Eoſdemque Joannes Leunclavius, lib. 17. hiſtoriæ Muſulmanæ, ex Muratis Drogomani commentario, vocat Zercaſſos, vocabulo etiam gentis,



gentis, quia ex gente Zercaſſorum ſeu Circaſſorum major procerum pars apud Mameluchos illos Ægyptios conſtabat. ut ibidem monet Leunclavius. qui etiam, eodem libro, monet, Mameluchos illos appellatos eſſe Zindos, id eſt, gladiatores; erant enim equites ſtrenui, & manu prompti. In Onomaſtico autem poſteriore, ait, pronunciari etiam Zingos & Iſingos: & ſic in genere appellatos eſſe milites Arabes & Ægyptios. & eodem vocabulo ſignificari Laniones apud Turcos.

19. Schindlerus in radice *malach*, narrat Tartaros, redactis in ſuam poteſtatem aliquot Armeniæ minoris urbibus, vendidiſſe pueros Chriſtianorum. Et Sultanum Ægyptium Melech Sala, religione Muhammedanum, eos magno numero compraſſe, ac in diſciplina militari, armorumque uſu educandos curaſſe, & vocaſſe Måluchos, id eſt, emptos, ſeu ſervos. Poſtea verò Mamluchos ex ſuo collegio Sultanum conſtituiſſe circa annum Chriſti 1250. Sultanum autem è Mameluchorum collegio electum omneſque Mamluchos vixiſſe cælibes. Et Sultano dignitate proximos fuiſſe quatuor *Emire kibir*, id eſt, Admirales magnos, ex quorum numero per Mamlucos eligebatur Sultanus. Et omnes illos Mamlucos fuiſſe Chriſtianos abnegatos, aut Chriſtianorum filios: Muhammedanam ſuperſtitionem profitentes. (ſicut ſunt apud Turcos Janiſſari:) & magnam eorum partem conſtitiſſe ex Hiberis & Circaſſis commorantibus ad Fluvium Phaſin: quos Tatari capiebant & vendebant Emiris, emptos educantibus, atque Mamluchos efficientibus. Monet idem Schindlerus, in radice Shalim, eos qui ex Judæis aut Chriſtianis ſe Turcis adjungunt, non Muſulmanos, ſed Mamluchos vocari à Turcis. Nempe Turcis hodie *Mamluc*, idem ſignificat, quod olim Judæis proſelytus, vocabulo græco. De initio & termino regni Mameluccorum Miſirenſium ſive Ægyptiorum dicemus, ſi Deus voluerit, in fine capitis vigeſimi.

20. *Sultan* סלטאן, Arabicè ſignificat dominatorem, Principem, Regem à verbo Arabico סלט *Salat*, dominatus eſt, præfuit, poteſtatem habuit, vel exercuit. ſicut Hebraicum שלט Shalat, & Chald. & Syriæ שלט Shelat. Latini quidam ſcriptores pro Sultano ſcribunt Soldanum, molliore pronunciatione.

*Sultan.*

21. *Serif* שריף Arabicè ſignificat nobilem, illuſtrem. unde Turci aliique Muhammedani ſuos Principes ſeu Sultanos appellant Seriſes. Joannes Zonaras, tom. 3. Annalium, in imperio Conſtantini Monomachi, ſcribens de Turcis regnum Perſicum obtinentibus, ipſum ſupremum Principem ait dictum eſſe à ſuis Sultanum, miſſumque eſſe ſcribit à Sultano ad Imperatorem Roman. Legatum, quem ipſi Turcæ vocabant Seriphem; deinde quæ fuerit apud Turcas illos vocabuli hujus ſignificatio, narrat his verbis; Σερίφης δὲ παρ' αὐτοῖς· ὅπερ πάλαι ἦν παρ' ἡμῖν ὁ λεγόμενος σύγκελλος. ὡς γὰρ ὁ σύγκελλος τοῦ πατριάρχου θνήσκοντος εἰς τὸν ἐκείνου τόπον ἀντικαθίστατο, οὕτω δὴ ὁ σερίφης, τοῦ χαλιφᾶ θανόντος, τὸν τελευτήσαντα διεδέχετο. id eſt, Hic autem [Seriphes] apud illos eſt quod olim erat apud nos ille qui Syncellus dicebatur. Nam ut Syncellus, mortuo Patriarcha, in ejus locum ſubſtituebatur: ita & Seriphes, mortuo Chalipha, defuncto ſucceſſit. Hæc Zonaras.

*Serif.*

*Syncellus.*

22. *Amar* אמר Hebraicè ſignificat, dixit, item, edixit, juſſit, præcepit. Quo poſteriore ſenſu frequens eſt uſus hujus verbi apud Arabes. Inde nomen Arabicum אמיר *Amir* ſeu *Emir*, quod Principem ſignificat, quaſi poteſtatem habentem præcipiendi, & edicta condendi. Monet autem Joannes Leunclavius lib. 1. hiſt. Muſul. omnibus Caliphis competere nomen Emirum, ſed non omnes illos qui Emires dicebantur, fuiſſe etiam Chaliphas. Nam etiam duces quoſdam Saracenorum dictos eſſe Emires, qui tamen ſupremam Chaliphatûs poteſtatem non obtinebant; ſed Chaliphis ſuberant. Græcis & Latinis quibuſdam ſcriptoribus Emir ſive Amir dicitur Amiros. In Saracenica hiſtoria omnis Chalipha eſt Emir, ſed non omnis Emir eſt Chalipha: ſicut apud nos omnis Rex eſt Princeps, ſed non omnis Princeps eſt Rex, vel ſupremus. Emires autem illi Chaliphis ſubditi, etiam Sultani, ſive Reges dicebantur. ut patet ex Paulo Æmylio lib. 2. & lib. 4. de geſtis Francorum.

*Emir.*

23. *Aman* אמן Arabice, credidit. Hinc nomen מאמן Mumin, fideles, qui credit. plur. מומנין Muminin, fideles, credentes. Hinc titulus ille Chaliipharum, *Emir Elmumenim*, cum articulo, *El*, id eſt, Princeps credentium. ſicut magnæ Britanniæ Rex ſe vocat defenſorem fidei: Rex Galliæ ſe vocat Chriſtianiſſimum: Rex Hiſpaniæ ſe vocat Catholicum. Vide cap. 18. §. 3. & §. 4.

*Emir Elmumenim. vide cap. 18. §. 4.*

24. *Maſgid* & *Meſgeda*, vulgo *Meſchit*, eſt templum Muhammedanum, ſic dictum, quaſi locus adorationis, à verbo Arabico סגד *Sagad*, incurvavit ſe, adoravit, rogavit. *Meſchit*, Italis *Meſchea* dicitur, corrupto vocabulo; ut monet Leunclavius in Onomaſtico poſteriore.

*Meſgeda.*

25. *Zuma* vel *Gjuma* גמעה nomen eſt Arabicum, ſignificans apud Muhammedanos templum magnum, & congregationem, à verbo גמע *Gama*, collegit, congregavit. Leunclavius ait, *Zuma* differre à *Meſchita* tum materiâ, tum quantitate. Hinc dies Veneris Muhammedanis appellatur *Zuma juni*, id eſt, templi dies, quia illo die ad magnum templum ſe conferunt ad celebrandum feſtum ſuum hebdomadarium. Differentiam quoad materiam indicat Schindlerus in radice Sagad; Eſt, inquit, Maſgida templum è lignis fabricatum; guma verò ex lapidibus.

*Zuma, ſeu Gjuma.*

26. Chaliphatum nomine vocati ſunt, qui poſt Muhammedem rerum potiti ſunt, qui & divinis & humanis præſſent: inquit Joſephus Scaliger lib. 3. canonum iſagogicorum Chronologiæ, in notis in Dynaſtiam Chaliphatum. Ubi etiam vocabuli ſenſum oſtendens, ait; Chalipha eſt Vicarius. Sed quum *Naib* idem ſit, quod Chalipha, tamen Pontifices ſoli dicti ſunt Chaliphæ: Legati autem, & Principum vice provincias regentes, vocantur *Naibin*. Ut Naib eſſam, Legatus Syriæ. Hæc ille. ſignificat autem ex Muhammedanorum uſu Chalipha interdum quidem ſacrorum Antiſtitem primarium, ut apud Zonaram, loco ſuperius citato, interdum autem Principem in religione & regno, Pontificem, Imperatorem, Regem. Quaſi locum tenentem, hæredem, ſucceſſorem, Muhammedis. Ita Schachus Iſmaël affectabat dici. Et eodem titulo Turcorum ſe Principes ornant, ut monet Leunclavius in onomaſtico poſteriore. Perſæ pro Chalipha, dicunt Haliſe. deductum eſt nomen à verbo Arabico *Chalaf*, ſubſtitutus fuit, ſucceſſit in locum alterius, vicem geſſit.

*Chalipha.*

27. De vocabulis illis apud Turcos uſitatis, Muphti, Cadileſker ſive Cadi-aſker, Cadi, Hozza ſive Hoggia, Taliſman, Dervis. item Genizeri, Baſſa, Aga, Beg, Begler-Beg, &c. vide apud Joannem Leunclavium in Pandecte Turcico, cap. 34. & in Onomaſtico poſteriore. Vide etiam de Turcæ officiariis, Mercurium Gallo-belgicum tom. 9. lib. 3. & Leunclavii Pandecten cap. 228.

## CAPUT DECIMUM-SEXTUM.

### *Hiſtorica narratio de Muhammedis & ſectatorum ejus ſucceſſu. & de obitu Muhammedis.*

MUhammed Pſeudo-propheta poſt ſuum ex urbe Mecha ſeu Mecca egreſſum, collecto exercitu Meccenſes bello adortus eſt. & ſeptimo tandem poſt ſuam è Mecca fugam anno, Meccam expugnavit. Inde latius arma circumtulit. Et legatos ad diverſos reges miſit, commendans eis legem ſuam. Decimo autem Hegiræ anno, & ſuæ ætatis anno 63. morbo correptus cardiaco, mortuus eſt, in civitate Jetrib, ſeu Jeſrib, quæ Medina dicitur. Et ibidem ſepultus eſt. Hæc ex Chronico illo Saracenorum quod cum Alcorano editum eſt. Ubi etiam quædam ſcribuntur de primis aliquot ejus ſucceſſoribus, videlicet, Eubocara, & Aomar, & Odmen, & Ali, & Alhatem, & Moavi, & Jezid.

2. Muhammedis lex per legationes viam non invenit. Ejus autem cultores eam viribus & armatâ manu longè lateque propagarunt, tanta cum celeritate, ut intra primam annorum Hegiræ centuriam Saraceni victricibus armis totam Arabiam, Perſidem, Armeniam, Ægyptum, Syriam, & quædam Aſiæ minoris loca, & Africam uſque ad Oceanum Atlanticum, & tranſmiſſo freto Herculeo, totam etiam Hiſpaniam occuparint. Et ipſam Romani Imperii ſedem Conſtantinopolin crebrâ obſidione in magnas ſæpe anguſtias redegerint, Galatam etiam oppidum è regione Conſtantinopoleos in Aſiatico littore ſitum ceperint & ædificarint, ut inde Conſtantinopolin premerent. Sicut legere eſt apud Paulum Æmylium lib. 2. de geſtis Francorum. Et Joannem Leunclavium lib. 1. hiſtoriæ Muſulmanæ. & Joſephum Scaligerum, lib. 2. Canonum Iſagogicorum Chronologiæ. in dynaſtia Chaliapharum, & lib. 3. ejuſdem operis. & Sethum Calviſium in opere ſuo Chronologico, ab anno Chriſti 631. (quo anno, die 9. Aprilis feria 3. incepit decimus annus Hegiræ) uſque ad annum Chriſti 718. quo anno incepit annus Hegiræ centeſimus, die 3. Auguſti.

3. Muhammedani propagandæ religionis ſpecie latrocinia exercent, & nullâ provocati injuriâ bella movent. Deus autem ſcelera hominum per hoc fœdum & atrox flagellum juſtiſſimo judicio ulciſcens, celerem victoriarum curſum olim Saracenis, & poſtea eorum ſucceſſoribus Turcis conceſſit. Sicut multo ante prædixerat per ſanctum ſuum Apoſtolum Joannem, Apoc. 9. in tuba ſexta. in quem locum ſuadeo ut conſulas reverendiſſimi Parentis mei Commentarium.

4. Subjiciam autem brevem Synopſin hiſtoricam de incremento & magnitudine Imperii Saracenorum: Et de ejuſdem Imperii turbatione, laceratione, & diſſipatione. Et de origine gentis Turcicæ; & de initiis potentiæ Turcicæ. & de bello Sacro. Et de bello Pontificio, quod inter Guelphos & Gibellinos geſtum eſt. Et de bello Græco, quo Latini potiti ſunt ad aliquod tempus Imperio Conſtantinopolitano. Item & de Papanæ potentiæ incrementis, & diverſis Monachorum familiis, & de bello contra Waldenſes. Item de Imperio Turcarum. & de hodierno Muhammedanorum ſtatu. Hæc omnia quantâ potero brevitate expediam.

## CAPUT DECIMUM-SEPTIMUM.

### *De incremento & magnitudine Imperii Saracenorum.*

MOrtuo Muhammedi Pſeudoprophetæ ſucceſſit Abubecher, qui ſocer fuit Muhammedis, (nam ejus filiam Aiſcham Muhammed in uxorem duxerat.) Hunc quidam ſcriptores corrupto vocabulo Eubocarum appellant. Regnavit annos duos. Ei ſucceſſit Omar, quem alii Haumar vocant, qui regnavit annos decem. Hoc regnante, Saraceni, devictis Romanorum & Perſarum copiis, occuparunt Perſidem & Ægyptum & Syriam & Meſopotamiam, vivente adhuc Heraclio Imperatore, & occiſo Jezdegirdo Perſarum Rege, filio Sirois, filii Coſrois illius quem bello ſuperaverat & affixerat Heraclius Romanorum Imperator. Cædem verò Jezdegirdi refert Calviſius ad annum Chriſti 632. quo anno regnare cœpit Abubecher. At Abraham Zacuthi ait contigiſſe regnante Omare Abubecheris ſucceſſore. Apud Joſeph. Scaliger. lib. 2. canonum Iſagogicorum. Scribit Schindlerus in radice חלף Chalaf, hunc etiam Omarem Muhammedis Socerum, filiam enim Omaris nomine Ofeſam fuiſſe unam ex Muhammedis uxoribus. Et Omaris ſucceſſorem Othmanum fuiſſe etiam ſocerum Muhammedis, illam enim Muhammedis uxorem cui nomen Fara, fuiſſe Othmani filiam.

*Vide lib. 3. cap. 2. in fine capitis.*

2. Omar autem cum regnaſſet annos decem, à Perſa quodam ſervo ſuo, dum in templo adorat, gladio tranſfixus moritur, anno Chriſti 644. ut ſupputat Calviſius. Scaliger autem refert ad annum Chriſti, 643. Zacuthi ait contigiſſe anno Hegiræ 23. conſentientibus Scaligero & Calviſio.

3. Succedit Othman, ſive Oſman עתמן. Orientales literam ת carentem Daghes pronunciant cum ſibilo, & hinc extitit ea diverſitas pronunciationis nominis hujus Chaliphæ, quem ſcriptores quidam appellant Othman, alii Oſman, alii Odmen. Idem fuit nomen Principis illius Turci à quo regia Turcorum familia hodie denominatur Othmanica vel Oſmanica vel Ottomanica. ut hoc de Turcis in anteceſſum moneam. Regnavit autem Othman Saracenorum Rex annos 12. obtinente Romanorum Imperium Conſtante Heraclii nepote. Et Occiſus eſt domi ſuæ, anno Chriſti 655.

4. Quar-



4. Quartus Chalipha fuit Ali filius Abitaleph, gener Muhammedis, qui in Græcorum hiſtoriis Alimus dicitur, ut monet Joannes Leunclavius, lib. 1. hiſt. Muſul. Ex iſtis autem quatuor Muhammedis Pſeudoprophetæ ſodalibus, & ſucceſſoribus. Perſæ Sophini ſolum hunc Ali in honore & veneratione habent. Priores autem tres oderunt & deteſtantur: ut monuimus ſupra cap. 15. §. 15. Interfectus eſt Ali, in oppido Kiofe, à quodam Ibni-Mulzeme, anno Chriſti 660. regnaverat annos quatuor. Succeſſit ei filius ipſius ex Fatima Muhammedis filia, Chaſan, (quibuſdam ſcriptoribus Al-hatem) qui Chaliphatus poteſtate duntaxat 9. menſibus, & 11. diebus frui potuit, in oppido Medina, veneno propinato extinctus; ut ſcribit Leunclavius lib. 1. hiſtor. Muſulm. ubi etiam ait ſucceſſiſſe Chaſani fratrem ipſius Chuſeinem, filium ejuſdem Ali; & Muhammedis ex Fatima nepotem: eumque regnaſſe annos quatuor. & poſtea in campo Gerbela necatum. Quamvis hujus Chuſeinis nullam faciant mentionem multi alii harum rerum ſcriptores, ut ibidem fatetur Leunclavius. Zacuthi autem, eumque ſequentes Scaliger & Calviſius, fratrem Chaſanis ajunt fuiſſe Maviam, & Chaſanem ab humani ſanguinis fuſione abhorrentem abdicaſſe ſe imperio, atque ita ſolum regnaſſe Maviam annos 21. Agnoſcit Leunclavius Maviam in Chaliphatu ſucceſſiſſe Chaſani & Chuſeini, & regnaſſe annos 16. ſed non ait fuiſſe eum Ali filium.

5. Regnante Mavia, Saraceni Conſtantinopolin obſederunt, ſeptennali obſidione, ſed infauſto ipſis eventu; nam Conſtantinus cognomento Pogonatus, Conſtantis filius, Romanorum Imperator, paratâ claſſe eis animoſè reſtitit, & devictâ Saracenorum claſſe, multa eorum millia occidit, anno Chriſti 673. Tunc & ignem marinum, quem *ignem græcum* vocant [τὸ ὑγρὸν πῦρ] excogitavit Callinicus, quidam Architectus, qui è Syria Conſtantinopolin veniens ipſum præparavit. teſte Zonara, tom. 3. Annalium, in Conſtantino Pogonato. Cedrenus vocat πῦρ θαλάσσιον. & Callinicum illum architectum veniſſe ait ab Heliopoli Ægypti urbe. Anonymus quidam ſcriptor hiſtoriæ Hieroſolymitanę, cujus hiſtoria, unà cum Wilhelmo Tyrio aliiſque belli ſacri ſcriptoribus, impreſſa eſt Hanoviæ, in folio, anno Dom. 1611. qui etiam in præfatione teſtatur, ſe ea narrare quæ ipſe vidit. Scriptor, inquam, ille, paullò ante finem illius hiſtoriæ, pag. 1167. memoratæ editionis, ſcribens de ignis hujus uſu in navali quodam prælio, ejuſdemque natura; *Oleo* (inquit) *incendiario, quod ignem græcum vulgus nominant, tabulata ſuccendunt. Ignis iſte pernicioſo fœtore, flammiſque lividantibus, ſilices & ferrum conſumit: & cum aquis vinci nequeat, arenâ reſperſus comprimitur; aceto perfuſus, ſedatur.* Hæc ille. Sed ad cœptam de Saracenis narrationem redeat oratio. Saraceni igitur, claſſis exercituſque maximâ parte amiſſa Damaſcum repetiverunt. Sedem enim regiam imperii Saracenici Damaſcum elegit Mavia. Damaſcus Agarenis Scham dicitur. Scribit autem Zonaras loco citato, Saracenos pacem petiiſſe & impetraſſe à Conſtantino Pogonato Imperatore in annos triginta, conſtituto annuo tributo quod Saraceni perſolverent Imperio Romanorum. Mortuus eſt Mavia Saracenorum Rex, anno Chriſti 680.

*Ignis græcus.*

*Damaſcus ſedes regia.*

6. Succeſſit Maviæ filius Jezid, Leunclavio Aziz. Cedrino Ezid, aliis Gizid, ut refert Leunclavius, qui contendit verum ei nomen Arabicum fuiſſe Aziz: addit etiam eum annis paullo minus quatuor regno potitum eſſe. Zacuthi autem (apud Scaligerum lib. 2. canonum Iſagogicorum Chronologiæ) ait Jezidem eo ipſo anno, quo regnare cœpit, abdicaſſe ſe imperio. Et ſucceſſiſſe Marvanem, eodemque anno & hunc obiiſſe. Hanc ſententiam ſequitur Calviſius. At Leunclavius lib. 1. hiſt. Muſulm. contendit mortuo Azizi ſucceſſiſſe Abdullam ſocerum Azizis, & Omeris ſive Marvanis illius, ad res gerendas nondum maturi, avum: nupſiſſe enim Azizi filiam Abdullæ, & ex eis nuptiis genitum Omerem ſive Marvanem. Abdullam autem ait fuiſſe filium Abbaſis, (aliàs Abbus filii Abubekiri illius qui primus poſt Muhammedem obtinuit Caliphatum. addit præterea Leunclavius Abdullam illum appellatum eſſe Abdul-Melich; cujus vocabuli ſignificatio eſt, Abdulla Rex, ſive ſervus Dei Rex. Hunc Abimelechum vocat Zonaras, tom. 3. Annal. in Juſtiniano Rhinotmeto. Zacuthi, & Scaliger, & Calviſius, Abdelmelichum iſtum conſtituunt Marvanis ſucceſſorem in Chaliphatu, anno Chriſti 681. Eumque ajunt regnaſſe annos 20.

7. Regnante Abdelmelicho, Saraceni totâ Armenia & Africa uſque ad Oceanum Atlanticum potiuntur. turbato inteſtinis ſeditionibus Romani Imperii ſtatu.

8. Abdelmelicho ſucceſſit in Chaliphatu (ſecundùm Zacuthi, & Scaligerum, & Calviſium) filius ejus Walid, & Walidi ſucceſſit frater Walidis Suleiman. at contendit Leunclavius Walidem Chaliphatu non eſſe unquam potitum, ſed fratrem ejus Suleimanem immediatè ſucceſſiſſe Patri Abdelmelicho. Mortuus eſt autem Suleiman Chalipha, anno Chriſti, 717.

9. Tempore autem illo, quod inter mortem Abdelmelichi & mortem Suleimanis interceſſit, regnante ſive Walide ſive Suleimane, Saraceni, duce Tarich, tranſmiſſo freto Herculeo in Hiſpaniam venerunt, hortatu Juliani comitis, cujus uxorem Rodericus Hiſpaniæ Rex adulterio polluerat. impatiens enim illius contumeliæ Julianus, Saracenos ex Africa adduxit. Et Saraceni, profligatis copiis Gothicis, ipſoque Rege Roderico occiſo, totâ Hiſpania potiti ſunt. Loco autem in quo caſtra ſua primum muniverat Tarich Saracenorum Dux, indita eſt appellatio Gebel Tarich, id eſt, mons Tarich; & hodiè corruptè *Gibaltar* appellatur. Sicut ex Roderico Toletano monet Calviſius, ad annum Chriſti 711. Unde etiam ipſi freto indita appellatio. *Gibaltar.*

10. Suleimano Caliphæ ſucceſſit Omer ille filius Azizis, & nepos Abdelmelichi, regnavitque biennium, & mortuus eſt anno Chriſti 719. Imperante Romanis Leone Iſaurico.

11. Omeri ſucceſſit in Caliphatu Jezid, ſive Aziz, ſive Ezid, hujus nominis ſecundus, qui regnavit annis quatuor.

12. Succeſſit Haſcham, ſive Hacem, ſive Haſamus, qui regnavit annos 15. vel ſecundum Calviſium annos 20. Hoc Haſamo regnante, quadringenta millia Saracenorum, duce Abderama, ex Hiſpania per Pyrenæos montes in Galliam irruerunt: Et memorabili illo Turonenſi prælio à Carolo Marcello ſuperati ſunt Saraceni, cæſo Abderano, & cum eo trecentis & ſeptuaginta quinque millibus Saracenorum, ut ſcribit Paulus Æmylius, lib. 2. de rebus geſtis Francorum.

Sethus

*Saraceni à Carolo Martello ſuperati prælio Turonenſi.*

Sethus Calviſius ad annum Chriſti 725. & ann. 726. ex Annalibus Fuldenſibus, idem prælium commemorans, mentionem facit cæſorum Saracenorum tantummodo trecentorum & ſeptuaginta millium, omiſſis reliquis quinque millibus quæ ab Æmilio ultra iſtum numerum occiſa eſſe referuntur. Annus tunc Hagiræ erat 108. ſecundùm ſupputationem Calviſii, & annus Chriſti 726. quando hanc cladem Saraceni acceperunt in campis Turonicis, vincente Martello. Hanc hiſtoriam prolixè deſcriptam invenies apud Æmylium, in principio libri 2. de geſtis Francorum.

13. Hiſamo ſucceſſit in Caliphatu Walid, qui annum duntaxat unum imperavit. Vitæ voluptuariæ deditus fuit, luxui & vino. Conſpiratione facta ab ipſis Arabibus interfectus eſt, & caput ejus per plateas Damaſci oſtentatum: anno Chriſti 743.

14. Succeſſit Marvan: quem excepit Jachſi, vel (ſecundum alios) Abulabas, qui mortuus eſt anno Chriſti 753. huic ſucceſſit Abugephar Elmantzur.

*Urbs Bagded, Saracenorum regia. Vide cap. 12. §. 5.*

15. Zacuthi, apud Scaligerum, loquens de Abugephare Calipha, ait cum primum ædificare cœpiſſe urbem Bagded. Joſephus Scaliger lib. 3. Canonum Iſagogicorum ait, ignotam ſibi eſſe cauſſam hujus nominis Bagded: à Zonara quidem cum imperito vulgo Babylonem vocari, eſſe autem eam urbem quæ olim Seleucia dicebatur, ſitam ad confluentes Euphratis & Tigridis. Leunclavius Bagdatim vocat, lib. 18. hiſtoriæ Muſulmanæ. & ait propinquam eſſe ruinis priſcæ Babylonis. Et Tigrim fluvium hanc novam Babylonem, ſive Bagdatim, interluere, ſicut olim veteris Babylonis urbem interluebat Euphrates: Et non procul infra Babylonem hodiernam, ſive Bagdatim, hæc inter ſe flumina commiſceri. Quibuſdam ſcriptoribus urbs ea Baldac dicitur.

16. Regnavit Abugephar, (qui & Habdalla dictus eſt, quaſi, Dei ſervus) tempore Conſtantini Copronymi Imperatoris Romanorum, & mortuus eſt anno Chriſti 775. Succedit Abugephari filius Mahdi, qui regnavit annos decem.

17. Hujus Mahdi Caliphæ filius Aharun Ereſchid, qui Græcis ſcriptoribus Aaron dicitur, Leunclavio Harone-reſides, Caliphatus poteſtatem, mortuo Patre, ſuſcepit anno Chriſti 785. vel ſecundum alios, anno 786. regnavit annos 23. vel ſaltem 22. Romanum Imperium in Oriente obtinentibus Irene ejuſque filio Conſtantino, & poſt hos Nicephoro. In Occidente autem rerum potiente Carolo Magno.

*Irene Imperatricis crudelitas in filium.*

18. Irene filium ſuum Conſtantinum crudeliter excæcavit, adeò ut poſt paucos dies, mortuo Conſtantino, Irene jam ſola rerum potiretur, anno Chriſti 797. Tunc, ut refert Zonaras, Sol per dies ſeptendecim non ſplenduit. Cedrenus tantas commemorat exſtitiſſe tenebras, ut naves quoque in curſu ſuo aberraverint, ὥςτε καὶ τὰ πλοῖα πλανᾶσθαι. Cum autem Irene legatos ad ducem quendam Saracenum Abdelmelichum, regiones Cappadociæ depopulantem, pacem petitum miſiſſet, anno Chriſti 798. Abdelmelich (quem quidam Abimelechum vocant) adſentiri noluit, & muneribus, quæ ab Irene offerebantur, neglectis, in hæc verba legatis reſpondit, Cum proterva furenteque feminâ, quæ ſuo cum filio pacem colere non potuit, quonam modo pacem ipſe conſtituam? Hoc ſub Aaronis Caliphatu accidiſſe referunt Joannes Leunclavius, lib. 1. hiſtor. Muſulmanæ. & Calviſius ad annum Chriſti 798. Irenen autem in ordinem redegit & ab Imperio depoſuit Nicephorus Patricius, eique in Imperio ſucceſſit, anno Chriſti 802. Imperavit autem Nicephorus annos octo, menſes novem.

19. Scribit Joannes Leunclavius, Aaronem Chalipham, tempore Nicephori Imperatoris, in Græcorum provincias irruiſſe, maximiſque damnis eas affeciſſe. Nam conſtat, (inquit Leunclavius) Aaronem cum trecentis millibus Romaniam ingreſſum, nominatim Tyanis, & aliis in urbibus ædes impietati Muhammeticæ dicatas condidiſſe. Præterea cum aliorum tum Symeonis noſtri [*officiorum magiſtri*] commemorant hiſtoriæ, Nicephorum infelici conatu adverſus Arabes in Phrygiam duxiſſe copias: commiſſoque prælio, multis amiſſis ſuperatum fuiſſe. Quin-etiam, ad tam fœdas & ignominioſas eum Muhametani redegere pactiones, ut triginta millia nummûm in annos ſingulos provinciarum imperii cauſſa ſe penſitaturum reciperet; in ſuum verò caput, inaudito cum dedecore, tria millia nummûm, ac totidem in caput filii, [*Stauracii*,] jam Imperatoris deſignati, cenſus annui nomine conſtitueret. Hæc Leunclavius, lib. 1. hiſtoriæ Muſulmanæ.

20. Inter Aaronem iſtum Saracenorum Chalipham, & Carolum Magnum Francorum Regem, Romanorumque in Occidente Imperatorem, legati ultro citroque cum muneribus miſſi ſunt. Sicut teſtatur Regino Abbas Prumienſis, lib. 2. & ex eodem Reginone & Aventino refert Calviſius, in opere Chronologico, ad annos Chriſti 801. 806. 807.

21. Mortuus eſt Aaron Saracenorum Amiras & Chalipha, anno Chriſti 808. ut ſupputat Joſeph Scaliger, lib. 2. canonum Iſagogicorum. at Calviſius ſcribit, mortuum eſſe anno Chriſti 809. ab utroque citatur Zacuthi, qui Aaronis mortem refert ad annum Hegiræ 193. Poſt obitum Aaronis, Saraceni Africani Siciliam, & Corſicam, & Sardiniam, & aliquot Italiæ regiones, crudeliter vaſtarunt: ipſaque urbis Romæ ſuburbia deprædati ſunt. ut refert Calviſius, ad annos Chriſti 828. 829. 843. 846. 852.

22. Aaroni autem ſive Harone-reſidi Chaliphæ ſucceſſit Imin, & huic Mamon, anno Chriſti 813. quem excepit Mutetzam, anno Chriſti 833. cui ſucceſſit Aaron, hujus nominis ſecundus, dictus Aharun Elvvathak, anno Chriſti 841. & huic Methucal anno Chriſti 846. Poſt hunc Mutnaczar, anno Chriſti 861. quem excepit Elmuſtein, anno Chriſti 862.

23. Zacuthi ad hujus tempora refert Chaliphatus diviſionem, Tolone à Turcomanis conſtituto Rege Ægypti & omnis Syriæ. Leunclavius autem lib. 1. hiſtoriæ Muſulmanæ, ſcribit imperium Saracenicum ad ſummum culmen evectum eſſe ſub Harone-reſide. ſtatimque ab illo tempore lacerari cœpiſſe ac diſſipari magnum illud imperium. De cujus incremento & magnitudine hæc ſtrictim attigiſſe ſufficiat. Sequitur nunc ſecundum membrum hujus narrationis.





## CAPUT DECIMUM-OCTAVUM.

### *De Imperii Saracenici diſtractione & diſſipatione.*

Inteſtinis ſeditionibus inter ſe conflictati ſunt Saraceni anno Chriſti 748. & 749. Et Marvan Chaliphas à factione Abbaſidarum Syriâ pulſus eſt, & in Ægypto occiſus, eo quod Marvan interfeciſſet Abrahamum ſacerdotem, qui erat ex poſteritate Abbaſis, ſive Abbus. ut ſcribit Zacuthi, apud Scaligerum. Calviſius ſcribit, inde diviſum eſſe Imperium Saracenorum in tres partes. & citat Miſcellam.

*Pelagius Hiſpanorum [illegible] Saracenos.*

2. Monuimus ſuprà, Saracenos potitos eſſe Hiſpaniâ, anno Chriſti 713. Pelagius autem vir bellicoſus ex regia ſtirpe Gothorum, ſe cum aliis Hiſpanis tradiderat Saracenis: ſed dum negotiorum cauſâ abeſt, filiæ ejus vis affertur à Maurorum præfecto: quam injuriam ulciſci cupiens, ad Aſturiorum montes abit, ibi quotquot Gothorum hominum poteſt, colligit, monet & hortatur, ut ſe ex ſervitute Maurorum liberent, atque ita ſpeciem exercitus, & equites etiam contrahit, quibus ſe utcumque tutatur. anno Chriſti 718. Et anno ſequente Saracenicum exercitum contra eum à Moſe Saracenorum duce miſſum, monteſque temere ſubeuntem magnâ clade afficit, ita ut ad viginti millia Saracenorum perierint. Ab hoc tempore Pelagius regnavit in Aſturiis. & Hiſpanorum Rex à ſuis dictus eſt. regnumque ſuum annos octodecim contra Saracenos fortiter tutatus, moritur, anno Chriſti 736. relicto ſucceſſore filio ſuo Favila: cui poſt biennium mortuo ſubſtitutus eſt Alphonſus, Pelagii gener, qui regnavit annos 19. & Saracenos multis ex urbibus pepulit. Huic ſucceſſit Frojola filius, qui cum Juzapho Saracenorum in Hiſpania Principe collatis ſignis pugnavit in Gallæciæ finibus, & inſigni victoriâ potitus eſt; cæſis hoſtium quinquaginta quatuor millibus. anno Chriſti 759. Statimque eodem anno Juzaph, ob acceptam à Frojola cladem, vilior apud ſuos factus, ab ipſis Saracenis pellitur Hiſpaniâ, cum novem annis eam obtinuiſſet ut præfectus: ſufficitur in ejus locum Abderamen, qui ſtatim ſe Miramolinum, ſive Regem Cordubæ ſcripſit, regnavitque annis 27. atque ita Hiſpania deſiit eſſe Miramolino Babylonio vectigalis. Hæc ex Vaſæo refert Calviſius, in opere Chronologico.

*Abderamen dictus Miramolinus.*

3. Vaſæus Miramolinum dixit pro Emir Elmuminin. Græcorum in hiſtoriis ſcribitur ἀμερμουμνῆς, Amermumnes, ut monet Leunclavius in Onomaſtico poſteriore. De etymo autem vocabuli Emir-el muminin, diximus ſupra, cap. 15. §. 23.

*Vide cap. [illegible]*

4. Joſephus Scaliger lib. 3. canonum Iſagogicorum, in notis in Dynaſtiam Arabum Scenitarum: Primò (inquit) duces belli, dynaſtæ, & magiſtri militiæ poſt Muhammedem pſeudoprophetam dicti ſunt Emire-el mumenin, præfecti orthodoxorum. Deinde, quia ſpecie religionis non ſolum primatum ſacerdotum Muhammedicorum, ſed & tyrannidem invaſerunt, Chaliphæ, id eſt, Vicarii dici maluerunt. Primus Emir-elmumenin fuit Abubether, quem alii Abukara corruptè vocant. Cum ab ejus ſucceſſoribus rectores in Africam & Hiſpaniam mitterentur, illi rectores aliquamdiu ſub eorum imperio regiones illas tutati ſunt, jura illis adminiſtrando; Et quamvis jus regium uſurparent, & eorum potentiæ nihil præter nomen regis deeſſet, tamen ut ſuſpiciones omnes novarum rerum amolirentur, ii omnia non ſuo, ſed ipſorum Emire-elmumenin nomine gerere profitebantur: donec palàm & ipſi Emire-elmumenin ſe dici & voluerunt, & juſſerunt, & ex Præpoſitis veri reges, aut meri tyranni facti ſunt. Unde non ſolùm omnes reguli Hiſpaniæ, ſed & Africani quoque dynaſtæ Emire-elmumenin dicti ſunt. Rex quoque Maroci & Feſſæ hodie poſt nomen ſuum appellationem majeſtatis apponit Emir-elmumenin. Non enim eſt nomen proprium, ut neque Francorum regum Chriſtianiſſimus, neque Hiſpanorum Catholicus. Hæc Scaliger, loco citato.

*Diviſio Chaliphatus.*

5. Diviſo autem per ſeditionem Chaliphatu, cum antea unicus eſſet ſummus Chalipha, cœperunt duo eſſe Chaliphæ, quorum alter regnabat in Bagded, quæ & Baldac & Babylon dicta eſt, alter in Ægypto. Quamvis eſſent & alii Saracenorum Principes, qui excuſſo Caliphæ jugo ſupremam regionum quarundam gubernationem ſibi rapuerint. Iſti tamen duo Principes, nempe Bagdatenſis & Ægyptius, per excellentiam dicebantur Chaliphæ. cum prius omnia Bagdatenſi ſubeſſent. Nam Chaliphæ ſedem ſuam regiam diu quidem habuerant Damaſci, poſtea verò in urbe Bagded in Chorasan, id eſt, Meſopotamia.

*Vide cap. 17. §. 1. & §. 12.*

6. Muhametis ſtudioſi æmuliſque (inquit Æmylius) jam inde ab initio maximam nobiliſſimamque orbis terrarum partem occuparant, hoſtes noſtri diri, ſenique. ——— Unum initio habuerant ſummum virum, qui omnibus imperaret, ad quem ſumma rerum conſiliorumque rediret. Deinde, ut erat neceſſe in tam longè latéque fuſis opibus, ſeditio eſt orta, duæque ſedes ac duo Imperatores facti. Alter Baldacenſis Chalipha, ——— alter Ægyptius vocitabatur. ——— Ex rebus ſecundis imperioque, ſuperbia negligentiaque atque inde ſocordia ſegnitieſque orta. Tandem Caliphæ luxui dedi cœpti, hos inſtituerunt, qui Sultani ab Ægyptiis vocitantur. Romanâ enarratione procuratores ſummæ rerum dici poſſunt. Per complures ætates Saracenorum res hoc ſtatu fuerant. Hæc Paulus Æmylius, ſtatim ſub initium libri 4. de rebus geſtis Francorum.

7. Joannes Leunclavius, de Imperii Saracenici diſtractione & diminutione ſcribens, lib. 1. hiſt. Muſulm. poſtquam Chaliphatum ſeriem deduxiſſet uſque ad Aaronem illum qui Harone-reſides dictus eſt; tandem ſubjungit hæc verba: In hoc jam Harone-reſide ſcriptores hiſtoriæ Turcicæ, quos ſequimur, expoſitionem de Chaliphatum ſerie ſuam claudunt: haud dubiè propterea, quod ſtatim ab illo tempore, ſicut & aliis ad ſummum rerum culmen evectis regnis uſuveniſſe videmus, ingens illud imperium fœdis bellorum civilium tempeſtatibus agitari, paulatimq; minores in dominatus diſtrahi cœperit: adeò quidem ut non amplius ſuum illud Iſlamorũ nomen, quod à mutua pace concordiâq; ſpecioſo ſibi titulo adrogaverant, tueri poſſent. Ideò non abs re ſcripſit Aythonus Armenius, Saracenos in Aſia regnaſſe centum nonaginta octo [198.] annis, qui cum Turcicis nõ malè conveniunt: e quorum

rum comparatione colligitur, Harone-reſidis regnum fere ad [180.] centeſimum octogeſimum annum à migratione Muhammedis pertinuiſſe. Poſt ejus ergo mortem exortæ fuerunt illæ magnæ diſcordiæ, de quibus Aythenus loquitur, inter Saracenos: ita quidem ut Soldani & alii terrarum Principes, qui tenebantur obedire Chaliphæ, rebelles in ipſum fieri cœperint; ob quam cauſſam Saracenorum poteſtas plurimum deminuta fuerit. Prorſus huic conſentanea Cedrinus ſcripſit, Saracenorum potentiam ad eas excreviſſe vires, non tantum ut Perſide, Media, Babylone, cum Aſſyriorum regno potirentur: ſed cum his & Ægyptum, & Lybiam, & magnam Europæ partem conjungerent. Verum, inquit, ubi diverſis temporibus ſeditiones inter ſe mutuas occepiſſent, & unum illud ac maximum imperium, in plures fuiſſet diſcerptum partes: alium Hiſpania principem, alium Lybia, rurſus alium Ægyptus, alium Babylon, alium denique regem Perſis accepit. Iidem Principes inter ſe nullo cohærebant mutuæ vinculo concordiæ, ſed finitimi bellis in finitimos concitatis, arma ſibi invicem inferebant. Hactenus Cedrinus. Igitur hinc factum, ut qui prius è remotiſſimis ad Orientem Solem regionibus, terrâ marique profecti, non utramque duntaxat Aſiam, & Africam invaſerant; ſed etiam verſus occidentem, ad extremas id temporis habitas Gades, Herculeaſque columnas penetraverant, eoque freto tranſmiſſo majorem Hiſpaniæ partem ſub jugum miſerunt; ac tranſitis inde montium Pyrenæorum jugis ipſam quaſi diluvio quodam innumerabilium copiarum inundaverant Galliam: converſis inde vicibus rerum, à Chriſtianis, longè diſſitas ad occidentem Solem terras incolentibus, ultro maximis expeditionibus, iiſdem mari terraque ſuſceptis, petiti profligatique fuerint. Quo quidem tempore peramplis Aſiæ provinciis exuti, vel exſtirpari radicitus, vel priſtinas ad ſolitudines Arabiæ rejici, deleto Muhametícorum imperio, potuiſſent: in fatales Occidentalium domi ſuæ diſſenſiones, Arabum ſucceſſoribus Turcis, jam Muſulmanâ ſuperſtitione imbutis, ad erepta Muhammetanis recuperanda præbuiſſent animos; & quo minus oppugnatis in Aſia noſtris auxilia ſubmitterentur, impediiſſent. Hæc Leunclavius, loco citato.

3. Per expeditiones illas à Chriſtianis occidentalibus contra Muhammedanos Orientis incolas ſuſceptas, intelligit Leunclavius bellum illud quod ſacrum dicitur. De quo bello copioſè ſcripſit *VVilhelmus Epiſcopus Tyri*, in ſua hiſtoria regni Hieroſolymitani. Accedunt *Iacobus de Vitriaco*, in ſua hiſtoria Hieroſolymitana; & *Albertus Aquenſis*, in expeditione Hieroſolymitana. & alii. Inter quos, belli hujus initia, progreſſum, exitum, prolixè deſcripſit *Paulus Æmylius* in ſua hiſtoria de rebus geſtis Francorum, lib. 4. & 5. & 6. & 7. & 8. Scripſit etiam de occaſione illius belli ſacri, rebuſq; in eo geſtis *Otto Friſingenſis*, in ſuo Chronico, lib. 7. & lib. 1. de rebus geſtis Friderici primi Imperatoris. Et nuper ex *VVilhelmo Tyrio*, & ex *Benedicto de Acoltis Aretino*, eandem hiſtoriam græco ſermone ſcripſit *Yvo Duchatius*, natione Gallus, diſtributo opere in quatuor διηγήσεις, id eſt, narrationes, quarum ſingulæ in capita dividuntur. Nonnulla etiam huc ſpectantia lector inveniet in hiſtoria *Nicetæ Choniatæ*, & apud *Nicephorum Gregoram*, hiſt. lib. 4. & apud *Ioannem Leunclavium*, lib. 1. hiſt. Muſulmanæ, & apud *Ioſephum Scaligerum*, lib. 2. canonum Iſagogicorum, in epitome Chronici *Abrahami Zacuthi*, ſcriptoris Saraceni, & apud alios. Summa ſequar faſtigia rerum.

## CAPUT DECIMUM-NONUM.

### *De origine gentis, initiiſque potentiæ Turcarum.*

LAonicus Chalcocondylas, lib. 1. hiſtoriæ ſuæ de rebus Turcicis, ait nomen Turcorum ſignificare homines qui agreſtiorem ſequuntur vitæ rationem, inſtar Nomadum, & maximam vitæ partem in eo genere conſumunt. Et enumeratis variis de Turcorum origine ſententiis, ipſe in eam concedit, quæ Turcos ex Scythis oriundos aſſerit: & hanc ſententiam confirmat etiam ex conſonantia linguæ & ſimili quotidianæ vitæ uſu, Turcorum inferiorem Aſiæ regionem Lydiam, Cariam, Phrygiam, & Cappadociam incolentium, & Scytharum degentium in ea regione quæ inter Tanaim & Sarmatiam excurrit. Et Joannes Leunclavius in ſuis Onomaſticis, quę ſubjunxit hiſtoriæ Muſulmanæ, ait Turgmen eſſe idem nomen cum Turg, & Turc, & Zurk, & Turcman, & ſignificare eum qui Nomadum more vivit.

*Nomades.* 2. Nomades, id eſt, Paſtoritii homines, veteribus Græcis dicti ſunt illi populi, qui abſque fixis domiciliis, quærendorum paſcuorum cauſa hinc inde cum familiis, armentis, & gregibus obvagabantur; vitam agentes paſtoritiam. Et dicti ſunt νομάδες, à νέμομαι paſcor, & νομὴ paſcuum, paſtio. Tales fuerunt quidam in Africa, νομάδες Λίβυες, de quibus ſcripſit Herodotus lib. 4. ſive, in Melpomene, cap. 186. & aliquot ſequentibus capitibus. De eiſdem cecinit Virgilius, lib. 3 Georgicon:

> *Quid tibi paſtores Lybiæ, quid paſcua verſu*
> *Proſequar, & raris habitata mapalia tectis?*
> *Sæpe diem noctemque, & totum ex ordine menſem*
> *Paſcitur, itque pecus longa in deſerta ſine ullis*
> *Hoſpitiis; tantum campi jacet. Omnia ſecum*
> *Armentarius Afer agit, tectumque, laremque,*
> *Armaque, Amiclæumque canem, Creſſamque pharetram.*

Et in Æneide, lib. 4.

> *Te propter Lybicæ gentes, Nomadumque tyranni*
> *Odere.*

Fuerunt & Nomades Aſiatici, de gente Perſica, qui Sagartii appellabantur, νομάδες ἄνθρωποι Σαγάρτιοι καλεόμενοι. de quibus & eorum pugnandi more, ſcripſit Herodotus in Polymnia, ſive lib. 7. hiſtoriar. capite 85. Alii etiam in Aſia erant Nomades Scythæ, de quibus meminit Herodotus in Clio, ſive lib. 1. hiſtoriarum, capite 15.



3. Inter populos, qui ſuo ſeculo trans Tanaim fluvium habitabant, commemorat Herodotus populum quendam qui Ἰύρκαι Iyrcæ vocabantur, erantque Thyſſagetis vicini, & ex venatu, ſicut Thyſſagetæ, victitabant. lib. 4. hiſt. cap. 22. Hos Leunclavius, in priore Onomaſtico, in voce Jurchi, ait eſſe eoſdem quos nunc Turcas & Turcos dicimus; & ipſorum more Zurkos, aut Tzurucos, litera I per Z vel Tz, fortius expreſſa. Vocabulum verò Zurki vel Tzurki, ait ſignificare ipſorum linguâ prorſus id quod græcum Nomades. Et fuiſſe olim Turcos tales, & eſſe in Anatolia paſſim hodieque Turcomanleros. Addit etiam nunc moleſtè ferre Oſmancos milites & aulicos, ſi quis eos Turcos, ſeu ruſticos, appellet. Et in ipſorum comœdiis ſemper introduci aliquem Turcum, aut Turcman, velut ruſticum.

4. Refert ex hiſtoria Miſcella Sethus Calviſius, anno Chriſti 626. Heraclium Imperatorem, contra Perſas proficiſcentem, evocaſſe Turcos, apertis portis Caſpiis, eorumque quadraginta millia conduxiſſe, & ſuo exercitui junxiſſe, & Perſiam longè lateque vaſtaſſe. Sed Otto Epiſcopus Friſingenſis, in ſuo Chronico, lib. 5. cap. 9. Evocationem Turcorum ab Heraclio factam eſſe dicit contra Agarenos, poſt confectum bellum Perſicum. Et ait Heraclium non rectè feciſſe, educendo gentem crudeliſſimam, quam etiam gentilis homo Alexander magnus, ob immanitatem eorum, ſuper mare Caſpium incluſerat. Rurſum eadem gens Scythica, Turci, portis Caſpiis egreſſi, Jberiam vaſtarunt, & cum Saracenis ancipiti Marte congreſſi, ad ſua redierunt, anno Domini ſeptingenteſimo ſexageſimo quarto, Romani Imperii ſceptrum gerente Conſtantino Copronymo, ut ex eadem Miſcella adnotat Calviſius. Iberiæ autem incolæ olim Jberes, nunc Curggini vel Georgiani appellantur, ut monet Leunclavius, ſub initium lib. 1. hiſt. Muſulm. Poſtea (eodem referente Leunclavio (ulterius in Armeniam, ad Araxim fluvium progreſſi Turci, ſuas ibi ſedes, necdum priſcis Nomadum moribus exutis, habuerunt: donec Imperium Conſtantinopolitanum obtinente Romano Argyro, circa annum Chriſti trigeſimum ultra milleſimum [1030] à quodam Perſarum Rege, Saracenicæ originis, quem Turci Machmutem Subictigenem, alii Muchumetem Jmbraelis filium vocant, muneribus & annonis ad belli ſocietatem adverſus Indos & Bagdatinum Principem pellecti; Araxe tranſito, Perſidem Togra Selzuccio (id eſt, de gente Selzuccia nato) duce, qui Græcis Ταγγρολίπιξ Μουκάλετ dicitur, intrarunt. Et mox ipſo Perſarum regno potiti ſunt.

5. Id verò qua occaſione, & quemadmodum evenerit, narratur à Zonara, tom. 3. Annal. in Imperio Conſtantini Monomachi, & Leunclavio, lib. 1. hiſt. Muſulm. qui tamen aliquantulum inter ſe diſſentiunt de tempore hujus expeditionis; Zonara eam referente ad tempus illud quo Conſtantinopoli imperabat Baſilius Porphyrogenitus, Leunclavio autem ad Imperium Romani Argyri, qui, triennio poſt Baſilii illius obitum interjecto, Imperium adeptus eſt.

6. Poſt magni Alexandri mortem, Macedonibus inter ſe dimicantibus, Perſæ regnum ſuum recuperarunt, & longo poſt tempore, à Saracenis victi, circa annum Dominicæ incarnationis 632. illud amiſerunt. Saracenis autem in factiones diviſis, Muchumetes Subictigenes Jmbraelis filius, Perſiæ & Mediæ Rex, ſuſcepto contra Indos & Babylonios bello, Turcos adſciſcit ſibi auxiliares, patefacto illis tranſitu pontis, quem Araxi fluvio impoſitum, turribuſque & militari præſidio munitum tenebat. Devicto autem Paſſaſirio Arabum Babyloniorum Principe, cum in regionem ſuam redeundi poteſtatem fieri ſibi peterent, nec annueret Muchumetes Perſarum Rex, cupiens eorum operâ uti etiam in bello adverſus Indos, Turci autem, ponte Araxis intercluſo, reverti ad ſua non poſſent, & tamen Muchumeti in bello Indico militare conſtanter recuſarent, montes occupant, indeque Saracenos infeſtant, ſeque armis tutantur. & confluentibus ad eos multis facinoroſis qui maleficii cauſa mortis ſupplicium metuebant, itemque mancipiis, & quotquot agendis prædis inhiabant, & qui Muchumetis Regis metu vel odio rebus novis ſtudebant; commiſſum eſt prælium inprimis terribile, in quo multi utrinque ceciderunt, ac in ipſis Muchumetes etiam ipſe periit. Atque ita Tangrolipix victor Sultanus ſeu Rex Perſidis ſalutatus eſt; dejectis Imperio Saracenis. Et moriens idem regnum filio ſuo Axani reliquit [id nomen Ax-han, regem ſeu Principem album ſignificat.] *De regno Perſico Kraxis narratio. Vide cap. 22. §. 2.*

7. Fuit autem ipſe Tangrolipix filius Mikeilis. frater quidam hujus Mikeilis (vel ſecundum Zonaram, ipſius Tangrolipicis) genuit Cutlumuſen (fortunatum hoc Moyſen ſignificat,) & Abimelechum. Cutlumuſes cum quinque ſuis filiis contra Tangrolipicem inimicitias exercuit. Neque morte Tangrolipicis extinctæ ſunt eæ inimicitiæ, ſed etiam adverſus Tangrolipicis filium Sultanem Axanem bellum commoverunt, deque ſummo Imperio cum eo contenderunt. Cumque manus jam conſerturi exercitus eſſent; delata res ad Chalipham fuit, qui apud ipſos (verbis utor Leunclavii) honore divino quodam colitur. Is ſtatim omni faſtu & conſuetudine neglectâ, qua licitum ei non erat e domicilio ſuo prodire, magnâ ſe velocitate ad locum illum, jamque concurſuras ad acies, contulit: quas inter medius ipſe conſiſtens, pacem velut arbiter inter ipſos conſtituit. Et his conditionibus facta tranſactio eſt; ut Perſidi Sultanus Axan imperaret, quemadmodum & Pater ejus Tangrolipix hanc obtinuiſſet: Cutlumuſes autem eiuſque liberi, acceptis à Sultano copiis & auxiliis, Romanorum ditionem ſui juris efficerent. Itaque tranſactionis hujus vigore deinceps occupata Romania fuit à Cutlumuſis filiis, quos inter principe loco fuit Suleimanes (Cutlumuſis filius) qui magnam Aſiæ minoris partem occupavit: & Gothofredo Bullionæo aliiſque Chriſtianis Occidentalibus in Aſia minore ſe oppoſuit. Multa etiam in Syria Turci illi Cutlumuſæi Saracenis Ægyptiis ademerunt, ſibique ſubjecerunt.

## CAPUT VIGESIMUM.

### *De bello ſacro, & de Mamluchis.*

HIeroſolyma inter tot rerum temporumque fluctus, variis motibus agitata, modo Baldacenſibus Chaliphis, modo Ægyptiis, modo Turcarum Imperatoribus parebant, graviore indies ſervitute.

*Petrus Ambianenſis.* 2. Petrus ex nobilitate Ambianenſi, puer literis imbutus, ubi ætas patiens laborum fuit, rei militari deditus, vir effectus, eremo ſe dicavit. Aliquanto poſt peregrinationem ſuſcepit in Syriam, & perveniens Hieroſolyma, didicit ex Simone Patriarcha Hieroſolymitano, quam atroci barbarorum jugo premerentur, & quam dira paterentur illic Chriſtiani. Et è re viſum eſt Patriarcham Petro literas ad Romanum Pontificem dare, quibus opem Chriſtianorum occidentalium imploraret. Quibus acceptis literis, & audito Petro, Urbanus hujus nominis ſecundus, Papa Romanus, Concilium Claromontem Arvernorum in Galliam indixit. Confluxerunt illuc ad præſtitutum diem proceres, legatique, ac ſummi undique viri: anno Chriſti milleſimo nonageſimo quinto [1095.] & unanimi conſenſu decreta eſt expeditio pro recuperandis Hieroſolymis & terra ſancta. Dimiſſique in ſuas quiſque diœceſes Epiſcopi, ut popularium Ducumque animos oratione ad arma ſacra capienda in ſacris concionibus incitarent.

*Urbanus 2. pp. Rom.*

*Concilium Claromontanum.*

*Summi duces in prima expeditione belli ſacri.* 3. Summi in eo bello duces erant Hugo magnus, Philippi primi Francorum regis frater; & Gothofredus, Euſtathii Bononiæ Belgicæ comitis filius Dux Bullionæus, idemque Dux Lotharingiæ: ejuſque duo fratres Euſtathius & Balduinus: item duo Roberti, alter Normanniæ Dux, Gulielmi ex illa gente primi Anglorum regis filius, & Gulielmi Rufi Anglorum Regis frater, alter Flandriæ comes: & Raymundus Toloſatium, & Stephanus Bleſenſium Carnutumque comites, Rainbaldus comes Auracicenſis, Hugo comes de Sancto Paulo, & Boamundus ſeu Bohemundus princeps Tarentinus, & Tancredus, Boamundi vel, ut alii ſcribunt, Rogerii (qui Boamundi frater erat, licet non uterinus) Ducis Apuli ex ſorore nepos; & Ademarus Epiſcopus Podienſis, qui Urbani Papæ ad id bellum legatus fuit. Alios etiam viros illuſtres nominant Wilelmus Tyrius, hiſtor. lib. primo, cap. 17. & Albertus Aquenſis, lib. 2. expeditionis Hieroſolymitanæ. & Antoninus Florentinus, hiſtoriarum parte ſecunda, titulo decimo ſexto, capitulo decimo tertio. Et Yvo Duchatius, narratione prima, cap. 5.

*Numerus militum.* 4. Hi tranſmiſſo Boſphoro, prope Chalcedonem in Aſia copias recenſuere, anno Chriſti milleſimo nonageſimo ſeptimo, & inito numero inventa ſunt in illo exercitu peditum ſexcenta millia. & equitum loricatorum centum millia, præter impedimenta, ubi erant clerici & mulieres. ut teſtantur Paulus Æmylius, lib. 4. de geſtis Francorum. & Antoninus Florentinus, hiſt. part. 2. tit. 16. cap. 13. §. 2. Wilelmus autem Tyri Epiſcopus, in fine libri ſecundi ſuæ hiſtoriæ, dinumerationem hanc factam eſſe ait ante Nicæam urbem, ubi (inquit) recenſito legionum numero, inventi ſunt habere *peditum promiſcui ſexûs ſexcenta millia, equitum verò loricatorum centum millia.* Hi Nicæam urbem eodem anno & totam Ciliciam Solimanno Turco Cutlumuſis filio eripiunt. Devicto aliquot præliis Solymanno, qui ad Sultanum Perſiæ confugiens auxilia ab eo adverſus Chriſtianos illos Europæos petiit & impetravit.

5. Interea Chriſtiani progrediuntur, & Antiochiam Syriæ eodem anno obſident: eandem anno ſequente capiunt, die tertio Junii, feria quinta. Duraverat ea obſidio menſes octo. Tertiâ autem poſt captam Antiochiam die, Turci è Perſia, duce Corbagath (qui Æmylio Corrobocranus, aliis Curbaran, & quibuſdam Corbanan dicitur,) cum infinitis copiis veniunt obſidionem ſoluturi, & noſtros in capta urbe commeatu vacua rurſum obſident. graviſſima fame coacti noſtri, & deſperato forinſecus auxilio, eruptionem faciunt, & commiſſo prælio hoſtem vincunt, die 28. Junii, anno ab incarnatione Domini milleſimo nonageſimo octavo. Cecidiſſe feruntur in eo prælio hoſtium ultra centena millia, noſtrorum autem quatuor millia.

6. Profecti deinde Hieroſolymam, eam obſidione cinxerunt, tandemque ceperunt, anno Chriſti milleſimo nonageſimo nono [1099.] die 15. Julii, feria 6. Primus murum occupavit Godefridus dux, ſequuti ſunt reliqui cum militibus, & internecione occiderunt Saracenos. mox die 22. Julii principes unanimi conſenſu Godefridum elegerunt Hieroſolymorum regem. Quem Yvo Duchatius eximiis ſupra Alexandrum Macedonem laudibus effert, narratione quarta, cap. 15. Poſt quinque autem hebdomadas, cum Amiras Ægypti cognoviſſet Hieroſolymam eſſe captam, magnum exercitum eduxit Aſcalonem uſque: ſed Gothefridus relicto Hieroſolymis præſidio ipſi obviam proficiſcitur, & clariſſimam victoriam reportat die 12. Auguſti feria 6. ubi Robertus Normanniæ dux ducem hoſtium occidiſſe perhibetur. Æmilius refert, cæſa fuiſſe hoſtium plus centum millia. & prædam tantam partam, quanta non ante, ſi omnia hujus belli priora prælia in unum conferantur.

7. Bohemundo datus principatus Antiochiæ. Balduinus Godefridi frater Edeſſam & Samoſatum trans Euphratem obtinuit. Tancredo Godefridus dedit comitatum Tiberiadis. Poſtea Chriſtiani Latini arma circumferentes, etiam oram Paleſtinæ maritimam, in poteſtatem redegerunt: mariſque poſſeſſione parta, multiſque vicinis oppidis & regionibus partim è Turcica, partim è Saracenica dominatione ereptis, longè lateque imperarunt, à mari mediterraneo trans Euphratem porrecto imperio.

8. Poſt primam, quam commemoravimus, expeditionem, Hugo magnus, in Galliam reverſus, novas copias ingentes ex Europa in Aſiam duxit, comitantibus illum præclaris aliquot Ducibus & Comitibus. Sed à Turcis in Aſia minore circumventi ſunt, proditione, ut fertur, Alexii Græcorum Imperatoris, & ex illis copiis quinquaginta ferme millia deſiderata. Hugo elapſus, morbo deceſſit in Cilicia, Tarſi ſepultus in æde Pauli. Reliquiæ exercitus in Syriam pervenerunt.

9. Deinde anno Chriſti 1147. hortatu Eugenii tertii Papæ Romani, Conradus tertius Imperator, cum exercitu (ut quidam perhibent) ducentorum millium, in quo ad ſeptuaginta millia erant equitum cataphractorum, in Aſiam profectus eſt. Et ſuaſu Bernardi Abbatis Claravallenſis, eodem anno, Ludovicus hujus nominis ſeptimus, Francorum Rex cum ingentibus copiis ad idem ſacrum bellum ſe contulit. Wilelmus autem Tyri Epiſcopus, hiſtoriæ ſuæ de bello ſacro & regno Hieroſolymitano, lib. 16. cap. 19. de eiſdem exercitibus ſcribens; Nam (inquit) ut conſtanter aſſerunt qui in eadem expeditione præſentes fuerunt, in ſolo domini Imperatoris comitatu, ad ſeptuaginta millia fuerunt loricatorum, exceptis peditibus, parvulis & mulieribus, & equitibus levis armaturæ. In exercitu verò domini Regis Francorum, virorum fortium loricis utentium numerus, ad ſeptuaginta millia, excepta claſſe ſecunda, æſtimabatur. Quibus ſi propitia fuiſſet Domini gratia, univerſas Orientis provincias nomini potuiſſent Chriſtiano ſubjeciſſe. Sed eorum, ex occulto, juſto tamen judicio, ſprevit famulatum Dominus; nec habuit acceptum munus, quod indignis fortaſſe offerebant manibus. Hæc Wilelmus Tyrius. Rurſus eodem ſeculo, Fridericus Ænobarbus ſeu Barbaroſſa Imperator, nobiliſſimo validiſſimoque cum exercitu ex Germania ſigna movit, Aſiam verſus, anno Chriſti 1189. Mox ad eandem ſacram militiam magnos exercitus duxerunt Philippus, cognomento Auguſtus, Francorum Rex, & Richardus Angliæ Rex. Poſt hæc anno Domini 1227. expeditio ingens ex univerſa Europa in Paleſtinam ſuſcepta eſt. Ex ſola Anglia ſexaginta hominum millia ſe itineri commiſerunt. Et anno proximè ſequuto Fridericus, hujus nominis ſecundus, Imperator, Ptolemaidem cum exercitu pervenit.

10. Hieroſolyma, quæ Saladinus Saracenus Ægyptiorum Sultanus Chriſtianis ademerat anno Chriſti, 1189. Recuperavit Fridericus Imperator, anno Chriſti 1229. Poſt hæc Ludovicus 9. Francorum rex, pervenit in Ægyptum cum exercitu, anno Chriſti, 1249. & quinquennium in Oriente egit. hic ille eſt quem ſanctum Ludovicum vocant.

11. Poſtea tamen Chriſtiani illas regiones amiſerunt. Et Helpis Sultanus Ægyptius Tripolim, quam adhuc Chriſtiani obtinebant, eis ademit, anno Chriſti 1288. (quidam ſcribunt expugnatam eſſe hoc anno Tripolim à Sultano Babyloniæ Melech Meſſor.) Et tandem expugnatâ Ptolemaide à Meleſaite Sultano Ægyptio, (quidam ſcribunt, captam eſſe à Seraphe Sultano Babyloniæ) anno Chriſti, 1291. Syria penitus amiſſa eſt. De hac clade loquens Æmylius ait, Hic finis ſacri belli ſtatui poteſt. Nomen quidem manſit; ferrum aliis bellis ſtrictum. lib. 8. de rebus geſtis Francorum.

12. De hujus belli initiis ſcribens Calviſius ad annum Chriſti 1096. In Galliis, inquit, cum conveniſſent, qui expeditionem ſanctam in Paleſtinam ſuſcipere volebant; Papa eos juſſit ex rubra lana crucem facere, & humeris affigere. Fuit autem innumerabilis multitudo, qui hoc & ſequentibus annis Paleſtinam verſus profecti ſunt. Wilhelmus Malmesburienſis, qui tum vixit, putat ſi in una ſumma computentur, fuiſſe ad ſexagies centena millia. Hæc Calviſius. His adde numeroſos illos exercitus qui poſtea in Aſiam & Ægyptum ducebantur, & cogita quanta hominum ſtrages edita ſit illo bello. Nam perpauci domum reverſi ſunt, aut illic conſenuerunt.

*Crux ex lana rubra.*

*Innumerabilis Chriſtianorum multitudo bello ſacro conſumpta eſt.*

13. De Mameluchis dicebamus (ſupra cap. 15. §. 17. & §. 18. & §. 19.) eos ex Circaſſis à Sultano Ægyptio coëmptos Muhammedanam ſuperſtitionem didiciſſe, & Sultano militaſſe. Quidam à Melech Sala, alii à Saladino Sultano initium repetunt hujus commercii. Utut ſit, ipſi tandem Mameluchi regnum ad ſe traxerunt. Nam Elmutam Sultanus Ægypti, conjuratione à Turcomanis illis ſive Mameluchis in eum facta, confugit in turrim ligneam, quæ cum igne à Mameluchis ſubjecto arderet, præcipitem in proximum confluentem ſe dedit, ſemi-uſtulatus. Atque ita igne & aquâ periit, anno Chriſti 1244. Ei ſuffectus eſt unus ex Turcomanis ſive Mameluchis, Azeddin ibik. Ab eo tempore ſervi illi in Ægypto rerum potiri cœpere. ut ſcribit Zacuthi, apud Scaligerum lib. 2. can. Iſag. & apud Calviſium, anno Chriſti 1244.

*Mamluci potiti Ægypti & Syriæ imperio.*

14. Finito autem bello ſacro, Syriam ſimul cum Ægypto obtinuerunt Mameluchi. Eorumque imperium evertit Selymus Turcorum Imperator, qui Syriam illis ademit, occiſo in prælio Sultano eorum cui nomen erat Campſon Gauris, anno Chriſti 1516. & Ægyptum totumque ipſorum imperium in poteſtatem redegit, anno Chriſti 1517. Profligato eorum exercitu, captoque, &, in ipſa Ægypti urbe regia, reſte ſuſpenſo Sultano Tomambaio, quem in defuncti Campſonis locum ſuffecerant Mammeluchi. Expeditionem illam & victorias Selymi prolixè deſcriptas inveniet lector, apud Joannem Leunclavium, lib. 17. hiſtor. Muſulmanæ. Et in Annalibus Turcicis. Sic penitùs concidit Saracenorum in Oriente imperium.

*Mamlucorum imperium occupat Selymus Turcarum princeps.*

## CAPUT VIGESIMUM-PRIMUM.

### *De rerum Chriſtianarum ſtatu in Europa, tempore belli ſacri Aſiatici, aliiſque bellis, obtentu religionis, à Romana ſede ſuſcitatis, & de Concilio Lateranenſi ſub Innocentio Papa 3. Item de multis corruptelis, variiſque Monachorum ordinibus, & de perſequutione Valdenſium, ſub titulo etiam belli ſacri. Item de periodo Imperii Saracenici in Oriente.*

DUm in Aſia gereretur bellum illud ſacrum, à Chriſtianis Latinis adverſus Muhammedanos Turcas & Saracenos, Europa etiam inteſtinis bellis ardebat, dimicantibus inter ſe Chriſtianis. Præcipuè funeſto illo & diuturno bello inter Germanos Romanorum Imperatores & Pontifices Romanos, de Epiſcoporum inveſtitura, & de regno Neapolitano & Siculo, deque Imperii ipſius jure & ſuprema auctoritate, quam ſibi Romani Pontifices arrogabant, dandique & auferendi Imperii ſe penes arbitrium plenamque poteſtatem eſſe jactitabant. Hoc bellum Pontificium dictum eſt. Qui Pontificum partes ſequebantur, Guelfi dicti ſunt, Cæſariani verò appellati ſunt

*B. Rom. Pontificum, inter Guelphos & Gibellinos.*

ſunt Gibellini. (utriuſque nomenclaturæ originem invenies apud Æmylium lib. 7. de geſtis Francorum. in Ludovico 9.) Otto Friſingenſis ſcribens de belli hujus origine, ex diſcordia illa orta, inter Henricum quartum Imperatorem, & Hildebrandum, dictum Gregorium ſeptimum Papam, qui Henricum excommunicavit & regno privavit; ait nunquam antes à quoquam Pontifice hujuſmodi aliquid factum eſſe. lib. 6. Chron. cap. 35. Deinde calamitates & miſerias inde natas deplorans, ſequente capite; Quanta autem (inquit) mala, quot bella bellorumque diſcrimina inde ſubſecuta ſint, quoties miſera Roma obſeſſa, capta, vaſtata, quod Papa ſuper Papam, ſicut Rex ſuper Regem poſitus fuerit, tædet memorare. Denique tot mala, tot ſchiſmata, tot tam animarum, quam corporum pericula, hujus tempeſtatis turbo involvit, ut ſolus ex perſecutionis immanitate, ac temporis diuturnitate, ad humanæ miſeriæ infelicitatem ſufficeret comprobandam. Hæc Otto Epiſcopus Friſingenſis, in ſuo Chonico, lib. 5 cap. 36.

*Antichriſtus. 2. Theſſ. 2.*

2. Cogitent pii, prudentes, & æqui rerum æſtimatores, annon tunc homo ille peccati, filius perditionis, ille exlex, ab Apoſtolo prædictus, palàm ſe extulerit ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei tanquam Deus ſederet, præ ſe ferens ſe eſſe Deum. Tunc Papa Romanus omnes placitis ſuis non obedientes clamabat reos eſſe ſceleris idololatriæ, ut patet ex Gregorii ſeptimi verbis in ſynodo Romana, contra Henricum Imperatorem, anno Domini 1080. Imperatores & Reges, alioſque Principes, conſiliis ejus parum opportunos, Papa Romanus pro ſua libidine excommunicabat, exauctorabat, & eorum ſubditos à juramento fidelitatis abſolvebat, & ſanguinarias adverſus eos conjurationes & bella concitabat. Et quos armis domeſticis invictos comperiebat, eos procul in Aſiam, partim immodicis indulgentiarum pollicitationibus, partim propoſitis excommunicationis terroribus permotos ablegabat.

3. Abbas Urſpergenſis in ſuo Chronico, in annis Friderici ſecundi Imperatoris, ſcribit multos, exhortationibus illis ad expeditionem Syriacam ſuſcipiendam auditis, proniores effectos eſſe ad immaniſſima facinora & flagitia perpetranda: cum ſibi perſuaderent, ſe, per ſuſceptionem crucis militiæ illius ſacræ, innoxios futuros. Idem Abbas, in fine ejuſdem Chronici, ſcribit Gregorium nonum, Papam Romanum, captatâ occaſione abſentiæ Imperatoris Friderici ſecundi, terras ejus nefariò abſtuliſſe, ſibique ſubegiſſe. Videantur quæ ſcripſit idem Abbas in Friderico primo, qui Barbaroſſa dictus eſt, & in Henrico ſexto, & Philippo Imperatoribus; & inde uſque ad finem illius Chronici. Invenies Pontificum injurias, Chriſtianorum diſcordias, & paſſim, illis temporibus per Europam Occidentalem, dolos, perfidias, traditiones, incendia, bella, rapinas, latrocinia, perjuria, & his ſimilia mala, per Romanæ ſedis avaritiem, vafriciem, & tyrannidem concitata. Præſertim in eis quæ ſcripſit Abbas ille de geſtis & bellis Philippi Imperatoris.

4. Et expeditionibus etiam illis Aſiaticis, obtentu pietatis hoc agebatur, ut, quantocunque Chriſtiani ſanguinis diſpendio, Eccleſiis Orientalibus ii præficerentur Epiſcopi & Patriarchæ, qui Romani Pontificis jugo colla ſubmitterent. Et hoc præcipuè argumento motum Eugenium Papam Romanum, hujus nominis tertium, anteceſſorum ſuorum exempla revolventem, animaſſe homines ad hoc bellum proſequendum; teſtis eſt Otto Friſingenſis, lib. 1. de rebus geſtis Friderici I. Imper. cap. 34.

5. Oriente jam leges accipiente, vehementer adhuc Papæ Romani animum urebat æmulatio Conſtantinopolitana. In omnem igitur occaſionem ſubjugandæ illius Eccleſiæ intentus, opportunitatem ex inteſtinis Aulæ illius diſcordiis captavit Innocentius Papa tertius: & exercitus Latinus bello Syriaco deſtinatus, in Conſtantinopolitanos, inſtigante Papa Innocentio, verſus, urbem tandem & Imperium illud occupavit, anno Chriſti 1204. Fuſo Chriſtianorum cruore, & multis per militarem intemperiem patratis flagitiis, ut refert Nicetas Choniates, vir Senatorius, qui ipſe tunc erat Conſtantinopoli, quando à Latinis capta eſt: & hanc hiſtoriam accuratè deſcripſit. Et unus ex ducibus exercitus latini Balduinus Flandriæ comes, Imperator Conſtantinopolitanus ſalutatus eſt, annum agens ætatis ſuæ 32. vir ab ipſo hoſte, Niceta Choniate, laudatus, ob pietatem, juſtitiam, temperantiam, & continentiam, adeò ut ne adſpectu quidem impudico mulierem intuitus ſit, quamdiu à propria uxore abfuit: & bis qualibet hebdomade veſpere proclamari fecerit, ne quis in ſuo palatio cubaret qui alienum mulierem attingeret. Refert etiam Joannes Chryſoſtomus, Epiſcopus olim Conſtantinopolitanus, ſuo tempore (id eſt, circa annum Dom. 400. regnantibus Honorio & Arcadio, Auguſtis) lege cautum atq; obſervatum eſſe, ut in regiis ſeu palatiis Imperialibus ſi quis introductam meretricem cognoſceret, vel ebrietate vel aliâ hujuſmodi turpitudine dehoneſtaretur, ultimo afficeretur ſupplicio. Et infert Chryſoſtomus, multo magis ultimas pœnas luituros, qui talia audent in conſpectu illius Regis qui ubique præſens eſt, & omnia videt. Verſus de occupata à Francis & Venetis Conſtantinopoli, hos refert Calviſius:

*Bis ſex centenus erat annus, bis quoque binus,*
*Quo Conſtantini dominantur in urbe Latini.*

6. Tunc Conſtantinopolitanis datus Patriarcha ex Veneta nobilitate, Thomas Maurocenus, Balduinum Cæſarem inſignibus Auguſtalibus exornavit. Ita Eccleſia Græca in unum cum Latina coiit, Pontificiſque Romani dicto parere cœpit. inquit Paulus Æmylius, lib. 6. de rebus geſtis Francorum. in quo libro bellum illud Græcum prolixè & ab ovo repetit. De eodem ſcripſit Sabellicus, propè finem libri quinti Enneadis nonæ.

7. Summa eſt; Jſacium Angelum, Imperatorem Græcum, frater ipſius Alexius oculis & Imperio privavit, & Imperium ſibi ſumſit. Jſacii autem filius Alexius fugâ manus patrui evaſit; atque à quibuſdam ſuorum proceribus ad Imperatorem Teutonem Philippum, (qui Jrenen, Alexii hujus ſororem, Jſacii autem filiam in matrimonio ſuo habebat) alioſque Occidentis Principes, & ad Innocentium tertium Papam Romanum deductus, auxilium contra patruum Alexium, τὸν τῆς ἀρχῆς [illegible], imploravit: ampla adjutoribus præmia pollicens; & fidem jurejurando dans, fore, ut ſi ipſe cum Patre Imperium recuperaret, Eccleſia Conſtantinopolitana Romanæ ſubjiceretur. Hoc & qui cum comi-



comitabantur proceres jurarunt. Itaque Innocentius Pontifex Romanus admonet per oratores, per literas, duces bellicos in Aſiam tendentes, Græcos ad officium hac occaſione revocandos eſſe, ut jungantur cum Latinorum Eccleſia, ac Romanæ ſedi dicto audientes ſint. ſic facilius Turcos Saracenoſque tolli poſſe. His Papæ monitis, magnificiſque adoleſcentis Alexii pollicitationibus permoti proceres, omiſſis Syriacarum rerum conſiliis, hoc bellum ſuſcepere. Terra marique oppugnata Conſtantinopolis, fuſis tyranni copiis, quibus præerat Theodorus Laſcares, tyranni gener, & urbe ab Alexio tyranno generoque ejus Laſcare fuga elapſis relicta, educitur è carcere Jſacius Auguſtus, eique Imperium & filius reſtituuntur. Pacta filii rata habet ſenex Iſacius, qui intra paucos dies moritur. Conſtantinopolitani interim tumultuantur, quibus collatio ingentis pecuniæ Francis Venetiſque promiſſæ gravis viſa eſt, ſolitis exigere, non pendere. In primis verò ſubjectionem ſedi veteris Romæ averſabantur. Hoc animorum motu ad arma concurſum: ſeditionem fovit quidam Alexius Ducas, qui ob conjuncta ſupercilia Murtzoſlus dictus fuit. Hic à tumultuantibus Cæſar ſalutatus, Alexio Auguſto Iſacii filio ſpiritum oppreſſis faucibus intercluſit. Et juventutem adverſus Latinos armavit, urbemque munivit. Facto extra urbem prælio Græci fuſi, fugati, in urbem compulſi ſunt. Duodeſeptuaginta dies urbs acriter oppugnata eſt, tandemque victoribus Latinis patuit, Murtzuflo clam fugiente. Atque ita ex gente Gallica electus eſt Imperator Balduinus Flander, & ex gente Veneta Patriarcha Thomas Maurocenus, ut ſupra monuimus.

8. Balduinus autem inchoato ſecundo Imperii ſui anno, contra Valachos belligerans, inſidiis circumventus eſt, & à Valachis captus, & Ternobum (quæ Myſiæ primaria civitas eſt) perductus, & in carcerem conjectus, & vinculis uſque ad collum oneratus eſt. Et longo tempore, nempe ultra unius anni ſpatium, ibi detentus eſt: tandemque Joannis Valachi Myſiæ Principis juſſu, eductus eſt ad dirum ſupplicium, nam Tenedia ſecuri amputatis brachiis & tibiis, in vallem quandam præcipitatus eſt, ubi volucrum eſca jacens, tertio demum die miſerabiliter exſpiravit. Refert hæc Nicetas Choniates, ſub finem ſuorum Annalium. Ubi etiam ſcribit Latinos qui Conſtantinopolin tenebant, adminiſtraſſe Rempubl. ſine Imperatore annum unum, & menſes quatuor: neque conſenſiſſe ut alius quiſpiam Imperator conſtitueretur, antequam de Balduini morte ipſis certò conſtaret. Balduino autem extincto, Imperatorem factum eſſe ipſius Balduino fratrem Henricum. Quos autem Nicetas Choniates vocavit Βλάχους Valachos, iidem Nicephoro Gregoræ dicuntur Βούλγαροι Bulgari. Et eoſdem Laonicus Chalcocondylas vocat Tryballos, & Myſios, & Dacos.

9. Imperante Conſtantinopoli Henrico, Balduini fratre, Innocentius tertius Papa Romanus, exoptatam opportunitatem non negligendam ratus, pro oſtentatione œcumenicæ illius, quam ſibi Pontifices Romani vendicabant, præfecturæ & potentiæ, indixit ſynodum generalem: quæ celebrata eſt Romæ, præſidente memorato Innocentio Papa, anno Chriſti milleſimo ducenteſimo decimo quinto [1215.] In hac ſynodo præſentes in propriis perſonis aderant Conſtantinopolitanus & Hieroſolymitanus Patriarchæ; Antiochenus autem gravi languore detentus, venire non potuit, ſed miſit pro ſe vicarium Antheradenſem Epiſcopum. Alexandrinus verò ſub Saracenorum Dominio conſtitutus fecit quod potuit, mittens pro ſe Diaconum ſuum Germanum. ut ſcribit Abbas Urſpergenſis, in annis Ottonis quarti Imperatoris. Nempe eo tempore tres ſedes Patriarchales, Conſtantinopolis, Antiochia, Hieroſolyma Latinis parebant, & ſub Romanæ ſedis jugum per vim miſſæ erant.

10. At non diu duravit ea ſervitus: nam anno Chriſti 1237. Græca Eccleſia, eique adhærentes ab obedientia Pontificis Romani planè receſſerunt: hujuſque rei cauſas graviſſimas allegarunt: ut monet ex Matthæo Pariſienſi Calviſius, ad iſtum annum. quamvis Latini Imperium Conſtantinopolitanum adhuc obtinerent, quo poſtea excuſſi ſunt à Michaële Palæologo Imperatore Græco, anno Chriſti 1262. poſtquam eo potiti fuiſſent annis 58. menſibus 3. ſicut ex Annalibus Suevicis, & appendice Pariſienſis, & Nicephoro Gregora, annotat Calviſius in opere Chronologico.

*Reſilit Græca Eccleſia.*

*Græci recuperant Imperium Conſtantinopolitanum.*

11. Seriem verò Imperatorum, tum Græcorum qui Nicææ in Bithynia regiam ſibi amiſſa Conſtantinopoli, conſtituerunt, (ubi etiam ſuos Patriarchas Græcos Romano Pontifici non obedientes habuerunt) tum etiam Latinorum qui Conſtantinopoli regnarunt, & reſtitutæ Græcis Conſtantinopoleos hiſtoriam, luculenter ſcripſit Nicephorus Gregoras. Summa huc redit: Theodorus ille Laſcares, cujus ſuperius mentionem fecimus, Romanorum Imperator à Græcis ſalutatus, ſedem ſuam regiam Nicææ in Bithynia habuit, & aliquot provinciis imperavit. huic ſucceſſit Joannes Ducas, qui Irenen Theodori Laſcaris filiam in matrimonio habebat. Poſt cujus obitum imperavit ejuſdem Joannis Ducæ filius Theodorus Laſcares. Mortuo autem juniore iſto Theodoro Laſcare, Imperium accepit Comnenus Michaël Palæologus. Hic urbem Conſtantinopolim, pulſis Latinis, recuperavit. Balduino enim primo à Bulgaris capto & trucidato, ſucceſſit ejus frater Henricus. quem excepit Jolantæ (Balduini & Henrici ſororis) filius primogenitus Robertus, quo defuncto Imperium Conſtantinopolitanum ſuſcepit alter Jolantæ filius, ejuſdemque Roberti frater Balduinus. Regnante autem hoc poſteriore Balduino, Alexius Cæſar Strategopulus, cum exercitu octingentorum Bithynorum militum, à Michaële Palæologo Imperatore Græco contra Ætolos miſſus, cum mandato etiam infeſtandi Latinos, urbem ipſam Conſtantinopolim, ope quorundam Græcorum ibi degentium, clam ingreſſus eſt, eamque in ſuam poteſtatem redegit. Balduino in cymba fugam accipiente: & exercitu Latinorum in obſidione Daphnuſiæ oppidi, ad Euxinum pontum, mille ſtadiis ab urbe Conſtantinopolitana diſſiti, interim occupato. Intellectâ autem urbis amiſſione, omnes Latini conſcenſis navibus, Italiam verſus navigarunt, anno Dominicæ incarnationis milleſimoducenteſimo ſexageſimo ſecundo. Deſcribens deinde Nicephorus Gregoras (lib. 4. ſuæ hiſtoriæ Romanæ) ingreſſum Michaëlis Palæologi Imperatoris in urbem Conſtantinopolim, ait non prius ingreſſum eſſe Imperatorem, quàm divina imago ſacroſanctæ Deiparæ τῆς [illegible] portam quam auream vocant

*Imperatores Græci Nicææ regnantes.*

*Imperatores Latini Conſtantinopolitani.*

*Conſtantinopolis in Græcorum iterum poteſtatem redacta, pulſis Latinis.*

*Superſtitioſus cultus B. Virginis, & imaginis ejus.*

cant, ingreſſa eſſet. Ubi cum illi (Imagini vel Ὁδηγήτρια Mariæ Virgini) gratiæ hymnis actæ ſunt [ἀντὶ τῆς ἀρχαιρεσίας ἀποδόντας ὕμνους] tum demum pedibus ambulando ingreſſum eſſe Imperatorem, præcedente divina imagine Matris Dei [προηγουμένης τῆς θείας εἰκόνος τῆς Ὁδηγήτριας:] & in palatio quod hippodromo proximum eſt, habitare cœpiſſe. At nullam facit mentionem gratiarum Deo actarum. quod & mirum, & valde miſerandum.

*Cauſa earum iſtorum bellorum.*

12. Pontifices Romani illorum temporum, inſanâ dominandi libidine imitantes illum, qui ſpretis in ſociali gaudio Angelorum Legionibus, ad culmen conatus eſt ſingularitatis erumpere, omnem moverunt lapidem, ut nulli ſubeſſe, & ſoli omnibus præeſſe viderentur. quod antichriſtianum & diabolicum eſſe, affirmavit Gregorius primus Epiſcopus Romanus, lib. 4. epiſtolarum ex regiſtro, cap. 78. & cap. 82. Marcus Antonius Coccius Sabellicus, paullò poſt initium libri quarti Enneadis nonæ hiſtoriarum, ſcribit tempore Paſchalis ſecundi Papæ Romani, qui Urbano ſecundo, belli ſacri Syriaci autori, in Papatu ſucceſſit, Fluentinum Antiſtitem non dubitaſſe affirmare tunc natum eſſe Antichriſtum.

*Fluentinus de Antichriſto.*

*Papalis ambitionis fructus & adjumenta.*

13. Maduerunt Oriens & Occidens & interjacens Græcia Chriſtiano ſanguine, cadentibus innumeris Chriſtianorum myriadibus, & Reſpublicæ turbatæ, familiæ diſſipatæ, everſâ morum diſciplina, plurimi celebres Epiſcopi excommunicati ſunt, (qui viciſſim in Papam ſententiam eandem ſæpe retorſerunt,) cruentiſſimiſque bellis implicitus & miſerè agitatus eſt terrarum orbis, pro tuenda & amplificanda Romani Pontificis potentiâ. Interea dum obtentu religionis repetuntur pulverea terreſtris Hieroſolymæ rudera, inani quadam ſuperſtitione, ac ſi adhuc Hieroſolymis eſſet locus ille in quo oporteat adorare; cum Deus jam tempore Euangelii cultum in ſpiritu & veritate, ei quolibet in loco exhibitum, gratum habeat, neque ulli loco nos alligaverit. [Joan. 4. 20, 21, 22, 23, 24. & 1. Tim. 2, 8.] dum, inquam, iſta terrena rudera tanto ardore quæruntur, Cœleſtis Hieroſolyma, hic in terris militans, graviſſimâ tyrannide premitur, ejuſque ruinis ſurgunt mœnia Babylonis, pietas negligitur, mores peſſum eunt, honores ſoli Deo debiti, Angelis defunctiſque hominibus, eorumque reliquiis ſecurè deferuntur; imagines cultu religioſo adorantur; purgatorii ſomnium, indulgentiarum impia licentia, clavium abuſus, condigna operum merita, illimitata Papæ Romani potentia, & alia his affinia errorum portenta invaleſcunt. Caligo abyſſi omnia obfuſcat, & inde prodeunt numeroſa locuſtarum agmina, id eſt, ordines ſuperſtitioſorum hominum, religionem jactantium.

*Varii Monachorum ordines illis temporibus nati.*

14. Nam anno Chriſti 1084. paullò ante bellum ſacrum, cœpit ordo Monachorum Carthuſienſium, ut ſcribit Æmylius, lib. 3. Calviſius initium hujus ordinis refert ad annum Dom. 1086. tempore autem belli ſacri exorti ſunt ordines Ciſtercienſium, & Præmonſtratenſium, (de quibus duobus ordinibus ſcribit Æmylius lib. 5.) & humiliatorum (de quibus Sabellicus Ennead. 9. lib. 5.) & Carmelitarum (Calviſ. anno 1160. & an. 1170.) & Dominicanorum ſive Prædicatorum, & Franciſcanorum, ſive Minorum (de quibus duobus ordinibus vide Sabellic. Ennead. 9. initio libri 6. & Polydor. Vergil. lib. 7. de rerum inventoribus, cap. 4.) & Servorum Mariæ Virginis (de quibus ſcribit Polydorus Vergilius loco citato.) & fratrum almæ Trinitatis, (Sabellic. Ennead. 9. lib. 5. in fine.) hos Calviſius vocat fratres domus ſanctæ Trinitatis, ex Chronico Belgico, ad annum Chriſti 1199. & mendicantium Auguſtinienſium. (Calviſ. an. 1199.) & Monachorum mercenariorum (Calviſ. an. 1230. & Spondan. in ſuo Auctario chronologico, eodem anno 1230.) & fratrum de pœnitentia (Calviſ. an. 1251.) & flagellantium (Calviſ. an. 1260.) &c. ut omittam Templarios, alioſque enſiferos Monachos. de eis etiam ut nihil dicam, qui poſt bellum ſacrum exorti ſunt. de quibus vide Polydorum Vergilium, lib. 7. de invent. rerum, capitibus 4. & 5.

15. Locuſtarum illarum rex, Papa Romanus, ſe nomine illo dignum oſtendit, quod tanto ante ſancto Johanni revelatum eſt; revera enim fuit perditor ſeu deſtructor humani generis, id quod Hebraico nomine Abaddon, & Græco Apollyon ſignificatur. Apocal. 9. 11. dummodo enim ipſe profanum illud ſingularitatis culmen, calcato orbe, obtineret, nil penſi habuit, quantum Chriſtiani ſanguinis profunderetur. In eos autem qui nefariis ejus conatibus reſiſterent, excommunicationis fulmen jaciebat, & in quoſdam crucem ſacramque militiam proclamabat.

16. Hoc experti ſunt non ſolum Imperatores, & Reges, aliique Principes Chriſtiani, & illuſtrium Eccleſiarum Epiſcopi; ſed etiam illi tenuioris fortunæ homines, qui Valdenſes & Albigenſes, & pauperes de Lugduno, multiſque aliis cognomentis, per contemtum & ludibrium, ab hoſtibus appellantur. In hos, Pontificum mandata, mandatis Dei anteponere non ſuſtinentes, crux ſuſcepta eſt, juſſu Innocentii tertii Papæ Romani, anno Chriſti circiter 1209. & ſacræ militiæ vocabulo, ſacrilega veritatis Euangelicæ eique adhærentium perſequutio ornata eſt. Fax hujus belli fuit Dominicus Hiſpanus, ordinis Prædicatorum parens, ab Innocentio Papa ad accendendum hoc bellum miſſus. Simon comes Montfortius, militiæ illi in Gallia præfectus, multa martyrum millia, nullo ætatis ſexuſve habito diſcrimine, ferro flammaque, aliiſque mortis generibus, crudeliſſimè trucidavit. ut legere eſt apud Æmylium, lib. 6. de rebus geſtis Francorum: & Jacobum Auguſtum Thuanum, libro 6. hiſtoriarum, ad annum Dom. 1550. ubi, quænam revera fuerit cauſſa, ob quam Pontificibus exoſi belloque petiti fuerint Valdenſes, narrat Thuanus; nempe quod in opes, faſtum, ac vitia Pontificum liberius inveherentur; Romam dicerent veræ Chriſti fidei renunciaſſe, factamque jam Babylonicam meretricem; proinde non parendum Pontifici & Epiſcopis ejus errores foventibus: Monaſticam vitam (nempe prout tunc agebatur) Eccleſiæ ſentinam ac plutonium eſſe; vana illius vota, nec niſi fœdis puerorum amoribus ſervientia: Presbyterii ordines (tunc ſcilicet uſitatos, id eſt, miſſificos ſacrificatores) magnę beſtię, quæ in Apocalypſi commemoratur, notas eſſe: ignem Purgatorium, ſollemne ſacrum (id eſt, ſacrificium miſſæ) templorum



templorum encænia (tunc uſitata,) cultum Sanctorum, ac pro mortuis propitiatorium, Satanæ commenta eſſe. His præcipuis (ait Thuanus) ac certis eorum doctrinæ capitibus alia afficta, de conjugio, reſurrectione, animæ ſtatu poſt mortem, & de cibis.

17. Afficta ſunt iſta alia ad conflandum illis odium. Vera autem belli in eos ſuſcepti cauſſa fuit, quod Antichriſtianam tyrannidem & errores ſedis Romanæ averſarentur, & veraci Euangelii prædicatione populos ſenſim ab Antichriſti obedientiâ alienarent. Atque ita meretrix illa ſanguine ſanctorum & ſanguine Martyrum Jeſu ſe inebriavit; & beſtia illam ſuffulciens, cruore Chriſtianorum madens, colore coccino rubuit, plena nominibus blaſphemiæ: ſeduxitque incolas terræ, ut imaginem beſtiæ adorarent, & non adorantes occiderentur, & ut nemo poſſet emere aut vendere, niſi qui haberet characterem, aut nomen beſtiæ, aut numerum nominis ejus. Hic eſt ille Locuſtarum Rex, Angelus & claviger abyſſi, cui ex vero nomen eſt Hebraicè Abaddon; Græcè autem Apollyon.

*Apoc. 17.*

*Apoc. 13.*

*Apoc. 9.*

18. Non ſolum autem in Occidente, ſed etiam in Græcis Aſiaticiſque Eccleſiis fovebantur errores, regnabat ſuperſtitio, impietas graſſabatur. In hunc igitur modum exundante eorum, qui ſe Chriſtianos profitebantur, iniquitate, non mirum quod Deus, juſta irâ accenſus, quatuor illos angelos ad Euphratem vinctos ſolvi juſſerit. (Apocal. 9. in tuba ſexta) id eſt, Muhammedanos, præſertim Turcos in vicinis Euphrati regionibus, per inteſtinas ipſorum Muhammedanorum diſſenſiones, & Chriſtianorum in Aſia victorias, veluti in vinculis detentos, orbi Chriſtiano immiſerit, celeremque victoriarum curſum eis conceſſerit, adeò ut quamvis Saracenorum vires defecerint, Turci tamen eâdem ſuperſtitione imbuti, in eorum locum ſuccedentes, multis Chriſtianorum regnis, ipſoque Romanorum in Græcia & Oriente Imperio, ſub jugum miſſis, formidabile nationibus circumpoſitis imperium conſtituerint. De cujus Imperii Turcici Oſmanici auctibus antequam dicam, memor ſuſcepti argumenti aliquid monebo de periodo Imperii Saracenici in Oriente.

19. Tatarus Rex Chita, fratrem ſuum Halacho regem Irak & Meſopotamiæ conſtituit. Halacho igitur venit Bagded, eâque direptâ & vaſtatâ, Muſteatzem Chalipham interfecit. Ab eo tempore hactenus nullus fuit Chalipha in Bagded. Inquit Zacuthi, apud Scaligerum lib. 2. can. Iſag. Hanc expeditionem & Chaliphæ hujus necem Calviſius ait eveniſſe anno Chriſti 1258. Durante adhuc bello ſacro Syriaco. Ex eis etiam quæ ibidem & prius ad annum Chriſti 1253. & poſtea ad annum Chriſti 1260. annotat Calviſius. apparet Tatarum hunc Halach fuiſſe religione Chriſtianum.

*Periodus Chaliphatûs Babylonici.*

20. De Saracenico in Ægypto & Syria Regno à Mamelucis occupato, ejuſdemque per Selymum Turcam everſione, ſupra dictum eſt pro inſtituti noſtri ratione, in fine præcedentis capitis.

## CAPUT VIGESIMUM-SECUNDUM.

### *De Imperio Turcorum Oſmanico, ſive Othmanico.*

De initiis potentiæ Turcicæ, & occupatâ à Turcis Perſide, diximus cap. 19. hujus libri. Dicendum nunc de hodierni Turcorum Imperii Oſmanici origine & incrementis. Scripſit de his Laonicus Chalcocondylas libros decem. Extant etiam hac de re Annales Turcici, ab ipſis Turcis linguâ Turcica primùm ſcripti, & poſtea à Joanne Leunclavio, ex Gaudieri germanicâ tranſlatione, in Latinum ſermonem converſi, atque in lucem cum ſupplemento editi. Ejuſdem argumenti luculentam hiſtoriam Muſulmanicam ſcripſit Joannes Leunclavius. Chronica etiam Turcica collegit Philippus Lonicerus; adjectis variorum ſcriptorum, ut Petri Contareni, & Melchioris Soiteri, alioruumque hiſtoriis de rebus Turcicis. Seriem ſtrictim exhibebo.

2. Circa annum Chriſti 1200. (vel ſecundùm alios 1220.) apud Chitainos Tataros exortus humili loco Zengis quidam, (Zacuthi Gingiz vocat) Chan, id eſt, Princeps ampliſſimarum Scythiæ nationum, communibus Barbarorum ſuffragiis delectus fuit: & cum vicinos bello viciſſet, longè lateque jam Tataris ſuis jura dans, in Perſiam etiam, amplificandi Imperii cauſſa, cum ingentibus copiis irrupit. Turci, qui multos jam annos Perſiam tenuerant, jugum ejus pati aut fugâ ſibi conſulere coacti ſunt. In his quidam ex Tangrolipicis familiâ oriundus Sultanus Aladines in regionem Joniæ, quæ priſcis Cilicia, hodie Carmania dicitur, pervenit; novumque ibi regnum ſibi condidit, quod ab urbe regia Iconio Iconienſe, & à Regni conditore Aladinium dictum eſt; Conſtantinopolitanis Cęſaribus valdè infenſum.

*Regnum Sultanorum Iconienſium.*

3. Ex alia autem Turcorum familiâ, quæ Oguzia dicitur, Soleimanes Scachus, & ipſe Tatari violentiæ cedens, cum ſuis migravit, inito conſilio invadendæ Romaniæ, quod inaudiſſet iis in locis bella geri, & armis rem parari poſſe. Is Euphratem Fluvium ut equi natatu tranſmitteret, ingreſſus, & aquis obrutus expiravit. Ejus filius Ertogrul, aliis Ertucules dictus, locum ab Aladine Sultano Iconienſi impetravit, in quo ſe cum ſuis ſuſtentare poſſet. Unde finitimos Græcos perpetuis excurſionibus & rapinis infeſtavit. Tandemque, cùm ſuis ad quinquaginta duos annos præfuiſſet, excutius eſt rebus humanis, anno Chriſti 1289. Ertuculi ſucceſſit filius Othman ſive Oſman (à quo Othmanici ſive Oſmanidæ hodiéque dicuntur.) Hic diſſipati Imperii Aladinii magnam partem ad ſe traxit. Continuoque Oſman Pater, eiuſque filius Urchan arma in Chriſtianos expediunt, omnia latè populantur; agros eorum occupant; multos captivos abducunt: Iſnicam ſive Nicæam, expugnatam Græcis eripiunt, lateque per Phrygiam & Bithyniam Imperium proferunt. Ipſa etiam Pruſa, urbe opibus florente, fame domita & in poteſtatem redacta, quam Othman Regni ſedem conſtituit. Poſtea mortuus eſt Oſman, anno Chriſti 1328. exactis in regno, quod ſibi acquiſiverat, annis viginti novem.

*Familia Oguzia, Solimanes Scachus.*

*Ertucules.*

*Othman ſive Oſman. Vide ſupra cap. 17. §. 1. ubi de hujus nominis variâ pronunciatione.*

*Urchanes.* 4. Urchanes (ſive Orchanes) Oſmanis filius templa Chriſtianorum Niceæ ſeu Nicææ partim diruit, partim in Meſchitas ſeu templa Muhametana convertit: adjunctis ſcholis & Xenodochiis.

*Turcorum in Europam trajectus.* 5. Soleimanes Baſſa, Urchanis filius natu major, in Europam, vivo adhuc Patre, trajecit; ubi occupato primùm Zemenico caſtro, quod Chirodocaſtrum, id eſt, porcorum caſtrum Græcis dicitur, mox & Callipolin aliaque ſubjugat. Mortuus eſt duobus ante Patrem Urchanem menſibus, anno Chriſti 1358. Chalcocondylas tamen Soleimanem Patri defuncto ſucceſſiſſe ſcribit, & Hadrianopolin expugnaſſe.

*Murates.* 6. Succeſſit in Imperio Soleimanis frater Gaſes Murates Chan; is multa circum oppida Chriſtianis ademit, & Hadrianopolin ſibi ſedem regiam ſtatuit. Obiit occiſus à quodam

*Mos ducendi Legatos ad regem Turcarum.* Tryballo, in campo Coſobo, improviſa fraude; anno Chriſti 1390. Inde natum eſſe ajunt morem apud Turcos ducendi ad Sultanum Legatos, apprehenſis eorum brachiis.

*Bajaſites Gilderum.* 7. Bajaſites cognomento Gilderun, id eſt, fulmineus, mortuo Murate (ſive Amurathe) Patre, fratrem Jacupem Zelebim occidi juſſit.

*Parricidii initium in familia Oſmanica.* Tunc primùm hoc genus parricidii cœptum in ea familia, poſtea in hunc uſque diem manſit. Bajaſites autem, paterno potitus Regno, impigrè per Aſiam Europamque illud extendit. Sigiſmundum Hungariæ Regem (qui poſtea Cæſar factus) ingenti ad Nicopolin prælio ſuperavit; multis Chriſtianis partim ferro, partim Danubio flumine extinctis. Conſtantinopolin obſidione tam arctâ, tam pertinaci, cinxit, ut non prius pax facta ſit, quàm conceſſo Bajaſitis ſubditis jure inhabitandi vicum unum intra ipſa Conſtantinopolis mœnia. Ipſe tandem Gilderun, homo ſuperbiſſimus, ad Ancyram Galatiæ Aſiaticæ oppidum victus (anno Chriſti 1399.) in poteſtatem venit Temir Lanci, id

*Temir Lancus, qui & Tamberlanes dicitur.* eſt, Temir à Clandi, Tatari, quem corruptè Tamberlanem vocant. Hic Bajaſitem in ferrea cavea circumduxit, in qua etiam mortem ſibi conſcivit Bajaſites quadriennio poſt Ancyranum prælium.

*Muhammed 1.* 8. Gilderunis filius Sultanus Muchumetes, miſſis trans Danubium copiis, Valachiam vectigalem ſibi reddidit, multiſque aliis rebus geſtis, obiit anno Chriſti 1422.

*Murates 2.* 9. Hunc excepit filius Murates, (ſive Amurathes) hujus nominis ſecundus, qui Theſſalonicam Venetis eripuit; caſtella aliquot in Hungaria occupavit; & Uladiſlaum Hungariæ Regem, Juliani Cardinalis ab Eugenio 4. Papa Romano cum Mandatis ad eum rem miſſi, atque adeò ipſius Papæ Eugenii impulſu, fœdifragum, ingenti illa Varnenſi pugnâ victum occidit, anno Chriſti 1444. Belli illius Hungarici, & cladis Varnenſis, hiſtoriam ſcripſit Laonicus Chalcocondylas, in fine libri ſexti, & in principio libri ſeptimi, de rebus Turcicis. Ejuſ-

*Clades Varnenſis. Fides ſervanda.* dem etiam belli cladiſque Varnenſis hiſtoriam, in duos libros diſtributam, ſcripſit Petrus Callimachus Experiens, quam Callimachi hiſtoriam ſuis collectionibus inſeruit Philippus Lonicerus. Ruſus quadriennio poſt cladem Varnenſem, Murates Sultanus Turcicus Jancum ſive Joannem Hunniadem, commiſſo in planicie Coſovana prælio, fugavit. Quamvis in eo prælio ceciderint quadruplo plures Turci quàm Chriſtiani.

10. Murati ſucceſſit filius Muchumetes ſecundus: is ipſam Conſtantinopolin vi cepit, anno Chriſti 1453. die 29. Maji. Nec multo poſt per Valachiam, Moldaviam, Hungariam, Peloponeſum, Epirum, & Illyricum arma circumferens, in Italiam etiam Geducem Achmetem, Baſſam cum exercitu miſit, ibique Otranto, ſive Hydrunte, Apuliæ oppido potitus eſt, anno Chriſti 1480. Mox tamen anno ſequente, mortuo Muhammede Imperatore, & revocato Achmete, Itali Hydruntem recuperârunt, & præſidiarios Turcos omnes in captivitatem abduxerunt. Alii dimiſſos ſcribunt. Multa autem Hydrunte ediderat Geduces crudelitatis exempla. Inter alia, Archiepiſcopum, hominem ſenem, lignea ſerrâ diſſecuit. Mahammedes autem iſte qui Conſtantinopolin cepit, etiam aliud Græcorum in Aſia Imperium, nempe Trapezuntinum (à Trapezunte civitate regia in Ponto ſic dictum) evertit; & duodecim regna ſuæ poteſtati ſubjecit, & magnas urbes nominis Chriſti ducentas occupavit. Ob hæc primus Imperator Turcorum eſt appellatus, ut monet Joachimus Camerarius in ſuis Narrationibus Turcicis. Ubi addit mortuum eſſe Muhammedem hunc anno Chriſti 1481. & lætatos de ejus morte non hoſtes modò, ſed & ſuos, ob immenſam hominis crudelitatem.

11. Muhamedis Padiſcachi, id eſt, Imperatoris auditâ morte, itum eſt in factiones, contendentibus de Imperio duobus ejus filiis. Sed victor Bajaſites Imperio potitus eſt, & fratrem Zemem ad Chriſtianos Rhodios profugum, indeque in Franciam tranſvectum, è medio ſuſtulit operâ Muſtaphæ Begi, qui à Bajaſite miſſus, ſub prætextu perferendi ad Zemem expenſas annuas, cum veneno necavit: avectumque ſecum cadaver Burſam ſive Pruſam Bithyniæ oppidum deportavit, ibidemque pro more monumentis avitis intulit. Filius autem ejuſdem Sultani Zemis, nomine Caigubet Scachus, aliquot ante Patris ſui mortem annis, juſſu Bajaſitis, in arce nova Conſtantinopoli ſtrangulatus eſt.

12. Bellum geſſit Bajaſites cum Sultano Mirenſi ſive Ægyptio, ſed parum feliciter. Tandemque pax inter eos facta. Bajaſites jam ſenex, multos habens filios, dedit operam ut Achmetes filius ei ſuccederet. Sed alius filius Selymus, cognito Patris conſilio, Imperium favore Genitzarorum grandævo Patri Bajaſiti invito extorſit, anno Chriſti 1512. Deinde Patre veneno per medicum ſubornatum extincto, omnes fratres ſuos fratrumque filios, compreſſis laqueo eorum faucibus, familiari Oſmanidis genere mortis, interemit.

13. Hic Selymus ingentes de Kiſilbaſſis, id eſt, Sophianis Perſis, Perſarumque Rege Iſmaele Victorias reportavit. Et Kemachen ſive Camachum Armeniorum urbem, cum finitimis provinciis, in poteſtatem redegit. Et univerſam Principis Aladeulis ditionem, (in Aſia etiam ſitam) ſub jugum miſit, victo & occiſo Dulgadiroglio Regionis Aladeuliæ Principe. Idem Selymus, ſuperatis Mamelucis, Regna Syriæ & Ægypti Imperio ſuo adjunxit, anno Chriſti 1517. mortuus eſt ex fiſtula, ſive cancro, pugni magnitudine in dorſo exorto, anno Chriſti 1520. eo ipſo in loco, in quo cum patre ſuo Bajaſite ante paucos annos conflixe-



rat. Quidam peſte interfectum eſſe ſcribunt.

*Soleiman.* 14. Selimi mortuo ſucceſſit filius Soleiman. hic imperavit annos 46. Belegradum (quod & Alba Græca dicitur, & quibuſdam Taurunum) in limitibus Ziſorum (ſive Serviorum) & Hungarorum, ad confluentes amnes, Danubium Savumque, ſitum oppidum; regni Hungarici januam & propugnaculum, cepit, anno Chriſti 1521. & anno ſequente Inſulam Rhodum in poteſtatem ſuam redegit (cujus belli Rhodii hiſtoriam prolixè tribus libris à Jacobo Fontano Brugenſi perſcriptam invenies in collectionibus Loniceri, tom. 1.) Eodem tempore miſſus eſt à Soleimanno Ferhates Baſſa, qui Alim Principem Suvaroglium, è medio tolleret, ejuſque regionem in provinciæ formam redigeret. Principis illius ditio Maraſſum Metropolin habebat, urbem propter Euphratem Fluvium, in Armeniæ Cappadociæque finibus, Meſopotamiam verſus, ſitam: idemque ſuæ regionis intra limites longè ſpatioſiſſimo Aſiæ ſuperioris campos tunc poſſidebat. Erat autem ille Alis Begus antiquo majorum ſuorum jure legitimus & indicatæ modo ditionis, & Dulgadiriæ totius, tunc à Turcis majori ex parte poſſeſſæ; Dominus & hæres, velut ex Aladeulia familia Durgadiroglorum prognatus. Hunc licet religione Muſulmanum, & Turcis fidum, neque hoſtile quippiam ab eis ſibi metuentem, Ferhates Baſſa dolo cepit & occidit, cum quatuor filiis. ejuſque ditiones Oſmanidarum adjunxit Imperio.

15. Poſtea Soleiman Ludovicum Hungariæ Regem, commiſſo acri prælio, fugavit: & Rex ipſe in fuga ab equo decidente in palude oppreſſus eſt, anno Chriſti 1526. Proceres Hungarici & Bohemici, de novo Rege eligendo inter ſe diſcordes, in factiones abierunt. Major pars elegit Ferdinandum Auſtriacum, Caroli quinti Imperatoris fratrem, quod duxiſſet Annam Ludovici Regis occiſi ſororem. Hic Ferdinandus anno Chriſti 1527. coronatus eſt in Bohemia Rex Bohemiæ: eodemque anno, Budæ in Hungaria, coronatus eſt Rex Hungariæ, cum profligaſſet Joannem Zepuſienſem Principem Tranſſylvanum (ſive Erdeliæ Vaivodam, ſic enim Hungaris & Turcis appellatur Princeps Tranſſylvaniæ) quem altera factio in regem elegerat. Tranſſylvanus igitur rebus deſperatis auxilia à Solymanno Turcorum Imperatore petiit, paciſcens cum eo, ſi Rex Hungariæ conſtitueretur, ſe Vaſallum Soleimanni futurum. Atque ita per Chriſtianorum inter ſe diſcordias oblatam arripiens occaſionem Soleimannus Imperium ſuum per Hungariam amplia- vit. Venit cum exercitu Budam, (regni Hungarici principem urbem) eamque, trucidato præſidio, tradit Tranſſylvano, ulteriuſque progreſſus Viennam Auſtriæ obſidione cinxit. Quam Philippus Comes Palatinus, Imperatoris Caroli nomine, cum valido præſidio tam ſtrenuè defendit, ut Soleimannus re infectâ, & ingruente Hieme, obſidionem ſolvere coactus ſit. Ex regionibus igitur illis cum exercitus ſui reliquiis diſcedens, Conſtantinopolin abiit. Amiſiſſe dicitur Soleiman in illa obſidione urbis Viennæ, ad octoginta millia hominum: acciderunt hæc anno Chriſti 1529.

16. Reverſus poſtea cum ingentibus copiis Soleiman, anno Chriſti 1532. Hungariam longè latéque vaſtavit, uſque ad Alemanorum fines progreſſus. Sed Caſanem Waivodam, partis copiarum Turcicarum ductorem, Fridericus Palatinus forti animo aggreſſus occidit, & hoc fortitudinis exemplo ita ſuorum animos acuit, ut Waivodæ exercitum decem aut (ſecundùm aliquos) quindecim Turcorum millibus conſtantem propemodum ad internecionem deleverint. *Frideric. Palatini fortitudo & ſucceſſus.*

17. Mortuo Johanne Tranſſylvano, altero Hungariæ Rege, anno Chriſti 1540, cum ejus filius Patri in regni adminiſtratione nondum ſuccedere poſſet, per ætatis imbecillitatem; Regis defuncti vidua, pueri mater, Imperii ſummam in ſe, loco filii, tranſtulit. Indignantibus autem Proceribus, muliebris Imperii impatientibus, & Ferdinando Rege jus ſuum urgente, mulier opem Soleimanni implorat. Et hac occaſione Soleimannus cum copiis adveniens ingentem Hungarorum ſtragem edit. Et Budam cum magna Hungariæ parte ſuo vindicat Imperio; & abdicatam regno mulierem, cum filio in Tranſſylvaniam ablegat, anno Chriſti 1541. Poſtea alia Hungariæ oppida in ſuam poteſtatem redegit, eiſque judices dedit Turcicos, impoſitiſque præſidiis Turcicis ea munivit: ut Peſtum, & Strigonium (quod & Oſtrigonia & Granum dicitur) & Album regalem (quæ urbs & Stoni-Belegradum appellatur,) anno Chriſti 1543. & Temiſuarum, aliaque loca, anno Chriſti 1552. idem magna bella adverſus Perſas geſſit, & urbem Bagdatum ſive Seleuciam, finitimamque regionem, Imperio ſuo adjecit anno Chriſti 1534. Incommoda quoque non levia in expeditionibus Perſicis expertus eſt. *Solimannus Budam cum magna Hungariæ parte, & in Oriente urbem Bagdad cum finitima regione, Imperio ſuo adjicit.*

18. Narrationem tragicam de nece Muſtaphæ, qui fuit Soleimanni filius natu maximus, vir ſtrenuus, qui etiam ob conceptam de ejus virtute militari apud vulgus opinionem, & ob ætatis prærogativam, ſucceſſor Patri in Imperio deſtinabatur; de hujus, inquam, ſtrangulatione in tentorio paterno; juſſu patris, per mutos facinoris miniſtros peractâ, incitato ad illud parricidium Soleimanni animo technis uxoris ſuæ Roxolanæ (alii Roſam vocant,) quæ id moliebatur, ut, ſublato privigno ſuo Muſtapha, ſucceſſio in Imperium Oſmanicum ad aliquem ex ſuis filiis abſque controverſia pertineret; pepererat enim Soleimanno filios tres, Selimum, Bajaſitem, & Zeangirem: & de Zeangiris hujus ſive Giangiris; vehementer ſceleris illius immanitate offenſi, autoſphagia: tragicam, inquam, de his rebus narrationem invenies in collectionibus Loniceri, à Nicolao Burgundo ſcriptam: & apud Jacobum Auguſtum Thuanum, in fine libri duodecimi hiſtoriarum. Acciderunt iſtæ tragœdiæ de Muſtapha & Zeangire, anno Chriſti 1553. Supererant duo Soleimanni filii, nempe Selimus & Bajaſites. Hic ad Perſas profugus, non diu ſuperfuit. Filium autem Muſtaphæ Muhametem etiam ſtrangulari juſſit Soleiman. Solus igitur reſtabat Selimus: qui Patri Soleimanno in Imperio ſucceſſit, anno Chriſti 1566. *Tragœdiæ quædam evenerunt in familia Solimani.*

19. Hic Selimus, hujus nominis ſecundus, Cyprum inſulam Venetis ademit, anno Chriſti 1571. Ubi non ſolum crudeliter; ſed & perfidè ſe geſſerunt Turci, fidem Chriſtianis datam violantes. Sicut legere eſt in hiſtoria de illo bello ſcripta à Johanne Petro Contareno *Selimus 2. Cyprum capit. Turcæ perfidi & crudeles.*

Veneto, quæ exſtat in tomo ſecundo collectionum Philippi Loniceri, ubi etiam prælium illud navale, ad Naupactum, ſive Lepantum, in ſinu Corinthiaco commiſſum eodem illo anno Chriſti 1571. die 7. Octobris, paucis poſt amiſſam Cyprum menſibus: inſignemque illam Chriſtianorum de Turcis reportatam victoriam, prolixè deſcribit Contarenus. Quamvis hanc victoriam Chriſtiani non ſint proſequuti, neque Turcis regionem aliquam aut oppidum eripuerint. Interierunt autem (ut ſcribit Contarenus,) in ea pugna ex Chriſtianis 7656. quantum intelligi potuit; ex hoſtibus vero Turcis capti aut interfecti fuerunt viginti novem millia, nongenti, & nonaginta. Joannes Auſtriacus claſſis illius Chriſtianorum ſummus Imperator Alim Baſſam Turcicæ claſſis ſummum Imperatorem occidit, ejuſque triremem imperatoriam ſeu prætoriam occupavit. Ex hoſtium triremibus ceperunt noſtri centum & ſeptemdecim communes triremes, & tredecim triremes parvas. Præter haſce, hoſtium naves fuerunt etiam ſubmerſæ aut alio quovis modo deſtructę circiter octoginta: quæ fugâ evaſiſſent, quadraginta ferè putabantur. In ea navali expeditione, copiarum Pontificis Romani Pii quinti ductor & Imperator fuit Marcus Antonius Columna. Venetarum autem copiarum Imperator fuit Sebaſtianus Venierus. Copiarum autem à Rege Hiſpaniæ miſſarum, & totius hujus fœderis inter Pontificem & Hiſpanum & Venetos initi ſummus Imperator fuit: Joannes Auſtriacus, Caroli quinti Cæſaris filius nothus. Contigit autem ea victoria prope illum locum, quo ad Actium Promontorium, (ubi nunc Preveſa eſt Caſtellum, in oſtio ſinûs Ambracii ſitum) Auguſtus Cæſar olim Marcum Antonium & Cleopatram navali prælio ſuperavit.

*Prælium navale Lepantinum.*

20. Mortuo Selimo 2. ſucceſſit in Imperio Oſmanico, ejus filius Murates ſive Amurathes, hujus nominis tertius, anno Chriſti 1574. Hic, mortuo patre, ſtatim quinque fratres ſuos adoleſcentulos occidit. & imperavit annos 20. & menſes 6. Eique defuncto ſucceſſit filius Muhammed, hujus nominis tertius, anno Chriſti 1595. qui cum paternis exuviis ſimul ſepelivit octodecim fratres, ex concubinis natos, & ſtrangulatos. Succedit ipſi Achmet filius, anno Chriſti 1604. huic ſucceſſit frater Muſtapha, anno Chriſti 1617. quo in carcerem, eodem anno poſt duos circiter menſes, conjecto, regnavit Oſman Achmetis filius. Hic Sigiſmundo Poloniæ Regi bellum intulit, anno Chriſti 1621. à qua expeditione Polonica reverſo Oſmane, Genizeri Muſtapham è cuſtodia eduxerunt, & in regni ſolio collocarunt. Oſman autem miſere ſtrangulatus eſt. Poſtea etiam detruſo Muſtapha, ſuffecerunt Amurathem Oſmanis ſtrangulati fratrem.

*Amurathes 3. Muhammed 3. Achmet. Oſman. Muſtapha. Amurathes 4.*

## CAPUT VIGESIMUM-TERTIUM.

*De Scirifiis Marochianis: & de hodierno Muhammedanorum ſtatu, quoad poſſeſſionum amplitudinem. Item, de eorum futura ad Chriſtianiſmum converſione.*

DE Muhammedanis Regibus in Africa, & nupero Scirifiorum (ſeu Seriphum) imperio in Marocci & Feſſæ regnis, in Mauritania Tingitana ſitis, diligenter ſcripſit Jac. Aug. Thuanus lib. 7. hiſtoriarum. vocat ille Scirifios à quodam Scirifio, qui ad ipſum Pſeudo-prophetam Muhammedem genus ſuum referebat: Autorque fuit filiis ſuis affectandi regnum, ſub obtentu defendendæ religionis, ſeculo proximè elapſo. Hametes igitur filius ejus natu major Marochi regnum occupavit; & alter filius natu minor Muhamedes, Suſiam provinciam ſui juris fecit, ejuſque Rex dici voluit. Feſſano tamen regi fidem de tributo annuo pendendo obſtrinxerunt. Sed mox, auctâ potentiâ, tributum recuſarunt, juſſeruntque Regi Feſſæ renunciari, ſe ab omni tributo immunes eſſe, quippe legitimos Muhamedis (Pſeudo-prophetam peſtiferæ ſectæ auctorem intellige) hæredes, quibus plus juris in Africano Imperio eſſet, quàm Regi ipſi. Ortâ autem inter fratres Scirifios diſcordiâ, minor natu Muhametes, devicto fratre, Marochum occupavit. Mox bellum Regi Feſſæ indixit, eoque in poteſtatem redacto, tandemque occiſo, omnia illa regna poſſedit, circa annum Chriſti 1548.

2. Scirifii, ſeu Serifes, dici voluiſſe videntur, propter originem à Muhamete pſeudopropheta, quaſi legitimi principes & Muhamedis hæredes. *Serif* enim, ſeu *Scrif*, eſt honoris & nobilitatis vocabulum, ut monuimus ſupra, cap. 15. §. 21. Idcirco Principem illum, cujus imperio Mecca, Arabiæ urbs, Muſulmanis urbs ſacra, Deique domus dicta, paret, quem familia Prophetæ ſui Muhametis ortum planè ſibi perſuadent, vocant Scriphem: ut ſcribit Leunclavius, lib. 17. hiſtoriæ Muſulmanicæ. Et quia Turcorum Imperator, licet non ex Muhametis ſtirpe oriundus, ſe tamen pro legitimo ejus hærede agnoſci vult, ideo & Serif à ſuis ſalutatur. ſicut ex Leunclavio monebamus ſuprà, cap. 15. §. 21. Alla Jeniſar Serif. id eſt, Deus ſervet Seriſem. acclamatio eſt apud Turcos uſitata, qua Genizeri aliique miniſtri bene precantur Regi ſuo.

3. De gente illa Scirifiorum, ſeu Seriſum, eſt hodiernus Feſſæ & Marochi Rex. Qui longè lateque imperat in Mauritania Tingitana, quæ ad occidentem Oceano Atlantico, ad ſeptentrionem verò freto Herculeo, mariſque mediterranei parte, terminatur.

4. Reliqua Africæ ora maritima ſeptemtrionalis, quæ à Mauritania Tingitana Orientem verſus protenditur, paret hodiè Sultano Turcico. nempe Mauritania Cæſarienſis, ſeu Tremezenum regnum, cujus regni primaria urbs eſt Algeria, quæ olim dicta eſt Julia Cæſarea: & inde ad Orientem, regnum Tunetanum, (olim Africa, hodie nonnullis Barbaria dicitur, quibuſdam Barbariæ pars eſt.) ſequitur Cyrene, & Marmarica, & Barcæa terra, ac denique Ægyptus.

5. Quas autem in Europa & Africa & Aſia regiones hodie obtineant Muhammedani, accuratè deſcribit Edvardus Brerevvodus, Anglus, in ſua inveſtigatione linguarum ac religionum, cap. 11. qui etiam in eodem opere, cap. 14. initâ ratione, qua proportionem inveſtigat partium terræ inter ſe, per Europam, Aſiam, Africam, & Americam, quæ vel à Chriſtianis, vel à Muhammedanis, vel à Paganis idolorum cultoribus poſſidentur, tandem colligit hanc proportionem: Si cognitas mundi regiones (videlicet Europam, Aſiam, Africam, & Americam, eiſque contributas inſulas) dividamus in triginta portiones æquales; Chriſtiani poſſident portiones quinque, Muhammedani portiones ſex, idololatræ ſive Pagani portiones novemdecim. Quamvis interim omittas conſiderationem terræ Auſtralis ſeu Antarcticæ, quam Magellanicam vocant.



*Matth. 9. 37.38. & cap. 24. verſ. 14.* 6. Ampla quidem eſt meſſis, operarii autem pauci: Rogemus igitur Dominum meſſis, ut emittat operarios in meſſem ſuam. Prædicabitur hoc Euangelium Regni in univerſo terrarum orbe, in teſtimonium omnibus gentibus; & tunc veniet finis. Interea, ne timeas tu parve grex, nam complacitum eſt Patri veſtro dare vobis regnum. Introite per anguſtam portam; quoniam lata eſt porta, & ſpatioſa via quæ abducit in exitium, multique ſunt qui introeunt per eam; quia anguſta eſt porta, & ſtricta via quæ abducit in vitam, & pauci ſunt qui inveniunt eam. Ecce venit [ Dominus ] cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, etiam qui eum transfixerunt: & plangent coram eo omnes tribus terræ: etiam, Amen. Quiſquis credit in eum, non pudefiet.

*Luc. 12. 32.* *Matth. 7. 13.14.* *Apocal. 1. 7.* *Rom. 10. 11.*

7. Corruptelæ apud Chriſtianos, publicâ profeſſione conſpicuæ, præſertim verò imaginum & creaturarum religioſa adoratio, & miſſalis tranſſubſtantiatio, hoſtiæque cultus, Judæos & Muhammedanos à Chriſtiana religione reddunt alieniores. Quibus ſordibus per reformationem ex Eccleſia tandem exploſis, & in ordinem redacto Antichriſto Romano, earum obſtinatiſſimo & crudeliſſimo propugnatore, via pateſiet Judæis, & Muhammedanis, qua inoffenſo pede ad Eccleſiam accedant, depoſitiſque ſuis erroribus, & abjecta contumacia, Domino noſtro Jeſu Chriſto nomina ſua dent. Sicut prædictum eſt in Apocalypſi, cap. 16. in phiala ſexta. In quem locum conſule reverendiſſimi Patris mei commentarium, ſectione 9. & ſequentibus. Tunc ingreſſam cernere erit gentium plenitudinem; totuſque Iſrael ſervabitur. tunc concordi jubilo cantabitur ab univerſa Eccleſia illud quadruplex Hallelujah: de quo legimus in Apocalypſi, initio capitis 19. in quem etiam locum vide genitoris mei Commentarium. Nos iſta legentes imitemur ſanctum Prophetam Danielem, qui perſpecto, ex Hieremiæ vaticinio, propoſito Dei benigno & miſericordi erga populum ſuum, feriis ſupplicationibus maturam ejus executionem à Deo efflagitavit. O altitudo divitiarum tum ſapientiæ tum cognitionis Dei! quàm inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & imperveſtigabiles viæ ejus! quis enim cognovit mentem Domini? aut quis conſiliarius ejus fuit? aut quis prior dedit ei, & reddetur ei? Quoniam ex eo, & per eum, & in ipſum ſunt omnia. Ipſi ſit gloria in ſecula! *Amen.*

*Scandala apud Chriſtianos impedientia converſionem Judæorum & Muhammedanorum.* *Rom. 11. 25.26. Converſio Omnium gentium.* *Dan. 9.* *Rom. 11. 33.34.35.*

# INSTRUCTIONUM HISTORICO-THEOLOGICARUM LIBER QUINTUS, DE MONOTHELITIS, & de Honorio Papa Romano, hæretico Monothelita.

## CAPUT PRIMUM.

*De ortu hæreſeos Monothelitarum, & occaſione Synodorum contra eam hæreſin. Ex tomis Conciliorum, & ex Georgii Cedreni compendio hiſtoriarum, & ex annalibus Ioannis Zonaræ, & Chronico Abbatis Urſpergenſis, in Heraclio Imper. ejuſque poſteris; & ex Platina de vitis Pontificum, & ex faſciculo temporum, & ex Onuphrii lib. 1. De Pontificum & Cardinalium creatione; & ex Calviſio, & aliis.*

HEraclius Imperator, defenſor orthodoxæ fidei & quinque œcumenicorum Conciliorum, cum poſt bellum Perſicum, verſaretur Edeſſæ, vel, ſecundùm Cedrenum, Hierapoli, vel, ut ſcribit Zonaras, Hieroſolymis, in colloquium deſcendit cum Athanaſio quodam natione Syro (Paulum vocat Sergius in ſua ad Honorium epiſtolâ, quæ exſtat in duodecima actione Synodi ſextæ œcumenicæ) viro eloquente & callido, quem Cedrenus & Zonaras, & Wernerus Rolivingus Carthuſianus auctor faſciculi temporum, dicunt fuiſſe Jacobitarum Catholicum ſeu Patriarcham. Sergius ait eum fuiſſe unum ex Principibus impiæ partis Severi hæretici. Hunc ad rectam fidem pertrahere volebat Imperator Heraclius, promittens ei Patriarchalem ſedem Antiochenæ Eccleſiæ, ſi Concilium Chalcedonenſe reciperet, & duas in Chriſto naturas inconfusè unitas confiteretur. Cupiens igitur Imperatori placere ille Athanaſius, ſive Paulus, profeſſus eſt ſe recipere Chalcedonenſe Concilium, & duas agnoſcere in Chriſto naturas inconfusè unitas. In illo autem colloquio facta eſt mentio unius voluntatis & unius operationis Chriſti. Imperator de hac quæſtione conſuluit Cyrum, tunc quidem Phaſidis, quæ Lazorum provinciæ metropolis erat, poſtea verò Alexandriæ Epiſcopum, & Sergium Epiſcopum Conſtantinopolitanum, quos cùm de una voluntate & una operatione conſentientes videret, ipſe etiam eandem tenuit ſententiam. Hæc eſt illa hæreſis Monothelitarum, qui ore tenus confitentes duas in Chriſto naturas, earum tamen veram diſtinctionem ac diverſitatem reipſâ tollebant, confundentes voluntates, & confundentes operationes, non agnoſcentes niſi unam Chriſti voluntatem, & unam operationem.

*Exortus hæreſeos Monothelitarum.*

2. Cum autem huic dogmati, à Sophronio Epiſcopo Hieroſolymitano, multiſque aliis, vehementer contradici animadverterent, operam dederunt, ut de una vel duabus operationibus diſputatio prohiberetur, & ut nemini liceret dicere duas voluntates, ſed ut omnes unam voluntatem palàm profiterentur. Cyro & Sergio conſenſit Honorius, hujus nominis primus, qui tunc Romanæ Eccleſiæ præerat Epiſcopus. Quò igitur majore auctoritate hæc doctrina omnibus obtruderetur, neque cuiquam contradicendi libertas relinqueretur, effecit Sergius ut fidei declaratio ſeu expoſitio, ἔκθεσις dicta, nomine Imperatoris Heraclii promulgaretur, hanc Monothelitarum doctrinam complectens, eandemque omnibus Chriſtianis commendans, ut, nimirum, de una & de duabus operationibus ſilentes, unam voluntatem apertè omnes profiterentur. Exſtat ea Ecthesis in Actis Synodi Lateranenſis, Præſide Martino primo Papa Romano celebratæ, in ſecretario ſeu conſultatione tertia. Sergius, habito Epiſcoporum Concilio, Ecthesin eam approbatione Synodicâ confirmavit. Idemque rurſum fecit Pyrrhus ſucceſſor Sergii. Et eandem Ecthesin recepit atque laudavit Cyrus Alexandriæ Epiſcopus, datis ea de re ad Sergium literis, ut legere eſt in tertio ſecretario Concilii illius Lateranenſis, Martino præſidente celebrati. At eam Ecthesin damnavit Joannes, hujus nominis quartus, Epiſcopus Romanus, cum ſua ſynodo; idemque fecerunt Theodorus & Martinus, ſucceſſores Joannis.

3. Priuſquam verò progrediar, haud alienum erit ſucceſſionem per illa tempora indicare, tum in Romano Imperio, tum in utriuſque Romæ Epiſcopatu.



4. Mauritii Imperatoris interfector & ſucceſſor Phocas *fecit Romam matrem Eccleſiarum*, ut loquitur Urſpergenſis in annis Phocæ. Phocam occidit Heraclius, anno Domini 612. ſecundùm Urſpergenſem. Calviſius autem hoc factum refert anno Dom. 610. Regnavit Heraclius (ſecundùm Cedrenum & Zonaram) annos 31. Genuit ex conjuge ſua Eudoxia Auguſta Filium Conſtantinum. Mortuâ autem Eudoxia, neptem ſuam ſororis ſuæ filiam, Martinam inceſto connubio ſibi ſociavit: de qua etiam ſuſcepit filium qui Heracleones dictus eſt. Scribunt autem Cedrenus & Zonaras, Heraclii poſtea aquâ intercute laborantis virgam virilem morbi violentiâ ſurſum actam eſſe, adeò ut urina exiens in ipſius faciem ferretur, ideoque quando mingebat, tabella ſuper ventrem interpoſita vim ſalientis urinæ prohibuiſſe à facie. Id quod ei Divina providentiâ inflictum exiſtimabatur, propter inceſtum coitum cum ſororis ſuæ filia Martina. Piè autem creditur cum hac caſtigatione correctum reſipuiſſe.

5. Heraclio ex hydrope mortuo, circa annum Domini 640. ſucceſſit in Imperio filius Conſtantinus, quem de religione rectè ſenſiſſe ſcribit Zonaras. Hunc Conſtantinum, poſtquam quatuor menſes regnaſſet, Martina noverca veneno ſuſtulit: ipſaque cum filio ſuo Heracleone regnavit menſes ſex: tunc ſenatus populuſque Conſtantinopolitanus indignatione commotus, Martinam & Heracleonem captos, hunc naſo, illam linguâ truncarunt, & in exſilium expulerunt: & Conſtantem Conſtantini filium, Heraclii nepotem, Imperatorem ſalutârunt.

6. Conſtans creatus eſt Imperator ſub initium anni Domini 642. Favit Monothelitis; tandem tamen eum reſipuiſſe, & hæreſin abdicaſſe, ſcribit Urſpergenſis. Id ipſum quoque ſcribit Otto Friſingenſis, in ſuo Chronico, lib. 5. cap. 11. ubi etiam ait hunc Conſtantem in animo habuiſſe transferre Imperium ad urbem Romam antiquam; eo quod Conſtantinopolitanos qui ei de ſacrilegio in Martinum Papam commiſſo conſilium dederant, tanquam hæreticorum fautores exoſos haberet. De eadem Conſtantis intentione transferendi Imperium meminit etiam Zonaras. Regnavit Conſtans annos 27. Hic Imperator cum eſſet in Sicilia, Syracuſis, in balneo, ab Andrea quodam, ſitula in caput ejus graviter impactâ, trucidatus eſt, anno Dom. 669. ſecundum Urſpergenſem, alii referunt ad annum 668.

7. Exercitus qui in Sicilia cum Imperatore erat, compertâ ejus morte, ne ſine Imperatore eſſet, Armenium quendam, nomine Mitium ſeu Mizizium, elegit Imperatorem, eo quod valdè ſpecioſus & decorus eſſet. At Conſtantinus, Conſtantis filius, auditâ patris nece, ingentem claſſem properè inſtruxit, & in Siciliam adveniens, Mitium vicit & occidit, & interfectores Patris ſui interfecit. Sumtoque ſecum patris cadavere, Conſtantinopolin rediit; &, partim cum fratribus ſuis Tiberio & Heraclio, partim ſolus, regnavit annos ſeptemdecim: ut ſcribunt Cedrenus & Zonaras. At in actis ſextæ ſynodi œcumenicæ, ſcribitur actionem primam illius Synodi habitam eſſe anno 27. Imperii hujus Conſtantini; & actionem decimam-octavam ſeu ultimam, anno 28. ejuſdem Conſtantini. Connumeratis ſcilicet etiam illis annis, quibus cum patre ſuo Conſtante regnavit Conſtantinus.

8. Hic Conſtantinus Auguſtus, hujus nominis quartus, eo quod Conſtantinopoli imberbis diſceſſiſſet, ulturus necem patris, & tyrannum Nicium aggreſſurus, & paullò poſt Conſtantinopolim Barbatus rediiſſet, dictus eſt cognomento Pogonatus, id eſt, Barbatus. Fuit Catholicæ fidei defenſor, & hæreſeos Monothelitarum adverſarius: convocavit ſextam œcumenicam Synodum, in qua damnata eſt hæreſis Monothelitarum, anno Dominicæ incarnationis 681. Huic ſucceſſit filius Juſtinianus, de quo vide cap. 5. & cap. 23.

*Cur dictus ſit Pogonatus.*

9. Imperante Heraclio, antiquæ Romæ Epiſcopatum obtinebat Honorius primus, quo mortuo, anno Dominicæ incarnationis 635. (alii ejus mortem referunt ad annum 638.) vacavit ea ſedes menſes novem, & dies 17. Poſtea electus eſt Severinus. Interea Ecthesin illam nomine Heraclii Imperatoris conſcriptam Sergius Epiſcopus Conſtantinopolitanus Romam mittit, ut novus Papa ab Imperatore confirmandus ei ſubſcribat: ſed Severinus, qui electus erat, hanc Ecthesin improbat. Ideo non confirmatur. Neque diu ſuperfuit Severinus, moleſtiis multis affectus, & mœrore animi gravatus: mortuus eſt anno Dominicæ incarnationis 638. vel ſecundùm alios, anno 639. eo mortuo vacavit ſedes fere quinque menſes. Succedit Joannes, hujus nominis quartus. Interea moritur Sergius Epiſcopus Conſtantinopolitanus, eique Eccleſiæ præficitur Pyrrhus, etiam Monothelita. Joannes autem Epiſcopus Romanus ab Imperatore confirmatus, convocat Synodum Romæ, proponitque Ecthesin ab Imperatore miſſam, eamque examinatam cum Epiſcopis damnat. Idemque poſtea faciunt Epiſcopi in Africa. Neque id ægrè ferre viſus Heraclius. Sedit Joannes annum duntaxat unum, & menſes novem, & aliquot dies. Eique defuncto ſucceſſit Theodorus, anno Dom. 640. vel (ſecundùm alios) 641. qui ſedit annos ſex, menſes quinque, dies decem & octo, ſicut de eo ſcripſerunt Anaſtaſius; & Platina, & Onuphrius: at eum ſediſſe annos ſeptem & aliquot prætérea menſes, aſſerunt, cum Baronio, Binius & Calviſius.

*Epiſcopi Romani.*

*Moritur Sergius Epiſcopus Conſtantinop. eique ſuccedit Pyrrhus.*

10. Interea Pyrrhus, Epiſcopus Conſtantinopolitanus, eo quod particeps haberetur ſceleris in extinctione Conſtantini tertii Imperatoris, quem diximus à Martina veneno propinato peremtum eſſe, & incenſos contra ſe perſpiceret animos ſenatus populique Conſtantinopolitani, juſſuſque eſſet exſulare; ſeceſſit in Africam, poſtquam ſediſſet annis fere tribus. In ejus abdicati locum ſuffectus eſt Paulus, etiam hæreticus Monothelita, anno Dom. 642. qui ſedit annis duodecim.

*Exſulat Pyrrhus, & ſuccedit Paulus.*

11. Hujus Pauli ſuaſu, Conſtans Imperator propoſuit Edictum, quod Typum appellavit, in quo approbans quinque œcumenica Concilia, eorumque dogmata & decreta laudans, ceſſare juſſit omnem contentionem de una Chriſti voluntate aut una operatione, vel de duabus voluntatibus aut duabus operationibus,

*Typus Conſtantis.*

bus, & utrique parti ſilentium injunxit. Hoc ideo ſuaſit Paulus, quia videbat dogmati Monothelitarum (quod ipſe tenebat) vehementer contradici in multis Eccleſiis. Extat Typus ille in actis Concilii Lateranenſis ſub Martino Papa primo contra Monothelitarum hæreſin celebrati, in ſecretario ſeu conſultatione quartâ illius Concilii. In eodem etiam ſecretario exſtat epiſtola Pauli illius ad Theodorum Epiſcopum Romanum, quâ eum ad concordiam & charitatem & humilitatem & pacem hortatur, & profitetur ſe unam voluntatem Domini noſtri Chriſti intelligere, ne contrarietatem aut differentiam voluntatum uni eidemque perſonæ Domini noſtri Jeſu Chriſti applicet, aut ipſum ſe expugnantem dogmatizet, aut duos volentes introducat. In eadem etiam epiſtola profitetur ſe nihil ſuum proferre vel dicere, ſed quæ audivit & cognovit à ſanctis & univerſalibus magnis Conciliis, & Patres enarraverunt. Theodorus Papa Romanus, convocato Concilio, Typum damnavit, & Paulum Epiſcopum Conſtantinopolitanum per literas & per Apocriſiarios hortatus eſt ut ab hæreſi recederet, & nihil apud pertinacem hæreticum proficiens, anathemate eum percuſſit, & depoſitionis ſententiam contra eum tulit.

*Martinus primus Epiſcop. Rom. & Martyr.*

12. Theodoro Papæ Romano ſucceſſit Martinus, hujus nominis primus, qui etiam, Legatis Conſtantinopolin miſſis, Paulum hortatus eſt ut, relictis erroribus ſuis aliquando cederet veritati; is autem non modò Martino bene monenti non obtemperavit, ſed etiam ejus Legatos, Conſtantis Imperatoris autoritate abutens, partim in vincula conjectos, partim in exſilium pulſos, contumelioſiſſimè habuit. Quamobrem indignatus Martinus, Synodum centum & quinque Epiſcoporum Romæ celebravit, anno Dom. 649. in qua Typus Conſtantis, cum Heraclii Ecthesi, damnatus, & in Sergium, & Pyrrhum, & Paulum, Epiſcopos Conſtantinopolitanos, & Cyrum Epiſcopum Alexandrinum, tanquam hæreticos, condemnationis ſententia pronunciata eſt; inſtigante etiam Maximo Abbate, viro pio & Catholico, & Monothelitarum hæreſeos acri oppugnatore. Quâ re auditâ, Conſtans Imperator, à Paulo ſeductus, miſſo Theodoro, cognomento Calliopa, Ravennæ Exarcho, Martinum Papam, & poſtea etiam Maximum Abbatem, Conſtantinopolim fecit adduci; & Martinum in Ponti urbem Cherſonam exſulatum miſit, ubi rerum neceſſariarum penuriâ graviter afflictus exſpiravit; anno Dom. 654. Maximum autem manu linguâque truncatum relegavit: atque deinde Maximus mortuus eſt in exſilio, anno Dom. 660.

*Maximus Abbas & Martyr.*

*Epiſcopi Conſtantinopolitani.*

13. Paulo mortuo, revocatus Pyrrhus ſede Conſtantinopolitana per quatuor menſes potitus eſt. Deinde, mortuo Pyrrho, ſedem eam obtinuit Petrus, etiam Monothelita. quo poſt annos duodecim mortuo, ſucceſſit Thomas, orthodoxus, teſte Zonara. Sedit Thomas annos 2. & menſes 7. teſte Nicephoro Patriarcha, in ſua Chronologia. Poſt Thomam, Joannes, hujus nominis quintus, ſedit annos 5. & menſes novem. Deinde Conſtantinus annum unum, menſes undecim, dies ſeptem. Poſt quem ſedit Theodorus Syncellus, annos duos, menſes tres. Vel, (ut monet Baronius, ad annum Chriſti 677.) annos 12. & menſes 3. Pulſo autem Theodoro, collocatus eſt in ſede Patriarchali Conſtantinopolitana Georgius, qui pars fuit Concilii ſexti œcumenici, ut ejuſdem Concilii monumenta teſtantur. Sedem autem Patriarchalem tenuit annos tres, menſes tres. eoque mortuo, anno Domin. 682. reſtitutus eſt Theodorus Syncellus, & ſedit annum unum, & menſes decem. Et Theodoro defuncto, ſucceſſit Paulus qui ſedit in quinti-ſexta Synodo: fuerat hic Paulus Secretarius in Sexta Synodo œcumenica, ut ejus ſynodi acta teſtantur, collata cum Nicephori Patriarchæ Chronologia.

14. Martino in ſede Romana ſucceſſit Eugenius primus, quem excepit Vitalianus, anno Chriſti 655. ſeditque annos 14. hujus tempore Romam venit Conſtans Imperator, honorificèque à Vitaliano Pontifice & aliis ſuſceptus eſt, anno Dom. 663. inde in Siciliam ſe contulit, ubi ſexennium commoratus, occiſus eſt in balneo, ut ſuprà monui. Vitaliano ſucceſſit in Epiſcopatu Romæ Adeodatus. Huic Donus, anno Dom. 676. Donum ſequutus eſt Agatho: qui, cum ſpem ei Conſtantinus Imperator feciſſet Concilii œcumenici, in quo de controverſia Monothelitarum diſceptaretur, celebravit, præparationis ergo, Concilium Romæ centum & viginti quinque Epiſcoporum, anno Dom. 680. in quo decreta eſt Legatio Conſtantinopolin, ad celebrandam ſextam Synodum œcumenicam. Quæ etiam illo & ſequenti anno 681. celebrata eſt; ejuſque ſententiâ damnati ſunt Monothelitæ. Agathoni ſucceſſit Leo ſecundus; poſt quem ſedit Benedictus ſecundus; & poſt hunc Joannes hujus nominis quintus, qui fuerat unus ex Legatis Agathonis in ſexta Synodo.

15. Tria inprimis fraudulenta artificia reprehenderunt Patres in hæreticis illis Monothelitis, præter ipſam hæreſin. Primum erat, Fallax obtentus vitandi repugnantiam moralem voluntatum in Chriſto, & vitioſitatem carnalem: ab eo enim quod non ſit in Chriſto voluntatum repugnantia moralis, nec vitioſitas carnalis, perperam argumentabantur hæretici ad tollendam etiam diſtinctionem & diverſitatem naturalem duarum Chriſti voluntatum & duarum operationum inconfuſarum, quam neceſſariò infert dualitas naturarum in Chriſto inconfuſarum. Ob hanc technam redarguitur Macarius Monothelita, in ſexta Synodo œcumenica, actione 8. Alterum erat; quamvis à Conciliorum & Patrum orthodoxorum doctrina revera diſcederent, profitebantur tamen Monothelitæ ſe adhærere Conciliis œcumenicis, & orthodoxis Patribus, neque docere quidpiam niſi ab eis traditum: ut per Patrum & Synodorum ſuavem nominis appellationem perſuaderent ſimplicioribus malum amplecti ut bonum. Sicut de eis conqueritur Martinus primus Epiſcopus Romanus, in ſua Synodo Lateran. ſecretario tertio, & rurſus ipſa illa Synodus conqueritur, ſecretario quarto, poſt lectum typum Conſtantis. Tertium artificium erat ſpecioſus obtentus charitatis & pacis, quo veritatis oppreſſionem moliebantur. Hoc artificio, pacem Eccleſiæ ſive prætendentes, ſive forte intendentes, hæreſi interim ſuæ pacem procurare ſatagebant. ut dum contentionem aversari viderentur, non magis veritatem quàm hæreſin tueri aut profiteri cuiquam liceret, & utrumque æquè laudabile aut æquè reprehenſibile judi-



judicaretur; atque ita hæreſis æquali cum oppoſita veritate exiſtimatione polleret, & ſic apud incautos favorabilior exiſteret. Hoc damnabile eorum artificium prolixè reprehendunt Patres in Concilio illo Martini Papæ, in cenſura Typi, ſecretario quarto.

16. Summam verò orthodoxæ doctrinæ, quam hæreſi Monothelitarum Patres illi Lateranenſes oppoſuerunt, cum damnatione hæreſeos, hic ſubjiciam, utens ipſis ſynodi illius verbis.

## CAPUT SECUNDUM.

*Synodica confeſſio & determinatio Concilii Lateranenſis Romani, in quo centum & quinque Epiſcopi, typo Conſtantis Imperatoris proſcripto, Monothelitarum hæreſin, ejuſque promotores Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, & Paulum Conſtantinopolitanos condemnârunt: anno Dom. 649. anno autem nono Imperii Conſtantis: præſidente ſancto ac beatiſſimo Martino Papa primo ſanctæ ſedis Apoſtolicæ urbis Romæ; propoſitis ſacroſanctis & venerabilibus Evangeliis; in Eccleſia Domini Dei & Salvatoris noſtri, quæ vocatur Conſtantiniana, &c.*

### *Secretario ſeu conſultatione 5.*

NOs corde credentes in juſtitiam, ore autem confitentes in ſalutem, conſonanter & abſque ulla novitate, ſicut à venerabilibus Patribus noſtris percepimus, ita intranſgreſſabiliter credimus unum eundemque Filium Dominum noſtrum & Deum Jeſum Chriſtum, perfectum eundem in Deitate, & eundem perfectum in humanitate, Deum verè & hominem verè eundem ex anima rationali & corpore, conſubſtantialem Patri ſecundum Deitatem, & conſubſtantialem nobis eundem ſecundùm humanitatem, per omnia nobis ſimilem abſque peccato: ante ſecula quidem de Patre genitum ſecundùm Deitatem, in noviſſimis autem diebus eundem propter noſtram ſalutem ex Maria Virgine Dei genetrice ſecundùm humanitatem, unum eundemque Chriſtum, Filium Dominum unigenitum, in duabus naturis inconfusè, immutabiliter, indivisè, inſeparabiliter agnoſcendum, nuſquam ſublatâ differentiâ naturarum propter unitionem, magiſque ſalvâ indiminutè proprietate utriuſque naturæ, & in unam perſonam atque ſubſiſtentiam concurrente, non in duas perſonas partitum atque diviſum, ſed unum & eundem Filium unigenitum Deum Verbum Dominum Jeſum Chriſtum, & duas ejuſdem ſicuti naturas unitas inconfusè, indivisè, ita & duas naturales voluntates, divinam & humanam, & duas naturales operationes, divinam & humanam, in approbatione perfectâ & indiminutâ, eundem veraciter eſſe perfectum Deum & hominem perfectum ſecundùm veritatem, eundem atque unum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, utpote volentem & operantem divinè & humanè noſtram ſalutem, ſicut ſuperius prophetæ de eo, & ipſe Dominus noſter Jeſus Chriſtus docuit nos, atque ſanctorum Patrum tradidit ſymbolum, & generaliter omnes ſanctæ & univerſales Synodi, & omnis probabilium Catholicæ Eccleſiæ doctorum chorus.

His itaque nobis piè atque orthodoxè, juxta divinitus inſpiratam doctrinam eorum, profeſſis, conſonanter dicimus omnes:

1. Si quis ſecundùm ſanctos Patres non confitetur propriè & veraciter Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, Trinitatem in unitate, & unitatem in Trinitate, hoc eſt, unum Deum in tribus ſubſiſtentiis conſubſtantialibus & æqualis gloriæ, unam eandemque trium Deitatem, naturam, ſubſtantiam, virtutem, potentiam, regnum, imperium, voluntatem, operationem, inconditam, ſine initio, incomprehenſibilem, immutabilem, creatricem omnium & protectricem; condemnatus ſit.

2. Si quis ſecundùm ſanctos Patres non confitetur propriè & ſecundùm veritatem ipſum, unum ſanctæ & conſubſtantialis & venerandæ Trinitatis, Deum Verbum è Cœlo deſcendiſſe, & incarnatum ex Spiritu Sancto & Maria ſemper Virgine, & hominem factum, crucifixum carne, propter nos ſponte paſſum, ſepultumque, & reſurrexiſſe tertiâ die, & aſcendiſſe in Cœlos, atque ſedentem in dextera Patris, & venturum iterum cum gloria Paterna, cum aſſumta ab eo atque animatâ intellectualiter carne ejus, judicare vivos & mortuos; condemnatus ſit.

3. Si quis ſecundùm ſanctos Patres non confitetur propriè & ſecundùm veritatem Dei genetricem ſanctam ſemperque Virginem & immaculatam Mariam, utpote ipſum Deum Verbum ſpecialiter & veraciter, qui à Deo Patre ante omnia ſecula natus eſt, in ultimis ſeculorum abſque ſemine concepiſſe ex Spiritu Sancto, & incorruptibiliter eam genuiſſe, indiſſolubili permanente & poſt partum ejuſdem virginitate; condemnatus ſit.

4. Si quis ſecundùm ſanctos Patres non confitetur propriè & ſecundùm veritatem ipſius & unius Domini noſtri & Dei Jeſu Chriſti duas nativitates, tam ante ſecula ex Deo & Patre incorporaliter & ſempiternaliter, quàm de ſancta ſemper virgine Dei genetrice Maria corporaliter in ultimis ſeculorum; atque unum eundemque Dominum noſtrum & Deum Jeſum Chriſtum conſubſtantialem Deo & Patri ſecundum Deitatem, & conſubſtantialem homini & matri ſecundùm humanitatem; atq; eundem paſſibilem carne, & impaſſibilem Deitate, circumſcriptum corpore, incircumſcriptum Deitate; eundem inconditum & conditum, terrenum & cœleſtem, viſibilem & intelligibilem, capabilem, & incapabilē, ut toto homine eodemq; & Deo totus homo refor-

*Nota contra ubiquitarios.*

reformaretur qui ſub peccato cecidit ; condemnatus ſit.

*Obſerv. unde lib. 1. cap. 21. §. 14. & 15. & 16.*

5. Si quis ſecundùm ſanctos Patres non confitetur propriè & ſecundùm veritatem unam naturam Dei Verbi incarnatam, per hoc quod incarnata dicitur noſtra ſubſtantia perfectè in Chriſto Deo & indiminutè, abſque tantummodo peccato, ſignificata ; condemnatus ſit.

6. Si quis ſecundùm ſanctos Patres non confitetur propriè & ſecundùm veritatem ex duabus & in duabus naturis ſubſtantialiter unitis, inconfusè & indivisè, unum eundemque eſſe Dominum & Deum Jeſum Chriſtum ; anathema ſit.

7. Si quis ſecundùm ſanctos Patres non confitetur propriè & ſecundùm veritatem ſubſtantialem differentiam naturarum inconfusè & indivisè in eo ſalvatam ; condemnatus ſit.

*Vide lib. 1. cap. 21. §. 22. & 42.*

8. Si quis ſecundùm ſanctos Patres non confitetur propriè & ſecundùm veritatem naturarum ſubſtantialem unitionem indivisè & inconfusè in eo cognitam ; condemnatus ſit.

9. Si quis ſecundùm ſanctos Patres non confitetur propriè & ſecundùm veritatem naturales proprietates Deitatis ejus, & humanitatis indiminutè in eo & ſine deminoratione ſalvatas ; condemnatus ſit.

10. Si quis ſecundùm ſanctos Patres non confitetur propriè & ſecundùm veritatem duas unius ejuſdemque Chriſti Dei noſtri voluntates cohærenter unitas, divinam & humanam, ex hoc quod per utramque ejus naturam voluntarius naturaliter idem conſiſtit noſtræ ſalutis ; condemnatus ſit.

11. Si quis ſecundùm ſanctos Patres non confitetur propriè & ſecundùm veritatem duas unius ejuſdemque Chriſti Dei noſtri operationes cohærenter unitas, divinam & humanam, ab eo quod per utramque ejus naturam operator naturaliter idem exiſtit noſtræ ſalutis ; condemnatus ſit.

12. Si quis ſecundùm ſceleroſos hæreticos unam Chriſti Dei noſtri voluntatem confitetur & unam operationem, in peremptionem ſanctorum Patrum confeſſionis, & abnegationem ejuſdem Salvatoris noſtri diſpenſationis ; condemnatus ſit.

13. Si quis ſecundùm ſceleroſos hæreticos, in Chriſto Deo in unitate ſubſtantialiter ſalvatis, & à ſanctis Patribus noſtris piè prædicatis duabus voluntatibus & duabus operationibus, divinam & humanam, contra doctrinam Patrum, & unam voluntatem atque unam operationem confitetur ; condemnatus ſit.

14. Si quis ſecundùm ſceleroſos hæreticos cum una voluntate & una operatione quæ ab hæreticis impiè confitetur, & duas voluntates pariterque & operationes, hoc eſt, divinam & humanam, quæ in ipſo Chriſto Deo in unitate ſalvantur, & à ſanctis Patribus orthodoxè in ipſo prædicantur, denegat & reſpuit ; condemnatus ſit.

*Vide infra, cap. 7. §. 7. & lib. 1. cap. 2.*

15. Si quis ſecundùm ſceleroſos hæreticos Deivirilem operationem, quod Græci dicunt θεανδρικὴν, unam operationem inſipienter ſuſcipit, non autem duplicem eſſe confitetur ſecundùm ſanctos Patres, hoc eſt, divinam & humanam, aut ipſam Dei-virilis, quæ poſita eſt, novam vocabuli dictionem unius eſſe deſignativam, ſed non utriuſque mirificæ & glorioſæ unitionis demonſtrativam ; condemnatus ſit.

16. Si quis ſecundùm ſceleroſos hæreticos, in peremptione ſalvatis in Chriſto Deo eſſentialiter in unitione, & ſanctis Patribus piè prædicatis duabus voluntatibus & duabus operationibus, hoc eſt, divina & humana, diſſenſiones & diviſiones inſipienter myſterio diſpenſationis ejus innectit, & propterea Euangelicas & Apoſtolicas de eodem Salvatore voces non uni eidemque perſonæ & eſſentialiter tribuit eidem ipſi Domino & Deo noſtro Jeſu Chriſto ſecundùm beatum Cyrillum, ut oſtendatur Deus eſſe & homo idem naturaliter ; condemnatus ſit.

17. Si quis ſecundùm ſanctos Patres non confitetur propriè & ſecundùm veritatem omnia quæ tradita ſunt & prædicata ſanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ Dei Eccleſiæ, perindeque à ſanctis Patribus & venerandis univerſalibus quinque Conciliis uſque ad unum apicem, verbo & mente ; condemnatus ſit.

18. Si quis ſecundùm ſanctos Patres conſonanter nobis pariterque fide non reſpuit & anathematizat anima & ore omnes, quos reſpuit & anathematizat nefandiſſimos hæreticos cum omnibus impiis eorum conſcriptis uſque ad unum apicem ſancta Dei Eccleſia catholica & Apoſtolica, hoc eſt, ſanctæ & univerſales quinque ſynodi, & conſonanter omnes probabiles Eccleſiæ Patres, id eſt, Sabellium, Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarem, Polemonem, Eutychem, Dioſcorum, Timotheum Ælurum, Severum, Theodoſium, Colluthum, Themiſtium, Paulum Samoſatenum, Diodorum, Theodorum, Neſtorium, Theodulum Perſam, Origenem, Didymum, Evagrium, & compendioſè omnes reliquos hæreticos, qui à Catholica Eccleſia reprobati atque abjecti ſunt, quorum dogmata diabolicæ operationis ſunt genimina, & eos qui ſimilia cum his uſque ad finem obſtinatè ſapuerunt, vel ſapiunt vel ſapere ſperantur, cum quibus meritò, utpote ſimiles eis, parique errore præditos, ex quibus dogmatizare noſcuntur, propriòque errore vitam ſuam determinantes, hoc eſt, Theodorum quendam Epiſcopum Pharanitanum, Cyrum Alexandrinum, Sergium Conſtantinopolitanum, vel ejus ſucceſſores Pyrrhum & Paulum, in ſua perfidia permanentes, & omnia impia illorum conſcripta, & eos qui ſimilia cum illis uſque ad finem obſtinatè ſapuerunt, aut ſapiunt, vel ſapere ſperantur, hoc eſt, unam voluntatem & unam operationem Deitatis & humanitatis Chriſti : & ſuper hæc impiiſſimam Echeſin, quæ perſuaſione ejuſdem Sergii facta eſt ab Heraclio quondam Imperatore adverſus orthodoxam fidem, unam Chriſti voluntatem & unam ex concinnatione definientem operationem venerari, ſed & omnia quæ pro ea impiè ab iis ſcripta vel acta ſunt ; & cum illis denuò ſceleroſum Typum qui ex ſuaſione prædicti Pauli nuper factus eſt à ſereniſſimo Principe Conſtante Imperatore contra Catholicam Eccleſiam, utpote duas naturales voluntates & operationes, divinam & humanam, quæ à ſanctis Patribus in ipſo Chriſto Deo vero & Salvatore noſtro piè prædicantur ; cum una voluntate & operatione, quæ ab hæreticis impiè in eo veneratur, pariter denegare & taciturnitate conſtringi promulgantem, & propterea cum ſanctis Patribus & ſceleroſos hæreticos ab omni reprehenſione & condemnatione injuſtè liberari definientem, in amputationem catholicæ Eccleſiæ definitionum ſeu regulæ. Si quis igitur, juxta quod dictum eſt, conſonanter nobis omnia hæc impiiſſima hæreſeos illorum dogmata, & ea quæ pro illis aut in definitione eorum à quolibet impiè conſcripta ſunt, & denominatos hæreticos, Theodorum dicimus, Cyrum, & Sergium, Pyrrhum & Paulum, non reſpuit & anathematizat, utpote Catholicæ Eccleſiæ rebelles exiſtentes, aut ſi quis aliquem de his, qui ab illis vel ſimilibus eorum in ſcripto vel ſine ſcripto quocunque modo vel loco vel tempore temere depoſiti ſunt aut condemnati, utpote ſimilia iis minime credentem, ſed ſanctorum Patrum nobiſcum confitentem doctrinam, uti condemnatum habet, aut omnino depoſitum, ſed non arbitratur hujuſmodi quicunque fuerit, hoc eſt, ſive Epiſcopus aut Presbyter vel diaconus ſive alterius cujuſcunque Eccleſiaſtici ordinis, aut Monachus vel laicus, pium & orthodoxum & catholicæ Eccleſiæ propugnatorem, atque in ipſo firmius conſolidatum, in quo vocatus eſt à Domino, ordine ; illos autem impios atque deteſtabilia eorum pro hoc judicia, vel ſententias vacuas & invalidas atque infirmas, magis profanas & exſecrabiles vel reprobabiles arbitratur ; hujuſmodi condemnatus ſit.

*[illegible]*



19. Si quis ea quæ ſceleroſi hæretici ſapiunt indubitanter profeſſus atque intelligens, per inanem proterviam dicit hæc pietatis eſſe dogmata, quæ tradiderunt ab initio ſpeculatores & Miniſtri verbi, hoc eſt dicere, ſanctæ & univerſales quinque ſynodi, calumnians utique ipſos ſanctos Patres, & memoratas ſanctas quinque ſynodos in deceptione ſimplicium, vel ſuſceptione ſuæ profanæ perfidiæ ; hujuſmodi condemnatus ſit.

20. Si quis ſecundùm ſceleroſos hæreticos quocunque modo aut verbo aut tempore aut loco, terminos removens illicitè, quos poſuerunt firmius ſancti Catholicæ Eccleſiæ Patres, id eſt, ſanctæ & univerſales quinque ſynodi, novitates temere exquirere, & fidei alterius expoſitiones, aut typos, vel leges, aut definitiones, aut libellos, aut epiſtolas, aut conſcripta, aut ſubſcriptiones, aut teſtimonia falſa, aut ſynodos, aut geſta monumentorum, aut ordinationes vacuas & Eccleſiaſticæ regulæ incognitas, aut loci ſervaturas incongruas & irrationabiles, & compendioſè, ſi quid aliud impiiſſimis hæreticis conſuetum eſt agere, per diabolicam operationem, tortuoſè & callidè agit contra pias orthodoxorum Catholicæ Eccleſiæ, hoc eſt dicere, paternas ejus & ſynodales prædicationes, ad everſionem ſinceriſſimæ in Dominum Deum noſtrum confeſſionis, & uſque in finem ſine pœnitentia permanet hæc impiè agens ; hujuſmodi in ſecula ſeculorum condemnatus ſit : & dicat omnis populus, fiat, fiat !

## CAPUT TERTIUM.

*Sententia ſeu confeſſio Concilii Agathonis, Papæ Romani.*

Habitum eſt contra Monothelitas Concilium Romanum, centum & viginti quinque Epiſcoporum, præſide Agathone Papa Romano, & in eo decreta eſt legatio Conſtantinopolin ad celebrandum ibi, cum aliis patribus, ſynodum œcumenicam ſextam, anno Dom. 680. imperante Conſtantino Pogonato, ſcriptaque eſt ad Imperatorem Conſtantinum ejuſq; fratres ſynodica epiſtola ab Agathone & Romana ſynodo 125. Epiſcoporum, quę fuit veluti inſtructio legatorum miſſorum ab Agathone & à Romana ſynodo ad ſextam ſynodum œcumenicam. Quæ epiſtola exſtat inſerta actis ſextæ ſynodi, actione quartâ. In ea epiſtola hanc edunt fidei Confeſſionem.

2. *Credimus in Deum Patrem omnipotentem, factorem Cæli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium : & in Filium ejus unigenitum, qui ante omnia ſecula ex eo natus eſt ; verum Deum de Deo vero, lumen de lumine, natum, non factum, conſubſtantialem Patri, [id eſt,] ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ, per quem omnia facta ſunt, quæ in Cælo & quæ in terra : & in Spiritum Sanctum, Dominum & vivificatorem, ex Patre procedentem, cum Patre & Filio coadorandum & conglorificandum : Trinitatem in unitate, & unitatem in Trinitate : unitatem quidem eſſentiæ, Trinitatem verò perſonarum ſive ſubſiſtentiarum, Deum Patrem confitentes, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum : non tres Deos, ſed unum Deum, Patrem & Filium & Spiritum Sanctum : non trium nominum ſubſiſtentiam, ſed trium ſubſiſtentiarum unam ſubſtantiam ; quorum una eſſentia ſive ſubſtantia vel natura, id eſt, una Deitas, una æternitas, una poteſtas, unum Imperium, una gloria, una adoratio, una eſſentialis ejuſdem ſanctæ & inſeparabilis Trinitatis voluntas & operatio, quæ omnia condidit, diſpenſat, & continet.*

3. *Confitemur autem unum ejuſdem ſanctæ coeſſentialis Trinitatis, Deum Verbum, qui ante ſecula de Patre natus eſt, in ultimis ſeculorum temporibus pro nobis noſtrâque ſalute deſcendiſſe de Cælis, & incarnatum de Spiritu Sancto & ſanctâ, immaculata, ſemperque Virgine glorioſa Maria Domina noſtra, verè & propriè Dei genetrice : ſecundùm carnem ſcilicet ex ea natum, & verè hominem factum, eundem Deum verum, eundemque hominem verum : Deum quidem ex Deo Patre, hominem autem ex virgine Matre incarnatum ex ea, carne habente animam rationalem & intellectualem : conſubſtantialem eundem Deo Patri ſecundùm Deitatem, conſubſtantialemque nobis eundem ipſum ſecundùm humanitatem, & per omnia ſimilem nobis abſque ſolo peccato : crucifixum pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſum ſepultumque, & reſurgentem, adſcendentem in Cælos, ſedentem ad dexteram Patris, iterum venturum judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis.*

4. *Unum quippe eundemque Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, Filium Dei unigenitum, ex duabus & in duabus ſubſtantiis inconfusè, incommutabiliter, indivisè, inſeparabiliter ſubſiſtere cognoſcimus, nuſquam ſublatâ differentiâ naturarum propter unitionem, ſed potius ſalvâ proprietate utriuſque naturæ, & in unam perſonam, unamque ſubſiſtentiam concurrente : non in dualitatem Perſonarum diſpertitum vel diviſum, neque in unam compoſitam natu-*

*naturam confuſum: ſed unum eundemque Filium unigenitum, Deum Verbum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, neque alium in alio, neque alium & alium, ſed eundem ipſum in duabus naturis, id eſt, in Deitate & humanitate, & poſt ſubſiſtentialem adunationem cognoſcimus: quia neque Verbum in carnis naturam converſum eſt, neque caro in Verbi naturam transformata eſt. Permanſit enim utrumque, quod naturaliter erat: differentiam quippe adunaturarum in eo naturarum ſolâ contemplatione diſcernimus, ex quibus inconfuſè, inſeparabiliter, & incommutabiliter eſt compoſitus. Unus enim ex utriſque, & per unum utraque: quia ſimul ſunt & * altitudo Deitatis, & humilitas carnis, ſervante utraque naturâ etiam poſt adunationem ſine defectu proprietatem ſuam, & operante utraque formâ cum alterius communione quod proprium habet, Verbo operante quod Verbi eſt, & carne exſequente quod carnis eſt: quorum unum coruſcat miraculis, aliud ſuccumbit injuriis.*

* Magnitudo, μέγεθος.

*5. Unde conſequenter, ſicut duas naturas ſive ſubſtantias, id eſt, Deitatem & humanitatem, inconfuſè, indiviſè, incommutabiliter eum habere veraciter confitemur: ita quoque & duas naturales voluntates, & duas naturales operationes habere, utpote perfectum Deum & perfectum hominem, unum eundemque ipſum Dominum Ieſum Chriſtum, pietatis nos regula inſtruit: quia hoc nos Apoſtolica atque Evangelica traditio, ſanctorumque Patrum magiſterium, quos ſancta Apoſtolica atque catholica Eccleſia, & venerabiles ſynodi ſuſcipiunt, inſtituiſſe monſtratur. Ex quorum doctrinis hæc recolligentes in brevitatem perſtrinximus.* Hæc Agatho & ſynodus Romana.

## CAPUT QUARTUM.

### *Sententia Synodica Synodi ſextæ œcumenicæ.*

SExta œcumenica ſynodus à Conſtantino Pogonato indicta celebrari cœpit Conſtantinopoli anno Dom. ſexcenteſimo octogeſimo, indictione nonâ, menſe Novembri: & finita eſt in eadem civitate, anno Dom. ſexcenteſimo octogeſimo primo, indictione decima, Conſtantinopoli menſe ſeptembri: quo menſe promulgata eſt ſententia ſynodica, centum & ſeptuaginta Epiſcoporum, qui ſynodo interfuerunt, ſubſcriptionibus roborata, pro veritate, contra Monothelitas alioſque hæreticos. Theodorus autem, Patriarcha Hieroſolymitanus, in ſuis literis ſynodicis, quæ recitantur & approbantur in tertia actione Synodi Nicænæ ſecundæ, ſcribit conveniſſe in hac ſexta Synodo Epiſcopos ducentos octoginta novem. σπθ. idemque ſcribit Cedrenus in ſuis Annalibus. Sigebertus etiam in ſuo Chronico eundem refert numerum 289. Et ejuſdem numeri 289. mentionem facit Otto Friſingenſis, Chron. lib. 5. cap. 12. Antoninus quoque Archiepiſcopus Florentinus in ſuis Chronicis, parte 2. ſcribit interfuiſſe Sextæ Synodo Epiſcopos ducentos octoginta novem. Sententiam autem ſynodicam ex decima octava, ſeu ultima actione ipſius ſextæ œcumenicæ ſynodi deſumtam, prout ibi αὐτολεξεὶ exſtat, exhibemus.

Cp. vide infra cap. 20. §. 1.

2. Ἡ ἁγία καὶ μεγάλη καὶ οἰκουμενικὴ σύνοδος, ἡ κατὰ Θεοῦ χάριν καὶ εὐσεβὲς θέσπισμα τοῦ εὐσεβεστάτου καὶ πιστοτάτου μεγάλου βασιλέως Κωνσταντίνου συναχθεῖσα ἐν ταύτῃ τῇ θεοφυλάκτῳ καὶ βασιλίδι Κωνσταντίνου πόλει νέᾳ Ῥώμῃ, ἐν τῷ σεκρέτῳ τοῦ θείου παλατίου τῷ ἐπιλεγομένῳ Τρούλλῳ, ὥρισε τὰ ὑποτεταγμένα.

*2. Sancta magna atque univerſalis Synodus, quæ per gratiam Dei & piam ſanctionem Conſtantini piiſſimi & fideliſſimi magni Imperatoris congregata eſt, in hac à Deo conſervanda regia Conſtantinopoli nova Roma, in ſecretario divali Palatii quod cognominatur Trullus, decrevit quæ habentur in ſubditis.*

3. Ὁ τοῦ Θεοῦ πατρὸς μονογενὴς υἱός τε καὶ λόγος, ὁ κατὰ πάντα ὅμοιος ἡμῖν χωρὶς ἁμαρτίας γενόμενος ἄνθρωπος, Χριστὸς ὁ ἀληθινὸς Θεὸς ἡμῶν ἐν εὐαγγελικαῖς διαρρήδην ἐκήρυξε φωναῖς, Ἐγώ εἰμι τὸ φῶς τοῦ κόσμου. ὁ ἀκολουθῶν ἐμοὶ, οὐ μὴ περιπατήσῃ ἐν τῇ σκοτίᾳ, ἀλλ' ἕξει τὸ φῶς τῆς ζωῆς. καὶ πάλιν, εἰρήνην τὴν ἐμὴν ἀφίημι ὑμῖν, εἰρήνην τὴν ἐμὴν δίδωμι ὑμῖν. ταύτῃ τοι τῇ θεολέκτῳ τῆς εἰρήνης διδασκαλίᾳ θεοσόφως ὁ πρᾶος ἡμῶν βασιλεὺς ὁδηγούμενος, ὁ τῆς μὲν ὀρθοδοξίας ὑπέρμαχος, τῆς δὲ κακοδοξίας ἀντίμαχος, τὴν καθ' ἡμᾶς ἁγίαν ταύτην καὶ οἰκουμενικὴν συναθροίσας ὁμήγυριν, τὸ τῆς ἐκκλησίας ἅπαν ἥνωσε σύμπηγμα.

*3. Unigenitus Dei Patris Filius & Verbum, qui per omnia ſimilis nobis abſque ſolo peccato factus eſt homo, Chriſtus verus Deus noſter, per Evangelicas voces flagranter prædicavit:* Ego ſum lux mundi. qui ſequitur me, non ambulabit in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. *Et iterum:* Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. *Hac proinde divinitus edita pacis doctrinâ, Deo inſtruente, manſuetiſſimus noſter Imperator inſtitutus, propugnator quidem rectæ fidei, expugnator verò pravæ doctrinæ, hoc ſanctum univerſale noſtrum congregans collegium, totius Eccleſiæ adunavit compaginem.*

Ioan. 8. 12. Ioan. 14. 27.

4. Ὅθεν ἡ καθ' ἡμᾶς ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ σύνοδος τὴν ἀπὸ τινῶν καὶ ἄρτι χρόνων τῆς δυσσεβείας πλάνην ἀπελάσασα, καὶ τῇ τῶν ἁγίων καὶ ἐκκρίτων πατέρων ἀπλανῶς εὐθείᾳ τρίβῳ ἐπακολουθήσασα, ταῖς ἁγίαις καὶ οἰκουμενικαῖς πέντε συνόδοις ἐν ἅπασιν εὐσεβῶς συνῄνεσε. φαμὲν δὴ τῶν τριακοσίων δέκα καὶ ὀκτὼ ἐν Νικαίᾳ συνελθόντων ἁγίων πατέρων κατὰ τοῦ μανιώδους Ἀρείου· καὶ τῇ μετ' αὐτὴν, ἐν Κωνσταντινουπόλει, τῶν ἑκατὸν πεντήκοντα θεοφόρων ἀνδρῶν κατὰ Μακεδονίου τοῦ πνευματομάχου, καὶ Ἀπολιναρίου τοῦ δυσσεβοῦς. ὁμοίως καὶ τῇ ἐν Ἐφέσῳ τὸ πρότερον κατὰ Νεστορίου τοῦ ἰουδαιόφρονος συναθροισθείσῃ διακοσίων θεσπεσίων ἀνδρῶν. καὶ τῇ ἐν Χαλκηδόνι τῶν ἑξακοσίων τριάκοντα θεοπνεύστων πατέρων κατὰ Εὐτυχοῦς καὶ Διοσκόρου τῶν θεοστυγῶν. πρὸς ταύταις καὶ τῇ πέμπτῃ ἁγίᾳ συνόδῳ, τῇ ἐνταῦθα συναθροισθείσῃ κατὰ Θεοδώρου τοῦ Μοψουεστίας, Ὠριγένους, Διδύμου τε καὶ Εὐαγρίου, καὶ τῶν συγγραμμάτων Θεοδωρήτου τῶν κατὰ τῶν δώδεκα κεφαλαίων τοῦ ἀοιδίμου Κυρίλλου, καὶ τῆς λεγομένης Ἴβα ἐπιστολῆς πρὸς Μάριν γεγράφθαι τὸν Πέρσην. ἀπαρασάλευτα μὲν ἐν πᾶσι τὰ τῆς εὐσεβείας ἀνανεουμένη θεσπίσματα, τὰ βέβηλα δὲ τῆς δυσσεβείας ἐκδιώξασα δόγματα.

*4. Vide hoc ſanctum noſtrum univerſale Concilium, impietatis errorem, qui nunc uſque à quibuſdam temporibus factus eſt, procul abjiciens, ſanctorum autem ac probabilium Patrum inoffensè recto tramite iter conſecutum, ſanctis, & univerſalibus quinque Synodis piè in omnibus conſonuit: Trecentorum (inquimus) decem & octo ſanctorum Patrum qui in Nicæam convenerunt adverſus Arium furioſum: & ei quæ à centum quinquaginta à Deo inſpiratis viris poſt hanc apud Conſtantinopolim adverſus Macedonium impugnatorem Spiritûs, & Apollinarem impium. ſimiliter & ei, quæ in Epheſo prius adverſus Neſtorium Iudaica intelligentia, congregata eſt ducentorum venerabilium virorum: atque ei, quæ in Chalcedone 630 Deo inſpiratorum Patrum adverſum Eutychem & Dioſcorum Deo odibiles: ſuper has & ultimæ harum quintæ ſanctæ ſynodo, quæ hic congregata eſt adverſus Theodorum Mopſueſtenum, Origenem, Didymum, & Euagrium, & ſcripta Theodoriti adverſum duodecim capitula laudabilis Cyrilli, & epiſtolam quæ dicitur Ibæ, ad Marim Perſam ſcriptam. Immutilatas quidem in omnibus pietatis renovans ſanctiones, profanas verò impietatis expellens doctrinas.*



5. Καὶ τὸ παρὰ τῶν τριακοσίων δέκα καὶ ὀκτὼ Πατέρων ἐκτεθὲν, καὶ αὖθις παρὰ τῶν ἑκατὸν πεντήκοντα θεοφόρως βεβαιωθὲν, ὅπερ καὶ αἱ λοιπαὶ ἅγιαι σύνοδοι ἐπ' ἀναιρέσει πάσης ψυχοφθόρου αἱρέσεως ἀσμένως ἐδέξαντο καὶ ἐπεκύρωσαν σύμβολον, καὶ ἡ καθ' ἡμᾶς ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ θεοπνεύστως ἐπισφραγίζει σύνοδος.

*5. Et id quod eſt à 318 Patribus editum, & deinc à 150, Deo inſtituente confirmatum eſt, quod etiam cæteræ ſanctæ Synodi ad extinguendam omnem peſtiferam hæreſim alacriter ſuſceperunt, & confirmaverunt ſymbolum, & hoc noſtrum ſanctum & univerſale à Deo inſpiratum conſignavit Concilium.*

Ἔκθεσις πίστεως τῶν ἐν Νικαίᾳ τριακοσίων δέκα καὶ ὀκτὼ ἁγίων μακαρίων Πατέρων.

Πιστεύομεν εἰς ἕνα Θεὸν Πατέρα παντοκράτορα, πάντων ὁρατῶν τε καὶ ἀοράτων ποιητήν. &c.

Symbolum Nicænum trecentorum decem & octo ſanctorum Patrum.

*Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, viſibilium & inviſibilium factorem, &c.* — Invenies ſupra lib. 1. cap. 4. §. 2.

Ἔκθεσις πίστεως τῶν ἐν Κωνσταντινουπόλει ἑκατὸν πεντήκοντα ἁγίων καὶ μακαρίων Πατέρων.

Πιστεύομεν εἰς ἕνα Θεὸν πατέρα παντοκράτορα, ποιητὴν οὐρανοῦ καὶ γῆς. &c.

Symbolum centum quinquaginta SS. Patrum Conſtantinopoli congregatorum.

*Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem Cœli & terræ, &c.* — Invenies ſupra lib. 1. cap. 4. §. 4.

6. Ἡ ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ σύνοδος εἶπεν. Ἤρκει μὲν οὖν εἰς ἐντελῆ τῆς ὀρθοδόξου πίστεως ἐπίγνωσίν τε καὶ βεβαίωσιν τὸ εὐσεβὲς καὶ ὀρθόδοξον τοῦτο τῆς θείας χάριτος σύμβολον. ἀλλ' ἐπεὶ οὐκ ἐπαύσατο ἐξ ἀρχῆς ὁ τῆς κακίας ἐφευρετὴς συνεργὸν τὸν ὄφιν εὑράμενος, καὶ δι' αὐτοῦ τὸν ἰοβόλον τῇ ἀνθρωπίνῃ φύσει ἐπενεγκὼν θάνατον, οὕτω καὶ νῦν ὄργανα πρὸς τὸ οἰκεῖον αὐτοῦ θέλημα εὑρὼν ἐπιτήδεια, Θεόδωρον φαμὲν τὸν γενόμενον τῆς Φαρὰν ἐπίσκοπον, Σέργιον, Πύρρον, Παῦλον, Πέτρον τοὺς γενομένους προέδρους τῆς βασιλευούσης ταύτης πόλεως. ἔτι δὲ καὶ Ὁνώριον τὸν γενόμενον πάπαν τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης, Κῦρον τὸν Ἀλεξανδρείας ἐπισκοπήσαντα, Μακάριόν τε τὸν Ἀντιοχείας ἀρτίως γενόμενον πρόεδρον, καὶ Στέφανον τὸν τούτου μαθητὴν, οὐκ ἤργησε δι' αὐτῶν κατὰ τοῦ τῆς ἐκκλησίας πληρώματος τὰ τῆς πλάνης ἐγείρειν σκάνδαλα, ἑνὸς θελήματος, καὶ μιᾶς ἐνεργείας ἐπὶ τῶν δύο φύσεων τοῦ ἑνὸς τῆς ἁγίας Τριάδος, Χριστοῦ τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ ἡμῶν τῷ ὀρθοδόξῳ λαῷ καινοφώνως ἐνσπείρας τὴν αἵρεσιν, τῇ Ἀπολιναρίου, Σευήρου, καὶ Θεμιστίου τῶν δυσσεβῶν φρενοβλαβεῖ κακοδοξίᾳ συνῳδὰ τυγχάνουσαν, καὶ τὸ τέλειον τῆς ἐνανθρωπήσεως τοῦ αὐτοῦ ἑνὸς κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν ἀναιρεῖν διά τινος δολερᾶς ἐπινοίας μηχανώμενος, ἀθέλητον αὐτοῦ καὶ ἀνενέργητον τὴν νοερῶς ἐψυχωμένην αὐτοῦ σάρκα δυσφήμως εἰσάγοντος. ἐξήγειρε τοίνυν Χριστὸς ὁ Θεὸς ἡμῶν τὸν πιστὸν βασιλέα τὸν νέον Δαυίδ, ἄνδρα κατὰ τὴν ἑαυτοῦ καρδίαν εὑρηκὼς, ὃς οὐκ ἔδωκε, κατὰ τὸ γεγραμμένον, ὕπνον τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ

*6. Sanctum & univerſale Concilium dixit: Sufficiebat quidem ad perfectam orthodoxæ fidei cognitionem atque confirmationem, pium atque orthodoxum hoc divinæ gratiæ ſymbolum. Sed quoniam non deſtitit ab exordio adinventor malitiæ cooperatorem ſibi ſerpentem inveniens, & per eum venenoſam humanæ naturæ deferens mortem, ita & nunc organa ad propriam ſuam voluntatem apta reperiens, Theodorum dicimus qui fuerat Epiſcopus Pharan, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum, qui fuerunt hujus regiæ urbis antiſtites, Inſuper & Honorium qui fuit Papa antiquæ Romæ, & Cyrum qui Alexandriæ tenuit Epiſcopatum, Macarium quoque qui nuper fuerat Antiochiæ Præſul, & Stephanum ejus diſcipulum, non * vacavit per eos plenitudini Eccleſiæ erroris ſcandala ſuſcitare, unius voluntatis, & unius operationis in duabus naturis unius de ſancta Trinitate, Chriſti veri Dei noſtri, orthodoxæ plebi novisſonâ diſſeminando hæreſim conſentaneam inſanæ ac malitioſæ ſectæ impiorum, Apollinarii, Severi, atque Themiſtii: quæ & perfectionem humanitatis unius ejuſdemque Domini Ieſu Chriſti Dei noſtri molita eſt per quandam doloſam adinventionem perimere, per hoc involuntariam & inoperatricem carnem ejus quæ intellectualiter animata eſt, infamanter introducens: Excitavit igitur Chriſtus Deus noſter fideliſſimum Imperatorem novum David, virum ſecundum cor ſuum inveniens, qui non dedit (juxta quod ſcriptum eſt) ſomnum oculis ſuis, & palpebris ſuis dormitationem,* — Pſal. 131. vel 132.

* Ceſſavit.

nonis octogeſimi ſecundi Synodi hujus ſub Juſtiniano habitæ. Poſt lectum hunc canonem, ſequuntur in actis Nicænis, loco citato, hæc verba: Epiſcopus Nicomediæ dixit; Et alium codicem habeo, qui continet eaſdem regulas ſacræ Sextæ Synodi [τὰς αὐτὰς κανόνας τῆς ἁγίας ἕκτης συνόδου.] quo accepto Nicætas reverendiſſimus notarius & diaconus legit eundem canonem. Taraſius ſanctiſſimus Patriarcha dixit: quidam ignoratione languentes in hos canones ſcandalizantur, dicentes, putas Sextæ Synodi ſunt? cognoſcant autem qui hujuſmodi ſunt, quod ſancta & magna Sexta Synodus ſub Conſtantino fuerit celebrata, contra illos qui unam dicebant voluntatem & operationem, in qua hæreticis anathematizatis, & orthodoxâ explanata fide, domum reverſi ſunt quartodecimo anno Conſtantini. Ergo poſt quatuor ſive quinque annos, iidem ipſi Patres convenientes, ſub Juſtiniano, filio Conſtantini, præſignatos canones expoſuerunt. Et nemo dubitet de illis [καὶ μηδεὶς ἀμφιβαλλέτω περὶ αὐτῶν:] illi enim qui ſubſcripſerunt ſub Conſtantino, ipſi & ſub Juſtiniano præſenti chartę ſubſcripſerunt; ita ut hoc manifeſtum ſit ex eorum propriæ manus ſcripturæ immutabili ſimilitudine: oportebat enim eos qui Synodum univerſalem præſentaverant, etiam canones Eccleſiaſticos exponere. Hęc Taraſius Patriarcha Conſtantinopolitanus in ſynodo illa Nicæna, nemine contradicente, neque legatis Adriani Papæ Romani, qui illic præſentes aderant, neque quoquam alio.

3. Vide 16. diſt. *Habeo.* ubi colligit Gratianus Sextam Synodum bis congregatam eſſe; nempe prius ſub Conſtantino, deinde ſub Juſtiniano. Dixit autem illa Taraſius non ſolum nemine contradicente, ſed etiam univerſa Synodo approbante, & ex mente Synodi, ut patet cum ex præſenti taciturnitate, tum evidentiſſimè ex actione octava illius Nicænæ Synodi, ubi ſuos canones Synodus ea exponit, quorum primus eſt de ſacris canonibus per omnia cuſtodiendis, ubi inter divinos canones, quos integrè & immobiliter ſervandos decernit, ponit Synodus illa Nicęna ſecunda eos qui à ſex ſanctis & univerſalibus Synodis promulgati ſunt. Et paulo antę, in eadem octava actione, Synodus ea honorificam facit mentionem canonum ſanctæ & univerſalis Sextæ Synodi.

4. Hinc palàm eſt, Synodum illam Nicænam ſecundam eâdem reverentiâ ſuſcepiſſe canones ſub Juſtiniano juniore conditos, ac ſi in ipſo illo priore conventu Synodico Sextæ Synodi ſub Conſtantino promulgati fuiſſent, & hanc ſub Juſtiniano celebratam Synodum amplexos eſſe Nicænos illos Patres ut ſextam œcumenicam iteratò congregatam.

5. Eadem fuit mens quorundam Romanorum Pontificum. quamvis enim Sergius Papa Romanus, hujus nominis primus, quo ſedente celebrata eſt hæc ſub Juſtiniano Synodus, canonibus ejus ſubſcribere recuſaverit, eo quod in eis certa quædam capitula ei diſplicerent; ut monet Anaſtaſius in vita Sergii: poſtea tamen Adrianus aliique Romani Pontifices, canones illos receperunt, tanquam à ſexta œcumenica Synodo conditos.

6. Extat Adriani primi Papæ Romani epiſtola ad memoratum Taraſium Patriarcham ſcripta, in actis Synodi Nicænæ ſecundæ, actione ſecunda; ubi (in editione Latina Anaſtaſiana, quæ Binio maximè probatur) hæc ſunt Adriani verba: Omnium ſanctarum ſex univerſalium Synodorum. Et eaſdem ſanctas ſex Synodos ſuſcipio, cum omnibus regulis quæ jure ac divinitus ab ipſis promulgatæ ſunt: inter quas continetur, In quibuſdam venerabilium imaginum picturis agnus digito præcurſoris &c. Verba ſunt canonis illius octogeſimi ſecundi, Synodi ſub Juſtiniano celebratæ, quem & in Synodo Nicæna ſecunda allegatum eſſe ſuprà monuimus. Verba Adriani in Græca verſione ſic leguntur; καὶ σὺν τούτῳ τὰς αὐτὰς ἁγίας ἕκτας συνόδους δέχομαι μετὰ πάντων τῶν θεσμῶν τῶν ἐνθέως ὑπ᾽ αὐτῶν ἐκφωνηθέντων καὶ αὐτοὺς κανόνας, ἐν οἷς ἐμφέρεται. Ἐν τισι τῶν σεπτῶν εἰκόνων γραφαῖς ἀμνὸς, &c. alibi etiam idem Adrianus, videlicet in ſua defenſione Synodi Nicænæ ſecundæ, ad Carolum Magnum ſcripta, cap. 19. Synodum hanc ſub Juſtiniano juniore celebratam appellat *Sextum ſanctum Concilium.* Ex eadem etiam Synodo citantur à Gratiano canones nomine ſextæ Synodi, 16. diſt. placuit. 28. diſt. Presbyterum, 31. diſt. quoniam. 32. diſt. ſi quis. quem canonem reſpiciens Innocentius tertius, Papa Romanus, ejuſdemque autoritate utens, ait, Conſtitutum eſt in ſexta Synodo, ut ſi quis eorum qui ad Clerum accedunt, &c. Extra, de ætate & qualitate & ordine præficiendorum. cap. 9. *à multis.*

7. Hic ſuggero has tres obſervationes contra Binii notas in Synodum hanc ſub Juſtiniano ſecundo canonum conditricem. Prima obſervatio eſt; Binius canonem illum 82. hujus Synodi, de non pingendo Chriſto in imagine agni, ait Eccleſiam Romanam uſu contrario penitus improbaſſe. quem tamen Adrianus aſſerit eſſe jure & divinitus promulgatum, & Synodus Nicæna ſecunda, actione octavâ, diſertè vocat ἐκ τῶν κανόνων τῆς ἁγίας καὶ οἰκουμενικῆς ἕκτης συνόδου κεφάλαιον πβ´ id eſt, ex canonibus ſanctæ & œcumenicæ ſextæ Synodi caput 82. Certè aut Eccleſia Romana penitùs illud Adriani Synodique Nicænæ judicium improbavit; aut non penitùs improbavit iſtum canonem. Neque verò ejus autoritate utuntur tantùm ex mente adverſariorum, canones illos agnoſcentium, ut impudenter nugatur Binius, ſed ex proprio ſenſu, ſicut ipſorum verba ſuperius citata manifeſtè evincunt.

8. Secunda obſervatio eſt; Adrianus Papa nullo diſcrimine ſuſcipit, parique reverentiâ amplectitur omnium ſanctarum ſex Synodorum canones; neque minus tribuit autoritatis canonibus ſextæ Synodi, quam canonibus præcedentium Synodorum œcumenicarum. Neque ullas Binio ſuppetias ferunt illa Adriani verba [jure ac divinitus, ἐνθέσμως καὶ θεϊκῶς:] nam æqualiter pertinent ad omnium ſex Synodorum canones: unde patet, verbis Adriani, laudantis potius quàm hæſitantes ſpeciem præ ſe ferentibus, non magis coarctari autoritatem canonum ſextæ Synodi, quàm canonum Nicænæ primæ, & aliarumque œcumenicarum Synodorum. adeò ut non minus recipiat Adrianus omnes canones ſextæ Synodi, quàm omnes canones retroactarum Synodorum. Id quod animadvertens Gratianus, mentemque loquentis intuens, verba Adriani citavit tanquam abſolutè ab ipſo prolata, ſine limitatione, ſic, ſextam Synodum ſanctam cum omnibus canonib. ſuis recipio. 16. diſt. can. Sextam. Eandem fuiſſe mentem Synodi Nicęnæ ſecundæ (quam ut per omnia orthodoxam, verèque œcumenicam, ſuſcipiunt Romanenſes) palam fecimus ex ipſius verbis & decretis. Si inſtet Binius, & contendat, Adrianum nullius Synodi, quantumvis œcumenicæ, decreta ſuſcipere, niſi cum hac limitatione, Quatenus jure & divinitus ἐνθέσμως καὶ θεϊκῶς facta ſunt; ſi qua autem non jure & divinitus conſtituta comperiantur, eis Adrianum ſe haudquaquam adſtringere. Eſt iſta quidem laudabilis cautio, & nulli Chriſtiano inficienda libertas: in epiſtola tamen Papæ Romani ad alium Patriarcham, in qua judicii Papæ de ea Synodo ejuſque canonibus facienda eſt declaratio, utrum ſcilicet eam Synodum ſuſcipiat, ejuſque canones jure ac divinitus promulgatos eſſe exiſtimet, nec ne; in tali, inquam, epiſtola poſtulari videtur aliquid magis definitum ac determinatum, & ad præſentem quæſtionem accommodatum. Sed utut ſit, certè per iſtam cautionem nihil in antecesſum decedit auctoritati hujus Synodi, magis quàm aliarum Synodorum.

9. Obſervatio tertia eſt; Binius Synodum hanc vocat conciliabulum pſeudoſextum, erraticam pſeudoſynodum: Quam tamen Synodus Nicæna ſecunda & Adrianus Papa Romanus honorant elogio ſanctæ Sextæ Synodi, & ponunt in numero ſanctarum ſex univerſalium ſynodorum. Quamvis autem Binius quorundam veterum patrocinium hic ſibi paratum habeat, quærendum tamen ex Binio, an non eorum judicio anteferendus ſit conſenſus Concilii œcumenici & Papæ Romani? vel, ſi ſuæ ſententiæ patronos plures faciat; viderit ipſe, ejuſque ſocii, quomodo Synodum Nicænam & Adrianum à manifeſti erroris turpitudine eximant. Porrò evidentem iſtum auctoritatis Synodi Nicænæ & Adriani Papæ contemtum quâ excuſatione palliabunt? aut tam adverſas & ſe invicem arietantes ſententias, qua tandem induſtriâ verè ac ſeriò conciliabunt.

10. Romanenſis ille auctor admonitionis ad lectorem, quæ, in editione Biniana, actis hujus ſynodi præmittitur, quamvis huic Synodo non faveat, fatetur tamen, ex eis Epiſcopis qui Sextæ œcumenicæ Synodo ante paucos annos ſub Conſtantino interfuerant, in hac etiam ſynodo ſub Juſtiniano præſentes fuiſſe & ſubſcripſiſſe tres & quadraginta. Ex verbis autem Taraſii, ſupra recitatis, veriſimilius eſt plures ex eis interfuiſſe & ſubſcripſiſſe. Diverſitas nominum Epiſcoporum earundem ſedium accidere potuit per Epiſcoporum forſitan tranſlationem de prioribus ſedibus in alias. Interfuerant etiam huic Synodo, & propriis manibus ſubſcripſerunt quatuor Patriarchæ, nempe: Paulus Conſtantinopolitanus, Petrus Alexandrinus, Georgius Antiochenus, Anaſtaſius Hieroſolymitanus. id quod ipſę ſubſcriptiones adhuc palàm teſtantur. Cur igitur dixit, Baronius Cardinalis, in anno 692. celebratam eſſe hanc ſynodum poſt mortem Pauli, aliarum autem trium ſedium Patriarchas nec per ſe, nec per ſuos legatos interfuiſſe huic ſynodo?

11. Quia autem Synodus hæc veluti appendix habita eſt & ſupplementum quintæ & Sextæ Synodorum œcumenicarum, propterea à quibuſdam Græcis compoſito vocabulo πενθέκτη, à Latinis *Quini ſexta* dicta eſt. Nonnulli, à loco Palatii imperialis in quo celebrata eſt, *Trullanam* vocant; ſed non ſatis propriè & diſtinctè iſto vocabulo deſignari poteſt, niſi addatur numerus, & dicatur *Trullana ſecunda*; Nam ipſa illa ſub Conſtantino Imperatore Sexta Synodus etiam in Trullo celebrata eſt, ut ejus acta teſtantur. Niſi fortè utramque pro unâ eademque Synodo habeant; quod tamen non intendunt hujus nomenclaturæ artifices.

12. Anaſtaſius bibliothecarius, in vita Sergii primi Papæ Romani, ſcribit hujus Papæ temporibus celebratam eſſe hanc Synodum ſub Juſtiniano. Et ſediſſe ait hunc Sergium annos tredecim, menſes octo, & aliquot inſuper dies. Porrò Sextam illam Synodum ſub Conſtantino celebratam eſſe indictione nonâ, & abſolutam primo menſe indictionis decimæ, teſtantur acta Synodica. Et hanc poſtea ſub Juſtiniano quiniſextam, habitam eſſe indictione quintâ, patet ex ejus canone tertio, & canone decimo-ſeptimo. Juſtinianum autem regnare cœpiſſe indictione decima-quartâ, Romanæ Eccleſiæ Pontificatum gerente Joanne, hujus nominis quinto, teſtis eſt Anaſtaſius in vita ejuſdem Joannis. Idem ſcribit, Joannem ſediſſe annum unum, dies novem. Eoque defuncto, ceſſaſſe Epiſcopatum menſes duos, dies octodecim. Et ſucceſſiſſe Cononem Papam, cumque ſediſſe menſes undecim, dies 23. & poſt ceſſationem ferè trimeſtrem, ſucceſſiſſe Sergium Papam primum. Iam, ut notum eſt, indictionum periodus quindecim annorum ſpatium continet, in quo ſpatio, annus primus dicitur indictio prima; annus ſecundus indictio ſecunda, & ita deinceps, donec finitâ periodo recurrat indictio prima novæ periodi. Ex his patet indictionem quintam, qua celebrata eſt Quiniſexta Synodus, intelligendam eſſe in prima periodo quæ cœpit ſub Juſtiniano, immediatè poſt præcedentem illam periodum, cujus indictione decima finita erat Sexta Synodus ſub Conſtantino celebrata. Cujus etiam indictione decima-quartâ regnare cœpit Juſtinianus, quarto ſcilicet aut quinto anno poſt Sextam Synodum. Atque ità clariſſimum eſt inter Synodum Sextam ſub Conſtantino, & Synodum hanc Quiniſextam ſub Juſtiniano habitam, interfluxiſſe annos decem. Celebrata eſt igitur Quiniſexta Synodus anno Domini 691. vel 692. Taraſius de præciſo calculo videtur non fuiſſe ſollicitus, quando dixit, hanc Synodum quarto aut quinto anno poſt priorem Sextæ Synodi conventum congregatam eſſe. In-primis ei curæ fuit, de ejus auctoritate diſſerere. Quam reverenter ſuſcipit Græcorum Eccleſia.

13. At hodierni Papiſtæ, ſynodi hujus auctoritatem elevant, præſertim ob canonem decimumtertium, ubi Synodus hæc præcipit Romanę Eccleſiæ, ut non amplius privet presbyteros & diaconos & ſubdiaconos conjunctione & conſuetudine cum legitima uxore, ante ordinis (Presbyteralis aut diaconalis aut ſubdiaconalis) ſuſceptionem ductâ. Et ob canonem 36. quo decernitur, ut ſecundum antiquiorum Patrum conſtitutiones, ſedes Conſtantinopolitana æqualia obtineat privilegia [τῶν ἴσων ἀπολαύειν πρεσβείων] cum ſede antiquæ Romæ: & Epiſcopus Conſtantinopolitanus in rebus Eccleſiaſticis magnificetur [μεγαλύνεσθαι] ſicut Epiſcopus antiquę Romę; ut qui ſit ſecundus poſt illam: & tertio loco numeretur ſedes Alexandriæ. Et ob canonem 55. ubi damnatur & in poſterum prohibetur urbis Romæ conſuetudo jejunandi ſabbatis. Alia etiam nonnulla in hujus Synodi canonibus reprehendunt. Etſi fatentur multos in iis utiles canones reperiri.

14. Neque nos abſolutam omnibus ac ſingulis hujus Synodi canonibus auctoritatem vindicamus; ſed hujus aliarumque ſynodorum canones ſacris ſcripturis ſubjicimus. Poſteriorum etiam Conciliorum decreta, ſicubi cum orthodoxa antiquioris Eccleſiæ doctrinâ pugnent, rejicimus. Quale eſt illud in hujus ſynodi canone 73. de adoratione crucis, quam perperam approbat Synodus. Papiſtæ autem non poſſunt hujus Synodi auctoritatem defugere, niſi ſimul Synodo Nicænæ ſecundæ & Adriano Papæ Romano apertiſſimè contradicant: ut oſtenſum eſt. Utrique tamen fatemur multos ab ea promulgatos canones pios eſſe, & utiles. Nos certè agnoſcimus, magnam eſſe hanc & in magna veneratione habendam Synodum; tum quia à tam multis orthodoxis Epiſcopis, legitimè, ut priores Synodi, id eſt, in nomine Domini, & juſſu regio congregatis, (ut profitentur Patres Synodici in ſuo proſphonetico ad Juſtinianum Imperatorem) & à multis etiam Sextæ Synodi Epiſcopis celebrata eſt; præſentibus ſubſcribentibuſque quatuor Patriarchis; tum quod ejus auctoritate per multa ſecula reverenter uſi ſint etiam occidentales, ut ſuprà docuimus: adhæc, quia plurima ejus decreta pia ſunt, & catholicam recipiunt antiquitatem. Etſi nullius Concilii vox contra Catholicam purioris antiquitatis doctrinam audienda eſt. Tantum abeſt ut ullius Concilii, quantumlibet œcumenici, quantacunque auctoritas divinarum officere debeat luminibus ſcripturarum. Quarum incomparabilem ὑπεροχὴν loco magis opportuno, Deo donante, inferius aſſeremus.

15. Concilii quiniſexti canon primus continet piam & orthodoxam fidei confeſſionem, cum hæreſium & hæreticorum rejectione. Eum igitur, cùm præſenti noſtro inſtituto conveniat, utile judicavimus lectori hic exhibere. Ex cujus etiam lectione patebit, quàm injuſta calumniâ & præcipiti iracundiâ Severinus Binius ſynodum hanc vocet conciliabulum Monothelitarum Epiſcoporum, in ſuis notis in hoc Concil. tom. 3. Concil. edit. Pariſ. pag. 419.

## CAPUT SEXTUM.

### *Canon primus quiniſextæ Synodi.*

Gregor. Theol. orat. Apol. 1.

Τάξις ἀρίστη παντὸς ἀρχομένου, καὶ λόγου καὶ πράγματος, ἐκ Θεοῦ τε ἄρχεσθαι καὶ εἰς Θεὸν ἀναπαύεσθαι, κατὰ τὴν θεολόγον φωνήν. [illegible]



[illegible]

### *Idem Canon Latinè.*

Greg. & Apol. 1.

Ordo eſt optimus ei, qui omnem orationem & rem incipit, & à Deo incipere, & in Deum deſinere, ut dicit Theologus. Quocirca cum & pietas à nobis clarè prædicetur, & Eccleſia, in qua Chriſtus eſt fundamentum, aſſiduè augeatur ac promoveatur, ut ea ſupra cedros Libani extollatur: & nunc ſacros canones divinâ gratiâ auſpicantes, ſtatuimus fidem à verbi miniſtris, qui & ipſam ſuis oculis viderunt, & à Deo electi ſunt, Apoſtolis traditam, citra ullam innovationem immutabiliterque ac inviolabiliter eſſe ſervandam. Præterea autem & trecentorum decem & octo ſanctorum Patrum qui Nicææ convenerunt ſub Conſtantino, qui fuit noſter Imperator, adverſus impium Arium, & gentilem ab eo dogmatizatam Deitatis diverſitatem, vel deorum potius (ut aptius dicatur) multitudinem. Qui nobis unanimi fidei agnitione conſubſtantialitatem, in tribus divinæ naturæ conſiſtentibus perſonis, & revelarunt, & declararunt, hanc ſub ignorantiæ modio abſconſum eſſe non ſinentes; ſed Patrem & Filium & Spiritum Sanctum unà adoratione fideles adorare apertè docentes, & inæqualium divinitatis graduum opinionem detrahentes ac divellentes; & ab hæreticis ex arena conſtructa adverſus rectam opinionem puerilia ludibria dejicientes & ſubvertentes. Similiter & eam, quæ ſub Theodoſio Majore, qui fuit noſter Imperator, à 150. ſanctis Patribus, qui in hac urbe imperante convenerunt prædicata eſt, fidem confirmamus, de Spiritu Sancto voces quæ eum Deum eſſe ſtatuunt, amplectentes, & profanum Macedonium, unà cum prioribus veritatis inimicis expellentes; ut qui eum qui dominatur, ſervum eſſe decernere auſus ſit; & inſectilem unitatem ſecare prædonis more voluerit, ut non eſſet perfectum fidei noſtræ myſterium: una etiam cum iſto odioſo ac deteſtabili, quique adverſus veritatem fuit rabie percitus, etiam Apollinarem ejuſdem iniquitatis myſtam unà condemnantes: qui Dominum corpus mente & animâ non præditum ſumſiſſe impiè eructavit, hinc quoque & iſte imperfectam nobis factam ſalutem ratiocinans. Jam verò & quæ in Epheſiorum civitate à ducentis divinis Patribus ſub Theodoſio Arcadii filio Imperatore noſtro expoſitæ ſunt, doctrinas tanquam infractum pietatis robur obſignamus, unum Chriſtum Filium Dei & incarnatum prædicantes, & quæ ipſum ſine ſemine peperit, impollutam ſemper Virginem, propriè & verè Deiparam decernentes, & ineptam Neſtorii diviſionem, tanquam à divina ſorte ſemotam perſequentes, hominem ſeparatim & Deum ſeparatim unum Chriſtum decernentis, & impietatem Judaicam renovantis. Quin-etiam eam quæ in Chalcedonenſium Metropoli ſub Martiano, qui fuit & ipſe Imperator noſter, à 630. deſcripta eſt Patribus, fidem orthodoxè confirmamus: quę unum Chriſtum Filium Dei, ex duabus naturis compoſitum, & in duabus eiſdem naturis creditum, magnâ ac ſublimi voce terrarum finibus tradidit; & ſtultè ac ineptè ſentientem Eutychem, qui magnum œconomiæ myſterium apparentia perfectum eſſe dicebat, tanquam avertendum aliquod portentum teramque peſtem, ex ſacris Eccleſiæ ambitibus exturbavit. Unà autem cum eo etiam Neſtorium & Dioſcorum, quorum ille quidem diviſionis, hic verò confuſionis defenſor erat & propugnator: qui quidem ex impietatis diametro ad unum perditionis & abnegationis Dei barathrum deciderant. Sed & centum ſexaginta quinque divinorum Patrum in hac civitate Imperiali congregatorum ſub Juſtiniano piæ memoriæ, qui fuit Imperator noſter, pias voces ut à Spiritu editas cognoſcimus, & poſteros noſtros docemus, qui Theodorum Mopſueſtiæ Neſtorii magiſtrum, & Origenem, & Didymum, & Euagrium, qui gentiles fabulas rurſus fictas retulerunt, & corporum quorundam & animarum circuitiones & immutationes ſeu tranſmigrationes de integro ruminaverunt, ſuis quibuſdam mentis deliriis ac ſomniis: & in mortuorum reſurrectionem impiè ac contumelioſe inſultârunt: & quæ à Theodoreto ſcripta ſunt adverſus rectam fidem & duodecim beati Cyrilli capita, & eam quæ dicitur Ibæ epiſtolam, Synodicè anathematizarunt & exſecrati ſunt. Porrò ſextæ quoque ſanctæ Synodi, quæ in hac civitate Imperiali ſub divæ memoriæ Imperatore noſtro Conſtantino pridem congregata fuerat, fidem, quæ majorem ex eo firmitatem accepit, quod pius Imperator eam ſcriptam ſuo ſignaculo munivit ad futuram in omnia ſecula ſecuritatem, non movendam nec agitandam, nos ſervare rurſus profitemur, quæ duas naturales voluntates ſeu volitiones, duaſque naturales operationes in incarnata unius Domini noſtri Jeſu Chriſti veri Dei œconomia nos piè opinari debere apertè docuit, iis qui rectum veritatis decretum adulteraverant, & unam voluntatem ac operationem unam in uno Domino noſtro Jeſu Chriſto populos docuerant, piâ ſententiâ condemnatis, Theodoro (inquimus) Pharan, Cyro Alexandriæ, Honorio Romæ, Sergio, Pyrrho, Paulo, Petro, qui in hac à

Deo ſervatâ civitate præſederunt, Macario, qui fuit Antiochenſium Epiſcopus, Stephano ejus diſcipulo, & inſipiente Polythronio: hac ratione intacto & illibato communi corpore Domini noſtri Jeſu Chriſti ab eis ſervato. Atque, ut ſemel dicamus, omnium qui in Dei Eccleſia decora ornamentaque fuerunt, & luminaria in mundo, vitæ rationem obtinentia, firmam fidem valere, & uſque ad ſeculi conſummationem inconcuſſam ac illabefactatam permanere ſancimus, eorumque ſcripta ac decreta divinitus tradita: rejicientes omnes & anathematizantes, quos rejecerunt & anathematizarunt, ut veritatis inimicos, & qui adverſus Deum inaniter fremuerunt, & iniquitatem in altum meditati ſunt. Si quis autem ex omnibus prædicta pietatis decreta non tenet & amplectitur, ſicque opinatur & prædicat, ſed iis contra adverſari conatur, ſit anathema, ſecundùm prius expoſitum declaratorum ſanctorum & beatorum Patrum decretum; à Chriſtiano quoque catalogo ut alienus, extrudatur & excidat. Nos enim juxta prius definita neque aliquid adjicere, neque quicquam adimere omnino ſtatuimus, vel ullo modo poſſumus.

## CAPUT SEPTIMUM.

*De phraſi illa, qua ab hujus ſeptimi & ſuperioris etiam ſexti ſeculi Patribus, beata Virgo Maria, appellatur interdum* Domina noſtra; δέσποινα ἡμῶν.

INolevit iſtis ſeculis conſuetudo ſic loquendi de hominibus etiam mortalibus, honoris gratiâ, quamvis neque eorum adorationem aut invocationem, neque ſervitutis debitum importaret hæc loquutio. Actiones omnes ſynodi Conſtantinopolitanæ ſub Menna celebratæ hoc inchoantur exordio; Poſt conſulatum: —— προκαθημένου τοῦ δεσπότου ἡμῶν, τοῦ ἁγιωτάτου καὶ μακαριωτάτου ἀρχιεπισκόπου καὶ πατριάρχου, Μηνᾶ, ἐν τῷ μεσαυλῷ τῷ δυτικῷ τοῦ εὐκτηρίου οἴκου τῆς δεσποίνης ἡμῶν, τῆς ἁγίας ἐνδόξου Θεοτόκου, καὶ ἀειπαρθένου, Μαρίας, &c. id eſt; præſidente Domino noſtro ſanctiſſimo ac beatiſſimo Archiepiſcopo & Patriarcha Mennâ, in Meſaulio dytico (ſeu meditullio aulæ occiduo,) venerabilis domus Dominæ noſtræ, ſanctæ & glorioſæ Dei genetricis, ſemper Virginis Mariæ, &c. Cyrus etiam Patriarcha Alexandrinus ſcribens ad Sergium Patriarcham Conſtantinopolitanum, eum vocat Dominum ſuum, in epiſtola illa Cyri Alexandrini quæ extat in actis ſextæ Synodi œcumenicæ, actione decimatertia. [illegible] Olim etiam Cyrillus Epiſ. Alexandrinus, in ſua Epiſtola ad Proclum Epiſcopum Cp. (quæ extat in fragmentis quintæ Synodi) loquens de Joanne Epiſcopo Antiochiæ, eum vocat dominum ſuum. [illegible]

2. Non eſt igitur quod mireris hoc elogium beatæ Mariæ Virgini tributum eſſe à ſynodis iſtorum ſeculorum: quo innuebant de ſancta Virgine Deipara loquendum eſſe & cogitandum honorificè, & cum agnitione beatitudinis ejus & eximiæ eminentiæ, quamvis à nemine ſit, obtentu alicujus cultûs honorarii, religioſè adoranda aut invocanda, eamque honoremus charitate, non ſervitute. Beatæ Virgini & aliis ſanctis propriè non ſubdimur jure ſervitutis, ut monet Durandus in 3. ſent. diſt. 9. qu. 1. §. 7. Vide ſupra lib. 4. cap. 8. §. 6. & infra, lib. 7. cap. 1. §. 17.

3. Eventus tamen docuit, hac phraſi à ſuperſtitioſis malè intellecta, ſubintraſſe mox abominandam ſanctæ Virginis *ἀποθέωσιν*, id eſt, in idolum transformationem, quantum in illis erat, qui honore planè divino ac ſoli Deo debito (licet inani vocabulorum diverſitate palliato) beatam Deiparam Virginem proſequi aggreſſi ſunt; invitam, & talia ſacrilegia deteſtantem.

3. *Maria erat templum Dei, non Deus templi: & ideò ille ſolus adorandus qui operabatur in templo.* inquit Ambroſius lib. 3. de Spiritu Sancto, cap. 12. Celebre eſt illud Epiphanii, in Panariis, hæreſi 79. ἡ Μαρία ἐν τιμῇ, ὁ κύριος προσκυνείσθω. id eſt, *Maria in honore ſit, Dominus adoretur.* Auguſtinus ait; *Hoc etiam ipſos optimos angelos & excellentiſſima Dei miniſteria velle credamus; ut unum cum ipſis colamus Deum, cujus contemplatione beati ſunt.* —— *Quare honoramus eos charitate, non ſervitute.* —— *Religet nos religio uni omnipotenti Deo.* Hæc Auguſtinus, lib. de vera religione cap. 55. Et hæc quidem notula hoc loco ſufficiat inſtar phari navigantibus, ne in brevia incidant. Vide lib. 4. hujus operis, cap. 8. & lib. 7. ubi ex profeſſo differitur de objecto religioſi cultûs.

## CAPUT OCTAVUM.

*Sergii & Honorii conſenſus de una voluntate, & contra duas operationes, unius Domini noſtri Ieſu Chriſti.*

CUm *Cyrus* Patriarcha Alexandrinus, hæreticos *Severitas* & *Theodoſianos* Eccleſiæ reconcilians, unam Chriſti Dei & Redemptoris noſtri operationem cum eis prædicaret, contradixit *Sophronius*, tum quidem Monachus, poſtea verò factus Patriarcha Hieroſolymitanus, aſſerens duas eſſe Chriſti operationes, humanam ſcilicet & divinam. Et cum apud Cyrum proficeret, profectus eſt cum Cyri literis ad *Sergium* Patriarcham Conſtantinopolitanum, cumque demiſsè ac ſeriò hortatus eſt, ut in hoc argumento uſurpari non ſineret vocem unius operationis; juberet autem duas dici operationes. Sergius hoc decorum arbitratus eſt, concordiam enim in Eccleſia Alexandrina, diuturnis diſſenſionibus quaſſatâ, recens factam, in unius operationis vocabulo, non eſſe conturbandam vel negatione hujus vocabuli, quo & ſanctos quoſdam Patres dicebat uſos eſſe ſine læſione rectæ fidei; vel introductione novæ loquutionis de



de duabus operationibus, qua nullum ex probatis Patribus, quos omnes communiter doctores confiterentur, uſum eſſe ajebat Sergius. nullum enim eorum duas Chriſti operationes expreſsè & ipſis verbis [ῥητῶς καὶ αὐταῖς λέξεσι] dixiſſe. Ne autem inter Alexandrinos & Sophronium gliſcens contentio vehementius exardeſceret, ſcripſit Sergius ad Cyrum, ut, poſtquam unitatem cum his qui ſeparabantur, Deo auxiliante, compoſuiſſet, de cætero nullum permitteret unam aut duas proferre operationes in Chriſto Deo noſtro; & amputaret ſuperfluum iſtum (ut ipſe vocat) verborum conflictum [περιττὴν ταύτην λογομαχίαν;] ne quiſquam offenderetur alterutro vocabulo unius aut duarum operationum: ſed ut omnes permanerent in attrita (ut ille loquitur) Patrum doctrinâ, confitentes, unum eundemque Filium unigenitum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, verum Deum, operari tam divina quàm humana [ἐνεργεῖν τά τε θεῖα καὶ τὰ ἀνθρώπινα;] & omnem Deo decibilem, & homine dignam operationem, [πᾶσαν θεοπρεπῆ καὶ ἀνθρωποπρεπῆ ἐνέργειαν] ab uno eodemque incarnato Deo Verbo procedere inſeparabiliter atque indiviſè, [ἀμερίστως καὶ ἀδιαιρέτως] & ad unum eundemque referri. Abſtinendum verò ab unius operationis vocabulo, ne rurſus in Eccleſiam invehi videatur Eutychianiſmus. Duarum autem operationum dictionem ſcandali non eſſe expertem, tum quod à nullo probabilium Patrum edita ſit, tum etiam quia conſequens ei ſit prædicare duas voluntates, contrarietates circa invicem habentes [δύο θελήματα ἐναντίως πρὸς ἄλληλα ἔχοντα,] tanquam Deo quidem Verbo ſalutarem volente adimpleri paſſionem, humanitate verò ejus obſiſtente ejus voluntati, & contrariante, & inde duos contraria volentes [δύο τὰ ἐναντία θέλοντας] introduci, quod impium eſt. Nunquam autem intellectualiter animatam Domini carnem ſeparatim & ex appetitu proprio contrario nutui uniti ſibi ſecundùm ſubſiſtentiam Dei Verbi naturalem motum ſuum effeciſſe, ſed quando, & qualem, & quantum ipſe Deus Verbum volebat. Ut ſit carnis quidem paſſio, Dei autem operatio. Semper enim in Chriſto totam humanitatem à Deitate in omnibus motam eſſe, ſicut regitur corpus noſtrum ab anima noſtra intellectuali & rationali. Hæc omnia narrantur & ſcribuntur ab ipſo Sergio, in epiſtola ejus ad Honorium Papam Romanum, quæ extat in actis ſextæ Synodi, actione 12. ubi etiam ſcribit Sergius, his contentum Sophronium poſtulaſſe tantum, ut eadem ſcripto comprehenſa ei traderet. In eandem etiam ſententiam ſcripſit Sergius ad Heraclium Imperatorem, & ad ejuſdem Imperatoris Sacellarium, ut idem commemorat.

2. In eadem etiam duodecima ſextæ Synodi actione extat epiſtola *Honorii* Papæ Romani ad Sergium, per quam reſpondens Sergio, cum laudat, quod tam providè circumſpectèque ſcripſiſſet, & novitatem abſtuliſſet vocabuli quod poſſet ſcandalum ſimplicibus generare. Et unam ait fateri Domini voluntatem, quia à Divinitate aſſumpta eſt natura noſtra, non culpa; non natura vitiata quæ repugnaret Legi mentis ejus, ſed illa quæ ante peccatum creata eſt. quod autem Chriſtus ait, *non veni facere voluntatem meam, ſed ejus qui miſit me, Patris:* item, *Non quod ego volo, ſed quod tu vis Pater:* & alia hujuſmodi; Non ſunt hæc (inquit Honorius) diverſæ voluntatis, ſed diſpenſationis humanitatis aſſumptæ. Iſta enim propter nos dicta ſunt, quibus dedit exemplum ut ſequamur veſtigia ejus, pius magiſter diſcipulos imbuens, ut non ſuam unuſquiſque noſtrûm, ſed potius Domini in omnibus præferat voluntatem. Et paullò poſt: Non oportet ad dogmata hæc Eccleſiaſtica retorquere, quæ neque ſynodales apices ſuper hoc examinantes, neque autoritates canonicæ viſæ ſunt explanaſſe, ut unam vel duas energias aliquis præſumat Chriſti Dei prædicare, quas neque Evangelicæ neque Apoſtolicæ literæ, neque ſynodalis examinatio ſuper his habita, viſæ ſunt terminare. —— Nam quia Dominus Jeſus Chriſtus, Filius ac Verbum Dei, per quem facta ſunt omnia, ipſe ſit unus operator Divinitatis atque humanitatis [εἷς ἐστὶν ὁ αὐτὸς ἐνεργῶν τὰ θεῖα καὶ τὰ ἀνθρώπινα] plenæ ſunt ſacræ literæ luculentius demonſtrantes. Utrùm autem propter opera Divinitatis, & humanitatis, una, an geminæ operationes debeant derivatæ dici vel intelligi, ad nos iſta pertinere non debent, relinquentes ea grammaticis, qui ſolent parvulis exquiſita derivando nomina venditare. Nos enim non unam operationem vel duas Dominum Jeſum Chriſtum, ejuſque ſanctum Spiritum, ſacris literis percepimus, ſed multiformiter cognovimus operatum. Scriptum eſt enim, *Diviſiones operationum ſunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.* —— Et nos quidem ſecundùm ſanctiones divinorum eloquiorum oportet ſapere, vel ſperare; illa videlicet refutantes, quæ quidem novæ voces noſcuntur ſanctis Dei Eccleſiis ſcandala generare; ne parvuli aut duarum operationum vocabulo offenſi, ſectantes Neſtorianos nos veſana ſapere arbitrentur; aut certè ſi rurſus unam operationem Domini noſtri Jeſu Chriſti fatendam eſſe cenſuerimus, ſtultam Eutychianiſtarum attonitis auribus dementiam fateri putemur: præcaventes ne, quorum inania arma combuſta ſunt, eorum cineres redivivos ignes flammivomarum denuò renovent quæſtionum: ſimpliciter atque veraciter confitentes Dominum Jeſum Chriſtum unum operatorem divinæ atque humanæ naturæ: electius arbitrantes, ut vani naturarum ponderatores, otioſè negotiantes, & turgidi adverſus nos inſonent vocibus ranarum philoſophi, quàm ut ſimplices, & humiles ſpiritu populi Chriſtiani, poſſint remanere jejuni. *Nullus enim decipiat per philoſophiam & inanem fallaciam, diſcipulos piſcatorum.* —— Hæc nobiſcum fraternitas veſtra prædicet, ſicut & nos ea vobiſcum unanimiter prædicamus, hortantes vos, ut unius vel geminæ novæ vocis inductum operationis vocabulum aufugientes, unum nobiſcum Dominum Jeſum Chriſtum, Filium Dei vivi, Deum veriſſimum, in duabus naturis operatum divinitus, ac humanitus, fide orthodoxâ & unitate Catholica prædicetis. Hæc Honorius, in ſua illa ad Sergium epiſtola, quæ extat in actis ſextæ Synodi, actione duodecima.

*Vide etiam Agathonis Papæ Romani ſuggeſtionem ad Conſtantinum Imperat. in actis ſextæ Synodi, actione quarta, ubi Agatho & ſexta Synodus [illegible] Domini [illegible] exponunt cum Patribus de duabus voluntatibus, humana & divina.*

*Inepta ſimilitudo, Nam ſpiritus ſanctus unius tantum naturæ eſt, Chriſtus duarum. Vide [illegible] ſecunda actione Synodi ſextæ œcumenicæ, & [illegible] ſexta actione ejuſdem Synodi.*

*Vide cap. 2. §. 4. & §. 2.*

## CAPUT NONUM.

### *Sophronii doctrina orthodoxa, quæ à Sergio & Honorio rejecta eſt.*

PRætendunt *Sergius & Honorius* ſe duarum operationum dictionem ideo fugere, ne vel voluntatum in Chriſto contrarietas & carnalis vitioſitas, vel perſonarum pluralitas credatur. Et hoc prætextu duas operationes dici prohibent, imò nec intelligi ſinunt. quamvis interim proteſtentur contra Eutychianiſmum.

2. At certè *Sophronius*, cui reſiſtunt, neque voluntatum in Chriſto contrarietatem, aut carnalem vitioſitatem, neque perſonarum defendit pluralitatem. Diſertè enim in ſuis literis ſynodicis, quas, jam factus Patriarcha Hieroſolymitanus, ſcripſit ad Sergium Patriarcham Conſtantinopolitanum, profitetur Sophronius unum Chriſtum in duabus inſeparabiliter & inconfuſè manentem naturis, omnia ſapienter & verè geſſiſſe noſtra, id eſt, humana opera, & paſſiones naturales atque irreprehenſibiles [τὰ ἡμέτερα ἔργα καὶ πάθη φυσικὰ καὶ ἀδιάβλητα πεπραγμένα] quæ procul à macula atque pollutione ſunt, & in quibus cujuſpiam peccati veſtigium non reperitur. Et Chriſtum Deum naturâ paſſibili naturaliter incarnatum [φύσει παθητῇ φυσικῶς σεσαρκωμένον], quæ humanæ ſunt naturæ geſſiſſe non involuntariè aut coactè [οὐκ ἀκουσίως ἢ ἀναγκαστῶς ἢ ἀβουλήτως,] ut nos plerunque, (apage, inquit, iſtam abominabilem ſuſpicionem, ἄπαγε τῆς βδελυκτῆς ὑπονοίας) quamvis naturaliter ea & humanè admittebat, & humanis motionibus actitabat atque operabatur [καὶ φυσικῶς αὐτὰ καὶ ἀνθρωπίνως προσίετο, καὶ ἀνθρωπίνους κινήσεις ἐκίνει καὶ ἔπραττεν.] ſed ſponte & ſimul naturaliter ſeu congruenter humanæ ſuæ naturæ [ἑκουσίως ἅμα καὶ φυσικῶς.] Deum enim pro nobis hominem ſponte factum hæc pati carnaliter acquieviſſe, ipſumque ſibi ipſi fuiſſe ταμίαν, id eſt, promumcondum paſſionum humanarum & actionum [παθῶν ἀνθρωπίνων καὶ πράξεων,] & non ſolum promum-condum, ſed & αὐτόνομον, id eſt, arbitrum. Et ideo humana ejus fuiſſe ultra hominem. Dabat itaque (inquit) cum volebat, humanæ naturæ tempus operari & pati quæ ſua ſunt, [φύσει τῇ ἀνθρωπίνῃ καιρὸν ἐνεργεῖν καὶ πάσχειν τὰ ἴδια.] ne fortè phantaſia quædam & viſio inanis, nominabilis [ἢ ἀδιανόητος] ejus judicetur incarnatio. Neque hæc involuntariè ſuſcipiebat, etiamſi humanè & humanis motionibus actitabat atque operabatur, ut dictum eſt.

3. Et in eiſdem Synodicis ſuis Sophronius expreſſè affirmat, contra Neſtorium, omnem Chriſti vocem & operationem, ſive divina quædam ſit & cœleſtis, ſive humana atque terrena, ex uno eodemque Chriſto & Filio procedere, ex unaque ejus compoſita & ſingulari ſubſiſtentiâ [κατ᾽ ἐκεῖνο τὸ μίαν αὐτοῦ σύνθετον καὶ μοναδικὴν ὑπόστασιν,] qui incarnatus Deus Verbum exiſtebat, qui & utramque inſeparabiliter & inconfuſè operationem ſecundum naturas ſuas à ſeipſo naturaliter proferebat [ὃ καὶ ἑκατέραν ἀδιαιρέτως καὶ ἀσυγχύτως ἐνέργειαν κατὰ τὰς ἑαυτοῦ φύσεις ἐξ ἑαυτοῦ φυσικῶς προεβάλλετο.] ſecundum divinam quidem naturam ſuam, juxta quam erat Patri conſubſtantialis, operationem divinam & inexplanabilem [τὴν θεϊκὴν καὶ ἀνέκφραστον:] ſecundum humanam verò, juxta quam & hominibus nobis ipſe conſubſtantialis manſit, humanam atque terrenam [τὴν ἀνθρωπίνην καὶ ἐπίγειον:] unicuique naturæ amicam & congruam. [τῇ ἑκάστῃ φύσει φίλην καὶ πρόσφορον.]

4. Atque ita, contra Neſtorium, agnoſcit Sophronius unum duntaxat eundemque Filium & Chriſtum operantem, non duos Chriſtos aut filios operantes, neque diviſionem naturarum operantium, ſed unum eundemque Filium & Chriſtum, qui & ſublimia & humilia naturaliter operatur, ſecundum uniuſcujuſque duarum ejus naturarum naturalem proprietatem, ſeu eſſentialem qualitatem, operante unaquaque naturâ quod ſuum eſt, non diviſè, ſed cum alterius communione. Rurſus contra Eutychetem duas prædicat naturas in uno Chriſto inconfuſè unitas. Denique Monothelitarum errori ſe opponens, ſecundum duas naturas, confitetur duas naturales operationes, ne naturas, quæ inconfuſè unitæ ſunt, confundat: ſiquidem ex operationibus noſcuntur naturæ. ut ipſe argumentatur Sophronius.

5. Hoc etiam argumento utitur *Agatho* Papa Romanus in ſua ſuggeſtione ad Conſtantinum, Imperatorem, quæ inſerta eſt actis ſextæ Synodi œcumenicæ, actione quarta. quod tamen argumentum contemtui habet & contumelioſè explodit *Honorius*, ut ipſius verba, ſuperiore capite recitata, teſtantur. [illegible marginal note: Vide … §. 4.]

6. Hinc piè ſentientes, (ait porrò Sophronius in illis ſuis ſynodicis) & in terminis rectæ fidei conſiſtentes [ἐπὶ τῷ ὅρῳ τῆς ὀρθοδοξίας ἱστάμενοι,] ſic ut unum eundemque Chriſtum & Filium operari utraque dicimus, eo quod Deus idem ipſe erat & homo, nullamque excogitamus confuſionem [καὶ οὐδεμίαν ὀνειροπολούμεθα σύγχυσιν,] ita nec utramque formam cum alterius communione operari propria differentes, eo quod duæ formæ [δύο μορφαὶ] in uno eodemque Chriſto naturaliter propria operantes, exſiſtunt, ullam penitus conſideramus diviſionem [παρὰ τὸ συγγενὲς ἐν ταὐτῷ διαίρεσιν:] ſicut hic quidem Eutyches, illic verò nobis vult calumniari [συκοφαντεῖν ἐθέλει.] Neſtorius, è diverſo ad invicem conſiſtentes, & adverſum nos pios impium prælium parientes. quos pro nihilo reputantes, & utriuſque naturæ utramque novimus operationem, eſſentialem dico, & naturalem, & congruam, indiviſè de unaquaque procedentem eſſentia & natura, juxta inſitam ei naturalem atque eſſentialem qualitatem, & inſeparabilem ſimulque inconfuſam alterius eſſentiæ una ſecum cooperationem adducentem [καὶ ἑκατέρας φύσεως ἑκατέραν ἴσμεν ἐνέργειαν, οὐσιώδη λέγω καὶ φυσικὴν καὶ πρόσφορον, ἀδιαιρέτως ἐξ ἑκατέρας προϊοῦσαν οὐσίας καὶ φύσεως, κατὰ τὴν ἐμπεφυκυῖαν αὐτῇ φυσικὴν καὶ οὐσιώδη ποιότητα, καὶ ἀμέριστον ἅμα καὶ ἀσύγχυτον τῆς ἑτέρας οὐσίας συνεπαγομένην συνεργείαν.] Hoc quippe & operationum, quæ in Chriſto ſunt, differentiam facit, ſicut & naturas eſſe naturarum [τοῦτο γὰρ καὶ τῶν ἐνεργειῶν τῶν ἐν Χριστῷ ποιεῖ τὸ διάφορον, ὥσπερ δὴ καὶ τὸ εἶναι τὰς φύσεις τῶν φύσεων.] —— quemadmodum igitur utriuſque eſſentiæ atque naturæ, ex quibus nobis in Chriſto inconfuſa facta eſt unitas [ſeu unitio, ἕνωσις,] & unum Chriſtum perfecit & Filium, totum Deum, totum eundem ipſum credendum & hominem [ὅλον Θεόν, ὅλον τὸν αὐτὸν πιστευόμενον ἄνθρωπον,] utramque naturalem confitemur operationem, ne naturas, quæ inconfuſè unitæ ſunt confundamus [ἑκατέραν φυσικὴν ὁμολογοῦμεν ἐνέργειαν, ἵνα μὴ τὰς ἀσυγχύτως ἑνωθείσας φύσεις συγχέωμεν]; ſiquidem ex operationibus tantum, ſecundum eos qui ſunt talia callentes, naturæ noſcuntur, & eſſentiarum ſemper differentiam ex differentia operationum eſt inſitum comprehendere [ἐκ γὰρ τῶν ἐνεργειῶν καὶ μόνων, κατὰ τοὺς τὰ τοιαῦτα δεινούς, αἱ φύσεις γνωρίζονται· καὶ τῶν οὐσιῶν ἀεὶ τὸ διάφορον ἐκ τοῦ διαφόρου τῶν ἐνεργειῶν περιλαμβάνειν πέφυκε.]



7. Poſtea in eiſdem Synodicis, hanc ipſam eſſe affirmat ſanctorum Patrum doctrinam; ut, nimirum, nullam Chriſti operationem ab uno Filio ſequeſtremus, neque duas in Emmanuele agnoſcamus ſubſiſtentias; ſed tamen cujus naturæ proprium [ἰδικῶς] ſit quod geritur, id ratione dignoſcendum eſſe meminerimus. Et hanc proponit neceſſariò tenendam vocum & operationum Chriſti diſtinctionem; Quod ſcilicet quædam earum ſint Deum decentes [θεοπρεπῆ,] quædam verò hominem decentes [ἀνθρωποπρεπῆ,] & quædam medium quendam ordinem obtinentes, tanquam habentes in eodem quod Deum deceat & quod humanum eſt [ὡς ἔχοντα τὸ θεοπρεπὲς ἐν ταὐτῷ καὶ ἀνθρώπινον.] Et hujus virtutis [θεανδρικήν] eſſe ait eam operationem quæ *communis & Deivirilis* [κοινὴ καὶ θεανδρικὴ] Dionyſio dicta eſt, eamque ait, non eſſe unam, ſed diverſi generis & differentem [ἑτερογενῆ καὶ διάφορον,] utpote habentem ſimul quod Deum deceat & quod humanum eſt, ideóque Dionyſium Areopagitam per elegantiſſimam & compoſitam appellationem perfectè ſignificaſſe uniuſcujuſque ſubſtantiæ atque naturæ unamquamque operationem [τῆς ἑκάστης οὐσίας καὶ φύσεως ἑκάστην ἐνέργειαν.] [illegible marginal notes]

8. Hæc pluribus docet Sophronius in illis ſuis Synodicis, quæ extant in actis ſextæ Synodi œcumenicæ, actione undecimâ. Ex quibus liquidò patet, Sophronium non conſenſiſſe Sergio de reticendis vocibus duarum operationum & duarum voluntatum: ſed potius miſſa pro tempore concertatione, ſeipſum cohibuiſſe, donec opportunior ſe offerret occaſio pleniorem exhibendi mentis ſuæ declarationem. Nam has ſynodicas Sophronii literas nondum acceperat Sergius, quando memoratam illam ſuam epiſtolam ſcripſit ad Honorium. Sophronius autem in ſuis ſynodicis hanc ſuam confeſſionem palam promulgavit, affirmans ſe hæc ſapere atque credere didiciſſe ex Apoſtolica & Euangelica, ac Prophetica & legali, & ex Paterna & doctrinali prædicatione.

9. Scribendi occaſionem præbuit Sophronio provectio ipſius in ſolium Pontificale [εἰς θρόνον ἀρχιερατικὸν] ut ipſe loquitur. Nam veteribus fuit in more poſitum, ut ſedis alicujus, præſertim eminentioris, Epiſcopus recens promotus, fidei ſuæ confeſſionem ſcriptam mitteret ad alios Epiſcopos, vel Patriarchas, (in quo ſe imitari dicebant exemplum Apoſtoli Pauli, de quo ad Galat. 2. 2.) ut ſic in Eccleſia & fidei ſinceritas & Catholica unitas conſervaretur. Sed hoc ipſius Sophronii verbis malo declarare; ſic igitur ille in ſuis illis ſynodicis: Ἐπειδὴ τις ἀποστολικὴ καὶ ἀρχαία παράδοσις ἐν ταῖς κατὰ πάντα τὸν κόσμον ἁγίαις ἐκκλησίαις κεκράτηκεν, ὥστε τοὺς εἰς ἱεραρχίαν ἀγομένους τοῖς πρὸ αὐτῶν τὴν ἱεραρχίαν χειρίζουσι πάντα εἰλικρινῶς ἀνατίθεσθαι, ὅπως φρονοῦσι καὶ ὅπως πίστεως ἔχουσιν. ὃ Παῦλος αὐτοῖς ὁ σοφώτατος ἄγαν ἀσφαλῶς παραδίδωσιν, ἵνα μὴ εἰς κενὸν τὸ δραμεῖν τρέχωσι. κενὸς γὰρ αὐτοῖς ἅπας ὁ δρόμος ἐγίγνετο, ἀδικουμένης κατά τι τῆς πίστεως. —— τούτῳ τοιγαροῦν καὶ ἡμεῖς τῷ ἔθει δουλεύοντες, καὶ νόμον ἡγούμενοι κράτιστον, πᾶν τὸ τοῖς πάλαι πρεπόντως γινόμενον, ἀποστολικῇ μάλιστα κρατυνθὲν ἐγχειρήσει, τὸ ὅπως ἔχομεν πίστεως γράφομεν· καὶ ταῖς θεοσόφοις ὑμῶν ψυχαῖς δοκιμάζειν ἀποστέλλομεν, ἵνα μὴ ὅρια μεταθεῖναι αἰώνια, ἃ οἱ πατέρες ἡμῶν ἔθεντο, &c. id eſt; quia verò quædam Apoſtolica atque priſca traditio in ſanctis Dei per totum orbem Eccleſiis tenuit, ut qui ad Pontificatum ducuntur, eis qui ante illos Pontificatus gerunt, omnia ſinceriter exponant, qualiter ſapiant, & qualiter in fide ſe habeant: quam Paulus eis ſapientiſſimus admodum cautè tradidit, ut non curſus ſuos in vanum peragant. Inanis namque eis omnis curſus exſiſteret, ſi in quolibet fides violaretur. —— Huic proinde & nos conſuetudini ſervientes, & legem optimam arbitrantes, omne quod olim à veteribus decenter factitatum eſt, maximè Apoſtolicâ roboratum exſequutione, qualiter de fide teneamus, ſcribimus: vobiſque à Deo inſtructis ad probationem dirigimus. Ne fortè terminos æternos tranſgredi, quos Patres noſtri poſuerunt, exiſtimemur, &c. (Vide Gregor. lib. 1. epiſt. ex reg. capp. 24. 25. & lib. 7. cap. 53.)

Vide lib. 3. hujus operis, cap. 16. §. 4.

Galat. 2, 2.

10. Scriptum verò illud, fidei confeſſionem complectens, quod à novis Epiſcopis ad alios Epiſcopos mitti ſolebat, appellabant Græci τὰ συνοδικά. unde Sergius in ſua illa ad Honorium epiſtola ſuperius allegatâ, ſcribit ſe ex ſolo auditu didiciſſe, promotum eſſe Sophronium ad Epiſcopatum Hieroſolymitanum, eo quod nondum acceperit ab eo hujuſmodi ſcriptum, ὅτι οὐ γὰρ αὐτοῦ τὰ ἐξ ἔθους συνοδικὰ μέχρι τοῦ νῦν ἐδεξάμεθα, Latinis dicebatur *ſynodica epiſtola*. Gregor. lib. 1. epiſt. ex regiſt. epiſt. 25. & lib. 6. epiſt. ex regiſtro, capp. 169. & 188. quia novus Præſul eam ſcribebat cum conſenſu ſynodi ſuæ.

11. Quia autem toties autoritatem Patrum crepabant Monothelitæ, Sophronius eis validiſſimè contradicens, dedit in duobus libris ſexcenta teſtimonia Patrum, ad evictionem impietatis negantium duas operationes, & veritatis oſtenſionem. ſicut teſtatur Stephanus Epiſcopus Dorenſis, de provincia Hieroſolymitana, familiaris Sophronii, in ſuo libello quem exhibuit Synodo Romanæ, ſub Martino Papa primo celebratæ: qui etiam libellus adhuc extat in actis ejuſdem Synodi, ſecretario ſecundo.

12. Ex his jam conſtat, quænam fuerit doctrina Sophronii, cui Sergius & Honorius, in veritatis Catholicæ rejectione & ſuppreſſione unanimes, tantopere contradixerunt.

## CAPUT DECIMUM.

*Honorium Papam Romanum, cum aliis Monothelitis hæreticis, propter eandem hæreſin, damnatum & anathematizatum eſſe à ſexta œcumenica Synodo, aliiſque ſynodis, ipſiſque adeò Romanis Pontificibus, luculenter oſtenditur.*

PErlectis in ſancta ſexta Synodo œcumenicâ ſynodicis Sophronii, actione decimâ: & dogmaticis Sergii ac Honorii epiſtolis, quas ſuperius memoravimus, excuſſoque Patriarchii Chartophylacio, inventiſque earum genuinis exemplaribus, ipſaque authentica epiſtolâ Latina Honorii ex Chartophylacio prolatâ, & à Synodo ipſiſque Romanis Legatis agnitâ, actione duodecimâ; ſancta Synodus, re totâ diligenter perpenſâ, de ipſis ſcriptis, eorumque auctoribus, hanc pronunciavit ſynodalem ſententiam, actione decima-tertia.

2. Sanctum Concilium dixit; Retractantes [ἀναψηλαφήσαντες] dogmaticas epiſtolas, quæ à Sergio quondam Patriarcha hujus à Deo conſervandæ regiæ urbis ſcriptæ ſunt, tam ad Cyrum, qui tunc fuerat Epiſcopus Phaſidis, quam ad Honorium quondam Papam antiquæ Romæ: ſimiliter autem & epiſtolam ab illo, id eſt, Honorio reſcriptam ad eundem Sergium, haſque invenientes omnino alienas exſiſtere ab Apoſtolicis dogmatibus, & à definitionibus ſanctorum Conciliorum, & cunctorum probabilium Patrum; ſequi verò falſas doctrinas hæreticorum [illegible] eas omnino abjicimus, & tanquam animæ noxias execramur [illegible] Quorum autem, (id eſt, eorundem) impia execramur dogmata, horum & nomina à ſancta Dei Eccleſia projici [illegible] judicavimus, id eſt, Sergii quondam Præſulis hujus à Deo conſervandæ regiæ urbis, qui aggreſſus eſt (vel incepit, [illegible]) de hujuſmodi impio dogmate conſcribere, Cyri Alexandriæ, Pyrrhi, Pauli, & Petri, qui & ipſi præſulatu functi ſunt in ſede hujus à Deo conſervandæ civitatis, & ſimilia eis ſenſerunt [illegible] adhæc & Theodori quondam Epiſcopi Pharan. quarum omnium ſupra ſcriptarum perſonarum mentionem fecit Agatho ſanctiſſimus ac ter beatiſſimus Papa antiquæ Romæ, in ſuggeſtione quam fecit ad piiſſimum & à Deo confirmatum [illegible] Dominum noſtrum & magnum Imperatorem, eoſque abjecit, utpote contraria rectæ fidei noſtræ ſentientes: quos & anathemati ſubmitti definimus. Cum his verò ſimul projici à ſancta Dei Catholica Eccleſia, ſimulque anathematizari prævidimus & Honorium, qui fuerat Papa antiquæ Romæ, eò quod invenimus per ſcripta, quæ ab eo facta ſunt ad Sergium, quia in omnibus ejus mentem ſecutus eſt, & impia dogmata confirmavit. [illegible] Pertractavimus autem & ſynodica [ſυνοδικὰ] Sophronii ſanctæ memoriæ [illegible], quondam Patriarchæ ſanctæ Chriſti Dei noſtri Hieroſol. civitatis, & hæc reperientes cum vera fide convenientia [illegible] Apoſtoliciſque & ſanctorum atque probabilium Patrum doctrinis parìa [illegible], utpote quæ ſunt orthodoxa, recepimus [illegible] & ut ſalubria [illegible] ſanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ ſuſcepimus: & nomen ejus inſeri ſanctis diptychis ſanctarum Eccleſiarum [illegible] judicavimus. *Hactenus verba Synodi loco citato.*

*Quam ob cauſam anathematizatus Honorius.*

*Approbatio Sophronii.*

3. Prolata etiam eſt ex Chartophylacio Patriarchii, ſub finem ejuſdem actionis decimæ tertiæ, alia Latina epiſtola ejuſdem Honorii, quæ ad eundem Sergium ſcripta erat poſt divulgata Sophronii ſynodica, miſſoſque etiam ad Honorium à Sophronio Patriarcha legatos ad expetendam ejus ſocietatem contra eos qui unicam operationem prædicabant, aut duas negabant. In ea epiſtola hæc ſunt Honorii verba, prout in actis ſynodicis deſcripta leguntur, loco citato; *Nec non & Cyro fratri noſtro, Alexandriæ civitatis Præſuli, quatenus nova adinventionis unius vel duarum operationum vocabulo refutato, claro Dei Eccleſiarum præconio nebuloſarum concertationum caligines effundi non debeant vel aſſeri, ut profectò unius vel geminæ operationis vocabulum noviter introductum à prædicatione fidei eximatur. Nam qui hæc dicunt, quid aliud niſi juxta unius vel geminæ naturæ Chriſti Dei vocabulum, ita & operationem unam vel geminam ſuſpicantur, ſuper quod clara ſunt divina teſtimonia. Unius autem operationis vel duarum eſſe vel fuiſſe Mediatorem Dei & hominum, Dominum Jeſum Chriſtum ſentire & promere ſatis ineptum eſt.* [Græc. [illegible]] Item circa finem ejuſdem epiſtolæ; *Et quidem quantum ad inſtruendam notitiam ambigentium, ſanctiſſimæ fraternitati veſtræ per nos inſinuandum prævidimus. Cæterum quantum ad dogma Eccleſiaſticum pertinet, quæ tenere vel prædicare debemus propter ſimplicitatem hominum, & amputandas inextricabiles quæſtionum ambages, ſicut ſuperius diximus, non unam vel duas operationes in Mediatore Dei & hominum definire, ſed utraſque naturas in uno Chriſto unitate naturali copulatas, cum alterius communione operantes, atque operatrices confiteri debemus: & Divinam quidem quæ Dei ſunt operantem, & humanam quæ carnis ſunt exſequentem, non diviſè, neque confusè aut convertibiliter, Dei naturam in hominem, aut humanam in Deum converſam, edocentes, ſed naturarum differentias integras confitentes.* Et paullo poſt: *Et hoc quidem beatiſſima fraternitati veſtræ inſinuandum prævidimus, quatenus unius confeſſionis propoſitum unanimitati veſtræ, ſanctitati monſtraremus, ut profectò uno ſpiritu anhelantes, pari fidei documenta conſpiremus, &c.* Hæc Honorius in illa poſteriore epiſtola, de qua, aliiſque Monothelitarum ſcriptis in Synodo ſexta prolatis, quid Synodi illius Patres decreverint, declarant acta ſynodalia in fine actionis decimæ-tertiæ, his verbis.

4. Ἡ ἁγία σύνοδος εἶπεν. *Sanctum Concilium dixit: Cognitionem accipientes prolatæ nobis à Gregorio Deo amabili Diacono & Chartophylace hujus ſanctæ magnæ Dei Eccleſiæ, libellorum atque chartarum ſive aliorum opuſculorum, comperimus in unam eandemque impietatem concurrere* [illegible] *Et prævidimus hæc tanquam profana & animæ perniciosa, continuò ad perfectum exterminium igne cremari.* [illegible] *Et combuſta ſunt.* [illegible] Hæc ibi.

5. Atque ita memoratæ duæ epiſtolæ Honorii, una cum ſcriptis Theodori Pharanitani, Cyri Alexandrini, Sergii & Pyrrhi, & Pauli & Petri Conſtantinopolitanorum, decreto ſynodali damnatæ & combuſtæ ſunt; tanquam in unam eandemque impietatem cum eis concurrentes, adeòque ut profanæ & animæ perniciosæ. Earumque autor Honorius anathemate cum eiſdem hæreticis damnatus eſt, ut qui in omnibus mentem Sergii ſequutus ſit, & impia dogmata confirmaverit.

6. Eundem Honorium cum reliquis Monothelitis eadem ſexta Synodus iterum anathematizavit, actione decima-octavâ, in definitione Synodica, quam ſuperiùs exhibuimus, capite quarto. Et rurſum anathema eidem Honorio dixit eadem Synodus, in eadem actione decima-octavâ in exclamatione Synodi ad Conſtantinum Imperatorem. Item in ſermone Proſphonetico ſeu acclamatorio ad eundem Imperatorem, ubi ait Synodus, *ſe anathematizaſſe cum Sergio, Cyro, aliiſque Monothelitis Honorium, qui fuit Romæ Præſul, utpote qui eos in his ſequutus ſit* [illegible] In literis etiam Synodalibus à ſexta Synodo miſſis ad Agathonem Papam Romanum, commemorat Synodus ſe anathematibus interemiſſe Honorium cum reliquis Monothelitis.

7. Conſtantinus etiam Imperator in ſuo edicto, quo Synodum ſextam confirmat, ejuſque ſuſceptionem omnibus ſuis ſubditis injungit; Honorium cum aliis Monothelitis anathematizatum eſſe teſtatur: & Synodo conſentiens pro ſe etiam eundem Honorium, utpote horum hæreſeos in omnibus fautorem, concurſorem, atque confirmatorem, [illegible] Interfuit autem Synodo Imperator Conſtantinus, ejuſque definitionem Synodicam, ipſo jubente ac audiente relectam in Synodo, ſuâ etiam ſubſcriptione corroboravit. Et imperiali ſuo edicto eam omnibus commendavit. ut legere eſt in actione decima-octavâ illius Synodi.

8. Leo Papa Romanus hujus nominis ſecundus, Agathonis ſucceſſor, acceptis actis ſextæ Synodi cum literis Conſtantini Imperatoris, ſcripſit epiſtolam ad eundem Imperatorem Conſtantinum, quæ etiam legitur in actione decima-octavâ ſextæ Synodi; in qua epiſtola Leo Papa, ſuſcipiens ſanctam ſextam Synodum, ejuſque actis ad ſe tranſmiſſis, & edicto Imperatoris conſentiens, anathematizat Honorium, quem ait Apoſtolicam Eccleſiam non Apoſtolicæ traditionis doctrinâ luſtraviſſe, ſed profanâ proditione immaculatam fidem ſubvertere conatum eſſe.

9. In eadem priore parte tomi tertii Conciliorum, edit. Colon. [in edit. autem Pariſ. tom. 5.] poſt Concilium Toletanum duodecimum, ſubjungitur ejuſdem Leonis Papæ ſecundi vita, ab Anaſtaſio bibliothecario ſcripta, ubi Anaſtaſius loquens de ſexta Synodo à Leone ſuſcepta, ait, in ea condemnatos eſſe Cyrum, Sergium, Honorium, & Pyrrhum, &c.

10. Adjiciuntur ibidem ejuſdem Leonis Papæ epiſtolæ. ubi in epiſtola ad univerſos Hiſpaniæ Epiſcopos, narrans Leo & Hiſpanis ſuſcipienda commendans, quæ in S. VI. Synodo geſta ſunt, reliquis in ea Synodo meritò anathematizatis accenſet Honorium, *quem ait flammam hæretici dogmatis non, ut decuit, Apoſtolicam authoritatem, incipientem extinxiſſe, ſed negligendo confoviſſe.* Et in epiſtola ad Ervigium Gothorum in Hiſpania regem, ſcribit idem Leo, *damnatum in ſexto Concilio, & de Catholica Eccleſia adunatione projectum eſſe Honorium, qui immaculatam,* (verba ſunt Leonis) *Apoſtolicæ traditionis regulam, quam à Prædeceſſoribus ſuis accepit, maculari conſenſit.* Hæc Leo.

11. Eandem Honorii condemnationem, in ſexta Synodo factam, iidem illi Patres qui ſextæ Synodo interfuerant, repetunt in altero ſuo conventu, quem ſub Juſtiniano ſecundo habuerunt, id eſt, in quini-ſexta ſynodo, canone primo, quem tibi ſuprà exhibuimus, cap. 6. hujus libri.

*Et Quini-ſextâ Synodo.*

12. Poſtea Theodorus Patriarcha Hieroſolymitanus, cum ſua Synodo, anathematizavit Honorium, ut hæreticum & à ſexta Univerſali Synodo damnatum. ut patet ex ejus ſynodica epiſtola, quæ inſerta eſt actis Synodi Nicænæ ſecundæ. actione tertiâ.

*Et Theodorus Patriarcha Hieroſol. cum ſua Synodo.*

13. Synodus etiam Nicæna ſecunda, quam Papiſtæ ut orthodoxam & œcumenicam ſuſcipiunt, eandem Honorii condemnationem à ſexta Synodo factam, commemorat, ejuſque æquitatem prædicat, eamque etiam ſuo conſenſu & approbatione confirmat: nam actione tertia illius Nicænæ Synodi, Taraſii Patriarchæ Conſtantinopolitani epiſtolam ad Alexandrinum, & Antiochenum & Hieroſolymitanum Patriarchas ſcriptam; Et Theodori Patriarchæ Hieroſolymitani ſynodicam epiſtolam ſcriptam ad Coſmam Patriarcham Alexandrinum, & ad Theodorum Patriarcham Theopolitanum, cujus exemplum à ſummis ſacerdotibus Orientis ad Taraſium etiam miſſum eſt; has, inquam, epiſtolas tota Synodus Nicæna ſuſcipit, eis conſentiens. In his autem epiſtolis Honorius Romanus anathematizatur, ut hæreticus, & ut eo nomine jam ante à ſexta Synodo jure damnatus & anathemati ſubjectus. Et rurſus, in actione ſexta ejuſdem Nicænæ Synodi, in illa Concilii contra imagines habiti refutatione, quæ, ex mente Nicænæ illius Synodi laudatur tanquam à Spiritu Sancto dictata, initio illius actionis, in illa inquam refutatione, tomo 2.5. *Has ſanctas & univerſales Synodos.* Aſſeritur Honorium juſtè anathematizatum eſſe à ſancta & Catholica Eccleſia, ut hæreticum. Et in ſeptima actione, in definitione ſynodica, ſic loquitur ſynodus illa Nicæna ſecunda; Deinde quoq; & duas voluntates & operationes ſecundum naturarum proprietatem in Chriſto prædicamus, quemadmodum & Conſtantinopoli ſexta Synodus exclamavit, abjiciens Sergium, Honorium, Cyrum, Pyrrhum, Macarium, & eos qui ſine voluntate ſunt pietatis, atque illis ſimilia ſentientes. Hæc ibi. Hujus Synodi Nicænæ acta vertit Latinè Anaſtaſius bibl. & in ejus etiam verſione iſta omnia habentur. Subſcripſerunt cum aliis Legati Adriani primi, Papæ Romani.

*Et Synodus Nicæna ſecunda.*

*Damnationem Honorii agnoſcit atque approbat Hadrianus 2. Papa Romanus.*

14. Adrianus, etiam hujus nominis ſecundus, Papa Romanus, in Concilio Romæ habito, anno Dom. 868. alloquutione tertiâ, teſtatur Honorio poſt mortem anathema dictum eſſe ab Orientalibus, propter hæreſin, idque factum eſſe ait cum conſenſu & autoritate ipſius Romani Pontificis. Et addit, hæreſin eſſe idoneam cauſſam reſiſtendi motibus & liberè reſpuendi pravos ſenſus etiam Papæ Romani. Hæc habentur in actis Romanæ illius Synodi ſub Adriano celebratæ, quæ acta recitantur in actione ſeptima Concilii illius Conſtantinopolitani, quod octavum œcumenicum vocant Romanenſes: In illo ipſo Concilii illius Conſtantinopolitani codice Latino, de quo Anaſtaſius bibliothecarius, Quicquid, inquit, in Latino actionum octavæ Synodi codice reperitur, ab omni eſt fuco falſitatis extraneum. Hæc Anaſtaſius in ſua præfatione in illud Concilium, ad Adrianum ſecundum Papam Romanum, ubi etiam ſe eidem Concilio interfuiſſe, & reducem acta ejuſdem Concilii, juſſu ejuſdem Adriani Papæ, in Latinam tranſtuliſſe perhibet dictionem. Celebratum eſt autem Conſtantinopolitanum illud Concilium ſub Baſilio Imperatore, anno Dominicæ 870. conſidentibus illic etiam Legatis ejuſdem Adriani Papæ Romani.

*Honorium etiam anathematizat Synodus illa, quæ Romanis octava œcumenica dicitur.*

15. Illud ipſum etiam Concilium, quod octavum vocant, rurſus anathematizavit Honorium actione decima, in termino illius Concilii, ubi hæc ſunt Concilii illius verba: *Et cum prædictis ſynodis conſonantem, & eadem ſentientem ſanctam & univerſalem ſextam ſynodum ſuſcipientes, quæ in unius Chriſti duabus naturis, conſequenter etiam duas operationes, ac totidem voluntates ſapienter aſſeveravit. Anathematizamus autem Theodorum, qui fuit Epiſcopus Pharan, & Sergium & Pyrrhum, & Paulum ac Petrum impios Præſules Conſtantinopolitanorum Eccleſiæ, atque cum eis Honorium Romæ, unà cum Cyro Alexandriæ*, &c. Hæc ibi in eodem illo Latino codice Anaſtaſiano. Et huic termino ſubſcripſerunt cum aliis Legati Adriani ſecundi Papæ Romani, qui etiam eandem ſynodum ut œcumenicam ſuſcepit.

16. Nos quidem meritò rejicimus ſacrilegum illum imaginum cultum à ſynodo illa Nicæna, quæ ſeptima dicitur, & Synodo iſta Conſtantinopolitana, quam octavam vocant, ſuſceptum: at ſynodorum iſtarum auctoritatem non poſſunt defugere Papiſtæ, qui eas ut ſynodos œcumenicas & per omnia orthodoxas venerantur.

*Honorium à ſexta Synodo damnatum eſſe, teſtantur etiam Photius, Ado, Cedrenus, Marianus Scotus, Abbas Urſpergenſis, Albertus Abbas Stadenſis, Pſellus, Beda, & Johannes de Turrecremata, & Melchior Canus.*

17. Photius Patriarcha Conſtantinopolitanus (qui eodem nono ſeculo floruit) in ſuo libello περὶ τῶν ζ συνόδων οἰκουμενικῶν, id eſt, de ſeptem ſynodis œcumenicis, inter eos qui à ſexta Synodo juſtè condemnati ſunt, refert Ὀνώριον τὸν Ῥώμης, Honorium Romæ. Idem etiam Photius, ἐν τῇ βιβλιοθήκῃ τῶν ἀνεγνωσμένων αὐτοῦ βιβλίων, id eſt, in opere illo quod appellat bibliothecam librorum ſibi lectorum: codice vigeſimo; Lecta ſunt (inquit) acta ſextæ Synodi in actionibus, in quibus Sergius, Cyrus, Pyrrhus Conſtantinopolitanus anathemate damnati ſunt [ἀναθεματισθέντες,] Honorius item Romanus [μεθ' ὧν Ὀνώριος Ῥώμης,] Polychronius, aliique, &c.

18. Græco-latinæ editioni bibliothecæ Photii præmittuntur eruditorum aliquot de Photio judicia, in quibus hæc ponuntur verba Franciſci Turriani Jeſuitæ, ex ejus proœmio in conſtitutiones Clementis: Photius Conſtantinopolitanus eruditiſſimus & incredibili lectione auctor. In eo præſertim opere quod bibliothecam de libris à ſe lectis nominavit, in quo tam accuratè, tam acri ingenio, tam conſideratè, tam doctè, tam diſtinctè, tam liberè de tanta multitudine & varietate librorum judicium facit, ut nihil animadverſione dignum prætermiſiſſe videatur. Hæc Turrianus. Item verba hæc Andreæ Schotti Jeſuitæ ex ejus notis ad Chriſtomachiam Procli; Photius cenſor & criticus graviſſimus, ſummi ingenii & judicii: ——— De ſtyli charactere, ſcriptorum numero, & titulis, quæ γνήσια, quæ ψευδεπίγραφα, quid laude, & im-tatione dignum in ſingulis deprehendiſſet, ſine fuco & odio, more majorum pronunciat. Hæc Schottus, qui Photii bibliothecam Latinè vertit.

19. Ado Epiſcopus Viennenſis, (ejuſdem ſeculi ſcriptor) in ſuo Chronicorum breviario, ſcribit Honorium cum reliquis Monothelitis anathematizatum eſſe à ſexta univerſali Synodo.

20. Beda, qui florebat ſeculo octavo, in ſuo libro de temporibus, capite ſexageſimo ſeptimo, de curſu ſex ætatum, in Conſtantino quarto Imperatore, ſcribens de ſexta œcumenica Synodo, Honorium connumerat eis qui ab illo Synodo anathematizati ſunt, inquiens; Macarius verò [Antiochiæ Epiſcopus,] cum ſuis ſequacibus, ſimul & præceſſoribus Cyro, Sergio, Honorio, Pyrrho, Paulo & Petro anathematizatus. Hæc Beda.

21. Georgius Cedrenus (qui ſcribebat ſeculo undecimo) in ſua hiſtoriarum ſynopſi, in Conſtantino Pogonato, ait congregatam eſſe ſextam Synodum contra Theodorum Pharanitanum Epiſcopum, Honorium Romæ, Cyrum Alexandriæ, & alios. Affirmabant hi (inquit) unam voluntatem & unam operationem. *& quæ ſequuntur.*

22. Honorium Papam Romanum, cum aliis hæreticis Monothelitis, à ſexta œcumenica ſynodo anathematizatum eſſe, ſcripſerunt in ſuis Chronicis, Marianus Scotus, qui floruit anno Domini milleſimo octogeſimo; & Abbas Urſpergenſis, qui vivebat, jam Presbyter, anno Domini milleſimo ducenteſimo ſecundo. Et Albertus Abbas Stadienſis, qui claruit anno Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſexto.

23. Eundem Honorium Hæreticum fuiſſe tradit Pſellus, in carmine de ſeptem Synodis, quem de hoc argumento citat Melchior Canus, ſcriptor Pontificius, Epiſcopus Canarienſis, qui in eandem ſententiam citat Bedæ librum, de rerum natura, capite ſexageſimo ſeptimo, & acta ſynodorum, quibus conſentiens ipſe Canus, confitetur atque agnoſcit, non poſſe Honorium ab hæreſi vindicari. Et Albertum Pighium, Honorii defenſionem molientem, & Conciliorum (ut Canus loquitur) acta calumniantem, refellit, In locis Theologicis, libro 6. capite ultimo, ad argumentum undecimum.

24. Et ante Canum, Johannes de Turrecremata, Epiſcopus Cardinalis Sabinus, Honorium à Synodo ſexta & à Leone Papa ſecundo, in veritate hiſtoriæ ſeu verè de facto, condemnatum



condemnatum eſſe concedit, ut refert Binius in ſextum Concilium œcumenicum: verbo, *approbatum*.

25. Atque ita veritatem rei geſtæ, de damnatione Honorii, per hiſtoricam aſſertionem luculenter demonſtravimus. Sequitur ut contradicentium objectionibus reſpondeamus, eiſque profligatis, omnem candido Lectori ſcrupulum eximamus, & veritatem hanc hiſtoricam tueamur.

## CAPUT UNDECIMUM.

*Argumenta, ſive inanes cavillationes, quibus, contra clariſſimam rei geſtæ hiſtoriam, utuntur Papiſtæ quidam infallibiliarii; nempe Onuphrius in Honorium Platinæ, Bellarminus & Gretſerus, lib. 4. de Romano Pontifice, cap. 11. Andreas Schottus, in codicem 20. bibliothecæ Photii. Baronius, in Epitome Spondani, annis Chriſti 633. & 681. & Binius, in notis ſuis in vitam & epiſtolas Honorii Papæ, & in notis in vitam Agathonis, & in ſextum Concilium œcumenicum, & in vitam & epiſtolas Leonis ſecundi Papæ Romani.*

Summa totius moliminis iſtorum ſcriptorum pro Honorio ad duo capita, disjunctivè, ab ipſis reducitur. Nam vel factum negant, vel jus ſeu æquitatem facti inficiantur. Prioris ordinis argumenta prius examinabimus, quæ verò de jure loquuntur, diſcutiemus inferius, ubi de æquitate ſententiæ contra Honorium latæ diſſeremus.

2. Prior igitur Honorii defenſio, quam proponunt, hæc eſt: Epiſtolas illas quæ dicuntur Honorii ad Sergium, eſſe confictas, & ab hæreticis inſertas ſextæ Synodo, ipſaque acta ſynodalia ſextæ Synodi ab eiſdem malevolis, additione nominis Honorii, eſſe falſata & corrupta.

3. Si quæras, à quo, & quando depravata ſint Synodi Sextæ acta. Reſpondent Baronius & Binius & Schottus, Theodorum Syncellum Patriarcham Conſtantinopolitanum ea corrupiſſe. Hunc enim, propter expunctum è ſacris diptychis invito Imperatore nomen Vitaliani Papæ Romani, de ſede Conſtantinopolitana dejectum eſſe, ſuffecto in ejus locum Georgio, qui Georgius Patriarcha Conſtantinopolitanus, ſedit in ſexta Synodo, ejuſque decretis ſubſcripſit. Poſt obitum autem Georgii, Theodorum per ſimulationem orthodoxæ fidei, anno ſequente reſtitutum eſſe priſtinæ ſedi & dignitati. Theodorum autem hunc ut hæreticum anathematizatum fuiſſe in ſexta Synodo. At poſtea quam ſedi ſuæ reſtitutus eſt, nactum eſſe originale exemplar ſextæ Synodi, nondum dimiſſis Conſtantinopoli legatis ſedis Romanæ, & ſuo ubique nomine expuncto, ſubſtituiſſe ubique nomen Honorii, facili literarum mutatione. Et ſic falſata acta ſynodi tranſmiſiſſe ad Leonem Papam Romanum. Theodorum autem damnatum fuiſſe in ſexta Synodo, teſtari ajunt Anaſtaſium in vita Agathonis. Reſtitutum verò priſtinæ ſedi eundem poſt mortem Georgii, docent ex Nicephori Chronico.

4. Suppoſititia autem eſſe quæ de Honorio in ſexta Synodo leguntur, perſuadere conantur, partim rationibus, partim autoritatibus.

5. Ratio prima eſt; quia ab hæreticis Monothelitis inſertæ ſunt actis quinti Concilii œcumenici confictæ quædam ſcripta Mennæ & Vigilii, ſicut deprehenſum eſt in ſexta Synodo actione 3. & 12. & 14. & familiare erat Græcis corrumpere libros.

6. Secunda ratio eſt, ab abſurdo; quia non potuit Synodus condemnare Honorium de hæreſi, niſi pugnaret cum epiſtola Agathonis ad Conſtantinum Imperat. ſcripta; atque adeò ſibi ipſi contradiceret. ſuſcepit enim & approbavit Synodus epiſtulam Agathonis, tanquam à Spiritu Sancto dictatam. In ea autem epiſtola Agatho ſcribit Eccleſiam Romanam nunquam defeciſſe à fide, neque deficere. Et Apoſtolicos Pontifices Prædeceſſores ſuos confidenter ſemper feciſſe quod juſſit Chriſtus, quando fidem Petri non defecturam promittens, confirmare fratres ſuos admonuit.

7. Tertia ratio eſt; Legati ſedis Romanæ certum rerum agendarum acceperant commonitorium. adhæſerunt igitur epiſtolæ Agathonis, neque damnârunt aut damnari ſiviſſent Honorium.

8. Quarta ratio, rurſus ab abſurdo; Quia ſi ſexta Synodus Honorium hæreſeos damnaret, indelebilem intolerabilis erroris, impudentiæ, & injuſtitiæ notam incurreret: ex non intellectis Honorii epiſtolis; & ex præſumtione condemnandi ſedem Apoſtolicam, quæ judicat omnes, & à nemine judicatur; & ex iniquitate ſententiæ contra innocentem, nullum enim in illis Honorii epiſtolis contineri errorem.

9. Autoritates quibus utuntur, ſunt partim ſexta Synodo anteriores, ut Synodi Romanæ ſub Martino habitæ, & diſputationis Sancti Maximi cum Pyrrho. Partim poſteriores, ut Theophanis Iſauri, Anaſtaſii bibliothecarii, Nicolai primi Papæ Romani, Johannis Zonaræ, Emmanuelis Callecæ, Pauli Diaconi, Bedæ, Blondi, Naucleri, Sabellici, & Platinæ, qui de Honorio, ut pio & ſancto Pontifice loquuntur, aut ſaltem eum non condemnant, neque condemnatum eſſe ajunt ut hæreticum.

10. Hæc ſumma eſt defenſionis, qua utuntur contra hiſtoricam veritatem rei geſtæ,

## CAPUT DUODECIMUM.

*Refutatio figmenti de falſatione actorum ſextæ Synodi, quam dicunt à Theodoro Patriarcha factam.*

PRincipiò; Falsò allegatur Anaſtaſius teſtis condemnationis Theodori Patriarchæ in ſexta Synodo: nam id apud Anaſtaſium in vita Agathonis non comparet. Commemorat quidem Anaſtaſius prolatum eſſe in Synodo ſcriptum quoddam erroneum cum ſubſcriptione Macarii & Theodori Expatriarchæ. Poſteaque interrogatum Macarium, num rectæ fidei conſentiret, & in errore pertinacem, damnatum eſſe; Georgio Patriarcha orthodoxam fidem profitente. At de Theodori vel examinatione vel damnatione nihil ſcribit Anaſtaſius, neque ejus nomen inter damnatos recitat. Neque ad rem facit, ſi dicas generalem Monothelitarum condemnationem recidere etiam in Theodorum; nam quæritur nunc de particulari damnatione qua aliquis nominatim, expreſſo ejus nomine damnatur. Neque enim ad evitandum generalis damnationis vim opus habuit Theodorus eradere è damnatorum catalogo nomen ſuum, quod ibi expreſſum non erat; ſed ſufficiens erat erroris abdicatio. quam ab eo factam eſſe gemino cognoſcitur documento, nempe, tum ex eo quod non ſit nominatim damnatus in Synodo, tum ex ejus reſtitutione per ipſum Conſtantinum Imperatorem ſextæ Synodi Patronum.

2. Deinde poſtquam Georgius Patriarcha, Theodori ſucceſſor, ſediſſet annos tres & totidem menſes, reſtitutum quidem ſedi Conſtantinopolitanæ fuiſſe Theodorum, ſcribit Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus in ſua Chronologia; at eum fidem ſimulaſſe, & mente adhuc Monothelitis faviſſe, aut, antequam Romani Legati geſta ſynodalia Romam perferenda accepiſſent, mortuum eſſe Georgium Patriarcham; & reſtitutum Theodorum, & à Theodoro accepiſſe eos ea geſta, unde probant? nihil enim illorum apud Nicephorum, neque apud alium aliquem veterem ſcriptorem invenitur. Vide inferiùs, cap. decimum tertii §. decima ſeptimum & §. decimum octavum & §. vigeſimum, ubi iſta gratis & falsò à ſophiſtis iſtis conficta eſſe oſtenditur.

3. Adhæc, cum olim faveret Theodorus Monothelitis, Honorium præ omnibus aliis Romanis Pontificibus Honorii ſucceſſoribus, in eximio habebat honore: ejuſque nomen in diptychis commemorabat, omnibus ejus ſucceſſoribus ſilentio præteritis. teſte Conſtantino Imperatore, in ſua Sacra ad Donum Papam Romanum ſcripta, quæ Doni ſucceſſori Agathoni reddita eſt, & extat præfixa actis ſextæ Synodi. Eſt igitur prorſus ridiculum iſtorum hominum commentum, quod ſcilicet favore hæreſeos Monotheliticæ, & odio Romanæ ſedis, Theodorus inſerere voluerit damnatorum catalogo nomen Honorii: ſic enim hæreſim eam Romanæ ſedis Patrocinio penitus orbaſſet, damnato Honorio, qui ſolus ex Romanis Pontificibus ei faviſſe compertus eſt: adeòque ſpem omnem ſibi præcidiſſet auxilii ab illius ſedis autoritate pro dogmatis illius reſtitutione. Imò ſi favor erroris illius eum ad tale facinus impuliſſet, mutaſſet potius voces quaſdam dogmaticas, quàm ſola perſonarum nomina. Odium autem ſi intueatis, inſeruiſſet potius nomen Vitaliani cui infenſus erat, aut alterius cujuſdam ex Honorii ſucceſſoribus, quorum memoria ipſi erat injucunda, quàm Honorii, cujus memoriam charam habebat.

4. Ineptum etiam & puerile eſt quod dicunt de facili literarum mutatione in ſubſtitutione nominis Honorii pro Theodoro: nam præterquam quod ea mutatio abſque manifeſtis lituris fieri non potuit; cogitandum ipſis, multa de Honorio & ad ejus damnationem pertinentia legi in actis ſextæ Synodi, quæ per unius vocabuli mutationem non invenitentur.

5. Aliis igitur argumentis oſtendere conantur infallibiliarii iſti ea, quæ in actis ſextæ Synodi de Honorii condemnatione leguntur, eſſe ſuppoſititia; nempe partim rationibus, & partim autoritatibus, ut ſupra monuimus, de quibus reſponſiones ſubjiciemus.

## CAPUT DECIMUM-TERTIUM.

*Reſpondetur ad primam rationem, quam adferunt memorati infallibiliarii.*

PRima ratio eſt; Ab hæreticis Monothelitis inſertæ ſunt actis quinti Concilii œcumenici conficta quædam ſcripta Mennæ & Vigilii, ſicut deprehenſum eſt in ſexta Synodo, actione 3. & 12. & 14. Et familiare erat Græcis corrumpere libros: Ergo ea, quæ de Honorio Papa Romano in ſextæ Synodi actis leguntur, ſunt ſuppoſititia.

2. Ad iſtam rationem reſpondeo. 1. Invalida eſt argumentatio à particulari: idque agnoſcit Gretſerus. 2. Non congruit exemplum: id quod patebit ex gemina narratione hiſtorica, quam ex ſextæ Synodi actis ſubjiciam; prior erit de illa falſatione actorum quintæ Synodi: altera ex eis depromentur quæ de Honorio in actis ſextæ Synodi leguntur.

3. Cum Monothelitæ, autoritatem prætendentes Conciliorum univerſalium, rogaſſent in ſexta Synodo Imperatorem Conſtantinum, ut juberet proferri in medium per Chartophylacem ex Patriarchio libros ſynodorum; id ſtatim factum eſt, actione prima. Poſtea autem, actione tertia, cum legeretur liber actorum quintæ univerſalis Synodi, ſtatim in principio occurrebat ſermo Mennæ, quondam Patriarchæ Conſtantinopolitani, ad Vigilium, quondam Papam Romanum, de eo quod ſit una Chriſti voluntas. Et exſurgentes in ſexta Synodo Legati Apoſtolicæ ſedis Romæ, exclamaverunt; Piiſſime Domine, falſatus eſt præſens liber quintæ Synodi: nequaquam relegatur ſermo, qui dicitur Mennæ ad Vigilium, quia fictus eſt; ſed jube diligenter advertere præſentem librum, ſatisfieri [vel certò perſuaderi πληροφορηθῶσι] enim habet ſanctum veſtrum Imperium, quia non tunc temporis poſitum in exordio, cum fierent acta in ſancta quinta Synodo. Iſte qui dicitur ſermo Mennæ ad Vigilium nuper appoſitus eſt, in principiis præſentis libri, eo quod vigeſimo primo anno Juſtiniani divæ memoriæ obiit Mennas; quinta autem Synodus vigeſimo ſeptimo anno imperii ejus congregata eſt, Epiſcopatum tenente hujus regiæ urbis Eutychio venerabilis memoriæ. Et inſpicientes piiſſimus Imperator unà cum glorioſiſſimis judicibus, & quibuſdam ex ſancta Synodo Deo amabilibus Epiſcopis, & aperientes ac diſcernentes, invenerunt tres quaterniones in principio libri additos [ἐν ἀπαρτίσεως ἐμβληθέντας,] non habentes ſubnotationem numeri [ὑποσημειώσεως ἀριθμητικῆς,] qui ſecundùm conſuetudinem affigitur in quaternionibus; ſed in quarto quaternione eſſe primum numerum, & in ſequenti quaternione ſecundum, & tertium quaternionem ſubſequenter, ἑξῆς. Alias item & diſſimiles eſſe literas eorum in exordiis ſubmiſſorum quaternionum, in quibus continebatur ſermo qui dicitur Mennæ ad Vigilium, à literis quæ primitus [ἄρχηθεν] ſcripta ſunt in eodem codice. Conſtantinus piiſſimus Imperator dixit; non relegatur hujuſmodi ſermo.

4. Et dum relegeretur ſeptima actio ejuſdem quintæ Synodi, reperti ſunt in ea duo libri, quaſi ex nomine Vigilii Papæ Romani ad Juſtinianum Imp. & ad Theodoram Auguſtam, in quibus una Chriſti operatio aſſerebatur. Et exſurgentes iterum legati ſedis Romanæ, exclamarunt, dicentes non eſſe illos libellos Vigilii, ſed eſſe falſatum hunc librum, ſicut & exordia primi libri ejuſdem quintæ Synodi. Nam (inquiunt) ſi unam operationem docuit Vigilius, & ſuſceptus eſt à Synodo, utique & in definitione ejuſdem ſanctæ Synodi de una operatione vox habuit comprehendi. Dum relecta ergo fuerit, piiſſime Domine, ipſa definitio, inveniet Dominus omnem veritatem. Conſequenter itaque & ſecundum ordinem relecto eodem libro uſque ad definitionem, ipſaque definitione uſque ad finem relecta, nullo aliquid de una operatione in eadem definitione inventum eſt contineri. Legati igitur petunt ab Imperatore, ut prædictus liber tempeſtivè examinetur, & adinventio, quæ in eo facta eſt, manifeſtetur. Cui poſtulato annuit Imperator. Hæc habentur in actione tertia Sextæ Synodi.

5. Rurſus autem in actione duodecima ejuſdem Synodi, alia adfertur ratio contra ſermonem qui dicitur Mennæ ad Vigilium, ob quam penitus fictum & falſum eſſe pronunciant judices; nempe, quia in repoſitis in Patriarchio Conſtantinopolitano regiſtris epiſtolarum Mennæ Patriarchæ, ſermo qui dicitur Mennæ ad Vigilium, non invenitur.

6. In actione autem decimaquarta, accuratius examen de duobus illis libellis qui dicebantur Vigilii, inſtituitur, ſicut petierant legati ſedis Romanæ, & juſſerat Imperator. Diligenti igitur habita collatione librorum corruptorum quintæ Synodi, cum aliis antiquis & incorruptis libris [ἀρχαίοις καὶ ἀδιαφθόροις βιβλίοις] ejuſdem ſanctæ quintæ Synodi, & cum chartaceo quodam ejuſdem Synodi libro ex Patriarchio prolato, propiuſque inſpectis illis exemplaribus, in quibus duo illi libelli qui dicti ſunt Vigilii, continebantur, invenerunt Patres libellos illos eſſe ſuppoſititios, & nequiter interjectos: & tres quidem quaterniones fallaciter adjectos eſſe in exordio primæ actionis, continentes ſermonem illum qui dicitur Mennæ ad Vigilium: circa ſeptimam autem actionem, mutatum quidem fuiſſe quintumdecimum quaternionem, adjectumque eſſe quadrifolium non ſuperſcriptum [τετράφυλλον ἀνεπίγραφον] ante decimumſextum quaternionem, in quo erant duo illi libelli qui dicebantur Vigilii, uterque nullam literam habens [ἀμφότερα ἀνεπίγραφα.] Cum interea in antiquis & non depravatis quintæ Synodi exemplaribus, in ſexta Synodo prolatis & inſpectis, neque ſermo ille dictus Mennæ neque libelli illi qui nuncupabantur Vigilii, invenirentur. Nec etiam in altero illo incorrupto Chartaceo volumine quintæ Synodi, quod ex Patriarchio prolatum eſt. Quamvis etiam corrupta tria exemplaria ex Chartophylacio Patriarchii depromta eſſent. Et negotio ſcrupuloſius diſcuſſo, deprehenſum eſt falſata eſſe iſta tria & alia quædam quintæ Synodi exemplaria, fraude Pauli quondam Patriarchæ Conſtantinopolitani, & Macarii Antiocheni, ejuſque diſcipuli Stephani. Et ipſi ſcriptores, qui eorum juſſu aſſumenta iſta ſuis manibus deſcripſerunt, nempe Georgius Monachus, & Sergius diaconus, & qui Sergio ſcribenda dictavit Conſtantinus presbyter, coram ſancta ſexta Synodo comparentes, rem geſtam palam confeſſi ſunt. Statimque ſancta ſexta Synodus eos libros, qui dicebantur Mennæ & Vigilii, & falſatores actorum quintę Synodi anathematizarunt. actione 14.

*7. ἀνεπίγραφον.* *8. Ex antiquis & incorruptis exemplaribus.* *9. Inventi ipſi falſatores.* *10. Inventi ſcriptores, & complices, & coram Synodo confeſſi.*

7. Hęc eſt narratio de illa actorum quintæ Synodi falſatione, ex actis ſextę Synodi fideliter depromta. Altera narratio fideliter ſumetur ex eis quæ de Honorio, & ad Honorii damnationem pertinentia, leguntur in actis ejuſdem ſextæ Synodi.

*Narratio Honorii de damnatione.*

8. In ſextę Synodi actione prima, legati ſedis Romanę & Synodi Romanę, conquerentes de introductis per Monothelitas vocum novitatibus, rogant Imperatorem Conſtantinum, ut origo mali inquiratur. Reſpondet Macarius Patriarcha Antiochenus, Monothelita, & cum eo alii, ſe vocum novitates non introduxiſſe, ſed quicquid à ſanctis & univerſalibus Synodis, & ſanctis probabilibus Patribus, & regię urbis Conſtantinopoleos præſulibus, Sergio, Paulo, Pyrrho, & Petro, nec non & Honorio qui fuit Papa antiquę Romę [ἔτι δὲ καὶ Ὁνωρίῳ τῷ γενομένῳ πάπᾳ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης.] & Cyro qui fuit Papa Alexandriæ, hoc eſt, de voluntate & operatione, perceperunt, ſic ſe crediſſe, & credere, & prædicare. & paratos eſſe de hoc oſtendere. Jubente igitur Imperatore ut probationes proferrent, eiſque rogantibus, ut ex Patriarchio adferantur libri ſynodorum univerſalium; prolati mox è Patriarchii bibliotheca ſunt libri ſynodorum; & lectus eſt primus liber geſtorum tertiæ univerſalis ſynodi Epheſinæ. Deinde, actione ſecunda, relecta ſunt acta Chalcedonenſis ſynodi. Et actione tertia, acta quintæ univerſalis Synodi. Et in fine ejuſdem tertię actionis monet Macarium ejuſque ſocios Imperator, ut proferant, ſi qua habeant, teſtimonia probabilium Patrum: quod ſe facturos promittunt. Et poſtea actione quinta exhibent duos codices, in quos congeſſerant Patrum teſtimonia, unam Chriſti voluntatem, ut ipſi dicebant, declarantia. Lectis igitur duobus illis codicibus, monet rurſum Imperator, ut ſi adhuc alia velint pro una voluntate

& unâ operatione proferre teſtimonia, ea ad ſequentem actionem parata habeant. Actione igitur ſexta Macarius eique adhærentes Monothelitæ, alium inſuper codicem legendum obtulerunt, in quo contineri dicebant teſtimonia diverſorum ſanctorum Patrum: Qui etiam relectus eſt. Et Macario ejuſque ſociis profitentibus ſe in prolatis teſtimoniis conſiſtere, neque velle ulteriorem proferre probationem, tres illi codices à parte Macarii prolati jubente Imperatore ſigillati ſunt à glorioſiſſimis judicibus, & à parte Apoſtolicæ ſedis antiquæ Romæ, nec non & à parte ſanctæ ſedis Conſtantinopolitanę. Tunc legati ſedis Romanæ & ſynodi Romanæ dicunt Imperatori, Macarium ejuſque ſocios non probaſſe ſuum dogma teſtimoniis Paternis, & ajunt, eos teſtimonia Patrum detruncaſſe: petuntque ab Imperatore, ut authenticos codices prolatorum ab eis Paternorum teſtimoniorum proferri jubeat ex Patriarchio Conſtantinopolitano, & conferri cum codicibus ab eis oblatis: ut demonſtrent factam ab eis obcelationem [illegible]

9. Itaque actione octava jubet Imperator proferri è Patriarchio authenticos codices, & illos Macarii codices quos diximus ſigillatos recludi ad lectionem, eorumque cum authenticis codicibus è Patriarchio prolatis collationem inſtitui. In eadem etiam actione Macarius de fide ſua interrogatus, dat ſcriptam fidei ſuæ confeſſionem, quam ait eſſe conſentaneam doctrinæ quinque univerſalium ſynodorum, & Honorii à Deo eruditi [illegible] & Sergii, & Pauli, & Petri, & reliquorum. Quorum mentionem & in teſtimoniis quæ Imperatori porrexit, ſe feciſſe ait. juxta petitionem autem legatorum ſedis Romanæ, ſynodique Romanæ, & mandatum Imperatoris Conſtantini, relecti ſunt tres codices quos Macarius cum ſuis obtulerat, & teſtimoniorum in eis allegatorum facta eſt cum authenticis codicibus collatio. Allegata ſunt in primo codice teſtimonia ſanctorum Patrum, Athanaſii, Ambroſii, Dionyſii, Joannis Chryſoſtomi, & Cyrilli: & factâ collatione primorum quatuor actione octava; & Cyrilli, actione nona; deprehenſa fraus eſt in detruncatione & perverſione teſtimoniorum contra mentem auctorum.

10. In ſecundo codice allegarunt Macarius ejuſque ſocii Epiſtolam Sergii ad Cyrum, quæ relecta eſt. actione 12. & ex eodem codice relegi cœperunt quaſi ex actis quinti Concilii ſcripta illa ſuppoſititia Mennæ & Vigilii, de quibus ſupra, eorumque ulteriorem lectionem judices impediverunt. Poſtea, eadem actione duodecima, lectæ ſunt ex tertio Macarii codice, epiſtolæ mutuæ Sergii & Honorii. Quarum peractâ lectione, judices & Synodus Georgio Chartophylaci mandant, ut ex chartophylacio Patriarchii ſtatim proferat regiſtra & ſcripta dogmatica inibi rejacentia, quæ expoſita quondam ſunt à Sergio, ſive ad Honorium vel Cyrum vel Sophronium, aut etiam ad alias perſonas, aut etiam ab Honorio ad Sergium, ſuper præſenti dogmaticâ quęſtione. Et paulo poſt reverſo cum illis regiſtris & codicibus Georgio, facta eſt collatio. & epiſtola Sergii ad Cyrum, quam Macarius allegaverat, conſtitit [illegible] id eſt, cum authentico regiſtro vel codice concordavit. Epiſtola etiam ejuſdem Sergii ad Honorium, conſtitit. Prolata eſt autem à Georgio Chartophylace ipſa authentica Epiſtola Latina Honorii ad Sergium quondam miſſa, unà cum ejus interpretatione, & collata eſt eadem Latina epiſtola per Johannem Epiſcopum civitatis Portuenſis, qui fuit unus ex legatis Synodi Romanæ ad Sextam œcumenicam Synodum; & conſtitit, [illegible]

11. Judices igitur hortantur Synodum, ut de epiſtolis iſtis Sergii, & epiſtola iſta Honorii, item de ſynodicis literis Sophronii, quæ rogatu Georgii ſedis Hieroſolymitanæ legati lectæ fuerant, ſynodale ſuum promat judicium. Id quod Patres ſe proximâ actione facturos promittunt. Actione igitur decima-tertia, profert Synodus de Sergio & Honorio, eorumque epiſtolis, & de aliis quibuſdam Monothelitis, eam ſententiam quam ſupra retulimus, cap. 10. §. 2. Et Sophronii orthodoxiam prædicat, ſicut ibidem commemoravimus. Poſtea prolata eſt etiam alia ejuſdem Honorii epiſtola, quę cum aliis Monothelitarum ſcriptis ſimul prolatis, decreto ſynodico igni damnata & combuſta eſt, in fine ejuſdem actionis decimæ tertiæ.

12. Deinde in actione decima-ſexta, Conſtantinus quidam presbyter Monothelita, in errore pertinax, anathematizatur. Et in eadem actione, decernit Synodus, ut hæretici nominatim in exclamationibus ſynodicis anathematizentur: & exclamant univerſi Patres ſynodici; Theodoro hæretico Pharanitano anathema, Sergio hęretico anathema, Cyro hęretico anathema, Honorio hęretico anathema, Pyrrho hęretico anathema, &c.

13. Dehinc in actione decimâ-octava eadem ſexta œcumenica Synodus, in definitione ſynodica, quæ audiente Conſtantino Imp. relecta eſt, Honorium qui fuit Papa antiquæ Romæ, acenſet organis Diaboli. Et poſt definitionis relectionem, exclamat Synodus, Sergio & Honorio anathema. Hortantur etiam Patres Imperatorem Conſtantinum, ut perlegi jubeat ſermonem Proſphoneticum, quem ad ipſius majeſtatem Synodus compoſuit, qui jubente ac audiente Imperatore ſtatim publicè in Synodo relectus eſt. In eo ſermone Synodus anathematizat cum aliis Monothelitis Honorium, ᾧ σὺν αὐτοῖς Ὀνώριον, τὸν τῆς Ῥώμης γεγονότα πρόεδρον, ὡς ἐκείνοις ἐν πᾶσιν ἀκολουθήσαντα. id eſt, & cum eis Honorium, qui fuit Romæ pręſul, utpote qui eos in his ſequutus eſt.

14. In eodem etiam ſermone proſphonetico, Patres ſynodici Imperatorem alloquentes, ajunt; Sed ô benigniſſime Domine, & amator juſtitiæ, ei qui tibi potentiam largitus eſt, hanc gratiam retribue: & his quę à nobis definita ſunt, ſignaculum tribue, veſtram in ſcripto Imperialem ratihabitionem, [illegible] & per edicta divalia atque per pias conſtitutiones ex more, eorum omnium firmitatem, [ſeu confirmationem. βεβαίωσιν]; quatenus nullus his quæ geſta ſunt vel contradicat, vel novam quęſtionem machinetur [illegible] Scito enim, ſereniſſime Imperator, quod nihil horum, quę in ſynodis univerſalibus & à probabilibus Patribus conſtituta ſunt, falſavimus, verùm potius confirmavimus [illegible] Hæc ibi.

15. Definitioni autem ſynodicæ, & huic etiam ſermoni proſphonetico ſubſcripſerunt omnes



Patres ſynodici, & cum reliquis etiam legati Agathonis, & Synodi Romanæ. Deinde poſt lectionem ſermonis acclamatorii, rogat iterum Synodus Imperatorem Conſtantinum, ut ſacrâ ſua ſubſcriptione robur prębeat definitioni ſynodali, quæ coram ipſius Serenitate relecta erat. Sumens igitur in manus Conſtantinus Imperator ſubſcriptam à Patribus definitionem, [illegible] quæ præſente ejus tranquillitate recitata erat, propriâ manu ſubſignavit [ὑπεσημήνατο ἰδιοχείρως.]

16. Petit deinde Synodus ab Imperatore, ad majorem orthodoxæ fidei ſtabilitatem & confirmationem [ἀσφαλείας τε καὶ βεβαιώσεως,] ut definitionis coram eo relectæ juſta ſubſcripta exempla [illegible] edantur quinque Patriarchalibus ſedibus, unà cum Imperatoris ſubſignatione. Reſpondet Imperator; quod etiam à ſancto & univerſali veſtro Concilio petitum eſt, piè conficiemus [illegible] Deinde ſequuntur hæc verba: Sciendum quod juxta ea quæ interloquutus eſt piiſſimus & Chriſtum diligens Imperator Conſtantinus, vel etiam pollicitus eſt, exempla definitionis [illegible] cum ſubſignatione manſuetæ ejus ſerenitatis præbuit quinque Patriarchalibus ſedibus: hoc modo: Apoſtolicæ ſedi ſancti & Principis [κορυφαίου] Apoſtolorum Petri, nempe, [ſive ἤγουν] Agathoni ſanctiſſimo Papæ ſenioris Romæ. Τῷ θρόνῳ τῆς ἁγιωτάτης, Sedi ſanctiſſimæ Catholicæ & Apoſtolicæ magnæ Eccleſiæ Conſtantinopoleos, ſive [ἤγουν] Georgio ſanctiſſimo & beatiſſimo Patriarchæ. Apoſtolicæ ſedi [τῷ ἀποστολικῷ θρόνῳ] ſancti Euangeliſtæ Marci, qui honoratur in Alexandrinorum magna civitate, per Petrum Deo amabilem presbyterum monachum & Vicarium. Sedi Antiochenſium ſive Theopolitarum magnæ civitatis per Theophanem venerabilem & ſanctiſſimum Patriarcham. Sedi ſanctæ Chriſti Dei noſtri reſurrectionis, id eſt, Hieroſolymorum, obtinente locum ejuſdem honorabiliſſimæ Sedis [illegible] Theodoro Deoamabili presbytero, per Georgium presbyterum, Monachum Sebaſtenum, qui poſtea Patriarcha Antiochiæ fuit. Hæc ibi. Hic eſt ille Georgius Epiſcopus Antiochiæ, qui ſubſcripſit canonibus quiniſextæ Synodi, ſedens in ea ſynodo.

[illegible]

17. Obſerva hos, quibus pro quatuor poſterioribus ſedibus tradita ſunt definitionis ſynodalis exempla, Georgium ſcilicet Patriarcham Conſtantinopolitanum, & Petrum presbyterum, Vicarium [τοποτηρητὴν] ſedis Alexandrinæ, & Theophanem Patriarcham Antiochenum, & Georgium presbyterum, locum tenentem [ἐπέχοντα τὸν τόπον] Theodori Vicarii ſeu locum ſervantis [τοποτηροῦντα] ſedis Hieroſolymitanæ; Item legatos Agathonis Papæ Romani, quibus ad Agathonem datum exemplum eſt; hos, inquam, omnes ſediſſe in ſancta ſexta Synodo, ejuſque magnam partem extitiſſe, & ejuſdem definitioni & ſermoni acclamatorio ſubſcripſiſſe. Eoſdemque definitionis ſynodicæ exempla pro ſuis ſedibus ab Imperatore ſubſignata ſecum tuliſſe. Non igitur à Theodoro Epiſcopo Conſtantinopolitano acceperunt Patriarchales ſedes exempla definitionis ſextę Synodi, ut mentiuntur adverſarii, ſed à Synodo ipſa & ab Imperatore, dum adhuc viveret Georgius Patriarcha Conſtantinopolitanus, nondum reſtituto Theodoro.

18. Agathonis autem legati, in quibus fuit Joannes diaconus, qui paulo poſt ipſe Papa Romanus factus eſt, hujus hominis quintus; hi, inquam, legati etiam literas à ſexta œcumenica Synodo ad Agathonem Papam Romanum ſcriptas ſecum portârunt, quas Leoni Papæ ſecundo, Agathonis jam ante eorum reditum mortui ſucceſſori, reddiderunt. Quibus literis ſubſcripſerunt Georgius Patriarcha Conſtantinop. & Theophanes Patriarcha Antioch. & aliarum duarum orientalium ſedium Patriarchalium legati. Et cum reliquis Patribus ſynodicis, Joannes Portuenſis, Abundantius Templanenſis, & Joannes Rhegienſis, Epiſcopi, qui à Synodo Romana ſub Agathone celebratâ legati miſſi erant ad ſextam œcumenicam Synodum, in qua etiam ſederunt ut legati Romanæ ſynodi. In eis literis commemorat Synodus, ſe anathemate intereriſſe Honorium cum reliquis Monothelitis. Idemque repetit Conſtantinus Imperator in ſuo edicto. Et conſentit Leo ſecundus Papa Romanus, ac Honorium anathematizat, in ſua ad Conſtantinum Imperatorem epiſtola, quæ etiam extat ad finem actionis decimæoctavæ ſeu ultimæ, ejuſdem ſextæ œcumenicæ Synodi. Leo etiam in aliis ſuis epiſtolis eundem anathematizat Honorium, ut ſupra monuimus, capite 10.

19. Iam, poſtquam geminam, quæ à nobis promiſſa eſt, narrationem, tum de ſuppoſitis Mennæ & Vigilii ſcriptis, tum de Honorio & ad ejus damnationem pertinentibus, ex ipſis actis ſextæ Synodi, bonâ fide, retulimus; tempus eſt, ut factâ collatione & applicatione, vanitatem & impudentiam cavillatorum, ſe hic manifeſtiſſimè prodentem, detegamus.

20. Cardinalis Baronius, & cum eo alii, quos ſuprà nominavimus, cavillatores, ajunt Theodorum Patriarcham Conſtantinopolitanum, nomen ſuum è damnatorum numero deleviſſe, atq; in ejus locum nomen Honorii Papæ Romani variis locis inſeruiſſe, ut iſtam aliaſque factas ab ipſo lituras reſtitueret. Hanc vaniſſimam ſycophantiam evidenter refellit narratio, quam de Honorio præmiſimus. Nam, præterquam quod Theodori Conſtantinopolitani damnatio nuſquam apud veteres comparet; certè quæ de Honorio commemoravimus, ea non invenirentur in actis ſextæ Synodi per unius vocabuli mutationem. Neque conveniunt cætera niſi Honorio, qui Sergii fuit contemporaneus, & ad illum ſcripſit, & fuit Papa antiquæ Romæ, & cujus Latinæ epiſtolæ authenticæ prolatæ ſunt, & damnatæ, & combuſtæ. At dices; Theodorum iſta etiam omnia, ipſaque Honorii literas confinxiſſe, & actis inſeruiſſe. Reſpondeo, Iſta jam nimis inverecunda aſſertio eſt, more quorundam loquacium, qui, cum diſputare nequeant, non deſinunt litigare. Quis iſtud cordatus credet, impudenter aſſerentibus, nullam autem vel tenuiſſimam probationis umbram aut probabilitatis ſpeciem adferentibus? Repugnat fides omnium codicum, & omnium monimentorum veterum, ipſorumq; etiam Romanę ſedis & Romanę ſynodi legatorum, & ipſorum Romanorum Pontificum, orbiſque Chriſtiani. Neque potuiſſent tam crebræ & prolixæ mutationes fieri abſque manifeſtis & irreparabilibus lituris. Neque eas Agathonis legati recepiſſent aut toleràſſent, neque eas Romæ, apud Leonem Pontificem, acta ab illis allata

*Refutatur rurſus figmentum de falſatione factâ per Theodorum Patriarcham; de quo diſſerebamus præcedente capite.*

allata legentem & palam approbantem, diſſimulaſſent, aut à Romanis Pontificibus recipi & approbari paſſi eſſent. Neque reliqui aliarum omnium ſedium Epiſcopi & legati ſynodici tàm immanem actorum publicorum falſationem tuliſſent, aut ſilentio præteriiſſent, in tam recenti rerum geſtarum memoriâ. Adde quod exempla definitionis ſynodicæ ab Imperatore ſignata, & Patriarchis ac legatis data ſint, vivente adhuc Georgio Patriarchâ Conſtantinopolitano, necdum reſtituto Theodoro. Literas etiam ſextæ Synodi œcumenicæ ad Agathonem ſcriptas acceperunt Agathonis legati Romam perferendas, vivente etiam eodem Georgio Patriarchâ, qui literis illis ſubſcripſit, & cum illo eiſdẽ literis ſubſcripſerunt legati Romanæ Synodi, & alii Patres, ut ſuperius indicatum eſt, §. 18. Imperatoris etiam Conſtantini edictum eodem tempore publicatum eſt, confirmans ea quæ in Synodo definita ſunt. Neque in poteſtate fuit Theodori falſatricem manum inferre Auguſtali edicto, neque impune quiſpiam ſubditorum tuliſſet tam audax facinus, ipſo vivente & ſpectante, & geſta ſynodalia magno zelo defendente Conſtantino Imperatore. At in his etiam tribus ſcriptis, nempe in definitione ſynodica, & in epiſtola ſextæ Synodi ad Agathonem ſcriptâ, & in edicto Imperatoris Conſtantini, Honorius Papa Romanus accenſetur hęreticis, in ſexta œcumenica Synodo damnatis & anathematizatis.

*Fatentur Papani argumentum ſuum ex deprehenſa falſatione actorum quintæ ſynodi non eſſe apodicticum.*

21. Ex deprehenſa falſatione actorum quintæ Synodi inferre conantur cavillatores falſationem actorum ſextæ Synodi in negotio Honorii; ſaltem probabiliter: fatentur enim argumentum hoc non eſſe neceſſarium & apodicticum; eſſe tamen ajunt ejuſmodi, quod monſtret non eſſe inauditum, ut acta ſynodalia peregrinis additamentis à falſariis corrumpantur, adeóque non eſſe à fide prorſus alienum & abhorrens, ſextam itidem ſynodum aliquid à falſariorum manibus paſſam eſſe, de Honorio. Reſpondeo, Tanta eſt exempli diverſitas, ut non ſolùm nihil inde ſequatur apodicticè, ſed ne probabiliter quidem inferri inde poſſit vel poſſibilitas talis falſationis ſextæ Synodi, qualem iſti imaginantur. id quod clariſſimè apparebit ex multiplici diſcrepantiâ.

*Oſtenditur neque eſſe probabile, imo eſſe prorſus abſurdum.*

*Quibus indiciis & argumentis à ſexta Synodi patribus deprehenſa ſit falſatio actorum quintæ Synodi.*

22. Legati ſedis Romanæ & Synodi Romanæ, & cum eis reliqui Patres in ſexta œcumenica ſynodo ſedentes, deprehenderunt falſationem actorum quintæ Synodi, his indiciis & evidentiſſimis argumentis. 1. Non conveniebant tempora & perſonæ; nam, mortuo Mennâ, celebrata eſt quinta Synodus, ſedente Eutychio. 2. Non tunc temporis quo primum promulgata ſunt geſta quintæ Synodi, (neque viventibus adhuc Patribus illius Synodi) falſata ſunt ejus acta, ſed
1. pluſquam centum annis poſt quintam Synodum.
2. 3. Falſatio facta eſt per adjectionem trium qua-
3. ternionum ante principium actionis primæ, & per inſertionẽ quadrifolii ſuppoſititii ante decimumſextum quaternionem in actione ſeptima, ſine lituris, niſi quod mutatus eſſe dicitur quaternio decimuſquintus, in eadem ſeptima actione.
4. 4. Adjecti quaterniones, & inſertum quadrifolium, fuerunt ἀνεπίγραφα: non enim habebant characteriſticam literam, & ὑποσημειώσεις ἀριθμητικὰς ſubnotationem numericam, quæ ſecundum conſuetudinem inſigniebatur in quaternionibus.
5. 5. Diſſimiles erant & aliter ſe habebant literæ ſuppoſititiorum quaternionum, à literis primitùs
6. ſcriptis in eodem codice. 6. In authenticis regiſtris epiſtolarum Mennæ in Patriarchio aſſervatis, non inveniebatur ille ſermo dictus ad Vigilium. 7. Provocarũt legati Romani ad definitionem ſynodicam quintæ Synodi, prout in eiſdem 7.
illis falſatis codicibus extabat; non enim falſata erat definitio. 8. Quamvis à tempore celebratæ 8.
quintæ Synodi præteriiſſent plures quàm centum & viginti anni; præſto tamen Patribus ſextæ Synodi ad manum erant antiqua & incorrupta exemplaria ſanctæ quintæ Synodi [ἀρχαῖα καὶ ἀνεπίληπτα βιβλία τῆς ἁγίας πέμπτης συνόδου] Et alius etiam chartaceus liber ejuſdem quintæ Synodi ex bibliotheca Patriarchii Conſtantinopolitani prolatus, per quorum cum falſatis codicibus collationem falſitas corruptorum codicum evidenter deprehenſa eſt. 9. Inventi ipſi falſatores, 9.
& ſcriptores qui coram ſexta Synodo examinati rem geſtam palam confeſſi ſunt.

23. At nihil ſimile eſt in negotio Honorii, verùm omnia diſſimilia. Nam, 1. conveniunt tempora & perſonæ; Sergius enim & Honorius erant contemporanei, & de hoc dogmate ſcripſerunt mutuas epiſtolas. 2. Fingunt iſti cavillatores, acta ſextæ Synodi nunquam edita eſſe incorrupta, & legatos Romanos annum & amplius detentos eſſe Conſtantinopoli poſt finitam ſynodum, antequam acciperent exemplar authenticum geſtorum ſynodalium Romam deferendum, & aliarum etiam omnium ſedium Epiſcopos ac legatos tamdiu caruiſſe authenticis Synodi exemplaribus; & tradita illis tandem eſſe exemplaria tam craſſè & evidenter corrupta, ut quæ ipſi orthodoxi Patres ſynodici ſciebant non geſta eſſe, ea in ſingulis fere actionibus occurrerent; & quæ geſta eſſe ſciebant, ea eraſa deſiderarentur, & tamen acta ſic corrupta omnes toto orbe Patres ad ſua loca reverſi relegerent, affirmarent eſſe genuina & incorrupta, eaque cum aliis etiam Romanus Pontifex Leo ſecundus approbaret. Qui Leo geſta ſextæ Synodi non ſolùm ſuſcepit & approbavit, ſed etiam ipſe de Græco in Latinum tranſtulit; teſte Antonino archiepiſcopo Florentino, in ſuis Chronicis, in parte ſecunda, & ad Epiſcopos Hiſpanos etiam approbanda miſit, ut ſuprà monuimus, cap. 10. §. 10. eademque falſata acta comprobarit etiam Joannes Papa quintus qui ipſe Synodo ſextæ interfuit, unus exiſtens ex legatis Agathonis. Certè falſatio iſtiuſmodi prorſus inaudita, omnique tum ratione tum idonei ſcriptoris teſtimonio penitùs deſtituta, ab omni probabilitatis ſpecie aliena, & impoſſibilis eſt. 3. Falſationem fingunt cavillatores factam in actis ſextæ Synodi, non per adjectionem aut inſitionem quaternionum aut foliorum, ſed per crebras eaſque modò breviores, modò prolixiores lituras, earumque reſtitutiones, adeò ut modò tres verſiculi, modò pagina, modò dimidium aut quadrans paginæ mutatus ſit, idque ſparſim & intertextim, adeo ut nec ab ipſis Patribus qui eidem Synodo interfuerunt & ſubſcripſerunt, dignoſci poſſent. Quod non ſolùm diſſimile, ſed etiam prorſus abſurdum eſt, & impoſſibile. 4. In actis ſextæ Synodi nuſquam deſuit characteriſtica litera & ſubnotatio numerica, ſicut in falſatis codicibus quintæ Synodi; id enim facilè perſpexiſſent Patres, & recenti exemplo moniti, eam corruptelam non tuliſſent. 5. Nulla eſt inventa literarum diſſimilitudo, qualis in corruptis illis codicibus deprehenſa eſt. 6. In omnibus omnium bibliothecarum, toto orbe, authenticis codicibus ſextæ Synodi,



ſemper habebantur geſta de Honorio, ne-
7. que in ullo unquam deſiderata ſunt. 7. In ipſa ſextæ Synodi definitione ſynodica, quæ palam lecta eſt, audiente Imperatore Conſtantino, cui & ipſe hortatu Synodi ſubſcripſit Imperator, & pro qua tam diligenter providerunt Patres in ſuo proſphonetico, ut extra omnem contradictionis aleam tuta & illibata permaneret, & cujus quinque juſta ἰσότυπα exemplaria, omnia pariter authentica, Imperator hortatu Synodi ſua ſubſignatione munivit, præbuitque quinque ſedibus Patriarchalibus, ante dimiſſionem Synodi, vivente adhuc Agathone Papâ Romano aut ſaltem nondum allato mortis ejus nuncio, & præſentibus Georgio Conſtantinopolitano & Theophane Antiocheno Patriarchis, aliarumque trium ſedium Patriarchalium legatis, quam etiam definitionem idem Imperator ſextæ Synodi defenſor vigilantiſſimus, edicto publico omnibus ſubditis ſuis ſuſcipiendam injunxit, eandemque Leoni Papæ Romano per literas commendavit: in illa ipſa, inquam, definitione Synodicâ, & in ſermone Synodi proſphonetico, & in edicto Conſtantini, ſemper & palàm extabat damnatio Honorii. Neque tuliſſet Imperator Catholicus tantam poſtea in Theodoro nequitiam, ut impunè ei liceret geſta hæc corrumpere. Quem antea ob leviorum cauſam de ſede Patriarchali dejecerat. Neque Imperatorem prudentiſſimum & vigilantiſſimum latere potuit, quid ſubditis ſuis edicto ſuo injungeret, quid quinque Patriarchalibus ſedibus præberet quid ad Leonem mitteret. Neque facta eſt falſatio conſentiente orthodoxo & pio illo Imperatore Conſtantino, qui & ante congregatam Synodum, in ſua imperiali Sacra ad Donum Papam ſcripta, juravit per Deum omnipotentem, non eſſe apud ſe [illegible], id eſt, cujuſlibet partis favorem, ſed æqualitatem utriſque partibus conſervaturum: & poſtea in Synodo ſedens, poſtquam juſſu ipſius relectam definitionem Synodicam audiviſſet, Synodum interrogavit, an cum conſenſu omnium Epiſcoporum promulgata eſſet ea definitio? Et ſancta Synodus exclamavit; Omnes ita credimus, una fides, omnes id ipſum ſentimus, omnes conſentientes & lubentes ſubſcripſimus. Subjecit Imperator; Deum teſtem proferimus ſancto & univerſali veſtro Concilio, quod abſque quolibet favore aut invidiâ [χωρὶς οἱασδήποτε προσπαθείας ἢ ἀντιπαθείας] principale deſiderium & zelus extitit nobis, irreprehenſibilem eſſe immaculatam noſtram orthodoxam fidem, & cum ſtabilitate nos eam conſervare in nomine Dei. —— Cum ergo Deo complacuit tempus concedere; invitavimus fieri collectionem veſtram, —— ita eam [intemeratam noſtram Chriſtianorum fidem] & nos cuſtodiamus uſque in mortem. Ibi ergo judicabimur vobiſcum apud terribile tribunal Dei, quando judicaturus eſt vivos & mortuos. Hac præmiſſa proteſtatione, Imperator hortatus eſt Synodum ut ſeriò cogitarent, ac declararent, ſi aliquid in definitione prętermiſſum aut mutandum exiſtimarent. Et ſancta Synodus exclamavit; Multos annos Imperatori. —— Definitio orthodoxa eſt: contradicenti huic definitioni anathema. Hæc legere eſt in actione 18. Synodi ſextæ, inter definitio-
8. nem Synodi & ſermonem ejuſdem acclamatorum. Neque eam partem illius Synodi quiſquam adhuc dicere auſus eſt eſſe corruptam. 8. Sophiſtæ iſti fingunt corruptum eſſe primum & pro tempore unicum exemplar authenticum ſextæ Synodi, adeò ut nullum poſtea extare potuerit exemplar incorruptum, per cujus cum aliis collationem deprehendi fraus potuerit. Hoc enim neceſſariò infert eorum hypotheſis ſuperiùs commemorata. Neque ſanè ulla adhuc inventa ſunt exemplaria ſextæ Synodi aliter ſe habentia, quoad negotium Honorii, quàm quæ iſti falsò crimi-
nantur eſſe corrupta. 9. Tantum abfuit, ut un- 9.
quam in ulla Synodo invenirentur falſatores actorum ſextæ Synodi, aut eorundem actorum falſatio vel deprehenſa vel ſuſpecta fuerit, ut è contrario multarum Synodorum conſtanti ſuffragatione integritas eorum de hoc ipſo Honorii negotio identidem confirmata ſit, ſicut docuimus ſuprà cap. 10. Neque ulla adhuc Synodus aliter judicavit.

*Applicatio.*

24. Ex his igitur narrationibus & diſcrepantiis jam clariſſimè patet, tantum abeſſe ut ex deprehenſa illa falſatione actorum quintæ Synodi ulla probabilitatis ſpecies colligi queat, contra fidem actorum ſextæ Synodi, ut è contrario integritas eorum inde luculentiùs confirmetur.

*Reſpondetur convicio in Græcos jacto.*

25. Neque cauſſam litigatorum iſtorum juvat putida illa Lædoria, quam Bellarminus & Gretſerus in Græcorum nationem petulanter eructant: aſſerentes, conſuetudinem Græcorum fere ordinariam fuiſſe corrumpendi libros. idque oſtendere conantur teſtimoniis Leonis primi, & Gregorii primi, Pontificum Romanorum. Nam Leonis & Gregorii ſcripta non ignorabant Agatho & Patres Romanæ ſynod. ſub eo habitæ; quorum tamen longè aliud fuit de Græcorum codicibus, & à tali intemperie remotiſſimum judicium. idcirco legatos ſuos teſtimoniis Conciliorũ & Patrum inſtructos ad ſextam Synodum miſerunt, quæ per authenticos Græcorum codices in Conſtantinopolitano Patriarchio repoſitos demonſtrarent eſſe fideliter allegata. Itaque in ſexta Synodo petentibus Romanis legatis prolati ſunt è Patriarchii Conſtantinopolitani bibliothecâ authentici codices quinque univerſalium Conciliorum, & multorum Patrum cum Latinorum tum Græcorum. Neque ulla eſt reperta falſatio, præter unicam illam, per ſuppoſitionem ſcriptorum illorum quæ dicebantur Mennæ & Vigilii, quæ & deprehenſu facilis fuit, & per alios ipſorum Græcorum incorruptos codices luculentiùs patefacta. ut ſuprà docuimus. Et non niſi ex fide illorum codicum, qui apud Græcos inveniebantur, judicatum eſt de allegationibus tum orthodoxorum, tum hæreticorum. Illiberali igitur calumniâ Chriſtianam illam gentem impiè gravant effrenes iſti conviciatores. Et verò quorſum, obſecro, tendit iſta criminatio? num ut credamus omnia Concilia, omnia Patrum opera à Græcis eſſe falſata? quod certè nemo ſanæ mentis vel dicere vel credere ſuſtinebit. Et ipſi adverſarii tam immanis ſtultitiæ probrum detrectant. Ajunt autem, ſe hoc tantum velle, ut admittamus non eſſe inauditam librorum apud Græcos falſationem; atque adeò non eſſe incredibile, falſata eſſe ab eis acta ſextæ Synodi. Reſpondeo igitur: Eſt prorſus inaudita talis falſatio, qualem fingunt contigiſſe actis ſextæ Synodi, eſtque omnino incredibilis, & impoſſibilis. id quod ſuprà evidentiſſimè demonſtravimus.

*Vindicatur Leo.*

26. Nec proſunt eis Leonis primi & Gregorii primi Pontificum Romanorum teſtimonia. Leo audierat quoſdam per imperitiam, quoſdam etiam ex verſuta nequitia, epiſtolam ejus, ad Fla-

vianum miſſam, vitioſè vertiſſe in linguam Græcam: itaque in epiſtola ſua 83. ad Palæſtinos, mentem ſuam explicat, & monet ut ab erroneis verſionibus ſibi caveant. In alia etiam epiſtola, nempe epiſt. 69. ad Marcianum Auguſtum, (quæ in editione Baſilienſi, eſt 31.) ob eandem cauſſam, obſecrat Imperatorem ut epiſtolam illam, ad Flavianum ſcriptam, jubeat per idoneum interpretem in græcum ſermonem integrè diligenterque transferri, & per idoneum latorem ſub Imperialis ſignaculi impreſſione deferri, & tradi judicibus Alexandrinis. At quid hic ſimile commento Papiſtarum de actis ſextæ Synodi? Nam Leonis epiſtola authentica & incorrupta Latina extabat adhuc apud ipſum Leonem, & apud Græcos in actis Synodi Chalcedonenſis, unde in hunc uſq; diem integra permanſit. Periculum etiam ex incommodis verſionib⁹ Leo ipſe ſtatim perſpexit, & de remedio opportunè proſpexit. Si etiam lubere hic, Papiſtarum iſtorum exemplo, pueriliter luſum captare ex latinorum interpretum græca vertentium oſcitantia, aut verſutâ nequitiâ, quam latus ſe offert campus! Binius ante præfationem Anaſtaſii in ſeptimam Synodum, *Quoniam* (inquit) *vulgata hujus Synodi editio Latina non ſatis reſpondet Græco textui, & multa in ea partim deſiderantur, partim videntur irrepſiſſe, appoſita eſt hæc, quæ nunc primum prodit, Anaſtaſii verſio, ut certi & antiqui auctoris, & Græca verba pene ſingula exprimentis.* Hæc ibi. In promtu ſunt & alia ſpecimina. Sed nolo nunc hanc camarinam movere. Abundè ad præſentem controverſiam ſufficit immenſa exempli diſparitas, & irreducibilis diſſimilitudo.

*Retorqueri poſſet criminatio.*

27. Gregorius, lib. 5. epiſtolarum ex regiſtro epiſt. 14. ad Narſem. *Epheſinam* (inquit) *Synodum perſcrutantes, de Adelphio & Sava* [Saba,] *& cæteris aliis, qui illic dicuntur eſſe damnati, omnino nihil invenimus, & exiſtimamus; quia, ſicut Chalcedonenſis Synodus in uno loco ab Eccleſia Conſtantinopolitana falſata eſt, ſic aliquid in Epheſina Synodo factum eſt. Charitas ergo veſtra vetuſtos omnino codices ejuſdem Synodi requirat, & illic indè videat, ſi quid tale invenitur, mihique eundem codicem, quem invenerit, tranſmittat: Quem enim, ut legero, tranſmitto. Noſtis enim codicibus paſſim non credat, ex qua re dubius factus ſum, & nihil adhuc volui de hac cauſa prædicto fratri meo Joanni Epiſcopo reſcribere. Romani autem codices multò veraciores ſunt quàm Græci: quia noſtri ſicut non acumina, ita nec impoſturas habent.* Hæc Gregorius. Hinc ſic argumentantur Bellarminus & Gretſerus: Gregorius aſſerit Conſtantinopolitanos corrupiſſe Synodum Chalcedonenſem, & idem ſe ſuſpicari de Epheſina; & addit, codices Romanorum longè eſſe veraciores, quàm Græcorum. Non mirum igitur, ſi Græci ſextam Synodum corruperint.

*Papanarum argumentatio ex Gregorio primo Epiſcopo Romano.*

28. Reſpondemus; 1. Per hujuſcemodi argumentationem pari jure concluſeris, non mirum eſſe, ſi à Græcis corrupta ſit prima vel ſecunda Synodus; & quidem in eis ipſis decretis quæ contra Arium vel Macedonium inveniuntur. 2. Ex poſſibili non ſequitur poſitio actûs. 3. Non magis iſthinc ſequitur corruptio Synodi in eis quæ pertinent ad Honorium, quam in eis quæ in eadem Synodo leguntur de Sergio, vel Macario, vel Polychronio. 4. Narſem remittit Gregorius ad vetuſtos Synodi Epheſinæ codices, in eorum teſtimonio acquieſcere paratus. 5. Romanos codices Græcis antepoint. At taxatores iſti nullum nobis relinquunt vel vetuſtum, vel Romanum codicem ſextæ Synodi, cui fides ſit adhibenda. 6. Gregorius ait, Synodum Chalcedonenſem in uno loco falſatam eſſe. Papiſtæ ſextam Synodum in multis locis paſſim falſatam.

*Reſpondetur ad argumentationem ex Gregorio ſumtam.*

29. Non temere eſt admittenda illa Gregorii, tot annis ante eum inaudita, aſſertio, nec poſtea recepta, de falſatione quartæ Synodi: neque facile ſuſpicioni indulgendum de Epheſina Synodo. Certè Leo primus, Papa Romanus, cujus legati Chalcedonenſi Synodo interfuerunt, & qui acta Synodi à legatis ſuis accepta diligenter ſcrutatus eſt, nullam prorſus deprehendit falſationem, quam utique ſi inveniſſet non diſſimulaſſet, cum quiddam etiam verè in ea Synodo geſtum, de ordine ſedium Patriarchalium, ſcriptis publicis improbaverit; In epiſtolis ſuis ea de re ſcriptis ad Anatolium Epiſcopum Conſtantinopolitanum, ad Marcianum Auguſtum, ad Pulcheriam Auguſtam. Quæ leguntur etiam in tertia parte Concilii Chalcedonenſis, in editione Binii, capitib. 5. 6. 7. Quo magis deteſtanda eſt Gretſeri impudentia, aſſerentis, Gregorio probationem non defuiſſe; *quia* (inquit) *quicquid de æqualitate Conſtantinopolitani Epiſcopi cum Romano, in exemplaribus Concilii Chalcedonenſis continetur, id fraudibus & impoſturis Græcanicis ad Concilium acceſſit.* Hæc ille. Cum tamen rem, ut in actis deſcripta legitur, re ipsâ in Synodo geſtam eſſe teſtetur ipſa œcumenica Synodus Chalcedonenſis, tum ſubſcriptione decreti, tum etiam in ſua ad Leonem Papam Romanum epiſtolâ ſive relatione Synodicâ. Neque factum diſtitetur Leo, imò in ſuis epiſtolis agnoſcit rem geſtam, licet ejus æquitatem neget. Nondum autem diſputamus, neque illo loco diſputat Gretſerus, de jure facti quo condemnatus Honorius, ſed de facto ipſo, utrum ſcilicet res ita geſta ſit, nec ne, in ſexta Synodo de Honorio, ſicut in actis deſcripta invenitur.

30. Gregorius quidem, lib. 4. epiſtolarum ex regiſtro, cap. 80. ſeu epiſt. 36. ſcribit, per Chalcedonenſem Synodum Pontifici ſedis Romanæ nomen univerſitatis, ſeu univerſalis Epiſcopi, oblatum eſſe, ſed nullum unquam deceſſorum ſuorum hoc tam profano vocabulo uti conſenſiſſe. At non ait Gregorius, hoc in actis illius Synodi ſcriptum eſſe. Hoc illi alicunde ſuggeſtum, putavit fortaſſe in actis Synodi debere inveniri, & cùm ſcrutando non inveniret, quod tamen tam confidenter ſcripſerat, ad hoc fortaſſe perfugium ſe recepit, ut diceret, Synodum illam in uno loco eſſe falſatam. Neque tamen locum monſtrat Gregorius. Certè id Synodo Chalcedonenſi nunquam in mentem veniſſe, ex eo patet, quod æqualia privilegia & parem in Eccleſiaſticis negotiis honorem & poteſtatem ſedi Conſtantinopolitanæ, cum ſede antiquæ Romæ, decreverit ea Synodus: licet fruſtra contradicentibus legatis Leonis Papæ, qui etiam in ſuis epiſtolis, de geſtis in ea Synodo, id ſolum reprehendit, quòd non ſit ſedi Alexandrinæ ſecundus locus ſervatus, & Antiochenæ tertius, ſed eis præpoſita ſit ſedes Conſtantinopolitana. Conceſſit autem Synodus Chalcedonenſis primum inter Patriarchas locum Romano Archiepiſcopo, ſic eum vocant in inſcriptione epiſtolæ Synodicæ ad Leonem: & paſſim in actis illius Concilii. At ab univerſitatis vocabulo illi offerendo longiſſimè abfuit. Non igitur falſata eſt Synodus, ſed malè informatus Gregorius, ſi hanc falſationem intellexit. Quidam Athanaſius



Athanaſius presbyter Eccleſiæ Alexandriæ, & Theodorus atque Iſchyrion ejuſdem Eccleſiæ diaconi, & quidam laicus Sophronius, in inſcriptionibus libellorum ſuorum quos contra Dioſcorum obtulerunt, Leonem Epiſcopum Romanum vocant œcumenicum, & extant illi libelli in actione tertia Concilii Chalced. Sed nulla talis vox Synodica in illo Concilio invenitur.

31. Immeritò etiam ſuſpicatus eſt Gregorius falſationem Synodi Epheſinæ; quia ibi non invenit nomina Adelphii & Sabæ & aliorum quorundam, qui ibi dicuntur eſſe damnati. Nam etiamſi in actis Epheſinæ Synodi non legantur illorum nomina, hæreſeos tamen illius cujus duces fuere Adelphius & Sabas, & alii illi, & hæreticorum eam hæreſin profitentium damnatio expreſſè extat in ſecunda parte Synodi Epheſinæ, actione ſeptima, in editione Binii: ubi habetur definitio ſanctæ & œcumenicæ Synodi Epheſinæ contra impios *Maſſalianitas*, qui & *Euchetæ* & *Enthuſiaſtæ* quoque appellantur. Hujus autem hæreſeos ἀρχηγοὺς principes & anteſignanos fuiſſe Sabbam, & Adelphium, & Daodem, & Symeonem, & Hermam, & quoſdam alios, teſtatur Theodoretus, libro quarto hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 10. & lib. 4. hæreticarum fabularum. Ineptus verò eſt Gretſerus, Franciſco Junio in hanc ſententiam reſpondenti occurrens, dum ait, Gregorio magis quàm Junio credendum. Quis negat, cæteris paribus? ſed neque ſuam Junius, neque nos noſtram auctoritatem obtrudimus. Acta Synodi Epheſinæ, & illa Theodoreti opera non ſunt à Junio, vel à nobis conficta, aut falſata. Ad illa reſpondere debuit Gretſerus. Quæ tamen altum præterit, illaudabili atque inutili verſutiâ.

*De Maſſalianis in Synodo Epheſina damnatis.*

32. Præterea, etiamſi verum diceret ex omni parte Gregorius, rectè tamen monet Junius, inconſequentem fore ex particulari argumentationem. Addimus, neque ullam inde colligi poſſe probabilitatis ſpeciem, pro ea, quam prætendunt, falſatione actorum ſextæ Synodi, in cauſa Honorii; quia longè diſſimile eſt exemplum, ut patet ex ſuperioribus.

33. Adjiciunt etiam teſtimonium Nicolai Papæ Romani, hujus nominis primi; ſed fruſtra: magis enim inde patefiet eorum vanitas. Verba Bellarmini ſunt: *Denique Nicolaus, 1. in epiſtola ad Michaelem, remittens Imperatorem ad epiſtolam Adriani; Si tamen,* inquit, *non falſata, more Græcorum, ſed ſicut à ſede Apoſtolica miſſa eſt, penes Eccleſiam Conſtantinopolitanam hactenus conſervatur. Nec ſine cauſa hoc dixit* (ait Bellarminus;) *nam quæ ipſe allegat in epiſtola ad Photium, ex epiſtola Adriani ad Taraſium, non habentur in illa ipſa epiſtola, ut legitur in ſeptima Synodo. Detraxerunt enim Græci eum locum, quia contra honorem Taraſii faciebat.* Hæc Bellarminus. & hinc colligit, Græcos corrupiſſe ſeptimam Synodum, adeòque mirum non eſſe, ſi etiam ſextam corruperint. Idem confirmare nititur Gretſerus teſtimonio Anaſtaſii: & videre jubet epiſtolam Adriani, tom. 3. Concil. editionis Binianæ Colon.

34. Reſpondeo. 1. Non ait Nicolaus, exemplaria ſeptimæ Synodi, cum primum prodirent, corrupta prodiiſſe, & acta à Græcis corrupta, ſub imperialis impreſſione ſignaculi, legatos Adriani primi, tunc Papæ Romani, ad Adrianum ſecum tuliſſe, eaque corrupta Adrianum probâſſe. ſicut de corruptione ſextæ Synodi nugantur prodigioſi iſti cavillatores. Pro quo eorum commento nulla ſimilitudo veri colligi poteſt ex iſto loco Nicolai. Acta autem ſeptimæ illius, ſeu potius pſeudoſeptimæ, Synodi incorrupta promulgata eſſe, & ad Adrianum delata, patet ex verbis Anaſtaſii, qui de ea Synodo loquens, in vita ejuſdem Adriani primi, *Quam* (inquit) *Synodum jam dicti miſſi* (id eſt legati) *in Græco ſermone ſecum detulere unà cum Imperialibus ſacris manibus propriis ſubſcriptam, eamque prædictus egregius antiſtes in Latinam linguam tranſlatari juſſit, & in ſacra Bibliotheca pariter recondi.* Hæc ibi.

35. Præterea: Exemplaria ſeptimæ Synodi, & epiſtolæ Adriani in actione ſecunda ejuſdem Synodi, aſſervabantur Romæ, tum in Græco tum in Latino ſermone, tempore Nicolai, id eſt, ſeptuaginta annis poſt Synodi illius celebrationem, adhuc incorrupta & habentia verba illa Adriani à Nicolao citata, quoad ſenſum ſcilicet, & per æquipollentiam. Non enim neceſſe eſt ut exiſtimemus, citata eſſe à Nicolao præcisè ipſiſſima illa verba, totidem literis & ſyllabis, quæ ſcripſerat Adrianus, ſed ſatis habuit, ſi ſenſu concordaret citatio cum epiſtola Adriani. Eandem Synodum etiam Conſtantinopoli adhuc intemeratam extare exiſtimavit Nicolaus: ut patet ex ſecunda epiſtola Nicolai ad Michaelem Imperatorem, & epiſt. 6. ad Photium. Nam niſi Romæ extarent, non tam confidenter inde allegatione uteretur. Et niſi Conſtantinopoli eodem ſe habere modo exiſtimaret, non affirmaret eos ibi inventuros Adriani ſententiam, de non promovendis hominibus ex laicali habitu ſtatim ad Patriarchatûs culmen. id quod inventuros in epiſtolis illis, affirmat abſolutè, ſine ulla dubitationis cujuſcunque ſignificatione. Quamvis poſtea, bile tumens adverſus Photium Patriarcham Conſtantinopolitanum, ejuſque patronum Michaëlem Imperatorem, à quo queritur ſe accepiſſe epiſtolam blaſphemiis & injuriis plenam & à conviciis inchoatam, non ſibi temperaverit à contumelioſis verbis, in epiſtola illa octava ad Michaëlem ſcriptâ; nec minus ſtrenuus in ea cauſa conviciator Anaſtaſius, Papæ Romani bibliothecarius, in ſua præfatione in octavam Synodum, ad Adrianum ſecundum Papam Nicolai ſucceſſorem, ſcriptâ; ubi illam inter Nicolaum & Photium acerbiſſimam contentionem commemorans, quæ uſque ad mutuam depoſitionem & mutua anathemata exarſit, licenter in Photium invehitur, neque nationi parcit: quamvis præcipiti & iniquo calumniarum ſtrepitu.

*Acerbiſſima contentio inter Nicolaum & Photium.*

36. Porrò, poſt mortem Nicolai, & poſt ſcriptionem illius præfationis, idem Anaſtaſius ſeptimam, quam vocant, Synodum de græco ſermone in latinum vertit. Quæ Latina Anaſtaſii editio, unà cum Græco ejuſdem Synodi textu, extat in tomis Conciliorum Binianis. In utroque habetur epiſtola illa Adriani ad Taraſium, in actione ſecunda Nicænæ illius Synodi, quæ ſeptima œcumenica dicitur; & in ea epiſtola hæc ſunt ipſiſſima Adriani ad Taraſium verba latina, prout ab Adriano ſcripta vel dictata ſunt; *In Synodicis confeſſionis veſtræ fidei, quæ Apoſtolicæ ſedi noſtræ directa ſunt per Leonem reverendum presbyterum veſtrum, invenimus in eis in initio primæ paginæ, reverentiam veſtram ex laico ordine & imperatoriâ adminiſtratione ad ſacrati gradûs ſublimatam eſſe faſtigium. Et vehementer in his anima noſtra mirata eſt. Et niſi veſtram ſinceram & orthodoxam fidem in prædictis ſynodicis ſacri ſymboli, ſecundùm ritum ſanctarum ſex univerſalium ſynodorum, & de venerabilibus imaginibus bene*

*Specta nunc in hoc poſſtam Ieſuitarum illorum calumnioſam dicacitatem.*

*ſi inveniſſemus habere, nullatenus auderemus hujuſcemodi obaudire ſynodica.* Hæc ibi Adrianus. Eant nunc Bellarminus & Gretſerus & nugentur Nicolaum non ſine cauſa illud dixiſſe de epiſtola Adriani, quaſi à Græcis falſata; detraxiſſe enim Græcos eum locum de non promovendis ad Epiſcopatum laicis, quia contra honorem Taraſii faciebat. Cum contrarium teſtetur ipſa Adriani epiſtola, prout hodieque in utraque illa editione legitur. Quamvis autem, in allegatione à Nicolao facta, quædam ſit verborum diverſitas, (dum Nicolaus de ſenſu rei magis eſt ſolicitus, quàm de ſono vocabuli) ſenſus tamen manifeſtè congruit. Neque iſta quæ jam citavimus legerentur in epiſtola Adriani, ſi locum eum, tanquam honori Taraſii inimicum, detraxiſſent Græci, ut calumniantur iſti Jeſuitæ.

*Retorqueri poſſit criminatio.*

37. Hanc criminationem, fœnore cumulatam, retorquere poſſent Græci in Latinos; nam in Latina vulgata editione ſeptimæ Synodi, quæ retroactis multis ſeculis auctoritatem publicam apud Latinos ſola obtinuit, (quæ etiam Bellarminum decepit,) dum Græcus textus non legeretur, & Latina Anaſtaſii verſio (quæ diu latitans, nuper in lucem prodiit) non innoteſceret, in ea, inquam, Latina editione, locus ille epiſtolæ Adriani falſatus eſt; multæque aliæ depravationes paſſim in cà editione inveniuntur, ut ſuprà ex Binio monuimus, §. 26.

*Exempli diſparitas.*

38. Adhæc extabant ſemper, & adhuc extant incorrupta, tum græca tum latina ſeptimæ illius Synodi exemplaria, ex quorum cum corruptis collatione, defectus omnes facilè deprehendantur. Non ita ſe res habet de commentitia illa falſatione actorum ſextæ Synodi; quam fingunt iſti contentioſi ita fuiſſe in ipſa radice viciatam, in ipſo fonte corruptam, ut nullus inde ramus vitii ejuſdem expers prodire, nullus incorruptus rivulus emanare potuerit. idque tam ſubtiliter, ut ipſos ejuſdem Synodi Patres, & Imperatorem qui Synodo interfuit, & Romanos Pontifices, & Concilia œcumenica fraus illa fefellerit. Donec exorti tandem ſunt è puteo abyſſi oculatiſſimi iſti Ariſtarchi, qui cornicum oculos ſolis impudentiæ ſpiculis configerent.

*Gretſeri argumentatio ab univerſali corruptione canonum & actorum Nicænorum propoſita, & luculenter refutatur.*

39. Gretſerus in defenſione Bellarmini, reſpondens Whittakero; *Nec eſt,* inquit, *quid tam mirandum accidat VVhittakero, omnia exemplaria ſextæ Synodi potuiſſe corrumpi: etiam Romana bibliotheca. An nihil unquam audivit de univerſali corruptione canonum & actorum Nicænorum, facta ab Arianis, hoſtibus Nicæni Concilii?* hæc Gretſerus.

40. Reſpondeo. 1. Ait quidem Baronius (in epitome apud Spondanum, an. Dom. 325. numero 20.) acta Nicæna, prout olim accuratiſſimè conſcripta ſunt, injuriâ temporis, & Arianorum conatibus, paſſa eſſe naufragia. At non diſſimulat ibidem quoſdam affirmare, ea hodie adhuc reperiri tum Alexandriæ, tum apud Arabes. 2. Adhæc, rerum in eadem Synodo geſtarum veram hiſtoriam colligi poſſe ex monumentis ſanctorum Patrum & Conciliorum, quis neſcit, qui antiquitatem vel à limine ſalutavit? idcirco Baronius eodem anno 325. numero 48. referens quiddam mirandum ex Gregorio presbytero Cæſarienſi & Nicephoro, recentioribus ſcriptoribus, quod ſcribunt accidiſſe tempore Nicæni Concilii, pro confirmatione rectæ fidei, profitetur ſibi id veriſimile non videri, eò quod nullum ejus veſtigium ſit reperire penes Athanaſium, Hilarium, & alios, qui (inquit) nihil planè reliquêre intactum, quo inſultantem Arianam hæreſin oppugnare potuiſſent. 3. Acta aliqua velut naufragio amitti, longè diverſum eſt, ab univerſali corruptione: nam corrumpi amiſſum non poteſt.

41. Prætereà manifeſtè falſum eſt quod jactat Gretſerus de univerſali corruptione canonum & actorum Nicænorum, ab Arianis aut quibuſcunque facta. Quod ſic oſtendo. Cum poſt Nicæni Concilii celebrationem anni propemodum centum lapſi eſſent, Africana Eccleſia ex authenticis Nicæni Concilii codicibus, qui Conſtantinopoli & Alexandriæ tunc extabant, accepit veriſſima Symboli & canonum ejuſdem Concilii exemplaria, ab Attico Epiſcopo Conſtantinopolitano, & Cyrillo Alexandrino, ad Africanos Patres ſeriò id expetentes miſſa. Quæ etiam Africani Patres ad Bonifacium urbis Romæ Epiſcopum tranſmiſerunt. Exemplaribus illis conforme erat illud fidei & ſtatutorum Nicænæ Synodi exemplar, quod in Africam olim à Cæciliano Epiſcopo Carthaginenſi, qui Nicænæ ſynodo interfuit, allatum, adhuc apud Afros incorruptum aſſervabatur. Et ut Eccleſiarum pax, & fides in Orientis atque in Occidentis partibus una eademque ſervaretur, decreverunt Africani Patres, ut ſymbolum & ſtatuta Nicæni Concilii, prout ea ex Oriente veriſſima acceperant, inſererentur geſtis Eccleſiaſticis Eccleſiæ Africanæ; quod & factum eſt. Eademque in hunc uſque diem incorrupta ibidem extant: in actis Concilii Carthaginenſis ſexti, & Concilii Africani, tom. 1. Concil. Symbolum autem (ſeu dogmatica definitio) ejuſdem Nicæni Concilii, in multis aliis Conciliis identidem repetitum, extat adhuc in eorum actis incorruptum. Et in aliis Patrum libris invenitur. Gregorius, ſicut ſancti Euangelii quatuor libros, ſic prima quatuor Concilia œcumenica ſuſcipere & venerari ſe fatetur. lib. 1. epiſt. ex regiſt. epiſt. 24. Quod certè non diceret Gregorius, ſi exiſtimaret canones & acta Nicæna eſſe univerſaliter corrupta. Extat etiam adhuc incorrupta ejuſdem Nicæni Concilii epiſtola Synodica, quam ad Eccleſiam Alexandrinam & fratres Ægyptum ac Lybiam & Pentapolim incolentes, ſe ſcripſiſſe profitetur, ut inde intelligere poſſint cùm ea, quæ in controverſiam (de Ario, & de Meletianis, & de Paſchate) adducta & exquiſitè diſceptata ſunt, tum quæ decreta & conſtabilita. Hanc epiſtolam adhuc integram & inviolatam inveniet lector apud Theodoretum, lib. 1. hiſt. Eccleſ. cap. 9. & apud Socratem, lib. 1. hiſt. Eccleſ. cap. 6. Extat etiam adhuc intemerata de ejuſdem Concilii geſtis, de Paſchate epiſtola Conſtantini magni Imperatoris, apud Theodoretum, lib. 1. hiſtor. Eccleſ. capite 10. Et ejuſdem Imperatoris alia epiſtola ad Eccleſiam Alexandrinam, de Synodi Nicænæ definitione contra Arium; apud Socratem, lib. 1. hiſtor. Eccleſ. capite 6. Quas omnes epiſtolas cum aliis quibuſdam ad eandem Synodum pertinentibus, invenies etiam in Biniana editione Concilii Nicæni.

42. Gretſerus aliâ etiam inutili defenſione utitur; *Quoties* (inquit) *vociferatus Sutlinus, epiſtolis Gelaſii, Leonis primi, Nicolai primi, & ſimilium hoc vel illud aſſutum, & alienâ manu affixum eſſe, non obſtante omnium exemplarium conſenſu? Fierine potuit, ut omnia exemplaria falſarentur?* Hæc ille.



43. Reſpondeo. Alienum à propoſito hoc exemplum non juvat cauſſam Gretſeri, pro illa, quam imaginatur, corruptione ſextæ Synodi. Nam ſententiæ illæ, quas ſuppoſitas judicat Sutlinus, non ſunt acta ſynodalia de hiſtoria rerum in Synodo aliqua œcumenica geſtarum; non repetuntur crebrò in eodem opere; non ſunt multorum Epiſcoporum ſubſcriptione ſynodali, & ſermone proſphonetico, & Imperiali ſubſignatione, Imperialiq; edicto roboratæ; non ſunt in quinq; Patriarchalium ſedium authenticis codicibus poſitæ; non ſunt ab Epiſcopis pluſquam ducentis decennio, poſt primam ſcriptionem, rurſum ſynodicè repetitæ; non ſunt ſequentibus ſeculis ab univerſalibus Conciliis, & à Pontificibus Romanis, & ab ingenti aliorum probatorum teſtium nube expreſſè agnitæ & confirmatæ: ſicut illa quæ de Honorii damnatione leguntur in ſexta Synodo. ab exemplo igitur, tantâ intercapedine remoto, nulla duci poteſt probabilitatis ſpecies pro eo, quod hic intendunt iſti criminatores. Certè ad incitas ſe redactos oſtendunt, quando tam vana effugia miſeri circumſpectant.

44. Et quaſi non ſatis ſe hactenus deridiculo expoſuiſſet, confugit etiam ad dialogos qui ſub Gregorii Magni nomine circumferuntur, quos illius eſſe negat Sutlinus. Eſto ſanè dialogorum illorum auctor Gregorius. hac tamen defenſione diſcedit à quæſtione Gretſerus. Non enim agitur de autore operis, ſive libri actorum ſextæ Synodi, ea enim ejuſdem Synodi eſſe acta, à ſecretariis ſynodicè conſcripta, nemo inficiatur, aut dubitat: ſed de eorundem integritate in eis quæ de Honorio ibi leguntur. Non eſt novum, neque inauditum, ſcripta pſeudepigrapha (quamvis in corpore operis non falſata) præ ſe ferre eorum nomina, qui eorum auctores non fuerunt. Plurima ejus rei occurrunt exempla. At verò hujuſmodi falſationis, qualem mentiuntur iſti factam in actis ſextæ Synodi, nullum unquam exemplum extitit, neque eſt credibilis, imò eſt impoſſibilis: ut ex ſuperioribus evidenter patet.

45. Objicit Papiſtis Whittakerus; hanc reſpondendi rationem (quâ acta dicunt eſſe falſata) eſſe valde periculoſam: cavendum enim Bellarmino, ne, ſi ſic pergat reſpondere, evertat omnia, & naufragium faciat atque jacturam omnium mercium Pontificiarum.

46. Reſpondet Gretſerus; Periculoſam fore defenſionis rationem, ſi temere & abſque ratione adhiberetur. At periculoſam non eſſe, ſi nitatur ratione & maturo conſilio, atque adeò auctoritate.

47. At hac reſponſione cauſſam ſuam perditum it Gretſerus. Nam iſta evadendi via temere & abſque ratione, imò contra rationem, initur: ſicut evidenter oſtenſum eſt.

48. Atque ita primam eorum rationem prorſus ineptam & inutilem eſſe oſtendimus. idem de reliquis patefiet.

## CAPUT DECIMUM-QUARTUM.

*Reſpondetur ad ſecundam rationem, qua infallibiliarii iſti probare nituntur falſationem actorum ſextæ Synodi, in negotio Honorii.*

SEcundam rationem petunt à judicio Synodi de epiſtola Agathonis; & hinc argumentantur, non potuiſſe Synodum condemnare Honorium, niſi ſecum ipſa pugnaret: nam in epiſtola Agathonis dici, quod non deficiat à fide Romana Eccleſia, & officium in admonendis fratribus ſemper feciſſe Apoſtolicos ejuſdem Eccleſiæ Pontifices, hanc autem epiſtolam à Synodo approbatam eſſe.

2. *Prima noſtra reſponſio eſt,* unde conſtat probatam Synodo eſſe epiſtolam Agathonis, indidem etiam conſtat, condemnatum eſſe ab eadem Synodo Honorium: nempe ex actis Synodi. neque magis ab approbatione epiſtolæ valet argumentatio contra condemnationem Honorii; quam à condemnatione Honorii contra approbationem epiſtolæ.

3. *Secunda noſtra reſponſio eſt:* quo ſenſu Synodus approbaverit illam Agathonis epiſtolam ſive ſuggeſtionem, eique adjunctam ſynodicam ſuggeſtionem Synodi Romanæ ſub Agathone celebratæ, declarant ipſa acta ſextæ Synodi. Lecta eſt utraque ſuggeſtio, actione quartâ; poſtea etiam, actione ſeptimâ, alia inſuper Patrum teſtimonia proferunt Legati Romani: Et in fine actionis ſeptimæ, petunt ab Imperatore, ut interrogentur Georgius Patriarcha Conſtantinopolitanus, eique ſubjacens Synodus, & Macarius Patriarcha Antiochenus, eique ſubjacentes Epiſcopi, utrum conſentiant, nec ne, duabus illis ſuggeſtionibus. Reſpondentes Georgius & Macarius poſtulant, concedi ſibi earundem ſuggeſtionum exemplaria, ut Patrum teſtimonia (in illis allegata) conferant cum codicibus Patriarchii Conſtantinopolitani, atque ita competens deinde reſponſum reddant. Et fit ſecundum eorum petitionem. Proximâ igitur octava actione, eos interrogat Imperator, ſi ipſi eiſque ſubjacentes Synodi conſentiant ſenſui [εἰ στοιχῶσι τῇ δυνάμει] ſuggeſtionum directarum ab Agathone, ejuſque Synodo. Reſpondet Georgius Patriarcha Conſtantinopolitanus, ſe inſpexiſſe omnem vim [δύναμιν] illarum ſuggeſtionum, & factâ collatione inveniſſe teſtimonia ſanctorum ac probabilium Patrum, quæ in eiſdem ſuggeſtionibus continentur, conſonantia, & in nullo diſcrepantia à ſanctis & probabilibus Patribus; ſuum igitur eis conſenſum adhibet, & ſic ſe credere profitetur. Poſt eum Theodorus Epiſcopus Epheſi, dicit Imperatori: Ita domine (δέσποτα) profiteor, & ſic credo, quemadmodum habent ſuggeſtiones ſanctiſſimi Papæ antiquæ Romæ Agathonis, id eſt, duas naturas & duas naturales voluntates, & duas naturales operationes in uno Sanctæ Trinitatis Domino noſtro Jeſu Chriſto, vero Deo noſtro. In eandem ſententiam reſpondent reliqui omnes Epiſcopi, ſub ſede Conſtantinopolitanâ conſtituti: ſe inveniſſe teſtimoniorum allegatorum conſonantiam, & ſe ſic credere, ac profiteri duas in uno Chriſto naturas, duas voluntates, & duas operationes. Idemque profitentur Epiſcopi exiſtentes de ſynodo ſedis Antiochenæ. Ipſe autem Macarius Patriarcha duas agnoſcere voluntates & operationes, adeòque

ſuggeſtionibus illis conſentire recuſat; Monotheliticæ igitur hæreſeos convictus anathemate damnatur.

4. Hinc patet Synodum approbâſſe illas ſuggeſtiones tantummodo, quoad veritatem dogmatis de duabus naturis, voluntatibus, operationibus: idque hoc argumento; Quod teſtimonia Patrum ab Agathone citata de eo dogmate, invenirent concordantia cum codicibus Patriarchii Conſtantinopolitani. De eo, inquam, dogmate; Nam etſi obiter aſſerat quædam Agatho de ſedis ſuæ conſtantiâ, nullum tamen pro ea profert ullius Patris teſtimonium, ſed tantummodo profert pro duabus voluntatibus teſtimonia Athanaſii, Ambroſii, Auguſtini, Gregorii Nazianzeni, Concilii Chalcedonenſis, Concilii quinti œcumenici, Gregorii Nyſſeni, Johannis Chryſoſtomi: & pro duabus operationibus, teſtimonia Hilarii, Athanaſii, Dionyſii Areopagitæ, Ambroſii, Leonis primi Papæ Romani, Gregorii Nyſſeni, Cyrilli Alexandrini: idemque docuiſſe ait Cyrillum Hieroſolymitanum, Johannem Conſtantinopolitanum, Johannem Scythopolitanum Epiſcopum, Eulogium Epiſcopum Alexandrinum, Ephræmium & Anaſtaſium majorem Theopolitanæ Eccleſiæ Antiſtites, & Juſtinianum Auguſtum, cujus edictum contra Acephalos olim editum miſit Agatho cum his ſuggeſtionibus ad Conſtantinum Imperatorem. Nec ulterius extendi approbationem ſynodicam earum ſuggeſtionum, patet etiam ex verbis definitionis Synodicæ, ubi approbatio hæc, ejuſdemque ratio, reperiuntur. Eam definitionem invenies ſuprà in quarto capite hujus libri.

5. Et quemadmodum doctrinam in Agathonis epiſtola propoſitam, de duabus voluntatibus & duabus operationibus, approbat Synodus; ita etiam conſentit eidem in abjectione eorum omnium quos, ut oppoſiti erroris duces aut ſectatores, nominatim abjecit Agatho. Inſuper autem & cum eis damnat ſexta Synodus Honorium, quem fatetur ab Agathone quidem non eſſe hæreticis annumeratum, ſe tamen ait inveniſſe, damnari eum quoque debere. actione 13.

*Synodica damnatio Honorii conſentit cum ejuſdem Synodi judicio de epiſtola Agathonis, & cum ipſa Agathonis epiſtola.*

6. Neque hoc Synodi judicium quo damnat Honorium, repugnat ejuſdem judicio, quo approbat illas ſuggeſtiones: ſed potius ex eo ſequitur. Nam receptio doctrinæ, & oppoſiti erroris rejectio, importat abjectionem eorum omnium qui orthodoxæ illius doctrinæ adverſarii, & erroris autores vel fautores inveniuntur. Et ad hoc ipſum Agatho ejuſque Synodus, in ſua ſuggeſtione, hortantur Imperatorem, ut & veritas (inquiunt) adhuc in ancipiti poſitis clareat, & eam ſinceriter amplectentibus robur accreſcat, & zizaniorum genimina ſpirituali falce, ut offenſionis ac deceptionis occaſio de medio Chriſti Eccleſiarum tollatur, abſcindantur quorum auctores extiterunt Theodorus Pharanitanus, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus, Paulus, & Petrus Conſtantinopolitani, vel quivis eis conſentanei uſque in finem demonſtrati ſunt, qui novi erroris auctores, perfectæque diſpenſationi, quâ ſalvati ſumus, infeſti, non ſolum veræ confeſſionis adverſarii, ſed, utpote à via veritatis aberrantes, ſibi-ipſis contraria docuerunt, aliter & aliter aſſerentes, &c. Hæc Agatho cum ſua ſynodo: quæ approbans ſexta Synodus, hæreticos illos ab Agathone ejuſque Synodo nominatos anathematizavit, & cum eis etiam Honorium, & Macarium, & alios, quos invenit eis conſentaneos, veræque confeſſionis adverſarios, uſque in finem, id eſt, ſine ulla reſipiſcentiæ declaratione. quamvis etiam ſibi-ipſis non conſtiterint illi hæretici.

7. Martinus & Agatho, Pontifices Romani, cum ſuis ſynodis, intenti in hæreticos Orientales, cum ſuam Occidentalem Eccleſiam malo illo impræſentiarum non laborare cernerent, flagrantibus tunc illo incendio Eccleſiis Orientis, non fuerunt ſoliciti de examinanda in ſuis ſynodis epiſtolâ prædeceſſoris ſui Honorii, aut de ſententia de Honorio ferendâ. Itaque etiamſi in epiſtola Pauli Epiſcopi Conſtantinopolitani Monothelitæ, allegetur conſenſus Sergii & Honorii, in ſecretario quarto Concilii Romani, ſub Martino habiti; Patres tamen illius Concilii, vindiciarum Honorii incurioſi, aliquid pro dogmate, contra Orientales dicunt: & Honorium ſilentio prætereunt. quod utique non feciſſent, ſi Honorium expedite, ejuſque tutari innocentiam ſe poſſe confiderent: non ſegnes alioqui vindices ejus futuri: tum ut Honorii honori conſulerent, tum ut ejus auctoritatem hæreticis eriperent. ſicut fecerunt Romani Legati in ſexta Synodo, pro Vigilio. At ſextæ Synodi Patres, cum Honorii auctoritatem à Monothelitis objici viderent, ſtatuerunt ſibi neceſſariò eſſe inquirendam illam Honorii, quam Monothelitæ tantopere jactabant, epiſtolam. eamque Monothelitarum errori conſentaneam deprehendentes, ſententiam de ea, ejuſque auctore, ſynodicam pronunciârunt.

8. *Tertia noſtra reſponſio eſt*: Singula, quæ Agatho & Epiſcopi Occidentales ſuggeſtionibus illis, παρέργως, intexuerunt, non fuit ſextæ Synodo propoſitum ad vivum reſecare. Agatho Romanus Epiſcopus, zelo ſedis ſuæ abreptus, magnifica quædam de ea, more Pontificum illius ſedis, licet aliud tractans argumentum, qua opportunè, qua importunè, ebuccinavit. quos flatus prætervolare ſinens Sancta ſexta Synodus, quod inſtabat de controverſia orbem tunc turbante egit: & ſuggeſtiones illas, quoad eam controverſiam, approbavit. Parerga autem illa nec approbavit, nec (ſi ad vivum reſecentur) approbare, veritate ſalvâ, potuit.

9. Specimen exhibebo. Ait Agatho, Eccleſiam Romanam nunquam à via veritatis in qualibet parte deflexam eſſe, ſemperque omnem Catholicam Chriſti Eccleſiam, & univerſales Synodos fideliter amplexas & in cunctis ſequutas eſſe auctoritatem Eccleſiæ Romanæ, utpote Apoſtolorum omnium Principis. Hoc certè, (ut alias interim ampullas tranſeam) falſum eſt de univerſalibus Synodis. Nam prima œcumenica Synodus Nicæna, ſi cujuſquam particularis Eccleſiæ (qualis Romana eſt) doctrinam ſequuta eſſe dicenda ſit, Alexandrinam potius quàm Romanam Eccleſiam ſequuta eſt: auctoritatem verò, quoad dogma quidem, ſolius Scripturæ, quoad vocabulum autem ὁμοούσιος, antiquorum Patrum proferebat. ut docet Theodoretus, libro primo hiſtoriæ Eccleſ. cap. octavo. Secundæ autem œcumenicæ Synodo nemo prorſus à Romana ſede interfuit. Tertia Synodus Cyrillum potius ſequuta eſt. Quarta quidem Synodus, Chalcedone celebrata, tomum ſive epiſtolam Leonis, ad Flavianum contra errorem Eutychetis ſcriptam, ſuſcepit & approbavit, non tamen



tamen propter ſedis Romanæ, tanquam Apoſtolorum Principis, auctoritatem aliquam infallibilem, alioqui non fuiſſet de ea ſuſcipienda tantopere deliberatum; ſed propter evidentem illius epiſtolæ conſonantiam cum doctrina trecentorum & octodecim Patrum qui primam œcumenicam Synodum Nicææ celebrârunt, & centum ac quinquaginta Patrum qui Conſtantinopoli ſecundam Synodum habuerunt, & Cyrilli Alexandrini in Synodo Epheſina œcumenica tertiâ: ſicut expreſſè commemoratur in quarta actione Concilii Chalcedonenſis. Tantum verò abfuit, ut quinta œcumenica Synodus auctoritatem Sedis Romanæ in omnibus ſequeretur, ut è contrario nullum illius ſedis nomine præſentem habuerit, & recuſante Vigilio Papâ Romano Synodo per ſe aut per alios intereſſe, Synodum tamen illam celebraverint Patres Orientales, & ſententiam de tribus capitulis definitivam, Vigilio fruſtra ſe opponenti diſplicentem, pronunciaverint.

10. *Quarta noſtra reſponſio eſt*: Romanæ illius Synodi, ſub Agathone celebratæ, cæteri etiam Epiſcopi, paullo poſt principium ſuæ ſuggeſtionis, ajunt, Prædeceſſores ſuos uſque adhuc terminos veræ fidei, quos tranſgredi nefas eſt, conſtanter defendiſſe: nec ſeductos eſſe blanditiis, nec periculis territos. ſed illam Euangelicam ſententiam operibus demonſtrâſſe; *qui me confeſſus fuerit coram hominibus, & ego confitebor illum coram Patre meo qui in Cœlo eſt.* Quod tamen, ſi ſcrupuloſius diſquiratur, invenietur nihil facere pro ſedium illarum, quibus Epiſcopi illi præerant, infallibilitate. experientiâ demonſtrante earum lapſus. Neque igitur inde inferri debet infallibilitas Sedis Romanæ.

11. *Quinta noſtra reſponſio eſt:* Romanam Eccleſiam ſimili conſtantiæ elogio ornat Leo ſecundus, Papa Romanus, epiſtola 5. ad Ervigium Gothorum in Hiſpania regem; (nempe quia aliis ſedibus Patriarchalibus, Sedes Romana ab hæreſibus adhuc permanebat liberior: adeò ut illuc hæreſes vel aditum non invenerint, vel non diu hæſerint, neque latè ſerpſerint.) Non tamen id ita intelligi vult Leo, ac ſi præcisè exiſtimaret nullum unquam illius Eccleſiæ Epiſcopum erraſſe, aut errare poſſe in fide, aut non poſſe Epiſcopum aliquem Romanum damnari hæreſeos; nam paullo poſt in eadem epiſtola agnoſcit Honorium à ſexta Synodo propter hæreſin meritò eſſe damnatum. Verba Leonis ſunt: Sed Euangelica veritas vincit: pro ejus ſubtilitate & immutabilitate ſervanda diverſas afflictionum inſidias, hæc Apoſtolica Chriſti Eccleſia ſuſtinuit ſemper & ſuſtinet, & supernâ gratiâ ſuffragante illæſa perſiſtit. ——— Verùm Imperator gratiâ Sancti Spiritûs animatus, & laborem pro Chriſtianæ fidei puritate ſponte perpeſſus, Eccleſiam Dei Catholicam ab erroris hæretici maculâ ſummis niſibus purificare molitus eſt, & quicquid offenſionem Chriſtianis populis poterat generare, de medio Dei Eccleſiæ fecit auferri, omneſque hæreticæ aſſertionis auctores venerando cenſente concilio condemnati, de Catholicæ Eccleſiæ adunatione projecti ſunt, id eſt, Theodorus Pharanitanus Epiſcopus, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Paulus, Pyrrhus & Petrus, quondam Conſtantinopolitani Præſules, & una cum eis Honorius Romanus, qui immaculatam Apoſtolicæ traditionis regulam, quam à prædeceſſoribus ſuis accepit, maculari conſenſit, ſed & Macarium Antiochenum, cum Stephano ejus diſcipulo, imò hæreticæ pravitatis magiſtro, & Polychronio quodam inſano ſene. ——— quos omnes cum ſuis erroribus divina cenſura de ſancta ſua projecit Eccleſia. Hæc Leo, loco citato.

12. *Sexta noſtra reſponſio eſt*: Gregorius primus, Papa Romanus, fatetur ſe prima quatuor Concilia œcumenica ſuſcipere & venerari, ſicut ſancti Euangelii quatuor libros, eaque integerrimâ approbatione cuſtodire. lib. 1. epiſtol. ex regiſtro cap. 24. quod tamen intelligunt Romanenſes tantummodo de fide adverſus hæreticos illic defenſa. quam non minus olim ſuſcepit Leo I. Papa Romanus, cui tamen vehementer diſplicebant ſecundi & quarti Conciliorum decreta de loco Epiſcopi Conſtantinopolitani.

## CAPUT DECIMUM-QUINTUM.

*Reſpondetur ad tertiam rationem, qua cavillatores iſti oppugnant integritatem actorum ſextæ Synodi in negotio Honorii.*

ARgumentatur Binius in hunc modum; Legati Sedis Apoſtolicæ rerum agendarum certum ac præſcriptum acceperant commonitorium, nimirum ut eam fidem, eaque dogmata conſtanter defenderent, quæ epiſtolâ S. Agathonis continebantur. Cum itaque iidem Legati, omnia quæ contra Honorium dicta aut facta enarrantur, ſilentio præterierint, inde colligit Binius aliquem impoſtorem ſuo nomini expuncto nomen Honorii ſubſtituiſſe.

2. Ad hoc argumentum reſpondeo; 1. Commonitorio illis dato paruerunt legati, quando dogma Catholicum de duabus unius Chriſti voluntatibus & duabus operationibus ſtrenuè defenderunt, & errorem Monothelitarum graviter oppugnaverunt, multis aliis prolatis Patrum & hæreticorum teſtimoniis, quæ in ſuggeſtionibus Agathonis & Romanæ Synodi non continebantur. ut legere eſt in actis ſextæ Synodi, in fine actionis ſextæ, & actione ſeptimâ, & actione decimâ. Neque aliud quidpiam in mandatis acceperant: nam ea ſolùm controverſia tunc agitabatur. 2. Non prorſus ſilentio præterierunt quæ de Honorio leguntur; nam epiſtola illa Latina Honorii, propter quam damnatus eſt, collata eſt per Johannem Epiſcopum Portuenſem, qui unus fuit ex Legatis Synodi Romanæ ſub Agathone celebratæ, ut legere eſt in 12. actione ſextæ Synodi. Ejuſdemque Honorii damnationi ſubſcripſerunt, cum reliquis Patribus, Legati Agathonis, & Legati Synodi Romanæ, ſubſcribentes definitioni ſynodicæ, & ſermoni Synodi proſphonetico, actione decima octavâ, & Legati Synodi Romanæ ſubſcripſerunt etiam epiſtolæ Synodi œcumenicæ ad Agathonem ſcriptæ. quæ omnia cum reliquis Synodi geſtis Romam ſecum portantes legati tradiderunt Leoni ſecundo Papæ Romano, eique rem omnem ſic geſtam in

Synodo

Synodo eſſe narraverunt, quemadmodum in actis illis condemnationem Honorii continentibus deſcripta legebatur: ut teſtatur ipſe Leo in epiſtola ad Conſtantinum Imperatorem. 5. Legati damnationi Honorii conſentientes, eumque cum reliquis damnantes, fecerunt juxta illud quod in ſuggeſtione ipſis tradita continebatur, ut nimirum abſcinderentur novi erroris auctores & veræ confeſſionis adverſarii, & quicunque eis uſque ad finem conſentanei demonſtrarentur, neque legatorum candorem decuiſſet ἐν προσωποληψίαις ἔχειν τὴν πίστιν τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τῆς δόξης, ut huc accommodem verba Jacobi Apoſtoli.

## CAPUT DECIMUM-SEXTUM.

*Reſpondetur ad quartam rationem, quam adferunt Sophiſtæ, ut imperitis perſuadeant, falſata eſſe acta ſexta Synodi, in negotio Honorii.*

*Argum.* QUarta eorum ratio eſt: Non potuit ſexta Synodus condemnare Honorium, niſi indebilem impudentiæ, & erroris atque injuſtitiæ notam ipſa incurreret: quod de ſancta illa oecumenica Synodo cogitare abſurdum eſt: ergo non condemnavit Honorium. Probant maiorem propoſitionem per partes, ſic; Intolerabilis *impudentia* foret, Synodum illam præſumere condemnare ſedem Apoſtolicam, quæ judicat omnes, & à nemine judicatur. *Error* eſſet, non intelligere epiſtolas Honorii, eaſq; ut erroneas damnare, in quibus tamen nullus error continetur. *Injuſtum* eſſet, Honorium innocentem condemnare.

*Reſp.* 2. En os meretricis illius metropornes, κάθημαι βασίλισσα, Sedeo Regina, [Apocal. 18. 8.] & hominis peccati, ſedentis in templo Dei, ac ſi Deus eſſet, & præ ſe ferentis ſe eſſe Deum. [2. Theſſ. 2, 4.] Terreni iſti ſceleratæ Beſtiæ admiratores & ſectatores, (ſicut de eis ſcriptum eſt) dicunt, τίς ὅμοιος τῷ θηρίῳ; quis ſimilis Beſtiæ? quos laudans beſtia, ipſa etiam os ſuum ſuperbum & blaſphemum aperit ad blaſphemiam adverſus Deum, ad blaſphemandum nomen ejus, & tabernaculum ejus, & eos qui Coelo habitant. [Apocal. 13. 3.4.5.6.] quis unquam Apoſtolorum talem de ſe vocem emiſit, ut ſe omnium judicem, à nemine judicandum, pronunciaret? Longè alia mens fuit Petri Apoſtoli, laudantis (non autem impudentiæ inſimulantis) Paulum, à quo tam acriter fuerat reprehenſus. [Galat. 2. 11. & 2. Petr. 3. 15.] Longè aliud etiam Pauli Apoſtoli judicium, qui, abſque ullius cujuſcunque, ſive Apoſtoli ſive Angeli, exceptione, clamat; *Etiamſi nos, aut Angelus è Coelo evangelizet*
*Gal. 1, 8.9.* *vobis, præter id quod evangelizavimus vobis, anathema ſit.* Neque ſemel dixiſſe contentus, iteratò id ipſum inculcat. [Galat. 1. 8, 9.] Vide Auguſtin. lib. 3 contra literas Petiliani, cap. 6. & hiſtoriam Synodi Rhemenſis à Gereberto ſcriptam, cap. 28. Verba invenies à nobis citata in Irenico, lib. 2. cap. 11. in dialogo de ordinatione Britannica, & in fine exegeſeos propoſitionis 16.

*Matth. 18, 17.* 3. Dominus noſter ſimpliciter pronunciat habendum ut Ethnicum & Publicanum, qui Eccleſiæ obedire detrectaverit, Matth. 18, 17. Neque excipit vel eximit Epiſcopum Romæ, magis quàm Epiſcopum Alexandriæ, vel etiam Eugubii. ideo Gregorius 1. Epiſcopus Romanus lib. 1. epiſtolarum ex regiſtro, cap. 24. de primis quatuor Conciliis oecumenicis loquens, ea ſe ſuſcipere, & venerari, & totâ devotione complecti, integerrimâque approbatione cuſtodire profitetur. *Quia in his* (inquit) *velut in quadrato lapide ſanctæ fidei ſtructura conſurgit. Et cujuſlibet vita atque actionis exiſtat, quiſquis eorum ſoliditatem non tenet, etiamſi lapis eſſe cernitur, tamen extra ædificium jacet. Deinde quintum quoque Concilium ſe pariter venerari teſtatur, ſubjungitque hæc verba de omnibus quinque Conciliis; Cunctas verò quas præfata veneranda Concilia perſonas reſpuunt, reſpuo, quas venerantur, amplector, quia dum univerſali ſunt conſenſu conſtituta, ſe & non illa deſtruit, quiſquis præſumit aut ſolvere quos religant, aut ligare quos ſolvunt. quiſquis ergo aliud ſapit, anathema ſit.* Hæc Gregorius. Ubi manifeſtè profitetur ſuam ſubjectionem oecumenicis Conciliis orthodoxis, tanquam Eccleſiæ Catholicæ, cujus ſoliditatem quiſquis non tenet, is extra ædificium jacet. His conſonat illud Martini primi Papæ Romani ejuſque Concilii ſecretario quinto, anathematiſmo 18. Si quis (inquiunt) conſonanter nobis pariterque fide non reſpuit & anathematizat animâ & ore omnes quos reſpuit & anathematizat nefandiſſimos hæreticos, cum omnibus impiis eorum conſcriptis uſque ad unum apicem, ſancta Dei Eccleſia Catholica & Apoſtolica, hoc eſt, ſancta & univerſales quinque Synodi, & conſonanter omnes probabiles Eccleſiæ Patres, id eſt, Sabellium, Arium, &c. hujuſmodi condemnatus ſit. Hæc ibi. Omnis igitur Chriſtianus, etiam Papa Romanus, debet obedire univerſalibus orthodoxis Conciliis, tanquam ſanctæ Dei Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ, cui omnes ſub poena damnationis ſe ſubmittere tenentur. Et cujus decreta, delinquentes ligantia, vel poenitentes ſolventia, Dominus rata habet in Coelis, adeò ut ſeipſum deſtruat, quiſquis præſumit aut ſolvere quos ea religat, aut ligare quos ſolvit.

*Gregorius I. Papa Romanus veneratur, & totâ devotione complectitur concilia oecumenica.*

4. Ideo in ipſis Conciliis, ſanctio additur univerſalis, ſi quis aliter prædicaverit, &c. anathema ſit. Non excipitur Epiſcopus Romanus. Nam Prophetarum Spiritus Prophetis ſubjiciuntur. 1. Corinth. 14. 32. 33. Idcirco Gregorius ait, Epiſcopum illum eſſe imitatorem Diaboli, quiſquis tandem is fuerit, qui ad culmen conatur ſingularitatis erumpere, ut & nulli ſubeſſe, & ſolus omnibus præeſſe videatur. lib. 4. epiſt. 38. ſeu cap. 82. Eadem mens fuit Synodorum illarum, quas Romanenſes ſeptimam & octavam oecumenicas vocant; nam illæ Honorium à ſexta Synodo juſtè anathematizatum eſſe agnoſcunt, & rurſum anathematizant. Neque illis in mentem venit commentitium iſtud τὸ ἀνυπεύθυνον Papæ Romani. Præſertim in cauſſa hæreſeos. Vide ſuprà lib. 1. cap. 29. obſervatione decimâ. Vide etiam Irenicum noſtrum, lib. 2. cap. 11. in exegeſibus propoſitionum 15. & 16. Plura etiam in hoc opere contra hanc Antichriſtianam arrogantiam (Domino donante) dicemus infrà, ſuo loco. Impudentiæ igitur crimen in ſuo ſinu ſibi applicent iſti accuſatores Patrum.

5. Metuant etiam ſibi ab anathemate toties denunciato eis, qui condemnatos ab orthodoxâ univerſali Synodo, eorumve ſcripta, defendunt.



Nam pari reverentiâ à Sede Romana totoque orbe Chriſtiano ſuſcipitur ſexta oecumenica Synodus, cum prioribus quinque Synodis. Propterea Adrianus ſecundus, Papa Romanus, ſibi cavens ab hoc anathemate, cum inficiari ſe non poſſe cerneret damnationem Honorii factam in ſexta Synodo, & tamen damnationis ſententiam à Photio in Nicolaum Papam Romanum latam, irritam cenſeri, Sedemque ſuam à conſimilis cenſuræ periculo in poſterum exemtam vellet, ad hoc confugit, ut fateretur quidem Honorio poſt mortem anathema dictum eſſe ab Epiſcopis Orientalibus: id tamen factum eſſe contenderet ob hæreſeos accuſationem, & præcedente conſenſu Pontificis ipſius Sedis Romanæ. Quibus concurrentibus (concurriſſe autem in negotio Honorii affirmat) concedit poſſe Synodum de Romano Pontifice judicare, eique anathema dicere. ut legere eſt in alloquutione tertia Adriani, in illa Romana Synodo, cujus acta extant in ſeptima actione Synodi illius Conſtantinopolitanę, quam octavam oecumenicam vocant. Nondum uſque adeò effrons erat Sedes Romana, ut, ex commentitio ſuo privilegio, auderet acta publica ſextæ Synodi, notoriè authentica, falſitatis inſimulare. Sed & invitum poſſe judicari de hæreſi, vel quocunque notorio crimine, Pontificem Romanum, docuimus breviter in Irenico, lib. 2. cap. 11. propoſitione 16. & infra fuſius (ſi Deus voluerit) oſtendemus.

6. Nullâ igitur impudentiâ, ſed æquitate, & officii neceſſitate, judicium de Honorio inſtituit, ſententiamque tulit de eo ejuſque ſcriptis definitivam, ſexta oecumenica Synodus. & damnatum à ſexta Synodo Honorium damnârunt iterum aliæ Synodi, orbiſque Chriſtianus, ſextam Synodum ſuſcipiens.

7. Quod autem dicunt iſti, erraſſe & injuſtè feciſſe ſextam Synodum, ejuſque ſequaces, in condemnatione epiſtolarum Honorii cum ſuo auctore. Etiamſi deſperatam in iſtis homuncionibus frontem prodat, cum tamen ad quæſtionem juris pertineat, id ſuo loco inferius diſcutiendum relinquimus. Nunc enim tantùm de facto diſputamus. Neque ideo non factum eſt, quia procaces iſti nugivenduli de jure facti litem univerſali ſextæ Synodo, & aliis poſtea ſequutis Synodis, ipſiſque Romanis Pontificibus, & tam unanimi conſtantique antiquitatis conſenſui, in extrema jam malæ cauſſæ deſperatione, intendere, ſeu potius caninâ rabie oblatrare, quâ ſunt impudentiâ, non verecundantur: in ipſa meridie ultrò cæcutientes. Nempe, ut rectè monet Hieronymus in Dialogo adverſus Luciferianos, ſolent oculis clauſis denegare, qui non credunt factum eſſe quod nolunt. Atque, ut ait Tertullianus, Cæcitatis duæ ſpecies facile concurrunt, ut qui non vident quæ ſunt, videre videantur quæ non ſunt. Tertullian. Apologet. cap. 9.

8. Interea iniquos iſtos Patrum criminatores rurſum moneo, ut anathema illud adverſus hæreticorum defenſores toties ingeminatum ſeriò reformident.

## CAPUT DECIMUM-SEPTIMUM.

*Reſpondetur ad contentioſorum iſtorum argumentum ab autoritate petitum, contra acta Sextæ Synodi, in negotio Honorii.*

AUctoritas Joannis quarti, Papæ Romani, vel Concilii Martini primi Papæ, vel Maximi Martyris, vel aliorum quorumcunque auctoritas Sexta Synodo tempore anterior, non poteſt niſi ineptè allegari, in quæſtione facti, de eis quæ poſtea in Sexta Synodo geſta ſunt. Sin autem dicas, eorum auctoritatem ad hoc ſaltem valere, ut probetur, non potuiſſe Sextam Synodum juſtè condemnare Honorium; id inferius (Deo largiente) diſcutiemus, ubi perventum fuerit ad quæſtionem juris: conſtabilita prius evidentiâ facti.

2. Auctores Synodo ſexta poſteriores, quorum teſtimoniis utuntur iſti Papiſtæ, contra integritatem actorum ſextæ Synodi, in negotio Honorii, ſunt Theophanes, Anaſtaſius bibliothecarius, Nicolaus primus Papa Romanus, Joannes Zonaras, Manuel Callecа, Paulus Diaconus, Beda, Blondus, Nauclerus, Sabellicus, Platina.

3. His Bellarminus adjicit Photium, ſecutus falſam quandam Latinam verſionem libri illius, quem ſcripſit Photius de ſeptem Synodis. At certè in Græcis codicibus Honorius damnatis connumeratur. Nec in illo duntaxat libro, ſed etiam in ejuſdem Photii bibliothecâ. Neque pro defenſione Bellarmini quicquam hîc adfert Gretſerus, ſed irretitus latrat contra Photium; nec aliud (inquit) à capitali Romanæ Eccleſiæ hoſte exſpectari poterat. Quàm miſer jam ſit Gretſerus, ut ſciat lector, memento Adrianum ſecundum, Papam Romanum, Photio contemporalem, & Conſtantinopolitanam Synodum, præſentibus ejuſdem Adriani legatis, contra Photium habitam, quam octavam univerſalem vocant, id ipſum de Honorio teſtari, quod Photius. ut ſuprà docuimus. Supereſt ut de cæteris auctoribus, quos allegant, reſpondeamus.

4. Theophanes & Anaſtaſius, ut à Papiſtis citantur, unius ſunt inſtar autoris; nam Theophanis hiſtoriam Latinè vertit Anaſtaſius, & hoc opus Papiſtæ citant ſub utriuſque nomine. Gretſerus etiam allegat Græcum codicem Theophanis. Quem ſe manu ſcriptum habere dicit. Quid verò ajunt tandem Theophanes in ſua Græca, & Anaſtaſius in Latina hiſtoria? Certè (inquit Gretſerus) Theophanes nullum penitus verbum habet de Honorii hæreſi vel damnatione in Synodo Sexta. Cum tamen Sergium, Pyrrhum, & Cyrum, Monothelitas nominet, & in Sexta Synodo damnatos ſcribat. Non omiſſurus Honorium, ſi cum cæteris eandem damnationem ſubiiſſet.

Anaſtaſius autem in ſua hiſtoria idem prorſus, quod Theophanes, ſcribit. Item, quod ad hiſtoriam Græcam Theophanis, & Latinam verſionem Anaſtaſii attinet, ſanctè teſtari poſſum, (inquit idem Gretſerus, Theophanem Græcum ejuſque interpretem Anaſtaſium ad manum ſe habere dicens) nihil penitus de Honorio vel in illo vel in hoc contineri, neque ullam ejus inter damnatos à ſexta Synodo mentionem fieri, ut nec in Miſcella hiſtoriâ, quæ magnam partem ex Anaſtaſio contexta & confecta eſt. Hæc Gretſerus. Eodem modo argumentantur iſti Papiſtæ ab ejuſdem Anaſtaſii ſilentio de damnatione Honorii, in vita Honorii, ab Anaſtaſio ſcripta; & in vita Agathonis, ubi recenſet Anaſtaſius quid in ſexta Synodo actum fuerit, & nomina eorum exprimit qui damnationem ſubierunt. Nullus (inquit Gretſerus) inter eos viſitur Honorius. Et inde colligit per falſationem quandam textus Anaſtaſiani, in vita Leonis ſecundi, irrepſiſſe nomen Honorii. Ut ita Anaſtaſium non ſolùm ut interpretem, ſed etiam ut auctorem operum, in ſuas partes trahat.

5. Antequam reſpondeam, meminiſſe convenit, quibus temporibus ſcripſerint Theophanes & Anaſtaſius. Fuit hic Theophanes Nicephoro Patriarchæ Conſtantinopolitano, Taraſii ſucceſſori contemporaneus, ut ſcribit Joannes Zonaras, tomo tertio Annalium, in Leone Armenio. Ubi Theophanem fuiſſe ſcribit ὁ μεγάλα ἀγρῶ ϰαθηγήμενος, id eſt, interprete Wolphio, magni agri magiſtrum. Anaſtaſius apud Baronium, eumque ſequutus Baronius (anno Domini 813. & 814.) vocant Abbatem Monaſterii agri. Voſſius, ruri degentis cœtus præfectum, libro ſecundo, de Hiſtoricis Græcis, cap. 24. Defuncto autem Taraſio Patriarcha, ſuffectus eſt in ejus locum Nicephorus, anno Domini 806. qui fuit Nicephori Imperatoris annus quintus, ut ſcribit Baronius in Epitome Spondaniana. Hiſtoriam autem ſuam perduxit Theophanes (teſte Anaſtaſio ejus interprete, apud Baronium) uſque ad Leonem Armenium Imperat. qui Michaeli Curopalati in Imperio ſucceſſit, anno Domini 813. Licet Cedrenus & Joannes Curopalates ſcribant, Theophanem hiſtoriam ſuam produxiſſe tantum uſque ad exitum Nicephori Imperatoris, qui incidit in annum Domini 811. vixiſſe autem Theophanem etiam ſub Imperio Leonis Armenii, patet ex Zonara, tomo 3. Annal. in Leone Armenio.

*Theophanes.*

6. Florebat igitur, & hiſtoriam ſuam ſcribebat Theophanes, ſub initium noni ſeculi. annis centum & triginta elapſis, poſt celebratam ſextam Synodum œcumenicam: & annis 120. poſt quiniſextam Synodum, & annis 24. poſt Synodum illam Nicænam, quam ſeptimam œcumenicam vocant: in quibus Synodis ſæpius nominatim damnatus eſt Honorius. Neque Synodis illis contradicit Theophanes, aut eorum acta incuſat. In quibus tamen jam à multis annis palam Honorius damnatis annumerabatur; idque in omnibus exemplaribus. Cum adjectis ſententiæ illius in Honorium latæ rationibus, quæ ſoli Honorio conveniunt. Neque tamen vel Honorii damnationem negat Theophanes, vel rationes conatur refellere.

7. At neque apud Anaſtaſium, ejus interpretem (qui eodem nono ſeculo vergente floruit) quicquam penitus de Honorio invenitur, ſanctè id teſtante Gretſero. Sic enim Theophanis hiſtoriam latinitate donavit Anaſtaſius, ut aliqua quidem omiſerit, perſtrinxeritque aliquâ brevitate, addiderit verò nihil. Sicut ipſe de ſe teſtatur Anaſtaſius, referente Baronio apud Spondanum, anno Domini 813. numero 3. Non mirum igitur ſi in catalogo damnatorum à ſexta Synodo, deſideretur nomen Honorii in verſione Anaſtaſianâ, cum apud ipſum autorem Theophanem illud non invenerit Anaſtaſius, & ſtatuerit ita interpretem agere, ut nihil adderet.

8. At cur eſt à Theophane omiſſus Honorius? (quærit Gretſerus.) Cum tamen (inquit) Sergium, Pyrrhum, & Cyrum Monothelitas nominet, & in Sexta Synodo damnatos ſcribat. Non omiſſurus Honorium, ſi cum cæteris eandem damnationem ſubiiſſet. Eodem modo de Anaſtaſio Bibliothecario argumentatur: quæ, oro, (inquit) cauſſa omiſſi Monothelismi Honoriani in ipſo Honorio, & Agathone: & commemorati in Leone ſecundo? Similiter argumentantur Bellarminus & Gretſerus à ſilentio Pauli Diaconi, qui fuit Theophane aliquanto antiquior, florebat enim anno Domin. 777. & à ſilentio (licet controverſo) Joannis Zonaræ, qui vixit & ſcripſit poſt annum Domini milleſimum & centeſimum, ut patet ex ejus annalibus.

9. Quæro Ego viciſſim ex iſtis Papiſtis: Num omnes in ſexta Synodo, aliiſque Synodis damnatos nominatim commemorant iſti autores. Cur Anaſtaſius in vita Honorii nullam prorſus mentionem facit exortæ, illo tempore, controverſiæ Monotheliticæ, vel epiſtolæ illius quam Sanctus Maximus in diſputatione ſua cum Pyrrho teſtatur ab Honorio ſcriptam eſſe ad Sergium. Cum in vita Leonis primi Papæ Romani Anaſtaſius narret geſta Synodi Chalcedonenſis, & in vita Agathonis geſta ſextæ Synodi, & in vita Hadriani primi, meminerit ſeptimæ Synodi, eamque ipſe Latinè verterit, & octavæ Synodi hiſtoriam Latinè ſcripſerit; Cur nullam in vita Damaſi Papæ mentionem facit Concilii Conſtantinopolitani, vel Concilii Romani, quæ ejus tempore celebrata ſunt contra Macedonianos & Apollinariſtas aliosque hæreticos? Non omiſſurus, ſcilicet, ſi verè celebrata fuiſſent illa Concilia, ut ineptiſſimas Sophiſtarum nugas in ipſos retorqueam. Cur nihil idem Anaſtaſius de Concilio Epheſino, in Cæleſtino? cur in vita Vigilii, nulla fit ab eo mentio quinti Concilii œcumenici Conſtantinopoli celebrati, dum in ea urbe degeret ipſe Vigilius Papa Romanus, neque narrat, quemadmodum Concilio illi Vigilius intereſſe renuerit, eidemque quoad trium Capitulorum damnationem vehementer reſtiterit? cum tamen Vigilium Conſtantinopolin perductum, ibique multa mala perpeſſum eſſe, tandemque remiſſum & in Sicilia mortuum commemoret: atque adeò vel maximè ibi locus fuerit, ut vitæ ejus ſcriptor Anaſtaſius illam Vigilii pro tribus Capitulis concertationem, & Concilii definitionem non omitteret. Num propterea nihil horum geſtum eſſe credemus, quia



quia de eis tacuit Anaſtaſius? vel num propterea exortam eſſe, Honorii Papæ tempore, controverſiam Monotheliticam, ſcriptaſque de ea epiſtolis commutaſſe Sergium & Honorium, inficiabimur; quia altum de his rebus ſilentium apud Anaſtaſium in vita Honorii? quæ oro, cauſſa omiſſi ab Anaſtaſio Theodori Pharanitani, in Agathone, ubi de Sexta Synodo damnatiſque in ea texit hiſtoriam; & ejuſdem Theodori commemorati ab eodem Anaſtaſio in vita Leonis ſecundi? Numquid hinc inferre licebit, Theodori etiam nomen fraude quadam irrepſiſſe, in vita Leonis, præter mentem Anaſtaſii? Vel potius, an non candidè fateri oportet, credendum eſſe Anaſtaſio damnationem Theodori Pharanitani, & Honorii, in Leone & alibi, cum tot Conciliis & Patribus, affirmanti, & eam nuſquam neganti: & eidem condonandum, in illa imperfecta narratione in Agathone, eam omittenti?

10. Nec ſolùm imperfecta, ſed in quibuſdam etiam manifeſtè erronea, eſt ea narratio, ſive auctoris ea ſit culpa, ſive librariorum. Ait ibi Anaſtaſius, legatos Agathonis Conſtantinopolin ingreſſos eſſe die decimo menſis Novembris; in quo aberrare Anaſtaſium probat Binius ex ipſis actis Sextæ Synodi; plus jam eis tribuens, quàm narrationi illi Anaſtaſianæ. Sex tantum aut ſeptem actiones refert Anaſtaſius, & Synodum ſtatuit abſolutam eſſe ante tempus Paſchale: cum è contrario, ſicut acta habent, omnes fateantur non ante menſem Septembrem finitam eſſe Synodum, actioneſque minimum ſeptemdecim, ut in græco actorum codice legitur, vel, ut in Latino, octodecim habitas eſſe. Neque adhuc quiſquam repertus eſt, qui, in hoc tam lato diſcrimine, tutelam ſuſcipere auſus ſit narrationis Anaſtaſianæ contra fidem actorum. In eadem narratione Anaſtaſius ſucceſſorem Macarii appellat Stephanum, at fuit Theophanes. Ibidem ait, Macarium, & quoſdam ejus ſectatores, miſſos eſſe Romam exſulatum. Erraſſe hic de exſilio Anaſtaſium, affirmant Baronius & Binius, & Anaſtaſio opponunt epiſtolam Imperatoris Conſtantini ad Leonem ſecundum Papam Romanum, quæ extat in fine actionis decimæ-octavæ actorum Sextæ Synodi.

11. Præterea nullam eſſe poſſe apud prudentes auctoritatem tumultuarii illius compendii Anaſtaſiani, contra fidem actorum ſextæ Synodi, in negotio Honorii; hinc liquet: non ſolum, quia nihil in ea narratione Anaſtaſiana dicitur de Honorio repugnans actis Synodicis; & eorum quæ de aliis rebus illic dicuntur, auctoritatem minuunt interſperſi errores: ſed etiam quia omnibus Sextæ Synodi exemplaribus, jam inde à prima Divulgatione, totos fere ducentos annos antequam iſta ſcriberet Anaſtaſius, continentibus condemnationem Honorii, & quæcunque de eo adhuc in ejuſdem Synodi actis leguntur, & univerſâ Eccleſiâ actorum illorum integritatem unanimiter, ſine ulla contradictione, agnoſcente, toto illo ſpatio, & ipſius etiam tempore Anaſtaſii, & multis poſt Anaſtaſium ſeculis; non habebat ullum emendatius aut fide dignius Synodi exemplar Anaſtaſius, neque ullâ alia idoneâ muniebatur auctoritate, ad contradicendum conſtanti judicio omnium quinque Patriarchalium ſedium, & tot Conciliorum, ac Patrum, orbiſque Chriſtiani. Neque certè contradixit. Neque ei propoſitum fuit unquam negare damnationem Honorii in Sexta Synodo factam, quam ipſe probè cognitam habebat, eidemque conſentiebat: ut patet ex vita Leonis ſecundi; & ex ſeptimâ Synodo ab Anaſtaſio in Latinum ſermonem verſâ, ejuſdemque Anaſtaſii in eam Synodum præfatione ad Johannem octavum, Papam Romanum, ubi alia quædam illius Synodi geſta excuſat, & excuſando improbat: reliquis autem, adeòque damnationi Honorii (quam neque excuſat, neque improbat) conſenſum ſuum haud obſcurè adhibet; & ex Latina hiſtoria Synodi octavæ, ab eodem Anaſtaſio conſcripta, & ipſius in eandem Præfatione ad Adrianum ſecundum, Papam Romanum, ubi & falſitatis omnem ſuſpicionem amolitur, & pro octavæ Synodi illius autoritate vehementer certat: & eidem Synodo ſe interfuiſſe teſtatur.

12. An non vel maximè locus erat in vita Honorii, in vita Agathonis, in vita Leonis ſecundi, in Præfationibus in ſeptimam & octavam Synodos, ut notam in tot Synodis Honorio inuſtam dilueret, ſi eam delebilem eſſe, aut Honorium vel non omnino, vel injuſtè, damnatum eſſe exiſtimaret? Manifeſtum eſt confiteri eum de crimine, qui indulto, & toties delegato judicio, purgandi ſe occaſione non utitur. Inquit Bonifacius primus, Papa Romanus, epiſtolâ ſecunda; & rurſum Nicolaus primus, in ſua illa epiſtola quæ recitatur in ſeptima actione Concilii octavi, in codice Anaſtaſiano. Confitetur Honorii crimen Anaſtaſius, qui ejus damnationem toties ipſe commemorans, purgandi ejus occaſione toties oblatâ nuſquam utitur.

*Conſtanter confitetur, qui ſe purgare negligit.*

13. Si ullum noſſet Anaſtaſius uſitatis verius exemplar Sextæ Synodi, in negotio Honorii, illud haud dubiè communicaſſet cum Adriano ſecundo Papa, ejuſque Synodo Romana, & cum Synodo octava, vel poſteà cum Joanne Papa Romano, neque paſſus fuiſſet orbem Chriſtianum in eo errore diutius hærere. Quod cum ab illo factum non ſit, inde liquet, eum uſitata ſolum exemplaria, condemnationem Honorii continentia, conſequutum eſſe. Vel, ſi aliud habuit & communicavit, certum eſt Adrianum ſecundum Papam, & reliquos illos Patres, nullam ei fidem habuiſſe. Cum conſtanter approbarint receptos codices, & in eis damnationem Honorii. Neque contra ſtetit Anaſtaſius, ſed in eorum acquievit judicio.

14. Hæc admodùm injuſta lex eſt, nulli unquam hiſtorico ab æquis hominibus poſita, cui ſubjicere Anaſtaſium volunt iſti ſophiſtæ; ut ſcilicet, prius omiſſa, vel ſilentio prætermiſſa, alio poſtea loco narranti derogetur fides & auctoritas. Quam multa recenſet Moyſes in Deuteronomio, de quibus in prioribus libris altum ſilentium? Anaſtaſius nihil in Vigilio, vel in Pelagio primo, vel in Joanne tertio, vel in Benedicto quarto, vel in Pelagio ſecundo, vel in Gregorio Magno, nihil inquam, in horum Pontificum Romanorum vitis

*Prius omiſſa vel ſilentio præterita, alia poſtea loco veraciter narrari poſſunt.*

ſcripſit de quinta œcumenica Synodo, quæ tempore Vigilii celebrata eſt, & à Pelagio primo ejuſque ſucceſſoribus ſuſcepta. Neque attingit ſchiſma Eccleſiarum in Occidente, quod propter Synodum illam, Pontificum horum temporibus, extitit, & longo poſt tempore duravit. Poſtea tamen idem Anaſtaſius utriuſque, tum Synodi, tum ſchiſmatis mentionem facit, in vita Sergii primi Papæ Romani, cujus tempore redunitæ ſunt Eccleſiæ. Eandem quintam Synodum Ado Epiſcopus Viennenſis, Anaſtaſio contemporaneus, ſilentio præterit in Juſtiniano, ſub quo celebrata eſt, quam tamen cum ſexta aliiſque ſynodis commemorat in Conſtantino Pogonato. Innumera alia hujuſcemodi exempla reperire eſt apud hiſtoricos.

*Ex Pauli Diaconi ſilentio de damnatione Honorii, non ſequitur Honorium in Sexta Synodo non eſſe damnatum, ſicut ex ejuſdem ſilentio de damnatione Sergii & Theodori Pharanitani, non ſequitur iſtos in eadem Synodo non eſſe damnatos.*

15. Paulus Diaconus, lib. 18. in Conſtantino Pogonato, ſcribens de Monothelitis, & Sexta Synodo, omittit Theodorum Pharanitanum, & Sergium, & Honorium. Non omiſſurus ſcilicet, ſi huic hæreſi affines fuiſſent. Ut hic rurſum iſtorum Papiſtarum futilitatem deriſui exponam. Quæ, oro, cauſſa omiſſi hic Monothelitiſmi Theodoriani & Sergiani? cum nominet Pyrrhum, Paulum, & Petrum, & Macarium. Num ex Pauli Diaconi ſilentio colligi poterit, irrepſiſſe per fraudem in Conciliorum & Patrum codices nomina Theodori, & Sergii, & Honorii? Num ideo dicemus, mentitos eſſe Taraſium Patriarcham Conſtantinopolitanum, & Theodorum Patriarcham Hieroſolymitanum, cum ſua Synodo, & ſummis antiſtibus Eccleſiarum Orientis, & Epiphanium Diaconum, & Adriani primi Papæ Romani Legatos in poſteriore Nicæna Synodo, cæteroſque omnes illius Synodi Patres, qui omnes conſonanter & unanimiter, eodem tempore quo florebat Paulus Diaconus, Theodorum Pharanitanum, & Sergium, & Honorium, à Sexta Synodo juſte damnatos eſſe affirmârunt, eoſdemque & ipſi damnârunt? Num etiam mentiti poſtea ſunt, Adrianus ſecundus Papa Romanus, cæterique Romanæ Synodi ſub eo habitæ Patres, & Ado Epiſcopus Viennenſis, & octavæ Synodi Patres, id ipſum aſſerentes & confirmantes? Num eis uno ore affirmantibus minus credendum eſt, quam Diacono neganti, (etiamſi negâſſet,) nedum tacenti?

*Zonaræ ſilentium eſt controverſum.*

16. Dicebam, Joannis Zonaræ ſilentium dubium eſſe & controverſum. Nam Hieronymus Wolphius, Zonaræ interpres Latinus, in ſuis Annotationibus ſcribit, verba illa, *Ὀνωρίου Πάπα*, in Viennenſi codice rectè deleta videri. Idcirco in Wolphiana græcolatina editione non comparet in Zonaræ textu nomen Honorii in catalogo damnatorum à Sexta Synodo. At certè non tanti apud Wolphium eſſe debuit deletoris illius & alieni operis detruncatoris auctoritas, ut propter lituram ab eo factam, ſuſpectam haberet fidem illius, ab ipſo Wolphio tantopere in præfatione commendati, codicis, & fortaſſe etiam aliorum codicum, idem Honorii nomen antiquitus habentium. Præſertim cum non modo Cedrenus, quem ſequitur Zonaras, illud nomen commemoret, ſed etiam idipſum conſtanter clamet univerſa antiquitas (paucis tacentibus, nemine contradicente) jam inde à tempore Sextæ Synodi, uſque ad Zonaram, & poſt obitum Zonaræ, qui annales ſuos perduxit uſque ad annum Domini milleſimum centeſimum decimum octavum.

17. Sed etiamſi largiremur iſtis Sophiſtis, ſiluiſſe Zonaram de Honorii damnatione; quid inde efficient? Certè pluris eſt unus teſtis ajens, quàm centum ſilentes. Quanto magis ſexcenti affirmantes, duobus aut tribus aut ita ſilentibus potiores ſunt? Omne objectum credibile eſt affirmatio vel negatio, quorum neutrum apud Zonaram in Wolphiana editione, invenitur de Honorii damnatione. Quam tamen unanimiter conſtanterque affirmavit per multa ſecula orbis Chriſtianus. Zonaras, ſcribens in ſuis Annalibus de ſecundo Concilio œcumenico, ait in eo Macedonium ejuſque ſectatores abſciſſos eſſe ab Eccleſia Catholica. Cum tamen à Concilio illo expreſsè anathematizati ſint non ſolum Macedoniani, ſed etiam Sabelliani, & Marcelliani, & Photiniani, & Apollinariſtæ. Ut patet ex primo canone illius Concilii: qui à Zonara omittuntur. Cedrenus, & Zonaras, in deſcriptione Concilii Epheſini œcumenici tertii, mentionem quidem faciunt Neſtorii in eo Concilio condemnati: at nullam prorſus mentionem faciunt Pelagianorum ſive Cæleſtianorum, & Euchitarum: qui tamen ejuſdem Concilii ſententiâ condemnati ſunt, ut legere eſt in actis illius Concilii, actione ſeptimâ, in editione Bin. Idem etiam Zonaras, in Juſtiniano magno, ſcribens de Synodo Conſtantinopolitanâ ſub Menna Patriarcha contra Acephalos celebratâ, anathematizatos in ea recenſet Severum, Eutychem, Petrum, Julianum Halicarnaſſeum, & Anthimum: omittit autem Zoaram, qui in fine quintæ actionis illius Synodi nominatim anathematizatur. Et rurſus in eodem Juſtiniano, recenſens geſta quintæ œcumenicæ Synodi, damnatos ab ea Synodo commemorat Origenem, Didymum, Euagrium, & Theodorum Mopſueſtiæ. Sed omittit damnationem epiſtolæ Ibæ, & ſcriptorum Theodoreti contra Cyrillum. Idem autor, in Irene & filio ejus Conſtantino, & ante eum Cedrenus, narrantes geſta poſterioris Nicænæ Synodi, referunt tres quondam ſub Conſtantino Copronymo Patriarchas Conſtantinopolitanos, videlicet, Anaſtaſium, & Conſtantinum, & Nicetam, ab ea Synodo eſſe anathemati ſubjectos: neque alium quempiam illic damnatum commemorant; Et tamen in actis illius Synodi paulò poſt principium actionis octavæ, præter tres iſtos Patriarchas, anathematizantur etiam ab ea Synodo nominatim, Theodoſius Epiſcopus Epheſinus, Siſinnius Paſtillas, Baſilius Tricaccabus, Joannes Nicomediæ, & Conſtantinus Nacoliæ. Quos tamen omittunt Cedrenus & Zonaras. Non omiſſuri, ſcilicet, ſi eandem damnationem ſubiiſſent. Ut Papiſtas iſtos non argumentantes, ſed inſanientes, & in re ſeria ludentes videas & rideas: imò tantam in hominibus perverſitatem ac profanam impudentiam ſerio lugeas, & ſedulò fugias.

18. Iniquum, & in ipſas Divinas literas contumelioſum, eſt de hiſtoria judicium, ſi duobus aut pluribus pariter fide dignis ſcriptoribus, eandem hiſtoriam referentibus, uni eorum quædam particularia narranti, ideo fidem ſtatuas abrogandam, quia ea ab altero vel à cæteris ſilentio prætereuntur (vide Auguſtin. lib. 33. contra Fauſtum Manichæum, cap. 7.) Quanto magis abſurdè rejicitur ſexcentorum, magis fide dignorum, concors aſſertio, propter paucorum, minus fide dignorum, de ea re ſilentium? De hiſtoria autem damnationis Honorii fidem magis merentur acta publica tot Conciliorum, cum teſtimoniis Imperatorum & Pontificum Romanorum, aliorumque probatorum ſcriptorum, conſtantique tot ſeculorum conſenſu, eam damnationem aſſerentia, quam mereantur Theophanes, & Paulus Diaconus, & Zonaras, eam negantes: nedum de ea ſilentes. Silenti autem credi non poteſt, ſed tantummodo aliquid affirmanti vel neganti.

19. Citant etiam Nicolaum primum Papam Romanum, dicentem in epiſtola ad Michaelem Imperatorem. Anteceſſores ſuos nec tenui ſaltem rumore adſperſos fuiſſe, quaſi aliquando cum prava ſapientibus ſapuerint, tantum abeſſe ut concertarint.

*Reſpond.*

Reſpondeo. Ut à mendacio excuſetur Nicolaus, exponenda eſt hæc ejus de anteceſſoribus ſuis aſſertio, non de omnibus, & ſingulis, ſed ὡς ἐπὶ τὸ πολύ id eſt, ut plurimum ſive de pleriſque ſeu fere omnibus Nicolai anteceſſoribus, præſertim antiquioribus. Alioquin in manifeſto tenebitur mendacio, aut ſaltem temerario falſiloquio. Nam (ut arrogantiam Sedis Romanæ contra decreta Synodalia, & ſuſceptam etiam ab Adriano primo ejuſque ſucceſſoribus nefariam adorationem imaginum & creaturarum, & alios Romanorum Pontificum, Nicolai anteceſſorum, errores impræſentiarum omittam.) Certè jam ante Nicolaum, in omnibus Sextæ Synodi, & epiſtolarum Leonis ſecundi Papæ, & Quiniſextæ Synodi, & poſterioris Nicænæ Synodi exemplaribus, palàm extabat nomen Honorii inter hæreticos damnatos. Eundemque immediatus Nicolai ſucceſſor & defenſor Adrianus ſecundus fatetur anathematizatum eſſe propter hæreſin, in alloquutione tertia ad Concilium ſuum Romæ habitum. Et ejuſdem Adriani Legati, cum reliquis Patribus in octava Synodo, Honorii damnationem repetunt & confirmant: in ipſo Latino, Anaſtaſii codice, quem teſtatur Anaſtaſius eſſe ab omni fuco falſitatis extraneum. In ſeptima autem Synodo, prout Græcè ad Adrianum primum Papam Romanum perlata, ejuſdemque juſſu Latinitate donata eſt, extabat nomen Honorii: Nam ex Anaſtaſio conſtat Latinam illam Adriani verſionem reſpondiſſe Græco textui, & utrique verſionem Anaſtaſianam: quæ poſt mortem Nicolai ab Anaſtaſio elaborata, exhibet nomen Honorii. Sicut etiam illud exhibet altera verſio vulgata, & ipſe Græcus textus. Damnationem Honorii in quiniſexta Synodo agnitam & comprobatam eſſe non inficiantur Bellarminus, & Gretſerus. In ſextæ autem Synodi exemplaribus Honorii damnationem jam olim ante Nicolaum extitiſſe ſuperius demonſtratum eſt. Neque Synodorum illarum acta incuſſa Nicolaus, in quibus ſciebat, aut ſaltem non neſcire debuit, contineri Honorii damnationem. Eandem exhibebant epiſtolæ Leonis ſecundi Papæ Romani.

20. Ut nobis ereptum ſibi vendicent Bedam, conſuetâ impudentiâ contendunt Bellarminus & Gretſerus nomen Honorii apud Bedam, inter damnatos illos per fraudem irrepſiſſe, non à Beda ipſo poſitum. Sed unde hoc probant, cum omnia Bedæ exemplaria ita habeant, nullius unquam falſitatis, hac in parte, ſuſpecta, tot retroactis ſeculis? Beda, inquiunt, Honorium pro viro ſancto habuit, etiam poſt mortem ejus, & poſt celebratam Sextam Synodum; ergo eum pro damnato hæretico non habuit. Probant antecedens ex ipſo Beda, videlicet, ex lib. 2. hiſtoriæ Anglorum, capp. 17. 18. 19. ubi, tanquam de optimo Paſtore, loqui ajunt Bedam de Honorio. Et ex vita Bertolphi Abbatis, ubi nunc beatus, nunc ſanctus vocatur Honorius.

*Objectio ad confutandum.*

21. Reſpondeo. Beda, in hiſtoria Anglorum, refert quidem de Honorio, quod literas ſcripſerit, ad Eduinum Regem Anglorum, ad fidem Chriſtianam à gentiliſmo recens converſum, paternâ cum charitate accendens, ut in fide acceptâ perſiſtere ac proficere curaret. Item alias literas, cum pallio ad Honorium Archiepiſcopum Dorovernenſem, quarum literarum textum inſerit hiſtoriæ ſuæ Beda. Qui etiam commemorat eundem Honorium ſolerter ſcripſiſſe ad Scotos de obſervatione Paſchatis. At nullo prorſus vel ſanctitatis vel beatitatis eum ornat elogio. Neque eum vel bonum vel optimum vocat Paſtorem. Neque magis epiſtolæ illæ ſpirant pietatem aut redolent acumen, quàm ſcripta multorum hæreticorum, ut Novatianorum, Pelagianorum, Monophyſitarum, Monothelitarum, &c. Neque illas Honorii epiſtolas erroris accuſamus, ſed eas duntaxat, quas de controverſia Monothelitica ad Sergium ab eo ſcriptas, & à Sexta Synodo damnatas invenimus. Hieronymus in Apologia illa adverſus Ruffinum, quæ incipit, *Lectis literis prudentiæ tuæ*. Poſt medium, affirmat & exemplis demonſtrat, non eſſe vitii hominem unum (etiam poſt mortem ejus) laudare in aliis, & in aliis accuſare; ſed eandem rem probare & improbare. Neque alicui vitio vertendum eſſe, ſi in eiſdem hominibus & laudanda prædicet, & vituperanda reprehendat.

*Reſpond.*

*Vindicatur Beda.*

22. Vita Bertulphi, quam citant, non eſt opus Bedæ: extat autem apud Surium, tom. 4. die 19. Auguſti, & tribuitur ibi Jonæ, quem Jonam Abbatem fuiſſe natione Scotum, & Heraclio regnante vixiſſe, & ſub ejus nepote Conſtante, Conſtantini Pogonati Patre, floruiſſe, monet Voſſius lib. 2. de Hiſtoricis Latinis cap. 26. Et eſſe Jonæ hujus illud opus ſcribit etiam Severinus Binius, in ſuis notis in vitam Honorii Papæ. Certè ſcriptor, de ſeipſo, in illa Bertulphi Abbatis Bobienſis vitâ, teſtatur ſe fuiſſe Honorio Papæ contemporaneum; & Bertulpho Abbati ad Honorium eunti ab eodemque revertenti comitem itineris fuiſſe. Honorium autem laudans, nullam facit mentionem controverſiæ Monothelíticæ. Jam verò hominem à ſuis contemporaneis, aut etiam poſterioris ævi ſcriptoribus, laudatum, & ſanctitatis ac beatitudinis elogiis ornatum, damnari poſtea in Concilio œcumenico ſæpe contigit. Origenes ab Euſebio [lib. 6. hiſtor. Eccleſ.] Theodorus Mopſueſtenus à Theodoreto [lib. 5. hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 39.] Sergius ab Honorio, de quo diſſerimus, Papa Romano [in epiſtolis Honorii ad Sergium] impensè laudati, damnationis

poſtea ſententiam ſubierunt in Conciliis œcumenicis. Beda igitur damnationem Honorii nec negat, nec tacet, ſed affirmat.

*Manuel Calecas.*

23. Manuelis Calecæ teſtimonium proferunt pro innocentiâ Honorii, quam Caleca lib. 4. contra Græcos, cap. 26. adſtruere nititur auctoritate beati Maximi martyris. Reſpondeo. 1. Vixiſſe videtur iſte Caleca circa annum Domini 1400. vel paullò poſt, ut colligere eſt ex eodem Calece libro 4. cap. 22. adeóque nullius ponderis eſt ejus auctoritas contra ingentem illam nubem antiquiorum & longè graviorum teſtium. 2. Nondum de jure diſputamus, ſed de facto, & veritate hiſtoriæ quæ aſſerit Honorium eſſe de facto condemnatum, id quod non negat Caleca. 3. Teſtimonium Maximi oſtendit, verè de facto miſſam eſſe eam epiſtolam ab Honorio ad Sergium, quam Papiſtæ iſti non verecundantur dicere confictam eſſe. Utrum autem de facto propter illam Epiſtolam Honorius poſtea in Sexta Synodo damnatus ſit, necne, non potuit in alterutram partem teſtificari Sanctus Maximus, quippe aliquot annis ante Sextam Synodum, martyrii palmam adeptus. Inferiùs autem, Deo largiente, oſtendemus neque in jure defendi poſſe Honorii innocentiam. Ubi, quæ à beato Maximo ſcribuntur, explicabimus.

*Teſtimonium beati Maximi.*

*Cap. 25.*

*Blondus.*

24. Blondus Flavius, libro ultimo hiſtoriarum ſcripſit res geſtas anno Domini 1440. & obiiſſe fertur anno Domini 1458. Quem Joannes Gobelinus ( referente Voſſio lib. 3. de hiſtoricis latinis, cap. 7. ) Pii ſecundi Papæ Romani ſecretarius, ipſi Blondo contemporaneus, eidemque ſuperſtes, ſcribit non quàm vera, ſed quàm multa ſcriberet, curæ habuiſſe. Cui aſperæ cenſuræ etſi non ſubſcribimus, incurioſæ tamen incogitantiæ & inexcuſabilis negligentiæ apertum cernimus ſpecimen in iſta manifeſtè falſa Blondi narratione de Heraclio Imperatore & Honorio Papa; Dumque ( inquit ) hujuſmodi erroribus inſaniret Eraclius, Pyrrhi Patriarchæ Conſtantinopolitani & Cyri Alexandrini Epiſcopi ſuaſionibus incidit in hæreſim Monothelitarum, dicentium eſſe in Chriſto unicam tantummodo voluntatem: quam opinionem poſtea multi magno cum fidei Chriſtianæ diſturbio ſunt ſecuti. Et tamen cùm Honorius Pontifex Romanus Eraclium per literas & nuncios tanti erroris commiſſi redarguiſſet, paſſus eſt Pyrrhum Patriarchatu ejici, & in Africam relegari. Hæc Blondus, nono libro decadis primæ hiſtoriarum. Quæ pugnant evidentiſſimè cum rerum geſtarum vera hiſtoria: ſicuti palam jam faciam in examine narrationis Platinæ.

*Platina.*

25. Platina etiam recentior, adeóque nullius auctoritatis adverſus tam unanimem conſtantemque antiquitatis conſenſum. Obiit enim anno Domini 1481. Teſte Joanne Tritemio. Præterea de hæreſi Monothelitica, & de Honorio, tam oſcitanter ſcripſit, ut planiſſimè dormitaſſe; nolo enim dicere eſſe ultro mentitum. En ejus verba in Honorio; Ferunt (inquit) Heraclium Pyrrhi Patriarchæ Conſtantinopolitani & Cyri Alexandrini Epiſcopi fraudibus deceptum, in hæreſin Monothelitarum incidiſſe. hos tamen poſtea tanti erroris auctores, hortante Honorio, & verum ante oculos literis & nunciis ponente, relegavit Heraclius. Hæc Platina. Quot verba, tot ferè errores. Nam I. Heraclius non à Pyrrho Patriarcha, ſed à Sergio perſuaſus eſt ad proſitendum cum Monothelitis, ut patet ex primo capite hujus libri. II. Tantum aberat ut Honorius ſuaderet Heraclio relegationem Monothelitarum, ut è contrario eis animos addiderit, & communionem cum eis ſemper coluerit: ſicut ex ſuperioribus manifeſtum eſt. III. Poſt mortem Honorii, ſedebat adhuc in ſede Conſtantinopolitana Sergius Pyrrhi prædeceſſor, & Ecthesis Heraclii, eo procurante, promulgata eſt, & ab eodem Sergio Synodicè confirmata. Sicut docuimus capite primo hujus libri. Id ipſum docet Cardinalis Baronius, in Annalibus, anno Domini 639. IV. Cyrus Patriarcha Alexandrinus ſedem ſuam toto Honorii tempore tenuit, neque unquam relegatus eſt, ſed Honorio ſuperſtes, ſedemque ſuam conſtanter obtinens, tandem mortuus eſt, anno Domini 640. ut ſcribit Baronius. V. Penultimo demum ſeu trigeſimo anno Imperii Heraclii moritur Sergius, & in ejus locum Imperator Heraclius ſubrogat Pyrrhum, qui toto reliquo ſpatio vitæ Heraclii, & aliquamdiu poſt Heraclii obitum, ſedem Conſtantinopolitanam in tranquillitate tenuit, donec mortuo Conſtantino Imperatore, Heraclii filio, loco cedere & ſolum vertere coactus eſt, ut ſuprà capite primo oſtenſum eſt. VI. Non propter hæreſin pulſus eſt Pyrrhus, ſed quia particeps cenſebatur conſiliorum Martinæ Auguſtæ in tollendo Conſtantino Imperatore; ut ibidem docuimus. VII. Tantum aberat, ut de controverſia Monothelitica Honorius ante Heraclii oculos verum poneret, ut è contrario Sergium falſa Imperatori proponentem laudarit, & ipſe duas operationes nec dici, nec intelligi, paſſus ſit: ut patet ex ejus epiſtolis ad Sergium. VIII. Heraclius neminem unquam ob hæreſin Monotheliticam relegavit: nam etiamſi ultimo Imperii ſui anno patrocinium ſuum ab Ecthesi ſubtraxit, non tamen Monothelitis unquam negotium viſus eſt faceſſere. Ideo eum ad finem uſque vitæ ſuſpicione hæreſeos laboraſſe ſcribit Baronius, anno Domini 640. En quam ſolutè & incautè de hoc negotio ſcripſerit Platina.

26. Errantes Blondum & Platinam inconſideratè ſecuti ſunt Sabellicus, qui vivebat circa annum Domini milleſimum quingenteſimum, & Nauclerus, qui ſuam Chronographiam clauſit anno Domini milleſimo quingenteſimo primo. Inculcarunt (inquit Sabellicus) hunc errorem Pyrrhus Conſtantinopolitanus antiſtes, & Cyrus Alexandrinus: cujus ſceleris Heraclius ab Honorio Pontifice per literas admonitus, paſſus eſt Pyrrhum ſua ſede dejectum in Africam relegari. Hæc Sabellicus, Ennead. 8. libr. 6. Et Nauclerus ait: *Adhuc Heraclius Pyrrhi Conſtantinopolitani Patriarchæ & Cyri Alexandrini Epiſcopi incidit in hæreſim Monothelitarum, dicentium eſſe in Chriſto unicam tantummodo voluntatem: quem errorem multi ſunt ſequuti. Sed cùm Honorius Papa Heraclium, per literas & nuncios, tanti erroris arguiſſet, paſſus eſt Pyrrhum Patriarcham Conſtantinopolitanum ob id in Africam relegari.* Hæc Joannes Nauclerus, in ſecundo volumine ſuæ Chronographiæ, in fine generationis vigeſimæ primæ. Quæ quàm ſint ab ipſa rerum geſtarum veritate diſcrepantia, patet ex præcedente noſtra animadverſione in Platinam. Digna ſanè eſt peſſima Papiſtarum cauſſa miſerrimis iſtis patrociniis!



27. Anaſtaſius, in vita Honorii, ait, eum temporibus ſuis multa bona feciſſe, erudiviſſe clerum, renovaſſe omnem familiam beati Petri Apoſtoli, magnifica & ſumptuoſa ædificia extruxiſſe, & ornamenta donaſſe. At nuſquam eum ſanctum, nuſquam facit catholicum. Falsò igitur id aſſerit Bellarminus. Illa autem omnia competere poſſunt homini hæretico. Imò ſi ſubſtructionum ſplendorem intueris, quid dices de Herode Rege qui Templum Hieroſolymitanum glorioſius effecit, quàm olim Zorobabel? Monui ſuprà, ex Hieronymo, non eſſe vitii, hominem laudare in aliis, & in aliis accuſare, ſed eandem rem probare & improbare. Neque alicui vitio vertendum eſſe, ſi in eiſdem hominibus & laudanda prædicet, & vituperanda reprehendat. Anaſtaſius, non obſtantibus illis Honorii laudibus, ubicunque tamen in hiſtoria Monothelitica mentionem ejus facit, eum annumerat hæreticis: ut ſuprà oſtenſum eſt.

28. Atque ita vani iſti promiſſores, nihil hiatu ſuo dignum præſtiterunt. Sed ſtat inconcuſſa hiſtorica veritas condemnationis Honorii: & manet inviolata integritas actorum Synodalium in negotio Honorii. *Concluſio.*

## CAPUT DECIMUM-OCTAVUM.

*Vindiciæ epiſtolæ Leonis ſecundi, Papæ Romani, quæ ſcripta eſt ad Conſtantinum Imperatorem.*

LEonem ſecundum Papam Romanum, Agathonis ſucceſſorem, ſuſcepiſſe & approbaſſe ſanctam Sextam Synodum; omneſque ab eadem Synodo anathematizatos, & in eis nominatim Honorium, anathematizaſſe, teſtatur Anaſtaſius bibl. in ejuſdem Leonis vita. Id ipſum quoque teſtatur ipſe Leo, in illa epiſtola, quam, acceptis jam actibus Synodalibus, literiſque Imperialibus, gratulabundus ſcripſit ad Conſtantinum Imperatorem, quæ extat ad finem actorum Sextæ Synodi, nec non in aliis ſuis epiſtolis, quæ cum vita ejus extant poſt Concilium Toletanum 12. & Concilium Rothomagenſe.

2. Leo in ſua epiſtola ad Conſtantinum Imperatorem; Legatos, inquit, hujus Apoſtolicæ matris veſtræ Romanæ Eccleſiæ, pietatis veſtræ famulos, id eſt, Theodorum & Georgium Presbyteros, & Joannem Diaconum, filios noſtros, atque Conſtantinum ſubdiaconum regionarium ſanctæ noſtræ Eccleſiæ, unà cum perſonis, quæ cum eis profectæ fuerant, quæ à prædeceſſore meo Apoſtolicæ memoriæ Agathone Papa, per octavam indictionem, pro cauſſa fidei (veſtrâ pietate jubente) illuc directæ fuerant, per nuper elapſam decimam indictionem, menſe Julio, cum divalibus clementiæ veſtræ apicibus, & ſynodalibus geſtis, cum magno jocunditatis gaudio in Domino exſultantes, ſuſcepimus. ——— Igitur geſtorum Synodalium ſeriem recenſentes, curioſâque diligentiâ ſingula, quæ geſta ſunt, flagitantes, eadem quæ Apoſtolicæ ſedis legati narraverant, ſcriptis conſonantibus convenire reperimus. Cognovimus enim quod ſancta & univerſalis & magna ſexta Synodus, quæ per Dei gratiam Imperiali decreto in regia urbe nuper congregata eſt, eadem, quæ & univerſum Concilium alludens huic ſanctæ ſedi Apoſtolicæ, cujus miniſterio fungimur, ſenſerit, atque decreverit ſub orthodoxæ fidei integritate, reguliſque majorum, atque concorditer nobiſcum confeſſa eſt, unum eſſe de ſancta & inſeparabili Trinitate Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ex duabus & in duabus naturis inconfusè. ——— Hanc igitur rectæ atque Apoſtolicæ traditionis normam prædeceſſor meus Agatho, Apoſtolicæ memoriæ Papa, cum ſua Synodo prædicavit: hanc ſcriptis percurrentibus in ſuæ ſuggeſtionis pagina veſtræ pietati per ſuos legatos emiſit, approbans & confirmans teſtimoniis ſanctorum ac probabilium Eccleſiæ doctorum, quam ſancta nunc & magna Synodus, Domini & veſtro favore celebrata, ſuſcepit, & in omnibus nobiſcum amplexa eſt, utpote B. Petri Apoſtolorum Principis ſinceram doctrinam in ea agnoſcens, & immaculatæ pietatis in hac ſigna contrectans. ——— Anathematizamus proinde atque exſecramur omnes hæreſes, omneſque earum auctores atque fautores, qui adverſus Apoſtolicam orthodoxam fidem, Diabolicis decepti fallaciis, falſitatis errores in Eccleſiam conati ſunt introducere, id eſt, Arium, Sabellium, Macedonium, Apollinarem. ——— pariterque anathematizamus novi erroris inventores, id eſt, Theodorum, Pharanitanum Epiſcopum, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum, Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ſubſeſſores magis quàm Præſules; nec non & Honorium, qui hanc Apoſtolicam Eccleſiam non Apoſtolicæ traditionis doctrinâ luſtravit, ſed profanâ proditione immaculatam fidem ſubvertere conatus eſt; & omnes qui in ſuo errore defuncti ſunt, ſimiliter anathematizamus. Hæc Leo, in ſua epiſt. ad Conſtantinum Imperatorem. *Leo 2. Papa Rom. anathematizat Honorium.*

3. Papiſtæ, etſi negare non audent ſuſcepiſſe Leonem acta ſextæ Synodi & Conſtantini Imperatoris literas, & eundem Leonem Conſtantino Imperat. reſcripſiſſe in hanc ipſam ſententiam, quam hæc jam citata epiſtola continet: ſimiliter etiam eum ſcripſiſſe de ea Synodo ad Hiſpanos, eoſque hortatum eſſe ut ejus geſta, cum literis ipſius Leonis ad illos miſſa, ſuſciperent, & ſuo conſenſu confirmarent: ſicut ipſi, ad quos Leo ſcripſit, teſtantur Hiſpani, in Concilio Toletano 14. Neque monſtrare poſſunt adverſarii alias epiſtolas ad Conſtantinum Aug. & ad Hiſpanos à Leone de hoc argumento miſſas: & hæ, quæ publicè extant, habitæ ſunt hucuſque pro ſolis genuinis Leonis ſecundi epiſtolis: Quia tamen Honorii condemnationem ægrè ferunt, ad conſuetum impudentiæ aſylum confugiunt, & clamant, has omnes epiſtolas eſſe ſpurias, vel ſaltem corruptas, vel denique non eſſe de Honorii damnatione

*Triplex cavillatio adverſus epiſtolam Leonis ſecundi...*

tione fidem adhibendam Leoni. Primam iſtarum viarum tentat Baronius, quem ſequuntur Binius & Gretſerus; ſecundam & tertiam Bellarminus idemque Gretſerus: ſed infeliciter.

4. Una eſt communis adverſus omnes has epiſtolas & palmaria objectio, qua utuntur Baronius ejuſque ſequaces; nempe, quia alicubi nota temporis videtur non concordare. Antequam igitur ad ſingularum epiſtolarum vindicias accedam, non abs re fuerit, hujus objectionis aciem retundere. Nam ubi alia omnia, id eſt, res & loca & perſonæ conveniunt, non tanti eſt ſphalma Chronicum, præſertim exiguum vel etiam incertum, ut propter illud de autoritate ſcripti dubitetur. Specimen propoſitis aliquot exemplis exhibebo.

*Regula de ſphalmate Chronico.*

*Scripta quædam indubitata, de quorum tamen nota temporis dubitatur, vel controvertitur, vel error agnoſcitur.*

Concilium Arauſicanum ſecundum, in editione Colonienſi, poſt opera Proſperi, celebratum ſcribitur circa tempora Leonis Papæ primi: at Binius (tom. 2. Concil.) monet celebratum eſſe anno Dom. 529. ſub pontificatu Felicis quarti. Diſcrepantia eſt fere octoginta annorum.

Concilium Carpentoractenſe (quod celebratum putatur circa annum Dom. 529.) quo anno præciſè celebratum ſit, Binius ait non conſtare.

In inſcriptione, & capite quinto, Concilii Toletani ſecundi, dicitur illud Concilium celebratum eſſe ſub Rege Amalarico.

At Iſidorus Hiſpalenſis ſcribit in ſuo Chronico Gothorum, poſt Amalaricum regnare cœpiſſe in Hiſpania Theudim, Æra 569. tempore Juſtiniani Imperatoris. Et, quamvis hæreticum, dediſſe Epiſcopis Catholicis licentiam conveniendi in urbem Toletanam, & liberè diſponendi ea quæ ad Eccleſiæ diſciplinam neceſſaria exiſterent. Hoc fuiſſe Concilium Toletanum ſecundum, annotatur in margine, edition. Colonienſ. operum Iſidori, anno Domini 1617. & Chronico illi præmittitur admonitio de Æra; quod ſubtractis ab Æra 38. annis, ſemper remaneat annus incarnationis Dominicæ; & quod per Æras numerare deſierint Hiſpani, anno Chriſti 1583. In titulo autem ipſius Concilii Toletani ſecundi, habita eſſe dicitur ea Synodus Æra 565. quem numerum retinet Garſias, apud Binium, in notis in illud Concilium: ubi tamen ipſe Binius dicit, Æram ponendam eſſe 569. & valde probabile eſſe, hanc Synodum ſub Theudo Rege celebratam eſſe.

*Æra Hiſpanica.*

Idem in notis in Concilium Pariſienſe, quod in cauſſa Sophoraci Pariſienſis Epiſcopi, ſub Childeberto Rege, celebratum eſt; Hanc, inquit, Synodum ad tempora Pelagii primi [Papæ Romani] referendam eſſe opinor: quoto anno Pelagii præciſè habita fuerit, nullo certo indicio conſtare poteſt.

Gelaſii primi Papæ Romani epiſtola quinta, ad Honorium Dalmatiæ Epiſcopum, ſic ſubnotatur. Data 5. Calendarum Auguſti, Fauſto V. C. Conſule. Annotat Binius, mendoſam eſſe & ſurreptitiam hanc conſularem notam: nullum enim Fauſti conſulatum ſub Pontificatu Gelaſii reperiri: legendum igitur Albino V. C. Conſule. Jam verò ex Caſſiodori Chronico conſtat, interfluxiſſe ſex integros annos inter Conſulatum Fauſti, & Conſulatum Albini, temporibus Zenonis & Anaſtaſii Imperatorum.

Joannis primi, Papæ Romani epiſtola primâ, ad Zachariam Archiepiſcopum, ſubnotatur, Data decimo-quinto Calendarum Novembris; Maximo & Olybrio, viris clariſſimis, Conſulibus. Binius annotat hanc Conſularem notam mendoſam eſſe: & hanc epiſtolam referendam eſſe putat ad Conſulatum Maximi ſine collega, qui incidit in annum Domini quingenteſimum vigeſimum tertium. Conſulatus autem Olybrii incidit in annum Domini quingenteſimum vigeſimum ſextum.

Ejuſdem Joannis epiſtola ſecunda, ad Epiſcopos Italiæ, ſubnotatur, Data tertio Idus Junii. Baronius anno Domini quingenteſimo vigeſimo ſexto errorem eſſe monet in menſis nomine; & pro tertio idus Junii, legendum eſſe tertio idus Januarii.

Huic Joanni in ſede Romana ſucceſſit Felix Papa quartus, anno Domini quingenteſimo vigeſimo ſexto, cujus Felicis epiſtola ſecunda, ad Sabinam, ſubnotatur, Data duodecimo Calendarum Novembris. quam chronologiam menſtruam Binius ait eſſe mendoſam: hoc enim menſe ſucceſſorem Felicis, Bonifacium ſecundum, jam Pontificem creatum eſſe.

Silverii Papæ Romani epiſtola depoſitionis & anathematis adverſus Vigilium invaſorem, ſubnotatur, Data octavo Calendarum Julii, Principe Baſilio. At in margine annotatur, ſubrepſiſſe videri hanc notam Conſularem; tempore enim Silverii neque Beliſarium neque Baſilium ullum conſulatum geſſiſſe.

Sulpicius Severus, Bituricenſis Epiſcopus, ſcripſit librum de vita ſancti Martini, Turonenſis Epiſcopi, quem inveniet lector in Bibliotheca Patrum, tomo ſeptimo editionis quartæ: ubi Margarinus de la Bigne hanc præmittit monitionem; Exordium (inquit) vitæ Sancti Martini, à Sancto Severo conſcriptæ, eſſe in annorum numeris depravatum, non culpâ autoris, ſed librariorum, multis argumentis oſtenditur in notis ad Romanum Martyrologium, undecimo Novembris, & tomo tertio Annalium Eccleſiaſticarum, anno Chriſti trecenteſimo quinquageſimo primo, capite decimo-ſeptimo & ſeqq. quò lectorem amandamus. Hæc ibi.

Anaſtaſius in vita Leonis ſecundi Papæ Romani ſcribit eum feciſſe ordinationem menſe Junio, die vigeſimo-ſeptimo. At in editione Biniana, annotatur in margine, pro Junio ponendum eſſe Majum.

Sed nolo in accumulandis rei adeò perſpicuæ exemplis plus operæ ponere. Accedo ad ſpeciales epiſtolarum Leonis vindicias.

5. Contra primam Leonis ſecundi Papæ epiſtolam, ad Conſtantinum Imperatorem ſcriptam, ut eam ſpuriam eſſe probent adverſarii, objiciunt. 1. Quod circa finem, menſe Majo, indictionis decimæ reſcripta ponatur ad epiſtolam Imperatoris, quam ſe menſe Julio ejuſdem indictionis accepiſſe fatetur, quæ niſi mendoſa probentur, manifeſtiſſimè ſibi contradicunt. 2. Quod nullo menſe Julio Pontifex eſſe potuerit Leo, qui menſe Auguſto creatus, decem tantum menſibus Pontificatum





adminiſtravit. 3. Quod profiteatur ſe hanc epiſtolam ſcripſiſſe indictione decima, qua nondum Pontifex creatus erat. 4. Quod Honorium in Monothelitarum hæreſi defunctum, adeòque ipſa anathematis ſententia condemnatum eſſe ſciebat; quam publico funere Romana Eccleſia ſepelivit inter ſanctos Pontifices in Eccleſia S. Petri, cuique ut Catholico Pontifici in omnibus parentavit. his ex Baronio rationes repetit Binius in notis in hanc epiſtolam.

6. Reſpondeo ad primam objectionem: ſubnotatio mendoſa eſt, non auctoris ſed librariorum vitio, ut facile eſt deprehendere & corrigere ex inſpectione corporis epiſtolæ. Leonis igitur ad Conſtantinum epiſtola, data eſt menſe Majo indictionis undecimæ. Nec hic librarii lapſus efficit auctoritati epiſtolæ, quæ intus ipſa monſtrat, quomodo ſit legenda ſubnotatio.

7. Ad ſecundam objectionem. Conſuetudo illo tempore antiqua obtinebat, ut electus à clero & populo in Pontificem Romanum, non ordinaretur, niſi prius certior factus Imperator electionem confirmaſſet, ejuſque juſſione procederetur ordinatio. ut conſtat ex Anaſtaſio, in vita Agathonis Papæ, qui Leonem ſecundum immediate præceſſit, & in vita Benedicti ſecundi, qui eidem Leoni immediatè ſucceſſit. Et ex Onuphrii ea de re diſſertatione, ſupra commemorata, libro 3. hujus operis, cap. 30. Imperator igitur intellectâ Leonis electione, literas ad illum ſcripſit, in quibus eum Papam ſalutavit, eidemque ſextam Synodum commendavit. Has Imperiales literas accepit Leo menſe Julio, ſtatimque proximo menſe Auguſto ejus ordinatio ſolemniter de more peracta eſt, uno ex ejus ordinatoribus exiſtente Johanne Epiſcopo Portuenſi, ut ſcribit Anaſtaſius in vita ejuſdem Leonis. Johannes autem hic unus fuerat ex legatis Synodi Romanæ ad ſextam Synodum œcumenicam, & tum cum reliquis legatis reverſus ordinationi Leonis interfuit. Poſtea verò quam ordinatus eſt Leo, acta ſextæ Synodi ab Imperatore ad eum tranſmiſſa diligenter perlegit, eaque cum legatorum Agathonis relatione ſedulo contulit, perſpectoque conſenſu, epiſtolam hanc ad Imperatorem ſcripſit, qua eum laudat & Synodum approbat; & ab ea damnatos, ac in eis nominatim Honorium, anathematizat; & de totius negotii felici exitu gratias Deo agit. Partim lectionis prolixitas, & collationis adhibita diligentia, partim etiam ingruens hyems, effecit ut non ante menſem Majum miſerit Leo hanc epiſtolam.

8. Ad tertiam objectionem jam reſponſum eſt, in reſponſione ad primam objectionem: Leo enim in corpore epiſtolæ ſuæ disertè aſſerit ſe Imperatoris literas cum geſtis ſynodalibus ſuſcepiſſe per nuper elapſam decimam indictionem, menſe Julio. Ergo manifeſtiſſimè profitetur, ſe hanc epiſtolam ſcribere indictione undecima.

9. Ad quartam: Multi poſt mortem, honorificamque ſepulturam, damnati ſunt propter hæreſin, quorum oſſa nunquam refoſſa ſunt. exempla habemus in multis Alexandriæ Epiſcopis hæreticis, qui ſedem illam non rarò obtinuerant iis temporibus, quæ inter quartam œcumenicam Synodum, & ſextam lapſa ſunt. Non de ſepultura vel refoſſis oſſibus quæſtio eſt, ſed de geſtis ſextæ Synodi, aliarumque Synodorum, quoad damnationem Honorii: quibus tanta irrefragabilium teſtium nubes conſtanter affirmat. Noverat Honorii ſepulchrum Hadrianus ſecundus Papa, ejuſque ad octavam Synodum legati, ejuſdem nihilominus damnationem confeſſi ſunt: cum ſexcentis aliis.

10. Sed contra noſtras reſponſiones ad tria prima objectamenta, adferunt adhuc duas objectiones.

11. Una deſumitur ex Anaſtaſio, in vita Agathonis; ubi poſt mortem Agathonis ait Epiſcopatum Romanum ceſſaviſſe annum unum, menſes ſeptem, dies quinque. hoc argumento utitur Binius. & ait neceſſe eſſe affirmare, ab obitu Agathonis uſque ad initium Leonis, tanti temporis interregnum intercurriſſe. Agathonem verò Anaſtaſius ſcribit ſepultum eſſe quarto idus Januarii, indictione decima, id eſt, initio anni Chriſti 682. Neceſſitatem tantæ vacationis nullam agnoſcit Cardinalis Baronius, nam in Annalibus, anno Chriſti 682. & 683. rejicit utramque Anaſtaſii narrationem, nullam enim adeo longæ vacationis cauſſam alicubi inveniri. Vitam igitur Agathonis ulterius prorogat, fretus epiſtolâ quadam ex monumentis Floriacenſibus nuper refoſſa, quæ Agathonis dicitur, & poſt reditum legatorum ejus, quos ad ſextam Synodum miſerat, ſcripta videtur, ad Edictum Viennenſem in Gallia Archiepiſcopum. Agathonem verò ait obiiſſe demum quarto idus Junii, indictionis undecimæ, anno Chriſti, 683. ac poſt ejus obitum Sedem vacaſſe tantummodo menſes duos & dies quinque, uſque ad ordinationem Leonis, quam factam eſſe ait decima-quinta die menſis Auguſti, eadem indictione undecima. Atque ita Baronius & Binius, licet ſibi invicem contradicant, diverſis tamen itineribus eodem tendunt, ut initium Pontificatus Leonis ſecundi collocent in menſe Auguſto indictionis undecimæ.

*Binii exceptio, quæ a Baronio rejicitur.*

*Baronii exceptio.*

12. Reſpondeo. Non eſt adhibenda fides novitiæ iſti & obſcuræ refoſſioni Floriacenſi, contra univerſalem conſenſum totius antiquitatis, & tot aliarum celebriorum bibliothecarum fidem, quæ teſtantur Leonem accepiſſe à legatis Agathonis acta ſextæ Synodi cum apicibus regiis; mortuo jam Agathone, ante eorum reditum. Adhæc admodum abſurdum eſt quod fingit Baronius, Agathonem, poſt reditum legatorum à Synodo Conſtantinopolitana, Concilium Romæ centum pænè Epiſcoporum habuiſſe, anno Chriſti 682. ac poſtea ultimo die Februarii anni ſequentis ſcripſiſſe epiſtolam ad Edictum Viennenſem, denique defunctum eſſe quarto idus ſequentis Junii; Et tamen, toto hoc ſeſquiannali ſpatio, Agathonem, hæreſeos Monotheliticæ acerrimum adverſarium, qui tantum pro ea exterminanda laboris antea impenderat, nihil prorſus vel ad Imperatorem, vel ad alium quempiam, literarum dediſſe pro approbatione ſextæ Synodi. Imo nullæ inveniuntur ad Agathonem Imper. literæ, commendantes ei, ut fieri aſſolebat, ſextam Synodum. Extat autem de eo negotio epiſtola Imperatoris ad Leonem Agathonis ſucceſſorem, data 13. die menſis Decembris, indictionis decimæ; (anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo primo) in actis ſextæ Synodi, actione decima octavâ, quam epiſtolam Baronius, anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo primo, num. decimo apud Spondanum, & Binius, in notis in vitam Agathonis, agnoſcunt eſſe genuinam, & ex ea, tanquam genuina, argumentantur. Licet alibi, pro ſua

*Refellitur exceptio Baronii.*

inconſtantia & impudentia, ſibi-ipſis & orbi Chriſtiano contradicere non erubeſcant; tribus nixi futilibus conjecturis; ut legere eſt in Binii notis in eandem Conſtantini Imp. ad Leonem epiſtolam, poſt vitam ejuſdem Leonis. quas vaniſſimas conjecturas inferius exhibebimus & confutabimus, cap. 19. Agathonem autem 4. idus Januarii, indictione 10, anno Chriſti 682. defunctum fuiſſe, Binius, in notis in ejus vitam, probat etiam ex tabulis Eccleſiaſticis, & anniverſariâ ejus commemoratione. Anaſtaſius Agathonem ſcribit eo die ſepultum eſſe. Obſervat igitur Eccleſia diem, qui fuit ſepulturæ Agathonis, non diem qui fuit mortis ejus: mortuum enim eſſe Agathonem præcedente Septembri vel Octobri, inde colligere eſt, quod die decima-ſexta menſis Septembris, ſancta ſexta Synodus ultimam actionem celebrans, ad Agathonem (adhuc viventem, vel ſaltem mortem ejus nuncio nondum Conſtantinopolin allato,) literas ſcripſerit; Proximo autem Decembri Imperator Conſtantinus accepto jam nuncio mortis Agathonis, & electionis Leonis, literas cum actis Synodicis ad Leonem miſerit: quibus literis eum Papam ſalutavit, id eſt, electionem ejus confirmavit. Unde patet ab obitu Agathonis ad electionem Leonis breve admodum tempus intercurriſſe, licet ante ejuſdem Leonis ordinationem circiter novem menſes effluxerint. Error igitur aut mendum eſt apud Anaſtaſium, in Agathone, in tempore vacationis. Errat etiam Baronius, vitam Agathonis longè ulterius producens, quàm revera vixit.

*Detegitur & refutatur error Binii, & error Baronii.*

13. Altera objectio, quâ oſtendere nituntur Leonem Pontificatum ſuum inchoaſſe in fine indictionis undecimæ, menſe Auguſto, anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo tertio, ſic ſe habet; Leo his non integros undecim menſes ſedit, ſed, ſecundum Anaſtaſium, menſes decem, dies ſeptemdecim. fuit autem ſuperſtes tempore habiti Concilii Toletani decimi quarti, prout manifeſtè indicat & aſſerit canon ſecundus ejuſdem Concilii, quod celebratum eſt anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo quarto: ergo. Hoc argumento utuntur Baronius, apud Spondanum, anno Chriſti 682. num. 1. & Binius in notis in vitam Leonis II.

*Altera adverſus noſtras reſponſiones argumentatio Baronii & Binii.*

14. Reſpondeo primo, Falſum eſt, Patres in Concilio illo Toletano aſſerere, Leonem Papam Romanum adhuc ſuperſtitem eſſe quando illud Concilium ab ipſis celebratur, ſed tantum ajunt claram notionem omnes Hiſpaniæ populos implere, quod decurrentis evoluti temporis ſerie per Romani Præſulis bajulum geſta Conſtantinopolitanæ Synodi ſocietati ipſorum advecta ſunt, & cum illis geſtis ſe ſuſcepiſſe invitatoriam epiſtolam Leonis antiquæ Romæ Pontificis, ut eadem geſta probarent. Et ajunt Ervigium Regem ſuum promiſſionis ſuæ non immemorem, præcepiſſe illis congregari in unum, ad confitendum Apollinaris dogma peſtiferum, de quo, ei à Romano Præſule fuerat nunciatum, (id eſt, ad damnandum eam Monothelitarum hæreſin, quæ nuper in œcumenica Synodo Conſtantinopoli fuerat deſtructa; ſic enim mentem ſuam explicant Toletani illi Patres.) & hoc dediſſe ſpeciale mandatum, ut quia, ſicut oportebat pro tantæ rei negotio pertractando, generale omnium per totam Hiſpaniam & Galliam Hiſpanorum Epiſcoporum Concilium fieri varia adverſitatum incurſio non ſineret, ſaltem adunata per provincias Concilia fierent: & primum quidem in regia urbe Toleto Synodus Præſulum provinciæ Carthaginis ageretur, deinde ſingulis quibuſque provinciis ſingulare haberetur Concilium, & quod in hac Toletana Synodo actum comperiſſent, reliqui primarum ſedium Præſules, per diſcreta provinciarum ſuarum Concilia obſervarent. At de Leone Pontifice Rom. quaſi adhuc ſuperſtite nihil aſſerunt.

*Solutio iſtius objectionis. 1. Falſum eſt quod affirmant Baronius & Binius de canone illo Concilii Toletani.*

15. Adhæc celebratam eſſe hanc Synodum Toletanum tempore Benedicti ſecundi, qui Leoni ſucceſſit, habetur in inſcriptione ejuſdem Synodi, in editione Biniana. idque ipſum aſſerit Baronius, anno Chriſti 684. ubi affirmat Leoni jam mortuo ſucceſſiſſe Benedictum, creatumque eſſe Pontificem, hoc anno, die vigeſima Auguſti; & poſtea eodem anno, menſe Novembri celebratam eſſe hanc Synodum Toletanam 14. occaſione receptarum literarum Leonis Pontificis, & actorum ſextæ Synodi.

16. Præterea, quod aſſerit Baronius, Leonem vixiſſe ſaltem uſque ad 4. Calendas Julii, indictionis 12, & anni Chriſti, 684. neque id ex Toletano illo Concilio evincitur: imò diu ante mortuum eſſe declarat Concilii illius editio Biniana; Binius autem Concilium illud ſe deſumſiſſe profitetur ex Garſia Loayſa, & ſuæ Conciliorum editioni inſeruiſſe. Inſerit ſimul notas ejuſdem Loayſæ, qui, ex codice Latino membraneo manuſcripto pervetuſto cœnobii S. Johannis Regii Toletani, profert epiſtolam Benedicti, quam jam electus, ſed nondum ordinatus Romæ Pontifex, ſcripſit ad Petrum notarium regionarium; eamque ut utilem ad Synodi illius Toletanæ intelligentiam Synodo adjungit. Epiſtolæ illius hæc eſt ſententia; Petro notario regionario in mandatis dederat Leo papa, ut ad Regem Ervigium & Epiſcopos Hiſpanos, & Comitem, cum ſextæ Synodi definitione & ſermone ejuſdem Synodi ad Imp. Conſtantinum proſphonetico, ejuſdemque Conſtantini Imperatoris edicto ſextam Synodum confirmante, proficiſceretur: interea moritur Leo, & eligitur Benedictus, qui electus ſcribit ad Petrum, ut juxta quod Leo eum ire diſpoſuit ad Regem & Epiſcopos, & Comitem, commiſſum miniſterium cum ſummo pietatis ſtudio peragat; & Epiſcoporum quoque ſubſcriptiones eidem ſynodicæ definitioni ſubjungi procuret. Contra hanc Benedicti epiſtolam Baronius ejuſque ſequaces, nullam protſus inveniunt objectionem, aut leviſſimam conjecturam. De altera autem epiſtola, quam tanquam Benedicti ad Ervigium Regem adjungit Loayſa, inferius dicemus. Certè ex hac irrefragabili Benedicti ad Petrum epiſtola, patet Leonem Papam ante defunctum eſſe, quàm reddidiſſet Petrus literas ejus, geſtaque ſextæ Synodi Regi Ervigio ejuſque Epiſcopis & Comiti; hortatu autem Benedicti Petrum in ſuſcepto munere perrexiſſe.

17. Redditæ ſunt autem per Petrum literæ illæ geſtaque ſynodalia, mox poſt abſolutum Concilium illud Toletanum quod generale, & 13. dicitur, ut teſtantur Patres Concilii Toletani 14. canone tertio. Celebratum verò eſt Concilium illud 23. pridie nonas Novembris, æra 721. ut legere eſt in ejuſdem exordio: id eſt, anno Chriſti 683. Celebrato verò prædicto Concilio, (utor nunc verbis Cardinalis Baronii) reverſiſque ad ſuas Eccleſias Epiſcopis, cum allatæ eſſent in Hiſpaniam literæ Leonis Romani Pontificis, ſimulque ſextæ Synodi acta ab ipſo miſſa, nec



nec tempus opportunum eſſet, ingruente ſæva hieme, eos iterum convocandi; viſum eſt in ſequentem annum differre ejus rei tractationem. Hæc Baronius, anno Chriſti 683. num. ultimo. Idem declarant acta Synodi illius Toletanæ decimæ quartæ, quæ anno ſequente celebrata eſt, 18. Calend. Decembris. Et his jam liquido conſtat, Leonem Papam ſecundum mortuum eſſe anno Domini 683. indictione undecima. Paulo poſt datas Petro notario literas in Hiſpaniam cum geſtis ſynodalibus perferendas, nempe circiter finem menſis Junii, illius anni; menſe autem undecimo poſt ſollemnem ejus ordinationem, quæ anno præcedente peracta fuerat, menſe Auguſto, poſt acceptas Conſtantini Imperatoris literas, ut ſupra oſtenſum eſt.

18. Convenit narratio Anaſtaſiana, de eclipſi in vita ejuſdem Leonis ſecundi. Hujus (inquit) temporibus, die decima ſexta menſis Aprilis, indictione undecimâ, Luna eclipſin pertulit. Hæc Anaſtaſius. qui etiam ibidem ait, ceſſaſſe Epiſcopatum, poſt Leonis obitum, menſes undecim, dies viginti duos, quod ſpacium intelligendum eſt ante ordinationem Benedicti, quamvis paullò poſt mortuum Leonem electus ſit, ut oſtenſum. Benedictum autem Anaſtaſius ſcribit ſediſſe menſes decem, dies duodecim. Sedente igitur Benedicto, anno Chriſti 684. habita eſt Synodus Toletana decima-quarta; quæ geſta contra Monothelitas, à Leone miſſa, confirmavit. Per hæc quæ dicta ſunt, evacuantur & evaneſcunt omnes Papiſtarum adverſus Leonis epiſtolas objectiunculæ chronologicæ.

*Convenit narratio Anaſtaſii de eclipſi Lunæ.*

*Concluſio.*

## CAPUT DECIMUM-NONUM.

### *Defenſio epiſtolæ Conſtantini Imp. ad Leonem ſecundum Papam Romanum, de ſexta Synodo.*

ANtequam reliquas afferam Leonis epiſtolas, diſſipandæ ſunt hoſtiles inſidiæ, quas, odio epiſtolæ Leoninæ ad Imp. reſcriptæ, ſtruunt Papiſtæ, ipſi Imperatoris Sacræ ad Leonem miſſæ, die 13. Decembris, indictione 10. unà cum actis ſextæ Synodi.

2. Binius in notis; Hanc, inquit, epiſtolam Conſtantini ad Leonem, de fide ſuſpectam eſſe aſſerit Baronius, ex conjecturis hiſce; 1. Quod Leonem menſe Auguſto creatum, non prius certiorem reddiderit de rebus in Synodo geſtis, quàm poſt menſes quatuor, in Decembri nimirum; cui ſtatim ſtatum fidei indicaſſe oportebat. 2. Quod initio epiſtolæ ſcribatur ipſam indictione decima ad Leonem eſſe datam, quo tempore Leo nondum Pontifex erat. Nam primus annus Leonis incidit in finem indictionis undecimæ, & principium indictionis duodecimæ. 3. Quod in ipſa epiſtola dicatur de Synodo cogenda ſcriptas eſſe literas ab Imperatore ad Agathonem; cum certum ſit non ad Agathonem, ſed ad Donum Papam hac de cauſſa literas ſcripſiſſe. Hæc ibi.

3. Reſpondeo. Quum alibi Baronius & Binius epiſtolæ hujus auctoritatem agnoſcant, & inde etiam tanquam ex principio certo argumententur, ſicut docuimus ſupra, cap. 17. § 10. & cap. 18. § 12. Hic autem vela tam ſubito retrorſum dent, nec tamen priora retractent; omnem ſibi, apud prudentes lectores fidem atque auctoritatem adimunt: falſorum enim teſtium eſt, nullo conſiſtere ſuo orationis veſtigio, pugnantia affirmare, & ſe in verticoſos contradictionum gurgites, fallente memoriâ, vel impellente nequitiâ præcipites dare.

4. Attamen, inquies, utcunque iſti ſibi ipſis incautè contradicant, admittenda nihilominus, aut ſolidè refellenda ſunt epiſtolæ huic inimica argumenta. ad inanes igitur eorum conjecturas ordine reſpondeo.

5. Ad 1. Prima conjectura nititur falſa hypotheſi: ſupponunt enim Baronius & Binius prænotationem chronicam hujus epiſtolæ, quæ indicat datam eſſe die decima-tertiâ menſis Decembris, referri ad illum Decembrem qui Leonis ordinationem ſequutus eſt; quum res longè aliter ſe habeat, ut patet ex eadem prænotatione, ubi dicitur miſſam eſſe hanc epiſtolam indictione decima: intelligitur igitur December ille qui Agathonis mortem, & Leonis electionem, & ſextæ Synodi ultimam concluſionem proximè ſequutus eſt. ut ſupra oſtenſum, præcedente cap. § 12.

*Prima conjectura refutatio.*

6. Ad 2. Nondum erat Leo Pontifex ordinatus, ſed jam erat electus, eamque electionem confirmans Imperator, Leonem per literas ſalutat Papam. Falſum autem eſt primum annum Leonis incidiſſe in finem indictionis undecimæ & principium duodecimæ; nam ſuperiore capite demonſtravimus incidiſſe in finem indictionis decimæ & principium undecimæ.

*Refutatio ſecunda conjectura.*

7. Ad 3. Verba Imperatoris ſunt, Quapropter ſancti Papæ Agathonis beatitudinem piis apicibus noſtris ſumus hortati, ut aliquos mitteret qui ejus perſonam obtinerent. Nihil hic falſi: nam inſcriptas Dono literas accepit Agatho, eiſque tanquam ad ſe, utpote jam Doni defuncti ſucceſſorem Papam Romanum, miſſis, reſpondens Agatho, profitetur, in ſua ſuggeſtione, ſe præceptis Imperialibus promtam obedientiam efficaciter exhibuiſſe. quod & præſtitit. Legatos enim ſuo nomine miſit. idque ſe feciſſe ait ſecundum juſſionem (nedum hortatum) Imperatoris. Ergo Agathonem hortatus eſt, ſive juſſit Imperator mittere qui ejus perſonam obtinerent. En quo recidunt futiles conjecturæ!

*Refellitur tertia conjectura.*

## CAPUT VIGESIMUM.

*Defenſio epiſtolarum Leonis ſecundi, Papæ Romani, ad Epiſcopos Hiſpanos, & ad Regem Ervigium.*

*Verba Leonis 2. Papæ Rom. ad Epiſcopos Hiſpanos.*

LEo ſecundus, Papa Romanus, in epiſtola ad univerſos Eccleſiarum Chriſti Præſules per Hiſpaniam conſtitutos; Sciat (inquit) veſtra ſinceritas, & Chriſtianis omnibus innoteſcant Dei omnipotentis mira magnalia: quia in Conſtantinopolitana urbe clementiſſimus noſter, imò B. Petri Apoſtoli filius Imperator, armatus zelo Dei, ac deſiderio pietatis accenſus, Epiſcopis ex totius mundi partibus aggregatis, quod ex multo tempore fideliter cupiebat, dum cenſuit majeſtas ſuperna, per nuper elapſam nonam indictionem explevit. Univerſale igitur ſanctum ſextum Concilium celebratum eſt, ad quod celebrandum ex prædeceſſoris noſtri Apoſtolicæ memoriæ Domini Agathonis Papæ perſonâ Presbyteri diaconique directi ſunt. ——— qui verò adverſum Apoſtolicæ traditionis puritatem perduelles extiterant, abeuntes quidem æternâ condemnatione mulctati ſunt, id eſt, Theodorus Pharanitanus, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus, Paulus, Petrus Conſtantinopolitani, cum Honorio, qui flammam hæretici dogmatis non, ut decuit Apoſtolicam auctoritatem, incipientem extinxit, ſed negligendo confovit. Hæc ibi.

*Damnatus Honorius, qui hæreſin negligendo confovit. Vide cap. 30. §. 14.*

*Verba Leonis 2. Papæ Rom. ad Ervigium Hiſpaniæ regem.*

2. Idem quoque Leo, in epiſtola ad Ervigium Regem, de eadem ſexta Synodo ſcribens, ait; Nunc autem (quod cum gratiarum actione in Deum exſultantes effamur) per nonam nuper elapſam indictionem, piiſſimus atque Chriſtianiſſimus noſter, imò Dei Eccleſiæ filius Imperator, ad Apoſtolicæ memoriæ noſtrum deceſſorem Agathonem Papam atque Pontificem ſcripta Imperialia dirigens, affatim hortatus eſt, ut ab ſancta Apoſtolicæ ſedis Eccleſiâ de omnibus adjacentibus ei reverendis Conciliis legatos dirigeret, quod Dei nutu effectum atque perfectum eſt. ——— Piiſſimus imperator gratiâ Sancti Spiritûs animatus, & laborem pro Chriſtianæ fidei puritate ſponte perpeſſus, Eccleſiam Dei Catholicam ab erroris hæretici maculâ ſummis niſibus purificare molitus eſt, & quicquid offenſionem Chriſtianis populis poterat generare, de medio Dei Eccleſiæ fecit auferri, omneſque hæreticæ aſſertionis auctores venerando cenſente Concilio condemnati, de Catholicæ Eccleſiæ adunatione projecti ſunt, id eſt, Theodorus Pharanitanus Epiſcopus, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Paulus, Pyrrhus, & Petrus, quondam Conſtantinopolitani Præſules, & unà cum eis Honorius Romanus, qui immaculatam Apoſtolicæ traditionis regulam, quam à prædeceſſoribus ſuis accepit, maculari conſenſit; ſed & Macarium, &c. Hæc Leo.

*Condemnatus Honorius, qui Apoſtolicæ traditionis regulam maculari conſenſit.*

*Duæ objectiones Baronii & Binii.*

3. Baronius & Binius duas adferunt contra harum epiſtolarum auctoritatem objectiones. Prior eſt; quod in eis inculcetur Concilium œcumenicum nonâ indictione abſolutum fuiſſe, cum tamen acta noviſſimarum actionum teſtentur ipſam Synodum decimâ indictione abſolutam eſſe. Altera eſt; quod his literis dicantur mitti in Hiſpaniam non ipſa acta Synodalia, ſed tantum definitio Synodi, edictum Imperatoris, & ſynodalis ſermo acclamatorius: Hæc autem minimam eſſe partem Synodalium actorum. At canone 2. Concilii Tolet. 14. teſtari Epiſcopos, ſe, cum Epiſtola Leonis, ipſa integra acta Synodalia accepiſſe.

4. Reſpondeo ad priorem objectionem. ait Leo, Conſtantinum Imperatorem illud, quod diu cupiebat, aggregatis tandem undique Epiſcopis, per nuper elapſam nonam indictionem expleviſſe. quidnam autem illud ſit, docet Leo, quando ſubjungit, univerſale itaque ſextum Concilium celebratum eſt. nempe effecit Imperator, ut pro pace Eccleſiarum convenirent in unum Epiſcopi, & ſextam Synodum celebrarent. quod factum eſt indictione nonâ, in qua habitæ ſunt ſedecim actiones illius Synodi, reique eò deducta, ut ſola reſtaret definitionis ſynodalis jam prædeterminatæ promulgatio facienda initio indictionis decimæ, cum ſermone ad Imperatorem acclamatorio. In quibus nihil continetur, niſi quod fuerat in ſuperioribus actionibus, quoad rem ipſam, dilucidè determinatum. Non dicit Leo Synodum ipſam indictione nonâ abſolutam eſſe; ſed poſtquam dixiſſet Imperatorem ſuas partes expleviſſe in convocatione & celebratione Synodi, ſubnectit brevem geſtorum Synodi epitomen, & hortatur Epiſcopos Hiſpanos ut ejuſdem Synodi definitioni ſubſcribant.

5. Quamvis hæc jam data reſponſio ſufficiat, aliam tamen, ex abundanti, adjungam. Sethus Calviſius, nobilis chronologus, in ſua Iſagoge Chronologica, cap. 16. §. Tertius character. hæc de indictione ſcribit; Tertius character in anno Juliano, vel potius in annis æræ Chriſtianæ, eſt *indictio*, quæ quindecim annorum ſpatio in orbem redit. Inſtituta fuit olim à Conſtantino Magno Imperatore, anno Imperii ſeptimo, æræ Chriſtianæ 312. die 24. Septembris. Hoc charactere, ex decreto Imperatoris, Juriſperiti in inſtrumentis, ut vocant, conficiendis, & aliis rebus conſignandis perpetuò utuntur. Cœpit, ut dictum eſt, die 24. Septemb. Sed cum Conſtantinopolitani annum ſuum inchoënt à Calendis Septembris, ideo ſimul cum novo anno novam indictionem inchoarunt. Sed alias in Romano Imperio diu in die 24. Septembris retenta fuit, donec Pontifex Romanus ejus initium retraheret ad Calendas Januarii, ubi hiſce temporibus hæret. Hæc Calviſius. Ex quibus patet ultimam ſextæ Synodi actionem, quæ habita eſt, ut acta teſtantur, die 16. menſis Septembris, indictione decima Conſtantinopolitanâ, incidiſſe in finem indictionis nonæ Romanæ. alterutra harum reſponſionum idonea eſt.

6. Ad poſteriorem etiam objectionem reſpondeo. 1. Provoco ad ipſa verba ſecundi canonis Synodi Toletanæ decimæ quartæ quæ integra & immutilata lectori exhibeo: Clara omnia notio populos Hiſpaniæ implet. quod decurrentis evoluti temporis ſerie, per Romani Præſulis bajulum geſta Synodalia ſocietati noſtræ advecta ſunt, quibus Conſtantinopolim, Conſtantino pio & religioſo Principe mediante, magnâ & ſublimi copiâ aggregata Pontificum, Apollinaris dogma comperimus fuiſſe deſtructum. Cum quibus etiam geſtis, Leonis quoque antiquæ Romæ Pontificis invitatoria epiſtolaris gratiæ conſulta



ſuſcepimus, per quæ omnis ordo geſtorum, geſtaque ordinum dilucidè, ut acta ſunt, noſtris ſenſibus patuerunt. In cujus etiam gratioſo epiſtolæ tractu ad hoc omnes præſules Hiſpaniæ invitati ſunt, ut prædicta ſynodalia inſtituta, quæ miſerat, noſtri etiam vigoris manerent auctoritate ſuffulta; omnibuſque per nos ſub regno Hiſpaniæ conſiſtentibus pateſcerent divulgata. Hæc ſunt ipſiſſima canonis illius Toletani verba, quæ fideliter abſque ulla additione, vel diminutione, vel alteratione, tranſcripſi. ut manifeſtior fieret fraus & impudentia, vel ſaltem præceps incogitantia, Baronii, quem non pudet aſſerere Epiſcopos Concilii illius Toletani, loco jam citato, teſtari ſe cum epiſtola Leonis ipſa integra acta ſynodalia accepiſſe: cum tamen in canone verba iſta [ipſa integra acta ſynodalia] neque per ſe, neque per alia æquipollentia, compareant: profiteantur autem Toletani illi Patres omnem ordinem geſtorum geſtaque ordinum dilucidè, ut acta ſunt, ipſorum ſenſibus patuiſſe per epiſtolam Leonis Papæ. Unde patet eos ipſa integra acta ſynodalia non accepiſſe; alioquin ipſis potius actis quam Leonis epiſtolę acceptam retuliſſent hiſtoricam illam notitiam. Neq; aliud cum Leonis epiſtolâ ſe accepiſſe commemorant, niſi geſta ſive inſtituta ſynodalia, per quæ compererunt quod dogma damnatum ſit, & ubi, & à quibus, & quo mediante. Quæ inſtituta, etiam auctoritate Epiſcoporum Hiſpaniæ ſuffulcienda miſerat Leo. Ea autem quamvis, ſi molem ſpectes, exiguam conſtituant partem actorum ſextæ Synodi, ſi tamen earum virtutem, & controverſiæ cardinem & exitum, totiuſque negotii caput ac medullam intueamur, ſunt pars longè præcipua illorum actorum, & quæ cum adjunctâ Leonis epiſtolâ, omnium loco pro tempore eſſe poſſent, pro obtinendo Hiſpanorum conſenſu.

7. Cur autem non ipſa integra acta illo tempore ad Hiſpanos miſerit Leo, declarat ipſe in ſua ad Epiſcopos illos epiſtolâ, his verbis: Et quia quæque in Conſtantinopolitana urbe univerſali Concilio currente celebrato geſta ſunt, propter linguæ diverſitatem, in Græco quippe conſcripta ſunt, necdum in noſtrum eloquium examinatè tranſlata; definitionem interim ejuſdem ſancti ſexti Concilii, & acclamationem quod proſphoneticus dicitur, totius Concilii factam ad piiſſimum Principem, pariterque edictum clementiſſimi Imperatoris ad omnium cognitionem ubique directum, in Latinum de Græco tranſlatum, per latorem præſentium Petrum notarium regionarium ſanctæ noſtræ Eccleſiæ, veſtræ dilectioni direximus: etiam acta totius venerandi Concilii directuri, dum fuerint elimatè tranſlata, ſi hoc & veſtra bonis ſtudiis fervens caritas delectatur. Hortamur proinde veſtram divinis miniſteriis mancipatam in fidei veritate concordiam, &c. Hæc Leo, hortans eos ut definitioni ſextę Synodi ſubſcribant, & doctrinam Synodi orthodoxam divulgent. Et hinc etiam patet, has ipſas eſſe literas quas Epiſcopi Hiſpani à Romani præſulis bajulo ſe accepiſſe teſtantur, canone ſecundo Concilii Toletani decimiquarti. Neque in actis Toletani illius Concilii quicquam invenitur quod meridiano Baronii mendacio patrocinetur; repugnant autem omnia.

8. Epiſtolam Leonis ad Epiſcopos Hiſpanos, ex vetuſto codice Gothico deſumtam eſſe adnotatur in margine. Audi etiam quid dicat Binius in notis in eandem epiſtolam? Manu-ſcriptam (inquit) hanc ex Bibliotheca Toletana nobis communicavit reverendus & eximius vir D. Jacobus Hutterus, SS. Theol. Doctor, & Metropolitanæ Eccleſiæ Colonienſis Canonicus presbyter, quam & cum editione epiſtolarum Romanorum Pontificum contulimus. Hæc Binius. Qui etiam epiſtolam Leonis ad Regem Ervigium monet deſumtam eſſe ex vetuſto codice. Eaſdem epiſtolas, cum aliis quibuſdam Garſias Loayſa, in notis in Concilium Toletanum 14. ait ſe inveniſſe in codice manuſcripto cœnobii S. Joannis Regii Toletani, ex familia Franciſcana, pervetuſto, in pelle membranea, literis Latinis. Eiſque ait mirificè juvari Concilii illius Toletani intelligentiam. Concordat etiam Toletani Concilii teſtimonium cum eiſdem epiſtolis.

*Epiſtolam Leonis ad Ervigium Regem Benedictus ſuo etiam nomine redintegrat.*

9. Garſias autem ait; ſe epiſtolam illam ad Ervigium Regem in membraneo illo codice, inveniſſe cum hac inſcriptione; Benedictus, gratiâ Dei presbyter, & electus ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, Domino excellentiſſimo, filio Ervigio. unde apparet Benedictum deſcribi curaſſe juſtum exemplum epiſtolæ Leonis ad Ervigium ſcriptæ, eique hanc inſcriptionem præfixiſſe, ut unius ejuſdemque narrationis & hortationis Epiſtolaris exempla duo à Petro notario acciperet Rex, & inde clarè perſpiceret eandem eſſe nunc Benedicto mentem, quæ fuerat Leoni, & epiſtolas Leonis adeò probari Benedicto, ut nullam aliam ſuo etiam nomine epiſtolam ad Regem dare voluerit, quàm juſtum Leonis exemplum, ſummam hoc pacto oſtendens tum ſententiæ tum etiam orationis conſonantiam.

*Refellitur alia Baronii inepta cavillatio.*

10. Ineptus verò eſt Baronius, auctoritatem hujus epiſtolæ inde oppugnans, quod acta ſextæ Synodi iam antea à Leone ad Hiſpanos miſſa ſint, adeóque non potuerint nunc primum mitti à Benedicto; Nam miſſa à Leone ſecundo geſta ſynodalia Petrus nondum reddiderat Hiſpanis, cum has literas ad Ervigium ſcriberet Benedictus ſecundus: ſed monitu tandem Benedicti, injunctum à Leone munus perfecit. ut patet ex altera Benedicti epiſtolâ ad Petrum notarium ſcriptâ. Quam in memorato etiam pervetuſto codice ſe inveniſſe teſtatur Garſias Loayſa, in notis in Concilium Toletanum decimum-quartum. ubi etiam hanc epiſtolam, ut utilem ad intelligentiam Concilii, ponit. Quam etiam nos hic ponere non pigebit. ex tom. 5. Concil. edit. Binianæ Pariſienſis. contra quam nullam adhuc objectionem vitilitigatores iſti comminiſci potuerunt.

*Benedicti epiſtola ad Petrum Notarium regionarium. Vide c. 18. §. 16.*

11. Benedictus presbyter, & in Dei nomine electus ſanctæ ſedis Apoſtolicę, Petro Notario ſ regionario. Iuxta quod tuam ſtrenuitatem Apoſtolicæ memoriæ Dominus Leo Papa Hiſpaniam provinciam ire diſpoſuit ad præcellentiſſimum & Chriſtianiſſimum regem, & ſanctiſſimos Archiepiſcopos, & Eccleſiarum omnium præſules ibidem conſtitutos, ſimul & glorioſum Comitem, pro innoteſcenda venerabilis ſextæ Synodi definitione, acclamatione quoque, quæ & proſphoneticum dicitur reverendiſſimorum Epiſcoporum, qui in eodem à Deo congregato Concilio convenerunt, ad clementiſſimum Principem, & edicto ejuſdem piiſſimi Principis ubique generaliter deſtinato, pro Apoſtolicæ noſtræ fidei firmitate, cum ſummo pietatis ſtudio commiſſum miniſterium perage. Subſcriptiones quoque reverendiſſimorum Epiſcoporum poſt eandem

ſynodicam definitionem cum ſumma ſedulitate, atque vigilantiâ, procura ſubjungi: ut & iidem reverendiſſimi Epiſcopi, omniſque per eos religioſa provincia, conſortes nobiſcum Catholicæ atque Apoſtolicæ traditionis, & fidei comprobentur: & apud Deum, ad cujus gloriam laus & ſtabilitas fidei Chriſtianæ redigitur, commendatio eis atque ſuſceptio ad ſalutem animarum proveniat. Officium perinde pietatis aſſumtum, vigilantiâ atque ſolertiâ condecorans, feſtina perficere: quia & tibimet-ipſi theſaurizas boni operis fructum; & ſuſcipientibus provides cœleſtis regni beatitudinem, per rectæ atque Apoſtolicæ fidei confeſſionem adipiſci. Hactenus epiſtola Benedicti ad Petrum Notarium.

12. Chronologiam etiam omnium harum epiſtolarum, rebus geſtis conſentaneam eſſe ſuperius demonſtravimus. Nobiſque ſuffragatur illa Baronii regula, quam tradit, anno Chriſti 639. num. 4. apud Spondanum. Pluris (inquit) ſunt, ad fidem certam faciendam, epiſtolæ, & acta ſynodalia, quovis alicujus auctoris Chronico.

## CAPUT VIGESIMUM-PRIMUM.

*Epiſtola Leonis ſecundi Epiſcopi Romani, ad Conſtantinum Imperat. ſcriptæ, defenſio contra impudentiam Bellarmini ejuſque aſſeclæ Gretſeri.*

Poſtquam à Baronii ejuſque ſectatorum calumniis jam prolixè ac perſpicuè vindicavimus epiſtolas Leonis de condemnato Honorio: & has ipſas quę palàm extant, oſtendimus eſſe genuinas illas ipſius Leonis epiſtolas: idemque de Benedicti epiſtolas præſtitimus: facillimum jam erit, Bellarmini ejuſque aſſeclæ Gretſeri retundere atque contemnere impudentiam. Nugantur, Leonis epiſtolam, quæ ad Conſtantinum ſcripta eſt, corruptam eſſe à Monothelitis, qui corruperunt ſextam Synodum.

*Bellarmini & Gretſeri impudens aſſertio.*

2. Reſpondeo. 1. Falſa eſt hypotheſis de corruptione ſextæ Synodi, ut ex præcedentibus noſtris ea de re exercitationibus abundè conſtat. 2. Non eſt ea Leonis epiſtola ſcripta Conſtantinopoli, ſed Romæ, neque à Græcis acceptum eſt ejus exemplum illud quod in Romani Patriarchii bibliothecâ jam inde à tempore ipſius Leonis, cum aliis Romanorum Pontificum epiſtolis, ſolicitè conſervatum eſt. 3. Vaniloqui iſti non, niſi ſeipſis teſtibus, hoc de epiſtolæ Leonię corruptela affirmant. 4. Convenit hæc epiſtola, in negotio Honorii, cum aliis ejuſdem Leonis epiſtolis ad Hiſpanos ſcriptis, quæ tum in Romana tum in Hiſpanicis bibliothecis, procul à Monothelitarum unguibus conſervatæ ſunt in hunc uſque diem incorruptæ. Denique concordat cum univerſali antiquitatis omniumque ſeculorum conſenſu.

*Aſſertionis iſtius perſpicua confutatio.*

## CAPUT VIGESIMUM-SECUNDUM.

*Deſtruuntur alia Bellarmini perfugia.*

*Deſeritur Bellarminus à Gretſero ſuo.*

In his anguſtiis deprehenſus Bellarminus conatur clathros perrumpere, quod quidem, ſociis jam fatigatis, ipſe ſolus tentat; in quo tam deſperato incepto, ab ipſo etiam Gretſero ſuo deſeritur. Ipſe autem Bellarminus, incertus viæ, trepidantem oculorum aciem in bivium diſpergit: Audi enim ipſius verba; vel certè Leo ſequutus eſt judicium legatorum Agathonis, ne diſturbaret negotium jam confectum.

*Bellarmini ſubterfugium.*

2. Hoc diverticulum Bellarmino interclusit Binius, in notis in vitam Leonis ſecundi, ut abſurdum & minimè admittendum. Et meritò: quid enim hoc aliud eſt, quàm injuſtæ ac impiæ prævaricationis legatos Agathonis & Leonem Papam inſimulare? injuſtitia eſſet, Honorium innocentem damnare: impietas eſſet & profana ſumtio nominis Dei in vanum, ſi ſacra anathematis ſententia contra propriam conſcientiam abuterentur. Certè longè tutius credimus Bellarminum impudenter mendacem eſſe, quàm illos tam perditè impios.

*Bellarmino reſiſtit Binius, & manifeſta ratio.*

3. Quod etiam animadvertens Bellarminus pedem de hac via retrò fert: ac tandem, extremâ preſſus neceſſitate, in hanc miſeram vocem erumpit; Sed non tenemur nos magis unum Leonem ſequi, quàm tot alios ſummos Pontifices: præſertim in quæſtione de facto, quæ ad fidem non pertinet. Hæc ille.

*Bellarmini miſera vox in extremis anguſtiis deſperata cauſa.*

4. At dum hac elabi fruſtra molitur, ſe magis impedit: nam, 1. Pontifices Romanos ſibi invicem in tanti momenti negotio contradicentes introducens, quid aliud inde obtinet, niſi everſionem auctoritatis Pontificiæ? 2. Nullam profert Pontificem Romanum, negantem damnationem Honorii in ſexta Synodo factam eſſe, aut eam ſententiam injuſtitiæ accuſantem. 3. Quos nominat Pontifices ſexta Synodo antiquiores, ii de rebus in ſexta Synodo geſtis teſtes eſſe non poſſunt. De Nicolao autem ſupra reſpondimus cap. 17. §. 18. 4. Honorium pronunciare hæreticum juſtèque damnatum, eundemque hæreſeos damnare & anathematizare, (quod fecit Leo,) non eſt mera quæſtio de facto, neque eam ad fidem non pertinere diceret Bellarminus, ſi ſuorum placitorum memor eſſet. Nam eodem lib. 4. de Pontifice Romano, cap. 2. cum recognitione; & cap. 3, ita certat pro infallibilitate Pontificis Romani, ut ſententiam eorum qui eam negant, tanquam hæreticam cenſeat damnandam. At in ea ſententia fuit Leo. Imò commentitiam hanc infallibilitatem obtrudunt hodiè Papiſtæ diſcipulis, id eſt, mancipiis ſuis, tanquam certiſſimam fidei regulam & baſin; ſine qua nullus fidei articulus certò cognoſci aut credi poſſit. Vide Irenicum noſtrum lib. 2. cap. 11. propoſ. 16. Hanc tamen infallibilitatem Leo Papa non ſolùm non agnovit, ſed apertè negavit, damnando Honorium. ſicut fecerat ſexta Synodus, & poſtea fecerunt aliæ Synodi, Quiniſexta, & Nicæna ſecunda, & Conſtantinopolitana, quam octavam vocant, & multi Romani Pontifices.

*Refellitur temeraria iſta vox Bellarmini.*

5. Ridiculum verò eſt quod Bellarminus ait, poſteriorum ſynodorum Patres deceptos eſſe, exemplaribus corruptis ſextæ Synodi. Nam 1. Sextæ



1. Sextæ Synodi exemplaria non ſunt corrupta: ſed hoc gratis, per ſummam impudentiam ſophiſtæ iſti auſi ſunt nuper confingere, ſine ulla idonea probatione. ut patet ex præcedente noſtra diſputatione. 2. Quis cordatus, aut non plànè excors, iſtis calumniatoribus credat de integritate vel corruptione actorum ſextæ Synodi, & de hiſtoria rei geſtę, ſuas tantummodo proferentibus futiliſſimas & jam palàm falſas cavillationes, contra unanimem conſtantemque tot Conciliorum, & Pontificum, & Imperatorum, orbiſque Chriſtiani, per tot ſecula jam inde ab ipſa ſextæ Synodi celebratione, conſenſum? ſi quis tam bliteus ſit, is etiam Anaxagoræ aſſerenti credat, nivem nigram eſſe; & Alpheſibæo, carmina quod cœlo poſſint deducere Lunam. Ipſos autem poſteriorum illarum ſynodorum codices non eſſe hac in parte corruptos, ſed integros etiamnum extare & circumferri, docuimus ſupra, cap. 13. §. 34. & cap. 17. §. 10.

## CAPUT VIGESIMUM-TERTIUM.

*De Ioanne quinto Papa Romano, & literis Iuſtiniani ſecundi Imperatoris, Cononi, Ioannis ſucceſſori, redditis. & de quiniſexta Synodo, aliiſque ſynodis, & Principibus, & Pontificibus, in damnatione Honorii conſentientibus.*

Oſtenſum eſt, condemnationi Honorii ſuffragatos eſſe Conſtantinum Imp. & Leonem ſecundum, ac Benedictum ſecundum, Pontifices Romanos, & Epiſcopos Hiſpaniæ. Nunc adjungemus conſenſum Joannis quinti, & Cononis, aliorumque Romanorum Pontificum, & Juſtiniani ſecundi, aliorumque Imperatorum, & quiniſextæ Synodi, aliarumque Synodorum. Quod eo brevius expediemus, quia de his ſupra monebamus, cap. 10 hujus libri.

2. Damnationi Honorii in ſexta Synodo ſubſcripſerunt Agathonis legati, iidemque acta ſynodalia ad Leonem ſecum tulerunt, & Leoni narraverunt res in Synodo ſic geſtas eſſe, ſicut ſcripta acta teſtabantur. ut ſupra oſtendimus, cap. 18. §. 2. Unus legatorum illorum fuit Joannes. Qui poſtea Benedicto ſecundo, in Pontificatu Romano, ſucceſſit; & dictus eſt Joannes quintus. Anaſtaſius, in hujus Joannis Papæ vita, vocat eum virum valde ſtrenuum, atque ſcientiâ præditum, & omnimodò moderatum. Et de eodem ſubjicit hæc verba, Hic, dum eſſet diaconus, miſſus eſt à ſanctæ memoriæ Agathone Papa in regiam urbem cum aliis ſacerdotibus, repræſentans locum Apoſtolicæ ſedis in ſancta ſexta Synodo, quę per Dei providentiam ibidem congregata, vel celebrata eſt. Expleta autem, exinde à clementiſſimo Principe relaxatus, magnum gaudium Eccleſiæ ſecum detulit: id eſt, ipſam ſanctam ſextam Synodum, vel edictum clementiſſimi Principis confirmans eam. Nec non & alias divales juſſiones, &c. & paulo poſt, hujus temporibus regnavit Domnus Juſtinianus Auguſtus, defuncto Patre initio menſis Septembris, indictione decimaquarta. hæc Anaſtaſius in vita Joannis Papæ quinti. ubi etiam ſcribit eum ſediſſe annum unum, dies novem; eoque defuncto ceſſaſſe Epiſcopatum menſes duos, dies octodecim.

3. Interea Juſtinianus Imperator, hujus nominis ſecundus, ſub initia imperii ſui, convocatis Patriarchis, & Apocriſiario Papæ Romani, & ſacratiſſimo Senatu, & metropolitis ac Epiſcopis in regia urbe commorantibus, & militantibus incolis ſancti palatii, nec non & collegiis popularibus, & ab excubitoribus, inſuper etiam & quibuſdam de exercitibus variarum provinciarum; ipſe cum eis ſedens juſſit geſtorum ſynodalium ſextæ œcumenicæ Synodi, ſub patre ejus Conſtantino celebratæ, chartas in medium adduci, & coram ſupra-dictis omnibus lectionem eorum fieri. Omneſque diligenter audientes ſignarunt eas chartas, & ſic eas in Imperatoris Juſtiniani manus præbuerunt, ut Imperator ipſas inviolatas conſervaret, ne cuiquam poſteà licentia ullo tempore foret aliquid corrumpere aut ſubmutare ab his, quæ in prænominatis ſynodalibus geſtis continebantur. Quod ſe conſtanter facturum eſſe recepit Imperator Juſtinianus, & de tota hac re geſta certiorem per literas fecit Papam Romanum, promittens ſe, ad extremum ſuum ſpiritum, chartas illas illibatas & incommutabiles ſemper conſervaturum. Datæ ſunt hæ literæ, anno ſecundo Imperii Juſtiniani, indictione 15. Earum inſcriptio indicat deſtinatas fuiſſe Joanni Papæ quinto; redditas autem eſſe Cononi Joannis ſucceſſori, narrat Anaſtaſius in vita ejuſdem Cononis Papæ: ubi de Conone loquens, ait; hic ſuſcepit divalem juſſionem Domni Juſtiniani Principis, per quam ſignificabat reperiſſe acta ſancta ſextæ Synodi, & apud ſe habere, quam pię memoriæ Dominus Conſtantinus genitor ejus Deo auxiliante fecerat. Quam Synodum promiſit ejus pietas illibatam & inconcuſſam perenniter cuſtodire atque conſervare. Hæc Anaſtaſius.

4. Benigna Dei providentiâ factum eſt, ut hujus Synodi integritati tam ſedulo ac publicè proſpiceretur, tum ut corrumpi ejus acta ab impiis non poſſent, tum etiam ut horum temporum Papiſtis, quorum adverſus hanc Synodum calumnias prævidebat Spiritus Sanctus, os petulans obſtrueretur.

5. Contra hanc Juſtiniani epiſtolam tricatur Baronius de nota temporis, ex qua videtur inſcribendam fuiſſe epiſtolam hanc non Joanni ſed ejus ſucceſſori Cononi. Injuſta etiam calumnia ipſum Juſtinianum gravare nititur, tanquam ab orthodoxa fide alienum: atque non eſſe credibile, pro defenſione ac cuſtodia fideli actorum ſynodalium ſexti Concilii œcumenici ea geſſiſſe hunc Imperatorem, quem non ſanæ fidei extitiſſe colligit ex epiſtola Nicolai primi Papæ Romani ad Michaelem Imperatorem. Binius autem cavillum illud de nota temporis, tanquam ad evertendam epiſtolę auctoritatem invalidum rejiciens, in calumnia contra perſonam Imperatoris totum cauſæ ſuæ præſidium ponit. Auctoritate (inquit) Anaſtaſii, epiſtola hæc ab impoſtura & ſurreptione defendi poſſet, quantumvis in inſcriptione fortaſſe mendoſa exiſteret, ſi auctorem illius Nicolaus Papa inter Imperatores improbos & hæreticos non referret. Hæc Binius, in notis in hanc epiſtolam. Poſt vitam Joannis Papæ quinti. Quæ epiſtola extat etiam ad finem ultimæ actionis ſextæ Synodi œcumenicæ.

*Baronii & Binii calumnia in Juſtinianum 2. Imper.*

6. Verba Nicolai ſunt: *dum tanta ſalutis oblata miniſtros duplici modo interemerint: quo-*

niam

*niam aut participes illius ſui erroris effectos ſpiritaliter crediderunt, ſicut tempore reverendæ memoriæ Cononis Papæ contigit, qui poſt ſextam Synodum extitit; aut certè corporaliter illis non conſentientes ſibi necaverunt, ſicuti ſub venerabili Papa Gregorio factum eſt, qui poſt ſextam Synodum fuit, quando pro zelo fidei, & ſanctarum imaginum reverentiâ religioſi viri ac Dei famuli directi in exſilium miſſi ſunt, & bonâ confeſſione hujus mundi finierunt vitam.* Hæc Nicolaus, de Michaelis Imperatoris anteceſſoribus. Dum contra ipſum Michaelem Nicolaus, ob conceptam animo ſpretæ injuriam auctoritatis, ingenti irarum mole exæſtuat. Duos autem Imperatores deligit, quorum errores redarguat, Juſtinianum ſcil. cujus tamen errorem non indicat, & Leonem Iſaurum, Iconomachum.

*Vide lib. 7. hujus hiſtoriæ.* 7. Certè veriùs erant hæretici Gregorius ſecundus, ejuſque ſucceſſor Gregorius tertius, Pontifices Romani, imaginum adoratores. rectè autem Leo Imperator cenſuit, ſolum Deum eſſe religiosè adorandum. Sed de imaginibus alius erit dicendi locus.

*Defenſio Juſtiniani 2. Imperatoris. Cujus epiſtola ejus Cononi reddita, de actis ſextæ Synodi.* 8. Nunc pro Juſtiniano, ejuſque memoratâ epiſtolâ, dicimus, eum à Monothelîſmo in ſextâ Synodo damnato ſemper alienum fuiſſe. Conſtat ex canone primo Concilii quiniſexti, ſub ipſo celebrati, cui & ipſe Juſtinianus ſubſcripſit. Et de hoc ipſo Imperatore Juſtiniano ſcribens Anaſtaſius bibliothecarius, in vita Conſtantini Papæ Romani, eum vocat Chriſtianiſſimum & orthodoxum Imperatorem, & ſcribit eum communicaſſe de manu Conſtantini Papæ, dum eſſent ambo ſimul Nicomediæ, anno ultimo Imperii Juſtiniani. Verba autem Nicolai intelligenda ſunt de eis Concilii illius quiniſexti decretis, quæ Cononis ſucceſſor Sergius primus Papa Romanus improbavit, & propter quæ ſubſcribere eidem Concilio recuſavit. Ea nihil continebant contrarium fidei ſextæ Synodi, quam canone primo Patres Concilii quiniſexti cum Juſtiniano Imperatore ſe conſtanter tenere profeſſi ſunt, ſicut patet ex ipſo canone, quem invenies ſuprà, cap. 6. hujus libri: ſed erant de quibuſdam ritibus & conſuetudinibus Eccleſiæ Romanæ, quas Concilium illud improbavit. Qua de re Anaſtaſius in vita Sergii; *Hujus*, inquit, *temporibus, Juſtinianus Imperator Concilium in regia urbe juſſit fieri, in quo & legati Sedis Apoſtolicæ convenerant, & decepti ſubſcripſerant. Compellebatur autem & ipſe* [Papa Sergius] *ſubſcribere; ſed nullatenus acquievit: pro eo quod quadam capitula extra ritum Eccleſiaſticum fuerant in eo annexa.* Hæc Anaſtaſius. Plura de hac Synodo ejuſque auctoritate diximus ſuprà, cap. 5. hujus libri.

9. Præterea, cum quiniſexta Synodus celebrata ſit ſeptimo, vel (ſecundum Baronium) octavo anno Imperii Juſtiniani; conſtat literas illas de ſexta Synodo ad Papam Romanum datas eſſe ſex vel minimum quinque annis ante quiniſextam Synodum: datæ enim ſunt anno ſecundo Imperii Juſtiniani. Quocirca neque tempus, neque argumentum quiniſextæ Synodi ullâ ex parte labefactat auctoritatem memoratæ epiſtolæ, ſed ex primo Synodi illius canone ea ſuccedentiùs adſtruitur. Vera eſt igitur Anaſtaſii narratio de ea epiſtola, & germana eſt hæc Juſtiniani Imperatoris epiſtola. Neque contradicit Nicolaus. Sergius autem, eo ipſo quod ea tantum in quiniſexta Synodi improbet quæ et extra ritum Eccleſiaſticum eſſe videbantur, neque velit ille vel quiſquam alius Romanus Pontifex primum illius Synodi canonem reprehendat, reprehenſurus haud dubiè ſi jure id à ſe fieri poſſe exiſtimaret, cum alia quædam tantopere damnet, eo ipſo, inquam, Sergius Papa Romanus primum illum canonem approbat, in quo Honorii damnatio commemoratur & iteratur.

10. His Conciliis & Imperatoribus, & Pontificibus damnationem Honorii comprobantibus, accedunt Concilium Nicænum ſecundum, ejuſque approbatores ac defenſores Conſtantinus & Irene Auguſti, & Adrianus primus Papa Romanus; qui etiam quiniſextam Synodum ſuſcepit (ut oſtendimus ſuprà, cap. 5.) & Synodus Romana, ejuſque præſes Adrianus II Papa, & Concilium Conſtantinopolitanum, quod octavum œcumenicum dicitur, ejuſque approbatores ac defenſores Baſilius Imperator, & memoratus Adrianus ſecundus Papa Romanus: & Joannes Papa octavus, Adriani ſecundi ſucceſſor, cui Anaſtaſius ſuam ſeptimæ Synodi verſionem dedicavit, in qua Honorius iterum atque iterum anathematizatur. Quibus adde reliquos omnes earundem ſynodorum ſectatores.

11. Atque ita tandem, ab omnibus adverſariorum ineptiſſimis cavillis perſpicuè vindicata, & ingenti teſtium irrefragabilium nube confirmata eſt, ſtatque invicta, claráque in luce refulget hiſtorica veritas de Honorio primo, Papâ Romano, verè, de facto, à ſexta œcumenicâ aliiſque Synodis, & ab Imperatoribus, ipſiſque Romanis Pontificibus ob hæreſin damnato.

12. Ergo illa Concilia, & illi Imperatores, & Pontifices Romani, aliique Patres, non agnoſcebant hanc commentitiam Papæ Romani infallibilitatem, quam impudenter ac ſacrilegè nunc jactant iſti Papiſtæ.

31. Hujus conſectarii, ipſis adeò moleſti, violentiam ut declinent, quidam Protei, poſt multas incaſſum uſurpatas verſutias, in duas adhuc diformas vertunt. De quibus ſubjiciemus duas diſquiſitiones, in quibus dabimus operam (largiente Deo,) ut cos tenacibus vinculis conſtringamus, omneſque eorum doli demum frangamus inanes. Prior ſtropha eſt audax quædam accuſatio Patrum, quos imperitiæ & injuſtitiæ in condemnando Honorio inſimulare non verecundantur effrenes iſti calumniatores. Altera eſt fabricatio ſophiſticæ diſtinctionis, inter Honorium ut Papam, eundemque ut privatam perſonam.

Caput



## CAPUT VIGESIMUM-QUARTUM.

*Περὶ τῆς δίκης, ſive de æquitate ſententiæ à Patribus contra Honorium latæ.*

AJunt pertinaces & inverecundi iſti ſophiſtæ, aberraſſe Patres in quæſtione facti: ex falſa enim informatione, & non intellectis Honorii epiſtolis, Honorium hæreticis immeritò connumeraſſe: Cum tamen in illis Honorii epiſtolis nullus ſit error. Et quia Honorius priore ſua epiſtolâ approbat ea quæ à Sergio ſcripta ſunt, ideo eouſque in defendendo Honorio abripitur Binius, ut dicere non vereatur, illâ etiam Sergii ad Honorium epiſtolâ nihil contrarium orthodoxæ fidei aut Chalcedonenſi Concilio contineri, ut legere eſt in notis Binii in eam Sergii epiſtolam, poſt vitam Honorii, in ſecunda parte tom. 2. Conciliorum edit. Colon. ſive tom. 4. edit. Pariſ.

2. Pro defenſione autem Honorii, ne ſine aliqua ſaltem rationis ſpecie inſanire videantur, contra judicium ſextæ aliarumque Synodorum, & Pontificum, & aliorum Patrum, Honorium condemnantium, aut ejus damnationem approbantium, argumentantur tripliciter. 1. Ab auctoritate *poſitivâ*; nimirum à teſtimonio ſecretarii illius qui Honorio fuit ab epiſtolis, & priorem Honorii ad Sergium epiſtolam, dictante Honorio, exaravit. 2. Ab auctoritate *negativè*, nempe à ſilentio Theodori & Martini primi & Agathonis, Pontificum Rom. in ſuis ſynodis. 3. Ex ipſis epiſtolarum damnatarum verbis, Papiſtæ iſti, ſuo etiam Marte, erroris & injuſtitiæ inſimulant ſextam Synodum, &c.

3. Argumenta eorum ordine proponemus, & ad ſingula reſpondebimus. Moneo interim, ut ſeriò meminerint quam non modo difficile, ſed etiam animabus ſuis periculoſum, opus inceptent, dum hæreticorum, ſive hominum ſive ſcriptorum, à legitima & orthodoxa œcumenicâ Synodo, ex matura diuturnáque deliberatione, cum totius orbis Chriſtiani unanimi conſtantique applauſu, damnatorum defenſionem, tam præcipiti audaciâ, atque obſtinato furore, ſuſcipiunt. *Paræneſis ad ipſos adverſarios.*

## CAPUT VIGESIMUM-QUINTUM.

*Proponitur, & refellitur, primum adverſariorum argumentum, quo ſententiæ, à ſexta œcumenica Synodo contra Honorium latæ, æquitatem fruſtra oppugnant.*

PRimum argumentum ſumunt à teſtimonio ſecretarii Honorii, apud Maximum. Maximus Conſtantinopolitanus Abbas, in ſua diſputatione cum Pyrro Patriarchâ Conſtantinopolitano, habitâ in Africa, ubi ambo patriâ extorres degebant, tempore Conſtantis Imperatoris & Theodori Papæ Romani, anno Chriſti 645. profert teſtimonium ſecretarii Honorii, quod opponit Pyrrho, Honorii priorem ad Sergium epiſtolam allegantis pro una voluntate. *Pyrrhus ait*; Quid de Honorio ad reſpondendum habes; qui apertè anteceſſori meo unam voluntatem Domini noſtri Jeſu Chriſti eſſe tradidit? *Reſpondet Maximus*; Quis fuerit fide & auctoritate dignus epiſtolæ hujus interpres, qui eam ex perſona Honorii ſcripſit, adhuc ſuperſtes, & qui totum Occidentem cum aliis virtutibus, tum dogmatibus fidei Chriſtianæ illuſtravit; an ii qui Conſtantinopoli quæ ex corde erant loquebantur? *Pyrrhus*; Qui hanc compoſuit. *Maximus*; Is igitur ipſe cum ad divum Conſtantinum Imperatorem ex perſona rurſus ſancti Papæ Joannis [4.] de hac epiſtola ſcriberet, dixit: Unam voluntatem diximus in Domino, non divinitatis ejus & humanitatis, ſed humanitatis ſolius. Cum enim Sergius ſcripſiſſet, quod quidam duas voluntates in Chriſto contrarias dicerent, diximus Chriſtum non duas voluntates contrarias habuiſſe, carnis, inquam, & ſpiritûs, ſicut nos habemus poſt peccatum, ſed unam tantum, quæ naturaliter humanitatem ejus ſignabat. Hoc autem ita eſſe, argumentum evidens eſt, meminiſſe membrorum & carnis, quæ quidem de Divinitate illa accipi non permittunt. Deinde occurrit per anticipationem objectioni: Si quis verò, (inquit,) dicat; Quare de humanitate Chriſti agentes, de Divinitate ejus non meminiſtis? reſpondemus, primum quidem, reſponſum fuiſſe ad quæſtionem: deinde, ut in omnibus, ſic etiam hic, conſuetudinem ſcripturæ nos ſequutos fuiſſe, quæ aliquando ex divinitate ejus diſſerit, ut cum ait Apoſtolus; Chriſtus Dei virtus, & Dei ſapientia; aliquando ex humanitate, & ſolum, ut cum idem ait: quod ſtultum Dei eſt, ſapientius eſt hominibus; & quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus. *Pyrrhus*; ſimpliciùs anteceſſor meus accepit hoc, in vocem intentus. Hæc ibi.

2. Reſpondeo: *Primò*; Si germanus ſit hic fœtus ſancti Maximi, quod illis haud gravatè largior, qua fronte auſi ſunt iſti Papiſtæ, in diſceptatione de re geſta, (ſupra cap. 11.) inficiari illam Honorii ad Sergium epiſtolam, tanquam confictam, cum eam hæc diſputatio apertè tribuat Honorio? nempe verſuti ac verſatiles iſti ſophiſtæ, nominibus ac auctoritate ſanctorum Patrum, quaquaverſum pro ſua libidine, abſurdiſſimè atque impudentiſſimè abutuntur. *Reſponſio. 1. Ipſi adverſarii convincuntur ex hoc opere beati Maximi.*

3. *Deinde*, Sanctus Maximus dogmatis veritatem, de duabus Chriſti voluntatibus naturalibus, jam in ſuperioribus clariſſimè demonſtraverat, invictis rationibus, & ſacrarum literarum teſtimoniis. Idque ab eo accuratè ac perſpicuè præſtitum eſſe agnoverat jam Pyrrhus, manus dans; Quæ igitur ex Patribus ſubjungit Pyrrhus objectamenta, ea ex aliorum potius quam ſua mente videri vult proponere, paratus vinci. Valde (inquit) claré & conciſè ratio demonſtravit, implicatam eſſe impietatem cum omni cogitatione adverſariorum [id eſt, Monothelitarum.] Sed quid dicemus, ſiquidem hoc etiam auctoritate Patrum demonſtrare conantur? Et poſteà laudans eam, quam Maximus attulerat, interpretationem verborum ſancti Athanaſii; *2. Non inde ſequitur verba ſecretarii illius eſſe idoneam apologiam, quod acquieſcere videatur Pyrrhus, jam paratus vinci.*

 *Revera,*

*Revera*, inquit, *quibus argumentis videntur* [Monothelitæ] *pietatem oppugnare, ii ipſis neſcientes redarguuntur.* Oportet autem & aliam auctoritatem, quam ex eodem Patre afferunt, examinare, ne ulla eis occaſio adverſus veritatem relinquatur. Et poſtea, *Nihil his apertius ad demonſtrandam naturales eſſe voluntates.* Hæc omnia jam profeſſus erat in ea diſputatione Pyrrhus, antequam proponeret quæſtionem iſtam de Honorio, libenter eum etiam Monothelitis adimi paſſurus, tum ut averſationem erroris, quam præ ſe ferebat, hac ſua *ἀκολουθίᾳ* ac promtitudine luculentiùs demonſtraret, tum ut gratiam iniret à ſede Romana, cujus favorem homo exſul ſolicitè aucupabatur; ut patet ex fine hujus diſputationis. Ex eo igitur quod Pyrrhus tam facile ſibi de Honorii epiſtola ex qualicunque ſecretarii illius gloſsâ ſatisfieri in hac diſputatione paſſus ſit, ſtatimque victi ſpeciem præbuerit; non niſi imbelle admodum adferri poteſt pro Honorio patrocinium.

*3. Neque inde conſequitur ſufficientem eſſe eam pro Honorio apologiam, quod ſecretarii verba à ſancto Maximo citentur.*

4. Neque ulterius ſolicitus fuit S. Maximus, qui rem ipſam demonſtrâſſe & antiquorum Eccleſiæ Patrum teſtimonia ab adverſariorum corruptelis vindicâſſe contentus, & gaudens veritatem à ſede Romana jam palàm agnoſci & propugnari, nullius perſonæ aut ſedis quærebat infamiam, imò eam quomodocunque tegi facile patiebatur, dummodo nullum inde veritati dogmatis controverſi, de duabus Chriſti voluntatibus & de duabus operationibus, præjudicium crearetur. Idcirco prope finem hujus diſputationis, dicenti Pyrrho, *obſecro, ut inveniatur modus delendi hanc introductam abſonam ſententiam, & parcendi memoria anteceſſorum*: reſpondet Maximus, *Non eſt alius modus, quàm taceri perſonas, & anathemate affici talia dogmata.* Hęc ille. Non mirum igitur, ſi & Honorii exiſtimationi conſuli facile permiſerit, & ejus ſecretarium, jam veritatem dogmatis catholicè profitentem, laudârit, neque ejus gloſſam ſcrupuloſius examinaverit. Neque certè jam opus erat, cedente ſtatim Pyrrho, cujus converſioni Maximus incumbebat. At verò ſi non acquieviſſet Pyrrhus, ſicut reverâ Orientales, & ipſe poſtea Pyrrhus hæreſin reſumens, non acquieverunt in illo Scribæ illius gloſſemate, neceſſe habuiſſet Maximus epiſtolam illam Honorii accuratiori ſubjicere examini, eamq; haud dubiè damnaſſet, ſicut poſtea fecit ſexta Synodus. Nam in ea epiſtola Honorius orthodoxis contradicit, & conſenſum cum hæreticis apertè profitetur: & ea ſcribit quæ ipſius Maximi doctrinæ, in hac diſputatione propoſitæ, ex diametro repugnant, ut patebit infrà ex collatione, quam inſtituemus in reſponſione ad argumentum tertium Papiſtarum.

*4. Quamvis ſcribam illum hæreticis anteponeret, non tamen eum orthodoxorum univerſali conſenſui anteponendum putabat Maximus.*

5. Porrò; Maximus ſcribam Honorii jam orthodoxum facilè patitur fide digniorem haberi, hæreticis illis Monothelitis, quos ait Conſtantinopoli, quæ ex corde ſunt loqui. At non vult Scribæ illi magis credendum eſſe, quam Concilio œcumenico orthodoxorum Patrum, quam Leoni aliiſque Romanis Pontificibus, & Imperatoribus, orbique Chriſtiano, epiſtolam illam condemnantibus. Non ſuperſuit Maximus in ea tempora, jam ante martyrio coronatus; ſi autem ſuperſtes vixiſſet, numquam ita inſaniiſſet, ut violentam ſcribæ illius gloſſam tantæ auctoritati anteponeret. imò lætus conſpexiſſet damnationem erronei dogmatis univerſalem, & profeſſionem veritatis, quam ſolam ei tueri curæ erat. De perſonis autem & epiſtolis reverenter ſuſpexiſſet ac ſequutus eſſet ſynodicum ac univerſale judicium. Quod omnino de illo credere æquum eſt, niſi eum, tanquam infamem ſchiſmaticum, exiſtimes tremendam à tanta auctoritate, propter turbulentam & iniquam contradictionem, anathematis ſubiturum fuiſſe ſententiam. Quod de tanto viro ſentire prorſus abſurdum eſt.

6. Quæro ego ex Papiſtis iſtis; ſi apud eos aliqua adhuc reſidua maneat æquitatis gutta; utrum de ſenſu verborum illius epiſtolæ, credendum ſit Scribæ illi, an Synodo œcumenicæ orthodoxæ, & in ea legatis ſedis Romanæ, ac Synodi Romanæ, & tot Pontificibus, ac Synodis, & Patribus, & Imperatoribus. ſi his; causâ ſuâ cadunt iſti Papiſtæ. Sin autem plus tribuant uni illi Scribæ, violentum ſenſum verbis Honorii obtrudenti: quis rationis compos, & iniqui expers præjudicii, non averſetur ſeriò atque abominetur tantam impudentiam. Quis tam inverecundos cavillatores non ſtatim explodendos judicet, atque exſibilandos? Ut taceam metuendum etiam illis eſſe anathema, defenſoribus hæreticorum, à ſynodo orthodoxa œcumenica damnatorum, denunciatum.

7. Joannem quartum Papam Romanum quod attinet, cujus juſſu eam interpretationem ſecretarius ille ad Imperatorem ſcripſit; idem erat illi, & quibuſdam ejus ſucceſſoribus, animus erga ſuum prædeceſſorem Honorium, qui fuit Pyrrho erga Sergium, quomodo etiam Georgius Patriarcha Conſtantinopolitanus, hæreſi Monothelitiсæ jam inimicus, ſe animatum eſſe erga ſuos anteceſſores Sergium, Pyrrhum, Paulum ac Petrum, palam profeſſus eſt in ſexta Synodo, modeſtè rogans, ut nominatim non anathematizarentur in exclamationibus: Synodo tamen aliter judicanti, & nominatim anathematizandos eſſe reſpondenti, idem Georgius ſuum judicium placidè ſubmiſit: in fine decimæſextæ actionis ſextæ Synodi.

8. Non mirum igitur, ſi Joannes quartus & Theodorus, & Martinus primus, & Agatho, Pontifices Romani, quamvis errorem ipſum Monotheliticum anathematizaverint, non illibenter tamen celari paſſi ſint infamiam anteceſſoris ſui Honorii, ejuſque nomen inter hæreticos damnandos, non expreſſerint, antequam ſexta Synodus eum nominatim cum reliquis Monothelitis anathematizandum decerneret: Quod decretum, cum ipſius Agathonis prævio conſenſu, factum eſſe ait Adrianus ſecundus, Papa Romanus, in alloquutione tertiâ ad ſuam Synodum Romanam; ut legere eſt in ſeptima actione Synodi octavæ. Videbat quippe Agatho, certior per literas legatorum ſuorum factus, non poſſe Honorium ſeriò defendi, vel excuſari, accuratâ ejus rei diſcuſſione ſemel inſtituta coram tam venerando conſeſſu, & contra præſentes Monothelitas ridiculam ſecretarii illius gloſſam neutiquam admiſſuros. Idque ipſum ſenſiſſe Joannem Papam quartum, argumento eſt, quod gloſſema illud non ſuo nomine vulgaverit, neque de eo quicquam ipſe ſcripſerit (alioqui certè non allegaſſet Maximus auctoritatem ſecretarii) ſed à ſecretario illo, ſophiſtici iſtius coloris inventore, ſcribi juſſerit, vel permiſerit, ut valeret quantum



valere poſſet. Neque aliam fuiſſe Martini mentem, inde colligere eſt, quia cum in Pauli Conſtantinopolitani literis, ad Theodorum Papam Romanum ſcriptis, & in ſynodo Martini Papæ, ſecretario quarto, relectis, allegetur à Paulo conſenſus Sergii & Honorii de una voluntate; Martinus & cum eo præſentes Epiſcopi Honorium, quaſi nunquam nominatum, ſilentio prætereunt, non omiſſuri ejus defenſionem, ſi qua illis adverſus reſiſtentes idonea ſuppeteret.

9. Neque hilum ſua impudentiâ proficit Gretſerus; ajens, ideo eos ſiluiſſe, quia nemo erat qui neſciret innocentiam Honorii; & quam iniquè Sergio annumeraretur: & ſatis pro ejus à culpa liberatione præſtitiſſe, quod in ſuis contra Monothelitas diſſertationibus & decretis omiſerint Honorium. Nam, cur inter Monothelitarum nomina omiſerint nomen Honorii, cauſa jam declarata eſt. Cur autem, objecto ab adverſariis ejus nomine, conticuerint, nulla ratio reddi poteſt, niſi quod apud ſe conſtituerant ſolos orientales hæreticos ſuâ ſententiâ nominatim ferire: (ſicut patet ex occaſione habiti illius Concilii, quam declaravit Martinus Papa ſecretario primo, & ex toto ejuſdem Concilii progreſſu.) Honorii verò neque purgationem inſtituere viſum eſt, quam videbant fore nimis difficilem, atque adeò impoſſibilem; neque lapſum, ac decus diſertè propalare. Quamvis eum communi illa ſententia damnaverint, quam pronunciaverunt de omnibus illis, qui ſimilia cum Cyro & Sergio aliiſque hæreticis Monothelitis, uſque ad finem obſtinatè ſapuerunt, aut ſapiunt, vel ſapere ſperantur, ut cernere eſt in ſynodica determinatione Concilii Martini Papæ, quam exhibuimus, cap. 2. hujus libri. Certè tam opportuna purgandi Honorium occaſione non utentes, hoc ipſo haud obſcurè de ejus crimine confitentur. Vide quæ diximus ſuprà, cap. 17. hujus libri, in reſponſione ad argumentum Papiſtarum ab auctoritate petitum, contra acta ſextæ Synodi, in negotio Honorii, §. 12. Non ſciebant neque exiſtimabant illi Patres, Honorium iniquè connumerari Sergio, quem ſciebant de ſe ipſo palàm per literas teſtatum eſſe, quod doctrinam Sergii approbaret.

10. Quod autem Theodorus Papa non legatur nominâſſe in ſua Synodo Honorium inter Monothelitas, nihil inde elici poteſt pro Honorii innocentia; nam neque Cyrum, neque Sergium inter hæreticos nominâſſe, aut nominatim condemnâſſe legitur Theodorus: ſed tantum damnatos ab eo eſſe nominatim Pyrrhum & Paulum, præſules Cp. ei contemporaneos, legimus in verbis Martini Papæ, ſecret. 1. Concilii Romani, ſub Martino contra Monothelitas habiti. Et in vita Theodori Papæ, ab Anaſtaſio ſcriptâ.

11. Falsò ait Honorii ſecretarius, ſcripſiſſe Sergium quod quidam duas voluntates in Chriſto contrarias dicerent: & ad quæſtionem Sergii reſponſionem eſſe idoneam, ſi dicatur Chriſtum non habere duas contrarias voluntates humanas, unam carnis, & aliam ſpiritûs, ſicut nos habemus poſt peccatum, ſed unam tantum humanam voluntatem; & de divinitate interim ſileatur. Nam neque id ſcripſit Sergius; neque ſi ſcripſiſſet, conveniens eſſet iſta reſponſio. Scripſit Sergius, ſe duas Chriſti operationes dici prohibuiſſe, eo quod loquutionis iſtius, à nullo probabilium Patrum (ut ipſe ajebat) uſurpatæ, novitate multi offenderentur: Inſuper & conſequens ei ſit prædicare duas voluntates, contrarietates circa invicem habentes, tanquam Deo quidem Verbo ſalutarem volente adimpleri paſſionem, humanitate verò ejus obſiſtente ejus voluntati, & reſiſtente, & perinde duo contraria volentes introducantur, quod impium eſt. Impoſſibile quippe eſſe in uno eodemque ſubjacenti [ὑποκειμένῳ] duas ſimul & erga hoc ipſum contrarias ſubſiſtere voluntates. Salutarem verò ſanctorum Patrum doctrinam inſtruere, quod nunquam intellectualiter animata Domini caro ſeparatim, & ex appetitu proprio contrario nutui uniti ſibi ſecundum ſubſiſtentiam Dei Verbi naturalem motum ſuum efficit, ſed quando, & qualem, & quantam ipſe Deus Verbum volebat. & (ut planius dicitur) quemadmodum corpus noſtrum regitur, & ornatur, & diſponitur ab intellectuali & rationali animâ noſtra; ita & in Domino noſtro totam humanam ejus conſperſionem [φύραμα] ab ipſius Verbi Deitate ſemper & in omnibus actam [ἀγόμενον] Dei mobilem [θεοκίνητον] fuiſſe. Et carnis quidem fuiſſe paſſionem; Dei autem, ſeu Deitatis eſſe operationem. Hæc ſunt, quæ de una vel duabus Chriſti voluntatibus ſcripſit ad Honorium Sergius, quæ, ipſius Sergii verbis utentes, fideliter cōmemoravimus.

12. Non ait Sergius, quoſdam duas voluntates in Chriſto contrarias dicere, ut fingit ille Honorii amanuenſis; ſed ait ſe ideo prohibuiſſe dici duas operationes, quia ejus judicio inde ſequetur duas in Chriſto eſſe contrarias voluntates, divinam ſicut & humanam, Deitatis & carnis: tanquam Deo volente adimpleri ſalutarem paſſionem, carne autem ſeu humanitate Dei Verbi eandem paſſionem recuſante; hoc autem eſſe impoſſibile: unde infert Sergius, non eſſe dicendas duas Chriſti operationes, divinam & humanam. *Refellitur prior error illius ſecretarii.*

13. Et quamvis ſcripſiſſet Sergius, aſſeri ab aliquibus hanc voluntatum contrarietatem; non tamen ſtare poſſet gloſſa illius ſecretarii; nam ad quæſtionem de duabus voluntatibus, divinâ & humanâ, non rectè reſpondetur per negationem duarum humanarum voluntatum. *Refellitur alter error ſecretarii Honorii.*

14. At dices; *Sublatâ voluntate carnis corrupta, ceſſat contrarietas inter reſiduam humanam voluntatem & voluntatem divinam.* *Objectio.* Reſpondeo. *Reſponſio.* Sergius concedit, ſublatâ corruptione tolli contrarietatem: ſed ulterius progreditur, & ex contrarietatis impoſſibilitate evertit numerum ſeu dualitatem voluntatum. Nam divinam voluntatem, & cum ea ſimul humanam voluntatem, in uno Chriſto conſiſtere ſine contrarietate non poſſe, contendebant Monothelitæ. *Impoſſibile eſt* (inquit Pyrrhus contra Maximum diſputans) *in una perſona duas ſimul eſſe non contrarias voluntates.* *Vide cap. 29. §. 6.* Et ex hoc Monothelitarum falſo principio ſic argumentatus eſt Sergius, in ſua ad Honorium epiſtola; Si duas naturales voluntates, divinam unam, & alteram humanam, habebat Chriſtus in agone, quarum una, nempe divina, volebat impleri paſſionem; altera autem, videlicet humana, eandem refugiebat, ſequetur inevitabiliter, eum habuiſſe duas voluntates contrarias: at non habebat contrarias: ergo non habebat duas. *Erronea argumentatio Sergii.* Majorem ponit ut indubitatam, & probationis haud egentem. Minorem verò probat duabus rationibus: quarum prior eſt generalis; *impoſſibile eſt, in uno eodemque ſubjecto duas ſimul & erga hoc ipſum contrarias exſiſtere voluntates.* Altera ratio eſt

eſt ſpecialis; *Nunquam intellectualiter animata Domini caro ſeparatim, & ex appetitu proprio*, &c.

15. Honorius, in ſua reſponſione, hæc omnia à Sergio ſcripta approbat, & adjicit tertiam minoris illius propoſitionis confirmationem, vel ſecundæ rationis à Sergio allatæ proſyllogiſmum, cujus hæc vis eſt: Voluntas humana voluntati divinæ contraria vitioſa eſt. Item: Si intellectualiter animata Domini caro ſeparatim, & ex appetitu proprio contrario nutui uniti ſibi Dei Verbi naturalem motum ſuum effeciſſet; ſequeretur aſſumtam eſſe à Servatore vitiatam naturam, quę repugnaret legi mentis ejus: at in Chriſto nihil fuit vitioſum, nec eſt aſſumta vitiata natura, quæ repugnaret legi mentis ejus: ergo non fuit in eo voluntas humana, divinæ contraria: nec intellectualiter animata ejus caro ſeparatim, &c. A primo igitur ad ultimum: non habuit Chriſtus carnem vitioſam, ergo non habuit duas contrarias voluntates; ergo non duas; ergo unam: ergo neque duas operationes habere dicendus eſt. Et hæc omnia eodem ſenſu unanimiter cum Sergio ſe tenere profitetur Honorius: *Hæc* (inquit) *nobiſcum fraternitas veſtra prædicet, ſicut & nos ea vobiſcum unanimiter prædicamus.*

*Honorii conſenſus cum Sergio.*

16. Adhæc; cum duas in Chriſto contrarias voluntates ideo negent Sergius & Honorius, & unam in eo voluntatem iidem unanimiter ideo fateantur, ut excludant duas operationes: manifeſtum eſt, ejuſdem ordinis negari ab illis duas voluntates, cujus ſunt operationes quas negant: at duas operationes negant divinam & humanam: ergo duas voluntates negant divinam & humanam. Et per conſequens, unam affirmant Chriſti voluntatem, ſecundum utramque naturam.

## CAPUT VIGESIMUM-SEXTUM.

### *Brevis exercitatio de una voluntate, vel duabus voluntatibus.*

*Monothelitarum commentum, de voluntate hypoſtatica & gnomica, refellunt orthodoxi Patres, his ſeptem argumentis.*

VNam, quam aſſerebant, in Chriſto voluntatem Monothelitæ non patiebantur dici *naturalem*, ne duas Chriſti naturas in unam confundere viderentur; ſed vocabant *hypoſtaticam*, pro unitate perſonæ volentis: & hoc commento pulchrè deſtrui putabant Neſtorianiſmum. Quod ipſorum impium deliramentum his validiſſimis argumentis refellunt orthodoxi Patres.

1. Una eſt voluntas trium perſonarum Sanctiſſimæ Trinitatis, ergo non ex unitate perſonæ, ſed ex unitate naturæ æſtimanda eſt unitas voluntatis. Neque perſonalis, ſed naturalis dicenda eſt voluntas.

2. *Secundum argumentum orthodoxorum eſt*; Una illa, quam Monothelitæ fatentur, Chriſti voluntas vel eſt eadem cum voluntate Patris & Spiritus Sancti: vel eſt diverſa ſive alia: ſi eadem, tunc divina eſt; & ſic negabitur voluntas humana, adeóque veritas incarnationis: ſi non ſit eadem, ſed diverſa, ſequetur eum non eſſe verè Deum, nec eſſe Patri & Filio conſubſtantialem.

3. *Tertium argumentum orthodoxorum eſt*; Pater vult vel quatenus Pater, vel quatenus Deus; ſi quatenus Pater, alia erit ejus voluntas præter voluntatem Filii, non enim Pater eſt Filius: ſi verò quatenus eſt Deus, Deus autem eſt Filius, Deus item Spiritus Sanctus, concedendum eſt igitur voluntatem eſſe naturæ, id eſt, naturalem.

4. *Quartum argumentum orthodoxorum eſt*; Secundum orthodoxos Patres, quorum una eſt voluntas, una eſt ſubſtantia: ſic enim docuerunt, contra Arium, & Macedonium, alioſque veteres hæreticos: opinione verò Monothelitarum, una eſt voluntas Divinitatis Chriſti & humanitatis ejus: ergo unam eandemque conſtituunt harum ſubſtantiam, *ὁμοίαν*.

5. *Quintum argumentum orthodoxorum eſt*; Monothelitæ, qui unam dicunt *γνωμικὴν* voluntatem, aut divinam aut Angelicam aut humanam hanc dicere cogentur: quodcunque horum dixerint, naturalem dicent, ſi quidem unumquodque eorum naturam ſignificat.

6. *Sextum argumentum orthodoxorum eſt*; Exceptâ divina vitâ, treſunt vitæ ſpecies in rebus; nempe vita plantæ, vita ſentiens, vita intelligens: harum unaquæque ratione quadam propriâ ab aliis diſtinguitur: vitæ enim plantæ proprius eſt motus alendi, augendi, & gignendi; vitæ verò ſentienti motus appetitionis; intelligentis autem motus liberæ voluntatis. Quemadmodum igitur ineſt vitæ plantæ ſecundum naturam motus alendi, creſcendi, & generandi; & vitæ ſentienti motus appetitionis: ita vitæ intelligenti ſecundum naturam ineſt motus liberæ poteſtatis: unde ſequitur, omne intelligens naturâ habere ut poſſit velle: liberam enim poteſtatem (utor verbis Maximi) definivit Diadochus Epiſcopus Photices eſſe voluntatem.

7. *Septimum argumentum orthodoxorum eſt*; Quod non docetur, & ineſt omnibus hominibus, illud eſt naturale: ut autem velimus, nullâ doctrinâ comparatum eſt, ineſt autem omnibus & ſingulis hominibus: ergo homo naturâ habet voluntatem.

8. His argumentis utuntur Maximus abbas, in diſputatione cum Pyrrho, & Patres in Synodo Martini, & Agatho in Suggeſtione, & Theophanes aliique Patres contra Macarium in ſexta Synodo, actione octava.

9. Objectio Monothelitarum: *Volentis eſt voluntas, & operantis eſt operatio; unus autem eſt Chriſtus, qui vult & operatur: ergo una ejus voluntas eſt, & una operatio.*

Reſpondet Maximus Epiſcopus Aquileienſis in Synodo Martini Papæ, ſecretario 5. *Eſt volentis eſt voluntas, & operantis operatio, non tamen abſolutè volentis, ſed naturaliter volentis: nec abſolutè operantis, ſed naturaliter operantis: & hoc certum eſt, quia & ipſâ appellatione, ex natura operantis atque volentis utramque habere dignoſcitur voluntatem, atque operationem: ſic namque hominis voluntatem atque operationem humanam dicimus, angelicam autem Angeli, & divinam Dei.*

10. Alia Monothelitarum objectio: *Timor eſt ex iis quæ reprehenduntur: nihil autem reprehenſibile ineſt naturâ: non igitur Chriſto inerat timor naturâ.*

Reſpondet huic Pyrrhi objectioni Maximus abbas, in diſputatione cum Pyrrho: *Te ex homonymia fallis: eſt enim timor ex natura, & præter naturam: Ex natura quidem timor eſt vis ipſius naturæ ad tuendum ſe per contractionem; præter naturam verò timor eſt contractio præter rationem. Timorem igitur præter naturam Dominus, utpote ex proditione cogitationum profectum, penitus non admiſit: timorem verò ex natura, utpote indicem facultatis inſitæ naturæ ad tuendum ſe, volens propter nos, tanquam homo, admiſit. Non enim in Domino, ſicut in nobis, ea quæ naturæ ſunt, voluntati antecedunt; ſed ſicut cum verè eſuriebat & ſitiebat, non eſuriebat ſicut nos, voluntate enim eſuriebat & ſitiebat; ſic cum timuit verè, non ſicut nos, ſed ſupra nos timuit: & ut in univerſum dicam, omne in Chriſto naturale habebat conjunctum cum ratione ſua modum qui ſupra naturam eſt, ut & natura per rationem comprobaretur, & diſpenſatio* (Verbi Dei) *per modum.*

11. Tertia objectio: Pyrrhus ait; *Quid igitur? nonne nutu Verbi cũ ipſa copulati caro movebatur?*

Reſpondet Maximus: *Dividis Chriſtum, cum ſic loqueris. Nutu enim ejus movebantur Moyſes & David, & qui fuerunt apti & idonei ad capiendam divinam operationem, depoſitis humanis & carnalibus proprietatibus. Nos verò, qui ſanctos Patres, ſicut in omnibus, ſic etiam in hoc ſequimur, dicimus; quod ipſe Deus univerſorum factus homo ſine mutatione, non ſolum idem, tanquam Deus, convenienter Divinitati ſuæ voluit, ſed tanquam idem homo, ut humanitati ſuæ conveniebat, item voluit.*

12. Hæc breviter hoc loco attigiſſe ſufficiat: Plura Monothelitarum ſophiſmata, eorumque refutationem inveniet Lector in illa diſputatione Maximi cum Pyrrho (quæ exſtat poſt vitam Theodori Papæ Romani, tom. 4. Concil. edit. Pariſ.) & in actis Synodi Martini Papæ, & in actis ſextæ Synodi œcumenicæ. Nonnulla etiam ad hæreſeos hujus everſionem facientia mox adjiciemus in reſponſione ad tertiam rationem Papiſtarum, quâ pugnant contra æquitatem ſententiæ à Patribus adverſus Honorium latæ. Interea ad primum eorum argumentum, à teſtimonio S. Maximi, & autoritate Scribæ Honoriani petitum, cumulatè jam reſponſum eſt ſuperiore capite, & per anticipationem etiam occurſum eſt ſecundo argumento.



## CAPUT VIGESIMUM-SEPTIMUM.

### *Refutatur ſecundum argumentum Papiſtarum, quod adferunt contra æquitatem damnationis Honorii.*

SEcundum argumentum in forma ſic erit; *Theodorus, & Martinus, & Agatho, Pontifices Romani ſynodos Romæ celebrârunt contra Monothelitas, ante ſextam Synodum; in quibus Monothelitas quoſdam nominatim damnaverunt: nullam autem fecerunt mentionem Honorii: ergo injuſtè fecerunt omnes ii, qui eum poſtea condemnârunt.*

2. Reſpondeo. 1. De ſingulis iſtis Pontificibus, eorumque ſynodis, jam reſpondimus in ſolutione primi argumenti, cap. 25. §. 7. & §. 8. & §. 9. & §. 10. ubi ſilentii eorum de Honorio ratio reddita eſt: & inde evidentior etiam facta eſt Honorii culpa; quam illi Patres à Monothelitis objectam ſilentio prætereuntes quodammodo confitentur. 2. Si valeret iſta Papiſtarum argumentatio, à ſilentio anterioris ſynodi ſequeretur Cyrum & Sergium eſſe injuſtè damnatos à Martino & Agathone, quia eorum prædeceſſor Theodorus, in ſua Synodo contra Monothelitas celebratâ, eos nominatim non damnavit. Et quid dicemus de Origine, Euagrio, Didymo, Theodoro Mopſueſteno, & aliis, quos à prioribus ſynodis in hæreticorum catalogo non nominatos, poſteriores ſynodi condemnârunt? 3. Agatho conſenſum præbuit, ut damnaretur Honorius, teſte Adriano Papa ſecundo, ejuſque damnationi legati Agathonis ſubſcripſerunt. 4. Juſtam eſſe eam contra Honorium latam ſententiam, agnoverunt omnes Romani Pontifices, ad quos ejus notitia pervenit, continuo multorum ſeculorum decurſu poſt ejus promulgationem.

## CAPUT VIGESIMUM-OCTAVUM.

### *Ad tertium argumentum, quo Patrum accuſatores Papiſtæ utuntur contra æquitatem ſententiæ adverſus Honorium à Patribus latæ, reſponſio, complectens undecim propoſitiones.*

*Sophiſtarum apologia pro epiſtolis Honorii & Sergii damnatis.*

TErtium argumentum petunt ex ipſis verbis epiſtolarum illarum Honorii, quæ à Patribus cum auctore damnatæ ſunt. Et ajunt iſti Papiſtæ (præcipui quidem ſtultitiâ,) *nullum errorem in illis epiſtolis contineri.* idemque aſſerunt de epiſtola Sergii ad Honorium, quia eam ſuâ etiam conſenſione Honorius comprobavit. Et audax hoc ſuum inceptum perficere nituntur iſti *ὑπερασπισταί*, diluendo ea quæ adverſus eas epiſtolas objiciuntur.

2. Patres ſextæ Synodi pronunciant iſtas epiſtolas omnino alienas exiſtere ab Apoſtolicis dogmatibus, & definitionibus ſanctorum Conciliorum, & cunctorum probabilium Patrum: ſequi verò falſas doctrinas hæreticorum, & in unam eandemque impietatem concurrere. actione 13.

3. Obſtrepunt iſti cavillatores, & ajunt, in iſtis epiſtolis, duas Chriſti voluntates, duaſque operationes quoad rem agnoſci, & ſolum prohiberi nomina unius vel duarum, quæ tunc erant inaudita; eamque prohibitionem prudentiſſimo conſilio factam eſſe; Nam ſine iſtis vocibus poſſe ſalvam eſſe fidem; necdum illo tempore aliquid de eis Eccleſiam definiviſſe; prudenter igitur feciſſe Honorium cum Sergio, qui ſcandali & contentionis materiam de medio tollere voluerint. Neque reſcriptionem Honorii ad Sergium, ejuſve cum Sergio in eo negotio conſenſum ei vitio verti poſſe: Sergium enim, etſi poſtea fuerit detectus hæreticus, & condemnatus, eo tamen tempore quo hanc epiſtolam ad Honorium ſcripſit, non tantum orthodoxum creditum fuiſſe ab Orientalibus & Occidentalibus, ſed etiam magnæ exiſtimationis Epiſcopum habitum eſſe, idque conſtare ex epiſtola Sophronii ad Sergium: neque adhuc Sergium quicquam hæreticum vel

dixiſſe, vel ſcripſiſſe: imò ei de una & de duabus operationibus ſilentium indicenti conſenſiſſe Sophronium, ut teſtatur ipſe Sergius in Epiſtola ad Honorium: iniquũ igitur eſſe id crimini vertere Honorio, quod ſine crimine fecerit Sophronius. quod autem de una voluntate ſcripſit Honorius, illud de humana tantum voluntate intelligendum eſſe, docuiſſe jampridem ſecretarium Honorii, teſte S. Maximo in diſputatione cum Pyrrho: Honorium etiam in tota illa epiſtola contendere, non eſſe dicendam in Chriſto Deo & homine unam, nec duas voluntates, eo ipſo quod contendat non dicendam eſſe unam operationem, nec duas operationes: non igitur tam ſubitò ſui oblitum eſſe ut unam voluntatem Chriſti Dei & hominis tam apertè fateretur. Adhæc, ſi Hieronymus abſque hæreſi exiſtimavit non eſſe dicendas tres hypoſtaſes, ut patet ex ejus epiſtola de ea quæſtione ad Damaſum ſcriptâ; potuiſſe etiam ſine hæreſi Honorium prohibere dictionem unius vel duarum operationum, initio naſcentis hæreſeos Monothelitica; quamvis poſtea longè latéque diffuſâ ea hæreſi, loquutionem de duabus voluntatibus, & duabus operationibus meritò Eccleſia rejici non paſſa ſit. Denique fac, Honorium in eodem fuiſſe errore cum Sergio aliiſque Monothelitis; priuſquam tamen damnaretur, erat (inquiunt) inquirendum, an errorem unquam revocaverit, vel potius in eodem uſque ad obitum perſeveraverit.

Hæc ſumma eſt eorum quæ Papiſtæ ex ipſis illis Sergii & Honorii literis adferunt, pro eorum defenſione: Locis ſupra indicatis in titulo capitis undecimi, & capite 24. §. 1.

4. *Reſpondeo*. 1. Epiſtolæ iſtæ Sergii & Honorii multa continent quoad rem erronea, & Catholicæ veritati adverſantia. 2. Non ſolùm voces prohibuit Honorius duarum voluntatum, & duarum operationum, ſed etiam earum orthodoxum ſenſum. 3. Non erant novæ & antea inauditæ eæ voces, ſed jam olim antiquitati Catholicæ probatæ, idque expreſsè, ac definitè. 4. Non poteſt, negatis iſtis vocibus, ſalva manere debita confeſſio orthodoxæ fidei. 5. Sergius poſtea detectus eſt ſcripſiſſe quædam hæretica, in ea ipſa epiſtola, quam ſuo conſenſu comprobavit Honorius. 6. Honorius ſuâ ſcriptione eam Sergii hæreſin fovit ac roboravit. 7. Non liberat Honorium circumſtantia temporis. 8. Non poteſt prævaricationis Honorianæ ulla inveniri idonea excuſatio in diſſimillimo exemplo Sophronii. 9. Neque defendi poteſt exemplo Hieronymi. 10. Mirum non eſt, ſi Honorius ſui oblitus, quædam de hac quæſtione ſcribat ſeſe mutuo deſtruentia. Hoc enim Sergio etiam aliiſque Monothelitis & ipſi Honorio contigiſſe, obſervavit Catholica antiquitas. 11. Denique Honorius non invenitur revocâſſe errorem, ſed potius in eo uſque ad obitum perſeverâſſe.

Has undecim propoſitiones ubi perſpicuè confirmatas dederimus, manifeſta omnibus erit adverſariorum noſtrorum amentia.

## CAPUT VIGESIMUM-NONUM.

*Confirmatur prima noſtra propoſitio.*

1. Iſta propoſitio confirmatur undecim inſtantiis. PRima propoſitio fuit, *Epiſtola iſta Sergii & Honorii multa continent quoad rem erronea, & Catholicæ veritati adverſantia.*

2. Proferemus aliquot inſtantias, ex quibus pateſcet conſenſus harum epiſtolarum cum doctrina hæreticorum damnata, earundemque impia contra veritatem conſpiratio.

1. Inſtantia. 3. *Prima inſtantia*: Docet Sergius in hac ſua ad Honorium epiſtolâ, ex confeſſione duarum operationum ſequi duas voluntates, & per confeſſionem duarum voluntatum introduci duos volentes. quod approbans Honorius, confitetur unam voluntatem. Similiter Pyrrhus, in diſputatione cum Maximo, communem omnium Monothelitarum de hac quæſtione expromens ſententiam; *Non poteſt* (inquit) *fieri, quin voluntates ſecum inferant ipſos volentes.* Sic Theodorus Pharanitanus ex unitate perſonæ operantis infert unam operationem, ut legere eſt in ejus verbis, quæ recitantur in actione 13. ſextæ Synodi.

Sup. cap. 26. 4. At orthodoxi Patres contrarium docuerunt, ut oſtenſum eſt in ſuperiori diatriba, de una voluntate. S. Maximus ad iſtam Pyrrhi aſſertionem reſpondens, ait; *Hoc quidem abſurdum. Si enim concedatur inferri cum voluntatibus volentes, omnino conſectaneâ reciprocatione, cum volentibus inferentur voluntates: reperieturque etiam, velis audientium, in ſupereſſentiali, pluſquam bonâ & beatâ Deitate, una quidem hypoſtaſis, ſicut ſenſit Sabellius, quia una eſt in ea voluntas; tres verò voluntates, quia ſicut tres perſonæ, ac proinde tres naturæ, ex opinione Arii: ſiquidem ſecundum definitiones & regulas Patrum, differentia voluntatum differentiam etiam naturarum ſecum infert.* Hæc Maximus. Eadem argumentatio idonea erit de operationibus. Et docent unanimiter omnes orthodoxi Patres, duas voluntates duaſque operationes unius Chriſti volentis & operantis, divinè quidem ſecundùm naturam ſuam divinam, humanè verò ſecundùm humanam.

2. Inſtantia. 5. *Secunda inſtantia*: Honorius, in priore ſua ad Sergium epiſtolâ, ait; ſe unam fateri voluntatem Domini noſtri Jeſu Chriſti; quia à Divinitate aſſumta eſt noſtra natura, non culpa. Eodem argumento, pro una Chriſti voluntate, Sergium & Honorium ſequens, utitur Macarius hæreticus, in ſexta Synodo, actione octava. quem confutat Theophanes, ibidem, diſtinguendo inter voluntatem humanam naturalem, quam Deus Adamum creans ei indidit; & voluntatem carnalem & peccabiles cogitationes, quæ ex ſeminatione diabolica illatæ ſint humanæ naturæ. Illam voluntatem humanam, cum alia divina, adeóque duas naturales voluntates habuit Chriſtus; reliquum verò ex ſuperſatione diabolicâ introductam non habuit. Ineptè igitur & impiè argumentati ſunt Sergius & Honorius & Macarius, ex impeccabilitate humanæ Chriſti naturæ perperam inferentes unam ejus voluntatem, nempe divinam, excluſâ alterâ, videlicet humana inculpatâ. Hanc verò fuiſſe unanimem Sergii Honoriique impiam ſententiam, ſuperius demonſtravimus, in reſponſione ad primum argumentum, cap. 23. §. 11.

3. Inſtantia. 6. *Tertia inſtantia*: Sergius duas unius Chriſti voluntates, divinam & humanam, negat, & oppugnat hoc argumento, quia impoſſibile eſt, in uno eodemque ſubjecto duas ſimul & erga hoc ipſum contrarias ſubſiſtere voluntates: ac ſi non poſſent eſſe duæ, niſi etiam ſint contrariæ. Et hanc ejus argumentationem approbat confirmatque Honorius. quos ſequutus Pyrrhus, vim argumenti complectitur his verbis; *Impoſſibile eſt, in una perſonâ duas ſimul ſubſiſtere non contrarias voluntates.* Hæc Pyrrhus, in diſputatione cum Maximo. quod ibidem, ut impium & in Deum (immaculatæ humanæ Chriſti naturæ opificem) contumelioſum ſolidè refellit Maximus. Nam pugnæ hujus non poteſt eſſe auctor Deus, qui nihil ſibi contrarium creavit. Peccatum autem non habuit Chriſtus: nullam igitur pugnam in voluntatibus naturalibus habuit. Eundem refutat errorem Maximus Epiſcopus Aquilejenſis in Synodo Martini Papæ, ſecretario quinto. & Deuſdedit Epiſcopus Sardiniæ, in eadem Synodo, eodemque ſecretario. Eandem amentiam retundit Agatho in ſua ad Conſtantinum Imperatorem ſuggeſtione. *Cum duas* (inquit) *naturas, duaſque naturales voluntates, & duas naturales operationes confitemur in uno Domino noſtro Ieſu Chriſto, non contrarias eas, nec adverſas ad alterutrum dicimus, ſicut à via veritatis errantes. Apoſtolicam traditionem accuſant; abſit hæc impietas à fidelium cordibus! nec tanquam ſeparatas in duabus perſonis vel ſubſiſtentiis, ſed duas dicimus unum eundemque Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſicut naturas, ita & naturales in ſe voluntates & operationes habere, Divinam ſcilicet & humanam: Divinam quidem voluntatem & operationem habere ex æterno cum coëſſentiali Patre communem; humanam verò temporaliter ex nobis cum noſtra natura ſuſceptam. Hæc eſt Apoſtolica atque Euangelica traditio.* Hæc Agatho. Eodem Sergii & Honorii & Pyrrhi argumento uſus poſtea eſt Macarius in Confeſſione propriæ ſuæ fidei, quæ recitatur in octava actione ſextæ Synodi. Et ob hanc aliaſque impietates, juſto ejuſdem Synodi judicio, condemnatus eſt cum ſuis anteceſſoribus Sergio, Honorio, Cyro, Pyrrho, &c.

4. Inſtantia. 7. *Quarta inſtantia*: Ex prima inſtantia ſuperius allatâ, manifeſtum eſt Sergium & Honorium in eo errore conſenſiſſe, ut exiſtimarent voluntates non ſecundùm pluralitatem naturarum in una perſona, ſed tantum ſecundùm perſonarum pluralitatem plures cenſendas eſſe. Adeò ut ſecundum eos non ſint in Chriſto voluntates naturales, ſed una voluntas ſubſiſtentialis, ἐν ὑποστάσει, ut loquitur eorum ſectator Macarius, in ſexta Synodo, actione octava.

8. Contra voluntatem perſonalem, diximus in prima inſtantia, & ſupra etiam cap. 26. nunc alteram partem notamus, qua negant voluntatem eſſe naturalem, aut naturæ eſſe velle. quod tamen conſtanter contra eos affirmârunt ac defenderunt orthodoxi Patres; Maximus, in diſputatione cum Pyrrho; & Sophronius in Synodicis ad Sergium; & Stephanus Epiſcopus Dorenſis Sophronii legatus, in ſuo libello ad Synodum Martini Papæ Romani, qui recitatur in ſecundo ſecretario illius Synodi; & Epiſcopi Africani, in ſua epiſtola ad Paulum Patriarcham Cp. & Victor Epiſcopus Carthaginenſis, in ſua epiſtola ad Theodorum Papam; quæ duæ epiſtolæ recitantur in eodem ſecundo ſecretario Synodi Martini Papæ. Et Maximus Epiſcopus Aquilejenſis, in eadem Synodo ſecretario quarto: & omnes ejuſdem Synodi Patres unanimiter in definitione, ſecretario quinto: & Agatho, ejuſque Synodus, in ſuggeſtionibus ad Conſtant. Imperatorem, quæ extant in actis VI. Synodi, actione 4. & univerſa ſexta Synodus in definitione Synodica.



9. *Quinta inſtantia*: Verba illa Domini in agone; *Pater, ſi poteſt fieri, tranſeat à me calix iſte: attamen non quod ego volo, ſed quod tu*, & ſimilia dicta, perperam & contra rectam fidem interpretantur Sergius & Honorius, eoſque ſequuti alii Monothelitæ. Oppoſitam verò orthodoxam interpretationem tuentur Catholici Patres. 5. Inſtantia. Matth. 26, 39.

10. Hæretici ſic interpretantur: Sergius in epiſtola ad Honorium; *Duarum operationum dictioni conſequens eſt prædicare duas voluntates, contrarietates circa invicem habentes, tanquam Deo quidem Verbo ſalutarem volente adimpleri paſſionem, humanitate verò ejus obſiſtente ejus voluntati & reſiſtente, & perinde duo contraria volentes introducantur, quod impium eſt.* Hæc Sergius. Cui accinens Honorius; *Et ſiquidem* (inquit) *ſcriptum eſt*, Non veni facere voluntatem meam, ſed ejus qui miſit me Patris; *Et*, Non quod ego volo, ſed quod tu vis Pater: *& alia hujuſmodi, non ſunt hæc diverſæ voluntatis, ſed diſpenſationis humanitatis aſſumtæ. Iſta enim propter nos dicta ſunt, quibus dedit exemplum ut ſequamur veſtigia ejus, pius Magiſter diſcipulos imbuens, ut non ſuam unuſquiſque noſtrûm, ſed potius Domini in omnibus præferat voluntatem.* Hæc Honorius. Interpretatio Monothelitarum Sergii, Honorii. Joan. 6, 38. Marc. 14, 36.

Hos ſequens Paulus Patriarcha Conſtantinopolitanus, in ſua dogmatica epiſt. ad Theodorum Papam Romanum, quæ recitatur in actis Synodi Martini, ſecretario quarto; *Unde* (inquit) *& unam voluntatem Domini noſtri Ieſu Chriſti intelligimus, ne contrarietatem aut differentiam voluntatum uni eidemque perſonæ Domini noſtri Ieſu Chriſti applicemus, aut ipſum ſe expugnantem dogmatizemus, aut duos volentes introducamus. Non enim ad conglomerationem omnino aut confuſionem duarum naturarum, quæ in eodem videntur unius voluntatis, hanc producentes vocem, aut ad interemtionem alterius tantum aliam eſſe prædicantes: ſed per hujuſmodi ſignificantes vocem, quoniam caro ejus rationabiliter & intellectualiter animata, ex ipſa ſumma unitate inenarrabiliter omnibus divinis ditata, unientis eam ſibi ſecundùm ſubſtantiam divini Verbi, divinam habebat indiſcretam voluntatem*, * *quâ ab ipſo ſemper ducebatur ac movebatur, utpote in nullo tempore eadem diviſè, & ex proprio impetu contrariè unitus uniti ſecundùm ſubſtantiam Dei Verbi, naturalem ejus faciens motionem, ſed quando, & qualem, & quantam ipſe Deus Verbum volebat: ne (quod abſit) in blaſphemia dijudicemur, quod utique cavendum, & terribile ducendum: vel hujuſmodi pravitati, ut per neceſſitatem naturæ violentiam ſuſtinentem introducamus ejus humanitatem, & communicantem Petro digna ejus increpatione, ſi utique per ſimilem recuſationem ex verborum ſignificatione paſſioni ejus communicat. Sic & Euangelicam intelligamus lectionem, ubi dicit*; Non ut faciam voluntatem meam, ſed ejus qui miſit me. *Sed in recuſatione paſſionis, non diverſam in unum eundemque Chriſtum, & reſultantem introducentes voluntatem, magis autem recuſativè & non poſitivè hujuſmodi ſuſcipiamus vocem. Non enim quaſi exiſtens hoc verbum dictum eſt, ſed ac ſi non eſt: ſicut neque peccatum meum, neque iniquitas mea, ut peritiſſimus in dogmatibus Theologus Gregorius. Sed & omnes Doctores, qui paſſionis verba memoraverunt, ex affectione & relatione noſtra maſſa hanc ſuſceperunt, ſicut & magnus Eccleſiæ Lucifer Athanaſius edocuit nos, noſtram oſtendens pronam in hanc vitam naturam, ſine paſ-* Paul. * F. à quo ipſe. Pſal. 58. (ſeu 59.) verſ. 4.

ſione

*ſione nolentem à præſenti vita diſrumpi, & non ut animatam intellectualiter carnem Verbi impromtà exſiſtentem ad totius mundi ſalutiferam paſſionem, aut diſcordantem Patri & inhabitanti Verbo.* Hæc Paulus. Similiter Pyrrhus, in diſputatione cum Maximo, loquens ex mente Monothelitarum, ait, *Chriſtum illis vocibus,* [ Non quod ego volo, ſed quod tu ] *expreſſiſſe voluntatem noſtram humanam, non illam quæ ipſi naturâ inerat, ſed quam ſuſcepit per attributionem.*

*Pyrrh.*

11. Summa interpretationis hæreticorum hæc eſt: *Chriſtum illis verbis, in agone, non magis oſtendere humanam aliquam ſuam voluntatem ſibi naturaliter inexſiſtentem, quàm illis verbis, neque peccatum meum, neq; iniquitas mea, agnoſcitur peccatum aut iniquitas: neque habuiſſe Chriſtum humanam ullam naturalem voluntatem, magis quàm habuit peccatum; ſed utroque pariter caruiſſe. Loquutum autem eſſe illa verba ex affectione & relatione corrupta maſſa noſtra, quaſi noſtram perſonam gerentem; non quod reverà talis eſſet, ſed ac ſi talis eſſet loquutum: ut nos qui reverà tales ſumus, id eſt, humanam voluntatem à divina diverſam habemus, ſuo inſtrueret hypothetico exemplo, ut non ſuam unuſquiſque noſtrum, ſed potius Domini in omnibus præferat voluntatem.* Hæc eſt falſa interpretatio, quam attulere Sergius & Honorius, aliique Monothelitæ, apertè aſſerentes unam Domini noſtri Jeſu Chriſti voluntatem, quam modò divinam, modò hypoſtaticam vocant, excluſa humanâ naturali voluntate, quam Chriſto ineſſe negant.

*Summa interpretationis quã attulerunt Sergius & Honorius, & Paulus & Pyrrhus.*

12. At longè aliter, & ſanius, verba illa Domini interpretantur orthodoxi Patres, agnoſcentes declarari illis verbis, duas naturales ipſius Chriſti voluntates, quæ uni eidemque Chriſto inerant naturaliter ſecundùm duas ejus naturas, ſed abſque maculâ aut contrarietate.

*Antitheſis orthodoxorum.*

13. *Maximus Abbas*, in diſputatione cum Pyrrho; Tempore (*inquit*) paſſionis Chriſtus voluntariè ſe metu mortis contraxit. *Item*; Timorem ex natura, utpote indicem facultatis inſitæ naturæ ad tuendum ſe, volens propter nos, tanquam bonus, admiſit. Non enim in Domino, ſicut in nobis, ea quæ naturæ inſunt, voluntati antecedunt, ſed ſicut cum verè eſuriebat & ſitiebat, non eſuriebat ſicut nos; voluntate enim eſuriebat & ſitiebat: ſed cum timuit verè, non ſicut nos, ſed ſupra nos timuit. *Item*; Quia idem erat totus Deus cum humanitate, & idem totus homo cum Divinitate; ipſe, ut homo, in ſe & per ſe, humanam [ quæ natura ipſi inerat, ] voluntatem ſubjecit Deo & Patri: formam nobis opportunam & exemplar ad imitationem ſeipſum exhibens; ut nos in eum, tanquam in Ducem & Principem ſalutis noſtræ, intuentes, eam (*voluntatem*) quæ noſtra eſt, ſponte ad Deum accommodemus, ita ut nihil velimus, præterquam quod ipſe vult. Hæc Maximus.

*Interpretatio Maximi Abbatis.* *Vide lib. 3. cap. 18. §. 4. & lib. 4. cap. 3. §. 7.* *In ſe & per ſe.*

14. *Martinus primus*, Papa Romanus, in oratione ad ſuam Synodum, ſecretario primo: Ipſe (*inquit*) qui propter nos incarnatus eſt, Deus Verbum, per Divinam ejus & inconditam voluntatẽ & operationem, ſuę Divinitatis & Paternæ naturę quæ ſunt propria, volens operabatur naturaliter, id eſt, miracula. Unde & hoc teſtatur, dicens; *Quomodo Pater ſuſcitat mortuos, & vivificat; ita & Filius, quos vult, vivificat.* Et iterum per humanam, id eſt, conditam ejuſdem voluntatem & operationem, hic ipſe quæ ſunt propria humanæ naturæ, ſponte propter nos ſuſtinebat, id eſt, ſalutares paſſiones: quoniam volens humanè propter nos ipſe, qui ſuper naturam Deus eſt, eſuriem, ſitim, faſtidium, triſtitiam atque timorem ſuſcepit, & poſt hæc omnia mortis experimentum pro noſtra ſalute. Et hoc iterum teſtatur de eo Evangeliſta, dicens; *Et ingreſſus in domum, neminem voluit ſcire; & non potuit latere.* Et compendiosè, quicquid aſſumtæ ab eo noſtræ naturæ proprium extitit, abſque peccato tantummodo, cum alterius communione in unitione indiviſum procedebat. Sic etenim divina quidem corporaliter operabatur, eo quod per animatam intellectualiter ſanctam ejus carnem hæc omnia proferebat: humana autem operabatur divinè, quippe quoniam poteſtativè humanas paſſiones pro noſtra ſalute ſine culpa ſuſcipere dignabatur. Hæc Martinus.

*Martin. I. PP. Rom.* *Joan. 5. 21.* *Marc. 7. 24.*

15. *Maximus*, Epiſcopus Aquilejenſis, in Lateranenſi illa Synodo Martini Papæ, ſecretario quinto; Unus idemque Chriſtus, quomodo Deus naturaliter & homo, divinè pariterque humanè motum ſponte, divina & humana, abſque qualibet diſſonantia & diviſione naturaliter celebrabat. Sic etenim, ſecundùm ſanctorum Patrum doctrinam, idem atque unus Dominus Deus noſter Jeſus Chriſtus pro omnibus quidem mori ex voluntate habuit, eo quod ita Divina ejus natura volebat: & iterum ex voluntate non habuit, propter paſſiones crucis, &, quantum carni congruebat, mortem, recuſans. Si igitur non pro contrarietate voluntatum, ſed propter virtutem myſticæ confeſſionis in uno eodemque Chriſto velle & nolle venerabiles prædicant Patres, utpote eodem ſpecialiter tam aſſumtionis ſeu diſpenſationis incontaminatæ oſtendente rationem, & quidem aſſumtionis in hoc, quod vult ſuæ carnis naturam approbare, id eſt, hominem ſeipſum naturaliter factum fuiſſe, & propterea naturalem carnis pavorem ſponte pro noſtra ſalute ſuſcipientem; quatenus ab eodem nos providentiſſimè liberaret, ſicuti & ab omni paſſione, videlicet ut expertus per omnia ad ſimilitudinem noſtram ſine peccato: diſpenſationis autem in hoc, quod vult ſecundùm Patris ejus [ æternum ] & inenarrabile propoſitum deificare noſtram naturam, pro eo quod paſſus eſt carne pro nobis, qualis ergo & quæ jam ex utraque ratione diſſenſio contra Salvatorem ab antiquis & modernis hæreticis commentata eſt, evacuare conantibus magnum ejus circa nos diſpenſationis myſterium? Et propterea non ſolum duas ejuſdem voluntates refutare contendunt, ſed & naturales eas eſſe recuſant, quia per diſſenſionem quidem numerum contradicunt, &c. Hæc Maximus, Epiſcopus Aquilejenſis.

16. *Deusdedit*, Epiſcopus Sardiniæ, in eadem Synodo, eodemque ſecretario; Ecce igitur (*inquit*) apertiſſimè denominatus Doctor [ Cyrillus Alex. ] hæreticam peſtilentiam deſtruxit, hoc eſt, temerariam diſſenſionem voluntatum, quam contra Salvatorem noſtrum colligere imperitè contendunt, profanas intentiones eaſdem appellans, & pravitatem malorum intellectuum — Ergo fecundiſſimus ait Cyrillus; Evacuant illi exinanitionem unigeniti Dei, & miſericordem ejus propter nos renuunt diſpenſationem, qui minimè eidem Salvatori quomodo homini propter nos facto tribuunt voces, per quas dicit, Pater, ſi poteſt fieri, tranſeat à me calix iſte, in approbatione perfectæ ejus propter nos incarnationis, utpote de noſtris nihil penitùs eodem recuſante,



recuſante, omnia autem ſecundùm veritatem naturaliter comprobante. ——— Loquitur ut homo; loquitur autem & ut Deus: in utriſque autem habens poteſtatem: non enim ſecundùm hæreticos, diſſenſionem. ——— Quando loquitur aliquid ut homo, non ſcandalizemur, conſiderantes quia propter nos factus eſt homo, & congrua humanitati loquitur, quam propter nos ſuſcepit cum omnibus eidem appertinentibus naturaliter. Proprium eſt autem humanitatis plangere, conturbari, anxiari, & recuſare mortem, atque ſimilia his pati. ——— Sed arbitrantur iſti [ novi hæretici ] ſapientiores ſe oſtendere ſanctorum Patrum, & dicunt ex proprio errore nihil Verbum incarnatum ſecundùm nos loquutum aut operatum eſſe: Sed & ſi quid loquutum eſt, ajunt, nos tantum ſimpliciter deſignat, non autem ſemetipſum eſſentialiter factum hominem demonſtrat, cum permanet perenniter & naturaliter Deus. Hæc Deuſdedit.

17. Agatho, Papa Romanus, in ſua ſuggeſtione ad Conſtantinum Imperatorem, profert expoſitiones verborum illorum Chriſti, quas tradiderunt ſancti Patres Athanaſius, & Ambroſius, & Auguſtinus; *Athanaſius ait*; Et quando dicit, *Pater, ſi poſſibile eſt tranſeat à me calix iſte; & tamen non mea, ſed tua voluntas fiat*: & iterum; *Spiritus promtus, caro infirma*: duas voluntates hic oſtendit, & unam quidem humanam, quæ eſt carnis; aliam autem Divinam. Quoniam humana propter infirmitatem carnis refugiebat paſſionem, Divina autem ejus promta. Qua explanatione (*exclamat Agatho*) quid verius poterit intimari? *Auguſtinus* (lib. 3. contra Maximum, cap. 20.) ait: Ubi autem dixit Filius Patri, *verùm non quod ego volo, ſed quod tu vis*: quid te adjuvat, quod tua verba ſubjungis, & dicis, Oſtendit verè ſuam voluntatem ſubjectam ſuo Genitori: quaſi nos negemus, hominis voluntatem voluntati Dei eſſe debere ſubjectam? ——— Quanquam & in hoc quod ait, Non quod ego volo, aliud ſe oſtendit voluiſſe quam Pater, quod niſi humano corde non poſſet. ——— Nunquid enim poſſet immutabilis illa natura quicquam aliud velle quam Pater? Hæc ſi diſtingueretis, Ariani hæretici non eſſetis. Hæc Auguſtinus. *Ambroſius* ait: Suam, ad hominem retulit; Patris, ad Divinitatem. Voluntas enim hominis temporalis; voluntas Divinitatis æterna. Et ſubjicit Agatho; Hæc ſpiritualis Pater [ *Ambroſ.* ] commemorans, adſtruit qualem voluntatem ab æterno cum Patre & Spiritu Sancto Filius communem naturaliter habet, qualemve temporaliter per aſſumtam humanitatem idem ipſe in ſua perſona ſuſcepit. ——— Itaque ſi ab eo humana voluntas, ſicut & natura, ſuſcepta eſt, & ſalvata eſt: & quod à ſuſceptore ſalvatum eſt, non ei poterit eſſe contrarium. Nihil enim ſibi contrarium Creator omnium condidit, vel per myſterium incarnationis aſſumſit. ——— Nam quis in tantum à luce veritatis abſceſſit, ut ſecundùm Divinitatis ſuæ voluntatem præſumat dicere, Dom. Jeſum Chriſtum Patri obediſſe, cui eſt æqualis in omnibus & hoc vult in omnibus & ipſe quod Pater? aut quis non intelligat obedientiã humanæ magis competere voluntati, in qua nullum habuit omnino peccatum? nec diceretur *obediens uſque ad mortem*, niſi humanam in ſe ſuſciperet voluntatem, ſicut animam rationalem, carnemque cum omnibus ſuis proprietatibus humanatus aſſumpſit. Hæc Agatho. Qui eandem orthodoxam expoſitionem confirmat etiam teſtimoniis Leonis primi Papæ Romani, & Gregorii Theologi, & Gregorii Nyſſeni, & Johannis Chryſoſtomi, & Cyrilli Alexandrini. Similia invenies in definitione Synodica Sextæ Synodi, ſupra cap. 4.

18. *Sexta inſtantia*: Honorius, in priore ad Sergium epiſtola, ait, *non debere ad nos pertinere, utrùm una an gemina operationes dici debeant, nec duas Chriſti operationes, in ſacris literis, ſed tantummodo multiformem inveniri ejus operationem.* Et, in poſteriore ad eundem Sergium epiſtolâ, eos reprehendit tanquam Divina teſtimonia non intelligentes, qui juxta geminæ naturæ Chriſti vocabulum, ita & operationem geminam ſuſpicantur. Et ait *ineptum eſſe, ſentire & promere, Chriſtum eſſe vel fuiſſe duarum operationum.* Sic etiam Sergius & Macarius & alii Monothelitæ.

*Sexta Inſtantia.*

19. At contrarium docent orthodoxi Patres: *Sophronius* in literis Synodicis ad Sergium; Utramque (inquit) naturalem confitemur operationem, ne naturas, quæ inconfusè unitæ ſunt, confundamus: ſiquidem ex operationibus tantum, ſecundùm eos qui ſunt talia callentes, naturæ noſcuntur [ γνωρίζονται. ] & eſſentiarum ſemper differentiam ex differentia operationum eſt inſitum comprehendere, καὶ τῶν ὄντων τὸ διάφορον ἐκ τῆς διαφορᾶς τῶν ἐνεργειῶν συγκαταλαμβάνεσθαι πέφυκε.

*Sophronius.* *Ex operationibus noſcuntur naturæ.*

20. *Maximus Abbas*, in diſputatione cum Pyrrho; Etenim (*inquit*,) ſi nihil aliud eſt Chriſtus præter naturas ſuas, ex quibus & in quibus eſt, perſpicuum eſt, quod convenienter naturis ſuis Chriſtus, id eſt, ut unaquæque apta nata erat, unus exiſtens & idem & volebat & operabatur, ſiquidem neutra earum voluntatis aut operationis expers eſt. Quod ſi convenienter naturis ſuis Chriſtus, id eſt, ut unaquæque apta nata erat, volebat & operabatur: erant autem duæ naturæ ejus; duæ igitur voluntates ejus naturales, & quæ cum ipſis numero totidem ſunt, ſubſtantiarum operationes. Et poſtea in eadem diſputatione, ait; Sine operatione autem naturali non poteſt eſſe, neque cognoſci natura: ex eis enim quæ unumquodque naturaliter operatur, probatur eſſe quod eſt, & non mutatum. Hæc ibi.

*Maximus Abbas.*

21. *Stephanus*, Epiſcopus Dorenſis, legatus Sophronii ad Sedem Romanam, in ſuo libello quem exhibuit Martino Papæ ejuſque Synodo, in ſecundo ſecretario illius Synodi; Si verò (*inquit*) Deum naturaliter perfectum & hominem naturaliter perfectum eundem eſſe veraciter prædicat, certum quia imperfectus nullo modo conſiſtit ſecundùm Divinam & humanam ejus eidem ſubſtantialem voluntatem & operationem: ſed indiminutè juxta numerum naturarum, naturales habuit voluntates & operationes, quibus Divina & humana volens & operatus, Deus pariter & homo ſecundùm veritatem idem exiſtens, naturaliter cognoſcebatur. ——— Ideóque unius ejuſdemque ſicuti unitas duas naturas, ita conſequens eſt & naturales confiteri voluntates & operationes, Divinam & humanam, ad plenam oſtenſionem utriuſque ejus naturæ veræ perfectionis, utpote in utraque natura nullam diminutionem haben-

*Stephanus.*

re eſſentialis & naturalis proprietatis, id eſt, voluntatis & operationis. Hæc Stephanus.

*Agatho.* 22. *Agatho*, Papa Romanus, in ſua ſuggeſtione ad Conſtantinum Imperatorem; Sin autem (*inquit*) quod fidei Chriſtianæ veritas continet, naturalis voluntas eſt, ubi una hæc natura dicitur Sanctæ & inſeparabilis Trinitatis, conſequenter & una naturalis voluntas, & una naturalis operatio intelligenda eſt. Ubi verò in una perſona Domini noſtri Jeſu Chriſti Mediatoris Dei & hominum, duas naturas (id eſt, Divinam & humanam) confitemur, in quibus & poſt admirabilem adunationem conſiſtit; ſicut duas unius ejuſdemque naturas, ita & duas naturales voluntates, duaſque naturales operationes ejus regulariter confitemur.

23. Idem rurſus, in eadem ſuggeſtione; Cùm (*inquit*) ita veritas habeat, certiſſimè claret; quod in Domino noſtro Jeſu Chriſto duas, id eſt, Dei & hominis naturas ſive ſubſtantias confitentes in unam ejus conveniſſe ſubſiſtentiam ſive perſonam, neceſſe eſt, & duas nos naturales in eo fateri voluntates, Divinam ſcilicet & humanam. *Nota, neceſſe eſt.* ——— Reddere itaque neceſſe eſt, quæ Divina ſunt, eidem ut Deo: quæ humana ſunt, eidem ut homini: & utraque per ſubſiſtentialem adunationem unius ejuſdemque Domini noſtri Jeſu Chriſti; veraciter cognoſcenda. Quod veriſſima definitio ſancti Concilii Chalcedonenſis commonet.

24. Idem etiam, in eadem ſuggeſtione; Nam (*inquit*) & defenſor veritatis beatus Cyrillus Alexandrinus Antiſtes dum colligit, ex his quæ Deo decenter dicta vel acta ſunt à Domino Salvatore, Deum eum oſtendi, & quæ ab eodem ſecundum hominem dicta vel facta ſunt, oſtendi eum veraciter hominem; manifeſtum eſt, quod ex naturalibus operationibus Chriſti, Chriſtum Deum verum atq; perfectũ, & eundem hominem verum atque perfectum eſſe cognovit. Nec enim eſt alia tam manifeſta probatio, quæ poſſet eundem ipſum & Deum & hominem demonſtrare, quàm naturales operationes, ex quarum qualitatibus & naturæ, de quibus eſſentialiter procedebant, certiſſimè in eo eſſe credebantur. *Nota, Nec eſt alia tam manifeſta probatio.* ——— Quis enim, licet tardus ſit ad intelligendum, non videat, quod omnibus pateat? Quia impoſſibile & contra ordinem naturæ eſt poſſe eſſe naturam & operationem non habere naturæ. Hæc Agatho.

*Septima Inſtantia.* 25. *Septima Inſtantia*; Sergius in Epiſtola ad Honorium, ait; duarum operationum dictionem à nullo ſanctorum & probabilium Eccleſiæ doctorum editam eſſe: eique conſentiens Honorius, duas operationes & duas voluntates averſatur tanquam novitates Sophiſticas. Et ambo, cum reliquis Monothelitis, placita ſua duabus voluntatibus & duabus operationibus oppoſita tribuunt ſanctis Patribus & Conciliis.

26. Hæc refellunt orthodoxi ut falſa & impia. *Sophronius.* *Sophronius*, in ſuis literis Synodicis ad Sergium, poſtquam duas operationes prolixè demonſtraſſet, adjunctis etiam aliis fidei ſuæ articulis, ſubjungit hæc verba; ταῦτα φρονεῖν καὶ πιστεύειν, hæc ſapere, atque credere, ex Apoſtolica, & Evangelica, atque Prophetica, & Legali, & ex Paterna, & doctrinali prædicatione percepimus.

*Maximus.* 27. *Maximus*, Abbas, in diſputatione cum Pyrrho, ait; Synodi & Patres duas voluntates unius & ejuſdem eſſe piè tradiderunt, Non ſolùm per determinatum numerum duarum, ſed etiam per pronomen, aliam; & per proportionem, dicendo Divinam & humanam. ——— Præterea ſi Synodi propter vocem unius voluntatis Apolinarium & Arium anathematizarunt; (quia uterque hac voce ad probandum ſuam hæreſin abutebatur: Apolinarius quidem, ut carnem ejuſdem ſubſtantiæ cum verbo oſtenderet; Arius verò, ut Filium diverſæ ſubſtantiæ à Patre introduceret:) quomodo poſſumus nos pii eſſe, ſi voces hæreticis contrarias non confitemur? Quinta verò Synodus, &c. *Et poſtea in eadem diſputatione*; Omnes enim communiter [Patres] planè & dixerunt, & docuerunt, quæ ſunt ejuſdem ſubſtantiæ, ejuſdem eſſe operationis: & quæ ſunt ejuſdem operationis, ejuſdem ſubſtantię eſſe, & quę ſubſtantiâ differunt, differre etiam operatione; & rurſus, quæ differunt operatione, ſubſtantiâ quoque differre. Hæc Maximus.

28. Stephanus, Epiſcopus Dorenſis, in ſuo libello, quem exhibuit Synodo Martini Papæ, commemorans Sophronii, in veritate contra Cyrum, & Sergium alioſque Monothelitas Orientales defendendâ, ſedulitatem & conſtantiam, ait; Quippe nam, & ipſe [Sophronius] dum adviveret, ſuperius dictis temeratoribus in Oriente validiſſimè contradixit, conteſtans eos & admonens, ut à propria hæreſi quieſcerent, & ad rectam Patrum fidem remearent, dans in duobus libris ſexcenta teſtimonia Patrum, ad evictionem impietatis eorum, & veritatis oſtenſionem. Hæc Stephanus.

29. *Victor*, Epiſcopus Carthaginenſis, in epiſtola ad Theodorum Papam Romanum, quæ exſtat in Synodo Martini Papæ, ſecretario ſecundo; Quis enim (inquit) vecors ſacrilega voce audeat prædicare, in Domino noſtro Jeſu Chriſto, aut unam tantummodo voluntatem, aut unam operationem exſiſtere, dum manifeſtiſſimis Patrum definitionibus liquidùm clareat, in Domino noſtro Jeſu Chriſto duas naturas, & earum duas voluntates, duaſque operationes vel proprietates naturales modis omnibus inveniri? Et poſſumus multiplicibus Patrum documentis noſtræ parvitatis intentionem firmare. ——— Nos itaque Patrum in omnibus decreta ſequentes, in Chriſto Domino noſtro duas naturas, earumque duas voluntates, duaſque operationes firmiſſimè prædicamus. Hæc Victor.

30. *Martinus primus* Papa Romanus, & cum eo Patres Synodi Romanæ, præſidente eodem Martino celebratæ, paſſim in ea Synodo queruntur, Monothelitas novitatibus ſuis per iniquiſſimam calumniam veneranda Patrum nomina prætendere. Propterea ad apertè redarguendum hanc hæreticorum pravitatem, proferunt (ſecretario quinto) pro duabus Chriſti naturalibus voluntatibus & duabus ejuſdem naturalibus operationibus, plurima teſtimonia ſanctorum Patrum, videlicet, Hippolyti, Athanaſii, Ambroſii, Dionyſii Areopagitæ, Amphilochii, Juſtini, Hilarii, Theophili, Baſilii, Gregorii Nyſſanenſis, Gregorii Theologi, Severiani, Epiphanii, Joannis Chryſoſtomi, Cyrilli Hieroſolymitani, Auguſtini, Joannes Epiſcopi Scythopolitani, Cyrilli Alexandrini, Leonis Romani, Euphræmii Epiſcopi Antiochiæ, & Anaſtaſii ejuſdem Antiochiæ Epiſcopi.





31. Horum perlectis in Synodo illa teſtimoniis, Sacra Synodus contra Monothelitas, orthodoxorum Patrum calumniatores, ſummam doctrinæ Paternæ colligit his verbis; Orthodoxi Patres tradiderunt nobis in primis quod accepiſſe noſcuntur, unum eundemque conſteri Dominum Deum noſtrum Jeſum Chriſtũ, ex duabus & in duabus exſiſtentem naturis, ſubſtantialiter unitis inconfuſè & indiviſè, & duas unius ejuſdemque ſicuti naturas, & naturales veraciter eſſe voluntates, id eſt, Divinam & humanam: & duas eſſentiales operationes Divinam & humanam: neque tranſitoriè hæc aut poſtpoſitivè, neque in hoc ipſum ſpecialiter minimè habentes omne ſtudium ſermonis eorum, ſicut adverſarii garriunt, & in hoc detrahentes propter ſuam hæreſin venerabilibus Patribus, dum dicunt; nihil de voluntatibus vel operationibus Salvatoris noſtri definitivè eos expoſuiſſe. Ecce etenim non ſolum definitivè, ſed & dogmaticè & ſyllogiſticè, ac naturaliter demonſtrativè, & ſecundum Scripturas agoniſticè, & per exempla, & compendioſè per omnem modum & verbum intellectualis eorum & prudentiſſimæ doctrinæ, utpote legitimè & viriliter pro ipſo incarnato Deo Verbo contradicentibus reſiſtentes, & repugnantes (ſeu refutantes) hæreticos Arium, Apollinarem, & Neſtorium, & omnes omnino ſequentes impietates eorum; unius ejuſdemque Chriſti Dei voluntates & operationes profeſſi ſunt, & profiteri prædicaverunt, per numerum & nomina hæc profitentes, per pronomina, per alterius intellectum, per ejuſdem ſignificationem, per qualitatem, per proprietatem, per virtutem, & compendioſè omne verbum & poſitionem, per quam potuiſſet earundem voluntatum & operationum vera fieri dictio & conſtantia. id eſt, per *numerum*, ex hoc quod dicunt in uno eodemque Chriſto duas voluntates & operationes, & duplicem operationem. Per *nomina*, ex hoc quod Divinam voluntatem & humanam voluntatem, Deificantem & Deificatam, & iterum Divinam operationem & humanam operationem. Per *pronomina* verò, ex hoc, quod dicunt aliam voluntatem eſſe Divinam, & aliam humanam, & aliam atque aliam operationem. Per *alterius* autem *intellectum*, ex hoc, quod dicunt, quoniam quæ alterius generis ſunt, ſive naturæ, ſimilem operationem habere nullus ſapiens dabit. Per *ejuſdem* autem *ſignificationem*, ex hoc, quod dicunt, quoniam quæ ejuſdem operationis ſunt, utique ejuſdem ſubſtantiæ confitentur, & communio voluntatis unitatem oſtendit ſubſtantiæ. Per *qualitatem* verò, ex hoc, quod dicunt, ſicuti habent diverſam ſubſtantiam & qualitatis rationem, ita & diverſam operationem. Per *proprietatem* autem, ex hoc, quod dicunt, Si enim tantùm poſſibile eſt quicquam de Divinis proprietatibus ineſſe alicui, qui non eſt ejuſdem ſubſtantiæ; & ita poteſt eſſe quomodo & ipſa Deitas, dic mihi; quid eſt quod impediat, ut jam omnia quæ ſunt Deitatis, cedant? quidnam ex hoc evenit? Confuſa ſunt omnia nobis, & alta cedent in ima; ima autem aſcendent in alta. Per *virtutem* verò, ex hoc, quod clamant, quæ eadem operatione, & eadem naturali virtute utuntur, ejuſdem eſſe ſubſtantiæ modis omnibus neceſſe eſt, & nulla natura alterius ſubſtantiæ vel generis indiſſimiliter habebit poteſtates & operationes. Et hæc quidem ipſe ſanctorum Deus, Dominus noſter Jeſus Chriſtus, multifariè multiſque modis per ſanctos Patres de ſe ipſo loquutus, illuminavit nobis fidem ſuam orthodoxam, ſic & intranſgreſſibiliter tenere eam, ſicut Patres prædicaverunt. Hujus autem orthodoxæ fidei extraneos eſſe & alienos, utpote denegantes eam in ſcripto, memoratos autores novitatis [*Cyrum*, *Sergium*, &c.] & impia eorum conſcripta. Propterea & hos, & ea quæ ab eis confecta ſunt dogmata, reprobantes ſecundum ſtatuta venerabilium Patrum ſive præcepta, qui hoc facere nobis per omnia præcipiunt, dogmata & ſermones ſanctorum Patrum uno corde & uno ore unanimiter ac conſonanter omnes firmamus, nihil addentes, nihil ſubtrahentes de his quæ ab ipſis tradita ſunt nobis, ſicque credimus, ſicuti Patres crediderunt: ita prædicamus, quomodo docuerunt. Quæ ſanctæ & univerſales quinque Synodi tradiderunt, intranſgreſſibiliter retinemus, definitiones eorum ſervamus, decreta eorum integrè confitemur: ita definimus, quomodo illi per proprios ſermones promulgaverunt. Qui eaſdem ſanctas Synodos & venerabiles Patres minimè ſuſcipit, condemnatus eſt. Qui omnia ab eis prædicata & definita minimè ſuſcipit ſpecialiter & confitetur, condemnatus eſt. *Fulminatio contra hæreticos.* Qui qualemcunque hæreticorum & abominandam vocem comprobat & ſuſcipit; condemnatus eſt: *Hæc Synodus Martini Papæ, loco citato.*

*Aſſumtio de Honorio.* 32. Aſſume autem de Honorio; At duas diverſas Chriſti voluntates naturales, & duas ejus operationes naturales, à ſanctis illis Synodis ac venerabilibus Patribus prædicatas ac definitas, minimè ſuſcipit ſpecialiter neque confitetur Honorius: ergo. Item; Hæreticorum Arii & Apollinarii abominandam unius voluntatis vocem, multaſque alias abominandas Sergii hæretici voces, comprobat & ſuſcipit Honorius: ergo.

*Exaggeratur prædicta fulminatio.* 33. Obſerva Patres hujus Martinianæ Synodi, loco jam allegato, ſententiam illam condemnatoriam non tam ferre, quàm olim latam agnoſcere & reverenter ſuſcipere: ut patet ex principio quinti illius ſecretarii ejuſdem Synodi, immediatè ante recitationem teſtimoniorum ſanctorum Patrum; ubi poſt lectam à notario partem definitionis quinti Concilii, ſubjicit Martinus Papa hæc verba; *Manifeſtatur nobis, ex his quæ relicta ſunt ſive definita à ſancto quinto Concilio, condemnatum eſſe & alienum ſanctâ Dei Eccleſiâ unumquemque, qui non ſuſceperit verbo & mente omnes ſanctas Synodos & venerabiles Patres, cunctaque quæ ab eis pro orthodoxa fide expoſita ſunt in deſtructionem omnium hæreſium.* Hæc ibi Martinus.

*Aſſumtio rurſum de Honorio.* 34. Aſſume rurſum de Honorio; At duas Chriſti operationes, ſecundùm duas ejus naturas, à ſanctis Synodis & venerabilibus Patribus expoſitas, non ſuſcipit Honorius verbo & mente, imò nec verbo ſuſcipit nec mente, ſed contemtim rejicit, tanquam aliquid ad nos minimè pertinens, imò tanquam ineptum; Unius autem (inquit) operationis vel duarum eſſe vel fuiſſe Mediatorem Dei & hominum Dominum Jeſum Chriſtum, ſentire & promere, ſatis ineptum eſt: [πάνυ ἐστὶ ἀσυμφορον ...] Ergo.

*Octava inſtantia.*

35. *Octava Inſtantia*: Ecthesis, ſub Heraclii nomine à Sergio edita, continet multa quoad rem errone & hæretica; teſte univerſa illorum temporum Catholicâ antiquitate: ergo epiſtola Sergii ad Honorium, & Honorii epiſtola ad Sergium continent multa quoad rem erronea & hæretica. Conſequentiæ ratio manifeſta eſt legentibus ea ſcripta: Nam nihil aliud de voluntate & operationibus Chriſti inſeruit Sergius Ecthesi, niſi quod jam antea ſcripſerat ad Honorium, & Honorio probari compererat. Imò verba Ectheſeos de voluntate & operationibus ſunt ipſiſſima illa, quæ leguntur in illis epiſtolis Sergii & Honorii. In eis autem verbis eâque mente Sergius, Honorii conſenſione, approbatione, & hortatu ſuffultus & animatus, perſtitit: aut igitur orthodoxa quoad rem eſt ea Ecthesis, (quod nullus quamvis profligatiſſimi pudoris Papiſta audet aſſerere;) aut hæreticæ quoad rem ſunt illæ epiſtolæ, quæ & re & verbis, idem exhibent quod ea Ecthesis.

*Nona inſtantia.*

36. *Nona Inſtantia*: Martinus primus, Papa Romanus, in ſua Synodo, ſecretario quinto, poſt lectionem teſtimoniorum veterum hæreticorum, ait, authores novitatis Monothelitas & ſenſu & verbis cum illis conſentire: idque aliquot ſententiarum collatione luculenter oſtendit. Monothelitarum autem hæreticas, & antiquorum hæreticorum dictaminibus conſentaneas conſonaſque ſententias, ad guſtum præbendum, has expreſſè inducit. 1. Propterea unam voluntatem dicimus, ut ne ipſum ſibi repugnantem dogmatizemus, aut duos volentes introducamus. 2. Utpote minimè poſſe habentes duas voluntates in una perſona ſubſiſtere ſibi, ſed per omnia oppugnantes ſe, atque ſibimet reſiſtentes. 3. Sed & in recuſatione calicis non diverſam atque contrariam introducimus voluntatem. Propterea in omnibus, & in hoc ſequentes ſanctos Patres, unam voluntatem Domini confitemur. 4. Similiter autem & duarum operationum vocem multos ſcandalizare, utpote à nullo de ſanctis & probabilibus Eccleſiæ myſtagogis dictam. Hinc ſic argumentor; Hæ ſententiæ ſunt quoad rem hæreticæ: at has quatuor ſententias manifeſtè continent & aſſerunt epiſtolæ illæ mutuæ Sergii & Honorii: ergo epiſtolæ illæ multa continent & aſſerunt, quoad rem, hæretica. Probata eſt major authoritate Martini Papæ: Minor patet legentibus eas epiſtolas, in quibus ſententiæ iſtæ, partim ipſiſſimis verbis, partim clariſſimè æquipollentibus, perſpicuè inveniuntur.

*Decima inſtantia.*

37. *Decima Inſtantia*: Sergius in epiſtola ad Honorium, unam tuetur voluntatem Chriſti, & negat duas, videlicet, Divinam & humanam; hoc argumento: *Quia nullo tempore intellectualiter animata Domini caro ſeparatim & ex appetitu proprio contrario nutui uniti ſibi ſecundùm ſubſiſtentiam Dei Verbi, naturalem motum ſuum effecit, ſed quando & qualem & quantam ipſe Deus Verbum volebat.* Hæc Sergius. Quæ comprobat confirmatque Honorius in ſua reſponſione ad Sergium. Ac propterea etiam Ecthesi Sergius eadem inferere non dubitavit. At hæretica eſſe hæc, docet Maximus Epiſcopus Aquilejenſis, in Synodo Martini, ſecretario quinto; Neque (inquit) diſſenſionis fomitem confeſſionem naturarum ejus, aut naturalium voluntatum ipſius & operationum, ſed tantum peccatum cognoſcimus, de quo penitùs naturaliter alienus & interemtor Dominus exſtans, & noſtræ diſſenſionis liber fuit; quem in duos dividentes contrarii, & ex ipſa re arguuntur, quam in una voluntate, quæ ab eis dogmatizatur; in ſcripto proferunt, dicentes utpote in nullo tempore intellectualiter animata ejuſdem carne, ex proprio impetu, contrariè unito ei ſubſtantialiter Deo Verbo, naturalem ejus motionem habente, ſed quando, & qualem, & quantum Deus Verbum volebat. Hoc enim dicentes, & Neſtorii diviſionem ſuperaverunt. ——— Et ex hoc unum in duos dividunt Chriſtum. Hæc Maximus Epiſcopus Aquilejenſis. Vide in eandem ſententiam verba Maximi Abbatis & Martyris, quæ invenies ſupra, cap. 25. §. 11.

38. *Undecima Inſtantia*: ait Sergius, in epiſtola ad Honorium; Si qua autem paſſio de eo in Euangelio dicitur, per humanitatem profectò, quæ ſuſcipiebat paſſionem, hujuſmodi operatus eſt. Operatur quippe verè Deitas per corpus, quod circa ipſam eſt, omnium ſalutem, ut ſit carnis quidem paſſio, Dei autem operatio. Hæc Sergius. Quæ tueri conatur Pyrrhus, in diſputatione cum Maximo, inquiens; Quid igitur? nonne Patres, ut diſtinguerent à Divina operatione, paſſionem appellaverunt motum humanum? Reſpondet Maximus; abſit; nullius enim rei eſſentia, ut universè dicam, ex collatione, aut comparatione cognoſcitur, aut definitur. Alioqui reperientur res eſſe inter ſe ſibi viciſſim cauſæ. Si enim, quia operatio eſt Divinus motus, humanus motus paſſio eſt, omnino etiam, quia bona eſt Divina natura, prava erit humana. & ſimiliter, ſecundùm tuam reciprocationem oppoſitionis, quia humanus motus paſſio dicitur, Divinus motus operatio dicetur, & quia pravus eſt humanus motus, bonus erit Divinus. Verùm apage! multæ enim fatuitatis ſunt iſta. Hæc Maximus, prope finem illius Diſputationis, ubi videre etiam poteris plura huc ſpectantia.

39. Sed nolo plurium inſtantiarum accumulatione lectorem diutius detinere. Ex his, quæ allatæ ſunt, uberrimè ac ſolidiſſimè confirmata, jam lucet clariſſima veritas primæ illius noſtræ propoſitionis, qua aſſerebamus, *Epiſtolas iſtas Sergii & Honorii multa continere quoad rem erronea, & Catholicæ veritati adverſantia.* Meritò igitur à ſexta Synodo damnatæ ſunt cum ſuis autoribus. Et impiè faciunt iſti Papiſtæ, jam vel mutire audentes contra æquiſſimam illam orthodoxæ antiquitatis ſententiam.

CAPUT



## CAPUT TRIGESIMUM.

### *Confirmantur cæteræ noſtræ propoſitiones.*

SEcunda noſtra propoſitio eſt; *Non ſolum voces prohibuit Honorius duarum voluntatum, & duarum operationum, ſed etiam earum orthodoxum ſenſum.*

2. Confirmatur: *Unius autem* (inquit) *operationis vel duarum eſſe vel fuiſſe Mediatorem Dei & hominum, Dominum Ieſum Chriſtum, ſentire & promere ſatis ineptum eſt.* Hæc Honorius in poſteriore epiſtola ad Sergium. Idem etiam unius cum Sergio confeſſionis unanime propoſitum profitetur in fine prioris epiſtolæ ad eundem Sergium. Sed quid multis opus? jam per plurimas ex ipſis Sergii Honoriique epiſtolis depromtas inſtantias, veritas hujus propoſitionis in anteceſſum demonſtrata eſt, in confirmatione ſuperioris propoſitionis, præcedente capite.

3. Tertia noſtra propoſitio. *Non erant novæ & antea inauditæ eæ voces, ſed jam olim antiquitati catholicæ probatæ, idque expreſſè ac definitè.*

4. Hujus propoſitionis veritas luculenter oſtenſa eſt præcedente capite, in ſeptima inſtantiâ, quam in primæ propoſitionis confirmationem adferebamus. Eademque patet ex ſuggeſtionibus Agathonis & Synodi ejus, & actis ſextæ Synodi.

5. Quarta noſtra propoſitio. *Non poteſt, negatis iſtis vocibus, ſalva manere debita confeſſio orthodoxæ fidei.*

6. Hanc propoſitionem confirmat inſtantia ſexta, præcedente capite allata pro confirmatione primæ propoſitionis. Vide igitur eam inſtantiam. In ſeptima etiam inſtantiâ, invenies hæc verba Maximi Martyris; Si Synodi propter vocem unius voluntatis Apollinarium & Arium anathematizaverunt; quomodo poſſumus pii eſſe, ſi voces hæreticis contrarias non confitemur? Et poſtea in eadem inſtantiâ invenies, jam olim anathemati ſubjectum eſſe quicunque has voces negaverit.

7. Synodus Martini Papæ, ſecretario quarto, in cenſura Typi, loquens de negatione duarum Chriſti voluntatum aut duarum ejuſdem operationum, ait; has voces negare, eſſe orthodoxorum Patrum verba & dogmata deſtruere, juſtitiæ traditionem perimere, abominationem facere. & addit, oportere Principem indignationem ſuam juſtè contra eos proferre, qui non confitentur quæ probabiles Eccleſiæ Patres confitentur, hoc eſt, duas ejuſdem atque unius ſicuti eſſentias unitas inconfuſè & indiviſè, ita & æquali numero voluntates & operationes, Divinam dico & humanam. Et ait, inconveniens eſſe catholicæ regulæ eas quoquomodo denegare. Et hanc adjiciunt rationem; Ab omni enim (inquit Synodus) contagione hæreticâ alienum conſiſtit verbum orthodoxiæ, quod ſine dubio intranſgreſſibiliter confiteri in confeſſione æterna omnibus præcepit Dominus, dum dicit; Qui me confitetur coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in Cœlis eſt. Hactenus.

8. Agatho, Papa Romanus, in ſua ſuggeſtione ad Conſtantinum Imperatorem ejuſque fratres, loquens de earundem duarum voluntatum & duarum Chriſti operationum confeſſione aut negatione, ait; Væ mihi erit, ſi ſilentio texero veritatem, quam erogare nummulariis juſſus ſum, id eſt, Chriſtianum populum imbuere & docere. Quid dicam in ipſius Chriſti futuro examine, ſi hic (quod abſit) prædicare ejus ſermonum veritatem confundor? Quid de me ipſo, quid de commiſſis animabus ſatisfaciam, dum de officio ſuſcepto rationem diſtrictam exegerit? Quis igitur, clementiſſimi atque piiſſimi domini & filii (quod tremens & conſternatus Spiritu dico) non provocetur illa admirabili pollicitatione, quæ fidelibus repromittit; *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus*, inquiens, *confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in Cœlis eſt?* Et quem infidelium ſaltem non perterreat illa ſeveriſſima comminatio, qua indignaturum ſe proteſtatur, & aſſerit, inquiens; Qui me negaverit coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre qui in Cœlis eſt? Unde & B. Paulus Apoſtolus gentium commonet, & dicit; *Sed licet nos aut Angelus de Cœlo evangelizet vobis, præter quod evangelizavimus vobis, anathema ſit.* Ubi itaque talis imminet depravantibus, vel tacentibus veritatem pœna ſupplicii, quomodo non eſt fugienda de fidei Dominicæ veritate ſubtractio? Et poſtea in eadem ſuggeſtione; Cum (inquit) hæc ita veritas habeat, certiſſimè claret, quod in Domino noſtro Jeſu Chriſto duas, id eſt, Dei & hominis naturas ſive ſubſtantias confitentes in unam ejus conveniſſe ſubſiſtentiam ſive perſonam, neceſſe eſt, & duas nos naturales in eo fateri voluntates, Divinam videlicet & humanam. ——— Reddere itaque neceſſe eſt, quæ Divina ſunt eidem ut Deo; quæ humana ſunt, eidem ut homini. ——— Si itaque proprietates naturarum in uno eodemque Domino noſtro Jeſu Chriſto propter differentiam conſervantur, & differentiam quoque naturalium ejus voluntatum & naturalium operationum plena fide nos congruit confiteri, ut eorum [ſanctorum Patrum] doctrinæ pediſſequi in omnibus approbemur, & nihil hæreticæ novitatis in Chriſti Eccleſiam admittamus. Hæc Agatho.

*Tertia ſententia... Vide paulo inferius §.14.*

*Matth.10, 32.33.*

*Galat.1,8.*

*Agatho Papa Rom. ſe doctrinæ Patrum pediſſequum eſſe profitetur.*

9. Idem Agatho, ejuſque Synodus, in altera ſuggeſtione, Theodorum Pharanitanum, & Cyrum & Sergium, vocant veræ confeſſionis adverſarios, propter negatas ab eis duas Chriſti voluntates & duas ejuſdem operationes; & quicunque eas confiteri noluerint, ut infeſtos Catholicæ atque Apoſtolicæ confeſſioni, perpetuæ condemnationis reos eſſe cenſent.

*Obſervatio.*

10. Obſerva argumenta hæc pro confeſſionis hujus neceſſitate, & contra negationem, ab orthodoxis hiſce Patribus allata, convenire æquè tempori Honorii, ac temporibus Martini & Agathonis: petita enim ſunt à perpetua immutabilis noſtræ fidei, in ſacris ſcripturis traditæ, veritate, æternæque confeſſionis neceſſitate, & antiquorum Pa-

trum conſtanti doctrinâ. Uſui nobis erit hæc obſervatio ad confirmationem propoſitionis ſeptimæ.

11. Quinta noſtra propoſitio. *Sergius poſtea detectus eſt ſcripſiſſe quædam hæretica, in ea ipſa epiſtolâ, quam ſuo conſenſu comprobavit Honorius.* *Quinta Propoſitio.*

12. Teſtantur hoc acta ſextæ Synodi, actione 13. & judicii Synodici æquitatem confirmant etiam inſtantiæ in primæ propoſitionis confirmatione allatæ, ſuperiore capite. *Confirmatio.*

13. Sexta noſtra propoſitio. *Honorius ſuâ ſcriptione eam Sergii hæreſin fovit ac roboravit.* *Sexta propoſitio.*

14. Hujus propoſitionis veritatem ſic oſtendo. 1. Sergium errores peſtiferos, ſcriptâ ad Honorium epiſtolâ, palam profitentem, non reprehendit Honorius, neque eum admonuit ut errores abjiceret. Rectè Ambroſius, in ſermonibus de Sanctis, ſerm. 1. *Quiſquis* (inquit) *fratrem non arguit peccantem, quodammodo hortatur ut peccet.* Idem alibi ait; *In cauſſa autem Dei, ubi communionis periculum eſt, etiam diſſimulare, peccatum eſt.* Ambroſ. lib. 2. de officiis, cap. 24. Baſilius Cæſarienſis, in Moralibus, regula 70. cap. 7. Perſpicuis aliquot Scripturæ teſtimoniis hanc confirmat aſſertionem; ὅτι ὁ πιστευθεὶς τ λόγον τ Κυρίου διδασκαλίαν, ἐὰν σιωπήσῃ τι τ ἀναγκαίων εἰς τὴν αὐτ Θεῷ εὐαρέστησιν, ὑπεύθυνός ἐστι τ αἵματ@ τ κινδυνευόντων. id eſt, *quod cui commiſſa eſt prædicanda doctrina Domini, is ſi quid reticuerit eorum quæ ad Deo placendum neceſſaria ſunt, reus eſt ſanguinis eorum qui periclitantur.* Et quinta Synodus œcumenica, ait; *Omnibus eſſe fidelibus manifeſtum, quod quando de fide ratio movetur, non ſolum impius condemnatur, ſed etiam ille, qui poteſt quidem prohibere impietatem, negligit verò aliorum ſalutem.* Hæc illi Patres in ſententia Synodica, ſuprà lib. 3. cap. 25. §. 1. *Nam* (ut verbis utar Gregorii primi Papæ Romani) *quomodo ſine erroris ſuſpicione ſit, qui patientiam præſtat erranti?* Hæc Gregorius, lib. 7. epiſt. 6. indictionis ſecundæ. Ubi etiam ait; *qui non corrigit reſecanda, committit.* Et Victor, Epiſcopus Carthaginenſis, Theodorum Papam Romanum per epiſtolam hortans, ut Monothelitis vigilanter reſiſtat; *Imminendum eſt* (inquit) *ne corpore deſidia oppreſſi, culpa taciturnitatis teneamur obnoxii, & quaſi faventem impendentes judicemur, dum adverſa catholicæ fidei propulſare negligimus. A beato namque Felice Apoſtolico veſtræ ſanctitatis prædeceſſore dictum eſt; Negligere quippe, cum poſſis deturbare perverſos, nihil eſt aliud quam fovere: nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obviare.* Hæc Victor in ſua epiſtola Synodica, ad Theodorum Papam Romanum, quæ extat ſub finem ſecundi ſecretarii Synodi Lateranenſis, ſub Martino primo Papa Romano celebratæ. Ubi etiam hanc Victoris hortationem repetit & laudat Martinus Papa, & ſecundùm eam ſe facturum declarat. Ponitur in Decretalibus, ſententia hæc Stephani Papæ: *Qui alios, cum poteſt, ab errore non revocat, ſeipſum errare demonſtrat.* Extra, de hæreticis, cap. 2. qui alios. Hoc autem officium neglexit Honorius, qui (ut verbis utar Leonis ſecundi Papæ Romani) flammam hæretici dogmatis, non, ut decuit Apoſtolicam auctoritatem, incipientem extinxit, ſed negligendo confovit. 2. Sergium errantem non ſolùm reprehendere neglexit Honorius, ſed etiam laudavit. 3. Suum cum Sergio in eodem errore conſenſum Honorius palam profeſſus eſt. 4. Erroneam Sergii ſcriptionem etiam argumentando niſus eſt corroborare. 5. Hortatus eſt Sergium, ut in ea mente perſeveraret. 6. His evidentiſſimis probationibus accedit graviſſima auctoritas ſextæ œcumenicæ Synodi, quæ actione 13. pronunciat, Honorium Sergii mentem in omnibus ſecutum eſſe, & impia ejus dogmata confirmâſſe. Item Leonis Papæ Romani, & aliorum id ipſum de Honorio unanimiter affirmantium.

*Diſſimulatio & ſilentium quandoque vitioſa ſunt. Vide paulò ſuperius §. 2.*

*Culpa taciturnitatis.*

*Vide cap. 20. §. 1. & §. 2.*

15. Septima noſtra propoſitio. *Non liberat Honorium circumſtantia temporis.*

16. Manifeſta eſt hujus propoſitionis veritas, per inſtantias ſextam, ſeptimam, octavam, allatas præcedente capite, in confirmatione primæ propoſitionis: & per ea quæ ſuperiùs hoc ipſo capite dicta ſunt in confirmatione quartæ propoſitionis. Summa eſt: 1. Quandocunque nefas eſt negare duas Chriſti naturas, tunc etiam nefas eſt duas ejuſdem negare voluntates & duas operationes naturales: at tempore Honorii nefas fuit negare duas Chriſti naturas: ergo. 2. Quando nefas eſt doctrinæ in Sacra Scriptura evidenter traditæ contradicere, tunc nefas eſt negare duas Chriſti naturales voluntates, & duas ejuſdem naturales operationes: at tempore Honorii nefas fuit doctrinæ, &c. ergo. 3. Quod ante Honorium orthodoxè ac definitivè confeſſi palam ſunt probabiles Eccleſiæ Patres, id Honorio negare aut rejicere nefas fuit: at duas Chriſti naturales voluntates & duas ejuſdem operationes ante Honorium, &c. ergo. 4. Pius non eſt, qui voces hæreticis contrarias confiteri recuſat: at hoc facere recuſavit Honorius: ergo. 5. Qui qualemcunque hæreticorum & abominandam vocem comprobat & ſuſcipit, condemnatus eſt; at Honorius hæreticorum abominandas voces comprobat & ſuſcipit, ergo. 6. Quod intranſgreſſibiliter confiteri in confeſſione æternâ omnibus præcepit Dominus, illud non licuit Honorio negare: at duas Chriſti naturales voluntates, & duas ejuſdem naturales operationes intranſgreſſibiliter confiteri, &c. ergo. 7. Quod negari non poteſt, abſque ſubtractione de fidei Dominicæ veritate, illud non licuit Honorio negare: at duæ Chriſti voluntates & operationes naturales negari non poſſunt abſque ſubtractione, &c. ergo. 8. Quod negare non potuit Honorius, abſque negatione Chriſti, illud omnino nefas ei fuit negare: at duas Chriſti voluntates & operationes negare non potuit abſque negatione Chriſti: ergo. 9. His adjice contrariam praxin orthodoxorum: Sophronius duas operationes per literas ſuas Synodicas aliaque ſcripta palàm conſtanterque profitens, &, in hoc Sergio aliiſque Monothelitis cum Sophronio tum Maximus validiſſimè contradicentes, prudenter fecerunt & piè: ergo Sergius & Honorius, eodem tempore, catholicæ eorum confeſſioni reſiſtentes, & duas Chriſti voluntates & operationes palàm contumaciterque negantes, ſecundùm eundem ſenſum, quo ab orthodoxis afferebantur, fecerunt impudenter & impiè. 10. Denique audiamus Agathonem ejuſque Synodum in ſuggeſtione ad Conſtantinum Imperatorem, de perpetua confeſſionis hujus



hujus neceſſitate, ſic diſſerentes; Execratur (inquiunt) vera confeſſio pietatis, juxta diverſitates temporum variari, ſicut nec ipſe varietatem admittit, de quo eſt ipſa vera confeſſio, qui dicit; Ego ſum, & non ſum mutatus. ——— Vera fides immutari non poterit, nec aliter nunc, aliter poſtmodum prædicari. Quia *ſit ſermo veſter*, ut Apoſtolus docet, *eſt, eſt; non, non: quod plus eſt, à malo eſt.* Hæc Agatho ejuſque Synodus 125. Epiſcoporum.

17. Ex his patet, nunquam licuiſſe Honorio duas Chriſti naturales voluntates, & duas ejuſdem naturales operationes negare, earumve confeſſionem prohibere: ne in prima quidem ſemente hæreſeos Monotheliticæ: quanto minus eo tempore, quo latius diſſeminata jam in culmos & peſtiferas ſpicas excreverat; is enim erat rerum ſtatus, etiam antequam Honorium de ea quæſtione compellaret Sergius: teſte Maximo martyre, in diſputatione cum Pyrrho: ubi ait; Sergium multis modis morbum ſuum in commune propoſuiſſe, & maximam partem Eccleſiæ corrupiſſe ac vaſtâſſe, antequam eum de ea quæſtione Sophronius, adhuc Monachus, admoneret. Poſtea etiam creſcente morbo, non deſiit eum ſtrenuè fovere Honorius.

18. Octava noſtra propoſitio. *Non poteſt prævaricationis Honorianæ ulla inveniri idonea excuſatio in diſſimillimo exemplo Sophronii.* *Octava Propoſitio.*

19. Quamvis ſcribat Sergius, Sophronium conſenſiſſe de reticendis duabus operationibus: credendum tamen ipſi potius Sophronio; qui eodem anno jam Hieroſolymitanæ Eccleſiæ ordinatus Epiſcopus, ſcripſit ad Sergium prolixas Synodicas literas, in quibus duas operationes palam profeſſus eſt, earundemque confeſſionem neceſſariam eſſe luculenter demonſtravit. Non igitur conſenſit Sergio Sophronius de reticendis duabus operationibus, ſed tantummodo ulteriorem cum Sergio, per verba oris in auras volantia & nihil apud Sergium proficientia, diſceptationem pro tempore declinans, petiit ſibi à Sergio ſcripta præberi ea, quæ ipſi de mota quæſtione maximè probarentur, promittens ſe in eadem fore ſententiâ, ſi cum orthodoxorum Patrum Doctrinâ convenirent, ut jactabat Sergius. Mox autem in Orientem reverſus, factâ collatione, evidentiſſimè deprehendit Sergianæ jactantiæ vanitatem. Itaque veritatem Catholicam de duabus unius Chriſti naturalibus operationibus, quam antea Cyro & Sergio ſincerè ac humiliter commendaverat, ſcriptis nunc Synodicis atque Encyclicis literis coram orbe Chriſtiano totâque poſteritate confidenter ſapienterque proclamat, ac publicè defendendam ſuſcipit. Et ex eo tempore non ceſſavit Monothelitis validiſſimè contradicere. Cum tamen Honorius interea, etiam poſt hanc publicam Sophronii profeſſionem, ipſi etiam Honorio per legatos intimatam, non deſiſteret Sergium in errore corroborare, & cum eo duarum operationum vocem, tanquam novam & ipſo etiam ſenſu ineptam, pertinaciter rejicere, ac prohibere: ut patet ex poſteriore Honorii ad Sergium epiſtolâ.

20. Nona noſtra propoſitio. *Neque defendi poteſt Honorius exemplo Hieronymi.*

21. Hieronymus in epiſtola ad Damaſum Papam Romanum, quæ incipit, *Quoniam vetuſto.* Conſuluit Damaſum de nomine trium hypoſtaſeon, à quo ſe libenter abſtinere dicit propter ejus ambiguitatem; totâ (inquit) ſecularium literarum ſchola nihil aliud hypoſtaſin, niſi uſiam novit. Latini enim hypoſtaſin vertebant *ſubſtantiam.* Et hoc ſenſu recuſabat Hieronymus dicere tres hypoſtaſes. Cum autem acriter urgerent Orientales, ut ſenſu orthodoxo confiteretur tres hypoſtaſes, & idem hac voce intelligeret, quod alii voce trium ſubſiſtentium perſonarum; reſpondit ſe ſenſum illum amplecti, ipſamque vocem cum adjecta hac explicatione ſuſcipere, quamvis tres hypoſtaſes, abſque expreſſa interpretationis adjectione, dicere timeret, propter ambiguitatem. Hac autem Logomachiâ quatenus inter ſe orthodoxi aliquamdiu certârint, & quemadmodum ſancita ſit concordia, Concilio Alexandrino utroſque tanquam orthodoxos ſuſcipiente, & unanimem utrorumque ſenſum approbante, docuimus ſuprà lib. 1. hujus operis, cap. 2. §. 8. Unde manifeſtum eſt non poſſe hoc Hieronymi exemplo defendi Honorium, voces duarum naturalium unius Chriſti voluntatum, & duarum naturalium ejuſdem operationum, orthodoxas & minimè ambiguas, atque à ſanctis Patribus contra hæreticos definitivè uſurpatas, pertinaciter negantem ac prohibentem, idque ſecundùm eundem ſenſum, quo ab orthodoxis Patribus jam olim (ante Honorium) dogmaticè & ſecundùm Sacras Scripturas agoniſticè ac definitivè expoſitæ ac prædicatæ ſunt: eaſque voces partim approbantem, partim dictantem, quæ tum ante, tum poſt ejus tempora anathematiſmis ſunt exploſæ ab orthodoxis Synodis. Negantes autem ea quæ negavit Honorius, eaque affirmantes quæ ille affirmavit, nulla unquam orthodoxa Synodus, de ea cognoſcens controverſiâ, ſuſcepit ut orthodoxos: ſed omnes concordibus ſententiis eam amentiam condemnarunt.

22. Decima noſtra propoſitio. *Mirum non eſt, ſi Honorius ſui oblitus, quædam de hac quæſtione ſcribat, ſeſe mutuo deſtruentia. Hoc enim Sergio etiam, aliiſque Monothelitis contigiſſe, obſervavit Catholica antiquitas.* *Decima Propoſitio.*

23. Hæc propoſitio, de Monothelitarum inconſtantia & pugnantibus inter ſe eorum aſſertionibus, prolixè demonſtratur à Maximo Martyre, in diſputatione cum Pyrrho, & à Martino Papa Romano, in ſua Synodo, ſecretario primo, & ſecretar. 4. & ab ipſa illa Martini Synodo, ſecret. 4. in cenſura Typi. & à Maximo Epiſcopo Aquilejenſi, in eadem Synodo, ſub finem ejuſdem quarti ſecretarii; ubi hanc adfert quadruplicem inſtantiam: Monothelitæ verbis confitebantur de Domino noſtro Jeſu Chriſto hæc quatuor, 1. Per omnia nobis ſimilem factum eſſe abſque peccato. 2. Perfectum eſſe in utraque naturâ. 3. Deum verum eſſe eundem & hominem verum. 4. Utriuſque naturæ in una perſonâ indiminutè ſalvari naturalem proprietatem. Ea tamen omnia re ipsâ negabant, negando duas unius Chriſti naturales voluntates, & duas ejuſdem naturales operationes. Impoſſibile eſt enim (*inquit ibi Maximus*) perfectè haberi aut confiteri ab eis, quæ prædicta ſunt, dum hæc abnegare contendunt per taciturnitatem, ſed

*Confirmatio.*

*Quatuor inſtantiæ in quibus Monothelitæ pugnantia prædicabant.*

*Abnegatio per taciturnitatem.*

ſed verè illud doloſè faciunt, quod ſcribens Cledonio Theologus Gregorius ait; *Quando communibus vocibus, quas videlicet Scriptura oſtendit, arguuntur & comprimuntur, pias quidem voces confitentur, intellectum verò corrumpunt.* Hæc ibi.

*Alia inſtantia.*

24. Sic confitetur Honorius, in poſteriore epiſtola, duas unius Chriſti naturas propria operantes. At ibidem ineptum eſſe pronunciat, ſentire, Chriſtum eſſe vel fuiſſe unius operationis vel duarum operationum, juxta unius vel geminæ naturæ Chriſti Dei vocabulum. *Martinus* autem Papa Romanus in ſua Synodo, ſect. 1. *Quicquid* (inquit) *ſine operatione fuerit, & voluntate, neque naturaliter operabitur aliquid omnino, nec vult.*

25. Sic *Pyrrhus* in diſputatione cum Maximo, confeſſus duplicem Chriſti naturam, & Chriſtum, propter duplicem naturam, dupliciter operatum, negat inde ſequi duas ejus eſſe operationes: ſed quia unus erat qui operabatur, ait unam eſſe operationem. Sic etiam Pyrrhi ſucceſſor Petrus, & unam & duas voluntates & operationes in diſpenſatione Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti ſapere ſe proteſtatus eſt: teſte Agathone in Suggeſtione ad Conſtantinum Imperatorem.

26. Idem *Agatho*, in eadem Suggeſtione, ait Monothelitas in ipſo errore non eſſe conſtantes, ſed ſemper inſtabiles. Et de eiſdem loquentes Agatho ejuſque Synodus, in poſteriore ſuggeſtione, ajunt; qui novi erroris auctores, perfectæque diſpenſationi, quâ ſalvati ſumus, infeſti, non ſolum veræ confeſſionis adverſarii, ſed, utpote à viâ veritatis aberrantes, ſibi ipſis contraria docuerunt, aliter & aliter aſſerentes, & alterutrum dogmata deſtruentes. Quod enim nullâ veritate fundatum eſt, neceſſe eſt ut erroris inconſtantiâ varietur. Hæc ibi.

*Error eſt inconſtans, vide lib. 4. cap. 1. § 13. & lib. 1. cap. 2. § 7. & lib. 3. cap. 15. § 2.*

27. *Conſtantinus Auguſtus*, in ſuo edicto confirmatorio ſextæ Synodi; Hujuſmodi (*inquit*) denique contagione Eccleſias contaminaverunt etiam hi, qui ante noſtra tempora ſacrilegi ſacerdotes Eccleſias perverſè gubernarunt. Sunt autem hi: Theodorus, qui fuit Pharan Epiſcopus; Sergius, qui fuit noſtræ à Deo conſervandæ regiæ urbis antiſtes: adhæc & Honorius, qui fuit antiquæ Romæ Papa, hujuſmodi hæreſeos confirmator, qui etiam ſui extitit oppugnator [καὶ [illegible]] Hæc Conſtantinus Imperator, in ſuo edicto.

*Honorius ſui oppugnator.*

28. Honorius apertè profitetur ſe fateri unam Domini noſtri Jeſu Chriſti voluntatem, licet unam dici ejuſdem operationem vel duas, prohibeat. Sic etiam Sergius in Ecthesi, & Paulus in epiſtola ad Theodorum Papam Romanum, & Macarius etiam Monothelita hæreticus, in ſexta Synodo, in fine actionis ſecundæ, interrogatus ab Imperatore, num unam intelligeret operationem, reſpondet: Ego numerum non dico, ſed Deivirilem ejus operationem, ſecundùm ſanctum Dionyſium. Imperator rurſum ait, & quomodo intelligis Deivirilem operationem? Reſpondet Macarius; Ego non ſuperjudico, ἐγὼ οὐκ ἐπικρίνω. Item in eadem Synodo, actione quarta; Non dico (*inquit Macarius*) duas voluntates, aut duas operationes in incarnationis diſpenſatione Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſed unam voluntatem & Deivirilem operationem. [ἓν θέλημα, καὶ θεανδρικὴν ἐνέργειαν.]

*Non erat unum & idem ex Monothelitarum mente, prohibere vel profiteri dictionem unius operationis, ac prohibere vel profiteri dictionem unius voluntatis.*

29. Errant igitur Bellarminus & Gretſerus, dum ajunt, unum & idem, ex Monothelitarum mente, eſſe, prohibere dictionem unius operationis, ac prohibere dictionem unius voluntatis. Nam Monothelitæ, etiam dum hanc confiterentur, ab altera abſtinebant, eamque prohibebant.

30. Undecima noſtra propoſitio. *Honorius non invenitur revocâſſe errorem, ſed potius in eo uſque ad obitum perſeveraſſe.*

31. Tantundem pro perſeverantia Honorii in hoc errore habebant Patres ſextæ Synodi, ac pro perſeverantia Sergii, & Cyri, & aliorum in eodem errore. Nam errorem ejus, & pertinacem veritatis oppugnationem, deprehendebant ex ipſius literis adhuc extantibus; at revocationem erroris ab Honorio factam eſſe, neque ex chartis, neque ex Sedis Romanæ legatis in Synodo præſentibus, innotuit: imò non factam eſſe confirmat Legatorum Romanorum & Pontificum in Honorii damnationem unanimis & conſtans conſenſus. Neque ea Honorii recantatio, ſi qua facta fuiſſet, latuiſſet ſcribam illum ipſius Honorii, qui poſt mortem Honorii in affingendo epiſtolæ Honorianæ commentitio ſenſu, quo eam excuſaret, tantopere, licet infeliciter, laboravit. Neque eum ejuſmodi tam ineptâ defenſione uti ſiviſſet Joannes Papa, Honorii ſucceſſor, ſi eſſet ab ipſo Honorio error ſuus agnitus & damnatus. Neque objectam à Monothelitis Honorii conſenſionem ſilentio diſſimulâſſent Theodorus & Martinus, Pontifices Romani, ſi errorem ſuum Honorius revocâſſet: habuiſſent enim in promtu expeditam viam eripiendi Monothelitis Honorium. Non igitur revocavit errorem ſuum Honorius, ſed in eo pertinaciter uſque ad obitum perſeveravit, ſicut Sergius, Cyrus, & alii, ideoque juſto Synodorum Pontificumque judicio eandem cum aliis Monothelitis damnationis ſententiam ſubiit.

## CAPUT TRIGESIMUM-PRIMUM.

*Refellitur ultima Papiſtarum ſtropha, quâ Honorium ajunt erràſſe occultè, ut privatam perſonam; non autem publicè, ut Papam Romanum.*

*Joſ. 10.*

OMni jam alio præſidio ejecti, ad hanc diſtinctionem confugiunt, & in eam tandem, velut in Makkedæ ſpeluncam Amorrhæi iſti, ſeſe abdunt. Extrahamus igitur eos è latibulo, & colla eorum veritati, ejuſque cultoribus, calcanda ſubjiciamus.

2. Staniſlaus Hoſius, Epiſcopus Varmienſis, lib. ſecundo contra Brentium, qui eſt de legitimis judicibus rerum Eccleſiaſticarum; Ut (inquit) verum eſſe credamus, quod ejus generis aliquid ſcripſerit Honorius, certè privatas is literas ad Sergium dederat, nihil de Concilii ſententiâ, nihil eâ de re maturè fratrum concilio decreverat. quod ſi quid verò tale facit Pontifex, ſi privatim tradit aliquid, non eſt id Petræ protinus impingendum. *Et paullò poſt;* Succeſſerunt igitur (inquit) omnes Pontifices Romani, ſi minus in pietatem & ſanctitatem, ſaltem in fidem & doctrinam Petri, quam & non aliam publicè ſemper ſunt profeſſi. Nam quid in corde cujuſque clauſum fuerit, ejus eſt ſolius judicium qui ſcrutatur corda & renes. Exigit autem hoc à nobis Chriſtiana charitas, ut bene de cunctis exiſtimemus & pro Catholicis omnes habeamus, quos nihil Catholicæ fidei contrarium apertè profiteri videmus. Hæc Hoſius.

*Melchior Canus.*

3. Melchior Canus, Epiſcopus Canarienſis, lib. 6. de locis Theologicis, cap. 7. ſeu ultimo, ad 12. Non eſt (*inquit*) negandum, quin ſummus Pontifex hæreticus eſſe poſſit, cujus rei exemplum unum & alterum forſitan proferetur; at quod in fidei judicio contra fidem definierit, ne unum quidem proferri poteſt. —— Non enim fides interior Romani Pontificis Eccleſiæ eſt neceſſaria: nec illius occultus & privatus mentis error Eccleſiæ Chriſti nocere poteſt. quapropter non eſt neceſſe, ut interioris fidei conſervatione Romanis Pontificibus Deus ſemper aſſiſtat. At, quod, dum ea decernunt, quę fidelibus credenda ſunt, dumque Eccleſiam Chriſti in fide dirigunt, non deficiant, ſed Divinâ manu teneantur; id Eccleſiæ opus: idque proinde Romanis Epiſcopis etiam imbecillis & aliàs privatim errantibus non negabitur: ne videlicet per publicæ poteſtatis errorem Eccleſiam faciant in communi veritatis ignoratione verſari. *Hæc Canus.*

*Cardinal. Bellarm.*

4. Robertus Bellarminus Cardinalis, lib. 4. de Romano Pontifice, cap. 11. §. Dices. objicit ſibi, Credidiſſe Concilia, Papam errare poſſe, cum Honorium hæreticum fuiſſe crediderint. Reſpondeo (inquit) credidiſſe ſolùm eos Patres, Papam errare poſſe, ut privatum hominem: quæ eſt opinio probabilis, quamvis contraria nobis videatur probabilior, id enim eſt, de quo accuſatur Honorius, quod privatis literis hæreſin foverit. Hæc ibi. Idem autem eodem libro, capitib. 2. & 3. certiſſimum eſſe contendit, quod Romanus Pontifex, etiam ſolus, & ſine Concilio, non poſſit ullo modo definire aliquid hæreticum, à tota Eccleſia credendum: non poſſit ullo caſu errare, cum totam Eccleſiam docet, in his quæ ad fidem pertinent.

*Gretſer.*

5. Idipſum docet Gretſerus, in defenſione illorum capitum: ejus verba ſunt; Papa qua talis, definiens aliquid, non modo cum Concilio generali errare non poteſt, ſed nec ſolus, & abſque Concilio. At Concilium ſine Papa errare poteſt. Hinc major eſt auctoritas Papæ, quàm Concilii: præſertim cum ſummo & juncto etiam Papa cum Concilio, omnis Concilii infallibilitas derivetur à Papa non vice verſa. Hinc & altera Whittakeri cavillatio evaneſcit; ideo enim Papa cum Concilio non errat, quia Papa eſt: & non ob eam cauſam quod cum Concilio idem ſentiat, quaſi certitudo & infallibilitas ſententiæ à Concilio in Papam derivetur. Hæc Gretſerus, in defenſione Bellarmini, lib. 4. de Romano Pontifice, cap. 2.

6. Bellarminus autem, in ejuſdem capitis recognitione, ſententiam Nili, Gerſonis, Almaini, Alphonſi de Caſtro, & Adriani VI, aſſerentium, Pontificem, etiam ut Pontificem, poſſe eſſe hæreticum, & docere hæreſim, ſi abſque generali Concilio definiat, & de facto aliquando accidiſſe; hanc, inquam, ſententiam judicat Bellarminus eſſe ita manifeſtè erroneam, ut meritò poſſit Eccleſiæ judicio, hæretica declarari. Idem etiam, eodem lib. 4. de Pontifice Rom. cap. 3. §. Reſpondent. Contendit totam firmitatem Conciliorum legitimorum eſſe à Pontifice: non partim à Pontifice, partim à Concilio. Deinde, an. ſæpe non poſſe cogi generale Concilium; ſicut non potuit primis 300. annis, propter perſecutionem. Denique, ſi Concilium diſſentiret à Papa, Papam ut judicem infallibilem ſequendum eſſe, relicto Concilio, utpote errante. & cap. 2. fieri non poſſe ut Papa, etiam ſolus, temerè aut erroneè definiat. Idem docet Stapletonus, contra Whittakerum lib. 1. defenſionis auctoritatis Eccleſiaſticæ. In Romana Sede (inquit Driedo lib. 4. de dogmatibus Eccleſiaſticis. cap. 3. part. 3.) hactenus nullus ſedit hæreſiarcha, qui docendo definierit aliquid fidei noſtræ repugnans. Hæc Johannes Driedo. Hanc de Papæ, etiam ſolius, infallibilitate ſententiam, Bellarminus ait eſſe communiſſimam omnium ferè Catholicorum.

*Stapleton.* *Driedo.* *Bellarm.*

*Obſerva de auctoritate Papæ, ſine Concilio.*

7. Iſta ideo obſervo, ut ſcias non requiri (ipſis fatentibus Papiſtis infallibiliariis) ad publicam Papæ auctoritatem aſſiſtentiam alicujus Concilii: ſed ſatis eſſe, ſi doctrinam aliquam ipſe Papa, qua talis, etiam ſolus profiteatur.

*Diſtinctiones uſitatæ in præmiſſis Pontificiorum teſtimoniis habentur.*

8. Quid autem interſit inter profeſſionem doctrinæ Papalem, qua Papa eſt, & Honorianam (ut in præſenti inſtantiâ maneamus) qua Honorius privata eſt perſona, indicant Papiſtæ per has diſtinctiones. 1. Quod occultè & interius in corde clauſum tenet Papa, id tenet ut privata perſona: at quod apertè profitetur, illud tenet ut Papa. 2. Quod privatim tradit, illud tribuendum eſt privatæ ejus perſonæ; at quod publicè profitetur, illud Papale eſt. Publicam autem profeſſionem Driedo interpretatur, quando Papa aliquid docendo definit, ſeu definitivè docet. Canus autem, quando Papa ea decernit, quæ fidelibus credenda ſunt, & quando Eccleſiam Chriſti in fide dirigit. illum Papæ errorem Canus agnoſcit pro Papali & publico, qui ita palàm profertur à Papa, ut Eccleſiæ Chriſti noceat, vel nocere poſſit. Bellarminus verò timidiùs, quando Papa aliquid definit à tota Eccleſia credendum, ſeu, quando totam Eccleſiam docet. Ridiculosè ſanè, quaſi verò non eſſet eadem totius Eccleſiæ & partium ejuſdem fides. Hoc certè eſt planè tergum in prælio vertere, omnemque ſpem adimere particularibus hominibus & Eccleſiis quicquam certum audiendi ex ore Papæ, quando eum conſultant de quæſtione aliqua Chriſtianæ fidei, niſi ſimul univerſa totius orbis Eccleſia ad Papam de ea quæſtione conſulendum, ejuſque vivam vocem audiendam in unum confluat. Non enim ſufficit bulla vel decretalis epiſtola; nam in ratione regulæ ſcriptæ ſufficit Sacra Scriptura Veteris & Novi Teſtamenti; Papæ autem vivam vocem ajunt eſſe regulam alteram non ſcriptam, & in hoc à Scriptura differentem; quod Scriptura ſit regula inanimata & muta, at vox Papæ ſit regula animata & vocalis per vivam vocem. Jam verò impoſſibile eſt, Papæ vivam vocem audiri vel intelligi ab omnibus & ſingulis omnium gentium & linguarum Chriſtianis, quibus opus eſt explicitâ certæ ac ſufficientis regulæ notitiâ. Præterea, ſi verum fateri volunt, agnoſcent haud dubiè tantum abeſſe, ut Papa Romanus hodiernus vivæ vocis ſuæ

*Bellarmini ridicula tergiverſatio.*

*Vox Papæ Romani non eſt regula fidei.*

oraculo univerſam Eccleſiam doceat, ut è contrario inſtar canis muti non valentis latrare planè dormitet; neque ullam prorſus Eccleſiam doceat: ſed, derelicto verbo Dei, miniſtret menſis, id eſt, in tuendis & amplificandis Sedis ſuæ opibus & dignitate externa totus occupetur. Væ eſt Paſtori & doctori, niſi ipſe euangelizet; nam diſpenſatio ipſi credita eſt. 1. Cor. 9. 16, 17. Vide Gregorium 1. Papam Romanum, hom. 17. in Euangelia.

*De Honorio.*

9. Sed dicamus de Honorio, quem ſi oſtenderimus errorem ſuum Monotheliticum, Catholicæ fidei contrarium, non ſolum interiùs in corde ſuo occultum tenuiſſe, nec privatim duntaxat tradidiſſe, ſed apertè ac publicè profeſſum eſſe, eundemque fidelibus ſequendum tradidiſſe, & in eo tanquam in doctrina Catholicâ omnibus Chriſtianis tenenda Eccleſiam direxiſſe; Et per hanc publicam erroris ſui profeſſionem Eccleſiæ Chriſti nocuiſſe: palàm fiet (per ipſas Papiſtarum regulas) eum etiam ut Papam erraſſe, & hæreſin foviſſe, & per conſequens Papam Romanum nullo modo eſſe infallibilem controverſiarum de fide judicem.

*Bellarmini falſa aſſertio.*

10. Prius tamen monebo, falſum eſſe quod ſcribit Bellarminus, de eo eſſe accuſatum Honorium, quod privatis literis hæreſin foverit. Nam in toto proceſſu accuſationis & condemnationis Honorii, literæ illæ nuſquam dicuntur privatæ: ſed fuerunt dogmaticæ conſtitutiones, per literas Papales à Papa propoſitæ: fuerunt decretales epiſtolæ, quales aliorum multorum Pontificum Romanorum epiſtolæ inveniuntur, quibus æqualem auctoritatem cum canonibus Eccleſiaſticis vendicat Nicolaus Papa, apud Gratianum, diſt. 19. Si Romanorum. Ubi decretalium epiſtolarum nomine, docet ſe intelligere eas epiſtolas, quas Sedes Apoſtolica, ſive Pontifices Romani ab urbe Româ pro diverſorum Patrum conſultatione, diverſis temporibus dederunt, pro Catholica fide, pro ſanis dogmatibus, pro variis & multifariis Eccleſiæ neceſſitatibus, & fidelium moribus. quomodo autem à canone & decreto diſtinguatur decretalis epiſtola; docet auctor gloſſæ, 3. diſt. can. Omnes. In hoc conveniunt, quòd ſint conſtitutiones Eccleſiaſticæ. Differunt autem; quia, *canon* dicitur id, quod ſtatuitur in univerſali Concilio. *Decretum* dicitur, quod Papa ſtatuit de conſilio Cardinalium ſuorum ad nullius conſultationem. *Decretalis epiſtola* dicitur, quam ſtatuit Papa vel ſolus, vel cum Cardinalibus, ad conſultationem alicujus. Hæc ibi. Tales erant epiſtolæ Honorii ad Sergium. Et hujuſmodi epiſtolarum auctoritate nititur magna pars juris Pontificii, in Decreto, & Decretalibus, &c. Interea rectè monet Gratianus, ſi in Romanorum Pontificum decretalibus epiſtolis aliquid præcedentium Patrum decretis, vel Euangelicis præceptis contrarium inveniatur, eas meritò repudiari. 19. diſt. Ita Dominus. §. Hoc autem. Hujuſmodi fuerunt illæ epiſtolæ Honorii ad Sergium, ſicut oſtenſum ſuprà eſt plurimis inſtantiis; idcoque juſta ſextæ Synodi ſententiâ cum auctore damnatæ ſunt.

*Epiſtolæ illæ Honorii dogmaticæ & Papales ſeu decretales fuerunt.*

*Decretalis epiſtola quid ſit.*

*Oſtenditur Honorium palam & Papaliter ut Papam Romanum, profeſſum eſſe errorem Monothelitarum.*

11. Non eſt autem propter occultum aliquem & privatum errorem, haud nocentem Eccleſiæ, condemnatus à ſexta Synodo Honorius, ſed propter erroris publicam profeſſionem, & hæreſeos Eccleſiam vaſtantis confirmationem, magno Eccleſiæ detrimento. Errorem illum Honorius palàm ac obſtinatè profeſſus eſt per decretales ſuas epiſtolas ad Sergium, quas ſciebat in publica Patriarchii Conſtantinopolitani bibliotheca, ex conſuetudine, cum aliis id genus ſcriptis aſſervatum iri; earundemque exempla communicatum iri; earundemque exempla communicatum Sergium aliis Patriarchis Orientalibus: ut etiam factum eſt. Eundem errorem apertè ac publicè profeſſus eſt tum in ſua reſponſione ad legatos Sophronii Patriarchæ Hieroſolymitani, quos inſtruxit, ne duarum operationum vocabulum deinceps prædicare anniterentur, idemque Pontifici ſuo Sophronio ſuaderent: id quod à ſe factum eſſe ſcribit ipſe Honorius in poſteriori ſua epiſtolâ ad Sergium: quâ etiam Sergium hortatur, ut in eandem ſententiam ſcribat Cyro & Sophronio, ut nempe Cyrus ab unius operationis, & Sophronius à duarum operationum vocabulis diſcederent. quod ſe quoque facturum indicat. Apertè igitur ac publicè hunc errorem profeſſus eſt.

12. Quod autem errorem eum fidelibus ſequendum tradiderit, & in eo, tanquam in doctrina Catholica, omnibus Chriſtianis tenendâ, Eccleſiam direxerit, patet clariſſimè tum ex iis quæ jam dicta ſunt (non enim ſpecialiter per modum privilegii, ſed generaliter per modum generalis & communis regulæ omnes obligantis, illa ſcripſit ad Sergium, commendavit legatis Sophronii, ſcripturum ſe promittit, & Sergium hortatur ad ſcribendum Cyro & Sophronio:) tum etiam ex propiore intuitu epiſtol. Sergii & Honorii.

13. Conſuluerat eum Sergius, non ut privatam perſonam, ſed ut Papam Romanum, ad quem in primis, tanquam unum ex primariis Patriarchis pertineret cura conſervandæ veritatis & pacis in univerſali Eccleſia, idcirco ait Sergius ſe rationabile ſimul & neceſſarium judicaſſe, ut eum de illa controverſia rerumque ſtatu certiorem redderet, expetens ejus judicium, & rogans ſi quid imperfectè ab ipſo dictum ſit, id ſupplere dignetur Honorius, & per ſanctas ſuas ſyllabas adipſum ſignificare. Binius in ſuis notis in hanc Sergii epiſtolam (inter epiſtolas Honorii, tom. 4. Concil. edit. Pariſ.) ait, Sergium per iſta ſe ſuaque ſubjeciſſe cenſuræ Eccleſiæ & Sedis Apoſtolicæ. Ergo ad Honorium ſcripſit, qua Papam.

14. De hac graviſſimâ quæſtione conſultus à Sergio Honorius qua Papa Romanus, eidem quà Papa reſpondit, ut jam oſtenſum eſt. id quod etiam clariùs perſpicies, ſi attentè legas illas Honorii epiſtolas, in quibus laudat Sergii factum & judicium, eumque ad conſtantiam in eodem hortatur; ſeque idem facturum promittit: idque hos in fines: *Ut via regia incedant; & venatorum laqueos undique circumpoſitos evitent: ut Idumæi, id eſt, terrenis atque hæreticis propria relinquantur; ut novas voces ſanctis Dei Eccleſiis ſcandala generantes, refutent: ut ſimplices & humiles ſpiritu populi Chriſtiani non remaneant jejuni: ut ſervetur in Eccleſiis fides orthodoxa, & unitas Catholica.* [Hæc in priori epiſtola. Adjicit autem in poſteriori epiſtola;] *ut nova adinventionis, unius vel duarum operationum vocabulo refutato, clara Dei Eccleſiarum præconia nebuloſarum contentionum caligines non offundantur, vel aſpergantur: ut unius vel gemina operationis vocabulum à prædicatione fidei eximatur: ut non promatur illud de Chriſto, quod de illo ſentire & promere ineptum eſt: ut inſtruatur notitia ambigentium: ut non prædicent Honorius & Sergius, aliique Patriarchæ ac doctores, quæ eos de dogmate Eccleſiaſtico prædicare non oportet: ut unius confeſſionis propoſitum cum Sergio unanimiter monſtret.*



15. Hæc ſibi, ut Papæ Romano, & Sergio, ut Patriarchæ Conſtantinopolitano propoſuit Honorius. ideo eum, propter hanc perfidiam, Conſtantinus Imp. in edicto confirmatorio ſextæ Synodi, annumerat ſacrilegis ſacerdotibus, qui Eccleſias perversè gubernarunt. Et Leo ſecundus, Papa Romanus, in epiſtola ad eundem Conſtantinum Auguſtum, ideo anathematizat Honorium, quia Apoſtolicam Eccleſiam, non Apoſtolicæ traditionis doctrinâ luſtravit, ſed profanâ proditione immaculatam fidem ſubvertere conatus eſt. Et (in epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ) quia contra quam decuit Apoſtolicam auctoritatem, hæreſin fovit. Et (in epiſtola ad Ervigium Regem) quia immaculatam Apoſtolicæ traditionis regulam, quam à prædeceſſoribus ſuis accepit, maculari conſenſit.

16. Errorem igitur Honorius, quem cum Sergio communem habuit, tanquam ſacrilegus ſacerdos, & perverſus rector, per abuſum Apoſtolicæ auctoritatis, docendo definivit, fidelibus ſequendum tradidit, & in eo, tanquam in doctrina Catholicâ, omnibus Chriſtianis tenendâ, Eccleſiam direxit: & ſic hæreſin fovit, & Eccleſiæ nocuit. Ergo erravit, & in hæreſin incidit, eamque palàm ac pertinaciter fovit, adeóque hæreticus fuit, qua Papa Romanus, id eſt, in ipſa Papali executione officii Papalis.

17. Ergo, Papa Romanus nullo modo eſt infallibilis controverſiarum de fide judex.

*Qui cecidit, ſtabili non erat ille gradu.*
*Accidere cuivis poteſt, quod cuiquam contigit.*

quin & ipſe Honorius, quem hæreticum fuiſſe, & condemnatum oſtendimus, contendit, in ſua priore ad Sergium epiſtolâ, non eſſe quicquam pro Eccleſiaſtico dogmate recipiendum, quod neque auctoritatibus canonicis ſacrarum literarum, neque ſynodali examinatione, ſuper hoc ipſo habitâ, terminatum ſit. Ergo neque ipſis Monothelitis veteribus cognita fuit hæc lymphatica novorum Monothelitarum, id eſt, omnia unius Papæ Romani voluntati & arbitrio deferentium inſania.

18. Obſerva autem, (ut hoc coronidis loco adjiciam) quàm ſint inconſtantes & inſigniter impudentes iſti Papiſtæ infallibiliarii, in ſuis defenſionibus, quas pro Antichriſtiano iſto dogmate adferunt. quando enim objicitur eis lapſus Liberii Papæ Romani, qui palàm ſe favere Arianis, & cum eis conſentire profeſſus eſt, ſubſcribendo in damnationem Athanaſii, (quem ſciebat cauſſa fidei perſequutionem pati) & cum Arianis palàm communicando, eorumque hæreſi ſubſcribendo: ut patet ex Athanaſii epiſtolâ ad ſolitariam vitam agentes; & ex Hieronymo, in Chronico; & in catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum, cap. 107. in Fortunatiano. Nam iſta facere quæ fecit Liberius, erat veritatem prodere, Chriſtianorum perſequutionem approbare, hæreticam impietatem in Eccleſiam introducere, contra Chriſtum pugnare, Arianas ſententias planè amplecti; hæreſi Arianæ ſubſcribere: teſtibus eiſdem Patribus. quem ob lapſum meritò abrogatum eſſe Liberio Pontificatum, ait Bellarminus, lib. 4. de Romano Pontifice, c. 9. §. *Poſt biennium*. quando, inquam, eis objicimus fœdū hunc in hæreſin lapſum Liberii Papæ Romani, Reſpondent Bellarminus & Gretſerus, loco jam citato, Liberium quidem interpretativè in hæreſin conſenſiſſe, & propter pacem cum Arianis factam, meritò judicatum eſſe hæreticum ab orthodoxis, & damnatum, atque abdicatum; non enim teneri aut poſſe homines corda ſcrutari, ſed quem externis operibus hæreticum eſſe videnr, ſimpliciter hæreticum judicare, ac ut hæreticum damnare: Liberium autem externis operibus fuiſſe hæreticum, non enim mente conſenſiſſe in hæreſin, licet exſilii tædio mortiſque metu victus peccaverit actu externo, & aliquo tempore defecerit à conſtantiâ in fide tuendâ. Sic reſpondent de Liberio. At rurſus, quando objicimus Monothelismum Honorii, Reſpondent Papiſtæ, erraſſe eum occulto & privato mentis errore, privatim aliquid tradidiſſe, at non apertè ac publicè profeſſum eſſe errorem, aut fidelibus tenendum tradidiſſe, &c. Exigere autem hoc à nobis Chriſtianam charitatem, ut bene de cunctis exiſtimemus, & pro Catholicis omnes habeamus, quos nihil Catholicæ fidei contrarium apertè profiteri videmus.

19. Juſto Dei judicio ſpiritui vertiginis traduntur mendaces, ut non ſint memoriæ compotes. Actum certè eſt de cauſſa Liberii, ſi ei applices reſponſionem Papiſtarum pro Honorio. Honorius autem (ut jam prolixè demonſtratum eſt) undique hæreſeos manifeſtus tenetur.

20. *Alphonſus de Caſtro*, ſcriptor Romanenſis, lib. 1. adverſus hæreſes, cap. 4. (edit Lugdun. in octavo, an. Dom. 1546.) hæc ſcribit, *Omnis homo errare poteſt in fide, etiamſi Papa ſit. Nam de Liberio Papa refert Platina, eum ſenſiſſe cum Arianis; & Anaſtaſium II. hujus nominis Pontificem faviſſe Neſtorianis, qui hiſtorias legit non dubitat. Cœleſtinum Papam etiam erraſſe circa matrimonium fidelium, quorum alter labitur in hæreſin, res eſt omnibus manifeſta. Neque hic Cœleſtini error talis fuit, qui ſoli negligentiæ imputari debeat, ita ut illum erraſſe dicamus, velut privatam perſonam, & non ut Papam qui in qualibet re ſeria definiendâ conſulere debet viros doctos: quoniam hujuſmodi Cœleſtini definitio habebatur in antiquis decretalibus, in ca.* Laudabilem. *titulo*, De converſione infidelium. *quam ego ipſe vidi & legi*, inquit Alphonſus de Caſtro, loco citato. Pelagii II. conſtitutio quædam Papalis, ut dura & Euangelio contraria, reprobatur & rejicitur auctoritate etiam Papali. Diſt. 31. can. *Ante triennium.* Vide Bonifacii 8. errorem etiam ex cathedra, ſupra, lib. 3. cap. ult. §. 12. Vide etiam quæ eodem libro, & alibi in hoc opere, de aliorum quorundam Romanorum Pontificum erroribus commemorantur. Patres Baſileenſes, in ſua Reſponſione Synodali, de auctoritate cujuslibet Concilii Generalis ſupra Papam, &c. quæ extat in epiſtolis Synodalibus Concilii Baſileenſis. *Reliquum* (inquiunt) *totum corpus ſæpe condemnavit atque depoſuit Papam, tam ratione fidei, quam morum.* Tom. 8. Concil. edit. Pariſ. an. Dom. 1636. pag. 128. C. Vide lib. 9. cap. 5. §. 29.

# INSTRUCTIONUM HISTORICO-THEOLOGICARUM LIBER SEXTUS,

## Contra hæreſin Adoptionariorum.

### CAPUT PRIMUM.

*De Adoptionariis, eorumque hæreſi; & de Francofurtenſi aliiſque Conciliis, ſuper ea controverſia habitis.*

*Bonoſiani hæretici Adoptionarii.* ISidorus Hiſpalenſis, lib. 8. Originum ſive etymologiarum, cap. 5. de hæreſibus Chriſtianorum; *Bonoſiani* (inquit) à Bonoſo quodam Epiſcopo exorti produntur, qui Chriſtum Filium Dei adoptivum, non proprium aſſerunt. Et lib. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, cap. 20. refert *Juſtinianum* Eccleſiæ Valenſis Epiſcopum ſcripſiſſe contra Bonoſiacos, qui Chriſtum adoptivum, & non proprium, dicunt. Floruiſſe autem ait in Hiſpaniis Juſtinianum illum Epiſcopum Valenſem, temporibus *Teudi* Principis Gothorum. quem in Hiſpania regnâſſe tempore Juſtiniani ſenioris Imperatoris, ejuſdemque Imperatoris anno duodecimo exſtinctum eſſe, ſcribit idem Iſidorus in ſuo Chronico Gothorum.

*Elipandus & Felix adoptionarii.* 2. Poſtea, circa annum Domini 783. *Elipandus Toletanus*, & *Felix Vrgelitanus*, in Hiſpania, Epiſcopi, Neſtorianam hæreſin obliquo flexu in Eccleſiam revocare ſatagentes, aſſerebant, ac palam prædicabant, *Errorum dogma.* Chriſtum, etiamſi ſecundum Divinam naturam ſit verus, proprius, ac naturalis Dei Filius, ſecundum humanam tamen naturam non niſi adoptione & gratiâ eſſe Dei filium, ſeu eſſe filium adoptivum. Eis in Hiſpania reſtiterunt *Etherius* Uxamenſis Epiſcopus, & *Beatus* *Etherius & Beatus orthodoxi.* Presbyter: quorum Apologeticum opus in duos diſtinctum libros, ad Elipandum, pro veritate Catholica, contra ejus errorem ab ipſis ſcriptum, exſtat in bibliothecæ Patrum, in poſteriore parte tomi quarti, editionis quartæ. *Seduliras hæreticorum.* Non tamen deſtiterunt Elipandus & Felix errorem ſuum, longè lateque, per Hiſpaniam, Galliam, & Germaniam, quantum in ipſis erat, propagare. Felice Galliam & Germaniam, etiam ſuſcepto itinere, peragrante.

*Synodus Forojulienſis.* 3. Sed eis vigilanter occurſum eſt, habitis contra eum errorem ſynodis: nempe ſynodo Forojulienſi, quam convocavit *Paulinus* Epiſcopus Aquilejenſis, eidemque præſedit, anno Dom. 791. ubi errorem illum Paulinus cum ſua Synodo confutavit & condemnavit: *Synodus Ratiſponenſis.* & Synodo Ratiſponenſi, in qua Synodo damnatus eſt cum ſuo errore Felix, anno Dom. 792. itaque ad palatium Regis Caroli Magni, tunc regnantis, & inde Romam ductus Felix hæreſin confeſſus eſt, & abdicavit. *Felix poſt abdicatã hæreſin, ad vomitum redit.* Sed poſtea ad vomitum rediit.

*Elipandi hæretici confidentia.* 4. Eundem errorem Elipandus, tanquam orthodoxam doctrinam, Carolo Magno per epiſtolam commendavit, tam confidenter, ut eam quæſtionem Theologorum diſquiſitioni committi pollularet. Carolus igitur convocavit celebre illud Concilium Francofurtenſe, trecentorum Epiſcoporum, in quibus erant duo Sedis Romanæ Legati, Theophylactus & Stephanus Epiſcopi, anno Dominicæ incarnationis 794. ubi error iſte rurſum damnatus eſt, & prolixe confutatus: & Elipando ac Felici, niſi ab errore reſipiſcerent, eliminatio è gremio Catholicæ Eccleſiæ denunciata.

5. Edita etiam, & ad Hiſpanos miſſa ſunt quatuor ſcripta, Concilio probata, contra eundem errorem, nempe, Adriani primi Papæ Romani, tunc ſedentis, ad Epiſcopos Hiſpanos epiſtola; & Paulini Aquilejenſis Epiſcopi libellus ſacroſyllabus, in eodem Francofurtenſi Concilio editus; & totius Concilii epiſtola ad Hiſpanos; & Caroli Magni epiſtola ad eoſdem. quibus ſcripta & argumenta plurima contra eam hæreſin continentur, & admonentur Hiſpani ut ab ea reſipiſcant, eamque ſedulò vitent. Exſtant in tomis Conciliorum, in ſectione poſteriore, partis prioris, tomi tertii, Colonienſis editionis Binii, & tomo ſexto Concil. editionis Pariſienſis. Epiſtola autem illa Caroli Regis exſtat etiam in Conſtitutionibus Imperialibus, à Melchiore Goldaſto editis. Exſtant & acta Concilii illius Forojulienſis, in memorata parte tomi tertii Conciliorum, edit. Col. & tom. 6. edit. Pariſ. ſtatim poſt ſeptimam Synodum. Libellus etiam ille ſacroſyllabus Paulini, contra hæreſin Felicis Urgelitani, impreſſus eſt in bibliotheca Patrum, in priore parte tomi quarti, editionis quartæ.

6. Ado Archiepiſcopus Viennenſis, in ſuo breviario chronicorum, ætate ſextâ, de hac hæreſi & ejuſdem damnatione ſcribens; Anno (inquit) incarnationis Domini 792. Felix Urgelitanus Epiſcopus hæreticus deprehenſus, adoptivum, non proprium filium Dei Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum dogmatizans, qui ad præſentiam Adriani Pontificis Romani deductus, hæreſin verbis ſolummodo abdicavit. Synodus iterum facta contra ſupradictam hæreſin in Francanofurt, legatis Apoſtolicæ ſedis præſidentibus, Theophylacto & Stephano Epiſcopis, & ab auctoritate ſanctorum Patrum convictus & damnatus eſt iterum Felix cum errore ſuo, perpetuoque exſilio apud Lugdunum relegatus eſt, quem



ferunt in eodem ipſo ſuo errore mortuum. Hæc Ado, qui floruit anno Domini 879. ad quem annum chronicon ſuum perducit.

7. De eodem Felice ſcribit Jonas Epiſcopus Aurelianenſis, ſtatim ſub initium libri primi, eorum quos ſcripſit contra Claudium Epiſcopum Taurinenſem: Emerſit (inquit) ex eadem Hiſpania, tempore ſanctæ memoriæ Caroli piiſſimi atque invictiſſimi Auguſti, quidam Felix nomine, actu infelix, Urgelitanenſis civitatis Epiſcopus, qui juncto ſuo ſceleratiſſimo errori Eliphanto Toletanæ urbis Epiſcopo, ſecundùm humanitatem non eſſe proprium filium Dei, ſed adoptivum prædicare auſus eſt. Et hac virulenta doctrinâ, uterque Hiſpaniam magnâ ex parte infecit. Deinde Apoſtolorum Chriſti actus imitari videri volentes, cum ipſi non Apoſtoli Chriſti, ſed præcones eſſent hoſtis antiqui, unuſquiſque ſeparatim diverſas provincias, eadem ſuâ inſana doctrinâ imbuendas, appetivere. Eliphantus ſcilicet Aſturias & Galliciam, cujus diſcipulos apud Aſtures me aliquando vidiſſe memini; quos & Catholicorum virorum regionis illius, qui eorum veſanæ doctrinæ ſecundum ſanam doctrinam rationabiliter renitebantur, relatu, perſpicuitatiſque meæ probatu, ſecundum eorum actum & habitum, certiſſimos Antichriſtos eſſe liquidò deprehendi: manifeſtè cernens in illis illud B. Ambroſii compleri, Habitus mentis, in corporis ſtatu cernitur. Et illud cujuſdam;

*Frons hominis, propria mentis depromit amictum:*
*Qualis vultus erit, talia corda gerit.*

Quibus veriſſimè & apertiſſimè cognitis, & quia jam ſecundum Apoſtolicum præceptum, ut ab eadem ſua erroneâ prædicatione deſiſterent, admoniti fuerant, & tamen in eodem errore permanebant, ut hæreticos devitavi. Porrò idem Felix, cum multis apud Septimaniam eundem hauſtum peſtiferum propinaverit, cum tamen Galliæ Germaniæque, quantum in illo fuit, propinare voluit. Sed Divinâ gratiâ adminiculante, nullum apud Galliam Germaniamque ejus error locum invenire quivit, quoniam non ſolum apud Germaniam ſtudium literarum & amor ſanctarum ſcripturarum, verùm etiam apud eandem Galliam (quæ ſola, teſte Hieronymo, monſtra non habuit, ſed viris ſemper fortibus & eloquentiſſimis abundavit) ejus memorabilis viri ſollertiſſimo ſtudio & ferventiſſimo deſiderio actum eſt, ut, Domino opem ferente, in ſibi commiſſæ Eccleſiæ filiis & liberalium artium adprimè diſciplinâ, & divinarum ſcripturarum perfectè polleret intelligentiâ. Quibus milites Chriſti, utpote invictiſſimis armis, muniti, ejus veſanam doctrinam propulſaverunt. Ejuſdem namque Principis juſſu in unum coacti, adhibitâ etiam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ auctoritate, eundem Felicem damnaverunt, imò cum auctore ſui erroris Neſtorio quem imitatus eſt, perpetuo anathemati mancipaverunt. Hæc Jonas, qui floruit ſub Ludovico pio Imperatore, Caroli magni filio. Et opus illud ſuum, juſſu Ludovici Auguſti ſuſceptum, edidit cum præfatione ad Carolum Calvum, ejuſdem Ludovici filium.

8. *Sigebertus* monachus Gemblacenſis (qui obiit anno Domini, 1113.) ſcribens de eadem Feliciana hæreſi in ſuo Chronico, ad annum Domini 793. his utitur verbis; Feliciana hæreſis condemnatur: & in præſentia Adriani Papæ ab ipſo Felice auctore abdicatur. Hæc hæreſis aſſerebat Filium Dei in divinâ natura verum Deum eſſe; in humana verò natura nuncupativum. Item, in Divina natura verum eſſe Filium Dei; in humana verò adoptivum, unam perſonam Dei & hominis dividens in duas perſonas, ſcilicet, veri Filii, & adoptivi. Hæc Sigebertus.

9. Ex his jam innoteſcit ſtatus controverſiæ; quem tamen clarius proponere conabimur, ex ipſis Patrum libris contra eam hæreſin editis. *Paulinus Aquilejenſis.* Pertinax in ſuo errore Felix, librum ſcripſit adverſus Paulinum Epiſcopum Aquilejenſem, quem diximus auctorem eſſe libelli ſacroſyllabi, in Concilio Francofurtenſi editi: In illo autem ſuo libro Felix errorem ſuum apertiùs propoſuit, ac tueri conatus eſt. Itaque Paulinus aliud opus contra eum edidit, in ſeptem libros diſtinctum, quod exſtat in bibliotheca Patrum, in parte ſecunda tomi quarti, editionis quartæ. Etherius etiam & Beatus, in ſuo apologetico adverſus Elipandum, lib. 1. ponunt quædam ipſius Elipandi verba, ex quibus etiam manifeſtior fit quæſtionis ſtatus.

*Verba Elipandi.* 10. Dixit Elipandus; Numquid per illum, qui natus eſt de Virgine, per ipſum viſibilia & inviſibilia condidit: an per illum, qui non eſt adoptione, ſed genere; nec gratiâ, ſed à natura, cuncta creavit? Et ideo abſque dubio per illum, quem ſibi coæqualem, & ſine adoptione genuit, multa creavit. Et per illum Dei ſimul & hominis Filium Verbum carnem factum, adoptivum humanitate, & nequaquam adoptivum Divinitate, mundum redemit. *Item*: Si conformes ſunt omnes ſancti huic Filio Dei ſecundùm gratiam, profectò & cum adoptivo adoptivi, & cum advocato advocati, & cum Chriſto Chriſti, & cum parvulo parvuli, & cum ſervo ſervi. Hæc Elipandus.

*Reſponſio Etherii & Beati.* 11. Reſpondent Etherius & Beatus; Dicit in ſua epiſtola Joannes Apoſtolus; *Omnis ſpiritus, qui ſolvit Ieſum, ex Deo non eſt; & hic eſt illius Antichriſti.* *1. Joan. 4. 3.* Quid eſt ſolvere Jeſum, niſi ſeorſum Deum, & ſeorſum hominem prædicare? Ipſe ſine dubio ſolvit Jeſum, qui prædicat populo, dicens; Numquid per illum, qui natus eſt de Virgine, per ipſum viſibilia, &c. [*Verba recitant Elipandi priora illa à nobis modò citata: & pergunt.*] Videte ſpiritum qui ſolvit Jeſum. Aperite oculos: aperta materia eſt. Spiritus erroris hoc dictavit. Illius Antichriſti ſpiritus in hoc inſpiravit. —— Qui negat, quod Jeſus eſt Filius Dei, negat eum in carne veniſſe: & ipſe eſt Antichriſtus. *Item*: Tuam hanc de Chriſto fidem non recipimus; quia nec talem fidem habemus, nec talem doctrinam ab Apoſtolis accepimus. Nec in lege & Euangelio tale unquam legimus: ſed neque in libris doctorum, aut manualibus, ſed tantum in tuis dogmatibus. ——— Unus Chriſtus nobis ſufficit Filius Virginis, qui nomen habet Jeſus. Illos tuos, qui dicis, iſtum & illum, neceſſe non habemus. *Item*: Angelus annunciavit Virgini, dicens; *Ecce concipies & paries filium, & vocabis nomen ejus Ieſum: Hic erit magnus, & filius altiſſimi vocabitur.* *Luc. 1. 31.* Ecce Jeſum filium altiſſimi Patris, non Filium Spiritûs Sancti, non filium Filii; quomodo eſt tecum ſervus? ——— Si ita credis, ut dicis, non Deum omnipotentem, ſed conſervum tuum Jeſum confiteris. Hæc Etherius & Beatus.

*Error Felicis.* 12. Felicis etiam verba & placita commemorat Paulinus, in ſuis libris contra eum editis. Apertè Felix negat Redemtorem noſtrum in carne

ſuâ eſſe verum & proprium Dei Patris Filium; ait autem eſſe adoptivum apud Patrem, ut ipſius teſtantur verba apud Paulinum, lib. 2. Cui errori & alios congeneres adjecit, quos Paulinus breviter proponit libro quarto, his verbis: Tria adfirmas [Felix] in Chriſto, id eſt; quòd ſervus ſit conditionalis; quod filius adoptivus; & Deus nuncupativus. Tria quoque è contrario negas, hoc eſt, quod verus Deus naſceretur ex Virgine, vel idem qui natus eſt, verus ſit Filius Dei; & quod nullatenus fieri poſſit ut baptiſmi regeneratione non egeat, qui ſervus ſit natus. Hæc de Felicis erroribus Paulinus, loco citato.

*Verba Paulini contra Felicem.*

15. Porrò, ad elucidationem ſtatus controverſię conducunt etiam illa Paulini verba, lib. 7. contra Felicem: Nec iterum (inquit) Chriſtum dividimus in duos filios, vel duos Deos, vel duas cum Neſtorio perſonas. Qui licet duas palam non dixiſſet perſonas, tamen omnia quæ duabus ineſſe neceſſe eſt perſonis in ſua profeſſione fatetur. Simili modo & tu, licet fugias verba duarum perſonarum, tamen omnia quæ neceſſe eſt duabus ineſſe perſonis, te in tuis literis invenimus profiteri. Quis enim neſciat, apud unum Patrem alteram eſſe perſonam adoptivi filii, alteram proprii filii? Nec enim ullus Pater juxta humanæ conſuetudinis rationem poterat proprium filium ſibi adoptare, quaſi alienum; aut quem adoptat ſibi in filium, poterit ſibi proprium facere, quem Paternitas alterius ſibi fecit alienum: quia adoptio ex alieno quolibet efficitur. Hæc ibi Paulinus.

*Doloſa hæreticorum diſſimulatio.*

14. Orthodoxi prædicabant unum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, verum eſſe Deum, verumque in eadem perſona hominem; in Divinitate, Dei Patris Filium; eundemque in humanitate, hominis matris filium: verum in utraque ſubſtantia Dei Filium: non in aliqua earum putativum, ſed in utraque verum; non adoptivum, ſed proprium: unam in utraque natura perſonam; unam Filii dignitatem; unum Filium Dei unigenitum: unum Deum verum, non nuncupativum: licet aliud propter Deum, aliud propter hominem, non tamen alium atque alium, non duos Deos, non duos filios: non ſervili neceſſitate conditionalem ſervum, egentem promotione in filium per gratiam adoptionis, aut regenerationem baptiſmalem; ſed eſſe, ſemperque fuiſſe eum verum Dominum omnium, & in ſua aſſumta formâ ſervi, ſerviſſe propter nos, non conditionali ſervitute, aut debitæ ſervitutis neceſſitate, ſed benevolâ voluntariæ obedientiæ ſubjectione.

## CAPUT SECUNDUM.

### *Argumenta orthodoxorum ſumta ex divinis Scripturis, contra Adoptionarios.*

*Argumentatio orthodoxorum ex ſacris Scripturis.*

EX tribus locis ducunt orthodoxi argumenta. 1. A teſtimoniis S. Scripturæ, quibus Jeſus Chriſtus Virginis Mariæ filius, homo, Mediator Dei & hominum, qui pro nobis natus, paſſus & mortuus eſt, appellatur Dei Filius, & quidem ſuus & proprius, ac unigenitus, Filius ille dilectus, verus Deus, & Dominus. Ex quibus teſtimoniis ſequitur, eum non eſſe nuncupativum Deum, aut adoptivum filium, cum non ſint in una Chriſti perſona duo filii, aut duo Dii: non eſſe conditionalem ſervum, cum ſit proprius ac unigenitus Dei Filius, verus Deus, Dominus omnium, unus idemque, non per incarnationem in duos diviſus, aut ſuâ dignitate excidens, aut à Deo factus alienus, adoptionique idoneus. Teſtimonia quædam à Patribus in libris ſuprà memoratis allegata adſcribam.

*Primæ claſſis teſtimoniorum ſacræ Scripturæ.*

2. Eſai. 7. 14. Ecce Virgo concipiet, & pariet, filium: & vocabat nomen ejus Emmanuel. & cap. 9. 6. Parvulus natus eſt nobis, Filius datus eſt nobis: & erit principatus ſuper humerum ejus; & vocabitur nomen ejus admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, Pater æternitatis, Princeps pacis.

Pſal. 97. 7. Adorent eum omnes Angeli Dei.

Rom. 9. 5. Quorum ſunt Patres, & ex quibus eſt Chriſtus quoad carnem, qui eſt ſupra omnes Deus benedictus in ſecula. Amen.

Joannis, 20. 8. Thomas dicit Jeſu Chriſto, in cujus latus manum miſerat; Dominus meus, & Deus meus.

Ad Titum 2. 13, 14. Exſpectantes beatam illam ſpem, & adventum gloriæ magni Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, qui dedit ſemetipſum pro nobis.

Joan. 10. 30. Ego & Pater unum ſumus, inquit Jeſus.

3. His teſtimoniis clariſſimè evincitur, hominem illum Jeſum, qui natus eſt ex Virgine, eſſe illum unum verum Deum: non autem nuncupativum: ut inſaniebant Elipandus & Felix. Sequuntur Teſtimonia cum teſtantia eſſe Filium Dei, ſuum, proprium, & unigenitum.

4. Homo Jeſus Chriſtus baptizatus eſt à Joanne, ſuper eum deſcendit S. Spiritus in ſpecie columbæ; De hoc homine teſtatur Joannes, eum eſſe Filium Dei, qui baptizat Spiritu Sancto, Joann. 1. 33, 34. Et Pater de Cœlo, idem teſtatur, inquiens: Hic eſt Filius ille meus dilectus, in quo mihi complacui. Matth. 3. 17. Idemque repetit in monte ſagcto, præſentibus Moſe & Eliâ, & tribus Chriſti diſcipulis, Matth. 17. 5.

Matth. 16. 13. &c. Ait Ieſus diſcipulis: Quem me dicunt homines eſſe, filium hominis? At illi dixerunt: Alii Joannem baptiſtam; alii autem Eliam; alii verò Jeremiam, aut unum ex Prophetis. Dicit autem illis Ieſus; Vos autem, quem me eſſe dicitis? Reſpondens verò Simon Petrus, dixit: Tu es Chriſtus ille Filius Dei viventis. Tunc reſpondens Ieſus dixit ei: beatus es Simon Bar Iona! Quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui eſt in Cœlis. Sed & ego dico tibi; quod tu es Petrus: & ſuper hanc petram ædificabo meam Eccleſiam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.

Lucæ 1. 35. Quod ex te naſcetur Sanctum, vocabitur Filius Dei.

Ioan. 3. 16. Ita Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum dederit.

Rom. 8. 32. Proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum in mortem.

Galat. 4. 4. Miſit Deus Filium ſuum, factum ex muliere; factum ſub lege.

Ioan. 17. 1, 5. Pater, Clarifica Filium tuum apud



apud temetipſum eâ claritate, quam habui apud te, priuſquam hic Mundus exſiſteret. Hæc loquitur Jeſus, tollens in Cœlum oculos.

Ioan. 1. 14. Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis; & vidimus gloriam ejus, gloriam ut unigeniti à Patre.

Ioan. 3. 13. Nemo aſcendit in Cœlum, niſi qui deſcendit de Cœlo, Filius hominis, qui eſt in Cœlo.

Coloſſ. 1. 13, 14, 15, 16, 17, 18, &c. Nos tranſtulit in regnum filii dilectionis ſuæ, in quo habemus redemtionem per ſanguinem ipſius, remiſſionem peccatorum. Qui eſt imago Dei inviſibilis, primogenitus omnis creaturę. Quoniam in ipſo condita ſunt omnia quæ ſunt in Cœlis, & quæ in terra, viſibilia, & inviſibilia, ſive throni, ſive dominationes, ſive principatus, ſive poteſtates; omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt, & ipſe eſt ante omnia, & omnia in ipſo conſiſtunt, & ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis, &c.

Ad Hebræos 1. v. 1, 2. &c. Multifariam, multiſque modis, olim Deus loquutus Patribus per Prophetas; ultimis diebus hiſce loquutus eſt nobis per Filium, &c.

1. Ioan. 4. 14, 15. Pater miſit Filium, ut eſſet Salvator mundi. Quiſquis confeſſus fuerit, quod Ieſus eſt Filius Dei, Deus in eo manet; & ipſe in Deo.

1. Ioan. 5. 20. Scimus quod Filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum ut cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero Filio ejus: Hic eſt verus Deus, & vita æterna.

*Tertia claſſis.*

5. Verè Dominum eſſe, non autem conditionalem ſervum, etſi evidenter ſequitur ex eis quæ jam præmiſſa ſunt, probant tamen inſuper hiſce teſtimoniis;

Ioan. 13. 13. Vos vocatis me, Magiſter & Domine: & bene dicitis; ſum enim.

Ioan. 8. 35, 36. Servus non manet in domo in æternum: filius manet in æternum. Si ergo vos Filius liberaverit, verè liberi eritis.

Pſal. 110. 1. & Matth. 22. 44. Dixit Dominus Domino meo: ſede à dexteris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedem tuorum.

Luc. 2. 11. Natus eſt vobis hodie Salvator, qui eſt Chriſtus Dominus.

Matth. 28. 18. Data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo & in terra.

Philip. 2. 9, 10, 11. Donavit ei nomen, quod eſt ſupra omne nomen: ut in nomine Jeſu omne genu flectatur. Cœleſtium, terreſtrium, & ſubterraneorum. Omniſque lingua confiteatur, quod Dominus ſit Ieſus Chriſtus, ad gloriam Dei Patris.

1. Cor. 2. 8. Si cognoviſſent, nequaquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.

Hebr. 3. Moſe ſervo glorioſior eſt Ieſus, utpote Filius in ſua domo, & conſtructor domus, omniumque conditor Deus.

*Verba ſymboli Apoſtolici.*

6. His aliiſque ſacrarum literarum teſtimoniis adjiciunt verba illa ſymboli Apoſtolici; *& in Ieſum Chriſtum, unicum Filium ejus, Dominum noſtrum.*

## CAPUT TERTIUM.

### *Conſenſus antiquiorum Patrum.*

SEcundus locus, ex quo argumentantur orthodoxi, eſt conſenſus ſanctorum Patrum, quorum pro hac veritate contra errores Elipandianos & Felicianos citant teſtimonia; nempe Hilarii, Ambroſii, Theophili Epiſcopi Alexandrini, Gregorii Nazianzeni, Auguſtini, Cyrilli Alexandrini, Procli, Caſſiani, Iuvenci, Hieronymi, Leonis primi Papæ Romani, Gregorii primi Papæ Romani, Petri Ravennenſis Epiſcopi, Fulgentii, Victoris Epiſcopi Capuę, Caſſiodori, &c. quorum verba brevitatis cauſa omitto. Inveniet ea lector in libris illis, contra Felicem & Elipandum editis. Vide etiam lib. 1. hujus operis, cap. 30.

2. Adjiciunt etiam verba illa in publicis precibus per totum mundum uſurpari ſolita; Per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui tecum vivit & regnat Deus in unitate S. Spiritus per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

## CAPUT QUARTUM.

### *Argumenta orthodoxorum ſumta à ratione.*

TErtius argumentorum locus continet rationes. utuntur autem orthodoxi his rationibus.

1. Paulinus Epiſcopus Aquilejenſis, in libello ſacroſyllabo; Adoptivus (inquit) dici non poteſt, niſi is qui alienus eſt ab eo, à quo dicitur adoptatus: & gratis ei adoptio tribuitur; quoniam non ex debito, ſed ex indulgentia tantummodo adoptio præſtatur: ſicut nos aliquando, cum eſſemus peccando filii iræ, alieni eramus à Deo. Per proprium & verum Filium ejus, qui non eguit adoptione, adoptio nobis Filiorum donata eſt: Paulo atteſtante, qui ait: Cum ergo venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus per ipſum. Proprius Filius factus eſt ex muliere, non adoptivus.

*Galat. 4.*

2. Cum tota ſancta Trinitas hominem Chriſtum in utero Virginis operata ſit; dicant, ſi valent, hæretici, quis de his tribus perſonis eum adoptaverit: Quod ſi nequeunt, Catholicis ſe humiliter ſalubribus ſubdant documentis.

3. Idem Paulinus, libro 3. contra Felicem; Adſumſit (inquit) Dei filius carnem ex utero Virginali in unitatem ſuæ perſonæ, non in carnem mutatus, ſed ut eſſet proprius Filius

Dei

Dei in duabus ſubſtantiis, Dei ſcilicet & hominis; veluti ante fuit in una natura proprius Dei Filius, nihil amittens quod erat, quamvis adſumſiſſet quod non erat, non diviſionem faciens in perſonæ proprietate, nec commixtionem in naturarum conjunctione. Si autem propter adſumtionem vel ſuſceptionem Chriſtus adoptivus eſt filius qui ex Virgine natus eſt, cujus perſonæ in Sancta Trinitate adoptivus eſſe dicendus eſt? utique omnino filii perſonæ: ipſe adſumſit hominem vel ſuſcepit. Quod ſi ita eſt, nepos eſt Patris ſecundum humanitatem Chriſtus, qui à Dei Filio adſumtus eſt homo, vel, ut tu vis, adoptatus.

4. Et lib. 1. contra Felicem, ait idem Paulinus; Impiiſſimè Deum negas, quem Salvatorem eſſe fateris: quem beatus Doctor gentium Salvatorem ſæpius nominare non dubitavit.

5. Item lib. 2. ejuſdem operis contra Felicem: baptizati ſunt in nomine Jeſu; ergo Jeſus eſt verus Deus.

6. Idem, eodem libro; In nobis (inquit) eſt perſona adoptionis, non in Filio Dei: quia ſingulariter ille unus homo, ex Deo conceptus, & in Deum aſſumtus, habet proprietatem Filium Dei eſſe, quod omnes ſancti habent per adoptionem gratiæ Dei.

7. Eodem libro: Si ille homo quem aſſumſit Filius Dei adoptivus eſt, adoptivus eſt ille qui eum aſſumſit: quia una perſona eſt in homine & in Deo. Et eſt omnino unus Filius, non duo filii. Unus autem quomodo poteſt eſſe proprius & adoptivus unius Patris? ſi adoptivus eſt, proprius eſſe non poterit: ſi proprius, adoptivus eſſe non poterit ejuſdem Patris. Duos autem eſſe filios, unum proprium & alterum adoptivum, nefandiſſimum eſt credere de Chriſto. Adſumſit namque ſibi Dei Filius carnem ex Virgine, non amiſit proprietatem quam habuit in Filii nomine.

8. Idem ibidem; Chriſtus conceptus & natus eſt Dei Filius, & ideo adoptione non eguit ut eſſet Dei Filius. *Item*: Cum conciperetur & naſceretur, erat verus Deus, verus ac proprius Dei Filius; neque acceſſit alius, qui adoptaretur.

9. Idem, libro 7. contra Felicem. Si ergo ille homo, qui ex divina Sancti Spiritus operatione, & glorioſa beatæ Virginis caſtitate conceptus eſt & natus, non eſt verus (ut tu adſeris) Filius Dei, nec verus Deus; quid ſupereſt, niſi ut illa beata Virgo nequaquam ſit vera Dei genetrix, ſed nuncupativa? Quia, ſi ille qui ex ea natus eſt, nuncupativus eſt Deus, etiam & illa quæ genuit, nuncupativa eſt, non vera, Dei genetrix. Et hoc quam impium ſit dicere, totius mundi latitudine, in qua Chriſtus regnat & colitur, manifeſtiſſimè comprobatur.

10. Et lib. 2. ejuſdem operis: Apoſtolus in epiſtola ad Hebræos, de Jeſu, ait; *Tanto melior* Hebr. 1. 4. *Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit.* Argumentum verò excellentiæ ex nominis proprietate induxit: in hoc enim quod dixit, tanto melior Angelis effectus, dubium non eſt de homine adſumto dici, qui tanto melior ab Angelis eſt, quanto præſtantior Filius proprius à miniſtro ſerviente. Proprietas itaque Filii in hæreditate Paternâ præfertur miniſtrantium ſubjectioni.

11. Idem, lib. 6. Quid ergo Chriſtum debitæ ſervitutis neceſſitate conſtrictum eſſe contendis? Dic, oro, in quo fuit Chriſtus Jeſus debitor? Numquid peccata habuit, ut propter peccatorum remiſſionem debitor eſſet? Nunquid Chriſtus peccator fuit, ut debitor dici debeat? niſi forte alio ſenſu debitorem velis intelligere, auctoris videlicet cujuſlibet beneficii remuneratorem. Quid verò hoc ad Chriſtum pertinet? numquid primum fuit homo? & poſtea ſingulari beneficio in Dei Filium electus eſſe credendus eſt, ut hujus tanti beneficii debitor ſit dicendus? nonne in ipſo conceptu Deus verus, & verus Dei Filius conceptus eſt, & in unam perſonam duarum naturarum facta eſt conjunctio in ipſo utero Virginali, in tanta perſonæ unitate, ut hic totus, qui ex Virgine natus eſt, indubitanter dici & credi debeat unus verus Filius Dei.

12. Et eodem libro; Verè autem dictus eſt Dominus liber, qui humanum genus liberare dignatus eſt. Quem tu fortè per hoc ſervum eſſe conditionalem calumniaris; quia humanum genus benevolâ ſuæ obedientiæ ſubjectione liberum fecit.

13. Idem lib. 2. Chriſtus Jeſus venit ad baptiſmum, exemplum humilitatis oſtendere, & aquas ſuo ſanctificare baptiſmo, non ut ſanctificaretur in aquis, qui nihil in ſe habuit peccati, quo mundaretur. Ideo ait ei venienti Joannes Baptiſta, *Ego à te debeo baptizari,* &c. Matth. 3. 14.

Plurimas ex iſtis rationibus inveniet etiam lector in epiſtola ſynodali Concilii Francofurtenſis data ad Hiſpanos.

## CAPUT QUINTUM.

*Reſpondetur quibuſdam objectionibus Adoptionariorum.*

PRima objectio. Caro ſive humanitas Chriſti non eſt genita ex Dei ſubſtantia; ergo Chriſtus homo non eſt in ſua carne verus & proprius Dei Filius.

2. Reſpondet Paulinus, lib. 1. & alibi; Unus filius non poteſt dividi, ut ſit unius Patris & naturalis & adoptivus: vel quædam pars filii ſit adoptiva, & altera naturalis, in Filii dignitate: velut ſi una manus ſit adoptiva, & altera propria: vel anima ſit adoptiva, & caro in proprietate Filii. Quamvis enim anima non ſit ex Patris ſemine, ſicut eſt caro, tamen unus eſt filius Patris, animâ & carne totus vel adoptivus, vel proprius, prout conditio nominis vel naturæ ſibi attulerit. Poteſt verò in una perſona eſſe paſſibilis & impaſſibilis, mortalis & immortalis: veluti homo immortalis eſt animâ, mortalis carne; ſic etiam & Chriſtus impaſſibilis Divinitate, paſſibilis carne, tamen totus unus idemque eſt Deus, & homo; Unus eſt Chriſtus in forma Dei, & unus Chriſtus in forma ſervi, & unus eſt Chriſtus æqualis Patri, & unus eſt Chriſtus minor Patre: idem Deus, idem homo; unus Filius, Dei Patris totus proprius, & Virginis matris totus proprius.

3. Summa hujus reſponſionis eſt; *Tota Chriſti perſona genita eſt ex ſubſtantia Dei Patris, & hoc ſufficit ut totus ſit Dei Filius proprius in utraque ſua ſubſtantia; etiamſi non totum perſonæ ſit ex Dei Patris ſubſtantiâ.* Retorquet etiam argumentum in ipſum Felicem, cujus anima non fuit de ſemine Patris ipſius, & tamen totus Felix erat proprius ac naturalis Patris ſui filius.



4. *Secunda objectio*: Chriſtus prædeſtinatus eſt, ergo eſt adoptatus.

5. Reſpondet Paulinus, lib. 2. aliter Chriſtus prædeſtinatus eſt, aliter nos: ille prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute, virtute ſcilicet Divinitatis, (Rom. 1. 4.) nos prædeſtinati ſumus per illum in adoptionem filiorum, (Epheſ. 1. 5.) non ille per nos, neque in adoptionem. Vide Lombardum, ejuſque commentatores libro tertio ſententiarum, diſtinctione ſeptimâ, & diſtinctione decimâ.

6. *Tertia objectio*: Chriſtus non ſolùm per obedientiam, ſed etiam per naturam ſervus Patris eſt, & filius ancillæ ejus, in qua natura erit, etiam in æternum Patri ſubditus.

7. Reſpondet Paulinus, lib. 6. prorſus per obedientiam, teſte Apoſtolo, Philip. 2. Carnis autem infirmitates veras ac voluntarias habuit, id eſt, veram famem quando ipſe voluit, veram fatigationem & voluntariam, verum vulnus & voluntarium.

8. Senſus hujus reſponſionis eſt; ipſe Filius, liber & Dominus, ſuſcepit ex Dei ancilla formam ſervi, in qua ſervivit voluntaria obedientiâ; non per quam neceſſitati ſervili ſubderetur; & in ſervi conditionalis ſtatum ipſe omnium Dominus & ſemper liber redigeretur. Ad illud autem de æterna ſubjectione Filii (1. Cor. 15. 28.) Reſpondet Paulinus cum Hilario, nihil aliud ibi eſſe ſubjectionis ſignificationem, quam myſterii demonſtrationem: ut nimirum omnia in omnibus Deus ſit. Non autem ita intelligendam eam ſubjectionem tanquam ſervitutem dominatui, &c. Citat Hilarii, librum undecimum catholicæ fidei, ſive, de Trinitate. ubi plura lector inveniet.

9. *Quarta objectio*: Dicunt orthodoxi; Chriſtus eſt Dei Filius, non per gratiam, ſed per naturam. At contrarium dicere videtur Auguſtinus, tractatu 74. in Euangelium Joannis, ubi ait; quod unigenitus eſt æqualis Patri, non eſt gratiæ, ſed naturæ: Quod autem in unitate perſonæ unigeniti aſſumtus eſt homo, gratiæ eſt, non naturæ.

10. Hæc Auguſtini verba citat etiam Lombardus lib. 3. ſententiarum, diſtinctione decimâ; ubi ex ipſo Auguſtino reſpondet: Chriſtum hominem eſſe unigenitum Dei Filium naturâ, non gratiâ. Auguſt. tract. 82. in Euangelium Joannis. & concludit; *Ex his evidenter oſtenditur, quod Chriſtus non ſit Filius gratiâ adoptionis. Illa enim gratia intelligitur, cum Auguſtinus eum non eſſe gratiâ Filium aſſerit. Gratiâ enim, ſed non adoptionis, imò unionis. Filius Dei eſt Filius hominis, & è converſo.* Hæc ibi Lombardus. Aliter etiam reſponderi poteſt ex ipſis Auguſtini verbis; nempe loqui Auguſtinum non de filiatione hominis aſſumti, ſed de ipſa aſſumtione in unitatem perſonæ, adeóque filiationis propriæ unigeniti Dei filii. Homo aſſumtus jam eſt unigenitus Dei Filius naturâ. Aſſumtio autem gratuita fuit. Et ſic ex gratia unionis homo eſt Dei Filius naturalis: licet non propter naturam humanam, ſed propter naturam divinam, cum qua indiviſè unita eſt humanitas in unitate perſonæ & proprietate Filii Dei. (unde hanc gratiam illi homini eſſe quodammodo naturalem, dicit Auguſtinus in Enchiridio, cap. 40.) ſic Deus aſſumens, & jam caro factus, Filius eſt Virginis proprius ac naturalis; licet non propter naturam divinam, ſed propter ſuam naturam humanam, quam ſibi aſſumſit ex Virgine. Non tamen alius eſt Filius Dei, & alius filius Virginis; ſed unus idemque totus Dei Filius, totus Virginis Filius. Vide etiam 3. ſent. diſt. 4. & ſummam Thomæ, parte tertiâ, quæſt. 23. art. 4.

11. *Quinta objectio.* In veteri Teſtamento Eſai. 42, 1. Chriſtus aliquando vocatur ſervus. Reſpondet Paulinus, lib. 3. contra Felicem: apud veterem populum ſervituti ſubjectum, Prophetæ eum ſervum quandoque nominabant: ſed apud filios gratiæ, id eſt, in novo teſtamento Filius ubique nominatur. Reſpondet inſuper Synodus Francofurtenſis, in ſua epiſtola ad Hiſpanos; Etſi eum Propheta ſervum nominâſſet, non tamen ex conditione ſervitutis, ſed ex humilitatis obedientiâ, quâ factus eſt Patri obediens uſque ad mortem. Hæc ibi.

12. *Sexta objectio.* Chriſtus eſt filius Trinitatis; ergo eſt adoptivus. Nullus enim eſt Trinitatis filius naturalis; quia interna proceſſio in Divinis non progreditur ultra perſonarum Trinitatem. Probatur antecedens: Per creationem, & per gratiam habitualem per quam tota Trinitas habitat in anima Chriſti, Chriſtus eſt Filius Trinitatis.

13. Reſpondet Thomas Aquinas, in tertium ſententiarum, diſt. 4. quæſt. 1. Non poteſt (inquit) dici, quòd Chriſtus ſit Filius Trinitatis per creationem vel gratiam, quia quando in aliquo invenitur perfecta ratio alicujus nominis; nullo modo recipitur illud nomen de eo cum determinatione diminuente: ut patet ex verbis Auguſtini in litera, &c. Bonaventura in eandem diſtinctionem, art. 1. quæſt. 3. non admittit iſtam loquutionem, Chriſtus eſt filius Trinitatis; quia appropinquat erroribus Sabellii & Arii & Neſtorii; ut ibi latius explicat Bonaventura. Porrò, aliquos (inquit) homines ſimpliciter fecit Trinitas ſecundùm omnem ſui naturam? Chriſtum autem non ſimpliciter ſecundùm omnem naturam fecit; quia ſecundùm Divinam naturam eum ſolus Pater genuit: & ideo non eſt ſimile de Chriſto & aliis hominibus. Quamvis enim homines poſſint dici creaturæ Dei, hoc tamen de Chriſto non recipitur. Præterea: filiatio reſpicit hypoſtaſin. Hæc Bonaventura.

## CAPUT SEXTUM.

*Vindicantur Irenæus & Hilarius; aliorum autem quorundam doctorum ἀκυρολογία notatur, non imitanda.*

ALexander Alenſis in ſua Summa Theolog. parte 3. quæſt. 10. membro 4. & Thomas Aquinas in 3. ſent. diſt. 10. qu. 2. art. 2. & in ſua Summa, part. 3. quæſt. 23. art. 4. citant tanquam Hilarii, ex ejus lib. 2. de Trinitate, hæc verba; Poteſtatis dignitas non amittitur, dum carnis humanitas adoptatur. Et loquitur; (inquit Thomas) de humanitate Chriſti. Alenſis autem adoptionem illam humanitatis in Chriſto, interpretatur non ſecundùm ſubſtantiam ſingularem ipſius Chriſti, ſed ſecundùm ſpeciem communem, reſpectu aliorum hominum qui in Chriſto adoptantur. Quem ſequitur Thomas in 3. ſent. loco citato: quamvis in Summa, adoptionem exponat dictam eſſe impropriè pro unione.

2. At in editione Baſilienſi Eraſmianâ, (anno Dom. 1523) ſic ſe habent Hilarii verba; Poteſtatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoratur. Hanc autem eſſe ipſiſſimam genuinam & ſolam veram lectionem, manifeſtum eſſe videtur ex ipſa ſerie & contextu verborum Hilarii, illo loco: *Adſunt* (inquit) *deinde Magi involutum pannis adorant: & poſt illam inanis ſcientiæ ſuæ operationem arcanam, poſito in cunis genu flectunt. Sic per Magos cunarum ſordes adorantur, ſic vagitus per angelorum divina gaudia honorantur.* ——— *Infans vagit; laudantes Angeli audiuntur; panni ſordent, Deus adoratur. Ita poteſtatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoratur.*

3. Certè idem Hilarius, ejuſdem operis lib. 1. haud procul à fine libri, has duas de Chriſto aſſertiones tribuit hæreticis, eaſdemque tanquam impias rejicit; videlicet; quod cum ſicuti nos & creationis neceſſitas Creatori Deo ſubdat; & adoptio aſſumat in Filium. Idipſum de adoptione repetit initio libri quarti. In eodem etiam opere, lib. 3. ante medium libri, loquens de Chriſto homine, qui ex Virgine natus, à cunis atque infantiâ uſque ad conſummatum venerat virum, per ſomnum, famem, ſitim, laſſitudinem, lachrymas hominem egerat; qui conſputus, flagellatus cruci ſuffixus; qui Patri dixerat, *Clarifica filium* Joan. 17. 1. *tuum*: de quo centurio cohortis & crucis cuſtos proclamavit, *verè Dei Filius erat iſte!* Matth. 27. 54. Multi (inquit) nos filii Dei, ſed non talis hic filius eſt. Hic enim verus & proprius eſt filius origine, non adoptione; veritate, non nuncupatione; nativitate, non creatione. Hæc Hilarius. Vide ſuprà, lib. 1. cap. 79. ubi de quadam impropriâ & non imitandâ loquutione Hilarii lectorē monuimus.

4. Irenæo (qui fuit Hilario antiquior) Eraſmus, in argumento in librum tertium Irenæi, perperam tribuit, quòd dicat Chriſtum juxta humanam naturam, adoptatum, ut fieret Filius Dei. Et citat cap. 21. illius libri. Sed Eraſmus, alioquin acutus æſtimator, hic incautâ judicii præcipitatione lapſus eſt: nam adoptionem Irenæus non Chriſto, ſed nobis per Chriſtum tribuit: ſicut caput illud attentè legenti fiet manifeſtum.

5. Marius Victorinus Afer, Hilario contemporaneus, Romæ ſub Conſtantio principe Rhetoricam docuit, teſte Hieronymo in catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum, cap. centeſimo undecimo, & in extrema ſenectute Chriſti ſe tradens fidei, ſcripſit adverſus Arium libros more dialectico valde obſcuros, qui ab eruditis modò intelliguntur: inquit ibidem Hieronymus. Non mirum igitur, ſi apud eum loquutiones quædam duriuſculę in opere tam obſcuro inveniantur. Qualis illa, lib. 1. adverſus Arium; Etiam quadam adoptione filius & Chriſtus, ſed ſecundum carnem. Hæc Victorinus, vir conſularis.

6. Durandus, in 3. ſent. diſt. 4. quæſt. 1. ait Chriſtum, ſecundùm quod homo eſt, poſſe dici filium Spiritûs Sancti per creationem; Item, Chriſtum ſecundùm quod homo eſt poſſe dici filium Spiritus Sancti per adoptionem: adeóque ſi ad rem ſpectes, poſſe eum dici filium totius Trinitatis per creationem, & per adoptionem. Hęc durè loquutus eſt Durandus, quem Trithemius ſcribit claruiſſe circiter annum Domini, 1318.

7. *Joannes Major*, popularis noſter, qui vixit circa annum Domini 1500. in 3. ſent. diſt. 10. poſtquam apertè aſſeruit falſam eſſe hanc propoſitionem; *Chriſtus ſecundùm quod homo eſt filius adoptivus Dei*: ſubjicit aliam propoſitionem, quam tuendam ſuſcipit ut veram, & ab illa priore diverſam; videlicet, *Chriſtus habet adoptionem ſecundùm humanitatem.* Hanc ſuam propoſitionem ſic explicat. *Quod humanitas aſſumta non habeat ex natura ſui, ſed ex gratuito Dei munere beatitudinem participativè.* Hæc Major. At ejuſmodi loquutionem eſſe impropriam, quâ dicitur Chriſti humanitatem adoptari, rectè monet Thomas, part. 3. qu. 23. art. 4. ad 1. Neque cum aſſumtione confundenda eſt adoptio. Non enim omnis aſſumtio eſt adoptiva; neque omne gratuitum Dei munus eſt adoptio. Ipſa prima rei conſtitutio gratuita eſt, non debita; ſed adoptio præſupponit rem jam exiſtere. Præterea gratuito Dei munere facta eſt aſſumtio humanitatis Chriſti; at jam aſſumtæ convenit participatio beatitudinis, jure proprietatis, non adoptionis; quia humanitas eſt filii proprii, non adoptivi. Et Chriſtum hominem diligit Deus Pater, non per meram indulgentiam, ut adoptivum, ſed affectu Paterno, ut filium ſuum proprium.

## CAPUT SEPTIMUM.

*De duabus quæſtionibus, ab hoc argumento non alienis.*

QVæri ſolet, utrùm Chriſtus, ſecundùm quod homo, dici poſſit Dei filius? Reſpondent ſcholaſtici, lib. 3. ſent. diſtinct. 10. particulam Hæc particula ſecundùm, diverſè accipitur. iſtam, *ſecundùm*, eſſe πολύσημον. ſi enim intelligatur τὸ *ſecundùm* ut denotans habitudinem cauſſæ, ſeu rationem formæ, tunc falſam eſſe iſtam propoſitionem: non enim propter humanam naturam eſt filius Dei, ſed propter eam eſt filius Virginis ἀμήτωρ, id eſt, ſine Patre. Hebræos 7. 3. ſin autem τὸ *ſecundùm*



accipiatur ut expreſſivum unitatis perſonæ, ſive ut importans *indiviſionem concomitantiæ*; tunc veram eſſe hanc propoſitionem, Chriſtus ſecundùm quod homo eſt filius Dei; nihil enim aliud hac propoſitione ſic intellectâ denotari, quàm, quod eſſe Deum vel Dei Filium competit perſonæ Chriſti exiſtenti in humana naturâ, quæ cum natura Divinâ in una perſona ita unita eſt ut ſe inſeparabiliter concomitentur: ſicut explicat Bonaventura in 3. ſent. diſt. 10. art. 1. qu. 1. in reſolutione. Ubi etiam monet, iſtum modum accipiendi hanc dictionem [*ſecundùm*] non eſſe ita uſitatum & proprium, ſicut eſt prior ille modus, licet quandoque inveniatur.

2. Patres in ſuis tractatibus, contra errores Felicianos ac Eliſpandianos editis, ajunt; Chriſtus in utraque natura eſt proprius Dei Filius. Item; Chriſtus homo eſt verus ac proprius Dei filius; Chriſtus in ſua carne, quam aſſumſit ex Virgine, eſt verus Deus, verus Dei Filius.

3. Agitatur etiam quæſtio de filiatione in Chriſto, una vel gemina. Nam cùm omnes orthodoxi agnoſcant duas unius Chriſti naturas, Divinam & humanam; & duas ejus nativitates, videlicet intemporalem & temporalem; eumque bis natum eſſe, nempe æternaliter ex Patre, & temporaliter ſeu in tempore ex matre: Ex his emergit quæſtio; utrùm in Chriſto ſit una tantum filiatio, an duæ filiationes?

4. Unicam affirmant, duas autem negant Bonaventura, & Thomas, in 3. ſent. diſt. 8. & rurſum. Thomas quolibet 1. art. 2. & quolibet 9. art. 4. Quia in Chriſto eſt una tantum perſona; immediatum autem filiationis ſubjectum eſt perſona. At Chriſtus eſt unus filius, non duo. Scotus tamen in 3. ſent. diſt. 8. tuetur duas in uno Chriſto filiationes reales; unam ad Patrem, aliam ad matrem: & ait, non obſtare unitatem ſuppoſiti: ſufficere enim pluralitatem fundamentorum realium in eodem ſuppoſito, ad plurificandum in eo relationes reales etiam originis. Neque ad plurificationem filiationum ſequi plurificationem filiorum; quia concreta non plurificantur, niſi plurificentur tam forma quàm ſuppoſitum; plurificationem enim formæ non ſufficere, maximè ubi plures formæ, ſive ejuſdem rationis, ſive eodem nomine expreſſæ, ut hic, poſſunt eſſe in eodem. Quemadmodum Chriſtus non eſt plures volentes, licet plures habeat volitiones. Et unus Pater ad plures filios, quos diverſis generationibus genuit, habet plures paternitates reales; nam mortuo uno filio, deſtructâ hac filiatione in hoc filio, deſtruitur etiam hæc Paternitas ad hunc filium; cum correlativa ſint ſimul naturâ: manet tamen Pater reſpectu ſecundi filii adhuc ſuperſtitis.

5. Rectè diſtinguit Durandus, in 3. ſent. diſt. 8. quæſt. 3. filiationem poſſe dupliciter accipi; vel ut relationem tantum, velut proprietatem perſonalem. Priore ſenſu eſſe duas in Chriſto filiationes, ſeu relationes reales. Poſteriore, non eſſe in Chriſto niſi unam filiationem.

6. *Objicit* Thomas: Suppoſitum divinum non eſt ſuſceptivum relationis realis ad creaturam, quamvis creatura realiter referatur ad Deum. Chriſtus autem eſt ſuppoſitum Divinum, &c. Ergo.

7. Reſpondent Scotus & Durandus; quamvis in ordine rerum poſſit effectus realiter referri ad cauſſam, quæ ad ipſum effectum referatur non relatione reali, ſed tantùm rationis, ut inter Creatorem & creaturam: Ubicunque tamen cauſſa refertur realiter ad effectum, neceſſe eſt etiam effectum realiter referri ad cauſſam: Chriſtus autem ſecundùm humanam naturam ſe habet ad matrem, ut effectum ad cauſam. Cum igitur mater, ut mater, referatur realiter ad eum ut filium, ſequitur eum ut filium referri realiter ad ſuam matrem. Reali enim generatione paſſivâ accepit naturam humanam actualiter exiſtentem, propter quod ſequitur ipſum reali filiatione eſſe filium Mariæ. Neque obſtat quod ſuppoſitum æternum non ſit capax novæ relationis realis. hoc enim intelligendum eſt ſecundùm naturam ſuam Divinam, quam habet ab æterno. At ſi accedat alia natura, accedere poſſunt, naturâ illa mediante, multa accidentia realia, cum abſoluta, tum relativa; quæ non haberent locum, abſque ea naturâ. Non minus autem repugnat ſuppoſito æterno, quòd ei de novo adveniat reale accidens abſolutum, quàm realis reſpectus.

8. *Objectio*: Primum ſeu immediatum ſubjectum accidentiū, mediante naturâ aſſumtâ, Deo incarnato advenientium, eſt ipſa natura aſſumta, quæ inde denominatur genita, nata, vel ſerva, paſſa, &c. at ſubjectum filiationis eſt ipſum & ſolum ſuppoſitum: natura autem non poteſt dici filia: ergo diverſa ratio eſt. ſic Thom. quolibet 1. art. 2. & quolibet 9. art. 4.

9. Reſpondet Durandus. Quod natura dici poteſt genita, nata, vel ſerva, non tamen dicitur filia, hoc non eſt propriè propter hoc, quod filiatio immediatius inſit ſuppoſito quam alia; ſed, quia filius vel filia magis accedit ad naturam ſubſtantivi, quàm eſſe natum vel genitum, quæ purè denominativè accipiuntur. Nam ſi denominativè acciperemus filiatum, æquè propriè poſſet dici natura filiata, ſi hoc uſus haberet, ſicut dicitur genita vel nata. Hæc Durandus, in 3. ſent. diſt. 8. qu. 3.

10. Plura de hac quæſtione qui cupit, legat apud ipſos, locis citatis. Ne tamen inutili curioſitate, & quæſtionariâ intemperie ultra piæ ſobrietatis terminos ſe abripi ſinat. *Divina magis fide credenda ſunt, quàm ratione inveſtiganda.* inquiunt Patres Francofurtenſes in ſua epiſtolâ ad Hiſpanos. Meminerit etiam lector, Naſci, pati, & ſimilia, tribui ſuppoſito; ideo ait Scriptura, *Liber generationis Jeſu Chriſti.* Matth. 1. 1. *Id quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei.* Luc. 1. 35. *Verbum caro factum eſt.* Joan. 1. 14. *Miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere.* Gal. 4. 4. *Chriſtus paſſus eſt in carne.* 1. Petr. 4. 1. 1. Pet. 4. 1. Tutiùs ſic loquimur cum Scripturis, & catholica antiquitate.

11. In eodem Concilio Francofurtenſi damnatus eſt cultus imaginum, de quo, ſi Deus voluerit, dicemus lib. 7. De erroribus autem Transſubſtantiariorum & Ubiquetariorum opportunior erit diſſerendi locus, lib. 11. hujus operis.

## TRANSITIO AD LIBROS SEQUENTES.

*Poſtquam de Deo & Mediatore ſanam doctrinam, contra impios hæreticos, prolixè defenſam & in luce clariſſimâ refulgentem exhibuimus, & alias etiam in ea tractatione quæſtiones, quas non eſſe negligenter prætereundas exiſtimavimus, pro inſtituti noſtri ratione diſcuſſimus; dicere porrò inſtituimus,* [ἐάνπερ ἐπιτρέπῃ ὁ Θεός] *de religioſo cultu, quem ſoli vero Deo reddere* Hebr. 6, 3. *fas eſſe oſtendemus, libro ſeptimo hujus operis. & de gratia Dei, contra Pelagii hæreſin, ejuſque reliquias; item de operum meritis, & de juſtificatione, lib. 8. Tum de gratiæ ſigillis ſacramentis: idque primum in genere; ubi de natura, & efficaciâ, & numero ſacramentorum, lib. 9. Deinde in ſpecie, de Baptiſmo, lib. 10. Et de Euchariſtia, lib. 11. Poſtea ſequetur Diſſertatio de pœnitentia, lib. 12. Item, de Purgatorio; & ſuffragiis atque indulgentiis pro defunctis, lib. 13. Succedet Tractatus de Eccleſiæ unitate, & ſchiſmate, lib. 14. Quem excipiet diſſertatio de Petri primatu, lib. 15. Et de Petri, aliorumque Apoſtolorum, ſucceſſoribus, lib. 16. Præterea, ſi Deus dederit, addere animus eſt quatuor libros, de Romano Pontifice, & quinque libros de Verbo Dei: hoc ordine; De Papæ Romani poteſtate in ſpiritualibus, lib. 17. Et, de Papæ Romani poteſtate in temporalibus, lib. 18. Item, de Papæ Romani infallibilitate, lib. 19. Et, de Antichriſto, lib. 20. Deinde, de Verbo Dei in genere, & de auctoritate Sacræ Scripturæ, lib. 21. De Scripturis canonicis, lib. 22. De Bibliorum editione authentica, & verſionibus, lectionibus precibuſque vernaculis. lib. 23. De perfectione ſeu plenitudine Sacræ Scripturæ, & de traditionibus, non ſcriptis, lib. 24. Denique, de Sacræ Scripturæ perſpicuitate, ejuſque interpretatione, & controverſiarum judice, lib. 25.* Deum oro Patrem luminum, à quo ſupernè deſcendit

Iacob. 1. 17. Πᾶσα δόσις ἀγαθὴ, καὶ πᾶν δώρημα τέλειον,

Qui me ad hoc opus, mandato ſpeciali, per publicam Eccleſiæ ſuæ vocem, nominatim evocavit, & hanc ſuam gratiam felici hactenus ſucceſſu benignè proſecutus eſt, ut ad reliqua etiam perficienda, vel quouſque ipſi viſum fuerit progrediendum, vires animumque ſufficiat; & clementer condonatis mihi omnibus peccatis meis, me induat virtute ex alto; & in mea infirmitate virtutem ſuam perficiat, ut viam mendacii à me amoveat; & det mihi cor integrum in ſtatutis ejus, & Sancto Spiritu in me deſuper ubertim effuſo greſſus meos regat & cuſtodiat in via veritatis & pacis, ut hoc opus Hiſtorico-Theologicum, ad quod ſcribendum imperiis actus cœleſtibus me contuli, Paternæ ejus clementiæ acceptum, & Eccleſiæ utile ſit, pro ſua miſericordiſſima benignitate, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Cui cum Patre & Spiritu Sancto ſit gloria in ſecula. Amen.

INSTRU-



# INSTRUCTIONUM HISTORICO-THEOLOGICARUM LIBER SEPTIMUS, DE OBIECTO RELIGIOSI cultus. & de ſeptimis & octavis nuncupatis œcumenicis Synodis.

## CAPUT PRIMUM.

*Exponuntur vocabula: Religio, cultus, adoratio, honor, ſervitus, Latria, dulia, hyperdulia.*

Religio (monente Auguſtino, lib. 10. de Civitate Dei, cap. 1.) vel Dei cultum ſignificat, diciturque Græcis θρησκεία: vel eam religionem, quæ cognationibus humanis atque affinitatibus & quibuſque neceſſitudinibus, Latinâ quadam loquendi conſuetudine, dicitur exhibenda. Non de illa nunc quæſtio eſt, ſed de ea religione quæ in ſacro cultu cernitur, & quæ à cultu civili & neceſſitudinum humanarum officiis ſeparatur. Hanc autem ſoli Deo exhibendam eſſe, docet Catholica antiquitas. *Religionem hanc exerceri*, ait loc. cit. Auguſtinus, *quando ſacra facimus & ſacrificamus, vel aliqua noſtra ſeu nos ipſos religionis ritibus conſecramus*. Et ejuſdem libri, cap. 4. *Cum* (inquit) *ad illum ſurſum eſt & ejus eſt altare cor noſtrum, ejus unigenito eum ſacerdote placamus: ei cruentas victimas cædimus, quando uſque ad ſanguinem pro ejus veritate certamus: & ſuaviſſimum adolemus incenſum, cum in ejus conſpectu pio ſanctoque amore flagramus: ei dona ejus in nobis, noſque ipſos vovemus, & reddimus: ei beneficiorum ejus ſollemnitatibus feſtis & diebus ſtatutis, dicamus ſacramuſque memoriam, ne volumine temporum ingrata ſubrepat oblivio: ei ſacrificamus hoſtiam humilitatis & laudis in ara cordis igne fervida charitatis. Ad hunc videndum ſicut videri poterit, eique cohærendum, ab omni peccatorum & cupiditatum malarum labe mundamur, & ejus nomine conſecramur. Ipſe enim fons noſtræ beatitudinis, ipſe omnis appetitionis eſt finis. Hunc eligentes vel potius religentes, amiſeramus enim negligentes; hunc ergo religentes, unde & religio dicta perhibetur, ad eum dilectione tendimus, ut perveniendo quieſcamus: ideo beati, quia illo fine perfecti.* Hæc ibi Auguſtinus, qui alibi religionem à religando dictam eſſe inſinuat, quando dicit; *Religet ergo nos religio uni omnipotenti Deo.* lib. de vera religione, cap. 55. ſic etiam Lactantius lib. 4. cap. 28. ubi Ciceronem reprehendit, religionis & ſuperſtitionis vocabula perperam interpretantem.

2. Johannes Ludovicus Vives, in ſuo Commentario, in Aug. lib. 10. de Civ. Dei, cap. 4. recitat dictum hoc Mercurii, *ἡ εὐσέβεια γνῶσίς ἐστι Θεοῦ.* id eſt, (interprete ibidem Vive) *religio notitia eſt Dei*.

3. Cicero, lib. 2. de natura Deorum. *Non enim* (inquit) *Philoſophi ſolùm, verùm etiam majores noſtri ſuperſtitionem à religione ſeparaverunt. Nam qui totos dies precabantur & immolabant, ut ſui liberi ſibi ſuperſtites eſſent, ſuperſtitioſi ſunt appellati: quod nomen poſtea latiùs patuit. qui autem omnia, quæ ad cultum Deorum pertinerent, diligenter retractarent, & tanquam relegerent, ſunt dicti religioſi, ex relegendo.* Hæc Cicero. quæ refutantur à Lactantio, qui interpretationem adfert congruentiorem, lib. 4. cap. 28.

4. Auguſtinus, lib. 10. de Civitate Dei, cap. 4. Nam (inquit) *ut alia nunc taceam, quæ pertinent ad religionis obſequium quo colitur Deus, ſacrificium certè nullus hominum eſt qui audeat dicere deberi niſi Domino ſoli*. Et capitib. 5. & 6. diſſerens de ſacrificiis Deo acceptis, docet Deo gratum eſſe ſacrificium contriti cordis, & ſacrificium laudis, & miſericordiæ, & invocationem Dei & votorum nuncupationem, ac redditionem, & ſimilia obſequia. Et eodem lib. cap. 7. ait Angelos beatos nolle ut ipſis ſacrificemus, ſed Deo. Et lib. 8. ejuſdem operis, de civitate Dei, cap. 27. ſeu ultimo; *Nec tamen* (inquit) *nos eiſdem martyribus templa, ſacerdotia, ſacra & ſacrificia conſtituimus: quoniam non ipſi, ſed Deus eorum nobis eſt Deus.* Et lib. 22. ejuſdem operis, cap. 10. Nos autem martyribus noſtris non templa ſicut diis, ſed memorias, ſicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt ſpiritus, fabricamus: nec ibi erigimus altaria, in quibus ſacrificemus martyribus, ſed uni Deo, & martyrum, & noſtro ſacrificium immolamus: ad quod ſacrificium, ſicut homines Dei, qui mundum in ejus confeſſione vicerunt, ſuo loco & ordine nominantur: non tamen à ſacerdote, qui ſacrificat, invocantur. Deo quippe, non ipſis ſacrificat, quamvis in memoria ſacrificet

eorum; quia Dei ſacerdos eſt, non illorum. Et lib. contra ſermonem Arianorum, cap. 29. dicente Apoſtolo, *Corpora veſtra templum in vobis eſt Spiritus Sancti.* Et tamen ſi apertiſſimè legerent in S. Scripturis, Solomonem Regem lignis & lapidibus juſſu Dei templum ſtruxiſſe Spiritui Sancto, Deum eſſe Spiritum Sanctum dubitare non poſſent: cui tanta religionis ſervitus quæ latria dicitur, legitimè exhiberetur in populo Dei, ut illi etiam templum fabricaretur. Et lib. 1. contra Maximinum Arianum, argumento undecimo, Nonne (inquit) ſi templum alicui ſancto Angelo excellentiſſimo de lignis & lapidibus faceremus, anathematizaremur à veritate Chriſti & ab Eccleſia Dei; quoniam creaturæ exhiberemus eam ſervitutem, quæ uni tantum debetur Deo. Et ſerm. 6. de verbis Domini, docet idem Auguſtinus, aram ſellari, id pro numine haberi cui erigitur. — 1. Cor. 6, 19.

5. Ex his manifeſtum eſt, Auguſtinum religionem, (ab illo humanarum cognationum atque affinitatum, & quarumcunque neceſſitudinum, officio diverſam) nullam agnoviſſe aliam, niſi eam quæ ſoli Deo debetur, & quâ ſolus colitur Deus. Ad hujus autem religionis obſequium & ſervitutem quæ latria dicitur, pertinere docet Auguſtinus, templa, altaria, ſacerdotia, ſacra, ſacrificia, votorum nuncupationem & redditionem, invocationem, ſacrificium laudis, & his ſimilia.

6. Similiter de Religione etiam alii tum antiquiores, tum recentiores ſcriptores. Et quid non cœleſte (inquit Tertullianus) quod Domini Chriſti eſt? ut hæc quoque orandi diſciplina. Conſideremus itaque benedicti cœleſtem ejus ſophiam, in primis de præcepto ſecretè adorandi, quo & fidem hominis exigebat, ut Dei omnipotentis & conſpectum & auditum ſub tectis & in abditis etiam adeſſe conſideret; & modeſtum fidei deſiderabat, ut quem ubique audire & videre ſideret, ei ſoli religionem ſuam offerret. Hæc Tertullianus, lib. de oratione, cap. 1. Et Lactantius ait; *Primum officium juſtitiæ eſt, conjungi cum Deo: ſecundum cum homine. Sed illud primum religio dicitur: hoc ſecundum miſericordia vel humanitas nominatur.* Hæc Lactantius, lib. 6. cap. 10. Plura ex Tertulliano, & Lactantio & aliis Patribus, ſubjiciemus inferiùs, cap. 4. hujus libri.

7. Alexander Alenſis ait, in ſua Summa Theologica, part. 3. qu. 30. memb. 1. art. 1. §. 1. Vera religio in unius conſtat veri Dei ſervitio. Diſtinguunt autem Scholaſtici inter actum religionis, ejuſdemque habitum, quem accenſent virtutibus moralibus. Thomas in 3. ſent. diſt. 9. qu. 1. differens de latria, quæ etiam religio indigitatur, trimembri utitur diſtinctione, inquiens; Hoc autem nomen [*Latria*] tripliciter ſumitur. quandoque enim pro eo quod Deo in obſequium exhibetur, ſicut ſacrificium, genuflexiones, & hujuſmodi: quandoque autem pro ipſa exhibitione: quandoque verò pro habitu quo exhibetur obſequium. Et primo modo latria non eſt virtus, ſed materia virtutis: ſecundo modo eſt actus virtutis: tertio modo eſt virtus. Et nominatur hæc virtus quatuor nominibus: dicitur enim pietas, & theoſebeja vel euſebeja; item Latria, & religio. Hæc ibi Thomas. ubi religionem dici eam ait quantum ad determinationem operum ad quæ homo ſe obligando in cultum Dei determinat. Idem 2. 2. quæſt. 81. art 1. in corpore articuli; Religio (inquit) propriè importat ordinem ad Deum. Et ibidem, ad 1. actus propriè & immediatè quos elicit religio, ſunt per quos homo ordinatur ad ſolum Deum. Alios autem actus imperat religio, ut viſitare pupillos & viduas, &c. Et art. 5. *Religio eſt, quæ Deo debitum cultum affert.* Hæc Thomas.

8. Falſum eſt autem quod ſcripſit Bellarminus, lib. 3. de Eccleſia triumphante, cap. 12. Patres aliquando nomen religionis extendere ad cultum ſanctorum, aliarumque rerum ſacrarum, diſtinctum à cultu politico, & merè humano. Neque eum adjuvant verba illa Auguſtini, lib. 20. contra Fauſtum, cap. 21. Memorias martyrum populus Chriſtianus religioſa ſollemnitate concelebrat. Religioſa enim illa ſollemnitas ibidem ab ipſo Auguſtino exponitur de cultu latriæ, quem Chriſtiani exhibebant ſoli Deo, apud memorias martyrum, martyribus autem ipſis cultum concedit tantummodo dilectionis & ſocietatis, cum imitatione. Alibi autem Auguſtinus religionis cultum diſertè abjudicat omni meræ creaturæ, ſicut ex ſuperioribus liquet. quibus plura adjicientur ejuſdem Auguſtini aliorumque Patrum teſtimonia, cap. 4. hujus libri.

9. Verum quidem eſt, veteres orthodoxos Patres cultum & honorem concedere martyribus aliiſque ſanctis hominibus & Angelis; at non cultum religioſum, neque honorem religioſum. quamvis, ſi quis iſtum cultum & honorem religioſum diceret, metonymicè, quia à vera religione imperatur, ſicut viſitatio infirmorum & ſimilia miſericordiæ & ſanctitatis officia dicuntur religioſa; non eſſet de ea appellatione lis unquam movenda. At verò, quando cultum & honorem à religione elicitum exhibendum dicunt ſanctis hominibus & Angelis, transfertur honor Dei in creaturas. Alenſis dictum eſt, Idololatria eſt omnis cultus divinus, qui exhibetur creaturæ. Alex. Alenſis, part. 2. quæſt. 160. membro primo. At omnis cultus religioſus, à religione elicitus, eſt cultus divinus: ut oſtenſum eſt, & infrà etiam prolixius docebitur. Ideo Ethnicorum idololatriam ſic deſcribit Apoſtolus Paulus, Rom. 1. 25. ἐσεβάσθησαν καὶ ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα, id eſt, *religiosè coluerunt & ſervierunt creaturæ, præterito Creatore.* λατρεύειν (inquit Vives) eſt δουλεύειν, quaſi ſervio: ſed poſtea factum eſt ut eſſet εὐσεβεῖν, teſte Suida. Hæc Vives, Comment. in Aug. lib. 10. de Civitate Dei, cap. 1.

10. *Cultum* diſtinguit Auguſtinus (lib. 10. de Civitate, cap. 1. & lib. 20. contra Fauſtum, cap. 21.) in cultum Dei, quem Religio (ab humanarum neceſſitudinum officiis diſtincta) ſignificat, qui & pietas & θεοσέβεια dicitur, & cultum dilectionis ac ſocietatis honorificæque recordationis, quo homines ſanctos viventes ac mortuos colimus. Prior ſolus Auguſtino eſt cultus religionis, ſumendo religionem prout à neceſſitudinum humanarum officiis diſtinguitur: quem cultum religioſum ſanctis defunctis negat exhibendum eſſe, lib. de vera religione, cap. 55. Et alibi eodem ſenſu contendit, ſolum Deum colendum eſſe; *Deus verus colendus eſt: quia ſolus ille colendus eſt, quo ſolo fruens beatus fit cultor ejus; & quo ſolo non fruens omnis mens miſera eſt, qualibet re aliâ perfruatur.* Hæc Auguſtinus lib. 20. contra Fauſtum, cap. 5. De ſanctis autem defunctis loquens idem Auguſtinus, lib. de vera religione, cap. 55. *Honorandi ſunt* (inquit) *propter imitationem, non adorandi propter religionem.*

11. Verbis iſtis proximè citatis etiam adorationem



religioſam ſoli Deo vindicat Auguſtinus. Eſt autem *adoratio* alia civilis, alia religioſa. utramque uno verbo complexa eſt ſacra Scriptura, inquiens, וישתחוו ליהוה ולמלך *vajiſhtachavu laihovah velammelech.* καὶ προσεκύνησαν τῷ Κυρίῳ καὶ τῷ βασιλεῖ. Pagn. *Et adoraverunt Iehovam & Regem.* Vulg. Et adoraverunt Deum, & deinde Regem. 1. Paralip. cap. 29. verſ. 20. Deum nempe adoraverunt adoratione religioſâ; Davidem autem Regem deinde adoraverunt adoratione civili. geſtus quidem externus ſimilis erat, at differentia diſcriminans ex ipſis objectis facile colligitur. Narrat Gregorius Nazianzenus, orat. 3. Julianum Imperatorem, perverſa quadam fraude, picturas dæmonum adjunxiſſe ſuis imaginibus, ut ſubditi imaginem Imperatoris, ſecundum receptam tunc conſuetudinem, adorantes, honorem etiam dæmonibus, mixtâ ſcilicet adoratione, licet imprudentes, exhiberent; vel ſi qui, animadversâ fraude, adorare recuſarent, pœnas luerent, tanquam adverſus Imperatoris honorem delinquentes. Alio etiam artificio eum militibus perſuaſiſſe refert, ut thus ei adolerent, propoſitis videlicet hinc quidem donativo, ſive auro, inde verò thure & igne, ut thure prius incenſo mercedem deinde ab Imperatore unuſquiſque acciperet: quod Chriſtiani milites poſtmodum intelligerent eſſe quandam ſpeciem negationis Chriſti, palam errorem confeſſi, aurum coram Imperatore projecerunt, & ſe Chriſtianos eſſe clarâ voce profeſſi ſunt. ut ibidem Narrat Nazianzenus. Certè conſentit Catholica antiquitas, ſolum Deum adorandum eſſe, nempe adoratione religioſâ, juxta præceptum illud Divinum, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies:* & admonitionem illam Angeli ad Johannem, ut non adoret Angelum, ſed adoret Deum. Neque huic doctrinæ quicquam decedit, ſi adjicias nomen latriæ, & dicas, ſolum Deum adorandum eſſe adoratione latriæ: nam Catholici Patres nullam aliam agnoverunt religioſam adorationem, niſi eam quæ ſoli Deo debetur, atque adeò quæ eſt adoratio latriæ, ſeu ſervitutis religioſæ, ſeu pars ſervitii ſoli Deo debiti. Altera autem pars diſtinctionis, quæ poſterioribus ſeculis excogitata eſt, de adoratione honorariâ, vel adoratione duliæ, vel hyperduliæ, non invenitur apud Catholicos Patres qui primis ſex ſeculis floruerunt.

12. *Impropriæ* autem & duriores aliquæ ſicubi occurrant apud quoſdam loquutiones, eas exponere debemus ex illis locis, in quibus de hoc argumento ex profeſſo diſſerunt atque argumentantur, tum iidem illi, tum etiam alii Patres, & ex conſtanti tenore publicæ & apud omnes receptæ doctrinæ; quæ de religione & adoratione, ſeu de religioſa adoratione, loquens, eam ſoli Deo exhibendam eſſe clamat. Impropria eſt illa loquutio Tertulliani, dicentis, *Adoro Scripturæ plenitudinem.* lib. adverſus Hermogenem, cap. 22. id eſt, reverenter in Dei timore agnoſco. Impropriè etiam loquitur Hieronymus, in poſteriore Apologia adverſus Ruffinum, inquiens, *Bethlehem meam reverſus ſum, ubi adoravi præſepe & incunabula Salvatoris.* id eſt, eo in loco Deum adoravi: quemadmodum in epitaphio Paulæ, ait; *Adorabimus in loco ubi ſteterunt pedes ejus:* ſic exponens cum 70. Interpretibus verba illa Pſalmi 132. *Niſhtachaveh Lahadom raglau;* quod ex Hebræo vertit idem Hieronymus, *adorabimus ſcabellum pedum ejus.* quæ verba Ambroſius, lib. 3. de Spiritu Sancto, cap. 12. & Auguſtinus in Pſal. 98. (ſeu 99.) interpretantur de carne Chriſti, hoc allato argumento, quod aliud ſcabellum pedum Domini non inveniatur, quod liceat adorare, cum dicat apertè Scriptura, *Dominum Deum tuum adorabis.* Et Hieronymus, in ſuis epiſtolis adverſus Vigilantium, docet non licere nobis adorare Martyres, neque Angelos, neque ullam creaturam; ſed ſolum Deum nobis adorandum eſſe. nempe adoratione religioſa, & propriè dictâ. Impropria etiam eſt illa Theodoreti oratio, ſub finem libri octavi, ad Græcos; *Eorum* (inquit) *qui paſſim dii ferebantur, memoriam è mente hominum Martyres aboleverunt, Eorum namque templa, unà cum ſuis lucis ſic deſtructa jam ſunt, ut ne ulla quidem veſtigia ſupererent, nedum qua formâ illorum aræ conſtiterint ſcire homines poſſunt. Earum verò rerum materia, templis ariſque martyrum excitatis expiata eſt. Suos enim mortuos Dominus Deus noſter in templa prædiis veſtris induxit. Ac illos quidem caſſos glorià vaniſque reddidit; ſuis autem martyribus honorem illorum dedit.* Hæc Theodoretus, interprete Zenobio Acciālo. Durè atque impropriè. Nam (ut monet Bellarminus, lib. de ſanct. beatitud. cap. 20.) religio vera permittit, ut martyres non pro diis habeamus, ſicut illi habebant Jovem & Liberum & alios; ſed pro viris ſanctis, & amicis Dei. Et ipſe Theodoretus, ſuperius eodem illo libro. *Nos* (inquit) *nec hoſtias martyribus, nec libamina ulla deferimus, ſed ut ſanctos homines, Dei amiciſſimos honoramus.* Audi rurſus Bellarminum, lib. de ſanctorum beatitudine, cap. 12. dicentem; Omnes ferè actus exteriores communes ſunt omni adorationi, excepto ſacrificio, & quæ ad illud referuntur, templis, altaribus, & ſacerdotibus; voluit enim Deus hunc cultum ſacrificii ſibi ſoli exhiberi, ut Auguſtinus docet, lib. 10. Civitatis Dei, cap. 4. & Theodoretus, lib. 8. ad Græcos, qui eſt de martyribus, & patet ex illo, Exod. 22. Qui ſacrificat diis, eradicabitur, præterquam Domino ſoli. Hæc Bellarminus. impropria igitur eſt, neque imitanda, iſta Theodoreti loquutio, neque inde quiſquam legitimè argumentari poteſt, templa atque altaria martyribus erigi aut dedicari poſſe, aut honores quibus Deos ſuos Ethnici proſequebantur, exhibendos nunc eſſe martyribus. Vide plura in hanc ſententiam, inferiùs, cap. 5. — Matth. 4, 10. — Exod. 22, 20.

13. *Honorem* diſtinguit Auguſtinus, in eum qui exhibetur per charitatem, & eum qui exhibetur per ſervitutem. Lib. de vera religione, cap. 55. ubi de Angelis loquens, *quare* (inquit) *honoramus eos charitate, non ſervitute.* Et ibidem prolixè docet Auguſtinus religioſum cultum aut religioſum honorem neque hominibus ſanctis deferendum eſſe, neque Angelis, neque ulli creaturæ, ſed ſoli Deo. De honore quidem per charitatem, de adoratione autem religioſa propriè dicta, loquitur Hieron. epiſt. ad Riparium adverſus Vigilant. ubi ait; *Honoramus autem reliquias martyrum, ut eum, cujus ſunt martyres adoremus.* — Honor.

14. *Servitutem* Auguſtinus (lib. 1. de Trinit. cap. 6. & lib. 10. de Civ. Dei, cap. 1.) diſtinguit in eam quam ſoli Deo debemus, & ad ſolius Dei cultum pertinet, quam docendi cauſâ ſcriptorū novi Teſtamenti conſuetudinem ſequutus, appellat λατρείαν, & hanc interpretatur, *ſervitutem illam quæ ad religionem pertinet,* quæſt. 86. ſuper Exodum: ] *ſervitutem religionis,* lib. 5. de civitate Dei, cap. 15.] Diſtinguit (inquam) Auguſtinus ſervitutem in hanc λατρείαν, & eam ſervitutem — Servitus.

quæ

quæ hominibus debetur, quæ duplex eſt; aut enim debetur Dominis à ſervis, juxta illud Apo-
Epheſ. 6, 5. ſtoli ad Epheſ. 6. *Servi obedite Dominis veſtris ſecundum carnem, cum timore & tremore*: vel unicuique ab unoquoque debetur, non per ſubjectionem ſervilem, ſed per charitatem Chriſtianam, juxta dictum Apoſtoli ad Galat. 5.13. ἀλλὰ
Galat. 5, 13. διὰ τῆς ἀγάπης δουλεύετε ἀλλήλοις. *per charitatem ſervite mutuò alii aliis*. Illa mutua eſt, eamque Domini ſervis debent, non minùs quam ſervi Dominis: illa verò non mutua, ſolis enim ſervis incumbit. & debetur Dominis ſecundum carnem, utraque δουλεία dici conſuevit.

15. Hæc ſunt quæ tradit Auguſtinus de diſtinctionibus religionis, cultûs, honoris, ſervitutis. ubi omnem cultum religioſum, omnemque ſervitutem quæ ad religionem pertinet, ſoli Deo vindicat, & appellat λατρείαν. alteram verò illam ſervitutem, quam vocat δουλείαν, non conſtituit ſpeciem religioſæ ſervitutis aut cultus ſacri, ſed eam ei opponit, ut contradiſtinctam. Et hanc ipſam δουλείαν (quæ non religioſa eſt, ſed civilis) vel ad ſervitutem propriè dictam refert, quæ Dominis debetur à ſervis; vel ad cultum dilectionis ac ſocietatis, & honorificæ recordationis, & exhibitionem honoris per imitationem, & per charitatem, quam inter nos invicem debemus. Et hunc ſolum cultum & honorem concedit Angelis & hominibus ſanctis defunctis pa-
Sup. §. 13. riter & viventibus. qui non propriè eſt ſervitus, ſed charitatis officium. ideo ait Auguſtinus, *nos honorare Angelos charitate, non ſervitute*. Hyperduliæ autem neque meminit Auguſtinus, neque quiſquam veterum Patrum.

De vocabulis λατρεία, δουλεία.

16. Vocabula ipſa *latria* & *dulia* quod attinet; certum eſt ea ſecundum nativam ſuam ſignificationem latius patere, quàm in memorata diſtinctione accipiuntur. Nam & δουλεία cultum divinum ſignificat, quique Deum colunt, δοῦλοι Θεοῦ, ſervi Dei nuncupantur, in ſcripturis paſſim: & dicuntur δουλεύειν Θεῷ ζῶντι καὶ ἀληθινῷ, 1. Theſſ.
1. Theſſ. 1, 9. 1, 9. Et utroque vocabulo ad eandem ſignificationem adhibito, dicitur de ſervis Dei, οἱ δοῦλοι
Apocal. 22, 3. αὐτοῦ λατρεύσουσιν αὐτῷ. Apocal. 22, 3 Et idolola-
Deut. 28, 64. træ dicuntur δουλεύειν θεοῖς ἑτέροις, ſervire alienis diis, Deut. 28. verſ. 64. Non quod ſint alii dii. aut plures dii; ſed quia cultum religioſum alicui rei exhibere, eſt divino illam honore colere, quocunque tandem vocabulo cultus ille indigitetur, ſive latriam voces, ſive duliam: divinos autem honores alicui præterquam uni vero Deo impertiri, eſt Deos alienos colere, ſeu idololatria.
Gal. 4, 8. Hinc Apoſtolus idololatriam deſcribens, ait; ἐδουλεύσατε τοῖς μὴ φύσει οὖσι θεοῖς. Galat. 4, 8. & eandem rem aliis duobus verbis in eundem ſenſum adhibitis alibi exprimit, dicens; ἐσεβάσθησαν καὶ
Rom. 1, 25. ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα. ad Rom. 1, 25. Et λατρεία, tum ex uſu profanorum auctorum, tum etiam in Græca verſione Veteris Teſtamenti, ad eam quæ hominibus exhibetur ſervitutem ſignificandam uſurpatur. καὶ λατρεύσεις ἐκεῖ τοῖς
Deut. 28, 48. ἐχθροῖς σου. Et ſervies illic inimicis tuis. Deut. 28, 48. Laurentius Valla, in annotationibus ſuis in caput 4. Matthæi, in illa verba. [Et illi ſoli ſervies
Matth. 4, 10. λατρεύσεις] Hoc (inquit) Græco verbo non utuntur noſtri, ſed nomine, quod eſt latria, volentes hunc actum ſoli Deo deberi. Is etſi frequenter Deo exhibetur, non tamen ſemper. Nam quantum ego ſentio, magis ad homines pertinebat. Ideóque principes Græcæ Linguæ ita uſurpant. Ut apud Xenophontem libro tertio in Cyripædia: ἐγὼ μὲν ὦ Κῦρε καὶ τῆς ψυχῆς πριαίμην ἂν ὥστε μήποτε λατρεύειν ταύτην. Hoc autem eſt, Equidem, Cire, ego vel animâ redimerem, ne quando iſta ſerviret. Hæc viri ſunt verba: tum uxor eadem loquitur alio verbo, ut appareat inter ipſa verba latriam & duliam nihil intereſſe, ὡς τῆς ἐμαυτοῦ ψυχῆς ἂν πριαίμην ὥστε μὴ σε δουλεύειν. Sed ne ſolum videas exempla è gentilibus attuliſſe, afferam ex Eccleſiaſticis quoque, in Levitico, omne opus ſervile [λατρευτὸν] non facietis. Et iterum, de ſemine tuo non dabis Principi λατρεύειν. Et in Job. mendica λάτρις. Hæc Valla. Sic etiam Lodovicus Vives in Commentario in lib. 10. Auguſt. de Civitate Dei, cap. 1. λατρεύω (inquit) eſt δουλεύω quaſi ſervio, ſed poſtea factum eſt ut eſſet ἐπὶ μισθῷ, teſte Suidâ, qui & ait λατρείαν δουλείαν εἶναι ἐπὶ μισθῷ, ſervitutem eſſe mercenariam. Nam apud Xenophontem, &c. Hæc Vives, qui ſubjungit teſtimonium ex Xenophonte, quod à Valla prolatum eſt. Daniel Chamier in Panſtratia Catholica tom. 2. lib. 19. cap. ult. §. 7. citat hæc Phavorini verba, λατρεύειν κυρίως τὸ δουλεύειν. λάτρις ὁ μισθῷ δουλεύων, λάτρον γὰρ ὁ μισθός. Et in eandem ſententiam adducit teſtimonia Sophoclis & Æſchyli, & Theodecti, & Euripidis. His adde verſum illum Phocylidis, in Poemate Nuthetico, verſ. 213. Καρπῷ λατρεύειν, μηδ' ἀντιστέα δείμαινε.

17. Neque vel Auguſtinus, vel quiſquam (quod ſciam) ſanctorum Patrum, primis ſexcentis annis ſeriò, ac ſedatè ſcribens, (excipio enim poeticas hyperbolas, de quibus vide cap. 5. §. 11. regul. 4.) nemo, inquam, illorum dixit nos Angelis vel ſanctis defunctis debere ſervitutem. Concedunt quidem illis honorem & cultum dilectionis & ſocietatis At ne intelligatur ſervitus propriè dicta, conſultò abſtinent à vocabolo *ſervitutis*, quando ſermo eſt de honorandis Angelis aut ſanctis defunctis. Nos enim non ſumus Angelorum aut ſanctorum defunctorum ſervi, ſed Dei ſumus cum illis filii & ſervi; illorum autem fratres, & conſervi, & concives, Apocal. 6. 11. & cap. 19, 10. & cap. 22, 9. Epheſ. 2, 19. quo argumento rejicit Angelus oblatam ſibi adorationem, quâ cum adorare parabat Johannes in Apocalypſi, cap. 19. & cap. 22. licet eum verè Angelum eſſe & non Deum eſſe, ibidem & initio libri, agnoſcat Johannes. Propterea Durandus aſſerit, nos beatæ Virgini & aliis ſanctis propriè non ſubdi jure ſervitutis. Ipſi Deo Patri (inquit Thomas) debetur honor latriæ, propter Deitatem; & honor duliæ, propter dominium quo gubernat creaturam. Unde ſuper illud *Pſal. 7. Domine Deus meus in te ſperavi*, dicit gloſſa, Dominus omnium per potentiam, cui debetur dulia: Deus omnium per creationem, cui debetur latria. Martino Pereſio etiam qui Ayala dicitur, diſplicet vocabulum *dulia*; quia non ſumus ſervi ſanctorum, ſed conſervi: poſterius concedunt Bellarminus & Vaſquez; ſed hunc uſum vocabuli duliæ tueri conantur auctoritate Apoſtoli Pauli ad Galat. 5, 13. ἀλλὰ διὰ τῆς ἀγάπης δουλεύετε ἀλλήλοις.

18. En! quo jam redacta ſuperſtitio illa erga ſanctos, omni antiquorum Patrum audata præſidio, nec aliud in ſacris literis perfugium inveniens, niſi in illo officio charitatis quod Chriſtiani viatores ſibi invicem debent, in mutua æquanimitate & patientiâ & pacis cuſtodiâ. *Vos* *enim* (ait Apoſtolus ad Galat. 5. 13. 14. 15.) *in libertatem vocati fuiſtis, fratres: tantum ne libertatem datam putetis in occaſionem carnis, ſed*



*per charitatem ſervite invicem* [ſeu alii aliis, ἀλλήλοις.] *Nam tota Lex uno verbo completur, nempe hoc*. Diliges proximum tuum ſicut teipſum.
Galat. 5, 15. *Quod ſi invicem* [ſeu alius alium, ἀλλήλους] *mordetis & devoratis, videte ne ab invicem* [ὑπὸ ἀλλήλων] *conſumamini*. Et poſtea in eadem epiſtola, ἀλλήλων τὰ βάρη βαστάζετε, καὶ οὕτως ἀναπληρώσατε τὸν νόμον τοῦ Χριστοῦ. *Alii aliorum onera*
Gal. 6, 2. *portate; & ita complete legem Chriſti*. Hinc meridianâ luce clarius jam eſt, officium illud ſerviendi in charitate, ab Apoſtolo imperatum, mutuum eſſe, &, ut loquitur Chryſoſtomus in hunc locum, ἀντίστροφον φαινόμενον. Neque ad alios relationem habere, niſi qui per eandem legem tenentur ejuſdem officii reciprocatione nos excipere, & quibus commune nobiſcum periculum eſt ne ſit exitialis diſcordia: Et inprimis mandari hoc firmioribus erga infirmos fratres; deinde & his erga illos. & omnibus inter ſe. Quid igi-
Bellarm. de Sanct. tur lucratur Bellarminus ex ſuo commento de honoraria ſubjectione, quam ait intelligi per duliam in verbis Apoſtoli jam citatis ad Galat. 5? Nam quæcunque tandem dulia intelligatur, ea mutua eſt, ac proinde non magis ſequitur nos debere ſubjici Angelis honorariâ ſubjectione, quam Angelos nobis, imò illos potius nobis; puta firmiores infirmioribus, ut jam docui.

19. Hieronymus Commentario in hunc locum Epiſtolæ ad Galatas, ait præceptum illud charitatis, quo jubetur quiſque diligere proximum ſicut ſeipſum, etiam Angelis convenire.
Galat. 5, 13. Verba autem illa, [*per charitatem ſervite invicem*] ſic exponit; qui cum eſſet liber ex omnibus, omnium ſe propter charitatem ſervum fecit, ut plures lucrifaceret; rectè hortatur & cæteros, ut per charitatem ſibi ſerviant, quæ non quærit quod ſuum eſt, ſed quod proximi. Qui enim vult fieri primus, erit omnium ſervus. Hæc Hieronymus. Nam (ut monet in eundem locum Chryſoſtomus) qui proximum, ſicut oportet, diligit, non recuſat ſervire ei ſubmiſſius quoque liber ſervo. Propterea non dixit ſimpliciter, diligite vos invicem, ſed, ſervite. intenſam ſignificans amicitiam [ἐπιτεταμένην δηλῶν φιλίαν.] Imponit illis jugum charitatis. Similiter Oecumenius. Quoniam (inquit) jugum legis abſtulit, aliud imponit; nempe charitatis, leve ac fortius illo. quod autem ait, ſervite, charitatis intenſionem ſignificat [τὸ], δουλεύετε, δηλοῖ τὸ ἐπιτεταμένον τῆς ἀγάπης.] Et rectè vobis invicem [πρὸς ἀλλήλους:] nam ex ambitioſa principatus affectione ſeſe ipſis ingerebant, quæ ad circumciſionem concitabant. Et auctor Commentarii, qui Ambroſio tribuitur, ait Apoſtolum his verbis exhortari, ut invicem ſibi ſubjecti ſint. Et Primaſius eadem Apoſtoli verba exponens, Voluntarium (inquit) debet eſſe ſervitium, non coactum: quia charitas non quærit quæ ſua ſunt, ſed quæ proximi.

20. Intelligitur igitur illo loco ad Galatas officium mutuum fraternę charitatis inter Chriſtianos viatores, quorum certè nemo alterum cultu religioſo, ſed tantum civili proſequitur. Quamvis autem à religione imperetur, ejuſque imperio exhibeatur interdum honor ſeu cultus civilis, non tamen id mutat honoris ſeu cultus naturam. Sed quamvis cauſſaliter dici quodammodo poſſit religioſus, manet tamen formaliter civilis, non differens eſſentiâ à cultu illo civili qui propter cauſſas merè politicas exhibetur. Exempl. grat. Honor qui magiſtratui exhibetur à ſubdito pagano propter cauſſas politicas, eſt idem ſpecie cum honore, quem eidem exhibet ſubditus Chriſtianus propter conſcientiam. Prætereа ſicut in civitate terrena, ita etiam in Eccleſia & civitate cœleſti quicunque concives ſunt, non alio quam civili à ſe invicem honore excipiuntur, licet unum alteri anteponant propter eminentiam in utravis civitate. Ideo Rex terrenus Prophetam tanquam diſcipulus magiſtrum & concivem ſuum in civitate cœleſti honorat honore civili. Et ab eodem Propheta ut ſubdito ſuo in republica terrena idem rex colitur & adoratur honore civili. ſic reſpectu civitatis terrenæ magis ſuſcipimus reip. proceres; at intuentes civitatem cœleſtem, præferimus Eccleſiæ antiſtites. Atque ita, quacunque de cauſâ exhibitus honor creaturæ non eſt religioſus, ſed civilis, ſi legitimus; nam religio ſoli Deo nos religat. Ideo falſum eſt quod aſſerit Bellarminus lib. de ſanctorum beatitudine, cap. 13. ſacris rebus, ſanctis angelis & hominibus deberi cultum aliquem religioſum, qui ſit major civili. quod autem ibidem addit, deberi eis cultum majorem merè humano, ſophiſtica tergiverſatio eſt; nam etſi inter homines ſint diverſi honorum gradus, honor tamen nulli homini debetur niſi humanus, & angelo angelicus; uterque autem civilis eſt honor, neuter religioſus. Neque datur ullus religioſus cultus qui ſit major civili, & minor divino cultu. Quocirca talem cultum exhiberi creaturæ, idololatricum eſt.

21. Obſerva autem, quamvis Angelos & ho- Vide cap. 2. §. 5. & cap. 4. §. 15. & cap. 5. §. 6.
mines ſanctos colamus eodem civili cultu dilectionis & ſocietatis, quo ſanctos adhuc viatores; non tamen ea omnia inter nos & angelos ac defunctos intercedere, quæ inter viatores: nam viatores ſe invicem vel præſentes alloquio, vel abſentes per literas aut internuncios conſulere poſſunt, & alii aliorum conſilium vel auxilium prece civili implorare, etiam hortari & rogare ut preces ad Deum pro fraternis etiam neceſſitatibus fundantur. Hæc & commercii in hac vita ratio admittit, & in Dei præceptis ac promiſſionibus evidens ac certum habent fundamentum. Nihil horum cum eis nobis intercedit, quorum à noſtro commercio remotorum, non datur ora tueri, nec notas audire ac reddere voces, cum quibus neque literarum neque internunciorum nobis eſt commercium; neque eos conſulendi, eorumve opem implorandi vel præceptum ullum exſtat in Dei verbo, vel exemplum, vel conſulenti aut invocanti ulla facta promiſſio. Nec minus ridicula eſt & idololatrica ſanctorum in cœlo à nobis abſentium invocatio, quàm ſi quis in Scotia conſtitutus, alicujus amici ſui, etiam viatoris, apud Indos degentis opem ſola voce imploret. Nam quod nonnulli imaginantur angelos nunciare ſpiritibus defunctorum quæ illis cupimus intimari, præterquam quod abſque Dei verbo tutum non eſt fidere conjecturis, quid prohibebit Angelos petitiones noſtras pariter nunciare amicis noſtris viatoribus, ut fraternum orandi pro nobis officium mutui præſtent? quo ſemel admiſſo, novæ ſuperſtitioni ſeu inſaniæ potius porta aperietur, nempe ut etiam ad viatores longe diſſitos nec audientes ſermo dirigatur, perferendus ſcilicet ad eos per internuncios angelos. Cum angelis autem ipſis, licet nobiſcum inſenſibiliter præſentibus, non ea nobis intercedit familiaritas, ut eos compellare poſſimus, vel abſque Dei verbo audeamus.

22. Adhæc meminiſſe convenit, petitionem illam, qua alios rogamus ut pro nobis Deum precentur, non eſſe ſervitutem [δουλείαν] debitam illis à quibus hoc poſcimus; ſed eſſe officium quod, jubente Deo, nos ipſi nobis præſtamus & debemus, & poſtulationem officii quod nobis illi poſtulantibus debent, imo etiam non poſtulantibus, modo noſtram noverint indigentiam. Et alterius precatio pro nobis eſt potius ſervitus [δουλεία] nobis ab illo præſtita per charitatem.

23. Alexandri Alenſis dictum eſt, Deo debemus latriam: Chriſto ratione humanæ naturæ hyperduliam: ſanctis verò duliam. Beatæ Virgini (inquit Thomas) debetur veneratio duliæ, eminentius tamen quam cæteris creaturis, in quantum ipſa eſt Mater Dei. Et ideo dicitur, quod debetur ei non qualiſcunque dulia, ſed hyperdulia. Hæc de vocabulis.

## CAPUT SECUNDUM.

### *Specimen Doctrinæ Romanenſium de objecto religioſi cultus; cum antidoto.*

Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. recipit Synodum ſecundam Nicænam, & Catechiſmus Romanus, ex decreto Concilii Tridentini, & Pii quinti Pontificis Maximi juſſu editus, part. 3. cap. 2. laudat ac recipit doctrinam Joannis Damaſceni, & ſecundæ Nicænæ Synodi. Quæ etiam Nicæna Synodus Joannem Damaſcenum ejuſque hac de re doctrinam laudat, ſub finem ſextæ actionis illius Synodi ſecundæ Nicænæ. His ſi adjungamus alios Romanarum partium ſcriptores, facilius percipiemus, quæ ſit Romanenſium doctrina de objecto religioſi cultus.

2. Jodocus Clichtovæus Neoportenſis, Pariſienſis Theologus, in ſuo Commentario in Damaſceni lib. 4. orthodoxæ fidei, cap. 16. & Bellarminus lib. de ſanctorum beatitudine, cap. 13. cultum religioſum ajunt ſanctis exhibendum eſſe, qui ſit divino minor, & civili major. Atqui ſuperiore capite oſtenſum eſt, omnem cultum religioſum, qui quidem civili major ſit, ſoli Deo convenire, unde ſequitur nullum revera eſſe talem cultum religioſum, quem fas ſit exhibere creaturis.

3. Tridentina Synodus, ſeſſ. 25. jubet hunc ſanctis defunctis honorem exhiberi, ut ad eorum orationes, opem auxiliumque confugiamus, eos invocemus, eis voce vel mente ſupplicemus: & eorum corpora veneremur: & opis eorum impetrandæ cauſſa eorundem memorias frequentemus. Et ſeſſ. 22. de ſacrificio Miſſæ, cap. 3. & can. 5. laudat celebrationem Miſſarum in honorem ſanctorum, & pro illorum interceſſione apud Deum obtinenda. Ita tamen ut non illis, ſed Deo ſoli ſacrificium offeratur, & ſacerdos Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia imploret, ut ipſi pro nobis intercedere dignentur in Cœlis, quorum memoriam facimus in terris. Et Catechiſmus Romanus, part. 3. cap. 2. qu. 5. laudat etiam adorationem & invocationem Angelorum.

*Vana excuſatio.* 4. Dicunt ſe non invocare ſanctos aut Angelos, ut ſancti vel Angeli ipſi tanquam auctores beneficiorum gloriam vel gratiam aliaque dona largiantur; ſed tantum petere ab illis, ut pro nobis orent & meritis ſuis impetrent nobis à Deo per Chriſtum: Deumque per illorum merita orare ut nobis ſit propitius. Ita Thomas ſecunda ſecundæ, qu. 83. art. 4. & Bellarminus, lib. de ſanctorum beatitudine, capitib. 17. 18. 19. At ſi *Ejuſdem refutatio.* hæc eorum mens, cur ultro objiciunt ſcandalum imperitis, quos docent precari & petere à ſanctis & ab Angelis miſericordiam, virtutem, ſalutem, præſidium &c. Sancte Petre miſerere mei, ſalva me, aperi mihi aditum Cœli, da mihi ſanitatem corporis, da patientiam, da mihi fortitudinem, &c. Ita enim dicere licere contendit Bellarminus, lib. de ſanct. beatitud. cap. 17. dummodo intelligamus, ſalva me, & miſerere mei, orando pro me, da mihi hoc & illud tuis precibus & meritis: ſic enim loqui Gregorium Nazianzenum oratione in Cyprianum, & in Baſilium, & alios multos Veterum. Nos autem Nazianzenum & alios Veteres vindicare conabimur, cap. 5. hujus libri: neque enim æquum eſt apoſtrophas Rhetoricas & oratorias anthropopatheias in patrocinium adduci ordinarii alicujus cultus, ab hominibus perperam introducti. Eodem modo, ſed infelici conatu excuſare nititur Bellarminus, loco citato, precationem illam Eccleſiæ Romanæ, in hymno ad beatam Virginem,

*Maria mater gratiæ,*
*Mater miſericordiæ,*
*Tu nos ab hoſte protege,*
*Et hora mortis ſuſcipe.*

Et illam in hymno Apoſtolorum;

*Quorum præcepto ſubditur*
*Salus, & languor omnium,*
*Sanate ægros moribus,*
*Nos reddentes virtutibus.*

Neque ſimilia ſunt quæ Bellarminus adducit ex Apoſtolo Paulo, *ut ſalvos facerem aliquos ex illis.* Rom. 11. Et, ut quovis modo aliquos ſalvos facerem. 1. Cor. 9. Illis enim locis ſatis perſpicuè docet Apoſtolus, ſe ſuâ doctrina & moribus dare operam, ut permoveantur hominum animi atque ad Deum accedant. Sed nuſquam in Scripturis legitur quiſquam fidelis oraſſe aliquam meram creaturam, ut illum ipſa ſalvum faceret, & gratia donaret. Neque petunt Pontificii, ut ſancti vel Angeli exemplo ſuo doctrinaque in rectam viam eos ducant: neque verò id petere poſſunt, ceſſante familiari converſatione & ſenſibili commercio, quale inter ſe habent viatores.

5. Ecquid verò etiam reſpondebunt quod ſerium ac ſolidum, & tanto negotio dignum ſit, de invocatione crucis, & imaginum, & ſimilium rerum vitæ expertium? Nam ejuſmodi res non poſſunt pro nobis orare, neque merita habent quibus nos juvent. dicunt tamen,

*O crux ave ſpes unica*
*Hoc paſſionis tempore,*
*Auge piis juſtitiam,*
*Reiſque dona veniam.*

Ex qua oratione non inepte colligit Thomas, Eccleſiam Romanam exhibere cruci cultum latriæ. Dices, cum Alexandro Alenſi, majorem illum honorem qui exhibetur cruci, referri ad rem ſignificatam, cujus eſt ſignum, non ad ipſam crucem in ſe. Attamen teſtatur Thomas, loco in margine notato, etiamſi ratione ipſius crucifixi reverentia iſta cruci exhibeatur, tamen propter hanc rationem crucem adorari eadem adoratione cum Chriſto, & propter



hoc etiam eos crucem alloqui & deprecari quaſi ipſum crucifixum. Imaginem etiam Chriſti adorandam eſſe adoratione latriæ, docent Thomas 3. part. qu. 25. art. 3. & Bonaventura, & Joannes Major, & multi alii, in 3. ſent. diſt. 9. quod eſt prorſus abſurdum, vel ipſo judice Concilio Nicæno ſecundo. Age verò, quid ſibi vult illa oratio ad illam Chriſti imaginem, quam dicunt Veronicæ datam eſſe, quæ adjuncta eſt libro B. Bon. cui titulus eſt, Dieta ſalutis.

*Nos perduc ad patriam ô fœlix figura*
*Ad videndum faciem quæ eſt Chriſti pura.*

Ubi ab ipſa Chriſti facie diſtinguitur iſta figura, quam invocant. Et paullo poſt in eadem oratione ab iſta figura petuntur hæc dona.

*Nos ab omni macula purga vitiorum,*
*Atque nos conſortio junge beatorum.*

Vide de iſta rerum vitæ expertium invocatione & laudibus plura inferius, §. 34. hujus capitis.

6. Præterea, (ut ad illa redeamus, quæ diximus de ſanctorum precibus & meritis) etſi alii pro aliis Deum orare poſſumus ac tenemur officio debitæ charitatis, nullus tamen pro peccatoribus apud Deum intercedere poteſt, ſeu Mediatorem agere merito ſuæ obedientiæ, ſeu dignitate ſui meriti, niſi unus Chriſtus Ieſus, qui unus eſt Mediator Dei & hominum, qui ſeipſum dedit ἀντίλυτρον pro omnibus, ferens multorum peccata, & intercedens pro tranſgreſſoribus, & abſolutiſſimè [εἰς τὸ παντελὲς] ſervans eos qui per ipſum accedunt ad Deum, ſemper vivens ad interpellandum pro eis. Neque alterius cujuſpiam merito, vel mediatè vel immediatè gratiam gloriamve aut ullum bonum conſequimur. Ille ſolus calcavit torcular, & de populo non fuit quiſquam cum illo. Ipſe ſolus dignus inventus eſt, qui librum aperiret. Neque eſt in alio ullo ſalus, neque datum eſt aliud ſub Cœlo nomen inter homines per quod oporteat ſalvari. Solius Chriſti nomen nobis in Scripturâ commendatum eſt, ut in eo invocemus Deum, cum promiſſione obtinendi quicquid in ejus nomine petimus. Nemo venit ad Patrem niſi per Chriſtum. Nempe ſolius Chriſti merito acceſſum habemus ad Patrem in uno Spiritu. Poſſumus quidem in precibus noſtris commemorare gratuitum Dei pactum cum majoribus noſtris initum, & amicitiam illam quæ erat inter Deum & Patres noſtros, adeoque etiam eorum pietatem & conſtantiam ipſis à Deo donatam, & orare ut promiſſionis ſuæ memor Deus, miſericordiam ſuam in nos extendat. Quemadmodum Moſes oravit ut Deus recordaretur Abrahami, Iſaaci, & Iſraelis ſervorum ſuorum, quibus per ſeipſum juravit ſe multiplicaturum ſemen eorum ſicut ſtellas Cœli, eiſque terram illam daturum. Sic etiam exclamat Pſaltes, Ubi ſunt miſericordiæ tuæ antiquæ, Domine, [quas] juraſti Davidi in veritate tua? At aliud eſt gratuito Dei pacto, firmiſſimiſque miſericordiis pacto illo promiſſis niti; aliud verò cujuſquam meri hominis, aut creaturæ merita Deo obtrudere. Illud enim tutum & pium eſt: hoc verò periculoſum & impium. Omnes enim aberravimus, ſed ſolius Chriſti livore omnes ſanamur. Huc pertinent ea quæ ex Auguſtino & Leone ſubjiciemus.

7. Auguſtinus lib. 2. contra epiſtolam Parmeniani, cap. 8. Si (inquit) ita diceret [Joannes,] hoc ſcripſi vobis ut non peccetis, & ſi quis peccaverit, Mediatorem me habetis apud Patrem, ego exoro pro peccatis veſtris: ſicut Parmenianus quodam loco Mediatorem poſuit Epiſcopum inter populum & Deum, quis eum ferret bonorum atque fidelium Chriſtianorum? quis ſicut Apoſtolum Chriſti, & non ſicut Antichriſtum intueretur? *Auguſt.* Et tamen lacus detriti fumoſam aquam, iſtorum ſuperbiam ferunt, & Spiritum Sanctum continere non poſſunt, ut ſervent unitatem Spiritus in vinculo pacis, & in omnibus orationibus ſuis de uno Mediatore ſecuri ſint. Homines enim omnes Chriſtiani invicem ſe commendant orationibus ſuis. Pro quo autem nullus interpellat, ſed ipſe pro omnibus, hic unus veruſque Mediator eſt, cujus typus quoniam præfigurabatur in ſacerdote Veteris Teſtamenti, nullus illic invenitur oraſſe pro ſacerdote. Paulus autem Apoſtolus quanquam ſub capite præcipuum membrum, ſed tamen quia membrum eſt corporis Chriſti, & noverat non per figuram in interiora veli ad ſancta ſanctorum, ſed per expreſſam & firmam veritatem in interiora Cœli ad ſanctitatem, non imaginariam, ſed æternam, pro nobis intraſſe maximum & veriſſimum ſacerdotem Eccleſiæ, ſe orationibus fidelium & ipſe commendat. Nec Mediatorem ſe facit inter populum & Deum, ſed rogat ut pro ſe orent invicem omnia membra corporis Chriſti, quoniam pro invicem ſollicita ſunt membra; & ſi patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: & ſi glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra, ac ſi oratio pro invicem membrorum omnium adhuc in terra laborantium, adſcendat ad caput quod præceſſit in Cœlum, in quo eſt propitiatio pro peccatis noſtris. *1. Cor. 12. 25, 26.* Nam ſi eſſet mediator Paulus, eſſent utique & cæteri coapoſtoli ejus, ac ſic multi mediatores eſſent, nec ipſius Pauli conſtaret ratio qua dixerat, unus enim Deus, unus Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus: in quo & nos unum ſumus, ſi ſervemus unitatem Spiritûs in vinculo pacis. Hæc ibi. *1. Tim. 2. 5.*

8. Idem Pater, Tract. 84. in Euang. Joan. Etſi (inquit) fratres pro fratribus moriamur, tamen in fraternorum peccatorum remiſſionem nullius ſanguis Martyris funditur, quod fecit ille [Dominus Chriſtus] pro nobis: neque in hoc quid imitaremur, ſed quid gratularemur, contulit nobis. Item, Tractatu primo, in epiſt. Joannis; Si de infirmitate vitæ ſurrepſerit peccatum, continuo vide, continuo diſpliceat, continuo damna: & cum damnaveris, ſecurus ad judicem venies: ibi habes advocatum, noli timere, ne perdas cauſſam confeſſionis tuæ. Si enim aliquando in hac vita committit ſe homo diſertæ linguæ & non perit, committis te Verbo & periturus es? Clama, advocatum habemus apud Patrem. *1. Joan. 2. 1.* Videte ipſum Joannem ſervantem humilitatem, certè vir juſtus erat & magnus, qui de pectore Domini myſteriorum ſecreta bibebat: ille ille qui bibendo de pectore Domini divinitatem ructavit, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum: *Joan. 1. 1.* ille talis vir non dixit, advocatum habetis apud Patrem: ſed ſi quis peccaverit, advocatum, inquit, habemus: non dixit, habetis, nec me habetis dixit, nec ipſum Chriſtum habetis dixit, ſed & Chriſtum poſuit, non ſe: & habemus dixit, non habetis. Maluit ſe ponere in numero peccatorum, ut haberet advocatum Chriſtum, quam ponere ſe pro Chriſto Advocatum, & inveniri inter damnandos ſuperbos.

bos. Fratres, Jeſum Chriſtum juſtum ipſum habemus Advocatum ad Patrem, ipſe propitiatio eſt peccatorum noſtrorum. Hoc qui tenuit, hæreſim non fecit: hoc qui tenuit, ſchiſma non fecit unde enim facta ſunt ſchiſmata? Cum dicunt homines, nos juſti ſumus: cum dicunt homines, nos ſanctificamus immundos, nos juſtificamus impios, nos petimus, nos impetramus: Joannes autem quid dixit? Et ſi quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum juſtum: ſed dicet aliquis, ergo ſancti non petunt pro nobis? Ergo Epiſcopi vel præpoſiti non petunt pro populo? ſed attendite Scripturas & videte, quia & præpoſiti commendant ſe populo: nam Apoſtolus dicit plebi, Orantes ſimul & pro nobis: orat Apoſtolus pro plebe, orat plebs pro Apoſtolo: oramus pro vobis fratres, ſed & vos orate pro nobis: invicem pro ſe omnia membra orent, caput pro omnibus interpellet. Hactenus Auguſtinus.

*Coloſſ. 4. 3. vide ſupra, cap. 1. §. 21. & §. 22. & infra, cap. 4. §. 13. & cap. 5. §. 6.*

*Confutatur diſtinctio Romanenſium, de Mediatore.*

9. Nempe orant membra pro membris per merita ſolius capitis, ſolum autem caput ſuis meritis interpellat pro membris. Itaque vana eſt illa Romanenſium diſtinctio, ſolum Chriſtum eſſe Mediatorem redemtionis, ſanctos autem eſſe etiam Mediatores interceſſionis: nam etiam interceſſionis per ſua merita ſolus Chriſtus eſt Mediator, ut apertè docent memorata teſtimonia. Et in eandem ſententiam Leo ait; Quamvis multorum ſanctorum in conſpectu Domini pretioſa mors fuerit, nullius tamen inſontis occiſio propitiatio fuit Mundi. Acceperunt juſti, non dederunt coronas, & de fortitudine fidelium exempla nata ſunt patientiæ, non dona juſtitiæ. Singulares quippe in ſingulis mortes fuerunt, nec alterius quiſquam debitum ſuo fine perſolvit, cum inter filios hominum unus ſolus Dominus noſter Jeſus Chriſtus extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes ſepulti, omnes ſunt etiam ſuſcitati. Hæc Leo, hujus nominis primus, Papa Romanus, epiſt. 83. ad Palæſtinos Epiſcopos, cap. 4. quæ etiam repetit epiſt. 97. ad Leonem Auguſtum, cap. 2.

*Leo 1. Papa Rom.*

10. Vehementer igitur errant qui à ſanctis petendum exiſtimant, ut ii ſuis meritis beneficia nobis à Deo impetrent. Neque illi ſecundum Dei voluntatem orant, qui petunt à Deo gratiam aut gloriam aut quælibet bona concedi ſibi propter merita ſanctorum. Sicut facit ſacerdos Romanenſis in Miſſa, inquiens; Et omnium ſanctorum tuorum, quorum meritis, precibuſque concedas ut in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio. per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. Cujuſmodi etiam ſunt illæ à vera Chriſtiana pietate alienæ precationes, in libro Miſſali ſecundum uſum Sarum, impreſſo Rothomagi à Martino Morin, anno Dom. 1510. fol. 135. de Sancto Nicolao; Deus qui beatum Nicolaum Pontificem tuum innumeris decoraſti miraculis, tribue nobis quæſumus, ut ejus meritis & precibus à gehennæ incendiis liberemur. per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Et eodem folio: de Sancto Andrea. Sacrificium noſtrum tibi Domine quæſumus beati Andreæ prædicatio ſancta conciliet: ut cujus honori ſolenniter exhibetur, meritis efficiatur acceptum. per Dom. noſtrum Jeſum Chriſtum.

Fol. 139. de S. Juliano. Reſpice quæſumus Domine ſuper hæc munera quæ tibi offerimus, & beati Pontificis Juliani meritis, ab omnibus nos exue peccatis. Item, Divinis nos Domine, repleti ſacramentis ſupplices deprecamur, ut beati Pontificis Juliani meritis, nos dignos facias cœleſtibus inſtitutis.

Et eod. fol. de S. Batilde; ut hæc munera tibi Domine accepta ſint; Sanctæ Batildis obtineant merita: quæ ſeipſam tibi hoſtiam vivam ſanctam & beneplacentem exhibuit.

Fol. 162. de ſancta Scholaſtica Virgine. Deus qui beatæ virginis tuæ Scholaſticæ animam, ad oſtendendam innocentiæ viam, in columbæ ſpecie Cœlos penetrare feciſti; da nobis quæſumus ejus meritis ita innocenter vivere, ut ad eadem mereamur gaudia pervenire.

Fol. 168. Holocauſta hæc Domine tuâ benedictione ſanctifica, ut ſanctæ Potentianæ Virginis tuæ tibi meritis accepta ſint, in cujus ſunt veneratione oblata. per Dominum.

Et eod. folio, Deus qui hodierna die ſanctum Pontificem tuum Aldelmum ad æterna ſublevaſti gaudia, ejus quæſumus meritis illuc tua nos perducat miſericordia. per Dominum.

Rurſus ibidem. Sollemnitatem quæſumus Domine ſancti Pontificis Aldelmi celebrantibus adeſto propitius, & nobis ejus meritis concede gaudia vitæ cœleſtis.

Fol. 156. Præſtent nobis quæſumus ſumta ſacramenta præſidium ſalutare, & intervenientibus beati Martini Confeſſoris tui atque Pontificis meritis, ab omnibus nos abſolvant peccatis.

Fol. 160. Deus qui beatam Annam dilectiſſimæ genetricis tuæ matrem egregiam hodierna die ad Cœleſtis vitæ ſublevaſti gaudia, fac nos quæſumus glorioſis ejus meritis ad æternam pertingere beatitudinem.

Fol. 169. Beatæ Sabinæ Virginis tuæ & Martyris Domine precibus confidentes, quæſumus clementiam tuam, ut ejus meritis & precibus ad æterna gaudia pervenire valeamus.

Fol. 168. Oblata quæſumus Domine fidelis populi munera meritis beatiſſimi Audoeni Confeſſoris tui atque Pontificis tibi reddantur accepta: ut ab omni contagione peccati eiſdem quibus famulamur myſteriis, clementer emundari mereamur.

11. Horrenda iſta ſunt & indigna iis qui Chriſtianum nomen tueri volunt. Uſque adeo mentem adimit dira ſuperſtitio. Quis ſanâ mente præditus auſcultet Bernardo, ſeculi ſui contagione attaminato, ideoque dicere non verito, opus eſſe Mediatore ad Mediatorem Chriſtum, propter delicatam (ut ille loquitur) Chriſti affectionem. & propter judiciariam poteſtatem qua tanquam ignis conſumens formidoloſus eſt, iis terribilis accedentibus? Certè ipſi Domino credendum eſt de ſua manſuetudine & demiſſione animi clarè teſtanti, omneſque laborantes & onere preſſos ad ſe blandè invitanti.

12. Abſurdum eſt etiam illud placitum Concilii Tridentini, ſuperius hoc capite. §. 3. commemoratum, de celebratione Miſſarum in honorem & memoriam ſanctorum, ſicut & illæ memoratæ petitiones, quibus petitur, ut ſacrificium Deo acceptum efficiatur meritis ſanctorum. Horrenda iſta ſunt & palam ſacrilega. An non ſecundùm ipſorum doctrinam celebratio Miſſæ eſt latria ſoli Deo exhibenda? Annon docent, ſacrificio quod in Miſſa peragitur, Chriſtum immolari? Annon fatentur, contra Donatiſtas, dignitatem ſacramenti non pendere à dignitate Miniſtri, atque adeò à ſolo authore Chriſto? Sumne igitur iſta myſteria celebranda in honorem creaturæ?



creaturæ? Nam etiam ſanctorum meritis & precibus opus eſt, ut Chriſtus Patri oblatus, imò, ſicut ipſi loquuntur, ſeipſum ſacerdotum miniſterio offerens, acceptus ſit Patri? Sancti jam Chriſto propitii eſſe debebunt, ſicut de hominibus Ethnicis Deos ſibi ipſis conſtruentibus loquitur Tertullianus, Apologet. cap. 5. Imò, ſequeſtratis Romanenſium erroribus de ſacrificio Miſſæ, annon fateri debent omnes Chriſtiani, ſacramentum à Chriſto inſtitutum, & ſecundùm Chriſti inſtitutionem ritè celebratum, Deo acceptum eſſe ex ſua inſtitutione, non autem meritis ſanctorum?

13. Modum neſcit audax ſuperſtitio. Nam etiam altaria & domos ſacras, templa videlicet & oratoria, in quibus preces, ad eos propitiandos, Angelis ſanctiſque defunctis offerantur, ædificanda illis & dedicanda, eiſdemque vota nuncupanda, contendunt. At ſoli Deo faciendam eſſe ſacrificii oblationem, altarium & templorum erectionem, & votorum nuncupationem, prolixè oſtendimus ſuperiore capite: idque ipſum agnoſcit Coſterus Jeſuita, in ſuo Controverſiarum Enchiridio, cap. 9. §. Ex his facile. Et ad ſolius Dei cultum ſeu latriam ſtrictè ſumtam pertinere ſacrificium, templa, altaria, ſacerdotes, fatetur Bellarminus, lib. de ſanctorum beatitudine, cap. 12. §. Tertia ſpecies. Idem tamen Bellarminus, eodem libro, cap. 13. ait; Argumentum quintum ſumi poteſt ex invocatione, templis, feſtis, votis, peregrinationibus, imaginibus, & aliis, de quibus poſtea: cum hæc omnia ad cultum ſanctorum non dubium ſit pertinere. Haec ibi, §. argumentum quintum. Item lib. de cultu ſanctorum, cap. 4. §. quarta propoſitio. Sacræ (inquit) domus non ſolum Deo, ſed etiam ſanctis rectè ædificantur & dedicantur.

14. Evaſurum ſe putat Bellarminus, ibidem, per diſtinctionem inter Baſilicam & templum. Templum quidem Deo, cui etiam ſoli debetur ſacrificium, tribuit; eandem verò ædem, quæ reſpectu ſacrificii Deo in ea oblati templum Dei dicitur, ait eſſe etiam conſecratam Angelo aut ſancto, ut baſilicam verè & propriè ipſi Angelo aut ſancto, & in Angeli aut ſancti honorem ædificatam, & non ſolùm Deo in eorum memoriam. atque huc torquet ſententias quaſdam veterum, de baſilicis martyrum. quia autem à quibuſdam dicuntur templa martyrum, ait certum eſſe eos intelligere materialiter, id eſt, domum illam, quæ dicitur templum, fabricari martyribus; non tamen ſub ratione templi ad ſacrificia, ſed baſilicæ ad ornandam memoriam ipſorum ſanctorum. Idololatriam enim eſſe, erigere Sanctis templa ſub ratione templi: non tamen idololatriam eſſe, erigere illis baſilicas in quibus eos tanquam patronos colamus, invocemus, deprecemur. Et lib. de ſanctorum beatitudine, cap 20. §. Alii dicunt ſanctorum animas. approbat etiam internas preces quibus ſancti invocantur, quando ſola cogitatione aliquis orat. Id quod etiam viſum Synodo Tridentinæ, ſeſſ. 25. ubi Synodus ait illos impiè ſentire qui aſſerunt ſtultum eſſe, in Cœlo regnantibus ſanctis voce, vel mente, ſupplicare. Gabriel Vaſquez, in tertiam partem Thomæ, qu. 25. diſput. 98. cap. 1. Poſtquam dixit, duliam peculiarem eſſe virtutem, à latria aut religione diſtinctam, qua ſanctis adorationem & cultum exhibent; atque adeò religionem circa cultum ſolius Dei verſari: ſubjicit in fine illius capitis hæc verba, Addendum tamen eſt, cultum Sanctorum non ſolùm dicendum eſſe ſacrum, ſed religioſum vocari poſſe; non quia ſit ex ſpeciali virtute religionis, quam ſcholaſtici diverſam conſtituunt ab obſervantia & hyperduliâ, ſed quia cum divino cultu maximè conjunctus eſt. Eiſdem namq; rebus & cerimoniis ſacris honorem Sanctis deferimus, & Deo, templis nimirum, hymnis, luminaribus & ſimilibus, quibus non liceret homines in civili dignitate conſtitutos honorare. Hæc ibi Vaſq. Joan. Petrus Maff. Jeſuita in vita Ignatii Lojolæ, conditoris Jeſuitarum ſocietatis, lib. 1. cap. 3. loquens de eodem Ignatio Lojola; *Primum omnium (inquit) religionis cauſſa celeberrimam beatæ Virginis ædem adire decrevit.* Et paulloposſt; *Ratus nullum continentiæ præſidium poſſe firmius inveniri, quàm Dei Matris ejuſdemque Virginis perpetua patrocinium, recenti præſertim illius in ſe clementiâ ac benignitate invitatus, in ejus maximè clientelam fidemque confugit, ac ſtudio virtutis incenſus, illuc fecit ut eidem Virgini beatiſſimæ ſeſe irrevocabili voto caſtitatis obſtringeret.* Et cap. 4. *Totam eam noctem pervigil ante aram ſanctiſſimæ Virginis, modò ſtans, modò genibus nixus, præteritorum veniam demiſſe precari, Divino cultui devovere ſeſe, ac beatam præcipuè Dei Matrem intentâ ſupplicatione propitiare non deſtitit.* Hæc Maffejus.

15. Si cum veteribus orthodoxis appellarent baſilicas martyrum, ædes ſoli Deo extructas ejuſque ſolius cultui dicatas in martyrum locis, in quibus aut paſſi ſunt, aut aliquod eorum extaret monumentum, ut in eis ſacris domibus, ſoli Deo conſecratis, Deum ſolum religioſè colerent & invocarent, eique (ut olim à Chriſtianis factitatum refert Auguſtinus) de martyrum victoriâ gratias agerent, ejuſdemque divinum auxilium invocarent, quo & ipſi ſuffulti ad imitationem talium coronarum atque palmarum roborarentur, & ſe invicem ad eam imitationem ex martyrum memoriæ renovatione adhortarentur. item, ſi in locis in quibus Angeli apparuerunt, aut aliquid egregium geſſerunt, domos Deo, in honorem ſolius Dei, ædificarent, in quibus ſolus Deus invocaretur: aut ſi ſacris domibus ſolius Dei cultui ubicunque dicatis appellationes inderent ab Angelorum ſanctorumve nominibus, ſine ulla religioſi cultûs Angelis hominibuſve illis exhibendi intentione; non tantopere certaremus cum Pontificiis de vocibus. At verò quando audent affirmare, Sanctis defunctis & Angelis ædificandas eſſe domos ſacras, ſeu oratoria, ipſiſque dicanda, in ipſorum honorem & cultum ſacrum; in quibus tum per eorum merita Deus, tum ipſi invocentur, & religioſè colantur, nobiſque propitientur; in quibus etiam Angelo alicui aut ſancto vota nuncupentur, preces, tum voce, tum etiam ſolâ cogitatione, & hymni ac laudes offerantur: nos profectò ab iſtiuſmodi ſacrilegio & manifeſta idololatriâ meritò abhorremus. Sic enim tum ædes quas ædificant, tum ſeipſos etiam conſtituunt templa Angelorum & ſanctorum, in quibus honores ſoli Deo debitos, nempe religionem precum, & laudum ſacrificia, & vota Angelis & ſanctis nolentibus offerunt.

*Aug. lib. 8. de civit. cap. 27.*

*Virum ſciant viatorum preces; Et quid inde ſequatur.*

16. Unde, quæſo, illis notitia precum quæ vel ſolâ cogitatione fiunt, vel etiam voce, in diverſiſſimis locis, eodem tempore? Reſpondet Bellarminus, eos non ſcire preces iſtas naturaliter, ſed revelante Deo. lib. de ſanct. beatit. cap. 20. At hoc jam gratis aſſeritur, abſque ullo verbi divini teſtimonio, ſine quo nulla fides, nec ſine fide

eſt legitima invocatio. Deinde etiamſi conſtaret illos cognoſcere omnes illas preces quæ ad eos fiunt; ( de quo tamen nihil certi adſertur à precum iſtiuſmodi defenſoribus ) non tamen inde ſequeretur, legitimum eſſe iſtum cultum. Nam Angeli ſciebant ſe coli ab Angelicis hæreticis, cultu illicito, qui Apoſtolo θρησκεία τῶν ἀγγέλων indigitatur.

*Coloſſ. 2. 18.*

17. Omnia altaria ( inquit Bellarminus ) ſunt ſepulchra ſanctorum. Et Lapis ille verè dicatur ſancto, non ſub ratione Altaris, ſed ſub ratione ſepulchri. Idololatria eſſet erigere ſanctis Altaria; & tamen non eſt idololatria, erigere illis lapideos tumulos. Hæc Bellarminus, lib de cultu ſanctorum, cap. 4. §. Altera ſolutio. Quid igitur illa ara ſanctiſſimæ Virginis, in Monte ſerrato, ante quam ( teſte Maffeio, ſup. §. 14. ) Ignatius Loyola, totam noctem pervigil, beatam Virginem intentâ ſupplicatione propitiare non deſtitit? Quid alia plurima ejuſdem beatæ Virginis, altaria? Nam de beatæ Dei Matris exitu nihil certò conſtare, ſcribebat Epiphanius, anno Dom. 375. hæreſ. 78. §. 21. Baronius autem Cardinalis in ſuis notationibus in Martyrologium Romanum, die 15. Auguſti, & in Analibus, anno Dom. 48. ait eam in Eccleſia Romanâ ſententiam nunc receptam eſſe, quæ profitetur beatam Virginem Mariam naturali curſu vitâ functam, ſed Filii gratiâ à mortuis reſurrexiſſe, & in Cœlum, unà cum corpore, evectam fuiſſe: & ideo anniverſariam illam celebrari ſolemnitatem aſſumtionis ſanctiſſimæ Dei genitricis Virginis Mariæ. Cum igitur Altaria illa erigantur beatæ Virgini, non ſub ratione ſepulchri, ſed ſub ratione Altaris, ad quod intentâ ſupplicatione eam ſibi propitient adoratores, ſequitur eorum erectionem eſſe idololatriam.

*Argumentum Bellarminianum oſtenditur, idololatriam eſſe erigere aram beatæ Virgini Mariæ.*

18. Adhæc, annon palàm ſacrilega, & idololatrica, & manifeſtè impia eſt illa Clari Bonarſcii Jeſuitæ profeſſio, de miſcendo lacte Matris cum Chriſti ſanguine, & prenſandis beatæ Matris uberibus dextrâ, Chriſti autem vulneribus manu ſiniſtrâ, ut hoc miſto antidoto reſtinguat incendia vitiorum? unà etiam precatione Matrem & Natum orat. Deinde Chriſtum advocatum ad Matrem, & rurſus Matrem mittit ad Filium. Quæ omnia clarius lector perſpiciet ex ipſius Bonarſcii verbis.

*Clarus Bonarſcius, lib. 5. Amphitheatri Honoris, cap. ultimo, ad Divam Hallenſem, & Puerum Ieſum.*

*Hæreo lac inter meditans, interque cruorem,*
*Inter delicias uberis, & lateris.*
*Et dico; ( ſi fortè oculos ſuper ubera tendo: )*
*Diva parens, mamma gaudia poſco tua.*
*Sed dico, ( ſi deinde oculos in vulnera verto: )*
*O Ieſu lateris gaudia malo tui.*
*Rem ſcio, prenſabo, ſi fas erit, ubera dextrâ,*
*Levâ prenſabo vulnera, ſi dabitur.*
*Lac Matris miſcere volo cum ſanguine Nati,*
*Non poſſem Antidoto nobiliore frui.*
*Vulnera reſtituent turpem ulceribus mendicum,*
*Teſta cui ſaniem radere ſola poteſt.*
*Vbera reſficient Iſmaëlem ſitientem,* (*Agar.*
*Quem Sara non patitur, quem neque nutrit*
*Illa mihi ad peſtem procul & procul expungendam,*
*Iſta mihi ad longas evalitura febres.*
*Iſtâ vomit flammas, fumatque libidinis Ætna?*
*Suffocare queo ſanguine, lacte queo.*
*Livor inexpletâ rubigine ſævit in artus?*
*Detergere queo lacte, cruore queo.*
*Vanus honos me perpetuâ prurigine tentat?*
*Exſaturare queo ſanguine, lacte queo.*
*Ergo Parens, & Nate, meis advertite votis:*
*Lac peto, depereo ſanguinem, utrumque volo.*
Et paullo poſt.
*O ſitis tamen! O vocem ſitis intercludit!*
*Nate, cruore ſitim comprime; lacte parens.*
*Dic Matri; Meus hic frater ſitit, optima Mater*
*Vis è fonte tuo promere, deque meo.*
*Dic Nato; tuus hic frater, mi mellee Fili.*
*Captivus monſtrat vincula; lytron habes.*
*Ergo Redemtorem monſtra te jure vocari,*
*Nobilior reliquis ſi tibi ſanguis ineſt.*
*Tuque Parens monſtra Matrem te jure vocari,*
*Vbera ſi reliquis divitiora geris.*
*O quando lactabor ab ubere, vulnere paſcar!*
*Deliciiſque fruar, mamma, latuſque tuis!*
Hæc Bonarſcius, Jeſuita.

19. Hujuſmodi autem impietatis portenta, quanquam animus meminiſſe horret, luctuque refugit, ut tamen omnibus manifeſta fiat hominum iſtorum veritati reſiſtentium amentia, En tibi alium Jeſuitam etiam impiè blaſphemantem!

*Franciſcus de Mendoça, in Viridario utriuſque eruditionis, Sacræ & profanæ, lib. 2. problemate 2. proponit hoc problema.*

Utrùm nobis utilius ſit Jeſu nomen implorare, an Mariæ?

Ad hoc problema ita reſpondet, paullo ante medium illius Capitis;

Planius jam ( inquit ) rem totam ſine circuitione, ſine ambage decido. Dico, eſto! major ſit Chriſti quàm Virginis apud Deum gratia, & auctoritas; tamen B. Virginem nonnunquam facilius moveri noſtris precibus quàm Chriſtum, proinde præſentius nobis eſſe aliquando Matris, quàm Filii patrocinium. Ab hac ſententiâ ſtat auctoritas, ſtat ratio, ſtat experimentum.

*Et in fine ejuſdem Cap.*

His verò ( inquit ) paucis pro Maria relatis, Problema epigrammate claudatur.

*Vbera me Matris, Nati me vulnera paſcunt;*
*Scilicet hæc animi ſunt medicina mei.*
*Nam mihi dû lachrymas amor elicit, ubera ſugo;*
*Rideat ut dulci miſtus amore dolor.*
*At me pertentant dum gaudia, vulnera lambo;*
*Vt me læta pio miſta dolore juvent.*
*Vulnera ſic Nati, ſic ubera ſugo parentis;*
*Secura ut variâ ſint mihi ſorte vices.*
*Quis ſine lacte, precor, vel quis ſine ſanguine vivat?*
*Lacte tuo, Genetrix, ſanguine, Nate tuo.*
*Sit lac pro Ambroſiâ, ſuavi pro nectare ſanguis.*
*Sic me perpetuum vulnus, & uber alit.*

Idem, eodem lib. probl. quarto, proponit hoc problema; Utrùm B. Virgo adoratione latriæ adorari queat. Et reſpondet; Poſſe B. Virginem ratione ſolius contactûs adorari adoratione latriæ. cum & crux & clavi hoc argumento adorentur latria. Præterea etiam propter dignitatem maternitatis, quia hæc dignitas pertinet ad ordinem unionis hypoſtaticæ, ratione cujus unionis debetur humanitati Chriſti cultus & adoratio latriæ; ergo etiam omnibus quæ ad eundem ordinem ſpectant, eadem ratione tribuetur. Quamvis autem adoratio latriæ, quæ B. Virgini propter dignitatem illam contactus tribuitur, non ſit primaria & abſoluta; eſſe tamen ſecundariam & reſpectivam, ab uno eodemque habitu religionis proficiſcentem. Hæc Franciſcus Mendoça, Jeſuita.



Pſalterium B. Mariæ, ex impreſſo Pariſienſi codice deſcriptum, Martinus Chemnicius inſeruit tertiæ parti examinis Concilii Tridentini, in quo ſunt centum quinquaginta pſalmi, quibus Davidicæ preces & laudes, quas ille Domino obtulit, transferuntur in B. Virginem Mariam, horrendo planè ſacrilegio. Hoc opus Bonaventuræ Doctori Seraphico & Cardinali tribuunt Bellarminus lib. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, & Poſſevinus in apparatu ſacro.

20. Sanctus Apoſtolus Paulus de uno vero religioſi cultus objecto diſſerens, *Quiſquis* ( inquit ) *invocaverit nomen Domini, ſervabitur. quomodo igitur invocabunt, in quem non crediderunt?* quid ad hunc locum Pontificii? geminam reſponſionem comminiſcitur Bellarminus, Dico ( inquit ) ibi agi de invocatione, quâ aliquis invocatur ut Deus & primus auctor bonorum. hoc quidem verum eſt; neque ſolum hoc loco, ſed paſſim etiam in ſacris literis, ubicunque religioſæ invocationis fit mentio, ſemper intelligitur invocatio, quâ aliquis invocatur ut Deus. Altera pars diſtinctionis non invenitur in Scripturis, ſed, reclamante Scripturâ, ab hominibus introducta eſt, & à nobis ſuperiùs exploſa, §. 4. & ſequentibus. Neque melior eſt ſecunda Bellarmini reſponſio; Dico præterea, ( verba ſunt Bellarmini ) revera ſicut Deum non poteſt invocare ut Deum, qui in eum non credit, id eſt, qui non credit eum eſſe Deum, & qui ei non credendo in eo non ſperat, nec eum diligit: ita etiam non poſſe eum Sanctos invocare ut Sanctos & amicos Dei, qui ſuo modo in eos non credit, id eſt, non credit eſſe Sanctos, nec in eis ſperat, ut in patronis, nec eos ut tales diligit. Nec nomen invocationis vel fidei in Scripturis ſoli Deo tribuitur. Dicit enim Jacob, Geneſ. 48. *Invocetur nomen meum ſuper pueros, & nomina Patrum meorum.* Ex quo loco docet B. Auguſtinus, lib. loquutionum de Geneſi, num. 200. invocationem non ſolum Dei, ſed etiam hominum eſſe. Et in epiſt. ad Philemonem dicit Apoſtolus: *Gratias ago Deo meo, audiens charitatem tuam, & fidem quam habes in Domino Ieſu, & in omnes Sanctos.* in quem locum B. Hieronymus prolixè oſtendit, etiam in ſanctos haberi debere fidem. Hæc Bellarminus, lib. de ſanctorum beatitudine cap. 20. paullò poſt initium capitis.

21. In ſecunda iſta Bellarmini reſponſione multa inſunt vitia: unum vitium eſt, quod dicat credendum eſſe in Sanctos, adeoque in eis ſperandum, ut in patronis. Aliud vitium eſt, quod divinas Scripturas perversè interpretetur. Tertium vitium eſt, quod Auguſtinum & Hieronymum iniquè adducat tanquam ſuæ ſententiæ fautores. Hæc vitia non abs re erit clarius oſtendere. Primum, credere in Deum atque adeò in Chriſtum, & in eum ſperare, pars eſt officii noſtri quod ſoli Deo debemus, atque adeo Immanueli advocato noſtro apud Patrem, ut paſſim docent ſacræ literæ. Unde Deus fiducia noſtra & Chriſtus ſpes noſtra appellatur. Et prohibemur confidere in principibus, in filiis hominum, & huic vetitæ fiduciæ opponitur non in Angelis aut Sanctis fiducia, ſed fiducia in Deo. Beatus cujus Deus Jacob adjutor ejus, cujus ſpes eſt in Domino Deo ſuo. Et fiducia in homine declaratur eſſe Apoſtaſia à Domino. Neque uſquam docent ſacræ literæ, fas nobis eſſe fiduciam in aliqua locare creatura. Deus noſter Deus ſpei dicitur, tum quia & dator ſpei noſtræ ſolus eſt, & in illo ſolo ſperandum eſt.

*Pſal. 71. 5. 1. Tim. 1. 1. Pſal. 146. 3. 5. Ierem. 17. 5. Rom. 15. 13.*

22. Quod autem Scripturas perverſe interpretetur Bellarminus, facile apparebit ex conſideratione locorum illorum, quos ille citavit. Prior locus eſt, Geneſ. 48. 16. ubi Vulgata latina verſio habet, & invocetur ſuper eos nomen meum, nomina quoque Patrum meorum Abraham & Iſaac. Verba ſunt Jacobi Patriarchæ benedicentis filiis Joſephi. Verſio autem qua uſus eſt Auguſtinus, habebat: & invocabitur in his nomen meum, & nomen Patrum meorum. Hebraica veritas habet, ויקרא בהם שמי ושם אבתי veiikkare bahem ſhemi veſhem abbothai. quod rectè vertit Xantes Pagninus, & vocetur in eis nomen meum, & nomen Patrum meorum. Et eodem ſenſu LXX Interpretes, καὶ ἐπικληθήσεται ἐπ' αὐτοῖς τὸ ὄνομά μου, καὶ τὸ ὄνομα τῶν πατέρων μου. Chryſoſtomus legit, καὶ ἐπικληθήσεται ἐν αὐτοῖς τὸ ὄνομά μου. Non dicit Jacob Ephraimum & Manaſſem invocaturos eum & Patres ejus, ſed vocatum iri nomen ejus & nomen Patrum ejus ſuper Ephraimum & Manaſſem, ſeu in illis, id eſt, vocandos eſſe nomine Iſraël, ut loquitur Eſaias cap. 48. verſ. 1. cenſendos eſſe, in numero filiorum ipſius Jacobi, ut diſtinctarum tribuum capita, ut patet ex verbis Jacobi ad Joſephum eodem capite, verſ. 5. Duo ( inquit ) filii tui, qui nati ſunt tibi in terra Ægypti, antequam huc venirem ad te, mei erunt. Ephraim & Manaſſes, ſicut Reuben & Simeon reputabuntur mihi. Similis eſt illa apud Eſaiam locutio ſeptem mulierum, dicentium uni viro, Panem noſtrum comedemus, & veſtimentis noſtris operiemur, tantummodo invocetur nomen tuum ſuper nos. ita verterunt Hieronymus, & Pagninus, quod in Hebraico eſt יקרא שמך עלינו jikkare ſhimcha gnalenu. LXX. Τὸ ὄνομά σου καλείσθω ἐφ' ἡμᾶς. In iſtis enim locutionibus ἐπικαλεῖσθαι non importat precatoriam invocationem, qualem exercent Pontificii erga ſanctos quos invocant, ſed idem eſt quod ἐπικαλεῖσθαι vocari, non precibus, ſed cognomento. Venit [ Petrus ] ad domum Mariæ matris Joannis, qui cognominatus eſt Marcus. ita lat. vulg. græc. Ἰωάννου, τοῦ ἐπικαλουμένου Μάρκου. Et rurſum de eodem Marco ſcribens Lucas, ait, Barnabam voluiſſe ſecum aſſumere τὸν Ἰωάννην τὸν ἐπικαλούμενον Μάρκον, id quod veteris latinæ vulgatæ verſionis autor vertit, Joannem qui cognominabatur Marcus.

*Perverſè vel ſaltem admodum imperitè Scripturam interpretatur Bellarminus.*

*Vindiciæ loci Geneſ. 48. 16.*

*Eſai. 4. 1.*

*Act. 12. 12.*

*Act. 15. 37.*

23. Pervertit etiam Bellarminus verba Apoſtoli ad Philemonem, verſ. 5. ἀκούων σου τὴν ἀγάπην, καὶ τὴν πίστιν, ἣν ἔχεις πρὸς τὸν κύριον Ἰησοῦν, καὶ εἰς πάντας τοὺς ἁγίους. quæ verba Vetus Latinus interpres ſic vertit; audiens charitatem tuam, & fidem, quam habes in Domino Jeſu, & in omnes ſanctos. Ubi variatur præpoſitio, & fides indicatur habere objectum Chriſtum, charitas autem ſanctos. Charitate erga ſanctos oſtenditur fides in Chriſtum. Ideo ſubdit ibidem Apoſtolus; Ut communicatio fidei tuæ evidens fiat,

*Vindiciæ loci ad Philemonem.*

(ſca

(ſeu, ut alii legunt, efficax fuit,) in agnitione omnis boni in vobis in Chriſto Jeſu. Gaudium enim magnum habemus & conſolationem in charitate tua, quod viſcera ſanctorum refocillata ſint per te, frater. Similiter idem Apoſtolus laudat Epheſiorum, & Coloſſenſium τὴν πίστιν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, καὶ τὴν ἀγάπην τὴν εἰς πάντας τοὺς ἁγίους, fidem in Chriſto Jeſu, & charitatem in omnes ſanctos. Idcirco rectè Primaſius explicat locum illum ad Philemonem, non niſi charitatem referens in ſanctos; *Audiens charitatem tuam & fidem quam habes in Domino Ieſu*. Quæ bonis operibus innoteſcit. *Et in omnes ſanctos*. Qui diligit caput, oportet eum omnia membra diligere. Hæc Primaſius. Nec aliter Sedulius; qui (inquit) diligit caput, diligit & membra. Et Theodoretus in eandem epiſtolam, ad Philemonem, hanc dat nobis quinti illius verſus paraphraſin; Scio enim quantam fidem ſuſceperis in Dominum, qui nos ſervavit, & quantam habeas charitatem, & quantam opem feras iis qui divina magnifaciunt. Hæc Theodoretus, Interprete Gentiano Herveto. Loquitur ibi Apoſtolus de ſanctis viatoribus quibus opem ferebat Philemon, non de adoratione vel invocatione ſanctorum defunctorum, pro qua pugnant Romanenſes.

*Epheſ. 1. 15.* *Coloſſ. 1. 4.*

24. Sciendum eſt autem hanc locutionem, credere in aliquem, vel in aliquid, ut plurimum quidem atque uſitatiſſimè ſignificare eum modum credendi, quo credens ita credit ut credendo in rem eam eat, ei adhæreat, & in eo fiduciam collocet ſeu ſperet, ſicut docent Auguſtinus, Tract. 29. in Evang. Joan. & ſerm. 61 de verbis Domini, & ſerm. 181. de tempore, & P. Lombardus 3. ſent. diſt. 23. & Thomas 2. 2, quæſt. 2. art. 2. Aliquando tamen aliter uſurpari, ita ut interdum nihil aliud ſignificet niſi alicui credere, ut Exod. 14. verſ. ult. ubi Iſraelitæ dicuntur credidiſſe במשה bemoſheh, in Moſem, id eſt, (ut rectè verterunt LXX. & auctor vulgatæ Latinæ verſionis) Μωσῇ Moyſi, ſeu, ut exponit Chaldæus Paraphraſtes, בנביאות משה binbhiuth Moſhe, in prophetiam Moſis, ſeu (ut Targumiſtæ verba iſta vertit Pagninus) Prophetiæ Moſis. Crediderunt verbis Domini quæ loquebatur per Moſem, ſicut interpretatur divinus Pſaltes, eandem commemorans hiſtoriam, ויאמינו בדבריו vajaaminu bidbaraiu. ad verb. & crediderunt in verba ejus. LXX. καὶ ἐπίστευσαν τῷ λόγῳ αὐτοῦ. Hieronym. & crediderunt verbis ejus Pſal. 106. 12. His ſimiles occurrunt locutiones etiam in aliis quibuſdam Scripturę locis; ut Exod. 19. 9. וגם בך יאמינו לעולם vegam becha jaaminu legnolam. Targum Chaldaic. ואף בך יהימנון לעלם veafbach jehemenun legnalam. LXX. καὶ σοὶ πιστεύσωσιν εἰς τὸν αἰῶνα. Lat. vulg. & credat tibi in perpetuum. Et 2. Paralip. 20. 20. האמינו בנביאיו haaminu binbiaiu. LXX. ἐμπιστεύσατε ἐν προφήταις αὐτοῦ. Lat. vulg. credite Prophetis ejus. Et 1. Sam. 27. 12. ויאמן אכיש בדוד vajaamen achiſh bedavid. LXX. καὶ ἐπιστεύθη Ἀγχοὺς ἐν Δαυίδ. Lat. vulg. credidit ergo Achis David. Pagn. & credidit Achis Davidi. & Prov. 26. 25. אל תאמן בו al-taamen-bo. Chald. לא תהימן ביה la tehemin bech. LXX. μὴ πεισθῇς αὐτῷ. Lat. vulg. & Pagn. ne credideris ei. Aliquando qui vitæ ſuæ valde timent, dicuntur non credere in vitam ſuam, phraſi hebraicâ, Deut. 28. 66. ולא תאמין בחייך velo taamin bechajechà. LXX. καὶ οὐ πιστεύσεις τῇ ζωῇ σου. Targ. ולא תהימן בחיך vela tehemin bechajiach. Lat. vulg. & non credes vitę tuę. ſic etiam Job. 24. 22. Item, Deus dicitur non credere in ſervos ſuos, Job. 4. 18. non credere in ſanctos ſuos, Job. 15. 15. Phraſi hebraicâ, quâ ſanctorum imperfectio denotatur, & immunditíes, præ infinitâ & proſus incomparabili ſanctitate Dei. Denique apud quoſdam Eccleſiaſticos ſcriptores credere in aliquam rem dicuntur qui eam rem credunt, & quæ de ea re in ſacris literis ſcripta inveniuntur, credunt vera eſſe. Sic apud Epiphanium in fine Ancorati, dicitur, πιστεύομεν εἰς μίαν καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν Ἐκκλησίαν· καὶ εἰς ἓν βάπτισμα μετανοίας, καὶ εἰς ἀνάστασιν νεκρῶν, καὶ κρίσιν δικαίαν ψυχῶν καὶ σωμάτων, καὶ εἰς βασιλείαν οὐρανῶν, καὶ εἰς ζωὴν αἰώνιον· id eſt, Credimus in unam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam; & in unum baptiſma pœnitentiæ, & in reſurrectionem mortuorum, ac juſtum animarum corporumq; judicium; & in regnum Cœlorum, & in vitam æternam. Frequentius tamen apud veteres retinetur phraſis ſymboli Apoſtolici, qua dicimur credere Eccleſiam Catholicam, communionem ſanctorum, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, vitam æternam. Neque alium ſenſum intendunt ii, qui præpoſitionem εἰς interſerunt. Vitandæ autem ambiguitati ſerviebat conſueta fidei confeſſio, ſine præpoſitione εἰς, quando in recitatione ſymboli ventum eſt ad Eccleſiam & quæ ſequuntur. Unde Ruffinus in expoſitione ſymboli Apoſtolici. Non dixit, inquit, in ſanctam Eccleſiam, nec in remiſſionem peccatorum, nec in carnis reſurrectionem. Si enim addidiſſet, *in*, præpoſitionem, una eademque vis fuiſſet cum ſuperioribus. Nunc autem in illis quidem vocabulis, ubi de Divinitate fides ordinatur; *In Deum Patrem*, *dicitur*, & *in Ieſum Chriſtum Filium ejus*, & *in Spiritum Sanctum*: in cæteris verò, ubi non de Divinitate, ſed de creaturis ac myſteriis ſermo eſt, *in*, præpoſitio non additur, ut dicatur *In ſanctam Eccleſiam*, ſed *ſanctam Eccleſiam* credendam eſſe, non ut in Deum, ſed ut Eccleſiam Deo congregatam: & remiſſionem peccatorum credendam eſſe, non in remiſſionem peccatorum: & reſurrectionem carnis, non in reſurrectionem carnis. Hac itaque præpoſitionis ſyllaba Creator à creaturis ſecernitur, & Divina ſeparantur ab humanis. Hæc Ruffinus.

*Prima atque uſitatiſſima ſignificatio credendi in aliquem, vel in aliquid.*

*2. Significatio ejuſdem locutionis.*

*3. Significatio.*

25. Ex iſtis quinque ſignificationibus credendi in aliquem vel in aliquid, ad præſentem controverſiam pertinet ſola prima, qua ita in aliquem creditur, ut in eo fiducia collocetur. Et hoc quidem ſenſu non niſi in Deum credendum eſt. Unde Gregorius Nazianzenus argumentum ſumit quo probat Spiritum Sanctum eſſe Deum, non autem creaturam. ἀλλ' εἰ μὲν κτίσμα, πῶς εἰς αὐτὸ πιστεύομεν, ἢ ἐν αὐτῷ τελειούμεθα; οὐ γὰρ ταυτὸν ἐστι πιστεύειν εἴς τι, καὶ περὶ αὐτοῦ πιστεύειν. τὸ μὲν γὰρ ἐστι θεότητος, τὸ δὲ παντὸς πράγματος. id eſt, Sed ſi creatura, quomodo in eum credimus? aut in eo perficimur? Non enim idem eſt, credere in aliquid, & credere de aliquo. Illud enim Deitati convenit, hoc autem cuilibet creaturæ. Hæc Gregorius Nazianzenus orat. 37. quæ eſt de Spiritu Sancto. Hinc jam patet, quam iniquè Bellarminus jactet ſe habere conſentientem Hieronymum: nam Hieronymus in epiſt. ad Philemonem, verſ. 5. per fidem in Sanctos, non intelligit fiduciam in ſanctis, ſed fidem qua creditur de Sanctis vera eſſe quæ ſcripta ſunt, ut ipſe ibidem mentem ſuam explicat. Nec minus inverecundè Bellarminus pro



pro ſanctorum invocatione, apud Romanenſes uſitatâ, allegat Auguſtinum, libro locutionum de Geneſi, num. 200. Auguſtini verba ſunt, Jacob benedicens nepotes ſuos filios Joſeph, ait inter cætera, & invocabitur in his nomen meum & nomen Patrum meorum. Unde notandum eſt non ſolum exauditionem, ſed etiam invocationem aliquando dici quæ non Dei, ſed hominum ſint. Hæc Auguſtinus: non intelligens eam invocationem, de qua inter nos quæſtio vertitur, ſed eam invocationem ſeu denominationem quam ſuperius oſtendimus, §. vigeſimo ſecundo. Et hanc locutionem accenſet Auguſtinus eis quæ minus uſitatæ ſunt linguæ noſtræ, quas parum advertendo ſenſum quærunt qui legunt divinorum eloquiorum, cum ſit locutionis genus, & nonnunquam exſculpunt aliquid quod à veritate quidem non abhorreat, non tamen id ſenſiſſe auctor à quo hoc ſcriptum eſt invenitur, ſed genere locutionis hoc dixiſſe credibilius apparet; ut monet ipſe Auguſtinus, libro ſecundo Retractationum, capite quinquageſimo quarto, ſeu (ut idem præfatur initio libri locutionum in Geneſin) eis locutionibus Scripturarum, quæ videntur ſecundùm proprietates, quæ idiomata Græcè vocantur, linguæ Hebraicæ vel Græcæ. Nec ipſi Romanenſes eo loco intelligunt invocationem Patriarcharum per preces; nam ante Chriſti mortem contendunt animas piorum non fuiſſe in Cœlo, ſed in limbo quodam in inferno, necdum fuiſſe beatas, nec eis fuiſſe ordinariè revelatum quid hic agebatur, adeoque non fuiſſe viatorum patronos, quales nunc dicunt eſſe Sanctos in Cœlo. Bonaventura & Thomas & Durandus, in quartum ſent. diſt. quadrageſima quinta. Bellarminus libro 4. de Chriſto, capite undecimo. Et libro primo de Eccleſia triumphante, qui eſt, de Sanctorum beatitudine, cap. decimo nono, & cap. vigeſimo. Catechiſmus Romanus, parte primâ, capite 6, quæſtione ſexta. quid facias miſeris iſtis ſophiſtis, qui non erubeſcunt dicere quod ipſi ad rem de qua agitur ſciunt nihil pertinere, ſeque ipſos in contradictiones præcipitare malunt, quam videri errorem relinquere? De talibus ait Propheta, apprehenderunt dolum, renuerunt reverti.

26. Præſepe etiam & lanceam, & omnes cruces & id genus alia; item Sanctorum defunctorum oſſa, cineres, & veſtes, aliaſque reliquias; & Chriſti, ſanctorumque, & Angelorum imagines ſacro cultu & religioſis adorant cerimoniis. Catholica veritas eſt (ait Vaſquez in tertiam partem Thomæ, quæſtione vigeſima quinta, diſputatione centeſima ſexta, capite ſecundo) imaginibus deferendam eſſe adorationem, hoc eſt, ſigna ſervitutis, & ſubmiſſionis, amplexu, luminaribus, oblatione ſuffituum, capitis nudatione, &c. Idem, ibidem, diſputatione centeſima octava, capite primo, proponit hanc quæſtionem; An eadem adoratione cum exemplari, vel diſtincta, imagines ſint adorandæ? & poſtpoſitis aliis opinionibus, ipſe (capite tertio) eadem adoratione cum exemplari adorandas eſſe judicat; & pro hac ſententia adducit Alex. Thomam, Bonaventuram, Albertum, Capreol. Almainum, & alios multos doctores. Et capite quarto, in hanc etiam ſententiam exponit decretum Concilii Tridentini, ſeſſione vigeſima quintâ. Verba Synodi ſunt; Imagines porrò Chriſti, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in templis præſertim habendas, & retinendas, eiſque debitum honorem, & venerationem impertiendam, non quod credatur ineſſe aliqua in eis divinitas, vel virtus, propter quam ſint colendæ, vel quod ab eis ſit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus ſit figenda, veluti olim fiebat à gentilibus, qui in idolis ſpem ſuam collocabant; ſed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræſentant, ita ut per imagines, quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Chriſtum adoremus; & Sanctos, quorum illæ ſimilitudinem gerunt, veneremur. Id quod Conciliorum, præſertim verò ſecundæ Nicænæ Synodi decretis contra imaginum oppugnatores ſancitum eſt. Hactenus Concilium Tridentinum. His autem Concilii verbis confirmari ait Vaſquez ſententiam quam tuetur de una adoratione imaginis cum exemplari. Et eadem diſputatione centeſima octavâ, cap. decimo tertio, & cap. decimo ſeptimo ait, ſubmiſſionis quidem affectum referri ad exemplar, notam autem exteriorem illius ſubmiſſionis, ut genuflexionem, &c. exhiberi imagini, ita ut ipſa imago verè & propriè adoretur: idque rectè dici, & concedendum eſſe, abſolutè & ſine additamento. Et cap. quarto & quinto ejuſdem diſputationis, contendit non niſi eadem adoratione cum exemplari imagines eſſe adorandas. Et cap. decimo tertio. Neque verò (inquit) nota exterior, & interior affectus ſubmiſſionis, duæ ſunt adorationes & cultus; ſed ex utroque, unus actus reverentiæ, & honoris conſtat. Et diſputatione centeſima nonâ, capite tertio, ait ex latria interiori, & ſigno exteriori unam conflari integram adorationem latriæ, qua & imago & exemplar comprehenditur. Thomas, tertia parte quæſtione vigeſima quintâ, articulo tertio, dicit imaginem Chriſti adorandam eſſe adoratione latriæ, eandem enim reverentiam exhiberi imagini Chriſti & ipſi Chriſto. Et articulo quarto, idipſum affirmat de cruce Chriſti, & crucis effigie in quacunque materia. Omnes cruces adoramus, inquit Bellarminus, libro de imaginibus, capite trigeſimo, §. ad quartum. Idem etiam, eodem libro cap. 21. aſſerit imagines Chriſti & ſanctorum venerandas eſſe non ſolum per accidens vel impropriè, ſed etiam per ſe & propriè, ita ut ipſæ terminent venerationem, ut in ſe conſiderantur, & non ſolum ut vicem gerunt exemplaris. Neque conſentit cum Vaſquezio affirmante, rectè dici imaginem, verè & propriè adorari, eadem adoratione cum exemplari, idque rectè dici abſolutè & ſine additamento.

*Diſſenſio Vaſquez & Bellarmini.*

27. De eſſentia veræ latriæ eſt (inquit Bellarminus) exhiberi propter ſe: latria enim dicitur ſummus cultus, qui debetur vero Deo, ut primo principio omnium rerum; implicat autem contradictionem, exhiberi ſummum cultum primo principio, & propter aliud: nam ſi primo principio, non ergo propter aliud; ſi propter aliud, non primo principio. Ergo vel imagini exhibetur cultus latriæ propter ſe, & hæc eſt vera idololatria; vel non exhibetur propter ſe, & tum ille non eſt cultus veræ latriæ. Præterea vel iſta latria, quæ exhibetur imagini propter aliud, eſt idem cultus cum eo qui exhibetur Deo, vel alius minor; ſi idem, ergo æquè colitur creatura atque ipſe Deus: quæ certè idololatria eſt, nam idololatria non ſolum eſt cum adoratur idolum relicto Deo, ſed etiam cum

*Argumenta Bellarmini.*

Rr adoratur

adoratur idolum ſimul cum Deo. Exod. 20. Deos aureos, & Deos argenteos non facietis mecum. Si eſt cultus minor, non ergo eſt latria: nam latria eſt ſummus cultus. Imagini non convenit cultus internus, nec externus veræ latriæ: nam nec apprehendimus imaginem, ut primum principium, nec illi ſacrificamus. Imago, ut imago, opponitur exemplari, & eſt illo inferior; ergo non poteſt coli eodem cultu, ſed minori. Qui colebant imaginem Chriſti divinis honoribus, inter hæreticos numerantur ab Irenæo, lib. 1. cap. 24. Epiphanio, hæreſ. 27. Aug. hæreſ. 7. & Damaſceno, lib. de centum hæreſib. in fine: Atqui iſti cum Chriſtum colerent, ſine dubio imaginem ejus propter ipſum colebant. Non igitur licet imagines colere divinis honoribus, id eſt, cultu latriæ, etiamſi quis dicat, id ſe facere propter Deum, vel Chriſtum, non propter imagines: nam hoc ipſo quod eas colit divinis honoribus, convincitur eas colere propter ipſas, non propter Deum, quicquid ipſe verbis dicat. Hæc Bellarminus, lib. de imaginibus, cap. 24.

*Oppoſita doctrina Vaſquezii.*

28. At è contrario Vaſquez, in 3. part. Thomæ, qu. 25. diſp. 108. capitib. 3. & 4. & 5. & 6. & aliquot ſequentibus, contendit non niſi eadem adoratione cum exemplari imagines eſſe adorandas. Et diſput. 109. cap. 2. ſtultitiæ arguit vel ſuperſtitionis eos, qui docent imagines alio cultu adorandas, vel eas alio cultu adorant. Rejicitur autem, ut hæretica, tum à Vaſquezio, (in 3. part. Thom. q. 25. diſp. 106. cap. 1.) tum à Bellarmino, (lib. de imaginibus, cap. 20. & cap. 21.) nec non à Synodo ſecunda Nicæna, & à Synodo Tridentina, Nicænam approbante, atque adeo à Rom. Eccl. opinio illa quorūdam qui imaginum uſum probabant quidem ad ornatum, & ad excitandam etiam fidelibus memoriam exemplaris, ita tamen ut non concederent imaginem eſſe ullo modo in ſe colendam, ſed ſolum coram imagine colendum exemplar. Imò Synodus ſecunda Nicæna, actione 4. & actione 7. decernit ſalutandas & adorandas eſſe imagines, & anathema dicit aliter docentibus aut ſentientibus. Si crucem (inquit Damaſcenus) & lanceam, & arundinem, & ſpongiam, quibus Dei interfectores Judæi ignominia & morte Dominum meum affecerunt, ut ſalutis cauſſas adoro, & colo: cur imagines ad Chriſti gloriam, & cruciatuum ejus memoriam, à Chriſtianis hominibus inſtitutas non adorabo? Si crucis effigiem ex quacunq; materia confectam, crucem illam ſalutiferam, & qui in ea ſuffixus eſt, indicantem, adoro, cur imaginem non adorabo? Hæc ille, orat. 2. de imag. Et poſtea ait, orat. 3. de imag. qui imaginem ad Chriſti, aut matris ejus Dei genetricis, aut alicujus ſanctorum gloriam, & memoriam, diabolique & dæmonum ipſius ignominiam & detrimentum, divino ſtudio atq; ardore confectam, evertere conatur, ac non potius adorare & colere ac venerari ſtudet, ut rem honore dignam, non autem ut Deum; hunc Chriſti & ſanctæ Dei genetricis, atque ſanctorum hoſtem, diaboliq; ac dæmonum ejus defenſorem omnes homines eſſe non dubitent. Hæc Joannes Damaſcenus, Petro Franciſco Zino Veronenſi interprete. Propter hanc doctrinam anathematizatus eſt Joannes Damaſcenus, cognomento Manſur, in Concilio nuncupato œcumenico 7. quod ſub Imperatore Conſtantino Copronymo celebratum eſt Conſtantinopoli, anno Dom. 754. Et ob eandem doctrinam laudatus eſt in Concilio ſecundo Nicæno, anno Dom. 787. ut teſtantur

*Romana Eccleſia ut hæreticam rejicit eorum opinionem qui dicunt, non ipſam imaginem ſed ſolum coram imagine colendum exemplar.*

*Vide infra, cap. 11. §. 7. & ſeq.*

*Damaſcenus ab una ſeptima Synodo anathematizatus. Idem ab alia ſeptima Synodo laudatus.*

eorundem Conciliorum acta, ſub finem 6. act. Concilii illius Nicæni, quod etiam 7. œcumenicum nuncupatur, & à Tridentino Concilio ut orthodoxum recipitur, ſeſſione vigeſima quinta. Damaſceni etiam, in hoc argumento, doctrinam laudat Catechiſmus Romanus, part. 3. cap. 2.

29. Cum igitur ipſorum Romanenſium alii doceant idololatriam eſſe adorare imagines eadem adoratione cum exemplari; alii autem ſtultū eſſe vel ſuperſtitioſum eas aliter adorare, & non adorantes imaginem anathemati ſubjiciat Rom. Eccleſia, approbando Synodum Nicænam ſecundam; conſequens eſt ex ipſorum ore, omnes imaginum adoratores vel eſſe idololatras, vel ſuperſtitioſos, vel ſtultos; ſi qui autem imagines adorare recuſaverint, eos, ſecundùm doctrinam Romanæ Eccleſiæ eſſe hæreticos & anathema. Unde manifeſtum eſt uſum imaginum, in religioſo aut ſacro cultu, eſſe inextricabilem quendam conſcientiarum laqueum, & conſcientiis tutiſſimum eſſe in hoc negotio iſtum imaginum uſum abjicere atque abolere. Præſertim cum nullum exſtet in ſacris Scripturis, de imaginibus cum in uſum adhibendis, præceptum vel probatum exemplum; ideoq; ad traditionem non ſcriptam & Eccleſiaſticam conſuetudinem confugere compulſi ſint Joan. Damaſcen. orat. 2. de imaginib. & ſecunda Nicæna Synodus, act. 7. in definitione. & Synodus Tridentina, ſeſſ. 25. & talis etiam imaginum uſus antiquitati orthodoxæ vel incognitus fuerit, vel improbatus, ſicut infra, hoc ipſo libro, Deo volente, oſtendemus.

30. Adeò autem inſaniebant in negotio imaginum, Joannes Damaſcenus, & illi qui ſecundam Nicænam Synodum celebrarunt, ut non erubuerint laudare fœdam illam atq; nefariam doctrinam Abbatis Theodori Æboræ, qui ſub prætextu adorandi Chriſtum, & ſanctam Deiparam, docet melius alicui eſſe, nullum omittere in civitate ſcortum, ad quod non ingrediatur, quam ut recuſet adorare imaginem Chriſti & B. Virginis. Inhoneſtam hanc & mendacem Theodori doctrinam recipiunt ac laudant, Joan. Damaſcenus, ſub finem primæ orationis de imaginibus. & orat. 3. de imaginibus. & ſecunda Nicæna Synodus, actione quinta. *ἀναφέροντες τὴν εὐτελεῖαν τοῦ διὰ τῶν παραδείγματος*.

31. Apud Catholicos veritas indubitanda eſt, (ait Vaſquez) reliquias ſanctorum, ſive fuerint partes ipſorum, ut oſſa, carnes, & cineres, ſive res aliæ, quæ ipſos tetigerunt, vel ad ipſos pertineant, adorandas, & in hoc honore ſacro habendas eſſe. Hæc ille, in 3. part. Thomæ, qu. 25. diſput. 112. cap. 2. Porrò (inquit Bellarminus) ſuaves odores nos etiam in Eccleſia offerimus imaginibus, & reliquiis; cum tamen aſſeramus, ſacrificium non deberi niſi ſoli Deo. Bellarm. lib. de beatitudine ſanctorum, cap. 13. §. Neque obſtat. Vaſquezium etiam paullò ſuperius audivimus in cultu imaginibus exhibendo ponentem oblationem ſuffituum. Secunda Nicæna Synodus, actione ſeptimâ definiens cultum quem vult exhiberi imaginibus Chriſti & beatæ Virginis & beatorum Angelorum, & Sanctorum, ait; *Καὶ τιμητικὴν προσκύνησιν ἀπονέμειν, οὐ μὴν τὴν κατὰ πίστιν ἡμῶν ἀληθινὴν λατρείαν, ἣ πρέπει μόνῃ τῇ θείᾳ φύσει· ἀλλ' ὃν τρόπον τῷ τύπῳ τοῦ τιμίου καὶ ζωοποιοῦ σταυροῦ, καὶ τοῖς ἁγίοις εὐαγγελίοις καὶ τοῖς λοιποῖς ἱεροῖς ἀναθήμασι, καὶ θυμιαμάτων καὶ φώτων προσαγωγὴν πρὸς τὴν τούτων τιμὴν ποιεῖσθαι,*



*καθὼς καὶ τοῖς ἀρχαίοις εὐσεβῶς εἴθισται· ἡ γὰρ τῆς εἰκόνος τιμὴ ἐπὶ τὸ πρωτότυπον διαβαίνει. καὶ ὁ προσκυνῶν τὴν εἰκόνα, προσκυνεῖ ἐν αὐτῇ τοῦ ἐγγραφομένου τὴν ὑπόστασιν.* Et his oſculum & honorariam adorationem tribuendam: non tamen veram latriam, quæ ſecundùm fidem noſtram eſt, quæque ſolam divinam naturam decet. Ita ut iſtis, ſicuti figuræ pretioſæ ac vivificæ crucis, & ſanctis Euangeliis & reliquis ſacris monumentis, incenſorum & luminum oblatio ad harum honorem exhibeatur. quemadmodum & antiquis piæ conſuetudinis erat. Imaginis enim honor ad primitivum tranſit: & qui adorat imaginem, adorat in ea depicti ſubſiſtentiam.

32. Ecquid verò prodeſt, ſine Dei mandato, rebus ſenſus vitæque expertibus offerre thymiamata & luminaria? Honor, inquies, imaginis ad primitivum tranſit. At præterquam quod Sancti talem honorem non poſtulant, tranſire per imaginem ad primitivum non poteſt honor ille imaginis, cujus imago ipſa eſt prorſus incapax. Præterea conſentimus omnes, ſacrificium nulli creaturæ ſed ſoli Deo offerre licere. At ſacra oblatio thymiamatum & luminarium eſt ſpecies quædam ſacrificii, ſoli Deo ſupremo harum rerum datori ac Domino congruens. Ex hac difficultate non poſſunt ſe extricare Vaſquez, in tertiam partem Thomæ, quæſt. 25. diſp. 109. cap. 4. ubi ait, Cum ſeptima Synodus, actione ſeptima, in definitione fidei dicit, meritò nos ad imagines reverenter accedere oblationibus ſuffituum, & luminarium, non ſenſit, illas habere propriam rationem oblationis, quatenus ad imagines referuntur (nec enim dicit; oblationes imaginibus fieri, ſed nos ad imagines oblationibus reverenter accedere) ſed ſenſit, aut eis convenire rationem oblationis propriè, ut ad Deum ordinantur: quatenus verò imagines reſpiciunt, rationem ſolum adorationis: aut ſi reſpectu ipſarum imaginum vocavit oblationes, latiori quodam modo eas ſic appellavit, ſicut donaria, quæ coram imaginibus ſuſpenduntur, ipſis communiter dicuntur offerri. Poſſemus tamen aſſerere, nomen *oblatio*, multa ſignificare, ut tam de ea, quæ Deo fit, quam de illa quæ imaginibus offertur, ſicut etiam adoratio, dicitur. Sed hoc non eſt tam certum, ſicut illud, quod extra controverſiam omnino eſt, ſacrificium ſcilicet ſolùm reſpectu Dei, cui ſoli offertur, ita dici, ut nec per accidens, nec ullo modo ad imaginem referri dicatur. Hæc Vaſquez. quem facile conſpicit cordatus lector hac quæſtione vehementer turbari, neque ſe expedire.

33. Aliud effugium quæſivit Bellarminus, libro de beatitudine ſanctorum, capite decimo tertio, §. Neque obſtat. Sacrificium (inquit) Deo proprium eſt immolatio animalium, quod vocatur Hebraicè זבח zebach, de quo dicitur Exod. 22. *Immolans diis eradicabitur, præterquam Domino*. Ibi enim eſt Hebraice זבח zobeach. Hæc ille. At nimis inconſideratè iſta ſibi excidere paſſus eſt. non enim omne zebach, זבח (quod Græcè *θυσία* dicitur) eſt immolatio animalium, neque ſola animalium immolatio eſt ſacrificium Deo proprium. Nam & ſacrificium laudis dicitur zebach, [זבח תודה zebach todah, ſacrificans laudem, Pſalm. 50. verſ. ultimo] *θυσία αἰνέσεως*, Syriacè דבחא דתשבוחתא, hoc eſt, *καρπὸς χειλέων*, fructus labiorum confitentium nomini ejus, Hebræos 13. 15. Item Sacrificia Dei [זבחי אלהים zibhe elohim] ſpiritus confractus, cor confractum & contritum. Pſal. 51. 19. jubemur offerre Deo corpora noſtra *θυσίαν ζῶσαν*, [Syriacè דבחתא חיתא] Romanos 12. 1. Petrus & Johannes Apoſtoli docent nos Chriſtianos Deo per Chriſtum ſacerdotes factos eſſe ad offerendum ſpiritualia ſacrificia [*θυσίας*] grata Deo per Jeſum Chriſtum. 1. Petr. 2. 5. Apocal. 5. 10. Apoſtolus etiam ad Hebræos ſcribens, beneficentiam & communicationem vocat ſacrificia [*θυσίας*] quæ Deo placent. Hebr. 13. 16. Chriſtus obtulit Deo preces & ſupplicationes, Hebr. 5. 7. Pſaltes ait, Dirigatur oratio mea velut incenſum [*ὡς θυμίαμα* קטרת] in conſpectu tuo. Pſal. 141. 2. Preces ſanctorum appellantur *θυμιάματα*. Apocal. 5. 8. Clemens Alexandrinus, libro ſeptimo Stromatum, ſacras preces dicit eſſe optimum & ſanctiſſimum ſacrificium. vide ejus verba, inferius, cap. quarto hujus libri, §. 6. Origenis verba ſunt; Poſt hæc Celſus ait, nos ararum, ſtatuarum, templorumque dedicationes fugere, ut occulti fœderis fidem ſanciamus hac ceu teſſerâ, non videns pro aris nobis eſſe mentem ſuam cuique, ex qua ſurſum feruntur verè ac intelligibiliter ſuaveolentes ſuffitus, preces è pura conſcientia. quapropter dicitur apud Johannem in Apocalypſi, Suffitus autem ſunt orationes ſanctorum: & in hymnis Davidicis; Fiat oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo Domine. Hæc Origenes, libro octavo contra Celſum. interprete Sigiſmundo Gelenio. Ipſa etiam thymiamata propriè dicta genus eſſe quoddam ſacrificii Deo proprii, quando religioſo cultu offeruntur, patet ex altari thymiamatis ſive incenſi ſeu ſuffimenti. Facies (inquit Dominus) altare incenſi thymiamatis, &c. Exod. 30. 1. & pones illud ante velum, &c. verſ. ſexto. & adolebit ſuper illud Aaron ſuffimentum aromatum ſingulis matutinis, quando aptabit lucernas adolebit illud, verſ. ſeptimo. non offeretis ſuper illud ſuffimentum alienum, neque holocauſtum, neque mincham, ſed nec libamen libabitis ſuper illud, verſ. nono. Quod dicitur Exod. 22. verſ. 20. Immolans Diis, &c. zobeach, id LXX. verterunt *ὁ θυσιάζων θεοῖς*. Et altare ſuffimenti, capite trigeſimo, verſ. primo; *θυσιαστήριον θυμιάματος*, quod in Hebræo textu appellatur מזבח מקטר קטרת mizbeach miktar ketoreth. Latine ad verbum; ſacrificatorium ſuffimenti ſuffitus, ſive incenſi thymiamatis. Eodem modo Lucas appellat *θυσιαστήριον τοῦ θυμιάματος*, Luc. 1. 11. Idipſum etiam hinc patet, quia ſoli Deo, & in templo, & à ſolis ſacerdotibus, ſuper altare illud huic cultui deſtinatum, offerri debebat *θυμίαμα*. Exod. 30. Luc. 1. Propterea Ezekias confregit etiam ſerpentem æneum, quem fecerat Moſes, quia filii Iſrael ſerpenti illi æneo adolebant incenſum. 1. Reg. 18. 4. quod manifeſto indicio eſt, oblationem ſuffitus non eſſe faciendam imaginibus aut reliquiis aut ulli creaturæ. Quod Ezechias deſtruxit ſerpentem (ait Eckius) fuit cauſſa hujus abuſus populi idololatrantis. Nam in loco eodem ſequitur, Siquidem uſque ad illud tempus filii Iſrael adolebant ei incenſum. Unde ſi conſtaret de abuſu alicujus imaginis, illa deberet aboleri. Hæc Johannes Eckius, doctor Pontificius, in ſuo Enchiridio locorum communium, capite de Imaginibus. Et Driedo; Serpens (inquit) æneus, quem Moyſes fecerat, propter ſancti facti memoriam ſervabatur apud Judæorum populum,

*Clem. Alex. 7. Strom.*

*Origen. lib. 8. contra Celſum.*

*Apocal. 5. 8. Pſal. 141. 2.*

quem tamen poſt, cum populus errans tanquam idolum colere cœpiſſet, Rex Ezechias religioſa poteſtate Deo ſerviens, contrivit cum magna pietatis laude. 4. Regum, 18. Hæc Johannes Driedo, etiam Pontificius, & Profeſſor Lovanienſis, in ſuo opere de Eccleſiaſticis Scripturis & dogmatibus, lib. 4. cap. 5. part. 4. Idololatria igitur eſt adolere incenſum reliquiis aut imaginibus. Eſt enim ſpecies quædam cultus & ſacrificii Deo proprii. unde Sedulius, lib. 2. operis Paſchalis, ſcribens de muneribus Chriſto oblatis à Magis, quæ à Matthæo in Euangelio commemorantur, nempe auro, & thure, & myrrha, ait;

*Idololatria eſt adolere incenſum reliquiis aut imaginibus.*

*Matth. 2. 11.*

*Ipſa etiam ut poſſent ſpecies oſtendere Chriſtum,*
*Aurea naſcenti fuderunt munera Regi,*
*Thura dedêre Deo, myrrham tribuêre ſepulchro.*

*Thurificati. Sacrificati.*

Idcirco etiam temporibus perſecutionum lapſi illi thurificati, qui diis gentium thus adoleverant, appellabantur etiam ſacrificati, & cenſebantur nefanda ſacrificia commiſiſſe, & in legem illam impegiſſe, quæ prohibet Diis ſacrificare, Exod. 22. 20. Teſte Cypriano epiſt. 52. ad Antonianum. Milites illi Chriſtiani, qui Juliano Imperatori, tempore donativi, thus incenderunt, licet divino eum honore colere non intenderent, deprehenderunt tamen poſtea factum illud ſuum eſſe externam quandam negationem Chriſti: ſicut ex Gregorii Nazianzeni, orat. 3. commemoratum eſt ſupra, cap. 1. hujus libri, §. 11.

*Contra invocationem rerum inanimatarum.*

34. Superius, hoc capite, §. 5. pauca lectorem monebamus de abſurda rerum inanimatarum invocatione, Romanenſibus conſueta, & plura ad eam rem ſpectantia hoc loco dicturos pollicebamur. Quæro igitur ex Romanenſibus, quid ſibi velint invocando inanimes reliquias & imagines, eiſque laudes & hymnos dicendo? Nam non eſt eis ſacrificandum; religioſas autem preces & laudes ſacrificia eſſe ſoli Deo offerenda, jam oſtenſum eſt §. 33. Neque eſſe in imaginibus aliquam divinitatem, vel virtutem, propter quam ſint colendæ, nec ab eis eſſe aliquid petendum, nec in eis fiduciam figendam eſſe, docet Synodus Tridentina, ſeſſ. 25. Neque ad preces & laudes extendit Synodus dictum illud, honos qui imaginibus exhibetur, refertur ad prototypa. Et verò hucuſque extendi non poſſe, neque ullo modo, ne per accidens quidem, laudem, qua laudatur exemplaris excellentia, nec laudem divinam, & nec orationem, ſive ſit illa divina oratio, ſive humana, referri poſſe & terminari ad imagines, vel ad res inanimatas: eo quod res inanimata, laudis & commendationis rei animatæ, capax non ſit, multo minus divinæ; neque res inanimata ullius orationis capax ſit, cum non ſit rationis particeps; orationem enim ſolum ad intelligentem, qui poſſet petita concedere, congruè fieri: docet Vaſquez, in tertiam partem Thomæ, quæſt. 25. diſp. 109. cap. 4. ubi etiam ait, hac de cauſſa Concilium Trident. ſeſſ. 25. dixiſſe, nullam imaginibus ineſſe virtutem, ob quam ſint colendæ, vel ab eis aliquid petendum, vel in eis ſpes collocanda. quocirca idoneam eſſe oportet rationem illam quam attulit Thomas, 3. part. quæſt. 25. art. 4. videlicet, crucem illam in qua Chriſtus crucifixus eſt, tum propter repræſentationem, tum propter contactum, & ex hoc quod ejus ſanguine eſt perfuſa, adorari eadem adoratione cum Chriſto, ſcilicet adoratione latriæ; & propter hoc etiam crucem eos alloqui & deprecari quaſi ipſum crucifixum. Rationem iſtam refutat Vaſquez, loco citato, concedens antecedens, de adoratione; at negans conſequentiam, de alloquio & prece, quia ad rem inanimatam nullo modo poteſt terminari oratio.

35. Propterea & illud Bellarmini perfugium inutile eſt: ait ille, lib. de imag. c. 20. Poteſt aliquid honorari propriè, vel impropriè. Id propriè dicitur honorari, quod verè ratione ſuipſius honoratur. Impropriè dicitur honorari, quod honoratur loco alterius: ut quando legatus Regis, honoratur loco Regis, honore proprio Regibus, tunc & ipſe legatus impropriè honoratur, propriè autem Rex in ipſo tunc honoratur. Id clarius apparet, quando unus pro alio accipit poſſeſſionē aliquam vel cum funus celebratur abſente corpore, circa ſtatuam, & fiunt erga ſtatuam omnia, quæ circa corpus fierent, ut cum aliquando, ſtatua Trajani mortui ſedit in curru triumphali, teſte Sexto Aurelio Victore, nec enim poteſt dici ſtatuam propriè triumphaſſe, ſed Trajanum à ſtatua repræſentatum. Hæc ibi. Jam audiamus quomodo idem Bellarminus diſtinctionem iſtam applicet præſenti quæſtioni, eodem libro de imaginibus, cap. 23. quod (inquit) imago poſſit coli impropriè eo cultu, quo ipſum exemplar, probatur nam aliquando imago accipitur pro ipſo exemplari, & ea, quæ fierent circa ipſum exemplar, ſi adeſſet præſens, fiunt circa imaginem, mente tamen defixâ in exemplari. Sic concionatores alloquuntur imaginem crucifixi, eique dicunt: Tu nos redemiſti, tu nos Patri reconciliaſti; iſta enim non dicuntur imagini, nec ut lignum eſt, nec ut imago eſt, ſed ut accipitur loco exemplaris, id eſt, dicuntur ipſi Chriſto, cujus tamen imago vicem gerit: quemadmodum etiam in die Paraſceues, cum crucifixus paulatim detegitur, & oſtenditur, & adorandus proponitur, illa omnia per imaginem ipſi Chriſto vero exhiberi intelliguntur, tunc autem propriè nullus honor defertur imagini, ſed ſoli exemplari: tamen impropriè dici poteſt ipſa etiam imago honorari. Hactenus Bellarminus. Summa eſt, imaginem invocari quidem, at non ratione ipſius, ſed loco Chriſti, cujus imago vicem gerit. At ubi & quando tandem Chriſtus vicem hanc commiſit imagini? Et cum cultus ex fide præſtandus ſit, fides autem verbo Dei nitatur; quæ hæc audacia eſt, ſine Dei verbo, imaginem accipere loco Chriſti, & erga vel circa imaginem facere omnia quæ erga vel circa ipſum Chriſtum fierent? Præterea etiam ii qui fingunt licere adorare imaginem eadem adoratione cum exemplari, excipiunt orationes & hymnodias, ut ſuperiore ſectione oſtenſum eſt. Impoſſibile eſt (inquit Origenes) ut qui Deum novit, ſupplex fiat ſtatuis: nec hoc tantum ſtultum eſt ſi quis preces ſimulacris offerat, ſed etiam cum aliquis id ſimulat vulgi opinionibus ſe attemperans, quod faciunt Philoſophi Peripatetici, & qui ſectantur ſectam Epicuri aut Democriti: nihil enim adulterinum debet ineſſe in anima hominis verè pii erga Deum optimum maximum. Hæc Origenes, lib. 7. contra Celſum. ubi diſputat non ſolum contra cultum dæmonum, ſed etiam contra cultum religioſum imaginis manufactæ, hoc enim modo ait Chriſtianos & Judæos numen non colere, quia ſimulacra vel effigies facere, eiſque incurvari vetat divina lex. Et ibidem refert, veteres etiam Perſas, aliis motos rationibus, averſatos eſſe ſtatuas.





36. Jam videamus qua viâ elabi conetur Vaſquez. Quod verò (inquit Vaſquez) Eccleſia in Dominica paſſionis loquitur ad crucem, dicens;

*O crux, ave ſpes unica,*
*Hoc paſſionis tempore,*
*Auge piis juſtitiam,*
*Reiſque dona veniam.*

Quibus verbis ipſam tanquam Deum Salvatorem laudare videtur: nonnulli putant, non ad crucem, ſed ad Chriſtum crucifixum referri, quem nomine crucis compellat. Verùm quia aliqua etiam in eo hymno deinde dicuntur, quæ non niſi de ipſa lignea, & inanimata cruce poſſunt intelligi, quale eſt illud,

*Sola digna tu fuiſti*
*Ferre ſecli pretium.*

Et rurſus;

*Crux fidelis inter omnes*
*Arbor una nobilis, &c.*

Et in alio hymno ejuſdem Dominicæ;

*Beata cujus brachiis*
*Secli pependit pretium.*

Aliqui etiam cenſent, ad ipſam ligneam crucem has laudes figuratè referri, per figuram proſopopœiam, Poetis & oratoribus ſatis familiarem. Nihilominus priora iſta verba quæ recitavimus,

*O crux, ave ſpes unica:*

Non video, quomodo ad crucem ipſam ligneam dirigi poſſint: nam quamvis per figuram proſopopœiam ſæpius cum re inanimata loquamur, nunquam tamen, etiamſi figuratè, ab ea peteremus ſalutem, & gratiæ augmentum. Quare ego ibi duas figuras admitterem, nempe in prioribus verbis metonymiam, ut crux pro Chriſto accipiatur, ſicut continens pro contento: in reliquis verò proſopopœiam, ut prædictum eſt. Hæc Vaſquez in 3. partem Thomæ, qu. 25. diſp. 109. cap. 4. Subjicit autem ibidem, laudari nihilominus poſſe imaginem, ut aliquid utile ad cultum exemplaris, quia utilitatem hanc in ſe habet. Sed de ejuſmodi utilitate & laude non quæritur hoc loco, neque ſi qua eſſet imaginis utilitas ad cultum exemplaris, inde ſequeretur colendam eſſe ipſam imaginem; non enim omne illud colendum eſt quod ad Dei cultum utile eſt. Addit etiam dici, quod exemplar coram imagine laudetur. At neque iſtud ad præſentem pertinet quæſtionem, qua quæritur de laude & oratione quæ dicuntur ad imaginem, compellando ipſam, & petendo ab ea, eandemque laudando.

37. Si dicat aliquis, (cum Bellarmino, lib. de beatitud. ſanctorum, cap. 17.) non agi de verbis, ſed de ſenſu verborum; Imò verò de utroque agitur, tum de ſono tum de ſenſu verborum. Nam cum verba iſta non ſint divina, ſed humana, cur tam male agitur cum Dei populo, ut in re graviſſima in qua aberrare periculoſiſſimum eſt, nempe in divino & religioſo cultu, obtrudantur ei ordinariè uſurpanda ejuſmodi verba, ab hominibus temere excogitata, quæ neque in proprietate ſermonis, neque ſecundum aliquam humanam loquendi conſuetudinem, ullum ſanum ſenſum recipiunt; neque ab acutiſſimis ingeniis ad qualemcunque tolerabilioris alicujus ſenſus ſpeciem trahi poſſunt, niſi confictis quibuſdam figuris, quas nec ipſi doctores ſeriò tradere, nec alii intelligere queunt?

38. In omni Metonymia immutatur nativa vocis ſignificatio: at nemo unquam dixit Metonymiam eſſe, quando rem aliquam alloquentes, ſuo eam affamur vocabulo; ut quando ſcapham vocamus ſcapham, crucem vocamus crucem. Fit ſermo ad crucem ligneam, eique dicitur, O crux. non eſt hic metonymia. Nam eam alloquuntur crucem de qua in eodem hymno ajunt,

*Sola digna tu fuiſti*
*Ferre ſecli pretium.*

Ubi pronomen demonſtrativum, TU, manifeſtè eandem deſignat crucem, cui ſuperius dixerunt,

*O Crux, ave ſpes unica, &c.*

Proſopopœia autem quam ajunt in verbis eſſe, non liberat eos à crimine idololatriæ, ſine cujus criminis reatu nemo poteſt ita alloqui imaginem, aut ejuſmodi rem aliquam, ut ei religioſè ſupplicet, eamque invocet, & ab ea re petat augmentum juſtitiæ, & veniam peccatorum. Quæ tamen iſti convincuntur petere à lignea cruce. Sicut etiam ſimilia dona petunt ab imagine illa quam Chriſti eſſe dicunt, & fabulantur eam ab ipſo Domino impreſſam Sudario faciei ejus admoto, datamque mulieri cuidam Veronicæ, unde etiam à mulieris illius nomine ipſa imago apud Romanenſes Veronica indigitatur. Oratio qua hanc imaginem ſalutant, laudant, atque invocant, prout ea cum Bti. Bon. Dicta ſalutis typis excuſa circumfertur, hæc eſt;

*Baron. apud Spond. an. Chriſti. 34. num. 42. & Pamel. in Tertullian. Apologet. cap. 12. num. 124.*

*Salve ſancta facies noſtri Redemtoris,*
*In qua nitet ſpecies divini ſplendoris,*
*Impreſſa panniculo nivei candoris,*
*Dataque Veronicæ ſignum ob amoris:*
*Salve vultus Domini imago beata,*
*Ex æterno munere mirè decorata:*
*Lumen funde cordibus exinde tibi data,*
*Et ex noſtris ſenſibus tolle colligata:*
*Salve ſplendor gloriæ, ſalus peccatorum,*
*Repræſentans propriè Regem Angelorum,*
*Reſtauratrix gratiæ, ſpeculum ſanctorum,*
*Te quærunt reſpicere ſpiritus Cœlorum.*
*Salve robur fidei noſtræ Chriſtianæ,*
*Deſtruens hæreticos qui ſunt vita vana;*
*Horum auge meritum qui te credunt ſanè,*
*Illius effigie qui Rex ſit panè.*
*Salve noſtra gloria in hac vita dura,*
*Labili, & fragili, citò tranſitura;*
*Nos perduc ad patriam ô felix figura,*
*Ad videndum faciem quæ eſt Chriſti pura.*
*Salve ô ſudarium nobile jocale,*
*Et noſtrum ſolatium, & memoriale*
*Ejus qui corpuſculum aſſumſit mortale,*
*Noſtrum verum gaudium & bonum finale.*
*Salve jubar ſeculi, ſtella matutina,*
*In conſpectu populi fulget lex divina,*
*Quæ eſt cura languidi, vita medicina,*
*Nos in mundo labili ſerva à ruina.*
*Salve gemma nobilis, vera margarita,*
*Cœlicis virtutibus perfectè munita,*
*Non depicta manibus, ſculpta, nec polita,*
*Hoc ſcit ſummus artifex qui te fecit ita.*
*Ille color cœlicus qui in te ſplendeſcit,*
*In eodem ſtatu permanet, nec decreſcit,*
*Diuturno tempore minimè palleſcit,*
*Fecit te Rex gloriæ, fallere qui neſcit.*
*Neſciens putredinem, ſervans incorruptum,*
*Quod eſt Chriſticolis coram te deductum,*
*Tu vertis in gaudium gemitum & luctum,*
*Confers ſaluberrimum te videntis fructum.*
*Salve decus ſeculi, ſpeculum ſanctorum,*
*Te videre cupiunt ſpiritus Cœlorum,*
*Nos ab omni maculâ purga vitiorum,*

*Dona divina petunt ab ipſa imagine.*

*Atque nos conſortio junge beatorum.*
*Eſto nobis quæſumus tutum adjuvamen,*
*Dulce refugerium, atque conſolamen,*
*Ut nobis non noceat hoſtile gravamen,*
*Sed fruamur requie tum beatis. Amen.*

Iſta apertè dicuntur ipſi imagini ſeu Figuræ ſudario impreſſæ, ea laudatur, & ab eâ dona petuntur, quæ à ſolo Deo peti debent, ac dari poſſunt. Auguſtinus ait; Chriſtianos orantes atque laudantes, ad eum dirigere ſignificantes voces, cui res in corde quas ſignificant offerunt, cum verba ſonantia ſigna ſint rerum.

*Aug. lib. 10. de civitate Dei, cap. 19.*

*Idololatria adoratio ſacramenti Euchariſtiæ.*

39. Sacramentum etiam Euchariſtiæ, ex falſa hypotheſi tranſſubſtantiationis, adorandum eſſe latriæ cultu qui vero Deo debetur, decernit Synodus Tridentina, Seſſ. 13. cap. 5. Hunc ſacramenti cultum rectè quidem improbat, perperam autem atque incaſſum crimine idololatriæ eximere nititur Marcus Antonius de dominis, Archiepiſcopus Spalatenſis, lib. 7. de Republica Eccleſiaſtica, cap. 11. num. 7. *Per rectam* (ut ipſe loquitur) *intentionis directionem: qui docent* (inquit) *panem non eſſe amplius panem, ſed corpus Chriſti, illi profectò panem non adorant. ſed ſolum, ex ſuppoſitione, licet falſa, Chriſti corpus, verè adorabile, adorant.* Hæc ille. At non ſufficit ſuppoſitio falſa, ad depellendum idololatriæ crimen. iſto enim patefacto effugio, ſi quis Antichriſtum pro Chriſto ſequatur & adoret, excuſabitur à crimine idololatriæ: per intentionem, ſcilicet, qua intendit ſolum Chriſtum adorare. Quod prorſus abſurdum eſt. Præſertim cum Dominus præmonuerit cavendos eſſe Pſeudochriſtos, qui decepturi eſſent homines non electos. Sic qui ſuppoſitione quadam falſa imaginatus fuerit verum Deum auro aut argento aut lapidi, ſculpturæ artis & cogitationis hominis eſſe ſimilem, Deoque imaginem effinxerit, & exiſtimaverit numen ipſum eſſe in illa imagine, ipſamque inde imaginem animatam eſſe & ſenſu ac ſpiritu plenam, & jam eſſe Deum. (ſicut olim Ægyptii ſtatuas quaſdam ab hominibus fabricatas, animatas eſſe & deos eſſe putabant, teſte Mercurio Triſmegiſto, apud Auguſtinum) & imaginem illam, auream, argenteam, vel ex alia materia factam, divino honore proſequatur; numquid illum intentio, & falſa ſuppoſitio ab idololatriæ crimine liberabunt? Num Manichæos ad Solis gyrum orationem ſuam circumvolventes, & ſolem ſeu neſcio quam navem per foramen Cœli micantem atque lucentem adorantes, dicemus non fuiſſe idololatras: quia, ſcilicet, colentes Solem ſeu navem illam, putabant ſe colere Chriſtum, Dei virtutem, habitare eum credentes in Sole, adeóque Solem æſtimantes eſſe Chriſtum; ſicut legimus apud Auguſtinum, lib. 20. contra Fauſtum, capitib. 2. 5. 6. & concione contra Judæos, Paganos, & Arianos, cap. 6. Nuſquam igitur erunt idololatræ. Notum enim eſt omnem idololatriam falſâ ſuppoſitione niti. Et quid, obſecro, dicemus de adoratione vituli in eremo? Quid de vitulis Jeroboami? quid de hodierno Judæorum cultu, qui Jehovam Deum Abrahami, Jſaaci, & Jacobi, eumque ſolum adorare ſe profitentur? Quid de illis, quos Chriſtus ait cœco quodam Dei zelo occiſuros Apoſtolos?

*Aug. lib. 8. de Civitate Dei, cap. 23.*

*Joan. 16. 2.*

*Miſeria conditionis manentium, id quotidie facientium, de quo dubitant an ſit idololatria, quæ ne.*

40. In quadam Decretali dicitur, (inquit Bonaventura) quòd plus peccat malus ſacerdos, qui non conficit, & ſimulat ſe conficere, quam ille qui conficit, pro eo quod facit populum idololatrare. Hæc Bonaventura, in 3. ſent. diſt. 9. art. 1. quæſt. 6. Decretalem autem intelligere videtur illam Innocentii Papæ tertii, extra de celebratione miſſarum, cap. 7. De homine. At iſti panem non ritè conſecratum adorantes, putant conſecrationem eſſe debito modo factam, & non eſſe ibi amplius panem, ſed corpus Chriſti, quod intendunt adorare, non autem panem. Nihilominus ſi ex falſa ejuſmodi perſuaſione adorent panem non ritè conſecratum, concedit Bonaventura eos idololatrare, id eſt, incidere in crimen idololatriæ. Adverte huc animum, Chriſtiane lector, & miſerere Romanenſium, qui, etiam ſecundum ipſorum placita, in quotidiano verſantur periculo idololatriæ. Nam, ex decretis Conciliorum Florentini & Tridentini, ad conficiendum ſacramentum, requiritur in miniſtro intentio ſaltem faciendi quod facit Eccleſia. Quæ ſit autem Miniſtri intentio, illi neſciunt; Neque ſciunt utrum ſit communis panis, an ſacramentum, quod adorant: atque adeo, quod Dominus olim mulieri Samaritanæ, illis dici jure poteſt, *Vos adoratis quod neſcitis.*

41. Inane eſt autem & ludificatorium quod excogitarunt remedium; Sufficit (inquit Bonaventura, in 3. ſent. diſt. 9. art. 1. qu. 6.) quod adorans in habitu hanc habeat conditionem, videlicet, ſi conſecratio debito modo facta eſt: unde pauci vel nulli fideles in hac adoratione peccant; omnes enim accedunt cum conditione iſta. Quod autem objicitur, quod ſacerdos facit eos idololatrare, hoc intelligitur quantum in ſe eſt, quia per ipſum non remanet: ſcienter enim exhibet adorandum, quod ſcit adorandum non eſſe. Hæc ille. Imò verò adorant etiam illi atque invocant, quod adorandum non eſt, neque invocandum, & Chriſto debita obſequia exhibent pani illi qui non eſt Chriſtus. Neque excuſat prætextus ille conditionis ſive in habitu ſive in actu, nam peccatum eſt adorare quod neſcias, neque fas divino honore colere illud quod non eſt Deus, etiamſi tu Deum eſſe deceptus opineris. Inverecunda profectò eſt iſta excuſatio, perinde ac ſi mulier alieni viri amplexibus implicita, de quo dubitet ſitne ille ipſe maritus an extraneus, pulchrè ſe excuſatam putet, ſi inter ipſa baſia atque amplexus cogitet aut dicat, ſi ſis maritus meus, te oſculor atque amplector; ſin autem extraneus ſis, non te oſculor, neque amplector. ubi proteſtatio eſt contraria facto.

43. Nos autem ipſius etiam ſacramenti, quando conſecratio debito modo facta eſt, adorationem illam dicimus eſſe idololatriam, idque hoc oſtendimus ſyllogiſmo;

Latria adorare panem manentem panem & vinum manens vinum, & non tranſſubſtantiatum, eſt idololatria; At ſacramentum Euchariſtiæ, quando conſecratio debito modo facta eſt, latria adorare, eſt latria adorare panem manentem panem & vinum manens vinum, & non tranſſubſtantiatum.

Ergo ſacramentum Euchariſtiæ, quando conſecratio debito modo facta eſt, latria adorare, eſt idololatria.

Major propoſitio ipſorum eſt Romanenſium. Minorem prolixè & luculenter demonſtravimus lib. 11. hujus operis. Latriæ autem vocabulum hic adhibemus, non quod ullam aliam adorationem exiſtimemus ſacramento impertiendam, ſed quia adverſarii, contra quos diſputamus, profitentur ſe adorare ſacramentum Euchariſtiæ adoratione latriæ. Concil. Trid. ſeſſ. 13. cap. 5.



43. Ulterius adhuc progreditur Gabriel Vaſquez, & ait; Non ſolum imago depicta, & res ſacra auctoritate publica in cultum Dei expoſita, ſed quævis etiam alia res mundi, ſive inanima, & irrationalis, ſive rationalis, ex natura rei, & ſecluſo periculo, ritè cum Deo, ſicut imago ipſius, adorari poteſt. Hæc Vaſquez in 3. partem Thomæ. qu. 25. diſp. 110. cap. 2. Si quæras, quodnam intelligat periculum, reſpondet Vaſquez, eodem capite, Periculum non eſſe ex natura rei, ſed ex hominum quorundam rudium ignorantia; alioquin autè nullum eſſe periculum illis, qui ſincerè rem quamlibet, & Deum in ea conſiderantes, ipſam adorarent. Et hoc quidem ſi fiat, dicit eximiæ religionis opus eſſe; tunc ergo (inquit) nullomodo dignitatem ipſius rei creatæ, attendentes, in ſolum Deum affectum noſtrum intendere; ipſi vero creaturæ ſignum, & notam ſubmiſſionis, oſculo, aut inclinatione præbere, nec inane, nec ſuperſtitioſum, ſed eximiæ religionis opus eſſe. Hæc ille. At Dominus apertè dixit, Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies. Et reprehenſi ſunt Jſraelitæ, quod vitulum in eremo colerent, & quod Jeroboami vitulos oſcularentur, quamvis ſe id facere profiterentur in honorem Domini Dei Jſraelis, in illum ſolum affectum ſuum intendentes, creaturis verò illis ſigna tantummodo & notas ſubmiſſionis, oſculo, & inclinatione præberent, & ſacrificia quæ offerebant vitulis, appellarent ſacrificia Jehovæ. Dominus ait per Prophetam; Sacrificia donorum meorum ſacrificarunt carnem, & comederunt; at Dominus non voluit ea: nunc igitur recordabitur iniquitatis eorum, & viſitabit peccatum eorum. Et poſtea idem Propheta Hoſeas in peccatis eorum hoc etiam ponit, quod dicerent, homines qui immolant oſculentur vitulos. Et diſertè etiam Moſes edicit, ne vel ullam Deo imaginem faciant, vel Soli aut Lunæ aut ſtellis ſe incurvent. Et Petrus Cornelio, & Angelus Joanni interdixerunt, ne ipſos adorarent. Hac admiſſa Vaſquezii doctrinâ, habebunt in promtu defenſionem adoratores quadrupedum, & reptilium, & herbarum, & arborum, & ſiderum, ipſorumque etiam dæmonum, dummodo profiteantur ſe in ſolum Deum affectum ſuum intendere, creaturis verò illis ſigna & notas ſubmiſſionis exhibere, adeóq; in eis & cum eis Deum adorare, & eas cum Deo adorare, unâ & eadem adoratione latriæ, ut docet Vaſquez.

44. Falſis calumniis Chriſtianos olim infamabant gentiles, tanquam adoratores capitis Aſini, & genitalium ſacerdotis: Audio (inquit Cæcilius) eos turpiſſimæ pecudis caput aſini conſecratum ineptâ neſcio quâ perſuaſione venerari; alii eos ferunt ipſius Antiſtitis ac ſacerdotis colere genitalia, & quaſi parentis ſui adorare naturam. Hæc Cæcilius, Ethnicis adhuc ſuperſtitionibus inhærens. Cui reſpondens Octavius Chriſtianus, ait; Sic eſt negotium dæmonum: ab ipſis enim rumor falſus & ſeritur, & fovetur. Inde eſt quod audire te dicis caput aſini rem nobis eſſe divinam. Quis tam ſtultus ut hoc colat? Quis ſtultior, ut hoc coli credat, niſi quod vos & totos aſinos in ſtabulis, cum veſtra Hippona conſecratis: & eoſdem aſinos cum Iſide religioſè devoratis: item boum capita, & capita vervecum, & immolatis, & colitis: de capro etiam & homine mixtos deos, & leonum & canum vultu deos dedicatis. Nonne & Apim bovem cum Ægyptiis adoratis & paſcitis? nec eorum ſacra damnatis inſtituta ſerpentibus, crocodilis, belluis cæteris, & avibus, & piſcibus, quorum aliquem Deum ſi quis occiderit, etiam capite punitur. Idem Ægyptii cum pleriſque vobis non magis Iſidem, quàm cæparum acrimonias metuunt: nec Serapidem magis, quam ſtrepitus per pudenda corporis expreſſos contremiſcunt. Etiam ille qui de adoratis ſacerdotis virilibus adverſum nos fabulatur, tentat in nos conferre, quæ ſua ſunt. ——— Ea de caſtis fingitis & pudicis, quæ fieri non crederemus, niſi de vobis probaretis. Hæc Octavius, apud Minucium Felicem, in dialogo qui inſcribitur, Octavius. Eandem de aſinino capite calumniam, & aliam de adoratione Solis, refutat, & in ipſos gentiles retorquet Tertullianus, in Apologetico, cap. 16. Clemens Alexandrinus in ſuo Protreptico ad Græcos, ſeu gentiles, exprobrat eis religioſum cultum pudendorum humanorum utriuſvis ſexûs, & aliarum creaturarum. Quid porrò referam (inquit Theophilus Antiochenus, lib. 1. ad Autolycum) multitudinem animalium reptilium & jumentorum, & ferorum, & volucrum, & aquatilium natatilium, quibus divinum cultum præbent Ægyptii. Verùm ſi iſtam Vaſquezii doctrinam noviſſent Patres, eamque probaſſent, non eſſet cur vel ſeipſis purgandis, vel accuſandis gentilibus tantum laborem impenderent; compendioſa enim via eſſet, ut illas res omnes religioſè adorare, dummodo affectus ad unum verum Deum intenderetur, candidè & rotundè profiterentur eſſe nec inane, nec ſuperſtitioſum, ſed eximiæ religionis opus. In cauſa autem eximiæ religionis diſſimulatio in vitio eſt, neque culpâ carent illi qui ſe ſub ſilentio abſcondunt. Sed quid opus eſt portentoſam iſtam opinionem, iſtam inſaniam, & [illegible], admotis convellere argumentis? Tanta enim & tam evidens eſt ejus abſurditas, & ſacrilega vanitas, ut eam retuliſſe refutaſſe ſit. Rectè Auguſtinus, ſicut (inquit) orantes atque laudantes ad eum dirigimus ſignificantes voces, cui res ipſas in corde quas ſignificamus offerimus, ita ſacrificantes non alteri viſibile ſacrificium offerendum eſſe noverimus, quam illi, cujus in cordibus noſtris inviſibile ſacrificium nos ipſi eſſe debemus. Hæc Auguſtinus, lib. 10. de civitate Dei, cap. 19. Omnis enim cultus latriæ, (accipiendo latriam pro ſervitute peculiari, Deo debitâ, ſicut etiam hic accipitur) tum internus, tum etiam externus, ſoli Deo exhibendus eſt, ut paſſim docent ſacræ literæ, & conſtanter profitetur catholica antiquitas. Statuas (inquit Pamelius homo Pontificius) & imagines adorare (uti frequentiſſimè inculcant Patres ſeptimæ Synodi, ac Damaſcenus & Jonas) nemo unquàm noſtrûm tentavit; ſi de adoratione latriæ intelligatur, quæ ſoli Deo debetur, quæ inter gentes uſurpabatur. Hæc ille, Annot. in Tertulliani Apologeticum, capite 12. numero 184.

*Paganorum idolomania.*

*Ægyptiorum ſtupenda ſuperſtitio.*

*Impietas doctrinæ Vaſquezianæ.*

*Interna adoratio & externum ejus ſignum uni exhibenda ſunt, non autem diverſis objectis.*

## CAPUT TERTIUM.

### *De cultu Domini noſtri Ieſu Chriſti.*

DOminus noſter Jeſus Chriſtus pro nobis intercedit. At non eſt in Sacra Scriptura præceptum, neque Chriſtianis orthodoxis in more poſitum, ut eum invocantes petant ab illo ut oret pro eis; ſed docent ſacræ literæ, idque ipſum habet Eccleſiæ conſuetudo, & conſenſus Catholicæ antiquitatis, ut quandocunque adoramus & invocamus Chriſtum, ei ſupplicemus ut Deo, eundem ei exhibentes honorem quem Patri & Spiritui Sancto. Neque Chriſto dicimus; Domine, ora pro nobis. Vel, Domine, offer preces noſtras Deo. Sed cum Apoſtolis dicimus; Domine, adauge nobis fidem. Et cum parente illo afflicti filii; Credo Domine, ſuccurre incredulitati meæ. Et cum Stephano; Domine Jeſu, ſuſcipe ſpiritum meum. Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum. Vide ſupra, lib. 1. hujus operis, cap. 20. §. 4. & cap. 23.

Luc. 17. 5. Marc. 9. 24. Act. 7. 59. 60.

2. Martha quidem dixit ei, *Scio quod quæcunque petieris à Deo, dabit tibi.* Joan. 11. 22. Monet autem Chryſoſtomus, in illum locum, Martham ſic loquutam eſſe ex ignoratione Deitatis Chriſti: & rectius dicturam fuiſſe cum Centurione, & leproſo; Domine, tantummodo dic verbum, & reſurget frater meus; nam potes, ſi vis, eum divina tua virtute etiam nunc reſuſcitare. Ait ipſe Dominus noſter Jeſus Chriſtus, *Si quid petieritis in nomine meo, ego faciam.* Item; *In illo die me non rogabitis quicquam; Amen Amen dico vobis, quæcunque petieritis à Patre in nomine meo, dabit vobis.* Uno igitur indiviſo cultu cum Patre invocatur, & preces exaudit, oblatas Sanctiſſimæ Trinitati, in nomine Mediatoris, qui eſt unus de Trinitate, nempe Filius, conſubſtantialis Patri ſecundùm Deitatem, idemque conſubſtantialis nobis ſecundùm aſſumtam humanitatem. Nec minus adorandus eſt jam incarnatus, quam olim ante incarnationem: adorandus, inquam, ſine excluſione carnis ab objecto ſeu termino adorationis, quamvis ratio hujus adorationis fundata ſit in Deitate. Non quod homo Jeſus Chriſtus, in ſocietatem honoris admiſſus, adoretur cum Deo Verbo, ſicut delirabat inſanus Neſtorius; ſed quia una eademque ſimplice adoratione adoratur unus Emmanuel, una perſona compoſita ex duabus naturis, unus Chriſtus in duabus naturis agnoſcendus, unus Filius, honorandus eodem indiviſo honore cum Patre & Spiritu Sancto. Propterea ait Cyrillus, & cum Cyrillo Synodus œcumenica Epheſina, anathematiſmo octavo; Si quis hominem aſſumtum, una cum ipſo Deo Verbo adorandum, & una cum illo glorificandum, unà cum illo, tanquam alterum in altero exiſtentem, Deum appellandum eſſe dicere auſus fuerit: (hunc enim intellectum particula, *Cum*, σὺν, adjecta, perpetuò & neceſſario ferre conſuevit) & non una potius adoratione [μιᾷ προσκυνήσει] Emmanuelem honorat, unamque illi glorificationem offert, [καὶ μίαν αὐτῷ τὴν δοξολογίαν ἀνάπτει] quatenus Verbum factum eſt caro; anathema ſit.

Joan. 11. 22. — Matth. 8. — Joan. 14. 14. — Joan. 16. 23.

*Gnome eſt Gregorii Theologi.*

Νήπιος, ὃς ἄνακτι Θεοῦ λόγον οὐκ ἴσον τίειν
Ὑψίστῳ ἐθέλει, Πατρὶ [illegible].
Νήπιος, ὃς ἄνακτι Λόγῳ [illegible] ἴσα φαίνειν
Οὐ τίειν' ἐθέλει ἀρχεγόνῳ Λόγῳ.
Τίμιον δ' ὃ μεγάλοιο Πατρὸς Λόγον, ἢ Λόγον αὐτοῦ
Μορφὴν ἀνδρομέην, καὶ πάχος ἡμέτερον.

id eſt;

*Inſanit Regi divinum quiſquis honorem*
*Non tribuit Verbo cum Genitore parem.*
*Inſanit Verbo incarnato quiſquis eundem*
*Denegat, æthereo qui tribuendus honos.*
*A Patre vel magno Verbum, Verbo vel ab ipſo*
*Humanam formam & craſſitiem reſecat.*

3. Apud Origenem quidem invenio, ſolitos eſſe quoſdam (in quibus fuit ipſe Origenes) Chriſtum rogare ut ipſorum preces Deo offerret. Unum (inquit) Deum, & unum ejus Filium ac Verbum imaginemque, quantum poſſumus ſupplicationibus & honoribus veneramur, offerentes Deo univerſorum Domino preces per ſuum unigenitum: cui prius eas adhibemus, rogantes ut ipſe, qui eſt propitiator pro peccatis noſtris, dignetur tanquam Pontifex preces noſtras & ſacrificia & interceſſiones offerre Deo optimo Maximo. Hæc Origenes, lib. 8. contra Celſum. Sed ex ejuſdem Origenis verbis, quæ ibidem ſententiam iſtam præcedunt, & ex eis quæ poſt eandem ſententiam leguntur, palam eſt Origenem fuiſſe illius antiſtitem erroris, qui poſtea ab Ario renovatus ac propagatus eſt. Ait enim, duas eſſe ſubſtantias Patrem & Filium, eoſque duos eſſe ſubſtantiâ, unum verò concordiâ, conſenſu, voluntatiſque identitate. Et quod dixit Dominus, *Pater major me eſt*, trahit Origenes in patrocinium pravi ſui dogmatis de diverſitate ſubſtantiæ & inæqualitate dignitatis Patris & Filii. Quocirca non eſt audiendus hac in re neque imitandus Origenes, illud tamen quod eodem illo libro 8. contra Celſum, ait Origenes; ſolum Deum adorandum, & ſoli Chriſto offerendas eſſe preces, qui ut Pontifex eas ad Deum perferat; facit contra invocationem creaturarum, adeoque contra eam invocationem ſanctorum, quam laudant atque exercent Romanenſes. Vide inferius, capite 4. §. 7.

4. Athanaſius in ſua ad Adelphium Epiſcopum epiſtola contra Arianos; Non creaturam adoramus, abſit. Ethnicorum enim & Arianorum iſtiuſmodi error eſt: ſed Dominum creaturæ, incarnatum Dei Verbum adoramus. Nam tametſi caro ipſa per ſe pars ſit rerum creatarum, attamen Dei corpus effecta eſt, neque iſtiuſmodi corpus ſeorſum diſcriminatum à Verbo adoramus, [οὐδὲ τὸ τοιοῦτον σῶμα καθ' ἑαυτὸ διαιροῦντες ἀπὸ τοῦ Λόγου προσκυνοῦμεν,] neque Verbum adoraturi, ipſum à carne ſeponimus, ſed cum ſcimus, ſicut dictum eſt, *Verbum carnem factum eſſe*, ipſum etiam in carne exiſtentem Deum agnoſcimus [τοῦτον καὶ ἐν σαρκὶ γενόμενον ἐπιγινώσκομεν Θεόν.] Quis igitur tam vecors eſt, ut Domino ita loquatur, abſiſte à corpore ut te adorem? aut quis ita impius eſt, ut cum Judæis propter corpus dicat ei, *Cur tu cum homo ſis, facis teipſum Deum?* ——— οἱ γὰρ μὴ θέλοντες σαρκωθέντα τὸν Λόγον προσκυνεῖν, ἀχαριστοῦσι τῇ ἐνανθρωπήσει αὐτοῦ, καὶ οἱ διαιροῦντες τὸν Λόγον ἀπὸ τῆς σαρκὸς, οὐδὲ μίαν λύτρωσιν τῆς ἁμαρτίας γεγονέναι, οὐδὲ κατάλυσιν τοῦ θανάτου νομίζουσι. ποῦ δὲ ὅλως οἱ ἀσεβεῖς, καὶ καθ' ἑαυτὴν εὑρήσουσι τὴν σάρκα, ἣν ἔλαβεν ὁ Σωτήρ, ἵνα καὶ τολμῶσι λέγειν· οὐ προσκυνοῦμεν ἡμεῖς τὸν Κύριον μετὰ τῆς σαρκός, ἀλλὰ διαιροῦμεν τὸ σῶμα, καὶ μόνῳ τούτῳ λατρεύομεν. id eſt; Nam qui Verbum carnem factum adorare nolunt, ingratos ſe exhibent inhumanationi ejus: qui verò diſtrahunt Verbum à ſua carne, nullam omnino redemtionem peccati, neque deſtructionem mortis factam eſſe exiſtimant. Ubinam verò impii iſti, carnem quam aſſumſit Servator, invenient ſeorſum per ſe, ut dicere audeant, nos non adoramus Dominum cum carne, ſed disjungimus corpus, & ſoli ei ſervimus. ——— γινωσκέτωσαν ὅτι τὸν Κύριον ἐν σαρκὶ προσκυνοῦντες, οὐ κτίσματι προσκυνοῦμεν, ἀλλὰ τὸν κτίστην ἐνδυσάμενον τὸ κτιστὸν σῶμα, ὡς προείπομεν. Cognoſcant nos, qui Dominum in carne adoramus, non creaturam adorare, ſed Creatorem corpore creato indutum, quemadmodum ſupra diximus. Idem, ſerm. adverſus eos, qui humanæ in Chriſto Domino naturæ confeſſores ſpem ſuam in homine defigere dicunt. Incarnatum (inquit) & hominem factum Deum Verbum unâ adoratione colimus. μίαν τὴν προσκύνησιν τῷ σαρκωθέντι καὶ ἐνανθρωπήσαντι Θεῷ Λόγῳ προσφέροντες. Et apud Cyrillum Alexandrinum, libro 1. ad Reginas, capite 9. in prima parte Concilii Epheſini, ait idem Athanaſius; Confitemur illum Dei Filium, & Deum eſſe ſecundùm Spiritum, Filium autem hominis ſecundùm carnem: non duas naturas unum Filium, unam adorandam, alteram non adorandam; ſed unam naturam Dei Verbi incarnatam, quæ ſimul cum ſua carne unâ adoratione adoratur: [μίαν φύσιν τοῦ Θεοῦ Λόγου σεσαρκωμένην, καὶ προσκυνουμένην μετὰ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ μιᾷ προσκυνήσει:] neque duos Filios, alterum Dei Filium verum & adorandum, alterum ex Maria hominem non adorandum. Hæc Athanaſius. De illo autem Athanaſii & Cyrilli dicto, quo dicebant unam naturam Dei Verbi incarnatam, vide quæ ſcripſimus, libro 3. hujus operis, capite 21. §. 14. & aliquot ſequentibus paragraphis.

5. Cyrillus etiam ait, in ſua epiſtola ad Monachos Ægyptios, (in prima parte Concilii Epheſini) ſub finem illius Epiſtolæ; προσκυνοῦμεν ὡς ἕνα, μὴ διελόντες εἰς δύο μετὰ τὴν ἕνωσιν. id eſt, adora ut unum, non in duos illum dividens poſt unitionem. Et in Proſphonetico ad Theodoſium Imp. de recta fide, cap. 3. Adoratur ut unigenitus. Et c. 31. Ergone Emmanuelem ut ſolum hominem adorabimus? abſit. Nam iſtud nihil aliud foret, quam errare, in fraudem induci, ac delirare. Et c. 32. Quemadmodum una eſt fides in Chriſtum, & verè unum baptiſma, etiamſi baptizemur & credamus in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum; ita planè, ut ego exiſtimo, una quoque Patris, & incarnati Filii & Spiritus Sancti eſt adoratio. μία προσκύνησις ἡ πρέπουσα, καὶ ἐνανθρωπήσαντος [illegible] ἁγίῳ πνεύματι. Et lib. 1. ad Reginas, c. 6. Si vulgaris eſſet homo [κοινὸς ἄνθρωπος] qui ex Maria natus eſt, quomodo ipſi curvabitur omne genu, omniſq; lingua confitebitur, Jeſum Chriſtum eſſe Dominum ad gloriam Dei Patris? Quomodo ipſum adorant Angeli, & ſupernarum virtutum facit cœtus? Num igitur hominem communem & univerſum cœlum nobiſcum religioſe adorat [λελάτρευκε]? abſit. Adoramus etiam Emmanuelem ut verum Deum. Alioquin



autem non erit adorandus, niſi credamus, ipſum Verbum quod ex Deo eſt, quod ab omni creatura adoratur, carnem factum eſſe, ſecundùm Scripturas. Hæc Cyrillus Alexandrinus.

6. In eandem ſententiam Ambroſius, lib. 3. de Spiritu Sancto, cap. 12. Adoravit enim Chriſtum Maria: Adoraverunt & Apoſtoli. Adoraverunt & Angeli, de quibus ſcriptum eſt, & adorent eum omnes Angeli ejus. Adorant autem non ſolum divinitatem, ſed etiam ſcabellum pedum ejus. ——— Per ſcabellum terra intelligitur; per terram autem caro Chriſti, quam hodie quoque in myſteriis adoramus, & quam Apoſtoli in Domino Jeſu adorarunt. Neque enim diviſus Chriſtus, ſed unus. Neque cum adoraretur tanquam Dei Filius, natus ex Virgine negabatur. Hæc Ambroſius.

Ambroſ. — Pſal. 97. 7. Hebr. 1. 6.

7. Epiphanius in Ancorato, capite ſeu ſect. 51. ait Chriſtianos adorare προσκυνεῖν τὸν Σωτῆρα ἐν σώματι, Salvatorem in corpore; σὺν τῷ σώματι τὸν μονογενῆ, ἄκτιστον σὺν ναῷ τῷ ἁγίῳ, ὃν ἐλθὼν εἴληφεν. cum corpore unigenitum Dei Filium, increatum cum templo ſancto, quod adveniens aſſumſit.

Epiphan.

Obſerva, lector, aliam eſſe conditionem hujus templi, (de quo etiam locutus eſt Dominus, in Euangelio, Joa. 2. 19. 21.) ac aliorum templorum Dei. Eccleſia eſt templum Dei, & unuſquiſq; fidelium eſt Dei templum, Maria Virgo ſpeciali quadam ratione erat Dei templum, ſicut de ea loquitur Ambroſius, lib. 3. de Spiritu Sancto, cap. 12. Templum illud manufactum Hieroſolymitanum erat Dei templum, & domus ſacræ apud Chriſtianos publico Dei cultui dicatæ, nunc receptâ loquendi conſuetudine dicuntur templa & domus Dei. In iſtis templis Deus colitur & adoratur: Non tamen de ullo iſtorum templorum rectè diceretur, Deum cum iſto ſuo templo adorari, ipſumque adeò templum adorari. Ratio diſcriminis apparet in verbis illis Ambroſii, Maria erat templum Dei, non Deus templi. Et ideo ille ſolus adorandus qui operabatur in templo. Hæc Ambroſius, lib. 3. de Spiritu Sancto, cap. 12. ubi exponens dictum illud Pſalmi 99. *Et adorate ſcabellum pedum ejus.* Contendit ſcabelli vocabulo illic intelligendam eſſe Chriſti carnem, non autem Mariam Virginem aut ullam meram creaturam. In nullo alio templo, niſi in ſola Chriſti humanitate, ſeu (ut cum Apoſtolo loquar) in Chriſto, κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς Θεότητος σωματικῶς, inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter. Idem Chriſtus eſt & Templum Dei, & Deus Templi. Idem dicendum de ſimilitudinibus purpuræ & diadematis & throni Regii. Nam nulla purpura, nullum diadema, nullus thronus eſt naturalis ſubſtantia ipſius Regis, unam eandemque habens hypoſtaſin, quam habet Rex, niſi ſola Chriſti humana natura.

*Admonitio de vocabulis templi, & purpura, & id genus aliis, quæ in hujus quæſtionis explicatione uſurpantur.* — Pſal. 99. (ſeu 98.) verſ. 5. — Coloſſ. 2. 9.

8. Gaudentius, Epiſcopus Brixienſis, ſermone 19. ſeu reſponſione ad Paulum diaconum, de eo quod Dominus Jeſus dixit Apoſtolis; *Quia Pater major me eſt.* Ea igitur ratione, (inquit) ipſe qui ex perſona Dei dixerat; *Ego & Pater unum ſumus*: ex perſona ſuſcepti hominis dicit; *Quia Pater major me eſt.* ——— *Ut in nomine Ieſu*, Dei quippe & hominis, *omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quoniam Dominus Ieſus*

Gaudent. — Joan. 10. 30. & 14. 28. — Philip. 2. 10. 11.

 eſt

*eſt in gloria Dei Patris*: id eſt, ut poſt paſſionis myſterium & adſcenſionis triumphum, jam totus Dei Filius cum eo quod pro nobis dignatus eſt aſſumere, in gloria Dei Patris (in Divinitate ſcilicet naturæ ſuæ manens) ab univerſis cœleſtium, terreſtrium, & infernorum Virtutibus adoretur. ——— Cum totus Dominus Jeſus, & quod ex Deo Patre eſt, & quod ex Virgine matre eſt, Deus ſit unigenitus in gloria Dei Patris. ——— Ut eundem credamus Deum, quem pro nobis & hominem confitemur. Hæc Gaudentius.

*Theodoret.* 9. Theodoretus, in cap. 1. epiſt. ad Epheſ. Sumta (inquit) ex nobis natura ejuſdem honoris cum eo qui ſumſit eſt particeps, ut nulla videatur adorationis eſſe differentia, ſed per naturam quæ cernitur, quæ non cernitur adoretur Divinitas. Hæc Theodoretus, interprete Gentiano Herveto. *Fulgentius.* Filium (inquit Fulgentius) in Cœlis omnes virtutes adorant ſemper & laudant, in tantum ut etiam in forma ſervi poſitum, & propter paſſionem mortis paulò minus ab Angelis minoratum, adorare Angeli jubeantur. Moyſe dicente; *Pſal. 97. 7. Pſal. 72. 13.* Lætamini Cœli cum eo, & adorent eum omnes Angeli Dei. Hominum quoque adorationem David, divinitus inſpiratus, adjungens, ait; adorabunt eum omnes Reges terræ. Omnes gentes ſervient ei. Quomodo ergo & ab hominibus & ab Angelis adoratur, ſi ab unius Dei ſubſtantia ſeparatur? Quomodo illi ſervitutem, quæ Deo tantum debetur, audemus exhibere, ſi una non eſt illi natura cum Patre? Hæc Fulgentius, contra Arianos, ad objectionem decimam. Similiter Leo, primus hujus nominis, Papa Romanus, *Leo magnus.* epiſt. 97. ad Leonem Auguſtum, cap. 2. Sine Verbi potentia non adorarent Magi puerum, ſtellâ indice declaratum. Et cap. ultimo ejuſdem Epiſtolæ, Ita (inquit) Chriſtum unum & Dominum confitemur, non tanquam hominem cum Verbo coadorantes, ne diviſionis quædam ſpecies inducatur: ſed unum jam & eundem adorantes, quia non eſt alienum à Verbo corpus ſuum, cum quo ipſi etiam aſſidet Patri. Hæc Leo.

*Concil. 5. œcumen. can. 9.* 10. Huc pertinet canon ille quinti œcumenici Concilii; Si quis in duabus naturis adorari dicit Chriſtum, ex quo duas adorationes introducunt, ſeparatim Deo Verbo, & ſeparatim homini: vel ſi quis ad interemtionem vel ad confuſionem Deitatis & humanitatis, unam naturam ſive ſubſtantiam, eorum quæ convenerunt, introducens, ſic Chriſtum adorat, ſed non unâ adoratione Deum Verbum incarnatum cum propria ipſius carne adorat, ſicut ab initio Eccleſiæ traditum eſt, talis anathema ſit.

*P. Lombardus 3. ſent. diſt. 9.* 11. Idipſum etiam docuerunt Auguſtinus & Joannes Damaſcenus, quibus conſentiens Petrus Lombardus, ait; Aliis autem placet Chriſti humanitatem una adoratione cum Verbo eſſe adorandam, non propter ſe, ſed propter illum cujus ſcabellum eſt, cui eſt unita. Neque ipſa humanitas ſola vel nuda, ſed cum Verbo cui eſt unita: nec propter ſe, ſed propter illum cui eſt unita, eſt adoranda. Nec qui hoc facit idololatriæ reus judicari poteſt: quia nec ſoli creaturæ, nec propter ipſam, ſed Creatori cum humanitate & in humanitate ſua ſervit. De hoc Ioannes Damaſcenus ita ait, *Damaſcen. lib. 3. de orthodoxa fide, cap. 8.* [Duæ ſunt naturæ Chriſti, ratione & modo differentes, unitæ verò ſecundum hypoſtaſin. Unus ergo Chriſtus eſt Deus perfectus, & homo perfectus, quem adoramus cum Patre & Spiritu una adoratione cum incontaminata carne ejus. Non inadorabilem carnem dicentes. Adoratur enim in una Verbi hypoſtaſi, quæ hypoſtaſis ei facta eſt. Non creaturæ venerationem præbentes. Non enim ut nudam carnem adoramus, ſed, ut unitam Deitati, in unam hypoſtaſin Dei Verbi duabus reductis naturis. Timeo carbonem tangere propter ligno copulatum ignem. Adoro Chriſti Dei mei ſimul utramque naturam: propter carni unitam Deitatem. Non enim quartam appono perſonam in Trinitate, ſed unam perſonam confiteor Verbi & carnis ejus.] His verbis inſinuari videtur, Chriſti humanitatem unâ adoratione cum Verbo eſſe adorandam. De hoc etiam Auguſtinus ait de ſerm. Domini, ubi dicitur, non turbetur cor veſtrum, ita dicit; Dicunt hæretici, Filium non naturâ eſſe Deum, ſed creatum. Quibus reſpondendum eſt, quia ſi Filius non eſt Deus naturâ, ſed creatura; nec colendus eſt omnino, nec ut Deus adorandus: dicente Apoſtolo, Coluerunt & ſervierunt potius creaturæ quam Creatori. Sed illi adhuc replicabunt & dicent, quid eſt quod carnem ejus, quam creaturam eſſe non negas, ſimul cum divinitate adoras, & ei non minus quam divinitati deſervis? Ego Dominicam carnem, imò perfectam in Chriſto humanitatem ideo adoro, quod à divinitate ſuſcepta & Deitati unita eſt, ut non alium & alium, ſed unum eundemque Deum & hominem Filium Dei eſſe confitear. Denique ſi hominem ſeparaveris à Deo, illi nunquam credo nec ſervio: velut ſi quis purpuram vel diadema regale jacens inveniat, numquid ea conabitur adorare? Cum verò eâ Rex fuerit indutus, periculum mortis incurrit, ſi ea cum Rege adorare quis contemſerit. Ita & in Chriſto Domino humanitatem non ſolam vel nudam, ſed divinitati unitam, ſcilicet unum Filium Deum verum, & hominem verum, ſi quis adorare contemſerit, æternaliter morietur. Idem ſuper Pſalm. 98. ubi dicitur, Adorate ſcabellum pedum ejus, quoniam ſanctum eſt. Sciendum, quia in Chriſto terra eſt, id eſt, caro, quæ ſine impietate adoratur. Suſcepit enim de terra terram: quia caro de terra eſt, & de carne Mariæ carnem accepit. Hæc ſine impietate à Verbo Dei aſſumta adoratur à nobis: quia nemo carnem ejus manducat, niſi prius adoret: ſed qui adorat, non terram intuetur, ſed illum potius cujus ſcabellum eſt propter quem adorat. His auctoritatibus præmiſſæ inveſtigationis abſolutio explicatur. Hactenus Petrus Lombardus. Alibi etiam Damaſcenus ait; Unâ etenim eademque cum ſua carne adoratione ab omnibus rebus conditis afficitur. libro 4. orthod. fid. capite 2. Item capite 3. ejuſdem operis. Caro (inquit) ſuapte quidem naturâ minimè adoranda eſt: verum in incarnato Dei Verbo adoratur, non quidem vi ſui, ſed ob Deum Verbum perſonaliter ipſi copulatum. Neque hoc dicimus, nudam ac ſimplicem carnem à nobis adorari, verum Dei carnem, ſive Deum carne indutum.

12. Bonaventura in 3. ſent. diſt. 9. art. 1. quæſt. 1. Quia (inquit) eſt una perſona in Chriſto, cui debetur reverentia ſumma, unâ adoratione adoranda eſt, ſcilicet latria, quantum ad utramque naturam, ſcilicet Deitatem & humanitatem. ——— Et quoniam caro Chriſti nunquam eſt ſeparata à Verbo, ideo ſemper conſideranda



eſt ut conjuncta, & ſemper adoranda eſt latria. ——— Nos qui debemus adorare, non debemus aſpicere ad ejus humanitatem, ſed ad perſonæ dignitatem. Et in hoc ultimo conſiſtit ſumma quæſtionis prædictæ. Hæc ibi. Idem, in 4. ſent. diſt. 45. art. 3. quæſt. 1. in objectionibus, hanc proponit quæſtionem; Cum Chriſtus oret pro nobis, quare non dicitur in Litaniis, Chriſte ora pro nobis? Et reſpondet, Vitandum iſtud eſſe, propter errorem Arrii: ne videamur Chriſtum credere creaturam, & ne videamur ejus poteſtatem minuere: Quia poteſt omnia, nos ejus petere miſerationem, non orationem. Hæc Bonaventura. *Scotus.* Et in eandem diſtinctionem Scotus, quæſtione unica, num. 6. Non debet (inquit) excludi à termino adorationis caro, licet ipſa non ſit ratio adorandi. Et num. ultimo. Tutum eſt in adoratione, non nimis diſtinguere naturam illam creatam à Verbo, ſed Verbum ſubſiſtens in duabus naturis adorare. Hæc Scotus.

*1. Concluſio.* 13. Tres ex antedictis conſequuntur concluſiones; Prima concluſio eſt; Illa cultus ſpecies, cultu divino minor, quam hyperduliam quidam vocant, & Chriſti humanitati per ſe conſideratæ dicunt exhibendam, tum orthodoxis Patribus incognita fuit, eorumque doctrinæ repugnat, tum etiam quibuſdam citeriorum temporum acutiſſimis doctoribus viſa eſt non tuta, non uſurpanda.

*Secunda concluſio.* Secunda concluſio; Jam palàm patefacto magno illo pietatis myſterio, & manifeſtato ſublimi illo Chriſti nomine quod eſt ſupra omne nomen, & promulgato Divino edicto, ut ad nomen Jeſu omne genu flectatur cœleſtium, & terreſtrium, & ſubterraneorum, omniſque lingua confiteatur Jeſum Chriſtum eſſe Dominum, ad gloriam Dei Patris, non niſi divino cultu, adeoque uno indiviſo cultu cum Patre & Spiritu Sancto à nobis adorandus & invocandus eſt Chriſtus, nempe Deus Filius cum ſua aſſumta carne. Invocatio autem illa, qua rogatur Chriſtus ut ipſe pro nobis apud Patrem intercedat, & ſua interceſſione gratiam aut bona quælibet nobis impetret, non eſt legitima, & inductiva eſt in hæreſin vel Arianam, vel Neſtorianam; ideoque ab ea abſtinendum eſt.

*Tertia concluſio.* Tertia concluſio; Unica & ſola ratio, propter quam caro ſeu humanitas Chriſti latria ſoli Deo debita, ſine impietate & abſque idololatriæ crimine, à nobis colitur, eſt unio hypoſtatica & naturalis, qua humanitas illa unita eſt Deo Verbo qui eam aſſumſit, & eam aſſumendo caro factus eſt: abſque qua foret unione, nefas & idololatriæ crimen eſſet, latriâ colere illam humanitatem, ſive illum hominem; & propterea Neſtorius unionis hujus negator, ut anthropolatra meritò damnatus eſt: unde efficitur, non eſſe idoneas illas quæ à quibuſdam ſcholaſticis & Pontificiis adferuntur rationes, petitas à contactu vel repræſentatione, quibus freti exhibent cultum latriæ cruci & imaginibus Chriſti, vel etiam beatæ Virgini, cum hujuſmodi latriæ exhibitio cuilibet rei creatæ, quæ non eſt cum Deitate hypoſtaticè unita in una hypoſtaſi, idololatria ſit: ut oſtendunt argumentationes veterum ſuperius commemoratæ.

*Neſtorius anthropolatra. Idololatria eſt cultum latria exhibere cruci vel imagini Chriſti, vel beatæ Virgini, vel cuicunque merà creaturæ.*

## CAPUT QUARTUM.

### *Patrum teſtimoniis declaratur, cultum religioſum ſoli Deo exhibendum eſſe.*

Tameſi in ſuperioribus hujus libri capitibus luculenta paſſim occurrant teſtimonia Veterum, quibus profitentur religioſum cultum ſoli Deo exhibendum eſſe; utile tamen erit quædam adjicere, quibus hæc veritas illuſtrata clarius eniteſcat.

Cum Judæi olim calumniarentur, Chriſtianos Smyrnenſes, ſi Polycarpi martyris corpore potirentur, adoraturos Polycarpum, relicto Chriſto; reſponderunt Chriſtiani illi, ſeu Eccleſia illa Smyrnenſis, ſe neque poſſe Chriſtum, qui pro ſalute omnium qui in toto mundo ſalvi ſunt futuri paſſus eſt, relinquere, neque alium quempiam religioſè colere [[illegible]] Sed Chriſtum, cum ſit Dei Filius, ſe adorare [[illegible]] Martyres autem, tanquam diſcipulos & imitatores Domini, ſe meritò diligere [[illegible]] propter incredibilem eorum benevolentiam, quam in proprium Regem & Magiſtrum declaraverunt. Hæc de ſe teſtatur priſca illa Eccleſia Smyrnenſis, cui præfuerat Polycarpus, in epiſtola illius Eccleſiæ, ad alias Eccleſias ſcripta, de Polycarpi & aliorum martyrio, apud Euſebium, lib. 4. Eccleſ. hiſt. κεφ. ιε. cap. 14.

2. Juſtinus martyr, in Apologia illa pro Chriſtianis, quæ ſecunda dici ſolet, ait Chriſtianos, rejecto cultu malorum dæmonum, adorare ſolum Deum Patrem, ejuſque Filium qui nos iſta bonoſque Angelos docuit, & Spiritum Sanctum: [illegible] id eſt, (interprete Joanne Lango, in editione Græcolat. Pariſienſi, an. Dom. 1615.) Hunc ipſum [Deum Patrem.] & qui ab eo venit, atque iſta nos & aliorum obſequentium exæquatorumque [ad voluntatem ejus] bonorum Angelorum exercitum docuit, Filium, & Spiritum Propheticum colimus & adoramus. Hæc Juſtini verba, eorumque verſionem Latinam Pariſiis editam, eo libentius recitavi, ut hac data occaſione tum verum dogma confirmarem, tum etiam locum hunc ab impudentiſſima Bellarmini parexegeſi dilucidè vindicarem. Non puduit Bellarminum *Bellarm. lib. de ſanctorum beatitudine, cap. 13.* locum iſtum adducere pro confirmando dogmate Romanenſium de religioſo cultu Angelorum, ac ſi dixiſſet Juſtinus, ſe & reliquos Chriſtianos colere Deum Patrem, ejuſque Filium, & Angelos bonos, & Spiritum Sanctum. Collocans, ſcilicet, Angelos bonos ante Spiritum Sanctum, & Chriſtum declarans doctorem hominum duntaxat, non etiam bonorum Angelorum, ſed bonos Angelos cum eo conjungens in termino ejuſdem religioſi cultûs. Quæ opinionum blaſphema monſtra ipſi etiam horrent atque abominantur Romanenſes, neque Juſtino unquam in mentem venerunt. Nam præterquam quod verba Juſtini jam recitata, ſatis ſunt perſpicua cuilibet candido & mediocris judicii lectori, quæ ſubjicit poſtea in eadem Apologiâ ipſe Juſtinus, mentem ſuam explicans, inſanam iſtam Bellarmini perverſitatem, & inexcuſabilem temeritatem apertiſſimè redarguunt. Atque

*Detegitur & refellitur Bellarmini mendax impudentia.*

Atheos quidem (inquit Juſtinus) & ſine Deo, impioſque nos non eſſe, qui Conditorem hujus mundi colimus [τὸν δημιουργὸν τοῦδε τοῦ παντὸς σεβόμενοι,] minimè illum ſanguine & libationibus & incenſis (quemadmodum eruditi ſumus) indigere aſſeverantes; Et Jeſum Chriſtum, cum edocti ſimus eum ipſius verè Dei Filium eſſe, ſecundo loco, & Spiritum Propheticum, tertio ordine, [ἐν τρίτῃ τάξει] nos cum ratione honorare demonſtrabimus. Ecce Juſtinus Spiritui Sancto tribuit tertium ordinem, quem tamen Bellarminus fingit Angelis à Juſtino tributum eſſe, ut poſt Angelos demum quarto ordine coleretur Spiritus ſanctus. Ex quo impio & blaſphemo commento conſequitur, aut Angelos Deo eſſe æquales & conſubſtantiales, aut Spiritum Sanctum non eſſe Patri & Filio conſubſtantialem & æqualem, quippe Angelis non ſuperiorem. Verum ab iſta inſania longè abfuit Juſtinus: neque in Divina Trinitate ſecundus locus & tertius ordo Juſtino ſunt diverſi gradûs dignitatis, ſed iſtis loqutionibus indicatur ordo duntaxat quoad originem, ſalvâ trium perſonarum conſubſtantialitate & æqualitate, ſicut docuimus ſupra, lib. 1. hujus operis, cap. 3. Et paullo poſt, in eadem Apologia, Juſtinus in doctrinis Chriſti hanc commemorat, quod Chriſtus docuerit, ſolum Deum adorandum eſſe: ὡς δὲ καὶ τὸν Θεὸν μόνον δεῖ προσκυνεῖν, οὕτως ἔπεισεν, εἰπὼν μεγίστη ἐντολή ἐστι, κύριον τὸν Θεόν σου προσκυνήσεις, καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις. id eſt; Deum porro ſolum adorandum
*Matth. 4. 10.* eſſe, ita ſuaſit, dicens; maximum mandatum eſt, Dominum Deum adorabis, & illi ſoli ſervies, ex
*Matth. 22. 21.* toto corde. &c. Et ex verbis illis Chriſti, *Reddite quæ Cæſaris ſunt, Cæſari: & quæ Dei, Deo:* infert Juſtinus hoc conſequens, ut principibus noſtris in aliis quidem læti miniſtremus, Deum autem ſolum adoremus. ὅθεν Θεὸν μὲν μόνον προσκυνοῦμεν, ὑμῖν δὲ πρὸς τὰ ἄλλα χαίροντες ὑπηρετοῦμεν, βασιλεῖς καὶ ἄρχοντας ἀνθρώπων ὁμολογοῦντες. Adorationem intellige religioſam aut ſacram quæ major ſit cultu civili; alioqui non neſciebant ſancti illi Patres adorationem civilem regibus exhiberi à ſuis ſubditis, ſine crimine, ſicut Bathsheba & Nathan adorarunt Davidem regem. 1. Regum 1. eundemque & alios Reges alii ſine culpa adorarunt.

*Theophilus Antiochenus.* 3. Theophilus Epiſcopus Antiochenus, eodem ſenſu, ſcripſit ſe honorare Regem, ſive Imperatorem, at non adorare Regem, ſed ſolum adorare Deum. τοιγαροῦν μᾶλλον τιμήσω τὸν βασιλέα, οὐ προσκυνῶν αὐτῷ, ἀλλὰ εὐχόμενος ὑπὲρ αὐτοῦ. Θεῷ δὲ τῷ ὄντως Θεῷ καὶ ἀληθεῖ προσκυνῶ, εἰδὼς ὅτι ὁ βασιλεὺς ὑπ' αὐτοῦ γέγονεν. ἐρεῖς οὖν μοι· διὰ τί οὐ προσκυνεῖς τὸν βασιλέα; ὅτι οὐκ εἰς τὸ προσκυνεῖσθαι γέγονεν, ἀλλὰ εἰς τὸ τιμᾶσθαι τῇ νομίμῳ τιμῇ. Θεὸς γὰρ οὐκ ἔστιν, ἀλλὰ ἄνθρωπος ὑπὸ Θεοῦ τεταγμένος, οὐκ εἰς τὸ προσκυνεῖσθαι, ἀλλὰ εἰς τὸ δικαίως κρίνειν. τρόπῳ γάρ τινι παρὰ Θεοῦ οἰκονομίαν πεπίστευται· καὶ γὰρ αὐτὸς οὓς ἔχει ὑφ' ἑαυτὸν τεταγμένους, οὐ βούλεται βασιλεῖς καλεῖσθαι· τὸ γὰρ βασιλεὺς αὐτοῦ ἐστιν ὄνομα, καὶ οὐκ ἄλλῳ ἔξεστιν τοῦτο καλεῖσθαι. οὕτως οὐδὲ προσκυνεῖσθαι ἀλλ' ἢ μόνῳ Θεῷ. id eſt, quæ cum ita ſint, magis honorabo Regem, non adorans eum, ſed orans pro eo. Deum autem, qui verè verus Deus eſt, adoro, ſciens Regem [ſeu Cæſarem] ab ipſo eſſe ordinatum: Dices igitur mihi; quare non adoras Regem? Quia non ad id inſtitutus eſt ut adoretur, ſed ut honore legitimo honoretur. Non enim Deus eſt, ſed homo, à Deo conſtitutus, nō ut adoretur, ſed ut juſtè judicet. Nam modo quodā à Deo commiſſa ac demandata ei eſt adminiſtratio. Etenim ipſe [Rex.] quos habet ſub ſe conſtitutos, non vult appellari Reges; Nam hoc nomen Rex, eſt ipſius nomen. Neque alii fas eſt hoc vocari. Ita neque adorandi cultum cuiquam niſi ſoli Deo exhiberi fas eſt. Hæc Theophilus, lib. 1. ad Autolycum. De hoc Theophilo ſcribit Hieronymus, in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, cap. 25. ubi ejus verba ſunt: Theophilus, ſextus Antiochenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſub Imperatore Marco Antonino Vero librum contra Marcionem compoſuit, qui uſque hodie extat. Feruntur ejus & ad Autolycum tria volumina, &c. Ex his Hieronymi verbis liquet Theophilum hunc floruiſſe, ſecundo ſeculo Chriſtiano. Cardinalis Baronius electionem ejus in Epiſcopum Antiochiæ, collocat in anno Domini centeſimo ſeptuageſimo.

4. Simonianæ magiæ diſciplina Angelis ſerviens, utique & ipſa inter idololatrias deputabatur, & à Petro Apoſtolo in ipſo Simone damnabatur, inquit Tertullianus, lib. de præſcriptionibus adverſus hæreticos, cap. 33. *Tertullianus.* Idem etiam alibi ſcribit ſecretam orationem ſive precationem religioſam à Chriſtianis offerri ſoli Deo, ubique audienti & videnti. Et quid non cæleſte (inquit) quod Domini Chriſti eſt? ut hæc quoque orandi diſciplina. Conſideremus itaque, benedicti, cæleſtem ejus ſophiam, inprimis de præcepto ſecretè adorandi: quo & fidem hominis exigebat, ut Dei omnipotentis & conſpectum & auditum ſub tectis & in abditis etiam adeſſe conſideret: & modeſtum fidei deſiderabat, ut quem ubique audire & videre ſideret, ei ſoli religionem ſuam offerret. Hæc Tertullianus, lib. de Oratione, cap. 1. ubi etiam venerationem Dei, & hominis petitionem, vocat propria orationis officia.

5. Et certè in ſacris literis, ſicut ſolum Deum jubemur adorare, ita etiam eundem ſolum invocare. Et quando imperatur indefeſſa precatio [προσευχὴ] & quando petentibus, quærentibus, pulſantibus fiunt promiſſiones, intelligitur ſemper precatio ad Deum, quamvis abſolutè, ſine additamento, ponatur nomen προσευχὴ, vel verbum προσεύχεσθαι. Quia, cum non ſit aliud religioſæ precationis objectum idoneum, perinde eſt ſive abſolutè dicatur nobis ut precemur ſeu oremus, ſive cum diſerta mentione objecti dicatur ut Deum oremus. Præcepit Dominus ut, quando oramus, oremus Patrem noſtrum cæleſtem. ὅταν προσεύχῃ, πρόσευξαι τῷ πατρί σου τῷ ἐν τῷ κρυπτῷ. Matth. 6. 6. Dixit quidam ex diſcipulis; Domine, doce nos orare [προσεύχεσθαι] quemadmodum & Joannes docuit ſuos diſcipulos. Dixit autem eis; quando oratis, dicite, [ὅταν προσεύχησθε, λέγετε] Pater noſter qui es in Cœlis, &c. Luc. 11. 1, 2. Non quod ſemper his ipſis verbis, ſed quod ſemper ad hunc modum, ſeu in hanc ſententiam, precari oporteat, nimirum ut Deum precemur, ac laudemus, ex fide petamus ab illo ut bona nobis det, & avertat mala. Narrat etiam Lucas, Chriſtum propoſuiſſe diſcipulis ſuis parabolam, πρὸς τὸ δεῖν πάντοτε προσεύχεσθαι, quod oporteat ſemper orare, hoc quid ſit, mox explicatur ipſius Domini verbis; Audite (inquit Dominus) quid judex ille iniquus dicat. Deus autem non vindicabit electos ſuos clamantes ad ipſum die ac nocte? ergo aſſiduè orare, eſt aſſiduè ad Deum clamare: & oratio eſt clamor ad Deum. Neque [enim]



minus ſibi ſoli vendicat Deus religionem precum noſtrarum, quam fidem noſtram, qua corde in illum credimus ad juſtitiam. Rom. 10. Unde etiam hoc ſoli Deo proprium eſt cognomentum, quod ſit auditor orationis, Shomeang tephillah. Pſal. 65. 3. Dicit Deus per Prophetam; Immola Deo laudem, & redde Altiſſimo vota tua Et invoca me in die anguſtiæ, & eruam te, & honorificabis me. Pſal. 50. 14, 15. Propterea orthodoxi Patres, ſacris Scripturis adhærentes, quando de hac religionis parte loquuntur quæ προσευχὴ, id eſt, oratio ſive precatio dicitur, ita eam deſcribunt, ac ſic de ea loquuntur, ut palam oſtendant ſe nullum aliud agnoſcere religioſæ invocationis ſive orationis objectum, niſi ſolum
*Tertullian.* Deum. Et hoc ſenſu Tertullianum jam audivimus dicentem, exigere à nobis Dominum, ut ſoli Deo omnipotenti religionem noſtram offeramus. *Cyprianus.* Et Cyprianus, ſcribens Donato; Tene (inquit) incorruptam, tene ſobriam religioſis virtutibus diſciplinam; ſit tibi vel oratio aſſidua, vel lectio; nunc cum Deo loquere, nunc Deus tecum. epiſt. 2. & in alia editione, lib. 2. epiſt. 2. Si quæras igitur, quid ſit orare: reſpondet Cyprianus, orare eſt cum Deo loqui. Vide in hanc ſententiam plura inferius, §. 8. & 9.

*Clemens Alexandrinus.* 6. Clemens Alexandrinus ſacram precationem docet eſſe unam ex præcipuis partibus cultûs illius qui ſoli Deo exhibendus eſt, eſſe enim optimum hoc & ſanctiſſimum ſacrificium. Verba Clementis ſunt; οὐκ ἀπεικότως ἡμεῖς δι' εὐχῆς τιμᾶμεν τὸν Θεόν· καὶ ταύτην τὴν θυσίαν ἀρίστην καὶ ἁγιωτάτην μετὰ δικαιοσύνης ἀναπέμπομεν. Non abs re nos Deum precibus honoramus: & hoc ſacrificium optimum & ſanctiſſimum cum juſtitia ſurſum mittimus [ſeu offerimus.] Et paullo poſt: βωμὸν δὲ ἀληθῶς ἅγιον τὴν δικαίαν ψυχὴν, καὶ τὸ ἀπ' αὐτῆς θυμίαμα τὴν ὁσίαν εὐχὴν λέγουσιν ἡμῖν, ἀπιστοῦσι; Aram autem verè ſanctam juſtam animam, & quod ab ea emittitur ſuffitum ſanctam dicentibus orationem, non credent? Hæc Clemens Alexandrinus, lib. 7. Stromatum, circa exitum primi quadrantis illius libri.

*Origenes.* 7. Origenes, lib. 7. contra Celſum, ſub finem libri, ait Chriſtianos recuſare colere quicquam præter Deum univerſorum Dominum, & Verbum ejus primogenitum creaturæ totius. Et lib. 8. Non diſtrahitur (inquit) ipſe [Chriſtianus] à Deo ut aliud colat ſimul cum eo, nec ſuſtinet ſervire duobus Dominis. ——— Cavemus ne cui præter Deum ſerviamus, ne nos ipſi lædamur ſeparantes nos à portione Dei. ——— Solus enim adorandus eſt Deus optimus maximus, ſoli preces offerendæ unigenito Dei Verbo, primogenito creaturæ totius, qui ut Pontifex eas ad Deum ſuum & Deum noſtrum perferat. Et homil. 6. in librum Jeſu Nave; Interrogat [Jeſus Nave, ſive Joshua] & perquirit dicens, *Noſter es, an adverſariorum?* at ille ait; *Ego ſum princeps militiæ virtutis Domini.* Et cum hoc audiſſet, adoravit Jeſus, & dixit, Domine, quid præcipis ſervo tuo? quid eſt quod nos per hoc edocet Jeſus? Illud ſine dubio quod dicit Apoſtolus, Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſunt. Cognovit ergo Jeſus non ſolum quod ex Deo eſt, ſed quia Deus eſt. Non enim adoraſſet, niſi agnoviſſet Deum. quis enim alius eſt princeps militiæ virtutum Domini, niſi Dominus noſter Jeſus Chriſtus? Et homil. 5. in diverſos. *Venit ad eum leproſus adorans eum.* Antequam peteret, adorare cœpit: antequam rogaret, culturam oſtendit. Adoravit eum. Pro hoc ipſo Deum & Dominum eum invocans adorabat eum. Hæc Origenes. Vide etiam ſuprà, cap. 2. §. 33. & §. 35. Euſebius Cæſarienſis, lib. 1. demonſtrationis Evangelicæ, cap. 3. ait de Chriſtianis, εὐχὰς ἀνάγοντας δὲ οὐκ ἔτι πολλοῖς κυρίοις, ἑνὶ δὲ τῷ μόνῳ κυρίῳ κατὰ τὸ ἱερὸν λόγιον. id eſt, vota [ſeu preces] afferunt, non amplius pluribus Dominis, ſed uni ſoli Domino, ſecundum ſacrum oraculum. *Euſebius Cæſarienſ.*

8. Conſtantini Magni preces privatas deſcribens idem Euſebius, lib. 4. de vita Conſtantini, cap. 21. ait; μόνος μόνῳ τῷ αὐτοῦ συνεγίνετο Θεῷ. ſolus cum ſolo Deo ſuo colloquium habebat. *Conſtant. Magn. Imperat.* Et Ephræm Syrus, ſermone de agone ſpirituali, [tom. 2. pag. 484. edit. 3. Colon.] Orationes (inquit) ſunt familiaria cum Deo colloquia. *Ephræm Syrus.* Omnis quippe ſancta & pura Oratio, confabulatio cum Deo eſt. Hæc ille. Eodem modo orationem definit magnus Baſilius Cæſariæ Cappadociæ Epiſcopus, homil. in martyrem Julittam, *Baſilius Magnus.* προσευχή ἐστιν αἴτησις ἀγαθοῦ, παρὰ τῶν εὐσεβῶν εἰς Θεὸν γινομένη id eſt; oratio eſt boni cujuſpiam petitio, quæ ad Deum à piis effunditur. Et Gregorius Epiſcopus Nyſſenus, libro 2. de oratione Dominica, *Gregorius Nyſſenus.* προσευχή ἐστιν αἴτησις ἀγαθῶν μετ' ἱκετηρίας προσαγομένη Θεῷ. id eſt; Oratio eſt petitio bonorum, quæ Deo cum ſupplicatione offertur. Idem, eodem libro, gratiarum actionem & precationem vocat, τὴν πρὸς τὸν Θεὸν ὁμιλίαν, ſermocinationem cum Deo. Idem etiam Nyſſenus, lib. de inſcriptionibus Pſalmorum, cap. 3. ἡ προσευχὴ ἱκετηρία ἐστὶ περί τινος τῶν συμφερόντων προσαγομένη Θεῷ. id eſt; Oratio eſt ſupplicatio ad Deum pro re aliqua nobis conducibili. Sic Nilus ille *Nilus Cp.* Conſtantinopolitanus monachus, qui B. Chryſoſtomi diſcipulus fuiſſe memoratur; Oratio (inquit) eſt colloquium mentis cum Deo. quo igitur ſtatu oportet eſſe mentem, ut poſſit uſque ad Dominum ſuum extendi, & non converti retro, cum eoque ſine ullo ſequeſtre & interprete colloqui? Hæc Nilus, lib. de oratione, cap. 2. [in bibliotheca Patrum, tom. 5. col. 328. edit. 4.]

9. Nec aliter Chryſoſtomus, qui ſub initium libri ſecundi de oratione [περὶ προσευχῆς] ait, *Johannes Chryſoſtomus.* πᾶς προσευχόμενος, τῷ Θεῷ διαλέγεται. id eſt; quicunque orat, cum Deo colloquitur. Idem etiam paullò poſt initium libri primi ejuſdem operis; Nos decet (inquit) obtemperantes Deo, ſemper omnem vitam in laudibus Dei precibuſq; tranſigere, majore ſtudio curam agentes divini cultûs [τῆς τοῦ Θεοῦ λατρείας] quam vitæ noſtræ. Plurima in eodem libro lector inveniet, hoc ſpectantia, quibus ſacras preces docet Chryſoſtomus eſſe cultum divinum, ſoli Deo exhibendum.

10. Lactantius ait, lib. 1. divinarum inſtitutionum, cap. 20. *Lactantius.* Religio & veneratio nulla alia niſi unius Dei tenenda eſt. Et Hilarius, lib. 8. de Trinitate, circa medium libri; *Hilarius Pictavienſis.* Non ignoras (inquit) quin in maledicto ſit religio creaturæ.

11. Concilii Laodiceni canon eſt 35. *Concil. Laodicen. can. 35.* ὅτι οὐ δεῖ Χριστιανοὺς ἐγκαταλείπειν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ, καὶ ἀπιέναι, καὶ ἀγγέλους ὀνομάζειν, καὶ συνάξεις ποιεῖν, ἅπερ ἀπηγόρευται. Εἴ τις οὖν εὑρεθῇ ταύτῃ τῇ κεκρυμμένῃ εἰδωλολατρείᾳ σχολάζων, ἔστω ἀνάθεμα, ὅτι ἐγκατέλιπε τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, καὶ εἰδωλολατρείᾳ προσῆλθεν. id eſt, Non oportet Chriſtianos Eccleſiam Dei relinquere, & abire, & Angelos nominare, & congregationes facere, *Idololatria eſt invocare Angelos.* quæ prohibita ſunt. Si quis igitur inventus fuerit huic occultæ idololatriæ vacans, anathema ſit; quia dereliquit Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum,

ſtum, Filium Dei, & idololatriæ ſe tradidit. Variè ſed incaſſum ſe torquent Romanenſes, ut genuinum canonis hujus ſenſum pervertant: audiamus autem Theodoretum; qui legem defendebant (inquit) eos etiam ad Angelos colendos inducebant, dicentes fuiſſe legem per eos datam. Manſit autem diu hoc vitium in Phrygia & Piſidia. quocirca Synodus quæque quæ convenit Laodiceæ, quæ eſt Phrygiæ Metropolis, lege prohibuit ne precarentur Angelos. Et in hodiernum uſque diem licet videre apud illos & eorum finitimos oratoria ſancti Michaelis. Illi ergo hoc conſulebant utique humilitate utentes, dicentes univerſorum Deum nec cerni, nec comprehendi, nec ad eum poſſe perveniri: & oportere per Angelos divinam ſibi benevolentiam conciliare. Hæc Theodoretus, in epiſtolam Pauli ad Coloſſenſes, cap. 2. in illa Apoſtoli verba [*volens in humilitate & religione Angelorum, &c.*] Illi Angelorum cultores dicti ſunt Angelici, hoc damnatæ eorum ſectæ fuit vocabulum. Angelici (inquit Auguſtinus) in Angelorum cultu inclinati, quos Epiphanius jam omnino defeciſſe teſtatur. Hæc Auguſtin. hæreſ. 39.

*Theodoretus in cap. 2. epiſt. ad Coloſſ.*

*Col. 2. 18.*

*Angelici.*

*Effugiunt Romanenſium ſubterfugia.*

12. Circumſpectant Romanenſes diverſas latebras, in quas ab hac luce ſe abdant. Alii prohiberi ajunt à Patribus Laodicenis cultum malorum Angelorum, non autem bonorum. At eos refellunt tum Theodoreti, tum etiam ipſius canonis Laodiceni verba, quæ dum prohibent cultum Angelorum, cultores illos non revocant ad cultum bonorum Angelorum, ſed ad Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui (ut loquitur Apoſtolus Petrus) ſemel pro peccatis mortuus eſt, juſtus pro injuſtis, ut nos ad Deum adduceret [ἵνα ἡμᾶς προσαγάγῃ τῷ Θεῷ.] Alii bonorum Angelorum cultum à Laodicena Synodo damnatum eſſe fatentur, ſed ideo id factum eſſe ajunt, quia hæretici illi colebant Angelos cultu latriæ. At certè ſi cultus latriæ accipiatur pro cultu quem ſoli Deo exhibere fas eſt, fatemur hæreticos illos exhibuiſſe Angelis cultum latriæ, & dicimus eandem latriam Romanenſes ſeipſa etiam exhibere Angelis, quicquid dicant verbis; nam eis oratoria exſtruunt, ibique eos religioſo cultu adorant & invocant: talem autem cultum meræ alicui creaturæ exhibere nefas eſt. Verum ſi latriam accipias prout eam explicat Bellarminus, lib. de beatitudine ſanctorum, cap. 12. & lib. de imaginibus, cap. 24. hæretici illi Angelici non latriâ colebant Angelos, ſed tantum eo cultu quem Romanenſes vocant duliam & ipſi Angelis exhibent. Nam, ut ibi latriam deſcribit Bellarminus, latria eſt quædam ſumma voluntatis proſtratio, & inclinatio cum apprehenſione Dei, ut primi principii, & ultimi finis, atque adeo ſummi boni. Neque eſt cultus veræ latriæ qui exhibetur alicui, propter aliud. Angelici autem illi hæretici colebant Angelos propter Deum, neque Angelos putabant eſſe primum principium, & ultimum finem, & ſummum bonum, ſed dicebant oportere per Angelos divinam ſibi benevolentiam conciliare. quo argumento hodieque utuntur Romanenſes, pro invocatione Angelorum. quamvis enim non expreſsè dicant Deum non eſſe immediatè acceſſibilem, nec aliter ad eum veniri, niſi per cultum inferiorum virtutum, (qua excuſatione Romanenſes defendere nititur Bellarminus, lib. de ſanctorum beatitudine, cap. 20.) dicunt tamen Angelos & ſanctos religioſè coli & invocari debere, ut per eos, tanquam Patronos, divinam nobis benevolentiam conciliemus. Hæc ipſa autem eſt praxis illa quam in Angelicis hæreticis damnavit Laodicena Synodus, ut abominandam idololatriam. Sicut enim mulier adultera eſt, quæ ſe alieno viro denudat, quamvis dicat ſe id facere ei non ut marito ſuo, ſed ut amico mariti, idque etiam propter ipſius mariti amorem; nam tale obſequium amico mariti præbere nefas eſt: ſic etiam idololatra eſt, qui Angelis vel ſanctis vel alicui meræ creaturæ exhibet religioſam adorationem, ſecretam orationem, ſeu preces ſacras, aut ejuſcemodi aliquem religioſum cultum ſive internum ſive externum, quem Deus lege ſua ſibi ſoli reſervavit, quamvis dicat ſe hunc cultum exhibere creaturis illis, non ut Deo, ſed ut amicis Dei, & propter amorem Dei: hujuſmodi enim officia erga Dei amicos non ſunt licita.

*1. Petr. 3. 18.*

*Obſerva fraudem Romanenſium de cultu latriæ.*

13. Celſus, homo Ethnicus, pro cultu plurium Deorum ita argumentabatur, ut diceret, eum qui plures Deos veneretur, hoc ipſo rem gratam ſummo Deo facere, quod nemini honor contingat, niſi quem ille honorari vult: quapropter qui veneratur ejus ſubditos, non offendere illum cujus omnes ſunt. ſicut legimus apud Origenem ſub finem libri 7. & initio libri octavi contra Celſum. Ut autem ovum ovo, ita huic Ethnicorum argumento ſimile eſt illud Romanenſium argumentum, pro adoratione & invocatione Angelorum & ſanctorum defunctorum, quo utitur Catechiſmus Romanus, part. 3. cap. 2. quæſt. 4. & Bellarminus, lib. de ſanctorum beatitudine, cap. 20. nempe, ſicut non facit contra Regis voluntatem qui Regis magiſtratibus honorem defert, neque fit injuria, ſed honor regibus, quando eorum amici honorantur, & ad eos legati mittuntur: ita non fieri contra Dei voluntatem, neque Deo injuriam ſed honorem deferri, quando Angeli & ſancti, non ut Dii, ſed ut amici Deo honorantur, & tanquam Patroni apud Deum accipiuntur. Reſponſio Origenis ad Celſum, idonea eſt etiam contra Romanenſes; Origenes ait; Cum autem dicit [Apoſtolus Paulus,] Nobis tamen unus Deus Pater ex quo omnia, vocem hanc Nobis, dicit de ſeipſo, & omnibus qui aſcenderunt ad ſummum Deum Deorum, & ad ſummum Dominum Dominorum: aſcendit autem ad ſummum Deum is, qui eum inſeparabiliter & indiviſibiliter colit per Jeſum Dei Filium, cujus ſolius ductu pervenitur ad Patrem, per cujus Verbi ac Sapientiæ contemplationem modis omnibus conciliamur, tam doctrinâ quam operibus & cogitationibus, Deo Conditori rerum omnium. ——Nos nihil non facimus, ut non ſolum adſcendamus ſuper omne quicquid in terra pro diis colitur à gentibus, verum etiam ſuper eos quos Scriptura Deos nominat, de quibus nihil ſciunt qui ſunt alieni à teſtamentis Dei per Moſen & Jeſum Servatorem noſtrum proditis, ad quos promiſſiones in his ſignificatæ nihil pertinent. ——Non diſtrahitur ipſe [Chriſtianus] à Deo, ut aliud colat ſimul cum eo, nec ſuſtinet ſervire duobus Dominis. Non eſt igitur ſeditioſa vox ſic ſentientium, & nolentium ſervire Dominis pluribus, contentorum uno Domino Jeſu Chriſto, cui ſervientes erudiuntur ab eo, ut eruditi digni reddantur regno Dei & Patris. Hæc Origenes, lib. 8. contra Celſum. Summa eſt, Nos pervenire ad Patrem ductu ſolius Domini noſtri Jeſu Chriſti, tanquam conciliatoris & Patroni noſtri apud Deum, qui etiam nos docuit ſolum



Deum colere per Jeſum Chriſtum; ergo neque Dei voluntati, neque hominum officio convenit religioſa adoratio cujuſcunque meræ creaturæ, quamvis non intendas creaturam illam colere ut Deum, ſed ut amicum Dei. Neque adjuvat Romanenſium cauſſam illa Bellarmini inepta argumentatio, (loco citato) à poſtulatione illa precum inter viatores, qua alii aliorum preces pro nobis fieri invicem poſtulamus: ſicut oſtendimus ſupra, cap. 1. hujus libri, §. 21. & §. 22. & cap. 2. §. 1.

14. Auctor Commentarii in epiſtolam ad Romanos, qui Ambroſio tribuitur, redarguens ſtultitiam Ethnicorum qui Dei honorem elementis & ſideribus impertiebantur, narrat eadem etiam uſos eſſe excuſatione, qua olim Angelici hæretici & nunc Papiſtæ utuntur, pro religioſâ adoratione & invocatione Angelorum & defunctorum ſanctorum, eamque refellit. Solent tamen (inquit) pudorem paſſi neglecti Dei, miſerâ uti excuſatione, dicentes per iſtos poſſe ire ad Deum, ſicut per comites pervenitur ad Regem. Age, numquid tam demens eſt aliquis, aut ſalutis ſuæ immemor, ut honorificentiam Regis vindicet comiti, cum de hac re ſiqui tractare fuerint inventi, jure ut rei maieſtatis damnentur. Et iſti ſe non putant reos, qui honorem nominis Dei deferunt creaturæ, & relicto Domino conſervos adorant, quaſi ſit aliquid plus quod reſervetur Deo. Nam & ideo ad Regem per tribunos aut comites itur; quia homo utique eſt Rex, & neſcit quibus debeat rempublicam credere. Ad Deum autem, quem ubique nihil latet (omnium enim merita novit) promerendum, ſuffragatore non opus eſt, ſed mente devotâ. Ubicunque enim talis loquutus fuerit ei, reſpondebit illi. Hæc auctor illius Commentarii, in cap. 1. epiſt. ad Romanos. Ad hunc locum reſpondet Bellarminus, lib. de ſanctorum beatitudine, cap. 20. Loqui auctorem hunc contra Ethnicos. fatemur. at validaeſt ejus argumentatio ad refellendum omnes eos qui religioſo honore conſervos adorant, hac intentione ut eos habeant pro ipſis ſuffragatores apud Deum; id quod faciunt Papiſtæ adorantes atque invocantes Angelos & defunctos ſanctos. Addit ibidem Bellarminus, Ambroſium alibi, nempe lib. de viduis, docere ex parte noſtri opus eſſe ſuffragatoribus, vel ſaltem id eſſe utiliſſimum. de quo loco dicemus ſequente capite, §. 14. Interim habemus, non eſſe adorandos conſervos, ut eorum ſuffragiis potiamur; & menti devotæ patere acceſſum ad Deum ſine tali ſuffragatore.

15. Convenit illud Chryſoſtomi; Cæterum (inquit) non opus tibi Patronis apud Deum, & multo diſcurſu, ut blandiare aliis: ſed licet ſolus ſis, Patronoque careas, & per teipſum Deum preceris, omnino tamen voti compos eris. Neque enim tam facilè Deus annuit, quum alii pro nobis orant, ut cum ipſimet oramus, etiamſi plurimis pleni ſimus malis. ——Cum hæc omnia nos ignoremus, poſthac, licet peccatores ſimus, & indigni in quos conferantur beneficia; licet ſoli ſimus & interceſſoribus careamus, ne defatigemur orando, ne deſpondeamus animum: ſcientes, magnum apud Deum patrocinium eſſe per ſemetipſum, magna alacritate ad Deum contendere. Hæc Chryſoſtomus in ſermone de profectu Evangelii.

16. Catholici Patres diſſerentes contra Arianos, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Deum eſſe, & non creaturam eſſe, demonſtrant hoc argumento, quia adorandus eſt, religioſâ adoratione, juxta illud quod ſcriptum eſt, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Unde Patres hoc conficiunt argumentum; Qui adorandus eſt, is Deus eſt: at Dominus noſter Ieſus Chriſtus adorandus eſt: ergo Dominus noſter Ieſus Chriſtus Deus eſt. Item; Creatura non adoratur: Filius adoratur; ergo Filius non eſt creatura. Neque reſervant Patres ullam ſpeciem ſacræ adorationis quæ Angelis vel ſanctis exhibeatur, dicaturque dulia, vel alio vocabulo nuncupetur, ſed omnem religionem, omnem ſacram adorationem, ſoli Deo ſimpliciter vindicant. id quod ipſorum teſtimonia, quæ hic ſubjiciam, palam oſtendunt.

*Chriſtus eſt adorandus: ergo eſt Deus.*

*Matth. 4. 10.*

*Chriſtus adoratur; ergo non eſt creatura.*

*Vide lib. 1. cap. 15. §. 8. & §. 2.*

17. Athanaſius, orat. 3. contra Arianos, longè ante medium; Filium (inquit) eum ſibi eſſe & ſolum & proprium, oſtendit Pater, dicens, *Filius meus es tu.* Et rurſum, *hic eſt Filius dilectus meus, in quo mihi complacui.* Ideoque inſerviebant ei Angeli, ut diverſo ab illis: & adoratur ab eis [καὶ προσκυνεῖται παρ᾽ αὐτῶν] non ut gloriâ major, ſed ut alius, diſcretus ſejunctuſque à conditione omnium creaturarum, ipſorumque adeo Angelorum, ſolus Patris proprius ſecundum ſubſtantiam Filius. Si enim ideo quia gloriâ ſublimior eſt, adoretur, par eſſet, ut unuſquiſque inferior adoraret ſuperiorem: ſed non ita eſt: creaturam enim creatura non adorat [κτίσμα γὰρ κτίσμα οὐ προσκυνεῖ] ſed ſervus Dominum, & creatura Deum. Petrus ideo Apoſtolus adorare volentem Cornelium inhibuit, dicens; quoniam *& ego homo ſum.* Angelus quoque Johannem in Apocalypſi ſe adorare volentem inhibuit, dicens: *vide ne feceris; conſervus enim tuus ſum, & fratrum tuorum Prophetarum, & ſervantium verba codicis hujus: Deum adora.* quocirca ſolius Dei eſt adorari [μόνου Θεοῦ ἐστι μόνον τὸ προσκυνεῖσθαι] & hoc ſciunt etiam ipſi Angeli, qui quanquam ſe invicem gloriâ tranſcendant, omnes tamen ſunt creaturæ, neque ſunt in claſſe adorandorum, ſed adorantium Dominum [καὶ οὐκ εἰσὶ τῶν προσκυνουμένων, ἀλλὰ τῶν προσκυνούντων τὸν Δεσπότην.] —Etiamſi Ariani rumpantur, non ipſe [Chriſtus] adoratus fuiſſet, non iſta de eo dicta fuiſſent, ſi ullo modo creatura fuiſſet: nunc autem, quia creatura non eſt, ſed proprium ex ſubſtantia adorandi Dei germen, & naturalis Filius, propterea adoratur, & Deus creditur. [καὶ οἱ Ἀρειανοὶ ἐν τούτῳ διαῤῥηγνύωσιν ἑαυτούς, οὐκ ἂν ᾗ εἰ αὐτὸς προσεκυνήθη, οὐδὲ τοιαῦτα ἐλέγετο περὶ αὐτοῦ, εἰ ὅλως ἦν τῶν κτισμάτων. νῦν δὲ, ἐπειδὴ οὐκ ἔστι κτίσμα, ἀλλ᾽ ἴδιον τῆς οὐσίας τοῦ προσκυνουμένου Θεοῦ γέννημα, καὶ φύσει υἱός ἐστι, διὰ τοῦτο προσκυνεῖται, καὶ Θεὸς πιστεύεται.] Hæc ibi. Idem Pater, orat. 4. contra Arianos, hoc argumento probat Angelum illum, qui à Jacobo Patriarcha, nepotibus ſuis benedicente, invocatur, non eſſe aliquem ex Angelis creatis, ſed eſſe ipſum Dei Verbum; quia non conjunxiſſet Jacob creatum aliquem Angelum, cum Deo in ſuis precibus. Invenies ipſius Athanaſii hæc de re verba, à nobis citata, lib. 1. hujus operis, cap. 32. §. 9. Unde refellitur perverſa illa Romanenſium expoſitio, in Catechiſmo Romano, part. 3. cap. 2. quæſt. 3. ubi verba illa Jacobi Patriarchæ benedicentis Ephraimo & Manaſſi, citantur pro invocatione creatorum Angelorum.

*Athanaſius.*

*Pſal. 2. 7. Matth. 3. 17.*

*Act. 10. 26.*

*Apocal. 22. 9.*

*Geneſ. 48. 15, 16.*

*Refutatur perverſa expoſitio Romanenſium.*

18. Baſilius Cæſarienſis, Valentis Imperatoris Ariani Præfecto, jubenti ut Imperatoris amplecteretur religionem, reſpondit; Non ſuſtineo creaturam

*Baſilius Cæſarienſis, & Greg. Nazianz.*

creaturam aliquam adorare, [Greek illegible] ac ſi dixiſſet, cum Chriſtum adoremus, neceſſe eſt Deum illum eſſe fateamur, non autem creaturam, ut dictitant Ariani. Hoc de Baſilio refert Gregorius Nazianzenus, orat. 20. quæ eſt in Baſilium. Ubi ipſius etiam Nazianzeni habemus judicium. Idem etiam Baſilius magnus, lib. 5. contra Eunomium, cap. 12. Credendum docet, εἰς Θεὸν καὶ Λόγον καὶ Πνεῦμα, μίαν οὖσαν Θεότητα, τὴν καὶ μόνην προσκυνουμένην, id eſt, in Deum & Verbum & Spiritum, unam Deitatem, quæ etiam ſola adoranda eſt. Et hoc etiam argumento Spiritum Sanctum eſſe Deum docet Gregorius Nazianzenus, orat. 37. quæ eſt de Spiritu Sancto; εἰ δὲ προσκυνητόν, πῶς οὐ σεπτόν; εἰ δὲ σεπτόν, πῶς οὐ Θεός; id eſt; Si autem adorandus, quomodo non religioſè colendus? ſi verò religioſè colendus, quomodo non Deus eſt? Hæc ibi Nazianzenus.

*Epiphanius.* Similiter etiam de Filio argumentatur Epiphanius, in Ancorato, num. 50. Stultum eſt (inquit) creaturam ullam adorare, ac primum illud violare præceptum; Dominus Deus tuus, Deus unus eſt. Proinde ſanctum Dei Verbum, cum ſit adorandum, creatum eſſe non poteſt. [Greek illegible]

*Ambroſius.* 19. Ambroſius, lib. 5. de fide, cap. 4. in fine capitis, eodem utitur argumento; Aut dicant (inquit) quid aliud ſentiant, quidve arbitrentur cum *Matth. 4. 10.* legimus; *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies:* utrum Chriſtum non adorandum, & Chriſto non exiſtiment ſerviendum? quod ſi illa quæ adoravit eum Chananæa impetrare meruit quod popoſcit, & Paulus Apoſtolus, qui ſervum ſe Chriſti primâ ſcriptorum ſuorum præfatione profitetur, Apoſtolus eſſe meruit, non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum: dicant quid arbitrentur ſequendum: utrum cum Ario malint ſibi ſocietatem eſſe perfidiæ, ut ſolum & verum Deum Chriſtum negando, oſtendant quod nec adorandum eum, nec ſerviendum ei judicent: an verò conſortium malint habere cum Paulo, qui ſerviendo atque adorando etiam Chriſtum, utique ſolum verum Deum voce affectuque non diffitebatur, quem pio ſervitio fatebatur. Hæc ibi. Idem Pater, lib. 3. de Spiritu Sancto, cap. 12. qua ratione (inquit) ad incarnationis Dominicæ ſacramentum ſpectare *Pſal. 98. 5.* videatur quod ait Propheta, *Adorate ſcabellum pedum ejus,* conſideremus. Non enim ex uſu hominum æſtimare debemus ſcabellum. Neque enim corporalis Deus, aut non immenſus, ut tanquam fulcrum pedibus ejus ſcabellum ſubjectum putemus. Neque adorandum quidquam *Deut. 6. 13. Matth. 4. 10.* præter Deum legimus, quia ſcriptum eſt, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* quomodo ergo adverſus legem Propheta præciperet, ſub lege nutritus, & eruditus in lege? Non mediocris igitur quæſtio, & ideo diligentius conſideremus quid ſit ſcabellum. Legimus enim *Eſai. 66. 1.* alibi; *Cœlum mihi thronus, terra autem ſcabellum pedum meorum.* Sed nec terra adoranda nobis, *Creatura non eſt adoranda. Scabellum pedum Domini.* quia creatura eſt Dei. Videamus tamen ne terram illam dicat adorandam Propheta, quam Dominus Jeſus in carnis aſſumtione ſuſcepit. Itaque per ſcabellum terra intelligitur, per terram autem caro Chriſti, quam hodie quoque in myſteriis adoramus, & Apoſtoli in Domino Jeſu adorarunt. Ac ne quis hoc derivet ad Mariam Vir- *Virgo Maria non eſt adoranda.* ginem. Maria erat templum Dei, non Deus templi. Et ideo ille ſolus adorandus qui operabatur in templo. Hactenus Ambroſius. Similiter Auguſtinus, in Pſal. 98. ſcabellum pedum Domini quod adorandum eſt, interpretatur carnem Chriſti.

20. Epiphanius, hæreſi 78. reprehendens Collyridianos adorantes Mariam Virginem, Non convenit (inquit) honorare ſanctos ultra decorum, ſed honora ipſorum Dominum. Reſpondet Bellarminus [lib de reliquiis & imaginibus, cap. 16.] Epiphanium reprehendiſſe Collyridianos, non quod imaginem B. Virginis, & ipſam Virginem honorarent, ſed quod haberent pro Dea, eique ſacrificium offerrent. Certè eos reprehendit Epiphanius, quod Mariam Virginem collyridis oblatione aliiſque eorum ritibus colerent. id autem non faciendum eſſe docet Epiphanius, hæreſ. 78. & hæreſ. 79. hoc argumento; Beata Virgo Maria non eſt adoranda: ergo non eſt Collyridianorum ritibus colenda. Antecedens probat Epiphanius; quia ſolus Deus adorandus eſt; Maria autem non eſt Deus. Vide ſupra, lib. 4. hujus operis, cap. 8. ubi Epiphanii verba prolixius recitantur. Vide etiam lib. 1. cap. 13. §. 8. ubi invenies verba Cyrilli Alexandrini, quibus oſtendit, adorationem eſſe idoneum argumentum Deitatis, cum lex apertè clamet, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Et hinc probat, Chriſtum eſſe Deum, quia adorandus eſt. Ut autem in precatione omni, Dei genetrix nominaretur, & divinum ejus nomen invocaretur, [Greek illegible] in Eccleſiam à Petro Gnapheo hæretico introductum eſſe ſcribit Nicephorus Calliſti, lib. 15. cap. 28.

21. Baſilius Seleucienſis, orat. 9. quæ eſt in Moſen; Hic eſt conſcriptor (inquit) qui primus auctorem univerſi Deum eſſe hominibus inclamavit, fuitque auctor, ne à Creatore ad creaturam religioſus cultus transferatur, qui docuit non adorare conſervam [Greek illegible] inquiens, *In principio creavit Deus Cœlum & terram.* Si miraris, o dilecte, ea quæ creata ſunt, adora eorum opificem [Greek illegible] Si delectaris creaturis, non inhonores [μὴ ἀτιμάσῃς] Creatorem, neque Conditoris gloriam eis quæ facta ſunt circumponas. Nam religioſum cultum, qui Creatori debetur, recuſat ſuſcipere creatura. Hunc perhorreſcit honorem, ut exitiale malum. Adorare nata eſt, non didicit adorari [Greek illegible] Hæc Baſilius Seleuciæ in Iſauria Epiſcopus.

22. Hieronymus ait; Nos autem, non dico martyrum reliquias, ſed ne Solem quidem & Lunam, non Angelos, non Archangelos, non Cherubim, non Seraphim, & omne nomen quod nominatur & in præſenti ſeculo & in futuro, colimus & adoramus, ne ſerviamus creaturæ potius quam Creatori, qui eſt benedictus in ſecula: honoramus autem reliquias martyrum, ut eum cujus ſunt martyres adoremus. Hæc Hieronymus, ad Riparium, adverſus Vigilantium, cujus epiſtolæ initium eſt; Acceptis primùm literis. Idem, ſequente tractatu adverſus eundem Vigilantium, Catholicis objicientem quod reliquias martyrum non ſolum honorarent ſed etiam adorarent; quis enim (inquit) ô inſanum caput, aliquando martyres adoravit? quis hominem putavit Deum? his verbis Hieronymus ſimpliciter negat ab orthodoxis adorari martyres, idque validiſſimo confirmat argumento, quia id fieri ſine idololatria non poteſt, quandoquidem ſolum



Deum adorare fas eſt. Et hoc ibidem illuſtrat duobus hiſtoricis exemplis ex libro actuum Apoſtolorum, cap. 10. ubi Petrus à Cornelio, & cap. 14. ubi Paulus & Barnabas à Lycaonibus ſe adorari non paſſi ſunt. Ex quorum duorum exemplorum collatione patet, non ſolum pecudis ſacrificationem, (cap. 14.) ſed etiam ſimplicem adorationem religioſam (cap. 10.) quando creaturæ exhibetur, eſſe idololatriam: etiamſi creaturam illam, quam adoras, non exiſtimes eſſe Deum. Nam idololatria eſt, non ſolum quando adoratur idolum pro Deo, ſed etiam quando religioſè adoratur aliud cum Deo, qui honorem ſuum non dabit alteri (Eſai. 42. 8.) Sicut adulterium eſt, ſi uxor cum marito vivat more ſolito, & interim cum alio habeat conſuetudinem, quem novit non eſſe ſuum maritum. Vide 2. Reg. 17. verſ. 33. & 34. Vide etiam ſupra, §. 12.

23. Auguſtinus, lib. 20. contra Fauſtum, cap. 21. cum dixiſſet Chriſtianos ſervitute illa propriè Divinitati debita nec colere, nec colendum docere, niſi unum Deum; adfert è ſacris literis exempla; nempe illud de Paulo ac Barnaba & Lycaoniis, & illud de Angelo in Apocalypſi qui ſe adorari prohibuit. Idem, lib. de vera religione, cap. 55. Honoramus (inquit) Angelos charitate, non ſervitute. Nec eis templa conſtruimus. Nolunt enim ſic ſe honorari à nobis, quia nos ipſos, cum boni ſumus, templa ſummi Dei eſſe noverunt. Rectè itaque ſcribitur hominem ab Angelo prohibitum ne ſe adoraret, ſed unum Deum ſub quo ei eſſet & ille conſervus. Hæc ibi. Superius autem ibidem dixerat, quod colit ſummus Angelus, id colendum etiam eſſe ab homine ultimo; & Sapientiam Dei, aſſumendo naturam humanam, non docuiſſe id eſſe homini colendum, quod ab omni creatura intellectuali & rationali colendum eſt: cujus contemplatione, non autem Angelorum contemplatione, beati ſumus. Errant igitur Pontificii illi qui dicunt Angelum noluiſſe adorari ab Apoſtolo Joh. propter dignitatem ejus Apoſtolicam, non autem propterea quod homo etiam ultimus ſolum Deum, non autem Angelum, adorare debeat.

24. Idem Auguſtinus, lib. de Paſtoribus, cap. 8. Noli (inquit) putare injuriam facere te montibus ſanctis, quando dixeris, Auxilium meum non à montibus, ſed à Domino qui fecit cœlum & terram. Ipſi montes hoc tibi clamant. Mons erat qui clamabat; Audio in vobis ſchiſmata fieri, ut unuſquiſque veſtrum dicat, Ego ſum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ, ego autem Chriſti. Leva oculos *1. Cor. 1. 11, 12, 13.* in iſtum montem, audi quid dicat, & ne in ipſo remaneas. Audi etiam quid ſequatur; Nunquid Paulus crucifixus eſt pro vobis? Ergo poſteaquam levaveris oculos tuos in montes, unde veniet au- *Pſal. 121. 1.* xilium tibi, id eſt, in auctores Scripturarum divinarum, attende omnibus medullis tuis, omnibus *Pſal. 35. 10.* oſſibus clamantem, Domine quis ſimilis tibi? ut *Pſal. 121. 2.* ſecurus ſine ulla injuria montium dicas; Auxilium meum à Domino qui fecit Cœlum & terram. Non ſolum tunc tibi non ſuccenſebunt montes, ſed tunc amabunt, tunc magis favebunt: ſi in ipſis ſpem tuam poſueris, contriſtabuntur. Ange- *Non eſt ponenda ſpes in Angelis, vel ſanctis.* lus multa divina & mira oſtendens homini, ab homine adorabatur, tanquam levante oculos in montem, ait ille ſed revocans ad Dominum, Noli, inquit, facere, illum adora: nam ego conſervus *Apocal. 22. 9.* tuus ſum, & fratrum tuorum. Hactenus Auguſtinus. Vide ſupra, in fine §. 19. & cap. 2. §. 20, & 21. *Leo.*

25. Leo, hujus nominis primus, Papa Romanus, ſerm. 2. in nativitate Domini, prope finem; Adoretur Dominus, qui condidit, non creatura, quæ ſervit.

26. Theodoretus, de Græcarum affectionum *Theodoretus.* curatione, lib. 2. haud procul ante finem libri; Nos autem (inquit) nihil eorum quæ oculis cerni poſſunt, Deum eſſe aſſerimus [θεολογοῦμεν.] Illos autem homines qui virtute aliqua clariores fuerunt, tanquam viros optimos honoramus [ὡς ἄνδρας ἀρίστους γεραίρομεν.] ſolum verò adoramus [προσκυνοῦμεν] univerſorum Deum ac Patrem, & illius etiam Verbum, ac Sanctiſſimum Spiritum. Hæc ille. Ex cujus ſententia, quicquid religioſè adoratur, illud revera eo ipſo aſſeritur eſſe Deus, [θεολογεῖται,] quibuſcunque tandem ludas vocabulorum præſtigiis.

27. Carolus M. in Capitulari, cum ter-cen- *Carol. M. cum Concilio Francofurt.* tum Epiſcopis in Francofurtenſi Concilio congregatis, lib. 1. cap. 1. ait; Non mediocris eſt error, cum aliud adoratur religionis cultu, quam is *Matth. 4. 10.* qui dixit, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Hæc Carolus, cum Concilio Francofurtenſi, quod celebratum eſt anno Domini 794.

## CAPUT QUINTUM.

*Vindiciæ Scripturarum & Patrum, quibus conantur Romanenſes ſententiam ſuam ſufflaminare.*

BEllarmini verba ſunt; Abraham pronus in terram adoravit Angelum, Geneſ. 18. Et ſimiliter fecit Loth, Geneſ. 19. Sed, quia poſſet reſponderi, tam Abrahamum, quam Loth, non cognoviſſe Angelos, ſed homines putaſſe initio, cum eos adoraverunt, & civiliter tantum adoraſſe; proferamus loca clariora. Hæc Bellarmin. lib. de Sanctorum beatit. cap. 13. aliam etiam reſponſionem vide ſupra, lib. 1. cap. 14. Audiamus igitur loca quæ ipſis videntur clariora.

2. Catechiſmus Romanus ait; Invocationis Angelorum extant divinæ Scripturæ teſtimonia. Jacob enim, ab Angelo, quocum luctatus fuerat, petit ut ſibi benedicat, imò etiam cogit; ſe enim non dimiſſurum eum profitetur, niſi benedictione accepta: neque ſolum ſibi ab eo tribui, quem intuebatur, ſed ab eo etiam quem minime videbat, tum cum dixit; Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis. Catech. Rom. part. 3. cap. 2. quæſt. 4. Poſteriorem locum, *Geneſ. 48. 16.* Geneſ. 48. 16. vindicavit Athanaſius, ſicut in anteceſſum oſtendimus ſupra, lib. 1. hujus operis, cap. 32. §. 9. & hoc lib. 7. cap. 4. §. 17. Supereſt ut dicamus nunc de Angelo illo cum quo Jacob luctatus eſt, & à quo benedici petiit, Geneſ. 32. De hoc Angelo dicit Dominus per Prophetam Hoſeam; In fortitudine ſua [Jacob] Principem ſe geſſit cum Deo [שרה את-אלהים ſarah æth elohim. LXX. ἐνίσχυσε πρὸς Θεόν,] & Principem ſe geſſit ad Angelum, & potentia valuit: flevit & ſupplex oravit eum, in Bethel invenit eum, & ibi loquutus eſt nobiſcum. Jehovah autem Deus exercituum, Jehovah memoriale ejus. Hoſ. 12. 3, 4, 5. Confer verba Angeli illius ad Jacobum, Geneſ. 32. 28. Non Jacob dicetur ultra nomen tuum ſed Iſrael ישראל, quia Princeps fuiſti cum Deo, כי-שרית עם-אלהים ki faritha gnim Elohim, LXX. ὅτι ἐνίσχυσας μετὰ τοῦ Θεοῦ. Et verba ipſius

Jacobi, & Moſis, verſ. trigeſimo. Et vocavit nomen loci illius Peniel פניאל, quia vidi Deum facie ad faciem, & liberata eſt anima mea. Ex his jam manifeſtum eſt, non fuiſſe illum unum ex creatis Angelis, ſed Angelum fœderis, Angelum magni conſilii, nempe increatam Dei Sapientiam, Deum Verbum, quemadmodum etiam hunc locum interpretatus eſt Juſtinus Martyr, in dialogo cum Tryphone Judæo, ante medium, ubi & recitat hiſtoriam luctæ Jacobi cum Angelo, & ſubdit hæc verba: οὗτος ὁ ἄγγελος, ὁ θεὸς, ὁ κύριος, ὁ ἐν ἰδέᾳ ἀνδρὸς τῷ Ἀβραὰμ φανείς, ὁ ἐν ἰδέᾳ ἀνθρώπου αὐτῷ τῷ Ἰακὼβ παλαίσας. id eſt, Hic & Angelus, & Deus, & Dominus, qui & Abrahamo in forma viri conſpectus eſt, & in ſpecie hominis cum Jacobo luctatus eſt. Similiter eundem locum interpretati ſunt Clemens Alexandrinus, lib. 1. Pædagog. cap. 7. Et Athanaſius, orat. 4. contra Arianos. Et Chryſoſtomus, homil. 58. in Geneſin. Et Ambroſius, in Symbolum Apoſtolorum, capite 31. & lib. de Filii divinitate, cap. 8.

*Num. 22. 31. De Angelo adorato à Balaamo.*

3. Balaam adoravit Angelum, Num. 22. 31. hinc colligit Bellarminus adorandos eſſe Angelos religioſa adoratione. lib. de ſanctorum beatitudine, cap. 13. immemor pollicitationis ſuæ, ibidem, qua promiſit ſe allaturum exempla hominum piorum & prudentum, quo certè in numero Balaamum conſtat non eſſe collocandum. Neque ſufficit dicere, Balaamum adorantem non reprehendi ab Angelo; nam neque reprehenſus legitur idem Balaamus quærens auguria, Num. 24. 1. non tamen inde rectè colligi poteſt illam auguriorum inquiſitionem vel irreprehenſibilem fuiſſe, vel imitatione dignam. Præterea Angelum illum, qui à Balaamo adoratus eſt, fuiſſe ipſum Dominum Deum, multa ſunt in textu ſacro indicia. Dicit Angelus ille Balaamo; Perverſa eſt via tua coram me. Num. 22. verſ. 32. Verumtamen verbum quod loquar ad te, illud loqueris. verſ. 35. Et dicit Balaamus Balaco, Ecce adſum: nunquid loqui potero aliud, niſi quod Deus poſuerit in ore meo. verſ. 38. Et capite ſequente, Extructis altaribus, & oblatis ſacrificiis, dixit Balaamus Balaco; Conſiſte juxta holocauſtum tuum, & ibo, ſi forte occurrat mihi Jehovah, & quicquid oſtenderit mihi nunciabo tibi. Abiit itaque ſolus, & occurrit Deus Balaamo: dixitque illi Balaamus, ſeptem altaria diſpoſui, & obtuli juvencum & arietem in [unoquoque] altari. Poſuit autem Jehovah verbum in ore Balaami, dixitque illi, revertere ad Balacum, & ſic loqueris. Num. 23. 3. 4. 5. Et rurſus dicit Balaamus Balaco; Nonne quod poſuerit Jehovah in ore meo, id ſtudebo dicere? eodem cap. 23. verſ. 12. Idem qui Balaamo occurrit, & verbum in ore ejus poſiturum ſe promiſit, & poſuit, dicitur & eſt Angelus, & Deus, & Dominus, neque ſolum proſtratione corporis, à Balaamo adoratur, ſed etiam altaribus & ſacrificiis ab eodem Balaamo colitur.

*Joſh. 5. 14. De Principe exercitus Domini, quem adoravit Joſhua.*

4. Adfert etiam Bellarminus [lib. de ſanctorum beatitudine, capite decimo tertio] exemplum Joſhuæ adorantis Principem exercitus Domini, Joſhuæ 5. 14. Reſpondeo: locum hunc vindicat Origenes, homilia ſexta in librum Joſuæ, inquiens; Non adoraſſet, niſi agnoviſſet Deum. quis enim alius eſt Princeps militiæ virtutum Domini, niſi Dominus noſter Jeſus Chriſtus? Hæc & plura in hanc ſententiam verba Origenis invenies ſupra à nobis allata, capite quarto, hujus libri, §. ſeptimo. Similiter locum hunc interpretatur, (nempe Principem illum militiæ Domini, à Joſhua adoratum, increatam eſſe Dei Sapientiam, Deum Verbum) Juſtinus Martyr, in dialogo cum Tryphone Judæo, ante medium. Et hanc expoſitionem confirmant ſequentia verba Principis illius ad Joſhuam; Solve calceamentum tuum de pedibus tuis, quia locus ſuper quo ſtas ſanctus eſt. quæ verba olim Moſi etiam loquutus eſt Dominus Deus è medio rubi, Exodi 3. 5. neque uſquam tale aliquid Prophetæ alicui præcepiſſe legitur creatus Angelus. Eandem expoſitionem confirmat precatio illa Moſis, quando incipiebat proficiſci arca Domini ante exercitum Iſraelis, ad explorandum illis requiem; Surge Jehova, & diſpergantur inimici tui, & fugiant odio habentes te, à facie tua. Num. 10. 35. & viſio illa exhibita Joanni, de Domino noſtro Jeſu Chriſto ductore cœleſtium exercituum, Apocal. 19. verſib. 11, 12 & aliquot ſequentibus.

5. Eliphaz dicit Jobo; *Voca ergo ſi eſt qui tibi reſpondeat, & ad aliquem ſanctorum convertere.* Ita habet vulgata Latina verſio, Job. 5. 1. Accuratius autem ex Hebræo vertit Pagninus; *Clama nunc, an ſit qui reſpondeat tibi: & ad quem ſanctorum vertes te?* Ubi Auguſtinus ſanctorum vocabulo intelligit Angelos, in ſuis annotationibus in Job. Hinc colligit Bellarminus invocandos precibus Angelos, libro de ſanctorum beatitudine, capite decimo nono. Eckius autem, in ſuo Enchiridio locorum communium adverſus Lutheranos, capite decimo quarto, eadem verba Eliphazi adducit pro invocatione ſanctorum. Sed perperam uterque. Verba enim illa Eliphazi ad Jobum, dicuntur per conceſſionem quandam κατ' ἐπιτροπὴν ſive admonitoriam, non ut Angelos vel ſanctos precibus invocet, ſed ut ſeriò cogitet, agnoſcendum ſibi eſſe ſuum errorem: ac ſi diceret; Ecquis in Cœlo vel in terra tibi favebit in tuo errore? quo te convertes? Converte te igitur ad Deum per veram reſipiſcentiam. verſ. octavo. Præciſa omni ſpe ſolatii aliunde adventuri, ad ſolum Deum monet eſſe confugiendum. Hanc interpretationem confirmat Gregorius Magnus Papa Romanus, libro quinto Moralium, capite trigeſimo, ubi verba Eliphazi ſic exponit, quantumlibet afflictus clames, Deum tibi reſpondentem non habes, quia vox in tribulatione eum non invenit, quem mens in tranquillitate contemſit. Ubi adhuc deridendo ſubjungit: *Et ad aliquem ſanctorum convertere;* ac ſi deſpiciens dicat, ſanctos quoque invenire in afflictione adjutores non vales, quos habere ſocios in hilaritate noluiſti. Hæc Gregorius. Similis huic eſt loquutio illa Bildadi, in eodem libro Jobi, cap. 8. verſ. 8. 9. 10. *Interroga enim generationem priſtinam, & diligenter inveſtiga Patrum memoriam. (Heſterni quippe ſumus, & ignoramus, quoniam ſicut umbra dies noſtri ſunt ſuper terram.) Nonne ipſi docebunt te, dicent tibi, & è corde ſuo proferent eloquia?* Item illa ipſius Jobi, capite duodecimo ejuſdem libri, verſibus ſeptimo & octavo. *Interroga nunc jumenta, & docebunt te: & volatile Cœli, & indicabunt tibi. Aut loquere terræ, & docebit te, & narrabunt tibi piſces maris.* Ubi non intelligitur rerum illarum propriè dicta invocatio aut etiam compellatio, ſed ſeria tantum conſideratio.

6. Saulum Regem Bellarminus ait adoraſſe animam Samuelis, 1. Reg. 28. 14. & hinc infert ſanctos eſſe adorandos. lib. de ſanct. beatit. cap. 3. At non magis imitandus eſt Saulus rex adorans illud ſpectrum, quàm conſulens Pythoniſſam, & reſponſum quærens à mortuo, quæ fieri Deus legeſus diſertè prohibuit. Levit. 19. 31. & cap. 20. verſ. 6. & Deut. 18. 11. Porrò non fuiſſe Samuelis animam, ſed phantaſma dæmoniacum, quod à Saulo rege adorabatur, & in eo phantaſmate diabolum ſimulaſſe ſe eſſe Samuelem, & Saulo regi loquutum eſſe, docent invictis rationibus, Tertullianus, lib. de anima, cap. 57. & autor quæſtionum ac reſponſionum ad orthodoxos, quæ Juſtino martyri tribuuntur, quæſt. 52. & Auguſtinus, lib. de octo Dulcitii quæſtionibus, ad quæſtionem ſextam. Adjicit Bellarminus, loco citato, exempla Abdiæ adorantis Eliam, 3. Reg. 18. 7. & filiorum Prophetarum adorantium Eliſæum Prophetam, 4. Reg. 2. 15. ſed fuerunt adorationes illæ civiles, non religioſæ, quamvis à religione imperatæ, non tamen à religione elicitæ, ſicut oſtendimus ſupra, cap. 1. hujus libri, §. 9. & §. 20. adfert etiam exemplum Nabuchodonoſoris adorantis Danielem. Dan. 2. 46. At ſi illud exemplum valeret, etiam ſacrificia & ſuffimenta offerenda eſſent ſanctis, ſicuti Danieli fieri juſſit Nabuchodonoſor. Bellarmini autem commentum de ſacrificio illo, quod ſolùm dicit eſſe Deo proprium, confutavimus ſupra, cap. 2. hujus libri, §. 33. Invictum autem pro ſanctorum defunctorum invocatione argumentum eſſe jactat Bellarminus (lib. de ſanctorum beatit. cap. 19.) quod ſumunt ex laudata in ſacris literis, piorum virorum conſuetudine, qua alii aliorum precibus ſe mutuò commendant. At prorſus elumbe & à propoſito alienum, & inefficax eſſe illud argumentum, perſpicuè oſtendimus, ſupra cap. 1. hujus libri, §. 21. & §. 22. & cap. 2. §. 3. & cap. 4. §. 13.

*3. Reg. 18. 7.*

*4. Reg. 2. 15.*

*Dan. 2. 46.*

7. Vindicatis jam ſacris Scripturis, progredimur ad vindicandum Patres, quos ſecum ſentire gloriantur Romanenſes. quod facile præſtare poterimus, ſi locos, ſive regulas, harum vindiciarum obſervemus.

8. Prima regula eſt; *Honorandi ſunt Angeli & ſancti, non tamen adorandi.* Epiphan. Sit in honore Maria: Dominus adoretur. Vide cap. 1. §. 9. & §. 13. & cap. 4. §. 3. Hæc una obſervatio maximam partem teſtimoniorum Romanenſibus eripit, quæ in cauſæ ſuæ ſubſidium adhibent.

9. Secunda regula eſt; *Colendi ſunt dilectione, non ſervitute.* Hæc aliam partem eis adimit.

10. Tertia regula eſt; *Apoſtrophe ſeu compellatio Rhetorica, in orationibus Panegyricis, non eſt propriè dicta invocatio.* Hujuſmodi apoſtrophis, ſeu compellationibus, in ſuis Panegyricis orationibus utuntur, Baſilius Magnus, & Gregorius Nyſſenus, & Gregorius Nazianzenus, & alii. Neque ſufficit Bellarmini reſponſio (lib. de ſanct. beatit. cap. 19.) quod Patres illi ibidem ſibi & aliis auxilium ex illa in concionibus Panegyricis facta invocatione pollicentur. Nam & illam proſeſſionem expreſſit illis vehemens affectus, more oratorum, non in cultus ordinarii exemplum. Id quod indicat illa Gregorii Nazianzeni ad ſororem ſuam Gorgoniam hypothetica apoſtrophe; εἰ δέ τίς ἐστι καὶ τῶν ἡμετέρων ἐν λόγῳ, καὶ τοῦτο ταῖς ὁσίαις ψυχαῖς ἐκ Θεοῦ γέρας, τὸ τῶν τοιούτων ἐπαισθάνεσθαι, id eſt, quod ſi tibi noſtrarum etiam rerum cura ſit, & hoc præmii ſanctis animabus à Deo conceſſum, ut talia ſentiant. Orat. 11. in laudem ſororis Gorgoniæ.



*Quarta regula, de poeticis hyperbolis.*

11. Quarta regula eſt; *Poëticas hyperbolas non eſſe trahendas in confirmationem doctrinæ, ſanctis Patribus improbatæ.* Talis eſt hyperbolica & Chriſtianis auribus admodum ingrata illa loquutio Paulini, in tertio natali S. Felicis, quam non puduit Bellarminum in cauſæ ſuæ patrocinium adducere, lib. de ſanct. beatit. cap. 13.

*Roma Petro Pauloq; potens rareſcere gaudet*
*Hujus honore Dei.*

Idem Paulinus, eodem natali tertio, in hæc abſurda verba, furore quodam poetico, erumpit, quibus Felici commendat morientium animas, & ejus meritis remiſſionem peccatorum adſcribit:

*——Poſitaſque tuorum*
*Ante tuos vultus animas, ſiſtas Paterno*
*Ne renuas gremio Domini fulgentis ad ora;*
*Quem bonitate pium, ſed majeſtate tremendum,*
*Exora, ut precibus plenis meritiſque redonet*
*Debita noſtra tuis.*

*Vide ſupra, cap. 2. §. 6. & quinque ſequentibus paragraphis.*

Et in natali primo ejuſdem Felicis;

*——da currere mollibus undis,*
*Et famulis famulos à puppi ſurgere ventos.*

Et rurſus ibidem;

*——Hand unquam feremus*
*Servitium ſub te Domino; etſi juſſus iniquis*
*Non egeas ſervis, tamen & patiare, & amabis*
*Qualeſcunque tibi, Chriſto donante, dicatos,*
*Et foribus ſervire tuis, tua limina manè*
*Munditiis curare ſines, & nocte viciſſim*
*Excubiis ſervare pias, & munere in iſto*
*Claudere promeritam defeſſo corpore vitam.*

*Vide cap. 1. §. 17. & cap. 2. §. 13. 14. 15. 32. & cap. 4. §. 12. & §. 13.*

Item in Natali ſecundo: ſic alloquitur Felicem;

*Tempus adeſt plenis grates tibi fundere votis,*
*O Pater, ô Domine, indignis licet optime ſervis.*

Et ibidem;

*Coram vota tibi, coram mea corda dicavi.*

*Pſal. 31. 6. & Luc. 23. 46. Epheſ. 1. 7. & 1. Joan. 1. 7. & 2. 1. 2.*

Certè in ſolius Redemtoris noſtri manus commendare ſpiritus noſtros, & ſolius Chriſti meritis peccatorum remiſſionem nobis paratam eſſe, Deoque ſoli deberi ædes ſacras, & religioſam ſervitutem, & ſacrificium laudis, ac devotæ orationis; & ipſi ſoli nuncupanda eſſe vota, & corda noſtra dicanda, docent nos ſacræ literæ, & recepta Catholicorum Patrum doctrina, ſicut capitib. 1. & 2. & 4. ſuperius luculenter oſtenſum eſt. Gregorii de Valentia, Jeſuitæ, dictum eſt, *Ut mens à ſolo Deo proceſſit, ſic eidem illa ſoli honoris ac reverentia ergò devovenda eſt; præterea nemini.* Hæc ille, tom. 3. in 2. 2. Thomæ, diſput. 6. quæſt. 5. puncto ſecundo.

Apud Prudentium quoque in hymnis περὶ ςεφάνων, id eſt, de coronis, reperiuntur quædam poeticæ ἀποςροφαὶ ad martyres, atque adeò etiam eorum invocationes & laudes hyperbolicæ, excedentes modum creaturis debitum, aut erga creaturas conceſſum.

Quod autem ſcripſit Sedulius, lib. 5. carminis Paſchalis,

*Neve quis ignoret ſpeciem crucis eſſe colendam.*

quamvis commodiorem accipere poſſit interpretationem, ut cultus iſte nihil importet aliud,

niſi crucem in pretio fuiſſe & magnâ æſtimatione apud veteres Chriſtianos,durior tamen & Catholicæ antiquitati inſueta loquutio eſt, & à receptâ veterum loquendi conſuetudine aliena. ut patet ex cap. 1. hujus libri, §. 10. & cap. 3. §. 11. & cap. 4. §. 1. & §. 22. & 23. & aliud adjiciemus illuſtre exemplum in exegeſi ſextæ regulæ. Abhorruiſſe autem Sedulium à religioſo cultu creaturarum & imaginum, conſtat ex ipſius verbis, in exordio primi libri operis illius Paſchalis,ubi religioſum cultum ſoli Deo vindicans, ait;

*cui convenit uni*
*Facturam ſervire ſuam.*

Item;

*Quid lapides atque æra coli, quid fana profanis*
*Proderit, & mutis animas damnare metallis?*

Et poſtea,eodem libro, deflens elementorum idolorumque cultores;

*Heu miſeri qui vana colunt, qui corde ſiniſtro*
*Religioſa ſibi ſculpunt ſimulacra, ſuumque*
*Factorem fugiunt,& quæ fecere verentur.*

Tametſi enim contra idololatriam Gentilium ibi diſſerit, argumentis tamen utitur communibus,quæ Chriſtianos ab omnis cujuſcunque manufactæ imaginis religioſo cultu arcebant.

Hyperbole poëtica eſt, & Catholicorum Patrum doctrinę non congruit illa loquutio in carmine de paſſione Domini, quod Lactantio perperam tribuitur;

*Flecte genu,lignumque crucis venerabile adora.*

*Adorare lignum crucis eſt gentilis error & vanitas impiorum.*

Longè aliter Ambroſius, in concione de obitu Theodoſii ſenioris Auguſti, dum narrat inventam ab Helena Conſtantini matre, & ex ipſa inſcriptione [Jeſus Nazarenus Rex Judæorum] agnitam eſſe crucem Domini; Invenit ergo (inquit) titulum, Regem adoravit, non lignum utique,quia hic gentilis eſt error, & vanitas impiorum, ſed adoravit illum qui pependit in ligno, ſcriptus in titulo. Illum, inquam, &c. Hæc Ambroſius. Vide infra, §. 18.

*Quinta regula. de loquutionibus impropriis.*

12. Quinta regula eſt; *Loquutiones quædam quorundam Patrum impropriæ, vel incautæ, non ſunt arripiendæ contra receptam Catholicorum Patrum doctrinam.* Hanc regulam exemplis aliquot illuſtravimus ſupra, cap. 1. §. 12.

*Sexta regula. quando idem ſcriptor ſibi ipſi videtur contradicere.*

13. Sexta regula eſt; *Quando unus idemque ſcriptor, diverſis in locis, videtur pugnantia dicere, diſpiciendum & ſeriò conſiderandum eſt, ubinam quæſtionem illam ex profeſſo tractet, & ſententiam ſuam Scripturarum teſtimoniis & rationibus ex profeſſo confirmet,& oppoſitam opinionem disertè confutet: ubi verò vel aliud agens, neque de ea quæſtione ex profeſſo diſſerere inſtituens, vel illud quod dicit, non confirmans teſtimoniis Scripturarum & rationibus,neque adverſus oppoſitam ſententiam diſputans, verbis ejuſmodi utatur quæ cum ſententia illa, quam alibi apertè docuit atque tutatus eſt, conſiſtere non poſſe videantur: Et in tali caſu, illa dicenda eſt ſcriptoris illius doctrina, quæ priore modo ab illo tradita invenitur; non autem illa, quam verba poſteriore modo prolata ſonare videntur.* Hujus rei exemplum accipe in operibus Ambroſii. Hic Pater, lib. 3. de Spiritu Sancto, cap. 12. & lib. 5. de fide, cap. 1. docet ſolum Deum adorandum eſſe, non autem Mariam Virginem, aut ullam meram creaturam; idque Scripturarum teſtimoniis & rationibus ex profeſſo confirmat, refutatis oppoſitis conjecturis: ſicut declarant ipſius Ambroſii verba, ſupra nobis recitata, cap. 4. hujus libri, §. 19. Et his conſentanea eſt doctrina illa, quam ex commentario in epiſt. ad Romanos, qui Ambroſio tribuitur, referebamus ſupra, cap. 4. hujus libri, §. 14. Nihilominus in libro de viduis, & in ſermonibus de ſanctis, ſermone ſexto, in feſto ſanctorum Martyrum Octavii, Adventitii, & Solutoris (quæ opuſcula eidem Ambroſio tribuuntur) diverſa & planè adverſa priori videtur ineſſe doctrina, non quidem operosè confirmata, ſicut illa prior, attamen utcunque tradita. De Ambroſii igitur mente & doctrinâ judicium ſumendum eſt, non ex iſtis opuſculis; ſed ex locis illis ubi ex profeſſo, de hac quæſtione, & in utramque partem argumentando, mentem ſuam haud obſcurè aperit. quæ autem in opuſculis iſtis, doctrinæ illi quaſi repugnantia inveniuntur, vel ſunt exponenda ſecundùm illam doctrinam, ut vitetur contradictio, vel fatendum eſt ea Ambroſio, nec opinanti, temere excidiſſe, vel ea non eſſe ab Ambroſio ſcripta,ſed librum de viduis,& ſermonem ſextum de ſanctis, aut omnino non eſſe Ambroſii,aut ab aliis corrupta & depravata.

*Ambroſ. lib. 3. de Spiritu S. cap. 12. & lib. 5. de fide,cap. 1. Vide ſupra,cap. 4. §. 14. & 19.*

*Ambroſ. lib. de viduis.*

14. Res manifeſtior fiet, inſpectis ipſis opuſculis. Auctor libri illius de viduis, qui Ambroſio tribuitur, volens oſtendere non deeſſe viduis pauperculis amicos & proximos; Denique (inquit) cum ſocrus Simonis, magnis febribus detineretur, Petrus & Andreas rogaverunt Dominum pro ea. Et tu habes proximos, qui Deo pro te ſupplicent. Habes Apoſtolos proximos, habes Martyres proximos, ſi ipſa martyribus devotionis ſocietate, miſericordiæ quoque muneribus, appropinques. Proximus enim eſt qui miſericordiam facit. Fac & tu miſericordiam, & eris Petro proxima. Non ſanguinis neceſſitudo, ſed virtutis cognatio facit proximos, quia non in carne ambulamus, ſed in ſpiritu. Ama ergo propinquitatem Petri, affinitatem Andreæ, ut pro te rogent. ——— Videris enim quod magno peccato obnoxia, minus idonea ſit quæ pro ſe precetur, vel certè quæ pro ſe impetret. Adhibeat igitur ad medicum alios precatores. Ægri enim, niſi ad eos aliorum precibus medicus fuerit invitatus, pro ſe rogare non poſſunt. Infirma eſt caro, mens ægra eſt, & peccatorum vinculis impedita, ad medici illius ſedem debile non poteſt explicare veſtigium. Obſecrandi ſunt Angeli pro nobis; qui nobis ad præſidium dati ſunt: martyres obſecrandi, quorum videmur nobis quodam corporis pignore patrocinium vendicare. Poſſunt pro peccatis rogare noſtris, qui proprio ſanguine etiamſi qua habuerunt peccata laverunt. Iſti enim ſunt Dei Martyres, noſtri Præſules, ſpeculatores vitæ actuumque noſtrorum. Non erubeſcamus eos interceſſores noſtræ infirmitatis adhibere, qui & ipſi infirmitatem corporis etiam cum vincerent cognoverunt. Invenit ergo Petri ſocrus qui pro ſe rogarent. Et tu vidua invenis qui pro te ſupplicent, ſi quaſi verè vidua & deſolata in Deum ſperes, inſtes obſecrationibus, afficias corpus tuum quaſi quotidie moriens. Hæc ibi. Ubi iſta Angelorum & martyrum adhibitio & obſecratio, vel referenda eſt ad illam, quam ibidem commendavit, devotionis ſocietatem,& virtutis cognationem, & imitationis ſtudium, vel eſt aliena à doctrina Ambroſii, lib. 3. de Spiritu Sancto, cap. 12. & lib. 5. de



fide, cap. 1. & à doctrina auctoris Commentariorum qui Ambroſio tribuitur, in c. 1. epiſt. ad Rom. & repugnat conſenſui orthodoxæ antiquitatis, cultum religioſum ſoli Deo vindicantis, ut ſuperiore capite oſtenſum eſt: repugnat etiam ſacræ Scripturæ, Pſal. 50. 15. & Matth. 4. 10. & 6. 6, 9. & 8. 2. & 11. 28. Δεῦτε πρός με πάντες, *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.*

*Matth. 11. 28.*

Mulier illa magno peccato obnoxia, pro ſe ſupplicans, veniam obtinuit, in domo Phariſæi, Luc. 7. in fine capitis. Quin & ipſe ſibi contradicit ſcriptor iſte, paulo poſt inquiens, (eodem libro de viduis) ne timeas quia magnus eſt Dominus, & fortaſſe ad ægram dedignetur venire. ——— Et tu igitur quæ variis mundi æſtuas cupiditatibus, roga Chriſtum, adhibe medicum. ——— Solus enim mentis & animi poteſt ſervare munditiam, qui ei ſacerdoti ſe novit offerre, quem pro peccatis noſtris accepimus advocatum. ——— Et tu igitur quæcunque indecorè alicujus rei cupiditate langueſcis, obſecra Dominum, fidem defer, nec ullam timeas moram. ubi adeſt oratio, adeſt verbum: fugatur cupiditas, libido diſcedit. Nec confeſſionis verearis offenſam. Hęc ille. Dicitur etiam eodem libro, Deboram viduam, rexiſſe populum Jſraëliticum, & Barakum fuiſſe filium Deboræ. Falſa iſta eſſe, & ſacro textui repugnantia, patet ex libro Judicum, cap. 4. verſib. 4, 5, 6. ubi Deborah judicans Jſraëlem, dicitur uxor Lapidoth, habitans inter Ramah & Bethel in monte Ephraim; Barak autem filius Abinoam dicitur, non autem filius Lapidoth, nec filius Deboræ, & habitabat in Kedes Naphtali. Neque illud congruit cum veritate doctrinæ Chriſtianæ, quod in libro illo de viduis, ait ſcriptor ille, martyres proprio ſanguine laviſſe ſua peccata. Solius enim Jeſu Chriſti ſanguis abluere poteſt ipſorum etiam Martyrum peccata. Vide Apocal. 1. 5. & 5. 9. & 7. 14. & 12. 11. Sanguis Jeſu Chriſti purgat nos ab omni peccato. 1. Joan. 1. 7. & non eſt in alio aliquo ſalus. Act. 4. 12. Vide ſupra, capite 2. §. 8.

*Ambroſ. ſerm. 6. de ſanctis.*

15. Jam videamus ſermonem illum ſextum de ſanctis, qui Ambroſio etiam tribuitur. Ibi dicitur de Martyribus, præſertim eis qui in noſtris domiciliis paſſi ſunt, quorum reliquias poſſidemus; quod non ſibi tantum patiantur, ſed nobis; ſibi enim paſſos eſſe ad præmium, nobis autem ad exemplum: atque adeo ſibi ad requiem, nobis ad ſalutem; quia exemplo eorum didicimus Chriſto credere, didicimus contumelias vitam æternam quærere, mortem didicimus non timere. Nam ideo Dominum per totum mundum diverſis in locis pati martyres voluiſſe, ut tanquam idonei teſtes nos præſenti quodam fidei exemplo ſuæ confeſſionis urgerent, ut humana fragilitas, quæ prædicationi Dominicę auditu longiore vix credit, vel, præſenti oculorum martyrio crederet beatorum. Sana iſta ſunt, & Ambroſio digna; Quæ verò mox in eodem illo ſermone ſubjiciuntur, partim, ſanam etiam expoſitionem recipere poſſunt, partim autem prorſus rejicienda ſunt, ut indigna Ambroſio, & manifeſtè abſurda. *Cuncti igitur martyres* (inquit) *devotiſſimè percolendi ſunt: ſed ſpecialiter ii venerandi ſunt à nobis, quorum reliquias poſſidemus. Illi enim nos orationibus adjuvant, iſti etiam adjuvant paſſione. Cum his autem nobis familiaritas eſt. Semper enim nobiſcum ſunt, nobiſcum morantur: hoc eſt, & in corpore nos viventes cuſtodiunt, & de corpore recedentes excipiunt. Hic ne peccatorum nos labes abſumat: ibi, ne inferni horror invadat.* Iſta ferè omnia, benignam admittunt interpretationem; nam cultus tantum & venerationis martyrum fit mentio, non autem adorationis & invocationis. Et illi martyres, quorum reliquias poſſidemus, dicuntur nobiſcum eſſe, quantum ad illas reliquias attinet; quamvis eorum animæ in cœlo ſint cum Chriſto, non autem nobiſcum in terra: & quando dicitur eſſe nobis cum illis familiaritatem, intelligitur familiaris & domeſtici exempli recordatio: & nos viventes cuſtodire dicuntur, ne peccatorum nos labes abſumat, quia præſenti & familiari confeſſionis & paſſionis ſuæ exemplo nobis prælucent. Et orationibus ſuis martyres nos adjuvare dicuntur, at non dicitur corà nobis orandos, ut hoc faciant. Quod autem dicitur, martyres excipere nos de corpore recedentes, ne inferni horror invadat, id certè eo ſenſu acceptum, quo ab auctore ſermonis iſtius mox explicatur, prorſus abſurdum eſt, nec ſolum Catholicæ veritati, ſed ipſis etiam Romanenſium placitis repugnat. *Nam ideo* (inquit) *hoc à majoribus proviſum eſt, ut ſanctorum oſſibus noſtra corpora ſociemus, ut dum illos tartarus metuit, nos pœna non tangat.* ——— *Et ideo, fratres, veneremur eos in ſeculo, quos defenſores habere poſſumus in futuro.* Certè quod hic ab auctore iſto dicitur de corporum noſtrorum conſociatione cum oſſibus Martyrum, pro effugienda pœna tartari, & de martyribus mortuorum defenſoribus, eſt à gravitate Theologica atque à Chriſtianæ fidei veritate palam alienum. Nam anima à corpore ſeparata, ſi extra tartarum degat, libera eſt à metu tartari, & ab omni periculo decidendi in tartarum, neque defenſore martyre opus habet, ne eam tartari pœna tangat, ſeu inferni horror invadat: ſin autem tartaro adjudicata ſit, non poteſt eam ulla creatura defendere, ne eam tartari horror invadat. Et hæc ipſi fatentur Romanenſes: adeo ut eas etiam animas, quas imaginantur eſſe in Purgatorio, dicant certas eſſe de ſua æterna ſalute, certitudine excludente omnem timorem tartari ſive æternæ damnationis; ſicut prolixè docet Bellarminus, lib. de purgatorio, capitib. 4. & 5. de damnatis autem ſeu tartaro adjudicatis loquens Bonaventura; Eſt (inquit) communior opinio & verior, quod ſuffragia damnatis non proſunt, nec Eccleſia intendit orare pro eis. in 4. ſent. diſt. 46. art. 1. qu. 1.

*Bellarmin.*

*Bonavent.*

*Concluſio Exegeſeôs regulæ ſextæ.*

16. Non igitur ex libro de viduis, neque ex ſermone ſexto de ſanctis, ſed ex lib. 3. de Spiritu Sancto, cap. 12. & lib. 5. de fide, cap. 1. juſtum judicium ſumi poteſt & manifeſta veritas haberi, de mente Ambroſii, quoad objectum religioſi cultus. Atque ita ſextam regulam inſigni hoc exemplo prolixè illuſtratam dedimus: ad quam etiam exigenda ſunt alia ſimilia, ſicubi in Patrum ſcriptis occurrant, exempla.

*Septima regula de criminationibus Paganorum.*

17. Septima regula eſt; *Ex criminationibus Paganorum, non confitentibus Chriſtianis, non ſequitur ita ſe geſſiſſe Chriſtianos, prout à Paganis infamabantur.* Hujus regulæ exempla quædam lector inveniet ſupra, lib. 4. hujus operis, cap. 2. §. 2. & §. 3. & hoc lib. 7. cap. 2. §. 44. Annitendum eſt (inquit Octavius) ut conviciorum amariſſimorum labem verborum veracium lumine diluamus. ——— Cruces etiam nec colimus, nec optamus: vos planè qui ligneos Deos conſecratis, cruces ligneas, ut deorum veſtro-

*Minutius Felix in Octavio.*

rum partes, forſitan adoratis. Hęc Octavius, apud Minutium Felicem, in dialogo, qui inſcribitur Octavius. Ubi & Paganorum calumniam depellit à Chriſtianis, & accuſationem in ipſos retorquet Paganos. Sic etiam Tertullianus, in Apologetico, cap. 16. calumnias diluit Paganorum, & criminationes in ipſos retorquet, de cultu capitis Aſinini, & crucis, & Solis, & Onychitæ. Quibus refutatis; Hæc (inquit) ex abundanti, ne quid rumoris irrepercuſſum, quaſi de conſcientia præteriſſemus. Quæ omnia, converſi jam ad demonſtrationem religionis noſtræ, repurgavimus. Hæc in fine capitis 16. Deinde immediatè, initio cap. 17. hæc verba ſubjicit; quod colimus nos, unus Deus eſt: qui totam molem iſtam cum omni inſtrumento elementorum, corporum, ſpirituum; verbo, quo juſſit; ratione, qua diſpoſuit; virtute, qua potuit, de nihilo expreſſit, in ornamentum Majeſtatis ſuæ: unde & Græci nomen mundo κόσμον accommodaverunt. Hactenus Tertullianus. Ubi apertè declarat meras fuiſſe calumnias illas quibus Pagani Chriſtianos immerentes aſpergebant, de adoratione capitis aſinini, de religione crucis, vel Solis, vel onychitæ; Religionem autem Chriſtianorum in rei veritate, hanc eſſe, ut non colant niſi unum Deum Creatorem univerſi.

*Tertullianus, Apologet. cap. 16.*

*Et cap. 17.*

*Vide infra, cap. 8. §. 22.*

18. Octava regula: *Doctrina Catholicorum Patrum non eſt quærenda in libris ſuppoſititiis, quos conſtat Patribus illis falsò tribui. Neque rejicienda ſunt illa opera, tanquam ſuppoſititia, quæ Patribus illis abjudicare nulla ſuadet idonea ratio.* Prioris partis hujus regulæ exemplum cernere eſt in eo, quod librum de paſſione imaginis Domini noſtri Jeſu Chriſti, in civitate Beryto, & quæſtiones ad Antiochum, ſub nomine Athanaſii citant adoratores imaginum, in confirmationem ſui dogmatis: Synod. 2. Nicæn. act. 4. Bellarm. lib. de imaginibus, cap. 12. & alii. De iſtis tamen libris ipſe Bellarminus, libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, in Athanaſio, in obſervatione in tomum quartum, diſertè ait; quæſtiones ad Antiochum, Athanaſii eſſe non poſſunt, nam quæſt. 23. citat auctor magnum Athanaſium, & ab eo diſſentit. quæſt. 108. dicit, Romanos eſſe Francorum genus: ex quo apparet, auctorem eſſe recentem. Liber de paſſione imaginis Domini, citatur in ſecunda Nicæna Synodo, Act. 4. ubi totus hic liber legitur & recipitur ſub nomine ſancti Athanaſii, ſed non videtur eſſe ſancti Athanaſii hujus, [magni Alexandrini] de quo nunc agimus, ſed alterius multo recentioris. Scribit enim Sigebertus in Chronico, accidiſſe hoc miraculum anno Dom. 766. eo tempore videlicet, quo quæſtio agitabatur de cultu ſacrarum imaginum. Hæc Bellarminus. Accipe aliud exemplum; Bellarminus ait; Conſtantini tempore ſcripſit Lactantius carmen de cruce, in quo inter cætera legimus.

*Octava regula, de libris ſuppoſititiis.*

*Athanaſ. lib. de paſſione imaginis Chriſti, & quæſt. ad Antiochum.*

*Flecte genu, lignumq; crucis venerabile adora.*

Non diu poſtea Athanaſius, quæſt. 16. ad Antiochum, reddidit cauſam, cur Chriſtiani faciant & colant potius imagines crucis, quàm lanceæ, vel ſpongiæ: qui videlicet ſi Ethnici dicant nos colere lignum, mox duobus lignis crucis disjunctis figuram crucis deſtruimus, nec amplius veneramur. Hæc Bellarminus, lib. de imaginibus, cap. 28. Jam ex ipſo Bellarmino monuimus quęſtiones iſtas eſſe auctoris cujuſdam recentis. Carmen autem illud de cruce, ſeu de paſſione Domini, Poſſevinus in apparatu, dicit non putari eſſe Lactantii, quoniam nullibi inter antiquos Lactantii codices inventus eſt. Adde etiam, verſum iſtum pugnare cum doctrina Lactantii, quam infra invenies, cap. 8. hujus libri, §. 21. & 22. & 23. & 24. Cernis etiam duos iſtos ſcriptores pugnantia ſcribere: nam auctor carminis, dicit adorandum eſſe lignum; auctor verò ad Antiochum, negat adorandum eſſe lignum, quamvis alio errore laboret, dicens adorandam eſſe figuram. Multo ſapientius diſtinxit Ambroſius, dicens, adorandum eſſe, non lignum, ſed Dominum qui pependit in ligno. Verba Ambroſii invenies ſuperius citata, hoc ipſo capite, §. 11. Circumfertur etiam ſub nomine ejuſdem magni Athanaſii ſermo de annunciatione ſanctiſſimæ Deiparæ Virginis. Hunc citant, pro invocatione ſanctorum, Gregorius de Valentia, in ſecundam ſecundæ Thomæ, diſput. 6. quæſt. 2. puncto 7. & Bellarminus, lib. de ſanct. beatit. cap. 19. Idem tamen Bellarminus, in libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, in ſua obſervatione in tomum tertium operum Athanaſii, multis argumentis docet ſermonem iſtum non eſſe ſancti Athanaſii, ſed alicujus poſterioris qui poſt Sextam œcumenicam Synodum vixerit, & adducit etiam ſibi conſentientem in hac ſententia Cardinalem Baronium. Poſterioris partis regulæ hujus exemplum accipe, in quorundam contentioſa impudentia, contra auctoritatem eorum quę ſcripſit Epiphanius contra imagines, nam in Nicæna ſecunda Synodo act. 6. in refutatione tomi quinti alterius ſeptimæ Synodi, fidenter aſſeritur nihil iſtiuſmodi ab Epiphanio ſcriptum eſſe; & ante eam ſynodum idipſum aſſirmabat Joannes Damaſcenus, orat. 2. de imaginibus; & ſcripta Epiphanii de hoc argumento vocant ſuppoſititia: cum tamen in operum Hieronymi ſecundo tomo exſtet Epiphanii ad Joannem Hieroſolymitanum epiſtola, ab Hieronymo latinè verſa, eam quam diximus doctrinam contra uſum imaginum perſpicuè exhibens, & argumentis corroborans, prope finem epiſtolæ. Incipit epiſtola illa; Domino dilectiſſimo. Litem movet Bellarminus, de hac parte epiſtolæ Epiphanii, lib. de imaginibus, cap. 9. & lib. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, in Epiphanio, ubi ait, videri iſtam partem additam eſſe ab Iconoclaſtis. At Gabriel Vaſquez in tertiam partem Thomæ, qu. 25. diſp. 103. cap. 3. agnoſcit indubitatum eſſe, totam epiſtolam illam Epiphanii ad Joannem Hieroſolymitanum, apud Hieronymum, eſſe ipſius Epiphanii.

19. Nona regula eſt: *Allegatio falſa nihil probat.* Hujus regulæ exemplum ſit Gregorii de Valentia & Bellarmini illa allegatio verborum Euſebii, Gregorius de Valentia in ſecundam ſecundæ Thomæ, ſive Commentariorum Theologicorum tomo tertio, diſput. 6. quæſt. 2. puncto ſeptimo, & Bellarminus, lib. de ſanctorum beatitudine, c. 19. ut probent ſanctos eſſe invocandos, hoc adducunt, tanquam Euſebii teſtimonium, lib. 13. præparationis Evangelicæ, cap. 7. Hæc nos quotidie factitamus, qui veræ pietatis milites, ut Dei amicos honorantes, ad monumenta quoque illorum accedimus, votaque ipſis facimus, tanquam viris ſanctis, quorum interceſſione ad Deum non parum juvari profitemur. Hæc tanquam Euſebii verba allegant ibi Valentinianus & Bellarminus. At falſam eſſe iſtam allegationem, inſpecto codice Euſebiano, protinus deprehendes. Euſebii verba recito, ex græca editione, Pariſienſi, illius operis, anno Dom. 1544. pag 185.



pag. 185. non quidem ſeptimo capite (in quo altum hac de re ſilentium) ſed undecimo capite libri 13. præparationis Evangelicæ; [illegible] id eſt; Hęc verò etiam convenienter accipiuntur ſuper obitu charorum Dei, quos verè pietatis milites non ineptè dixeris. Unde nobis etiam mos eſt ad eorum thecas (*ſive ſepulcra*) accedere, & apud has vota facere, & beatas ipſorum animas honorare, utpote rationabiliter etiam hæc à nobis fieri [*non ignaris.*] Hæc ibi Euſebius, neque plura addit. Nempe conveniebant Chriſtiani in martyrum locis, & apud eorum memorias vota Deo offerebant, & honorabant beatas martyrum animas dilectione & honorifica recordatione, Deo de illorum victoriis gratias agentes, & ſeipſos ad imitationem talium coronarum atque palmarum, eodem vero Deo in auxilium invocato, ex eorum memoriæ renovatione adhortantes, ſicut teſtatur Auguſtinus, ſcribens ex profeſſo, de modo honoris, quem Chriſtiani martyribus impendebant, lib. 8. de civitate Dei, cap. 27. Sic etiam falſa eſt eorundem Jeſuitarum, locis citatis, allegatio verborum Baſilii, quæ allegant ex Baſilii oratione in quadraginta martyres. Baſilius auditoribus ſuis commendans recordationem & imitationem martyrum, dicit eventurum eis qui ſic ad martyres confugiunt, ut preces quas ad Deum cum martyribus fundunt, exaudiantur. Qui affligitur (inquit) ad hos confugit; qui lætatur, ad ipſos recurrit [[illegible]] pro quo Valentiani & Bellarmini allegatio habet; *qui lætatur, hos orat.* Quæ manifeſta falſatio eſt. Loquens autem ibidem Baſilius de precibus, hortatur ut preces fundant *cum martyribus*, [illegible] non dicit, *ad martyres.*

20. Decima regula eſt; *Parexegeſis citantis non eſt mens auctoris qui citatur.* Hujus regulæ etiam multa exempla occurrunt. Juſtinus martyr, verbis ſupra commemoratis, cap. 4. hujus libri, §. 2. docet, ſolum Deum Patrem & ejus Filium & Spiritum Sanctum à Chriſtianis adorari; attamen ex eo loco Bellarminus per impudentiſſimam parexegeſin colligit adorationem etiam Angelorum, ut ibidem oſtendimus. Dionyſius Areopagita, lib. de Eccleſiaſtica hierarchia, cap. 7. dicit ſanctorum preces non prodeſſe eis qui impiè vivunt, ſicut lumen Solis non prodeſt eis qui oculos ſuos claudunt. Et ſermo illi eſt de precibus ſanctorum viatorum, ut ex ipſa loci illius inſpectione perſpicuum eſt; hunc tamen locum Bellarminus (lib. de ſanct. beatit. cap. 19.) detorquet ad invocationem ſanctorum defunctorum, ut pro nobis orent. Honorem illum quem Chriſtiani martyribus impendebant, (quem in exegeſi ſuperioris regulæ commemoravimus) impendi hæreticorum martyribus vetuit Laodicæna Synodus, can. 34. quem integrum exhibemus; [illegible] id eſt; quod non oportet aliquem Chriſtianum derelinquere martyres Chriſti, & abire ad falſos martyres, id eſt, hæreticorum, vel eos qui ipſi etiam hæretici fuerunt. Hi namque à Deo alieni ſunt. Sint igitur anathema qui ad eos abeunt. In hoc canone nulla fit mentio, vel tenuiſſima inſinuatio adorationis & invocationis martyrum, ſed tantum vetat agnoſcere pſeudomartyres pro veris martyribus, & relictis veris martyribus abire ad illos pſeudomartyres, id eſt, ne ad eorum ſepulchra convenirent, neque eorum, tanquam Chriſti martyrum, memoriam celebrarent, offerentes vota Deo apud ipſorum monumenta, & gratias Deo agentes de illorum victoriis, & ſeipſos ad illorum imitationem, invocato Deo in auxilium, ex eorum memoriæ renovatione adhortantes, ſicut oſtendimus in explicatione nonæ regulæ, §. 19. Hujus tamen canonis auctoritatem impudenter prętendit Severinus Binius, in ſuis notis in eam Synodum, pro religioſo illo cultu quem Romanenſes martyribus exhibent, eos adorando & invocando, &c. Baſilius magnus, in Pſalmum 33. exponens illa verba Pſalmi, *Oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum*: ait, cœleſtium ſpiritualium virtutum aliquas dici oculos, eo quod eis demandata ſit noſtri inſpectio, [[illegible]] aliquas autem, aures, eo quod excipiant noſtras preces [[illegible]] Ubi cum Pſalte loquitur Baſilius de precibus juſtorum quibus Deum invocant, & has Baſilius dicit excipi ab Angelis tanquam Dei auribus ſed non dicit Baſilius Angelos ipſos à juſtis invocari. Omnis quippe (inquit Ephræm) ſancta & pura oratio, confabulatio cum Deo eſt. Orationes porrò perfectè deſiderantium ac diligentium Deum, cum magna exſultatione atque fiduciâ in cœlum aſcendunt. Angeli etiam & Archangeli cum gaudio occurrunt eis, & ſuſcipientes eas, uſque ad thronum gloriæ ſancti Dei perducunt. Tunc enim maxime gloriantur atque lætantur Angeli, cum puriſſimas ſanctorum orationes coram Deo obtulerunt. Hæc Ephræm Syrus, ſerm. de agone, ſive luctamine ſpirituali. tom. 2. pag. 484. edit. Lat. Colon. anno Dom. 1616. ex quibus Ephræmi verbis perſpicitur etiam ſenſus verborum Baſilii. Bellarminum tamen non puduit abuti iſto loco Baſilii, ac ſi ibi doceret Baſilius, invocandos eſſe Angelos. Bellarm. lib. de ſanct. beatit. cap 19. Idem etiam Baſilius orationem ſuam in quadraginta martyres, his orditur verbis; [illegible] id eſt; *Commemorationis martyrum quænam eſſe poteſt ſatietas ei qui martyrum amans eſt? nam honor quem in bonos conſervos conferimus, benevolentia erga communem Dominum ſignificationem præbet.* Non dicit Baſilius, ſignum eſſe benevolentiæ erga communem Dominum, ſi martyres conſervos noſtros adoremus, (ſciebat enim prohibuiſſe Angelum in Apocalypſi, ne adoremus conſervos noſtros) ſed dicit honorem conſervis habitum, per frequentem martyrum recordationem, eſſe indicium benevolentię erga communem Dominum: recordationem & commemorationem intellige cū imitatione conjunctam, ſicut verbis ibid. ſequentib. mentem ſuam explicat Baſilius. Attamen non veritus eſt Bellarmin. lib. de ſanct. beatit. c. 19. hunc Baſilii locum allegare pro religioſa adoratione martyrum. At certè neque contemnendi neque adorandi ſunt martyres, ſed honorandi ſunt dilectione, & honorifica recordatione, & pia imitatione.

*Baſil. in Pſal. 33. (ſive 34.) verſ. 16.*

*Ephræm Syrus, ſerm. de agone ſpirituali.*

*Apoc. 19, 10. 22, 8.*

*Honor Martyrum.*

tione. Hæc eſt doctrina Catholicorum Patrum. Vide ſupra, cap. 4. §. 24. & 26. Theodoretus libro 5. divinorum decretorum, cap. de Angelis, & Comm. in Danielem, ait Angelos accepiſſe curam gentium, & ſingulorum hominum. At hinc non ſequitur, Theodoretum exiſtimaſſe adorandos & invocandos eſſe Angelos, ut perperam infert Binius, in ſuis notis in 35. canonem Concilii Laodiceni. Imò contrarium docet Theodoretus, ut ſupra oſtenſum eſt, capite 4. §. 11.

*Undecima regula, de miraculis & viſionibus.* 21. Undecima regula eſt, *Ex miraculis & viſionibus, quæ à quibuſdam narrantur, ſive vera ſive falſa ſint ea narrationes, non ſequitur, recipiendam eſſe novam doctrinam, de religioſo aut ſacro cultu creaturarum & imaginum, quæ non in divinis Scripturis tradita eſt, ſed iiſdem Scripturis & Catholicæ antiquitati repugnat.* Multæ in actis ſecundæ Nicenæ ſynodi leguntur fabulæ & multæ etiam apud alios mirabilium ſanationum aliorumque eventuum narrationes inveniuntur. Sed ſive veræ ſive falſæ ſint eæ narrationes, non tamen inde conſequitur, adorandos eſſe illos homines aut Angelos, quorum miniſterio vel prece evenerunt illa mirabilia, neque alias res adorandas, quæ adhibitæ ſunt dum illa fierent. Serpentis ænei aſpectu, & umbræ Petri inumbratione, ſanati ſunt homines, ſanatione miraculoſa, attamen nec incenſum adoleri ſerpenti illi paſſus eſt pius Rex Ezechias, nec ſeipſum (nedum umbram ſuam) adorari ſivit Petrus. *Num. 21. 9. Act. 5. 15. 2. Reg. 18. 4. Act. 10. 26.* Qui verò aliud Evangelium nobis Evangelizaverit, etiamſi Angelus de cœlo ſit, anathema ſit. ita nos docet Apoſtolus, Galat. 1. Auguſtinus ait de Angelis; Si tantum hi mirabilibus factis humanas animas permoverent, qui ſacrificia ſibi expetunt, illi autem, qui hoc prohibent, & uni tantum Deo ſacrificari jubent, nequaquam iſta viſibilia miracula facere dignarentur: profectò non ſenſu corporis, ſed ratione mentis præponenda eorum eſſet auctoritas. *Aug. lib. 10. de Civit. cap. 16.* Auguſt. lib. 10. de Civit. cap. 16. Et alibi ait idem Pater; Nam & contra iſtos, ut ſic loquar, mirabiliarios cautum me fecit Deus meus, dicens, in noviſſimis temporibus exſurgent pſeudoprophetæ, facientes ſigna & portenta, ut in errorem inducant ſi fieri poteſt etiam electos: ecce prædixi vobis! Ergo cautos nos fecit ſponſus, quia & miraculis decipi non debemus. *Auguſt. tract. 13. in Evangel. Johannis.* Hæc ille, tract. 13. in Evang. Joannis. *Miraculis decipi non debemus.* Ejuſdem Auguſtini dictum eſt, lib. 3. contra literas Petiliani, cap. 6. Proinde ſive de Chriſto, ſive de ejus Eccleſia, ſive de quacunque alia re quæ pertinet ad fidem vitamque noſtram, non dicam nos, nequaquam comparandi ei qui dixit, Licet ſi nos; ſed omnino quod ſecutus adjecit, Si Angelus de cœlo vobis annunciaverit præterquam quod in Scripturis legalibus & Evangelicis accepiſtis, anathema ſit. Hactenus Auguſtinus. *Aug. lib. 3. contra literas Petiliani, cap. 6.* Ad hanc undecimam regulam pertinet illa diſſertatio Synodi Francofurtenſis & Caroli Magni, in opere Capitulari, lib. 3. cap. 25. Signa (inquiunt) & miracula, quæ illi dicunt in imaginibus apparuiſſe, ſi non apparuerunt, ſicut & nulla hoc authentica tradit hiſtoria, mendacium eſt: ſi apparuerunt, & per fantaſticas quaſdam obumbrationes ad illiciendas mentes apparuerunt, periculoſiſſimum eſt, ne forte calliditatis ſumaſtu antiqui hoſtis dum mira quædam demonſtrat, ad illicita peragenda fraudulenter ſuadeat. *Capitulare Caroli magni, lib. 3. cap. 25. Tridentini [illegible].* Si verò apparuere in veritate ſigna quod tamen fieri nullius certis lectionis probatur documentis, & Dei operatione geſta probantur, cui cuncta ſunt poſſibilia, cui nihil impoſſibile eſt, animadvertendum ſummopere eſt, quod cum multa & ſtupenda nutu Dei per quaſdam creaturas, vel etiam in quibuſdam creaturis, peracta fuerint, non omnes, in quibus vel per quas facta ſint, adorandæ credantur: quoniam quidem omnipotens Deus ſigna pleraque, quæ mortalibus oſtendit, quæ per res quaſdam viſibiles & tractabiles fecit, quatenus viſibilium & mortalium hominum duritiam rebus viſibilibus molliret, non ideo fecit, ut quarundam rerum celebrandam ſtatueret adorationem: quippe qui ſe ſolum adorare, ſolum præcepit & colere. Num quidnam quia Dominus de rubo in igne Moyſi loquutus eſt, ideo rubi adorandi ſunt? non enim ideo in rubo apparuit, ut rubi materiam adorandam perciperet. Hæc illi, loco citato: ubi etiam adjiciunt exempla ignis, & montis, in quibus Dominus apparuit; item lapidis quo facta eſt circumciſio filii Moyſis, per quam ille evaſit iram judicis; item virgæ Aaronis, & ligni quo aquæ amaræ indulcatæ ſunt, & ſerpentis ænei, & ſilicis ex qua percuſſo emanarunt aquæ fluenta, item maxillæ bulæ aſini ex qua aquam bibit Samſon, & palli Eliæ, quo Jordanem diviſit, &c.

22. Duodecima regula eſt, *Si cubi aliquis Patrum, humani aliquid paſſus, in aliquo à veritate in Scripturis divinis tradita, vel à recepta catholica antiquitatis doctrina, devius reperiatur, lapſus iſte clementer excuſandus, vel charitate cooperiendus eſt, non in confirmationem dogmatis arripiendus.* Neque enim quorumlibet diſputationes (inquit Auguſtinus) *quamvis catholicorum & laudatorum hominum velut Scripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat, ſalvâ honorificentiâ quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum ſcriptis improbare atque reſpuere, ſi forte invenerimus quod aliter ſenſerint quàm veritas habet, divino adjutorio vel ab aliis intellecta, vel à nobis. Talis ego ſum in ſcriptis aliorum, tales volo eſſe intellectores meorum.* Aug. epiſt. 111. ad Fortunatianum. Idem etiam, lib. de unico baptiſmo, contra Petilianum Donatiſtam, cap. 13. *Nam* (inquit) *illud quod adjungis de Epiſcopo Carthaginenſi Agrippino, de inclyto martyre Cypriano, de ſeptuaginta præceſſoribus Cypriani, quia hoc fecerunt & fieri præceperunt, ô quam deteſtandus eſt error hominum, qui clarorum virorum quædam non rectè facta laudabiliter ſe imitari putant, à quorum virtutibus alieni ſunt. Sic enim & nonnulli Petro Apoſtolo comparari ſe volunt, ſi Chriſtum negaverint; ſi verò etiam gentes judaizare coëgerint, vocitari germani ejus affectant Apoſtolica gratia ut continuò declarentur: cum his non dico præferri, ſed ſaltem poſſit æquari, aut de proximo comparari, quiſquis noſtrorum temporum Chriſtianus aut etiam Epiſcopus, qui nec Chriſtum negaverit, nec gentes judaizare compulerit.* Hæc ille Auguſtinus. Vide Vincentii Lirinenſis commonitorium, cap. 4. ubi monet paucorum errori præferendum eſſe multorum in veritate conſenſum, & novitati antiquitatem eſſe anteponendam. Hujus regulæ exempla quædam invenies ſuprà, §. 11.

CAPUT



## CAPUT SEXTUM.

### *De vanitate ſimulacrorum, & de vocabulis, idolum, ſimulacrum, imago; & quæ mens legis prohibentis religionem ſimulacrorum.*

A Vanitate & inutilitate idola appellantur [illegible] mendacium, Eſai. 44. 20. [illegible] Vulg. Latin. imago falſa. Pagnin. ex Hebr. docens mendacium. Hab. 2. 18. item, [illegible] Vulg. Latin. doctrina vanitatis, Jerem. 10. 8. [illegible], ad nihil utilia, Eſai. 44. 10. [illegible], Vulg. Latin. ſimulacra muta, Hab. 2. 18. [illegible], nihil, 1. Cor. 8. 4.

2. Dicuntur autem vanitates eſſe, & nihil eſſe, non ſimpliciter, ſed propter duplicem reſpectum ſeu rationem. Priorem rationem adfert Auguſtinus lib. 20. contra Fauſtum, cap. 5. Sunt (inquit) idola, ſed ad ſalutem nihil ſunt, & qui colit arborem, non arando, ſed adorando, non id colit quod nuſquam eſt, ſed quod ita colendum non eſt. Dæmonia etiam & Cœlum & terram & aſtra & animalia colunt Pagani, cum quibus quando agimus (ait Auguſtinus) ut ea non colant, non ea dicimus, quod nulla ſint, ſed quod colenda non ſint; eiſque colendum horum omnium Conditorem Deum inviſibilem ſuademus. (*Et paulo poſt*) quia ſolus ille colendus eſt, quo ſolo fruens beatus fit cultor ejus, &c. ac ſi diceret, ſunt quidem idola, & rebus etiam quæ ſunt pleraque dicantur, ſed non ſunt Deus, non ſunt idonea cultus divini objecta, neque veritas divina in illis aut per illa cernitur. Deo enim vero nulla artefacta convenit imago. Deut. 4. Eſai. 40. Neque patitur honorem ſuum impunè deferri aut communicari ſculptilibus, Eſai. 42. 8. Nec in ſaxo agnoſcitur Deus, ſed in ſpiritu, ut inquit Ambroſius, Comment. in Luc. capite 18. ſolus Deus adorandus, eique ſoli ſerviendum, Matth. 4. Non etiam ſculptilia, Exod. 20. Eſai. 42. & 44. &c.

3. Altera ratio ſeu reſpectus, cur idola dicantur [illegible], ſumitur ab eorum impotentia & inutilitate; quam etiam innuit Auguſtinus, illis verbis, ſunt quidem idola ſed ad ſalutem nihil ſunt, hoc eſt, ſunt [illegible] quæ neque malefacere poſſunt nec benefacere. Jerem. 10. 5. Eſai. 44. 10. Hoſ. 8. 4. & 10. 13. ubi oſtendit vitulos Jeroboami extitiſſe Jſraelitis non ſolum inutiles, ſed etiam nocivos, non quod vituli illi prodeſſe vel lædere poſſent virtute aliqua ſua, ſed quia cultu illo idololatrico laceſſitus Deus affecit Jſraelitas. Quid prodeſt ſculptile aut conflatile? Hab. 2. 18. Quod dici poteſt non ſolum de gentilium idolis, ſed etiam de conflatili illo Aaronis vitulo in eremo, & vitulis Jeroboami, qui etiam idola vero Deo diſplicentia fuerunt, quamvis ex intentione hominum vero Deo locata fuerint illa ſimulacra.

4. A forma & imitatione & relatione ad prototypa, & fine, (nempe ut colantur) appellantur [illegible]. Quam vocem interpretatur Tertullianus, lib. de idololatria capite 3. ubi ait, Jam caput facta eſt idololatriæ ars omnis quæ idolum quoquo modo edit. Neque enim intereſt, an plaſtes effingat an cœlator exculpat, an phrygio detexat: quia nec de materia refert an gypſo, an coloribus, an lapide, an ære, an argento, an filo formetur idolum. ——— Ad hoc neceſſaria eſt vocabuli interpretatio. [illegible] Græcè formam ſonat, ab eo per diminutionem [illegible] deductum, æquè apud nos formulam fecit. Igitur omnis forma vel formula idolum ſe dici expoſcit. Inde idololatria omnis circa omne idolum famulatus & ſervitus. Hæc ibi. Idem capite 4. ejuſdem libri; Antecefferat enim (inquit) hoc prædicens Enoch, omnia elementa, omnemque mundi ſenſum, quæ cœlo, quæ mari, quæ terrâ continentur, in idololatriam verſuros dæmonas, & ſpiritus deſertorum Angelorum, ut pro Deo adverſus Dominum conſecrarentur. Omnia igitur colit humanus error, præter ipſum omnium conditorem. Eorum imagines idola, imaginum conſecratio idololatria. Hactenus Tertullianus.

5. Appellatur autem idolum in ſcripturis, non ſolum imago aliqua fictitio numini dicata, ſed etiam vero Deo Jſraelis fabricata, ut erat vitulus in eremo, qui idolum dicitur, Actor. 7. 41. vitulum fecerunt in diebus illis, & obtulerunt ſacrificium idolo, [illegible]. ubi idololatriæ damnantur Jſraelitæ, etiamſi in illius vituli fabricatione & cultu, ſolum Jehovam qui illos eduxerat ex Ægypto, intenderint repræſentare & colere, ut patet Exod. 32. Sic etiam Ephraimitæ, fornicationis ſpiritu abducti, & idolorum participes facti, & dæmonia coluiſſe dicuntur, propter cultum vituli in Bethel, Hoſ. 4. 12, 15, 16, 17, 18, &c. 1. Reg. 14. 9. 2. Paral. 11. 15. cum tamen profiterentur ſe cultum illum exhibere Jehovæ Deo Iſraëlis. 1. Regum 12. 28. 2. Regum 10. 16, 28, 29, &c. 2. Regum 13. 4, 5, 6. Hoſeæ 8. 13. Verba illa ſecundi præcepti, non facies tibi ſculptile, ſic leguntur in verſione LXX. [illegible], at vero illis verbis prohiberi etiam imaginis fabricationem & collocationem vero Deo, cultumque Dei in imagine aut per imaginem artefactam, docet Moyſes, legem illam interpretans, Deuteron. 4. 15, 16, 17, 18. & 16. 22. & Pſaltes Pſalm. 106. 19. 20. & Stephanus, Actorum 7. 41. & Eſaias capite 40. 18, 19, 20. & 42. 8. Adeo ut præceptum illud, 1. Joannis 5. 21. ut nos cuſtodiamus *ab idolis*, ſive, ut habet vulgata Latina verſio, *à ſimulacris*, neceſſario intelligendum ſit de fugienda omni quacunque imagine quæ ſit progret adorationem religioſam, ſive illam vero Deo, ſive creaturæ, aut figmento collocatam dixeris; Deus enim verus & unus non vult ſibi fieri aut collocari imagines in quibus colatur, neque probat ullum imaginum (illius quod colitur) artefactarum in ſuo cultu uſum, ſed ſimpliciter hunc in uſum fieri, vel adorari prohibet [illegible], omnem imaginem, Deut. 4. 16. & abominatur figuras ab hominibus factas ut adorentur, [illegible]. Amos 5. 26. Actorum 7. 43. ideo non ſolum quæ offerunt gentes imaginibus fictitiorum numinum, ſed etiam quæ imaginibus (ut aſſerunt) Jehovæ Dei Jſraelis artefactis offerunt, & quem- *1. Joan. 5. 21.* *Figura quam fecit homo ut eam colat, eſt idolum.*

V u cunque

cunque illis præſtant famulatum, quæcunque illis exhibent officia, qui ſe Jſraëlitas profitentur, ea omnia Deus reſpuit, neque vero Deo ſed mutis duntaxat ſimulacris & dæmonibus & alienis diis offerri & præſtari pronunciat. Exod. 32. Pſalm. 106. Actor. 7. & 1. Reg. 14. & 17. 2. Paral. 11. Hoſ. 4. & 8. & 10. & 1. Cor. 10. &c. Et rectè Tertullianus ait, omnes idolorum artifices corpora dæmonibus conficere, lib. de idololatria, capite 7. Nam etſi non dæmonibus, ſed Jehovæ Deo Jſraëlis ſe ſervire putabant Jſraëlitæ colentes vitulum in eremo, & Ephraimitæ colentes vitulos Jeroboami, illum tamen cultum, ut idololatricum, & diis alienis ac dæmonibus præſtitum, rejicit Deus, locis citatis. Et quoteſcunque in ſcripturis Deus contra imaginum cultum loquitur, non ita argumentatur ut concludat imagines ideo non eſſe colendas, quia dæmonibus aut figmentis, aut etiam meris creaturis, non autem vero Deo factæ & dicatæ ſunt, ſed argumenta ſumit à materia, ab auctore, ab inanitate, à falſitate cujuſcunque imaginis, &c. ſunt ligna & lapides, ſunt aurum & argentum, ſunt opera manuum hominum, ſunt muta idola, quæ neque benefacere poſſunt, neque malefacere; ſunt doctrina falſitatis. &c. Igitur (ait rectè Tertullianus) ſi ſtatuas & imagines frigidas, mortuorum ſuorum ſimillimas, non adoramus, quas milvi & mures araneæ intelligunt, nonne laudem magis quam pœnam merebimur repudium agniti erroris? Hæc ille, Apologet. capite 12. Et Clemens Alexand. ἀλλ' ἐπὶ αὐτὰ τοίνυν, φέρων ὑμῖν τὰ ἀγάλματα ἀνασκοπεῖν ... id eſt, (ut habet interpretatio Latina, à Gentiano Herveto recognita) quod ſi præter hæc vobis ipſas imagines ſubjecero conſiderandas, verè perſequentes, invenietis nugas eſſe conſuetudinem, ut qui manuum hominum inſenſibilibus ſupplicetis operibus. Hęc Clemens Alexand. in Protreptico. Quæ argumenta militant contra omnes imagines, quæ efficiuntur ut adorentur, vel quæ factæ adorantur, ſive dicas te colere ipſam imaginem, ſive Deum verum in imagine, aut per imaginem. Omni enim artefactæ illius quod religiosè colitur imagini ad colendum poſitæ, ſimpliciter opponitur Deus, Eſai. 40. Jerem. 10. & alibi. Eademque eſt ratio omnium rerum ab homine ultrò aſſumtarum ad repræſentandum & colendum Deum. Adeo ut verum Deum colere velle in imagine artefacta, aut per imaginis artefactæ fabricationem, vel collocationem dicationemve aut adorationem, ſit colere alienos deos. 1. Reg. 14. 9. ſit colere idolum, Actor. 7. 41. ſit eſſe idololatram, 1. Cor. 10. 7. ſit colere dæmones, 2. Paral. 1. 15. & 1. Cor. 10. 20. ſit ſcortari à Domino cum idolis, Hoſ. 4. & 8. & 10. Quemadmodum in genere Deum colere non ex ipſius præſcripto, ſed ſecundùm mandata hominum, eſt oleum & operam perdere: Deus enim omnem talem cultum pronunciat ſibi diſplicere, & eſſe fruſtraneum, Eſai. 29. 13. Matth. 15. 9. Qua de re vide verba Thomæ inferius citata §. 9. Et omnino omnem cultum & famulatum religioſum damnat Apoſtolus exhibitum cuicunque rei quæ per naturam non eſt Deus. ἐδουλεύσατε τοῖς μὴ φύσει οὖσι θεοῖς. Galat. 4. 8.

*Scriptura argumenta contra cultum imaginum.*

*Vide infra, cap. 8. §. 10. & aliquot ſequentibus. Tertullian. Clem. Al.*

*Deus colendus eſt ex ipſius præſcripto, non autem ſecundùm mandata hominum, vide §. 9.*

*Bellarmini error.*

6. Ex his palam eſt erraſſe Bellarminum, quando ſcripſit, lib. de imaginibus & reliquiis ſanctorum, cap. 5. idolum ex uſu Eccleſiaſtico dici illam duntaxat ſimilitudinem, quæ repræſentat id quod revera non eſt, ut cum gentiles proponebant ſtatuas Veneris aut Minervæ, illa ſigna (ait Bellarminus) idola erant, quia repræſentabant Deos generis fœminini, quales dii nec ſunt, nec eſſe poſſunt. Atque ita nec verè repræſentabant, ſed erant falſæ imagines, id enim quod non eſt repræſentari non poteſt. Ibidem etiam hanc eſſe veram contendit differentiam vocum, inter imaginem & idolum, ſecundùm Eccleſiaſticos, id eſt, ſecundum ſcriptores tum canonicos, tum etiam non canonicos licet probatos, quod imago [εἰκὼν] ſit vera rei ſimilitudo, ut cum pingimus hominem, equum, &c. imaginem enim ab imitando dictam eſſe. Idolum autem ſit falſa ſimilitudo, id eſt, repræſentet id quod revera non eſt. Atque hinc colligit, imagines Chriſti & ſanctorum manufactas non eſſe idola, ſed nec Trinitatis aut Angelorum imagines eſſe idola, quia (inquit) non ſunt factæ ad repræſentandum naturam Trinitatis vel Angelorum, ſed ad exprimendam formam in qua apparuerunt, vel commendam eorum proprietates. Iſta Bellarmini imaginatio falſa eſſe convincitur, tum ex eis quæ modò in anteceſſum dicta ſunt, §. 4. & §. 5. tum etiam ex ipſis præcepti divini diſertis verbis. Ex quibus ſic argumentor; Quod fieri & coli prohibetur in ſecundo (ſeu ut illi volunt, in primo) præcepto, idolum eſt: at ſimilitudo etiam eorum quæ ſunt, fieri & coli prohibetur in ſecundo præcepto; Ergo ſimilitudo etiam eorum quæ ſunt, idolum eſt, nempe ſi fiat ut adoretur, vel facta adoretur. Minorem probant ipſa verba præcepti, Exod. 20. *Non facies tibi ſculptile, neque ullam ſimilitudinem eorum quæ ſunt in Cœlo ſurſum, neque eorum quæ in terra deorſum,* &c. Talis fuit idololatria Judæorum illorum, qui adorârunt imagines reptilium & aliorum animalium, Ezech. 8. 10, 11. Paganorum etiam qui Herculis Thebani, & Romuli imagines colebant, & qui Cæſarum imaginibus religioſo cultu famulati ſunt. Quo pertinet dictum illud Joannis Apoſtoli, *Cuſtodite vos ab idolis.* [ἀπὸ τῶν εἰδώλων. Vulg. Lat. *à ſimulachris.*] 1. Joan. 5. 21. id eſt, non minus ab adoratione religioſâ imaginis Cæſaris, aut Herculis, aut Simonis magi, quàm Minervæ, aut Dianæ. Nobiſcum etiam ſenſit Cardinalis Cajetanus, qui pro eodem habuit idolum atque imaginem, ut refert Bellarminus, lib. de imaginibus, cap. 7.

7. Litigat etiam Bellarminus de Latino vocabulo *ſimulacrum*; quod tantundem vult ſignificare atque idolum, prout illud interpretatus eſt Bellarminus, nempe imaginem falſam ſive ſimilitudinem commenti aut figmenti, quia, ſcilicet, ubi Latinus interpres poſuit ſimulacra, ſemper eſt in Græco εἴδωλα, & B. Auguſtinus in Pſal. 135. dicit Latinos ea ſimulacra vocare, quæ à Græcis dicuntur idola. Hieronymus quoque in cap. 7. Hoſ. dicit ſic opponi ſimulacrum Deo, ſicut opponitur mendacium veritati.

8. Reſpondeo: M. Tullius Cicero, Latini ſermonis callentiſſimus, Epiſt. famil. lib. 5. epiſt. 12. ſcribit L. Luccejo, Q. Filio, *Neq; enim Alexander ille gratiæ causâ ab Apelle potiſſimum pingi, & à Lyſippo fingi volebat, ſed quod ipſorum artem cum ipſis, tum etiam ſibi gloriæ fore putabat. Atque illi artifices corporis ſimulacra ignotis nota faciebant,*



faciebant, quæ vel ſi nulla ſint, nihilo ſunt tamen obſcuriores clari viri. Nec minus enim eſt Spartiates ille *Ageſilaus* perhibendus, qui neque pictam, neque fictam imaginem ſuam paſſus eſt eſſe, quàm qui in eo genere laborârunt. Unus enim Xenophontis libellus in eo rege laudando, facile omnes imagines hominum, ſtatuaſque ſuperavit. Hæc Cicero. Ubi corporis Alexandri vel cujuſcunque veri hominis, ab artifice factam ſimilitudinem, ſive imaginem vel ſtatuam, vocat corporis ſimulacrum. Et A. Gellius ſimilitudines haſtæ quæ Romanis erat belli ſignum, in teſſerula inciſas, vocat ſimulacra haſtæ: Cum (inquit) Qu. Fabius Imperator Romanus dedit ad Carthaginienſes epiſtolā, ibi ſcriptum fuit, Pop. Rom. miſiſſe ad eos haſtam & caduceum, ſigna duo, belli aut pacis, exque eis utrum vellent eligerent: quod elegiſſent, id unum ut eſſe miſſum exiſtimarent. Carthaginienſes reſponderunt, neutrum ſeſe eligere: ſed poſſe, quæ attuliſſent, utrum mallent relinquere: quod reliquiſſent, id ſibi pro electo futurum. M. Varro autem non haſtam ipſam, neque ipſum caduceum miſſa dicit, ſed duas teſſerulas, in quarum altera caduceum, in altera ſimulacra haſtæ fuerunt inciſa. Hæc A. Gellius, Noctium Atticarum lib. 10. cap. 27. ubi de ſimulacris haſtæ videtur uſurpare verba ipſius M. Varronis, Latinæ linguę peritiſſimi. Virgilius, lib. 2. Æneid. umbram ſive imaginem Creuſæ uxoris Æneæ appellat ſimulacrum,

*Infelix ſimulacrum atque ipſius umbra*
*Creuſa*
*Viſa mihi ante oculos & notâ major imago.*

Suetonius Tranquillus, in Julio Cæſare, cap. 76. Imagines Julii Cæſaris, adhuc ſuperſtitis, in templis collocatas, vocat ſimulacra. Et in Auguſto Cæſare, cap. 17. defuncti Julii Cæſaris imaginem, vocat ſimulacrum D. Julii. Minutius Felix in Octavio, *Quod enim* (inquit) *ſimulacrum Deo fingam, cum, ſi rectè æſtimes, ſit Dei homo ipſe ſimulacrum.* Hæc Minutius Felix. Lactantius etiam, Latinæ linguę non imperitus, ſimulacrum à ſimilitudine dictum ait, omnemque imaginem etiam quæ vero Deo fiat, appellat ſimulacrum, & pro eodem habet imaginem & ſimulacrum, & hominem vocat ſimulacrum Dei, lib. 2. divinarum inſtitutionum, cap. 2. & lib. 6. cap. 10. Qua Lactantii auctoritate coactus Bellarminus fatetur nomen ſimulacri eſſe paullò communius, vetius diſſet eſſe ex communiſſimis. Interpres Clementis Alexandrini pro eo quod Clemens, in Protreptico, hominem dixit eſſe ἄγαλμα τοῦ θεοῦ, vertit Latinè, Simulacrum Dei nos (inquit) ſumus qui Dei imaginem circumferimus in hoc vivo & quod movetur ſimulacro homine, &c. Quin & ipſi Ethnici Latini deorum ſuorum (quos tamen pro veris diis habebant, licet errantes) imagines appellabant ſimulacra, unde Varro apud Auguſtinum lib. 4. de Civitate cap. 9. & 31. conqueritur de introductis ſimulacris Deorum, quos ſine ſimulacris caſtius ait obſervari poſſe. Et Plinius junior, lib. 10. epiſt. 97. *Imaginem* (inquit) *tuam juſſeram cum ſimulacris Numinum afferri.* Suetonius in Nerone, cap. 32. ſcribit, Neronem templis compluribus dona detraxiſſe, ſimulacraque ex auro & argento fabricata conflaſſe. Virgilius ait Hecubam & gnatas confugiſſe ad ſimulacra deorum. Æneid. 2.

*Et divûm amplexæ ſimulacra tenebant.*

Interpres etiam Latinus, Jſai. 40. verſ. 20. ponit ſimulacrum, ubi tamen in Græco legimus εἰκόνα. Unde in hoc etiam falſi convincitur Bellarminus, dum affirmat ſemper in Græco eſſe εἴδωλα, ubi Latinus interpres poſuit ſimulacra: Quod etiamſi verum eſſet (licet falſum eſſe oſtenderimus) nihil tamen efficeret Bellarminus pro tutela ſui commenti: ſuprà enim demonſtravimus, idolum appellari imaginem arte factam etiam creaturæ, & imaginem etiam quæ vero Deo fiat, & collocetur ad adorandum. Licet miſerè decipiantur ejuſmodi cultores; quum Deus nolit coli in ſimulacro. Sabellicus etiam, Ennead. 8. lib. 7. & Thuanus hiſtoriarum lib. 6. ſcribunt Leonem Jſauricum ſuſtuliſſe è Chriſtianorum templis imagines & ſimulacra, ideóque Iconomachum dictum, & hæreticum judicatum à Pontificibus Romanis. Et Catechiſmi Romani verba ſunt; *Nam in ſcripturis, juſſu Dei, ſimulacra & imagines effectas legimus; Cherubin, ſerpentis anei: ſupereſt igitur, ut imagines ob eam rem vetitas interpretemur, ne quid ſimulacris, quaſi diis colendis, de vero Dei cultu detraheretur.* Hactenus verba Catechiſmi, part. 3. cap. 2. qu. 10. ubi vides in Catechiſmo illo, qui ex decreto Concilii Tridentini, & Pii quinti Pontificis Romani juſſu, editus eſt, imagines & ſimulacra indifferenter dici, ad unam eandemque rem ſignificandam.

9. Auguſtini dictum recipimus; Nam Græcis idola, & Latinis ſimulacra dicuntur omnes imagines ſenſus vitæque expertes, quæ ab hominibus fiunt ut adorentur, vel factæ adorantur, ſive illæ figmento, ſive creaturæ, ſive etiam ipſi Creatori collocentur; & ſimulacrum appellat Auguſtinus imaginem Deo vero collocatam, lib. de fide & ſymbolo cap. 7. verba Auguſtini invenies ſuprà, lib. 1. hujus operis, capite 30. §. 8. Omnes tales imagines reſpuit Deus, & pro diis habet alienis, 1. Reg. 14. 9. & appellat mendaciā, Jſai. 44. 20. *Sicut enim* (inquit Hieronymus, in capite 7. Hoſ.) *contrarium eſt ſimulacrum Deo; ita mendacium veritati.* Loquitur autem Hieronymus de vitulis illis aureis Jeroboami, in quibus & per quos Jſraëlitæ colere ſe putabant Dominum Deum Jſraëlis: Deus tamen hinc conqueritur, ſe eſſe ab Jſraëlitis deſertum, & loquutos eſſe illos contra Dominum mendacia, hoc eſt, interprete Hieronymo, quod dixerint de idolis ſuis, Hi ſunt dii tui Jſraël, qui te eduxerunt de terra Ægypti, commutantes ſcilicet gloriam Dei in ſimilitudinem vituli comedentis herbam, ſicut olim fecerant ipſorum proavi in deſerto, Pſal. 106. 20. Vide ſuprà, in principio hujus capitis, ubi de vanitate idolorum. Thomas etiam docet, *pernicioſiſſimum eſſe mendacium, ſi quis Deum colat contra modum divinâ auctoritate traditum; ſi quis myſterium celebret aliter quàm Chriſtus tradidit; ſi traditioni humanæ applicetur nomen religionis.* Hactenus Thomas in ſecunda ſecundæ, qu. 83. art. 1. in corpore reſponſionis. Et ibidem ad ſecundum, ait peſtiferum eſſe in modo colendi Deum, præterire præcepta Dei.

*Vindicantur Auguſtinus & Hieronymus.*

*Traditioni humanæ non eſt applicandum nomen religionis.*

10. Ex his patet, quid ſit *idolum*, quod fieri & coli prohibetur in ſecundo præcepto. Clemens Alexandrinus in Protreptico τὸ ἄγαλμα, imaginem præcepto illo prohibitam, appellat ὕλην νεκρὰν τεχνίτου χειρὶ μεμορφωμένην, id eſt, *materiam mortuam artificis manu effigiatam, ſeu formâ donatam.* Loquitur autem de imagine illius quod colitur, & quæ in lege vetatur, quam

*Vide infrà, cap. 8. §. 16. & ſequentibus aliquot paragraphis.*

nefas eſſe ait facere etiam vero Deo. *Quid ſunt idola* (ait Auguſt.) *niſi quod Scriptura dicit, oculos habent & non vident. & quicquid tale de materia, licet aſſabrè effigiatis, tamen vitâ ſenſuque carentibus, dicendum fuit?* Hæc Auguſtinus lib. 8. de civitate Dei, cap. 24. Nos plenius ex ſacris literis, & Catholicâ antiquitate, dicimus prohiberi, ſecundo illo præcepto, efformationem ſeu figurationem, item aſſumptionem & ſuſceptionem cujuſcunque rei, quæ per naturam non eſt Deus, ad religiosè colendum atque adorandum, in honorem exemplaris, vel rei ſignificatæ. Inani autem illa excuſatione, qua dicunt, ſe adorare Deum in illa re & per illam rem; non ſolum noſtri Pontificii, ſed etiam veteres Pagani ſe inutiliter defendebant, ut referunt Lactantius, lib. 2. divinarum Inſtitutionum, cap. 2. & Auguſtinus, in Pſal. 113. Prohibetur ſecundo præcepto non ſolum effigiatum idolum, ſed etiam rudis ſtatua, aut columna, Levit. 26. 1. Idololatræ erant veteres Sarmatæ acinacem colentes; ut refert Clemens Alex. in Protreptico: idololatræ ſunt hodierni Mogomſai, Badai & Colmacci pannum rubeum ex pertica pendentem adorantes, ut notat Petrus Kærius in Aſiæ deſcriptione. Idololatræ erant Perſæ, qui ignem & aquam; item Ægyptii, qui hibridas & ichneumonas tanquam Deorum imagines [[illegible]] colebant. Et Theſſali, qui formicas colebant tanquam ſimilitudinem Jovis; quia ſcilicet didicerant Jovem aſſimilatum formicæ, coiiſſe cum Eurymeduſa filia Cletoris, & genuiſſe Myrmidonem: ut ſcribit Clemens Alex. in Protreptico. Idololatræ ſunt Pontificii, clavorum lignorumque rudium & ſudariorum adoratores. ſed quia proclivior eſt lapſus in iconolatriam, antequam ad imaginum ad adorandum poſitarum ſeu idolorum effigiatorum vanitatem clarius demonſtrandam, & impietatem Papiſtarum hac in parte ulterius redarguendam accedamus; juvat de origine iſtiuſmodi imaginum ſeu idolorum nonnulla in antecesſum prælibare, unde non parum claritatis toti huic negotio affulgebit.

*Idolum ſecundo præcepto prohibitum.*

## CAPUT SEPTIMUM.

### *De origine idolorum ſeu ſimulacrorum, ſive imaginum ad adorandum factarum aut aſſumtarum, ante promulgationem Euangelii.*

Bipartita eſt iſta quæſtio. Nam, 1. quæri poteſt de origine ejuſmodi idolorum ante Chriſti in carne adventum promulgatumque Euangelium; de origine, inquam, idolorum, ſive intra ſive extra Eccleſiam. 2. quæri poteſt de origine talium idolorum ſeu imaginum in Eccleſia Chriſtiana, ſeu inter eos qui ſe Chriſtianos appellabant, Chriſtique nomen profitebantur. Pars utraque intelligi poteſt de tempore, de auctore, de ratione impulſivâ.

2. Nonnulli etiam ante diluvium fuiſſe idola ſuſpicati ſunt, ſed nullo niſi firmo argumento, vel auctoritate. Alii à tempore Tharæ Patris Abraham repetunt originem idolorum: dicit quidem Scriptura ſerviviſſe Thare diis alienis, Joſh. 24. 2. at imaginum non meminit ante Labanem, cujus Teraphim abſtulit Rachel, Geneſ. 31. 19. qui etiam dicuntur dii peregrini, ſeu alieni, Geneſ. 35. 2. unde etiam veriſimile eſt, uſitatas fuiſſe imagines tempore Thare & Nachor; ita ut primi idolorum effigiatores fuerint Chaldæi, præeunte Nino, Beli filio, Aſſyriorum rege, qui contemporaneus fuit Thare. ſiquidem curaſſe fertur imaginem Belo Patri ſuo, quam ſubditis adorandam propoſuit, adjectis quibuſdam ritibus ſuperſtitioſis. Proximi Ægyptii habere cœperunt idola effigiata; ut colligere eſt ex hiſtoria Exodi, & ex Auguſtino: Nam Moſis tempore Ægyptus talibus idolis jam plena erat, Exod. 12. 12. unde ad ſimilitudinem bovis illius Ægyptii factus eſt poſtea ab Aarone vitulus in deſerto. Scribit etiam Moyſes, abominationi fuiſſe Ægyptiis opiliones & bubulcos (nempe ex armentis & gregibus victum ſumentes) tempore illo quo deſcendit cum ſua familia Jacob in Ægyptum. Geneſ. 46. 34. ſive quia Ægyptii jam tum ſimulacrum bovis adorabant, ſive quia vivum animal bovem colebant. Mercurius Triſmegiſtus, qui fertur Moſis tempore floruiſſe, originem ſimulacrorum refert ad proavos ſuos ſeu priſcos majores, apud Auguſtinum, lib. 8. de civitate Dei, cap. 24. Poſtea Græci, aliæque gentes, fecerunt ſibi ſimulacra quæ colerent, cum prius ſine ſimulacris colerent numen. Romanos enim plusquam annos centum & ſeptuaginta ſine ſimulacro Deos coluiſſe, teſtis eſt Varro, apud Auguſtinum, lib. 4. de Civit. cap. 31. Scythæ etiam idololatræ, priuſquam effigiata haberent ſimulacra, adorabant olim acinacem; Arabes autem lapidem, Perſæ fluvium; & ex aliis hominibus ii qui erant antiquiores, ligna erigebant inſignia, & columnas ponebant ex lapidibus, quæ etiam appellabantur ξόανα, (à verbo ξέω rado) eò quod raderentur & expolirentur ex materia. In Icaro imago Dianæ lignum erat non laboratum, & Cithæronia Junonis apud Theſpios truncus exciſus, & Samiæ Junonis, prius quidem erat aſſer, poſtea autem, cum eſſet Archon Procleus, [illegible], effigiata eſt facta imago. Poſtquam autem τὰ ξόανα ſtatuæ illæ [illegible] cœperunt [illegible], in hominis effigiem formari, appellata ſunt βρέτη, acceptâ denominatione ἀπὸ βροτῶν, id eſt, ex hominibus: Romæ autem τὸ ξόανον ſtatua Martis erat haſta. Cum nondum perveniſſent artifices ad hanc [illegible], poſtquam autem ars floruit, auctus eſt error: inquit Clemens Alexandrinus in Protreptico.

*Primi idolorum effigiatores Chaldæi.*

*Deinde Ægyptii.*

*Mercurius Triſmegiſtus.*

3. In Dei verò Eccleſia, ante tempora Euangelica, nullum unquam illius quod colebatur, permiſſum eſt ſimulacrum: & ſi quando ad errorem iſtum prolabebantur, iratum eo nomine Deum ſenſerunt; Exod. 32. & 1. Reg. 14. Ezekiel. 8. ideò obſervat contra Paganorum calumniam Tertullianus, ex Tacito, Cneum Pompejum, cum Hieruſalem cepiſſet, proptereaque templum adiiſſet ſpeculandis Judaicæ religionis arcanis, nullum illic repperiſſe ſimulacrum, & utique (inquit) ſi id colebatur, quod aliquâ effigie repræſentabatur, nuſquam magis quàm in ſacrario ſuo exhiberetur, eò magis quia verebatur extraneos arbitros una culturâ. Solis enim ſacerdotibus adire licitum, & conſpectus cæterorum velo oppanſo interdicebatur. Hæc Tertullian. Apologet. cap. 16. Varro etiam apud Auguſtinum, lib. 4. de Civit. cap. 31. gentem Judæam adhibet teſtem ſententiæ ſuæ; qua dixit, caſtius ſine ſimulacro coli Deum. In ſacris literis prohibentur Iſraelitæ, facere ullam imaginem etiam vero Deo. Deut. 4. & alibi. id quod etiam fatetur Joannes Damaſcenus, orat. 1. de imaginibus.



4. Si auctorem quæris ſimulacrorum? audi Scripturam, quæ ea appellat opera manuum hominum, Pſal. 125. Act. 7. Eſai. 40. &c. Idem prolixè declarat Clemens Alexandrinus in Protreptico, ubi etiam Palladium illud quod Pagani [illegible] appellabant, docet arte humanâ fuiſſe conſtructum ex oſſibus Pelopis; quemadmodum Olympium ex aliis oſſibus belluæ Indicæ: & teſtes adhibet Dionyſium in quinta parte circuli, & Apellam in Delphicis. Homines etiam primos idolorum fuiſſe auctores monet Hermes Triſmegiſtus, apud Auguſtin. lib. 8. de Civit. Dei, cap. 24. & Lactantius, lib. 2. divin. Inſtit. cap. 2. & alii. Porrò Lactantius, lib. 2. cap. 17. ſcribit, homines à dæmonibus malis edoctos eſſe, ut facerent ſimulacra adoranda, ſeu Deos factitios, Hi ſunt (*inquit, de malis dæmonibus loquens*) qui imagines & ſimulacra fingere docuerunt, conſecrarique fecerunt, &c. Auctores igitur idolorum ſeu imaginum ad adorandum, fuerunt diaboli, & homines ab eis edocti. Non Deus, qui eas ſemper prohibuit, & à ſuo cultu alienas pronunciavit, Exod. 20. Deut. 4. Eſai. 40. &c.

5. Cauſſam, quæ diabolos impulit, oſtendit ibidem Lactantius, nempe ut hominum mentes à cultu veri Dei averterent; ſciebant ſcilicet omne ſimulacrum, ad religiosè colendum fabricatum, etiamſi ipſi Jehovæ collocaretur, eſſe à cultu veri Dei alienum. quod & teſtatur paſſim Scriptura, ideo Deus Iſraelitas [illegible] dixit declinâſſe à rectâ viâ, quam monſtraverat eis, etſi per vitulum illum colere intendebant Jehovam Deum ſuum. Exod. 32. Eſaias ſimulacrum vocat mendacium, Eſai. 44. 20. jam autem mendacii parens eſt diabolus. Joan. 8. 44.

Cauſſam, quæ homines impulit, auctor libri Sapientiæ, cap. 14. eumque ſequutus Athanaſius, orat. contra gentes, dicunt fuiſſe partim acerbum quorundam luctum ob mortem eorum qui ipſis chari erant, cui ſolando fecerunt ſibi imagines illorum defunctorum, eaſque ſuperſtitiosè coluerunt; partim Tyrannorum imperia. Hermes cauſſam dicit fuiſſe errorem: ut refert Auguſtinus, lib. 8. de Civitate Dei, cap. 24. *Quoniam* (inquit Hermes) *proavi noſtri multum errabant circa Deorum rationem increduli, & non animadvertentes ad cultum religionemque divinam, invenerunt artem qua efficerent Deos.* Huic ſententiæ ſubſcribit Auguſtinus, & cauſſam hujus artis ait fuiſſe multum errorem hominum, & incredulitatem, & animi errantis atque infidelis à divina religione averſionem. Et addit, *immundos ſpiritus ſeu dæmones arte illa nefariâ ſimulacris colligatos, cultorum animas in ſuam ſocietatem redigendo, miſerabiliter captivaviſſe.* Præterea ait, *meliores eſſe homines diis ab homine factis; quemadmodum factor eſt melior ſuo opere.* id quod etiam inculcat Athanaſius, oratione contra Gentes.

7. Neque ſolus ille Hermes, ſed & alii inter ipſos Paganos viri celebres & eruditi, agnoverunt erroneum eſſe Numinis cultum per ſimulacrum. Plutarchi de Numa Romanorum Rege in vita Numæ, hæc ſunt verba, prout ea Latinè verſa refert Ludovicus Vives, in Comment. in Auguſt. lib. 4. de Civitate, cap. 17. *Hic autem Romanos prohibuit exiſtimare imaginem Dei, aut hominis ſpeciem aut animalis habere formam, nec fuit apud eos neque picta neque ficta Dei prius ſpecies, ſed in prioribus centum & ſeptuaginta annis, templa quidem ædificabant, ſacraque tuguria erigebant; ſimulacrum verò nullum corporeum dicabant, perinde atque nefas eſſet deterioribus meliora aſſimilare, neque aliter atque intelligentia Deum percipi poſſit.* Hæc ibi. Varro apud Auguſtinum, lib. 4. de Civit. cap. 31. ait, *ſi religio illa ſine ſimulacris manſiſſet, caſtiorem futuram Deorum obſervationem.* Cujus ſententiæ ſuæ teſtem adhibet inter cætera etiam gentem Judæam; nec dubitat eum locum ita concludere, ut dicat; qui primi ſimulacra Deorum populis poſuerunt, eos civitatibus ſuis & metum dempſiſſe, & errorem addidiſſe: (*quod Varronis judicium approbans Auguſtinus ſubjicit*) prudenter exiſtimans Deos facile poſſe in ſimulacrorum ſoliditate contemni, &c. Seneca in libro ſuo quem contra ſuperſtitiones condidit, ſic reprehendit ſimulacrorum dedicationem; Sacros, inquit, inviolabileſque Deos in materia viliſſima atque immobili dedicant; habitus illis hominum, ferarumque & piſcium, quidam verò mixto ſexu, diverſis corporibus induunt: Numina vocant, quæ ſi ſpiritu accepto ſubito occurrerent, monſtra haberentur; Hæc Seneca apud Auguſtinum, lib. 6. de Civitate Dei, cap. 10. Heraclitus etiam Epheſius exprobrat imaginibus [illegible], quod ſenſus expertes eſſent: ut refert Clemens Alexandrinus, in Protreptico.

*Paganorum quorundam teſtimonia contra ſimulacrorum uſum in cultu Numinis.*

8. De veteribus Perſis verba Herodoti lib. 1. ſive in Clio, cap. 131. hæc ſunt: Πέρσας δὲ οἶδα νόμοισι τοιοισίδε χρεωμένους. ἀγάλματα μὲν καὶ νηοὺς καὶ βωμοὺς οὐκ ἐν νόμῳ ποιευμένους ἱδρύεσθαι, ἀλλὰ καὶ τοῖσι ποιεῦσι μωρίην ἐπιφέρουσι, (ὡς μὲν ἐμοὶ δοκέειν) ὅτι οὐκ ἀνθρωποφυέας ἐνόμισαν τοὺς θεοὺς, κατάπερ οἱ Ἕλληνες, εἶναι. id eſt; ritus autem, quibus utuntur Perſæ, tales eſſe comperi, neque imagines neque templa neque aras extruere lex ipſis eſt: quin & iſta facientibus inſaniam imputant; ob id, (ut mihi quidem videtur) quia non ſentiunt Deos ex hominibus eſſe ortos, ſicut Græci. Hæc Herod.

Atque hæc quidem de origine idolorum, ante Chriſti in carne adventum, Euangeliique promulgationem, dixiſſe ſufficiat. Supereſt ut inquiramus; *quando cœperit, & quis fuerit uſus imaginum apud Chriſtianos.*

## CAPUT OCTAVUM.

### *De imaginum uſu apud Chriſtianos, uſque ad Conſtantinum Magnum Imperatorem.*

*Prior pars capitis, exhibens argumenta Pontificiorum, cum reſponſionibus noſtris.*

*De Chriſti imagine ad Regem Abgarum miſſa.*

PONtificii originem uſumque imaginum, in Eccleſia Chriſtiana, ab ipſo arceſſunt Chriſti in terris miniſterio: Bellarminus, lib. de imaginibus, cap. 10. Pamelius in annotationibus in cap. 12. Apologetici Tertulliani, & alii. Primam imaginem fingunt Chriſtum ipſum linteo faciei ſuæ admoto feciſſe, & Regi Abgaro miſiſſe: & citant teſtes Euagrium, lib. 4. cap. 26. & Metaphraſten, in vita Conſtantini, & Damaſcenum, lib. 1. de imaginibus, & Nicephorum, lib. 2. cap. 2.

2. *Reſpondeo*, hujus fabulæ vanitatem redarguit Apoſtolorum & Euangeliſtarum, omniumque Chriſtianorum per integra fere ſex ſecula de iſto commento altum ſilentium. Euagrius enim hiſtoriam ſuam terminat anno Chriſti quingenteſimo nonageſimo quinto, ſive anno duodecimo Mauritii Imperatoris Romani; quâ ætate notum eſt multis fabellis fidem eſſe habitam: qualis eſt illa fabula, quam refert idem Euagrius in hiſtoria ſua, lib. 5. cap. 18. de imagine quadam Mariæ Deiparæ, quam imaginem Euagrius dicit ab Anatolio quodam ſupplicante indignabundam ſe avertiſſe. Item, de apparitionibus Mariæ Virginis, aliorumque ſanctorum defunctorum, apud Euagrium ibidem & apud alios. Multæ etjam extant hujuſmodi fabulæ apud Damaſcenum Iconolatram; cujus auctoritas in hoc argumento nullius momenti eſt: & apud Metaphraſten, quem Cardinales, Baronius in Annalibus, & Bellarminus, libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, ſcribunt vixiſſe circa annum Domini 859. & in conſcribendis vitis ſanctorum multa addidiſſe ex proprio ingenio, quæ fidem non merentur. Nicephorus Calliſti, vixit poſt annum Domini milleſimum treceenteſimum: & in ejus hiſtoria non paucos errores hiſtoricos inveniri, monent ex Baronio, Bellarminus, lib. de ſcript. Eccleſ. & Poſſevinus in apparatu ſacro.

*Damnata ſunt Pontificum decretis.*

3. Secundo. Narratio illa Euſebiana de literis inter Abgarum & Chriſtum, à Gelaſio Papa cum ſynodo ſeptuaginta Epiſcoporum, decreto publico, accenſetur ſcriptis Apocryphis, & vitandis, anno Dom. 494. ut legere eſt, tom. 3. Concil. edit. Pariſ. & apud Gratianum, diſt. 15. can. Sancta Romana. quamvis illam fabulam, ut veram, impudenter defendat Adrianus Papa I. in Reſponſione ad Capitulare Caroli Magni, cap. 18.

4. Nicephorus autem Calliſti, eandem narrationem repetens, manifeſtè falſarius deprehenditur: ſcribit quidem Euſebius, in fine primi libri ſuæ hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, Abgarum Edeſſenorum regem miſiſſe ad Chriſtum epiſtolam, & aliam à Chriſto recepiſſe; deinde poſt Chriſti aſcenſionem Thaddæum, unum ex Chriſti diſcipulis, Edeſſam profectum eſſe, ibique curationes multas perfeciſſe, Euangeliumque prædicâſſe: quæ omnia ſe habere ſcribit ex publicis chartis Edeſſenis Syriacâ Linguâ ſcriptis; & inde hanc narrationem, in Græcum ſermonem tranſlatam, ait ſe hiſtoriæ ſuæ inſeruiſſe: ſed nulla illius imaginis fit mentio apud Euſebium. Ecce igitur fraudem Nicephori; nam ad Euſebii narrationem hæc addit de ſuo: Poſtquam (inquit) Abgarus ſcripto ſuo perſuadere Chriſto non potuit quod voluiſſet, deſperato ejus adventu, quid caperet conſilii incertus, eo tamen quo in Chriſtum tenebatur deſiderio perculſus, pictorem eximium ad eum miſit, eique ut diligenter & accuratè faciem ejus in pictura effingeret, imaginemque pro deſiderato illo ſibi afferret, imperavit: & ille quidem venit, atque in loco ſublimiori ſtans fingere Chriſtum uti decebat conabatur; quum verò cœptum opus non ſuccederet, (divinus quippe ſplendor & gratia in vultu ejus coruſcans impedimento erat) re cognitâ, Salvator textum linteum petit, in eoque prius loto faciem ſuam exprimit, & ad Abgarum mittit. Dicitur quoque Perſarum Rex manu ingenioque promtum pictorem miſiſſe, & per hunc ferventi fidei deſiderio ſimul & ipſius Chriſti, & quæ eum divino modo genuit Matris quàm celerrimè imaginem depictam accepiſſe. Hæc Nicephorus. Deinde his ſuis aſſumentis hanc clauſulam ſubjungit Euſebianam; atque hæc quidem (inquit) ex tabulariis & archivis Civitatis Edeſſæ, quæ tum regiâ adminiſtrabatur poteſtate, ſunt deſumta. fuerunt enim in publica librorum monumenta relata, & libri de Abgari rebus conſcripti; hæc quoque complectebantur ex Syrorum Lingua tranſlata, quæ à me etiam rectè hoc loco opinor eſſe expoſita. Hactenus Nicephorus. qui meminit tranſlationis illius è Syriaca Lingua, de qua ſcribit Euſebius, & archivorum Edeſſenæ civitatis quæ ait Euſebius ſua adhuc ætate extitiſſe, & tamen non verecundatur fabulas ſuas de pictoribus & imaginibus quaſi inde acceptas, obtrudere imperitis.

*De Chriſti ſtatua, quam mulier ſanguine fluxu liberata erexit.*

5. Aliam imaginem, tempore Chriſti factam, ajunt eſſe illam quam, apud Paneadem, mulier, liberata à fluxu ſanguinis, erexit Chriſto: teſtem citant Euſebium, lib. 7 hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap. 14. & Sozomenum, lib. 5. cap. 20. & alios recentiores.

6. *Reſpondeo*: Euſebius, lib. 7. cap. 18. in Græco (unde hanc narrationem hauſerunt Poſteriores) ait quidem ſuo tempore extitiſſe Paneade (quæ prius Cæſarea Philippi dicebatur) & ſibi viſam eſſe imaginem æneam [ἀνδριάντος χαλκοῦν] mulieris, genibus flexis, & manibus, inſtar ſupplicantis, in anteriorem partem extenſis, ſuper editum lapidem collocatam: huic è regione viri erectam imaginem [ἀνδρὸς ὄρθιον ἄγαλμα] ex eadem materia conflatam, veſte longâ amictam, & manum mulieri porrigentem: ad pedes autem hujus imaginis peregrinam quandam & inuſitatam herbæ ſpeciem enaſci, quæ, ubi ad ænei veſtimenti fimbriam excreviſſet, morbis cujuſque generis medicandi vim & facultatem haberet. Imaginem illam Euſebius ait ſibi viſam: de herba autem, item cujus fuerit illa imago, narrat ex aliorum relatione. Addit autem, non mirum eſſe veteres ex gentibus, accepto à Servatore beneficio, iſta feciſſe; nam & Apoſtolorum Pauli & Petri, ipſiuſque etiam Chriſti, depictas coloribus imagines, ad illud uſque tempus ſervatas, vidiſſe ſe ait; quod factum eſſe dicit ἐθνικῇ συνηθείᾳ, gentili quadam conſuetudine. Gentiles enim ſolebant iſto modo honorare eos qui tanquam ſervatores illis fuiſſent, id eſt, qui aliquid illis ſalutis & ſubſidii attuliſſent: ait quidem Euſebius profectum ſe ad locum illum ſtatuam vidiſſe, quam dicebant



referre effigiem Jeſu, at non ait ſe illi ſupplicaſſe: non ait in templo collocatam eſſe imaginem illam, aut à quoquam adoratam, aut ulla religione cultam: ſed hiſtoriale quoddam monimentum fuiſſe ſanationis mulieris ſanguifluæ ex contactu fimbriæ veſtimenti Chriſti, à gentilibus erectum. Et ſanè ſi verum eſt quod ſcribit Nicephorus, lib. 10. cap. 30. nempe temporis diuturnitate & oblivione intercidiſſe cujuſnam ea ſtatua formam referret, & cujus rei gratia ibi eſſet collocata, ſimulacri enim illius ſub dio ſtantis corpus non parum eſſe immutatum, & imbres ex locis ſuperioribus, limum ſecum trahentes ſtatuæ ipſi aggeſſiſſe, adeo ut cognitio ea, quæ ex literis nomina indicantibus provenit, incerta reddita fuerit: illos tamen, qui medicam herbæ vim experti erant, ſumma diligentia cauſſam tantæ efficaciæ, quam ignorabant, inveſtigantes, terram illam effodiſſe, & literas tum demum apparuiſſe, rem ipſam certo indicantes; herbam verò illam deinceps ab eo tempore, neque eo ipſo neque alio loco eſſe conſpectam: ſi, inquam, vera eſt hæc Nicephori narratio, clarum eſt, durante herbâ, ignoraſſe Chriſtianos cujuſnam ea eſſet ſtatua, vel ſaltem eam non curâſſe, neque ſollicite ab imbrium & tempeſtatum injuriâ muniviſſe; tantum abeſt ut illi ſupplicarent, preceſque & thymiamata ei offerrent, ſicuti imaginibus faciunt hodierni iconolatræ. Sozomenus hiſtoriæ ſuæ Eccleſiaſticæ, lib. 5. cap. 20. refert, ſtatuam illam à Juliano Apoſtata, in contemtum Chriſti, deturbatam eſſe, ejuſque loco poſitam eſſe ſtatuam ipſius Juliani, quo facto, ſtatuam illam Juliani cœlitus igne percuſſam eſſe, & capite colloque truncatam; unde gentiles ſtatuam Chriſti tanta cum violentiâ traxiſſe, ut eam confregerint: Chriſtianos verò poſtea collegiſſe ejus fragmenta, & in Eccleſia poſuiſſe, ubi & aſſervata eſſe ait uſque ad ſuam ætatem. Nicephorus Calliſti hanc partem hiſtoriæ ex Sozomeno repetens, ſuo more, addit, Chriſtianos ſtatuam Chriſti in diaconicum Eccleſiæ tranſtuliſſe, & honoratiore loco poſitam cultu convenienti proſecutos eſſe: poſtea verò quàm confracta eſt à Græcis, fatetur collectas tantum partes in Eccleſia eſſe repoſitas, neque ait, de novo conflatam eſſe & in integrum reſtitutam imaginem, aut à quoquam adoratam. Illud igitur de cultu, & de locatione ſtatuæ in diaconico adjecit de ſuo Nicephorus, ſine ullo antiquo auctore.

*De imagine Chriſti quam Nicodemus feciſſe dicitur.*

7. Tertiam imaginem, tempore Chriſti factam, ajunt Pontificii eſſe illam Chriſti imaginem, quam dicitur Nicodemus feciſſe, & quæ à Judæis crucifixa eſſe dicitur Beryti, in Syria, & aquam & ſanguinem effudiſſe, qui miſſus ſit per Aſiam, Africam, & Europam. Teſtem citant Nicæni illi in ſeptima Synodo, eoſque ſequuti Pontificii iconolatræ, Athanaſium, in libello de paſſione imaginis Domini.

Tertia eſt (inquit Bellarminus) quam dicitur Nicodemus feciſſe & quæ à Judæis per ludibrium crucifixa innumerabilibus miraculis claruit, refert hoc Athanaſius in libello de paſſione imaginis Domini, cap. 4. & quanquam dubium eſſe poſſit, an ſit hoc opus magni Athanaſii, tamen certum eſt eſſe antiquiſſimi auctoris, quandoquidem citatur tanquam antiquiſſima hiſtoria in ſeptima Synodo, actione quarta. Hæc ille.

*Reſp.* Ipſe Bellarminus pro nobis contra ſe & Synodum illam reſpondet lib. de ſcriptoribus Eccleſiaſt. in Cenſura tomi 4. operum ſancti Athanaſii Alexandrini Patriarchæ. Ejus verba recitavimus ſuprà, cap. 5. §. 18. Item Sabellicus. Enimvero, inquit, Irene & filio imperantibus, ferunt Hebraici ſanguinis virum quendam in Syria, in Chriſtianorum contemtum Chriſti imaginem lanceâ ſuffodiſſe, unde ubertim ſanguis effluxerit. Ennead. 8. lib. 9. Jam autem, illo tempore, fidem eſſe vulgo habitam multis hujus farinæ ineptiſſimis fabulis, nemo neſcit, niſi in illorum temporum hiſtoriis peregrinus. Cujuſmodi puerilium & anilium fabularum inſulſam congeriem inveniet lector in actis pſeudoſyllogi illius Nicæni, actione 4. & actione 5.

*De Veronica.*

*Iacob. Pamel. annot. in Tertullian. Apologet. cap. 12. num. 134.*

8. Quartam imaginem, tempore Chriſti factam, ajunt eſſe illam Chriſti effigiem, quam fabulantur Pontificii Chriſtum ad mortem euntem ſudario impreſſiſſe, & mulieri cuidam, ſanctæ Veronicæ, tradidiſſe: unde & ipſa effigies Pontificiis hodiè Veronica appellatur; quæ (inquit Pamelius) etiamnum Romæ extat, tantâ in veneratione, ut de illa dubitare poſthac non modò miracula non permittant, ſed nec aſpectus ipſe: cujus interim fit mentio olim apud Albericum in ſuo dictionario, ante annos abhinc ferè trecentos, anno Domini milleſimo trecenteſimo quinquageſimo; & extat, in bibliotheca Vaticanâ, ejus imaginis Romam ſub Tyberio advectæ hiſtoria, graviter conſcripta, quam totam perlegiſſe ſe mihi retulit clariſſimus Theologus, Thomas Stapletonus Anglus. Hæc ille.

*Reſpondeo*; iſtam fabulam quæ neque à ſacris literis, neque ab ullo vel mediocri auctore per tam multa poſt Chriſtum ſecula auctoritatem habet, meritò repudiamus, cum aliis fabuloſis legendis, cum quibus eodem loco habemus Apocryphum illud Stapletoni iconolatræ manuſcriptum, & ſanè mirum eſt Hadrianum primum Pontificem Romanum, iconolatriæ ſive mavis iconodulæ patronum acerrimum, Patreſque Nicænos ſeptimæ Synodi, & Conſtantinopolitanos octavæ, totumque illorum temporum iconolatricorum ſcriptorum agmen, nuſquam de tam celebri tantique momenti imagine meminiſſe: unde meritò colligitur, iſtam imaginem illis temporibus nullam fuiſſe.

*De Chriſti imagine à B. Luca depicta.*

9. Quinto; Thomas Aquinas mentionem facit imaginis Chriſti, à Luca depictæ. B. Lucas (verba ſunt Thomæ) dicitur depinxiſſe Chriſti imaginem, quæ Romæ habetur. part. 3. quæſt. 25. art. 3. ad 4. *Reſpondeo.* Dicitur quidem, ſed non probatur.

*De imaginibus beatæ Virginis à Luca depictis. Bellarm. lib. de imaginibus, cap. 10.*

10. Sexto. Extant etiam (inquit Bellarminus) imagines beatæ Virginis, quas B. Lucas pinxiſſe dicitur. quarum meminit Theodorus Lector, qui ante mille annos floruit, lib. 1. Collectaneorum, Nicephorus, lib. 14. hiſt. cap. 2. & Simeon Metaphraſtes, in vita S. Lucæ.

*Vide ſupra cap. 5. §. 21.*

*Reſpondeo*; Neque hæc ſufficiens probatio eſt, poſt altum ſexcentorum circiter annorum ſilentium, tacentibuſque celeberrimis probatiſſimæque fidei ſequentium etiam temporum hiſtoricis: & notum eſt, tempore Theodori Lectoris nimiam fuiſſe multorum facilitatem, tum in admittendis, tum in referendis inanibus & fabuloſis commentis. De omnibus iſtiuſmodi relationibus dicimus, quod olim Gelaſius Papa Romanus de ſcriptis de inventione S. crucis Dominicæ, & de inventione capitis Joannis Baptiſtæ: novellæ quidem revelationes ſunt, & nonnulli eas Catholici legunt, ſed quum hæc ad Catholicorum manus pervenerint, B. Pauli Apoſtoli ſententia præcedat,

1.Theſſ. 5,21. præcedat. Omnia probate, quod bonum eſt retinete. diſtinct. 15. can. ſancta Romana.

De pictura Parabolæ ovis perditæ & inventæ. 11. Septimo, ut probent uſitatas fuiſſe imagines tempore Tertulliani, & in veneratione fuiſſe, duo citant ex Tertulliano teſtimonia. unum ex libro de pudicitia, cap. 7. ubi ſcribit in calicibus Chriſtianorum pingi ſolitam eſſe illam Luc.15.5. Parabolam ovis perditæ à Domino requiſitæ, & humeris ejus revectæ.

*Reſpondeo*, aliud eſt hiſtoricam Parabolæ picturam in calicibus privatis aut etiam publicis habere, aliud verò ipſum illud quod colitur repræſentatione propriâ exprimere in imagine, & imaginem illam religioſè adorare Protaſis enim Parabolæ non Deus eſt, ſed ad Deum ducit, propriè verò eſt res quædam inferior in humanis uſitata; ut videre eſt in Parabola ſatoris, & ſeminis, & agri, Matth. 13. & in Parabola mulierculæ verrentis domum ad recuperandum amiſſam drachmam, & Paſtoris relinquentis oves nonaginta novem in deſerto, ut errantem reducat, Luc. 15. Et qui depingit iſtas Parabolas, is res humanas & terrenas depingit, quamvis in ſermone Dominico per ſimilitudinem Parabolicam adhibeantur earum vocabula, ut nos perducant ad res divinas & cœleſtes. Chriſtus ſe comparat Satori, Paſtori, mulieri, gallinæ, viti, &c. ſi quis igitur depingat Paſtorem oves ſuas paſcentem, aut perditam, ut ſit, reportantem, vel mulierem pavimentum verrentem amiſſamque drachmam invenientem, vel agricolam ſemina ſulcis mandantem, vel gallinam pullos ſub alis foventem, vel vitem palmites uviferos protendentem, jacentibus humi aliis defractis & areſactis, ut iſtas Parabolas per picturam frequentius revocet in memoriam, non propterea dicendus eſt habere vel adorare imaginem illius quod colitur, ſed tantum habere typum typi, id eſt, picturam illarum rerum quibus aſſimilatur Chriſtus in Parabola, pro noſtro captu ad deſignandum varia ipſius beneficia. quis enim vel inter ipſos Pontificios ferret hominem, qui imaginem gallinæ pullos foventis, vel mulierculæ domum verrentis, religioſè adoraret: hoc prætextu ſcilicet quod grata Deo eſſet imaginum Chriſti religioſa adoratio? Certè multò æquius adoranda eſſet viva gallina pullos fovens, quæ eſt picturæ illius exemplar (ut loquuntur) magiſque repræſentat Parabolam quam gallina picta: & viva mulier domum verrens, ad inveniendum amiſſam drachmam: & vera vitis, in vinea ſuccreſcens & botros proferens, iſta enim ſunt typi terreni rerum cœleſtium; at verò illiuſmodi picturæ typi ſunt terreni typorum terrenorum. Abhorruiſſe verò Chriſtianos ab adoratione imaginum, tempore Tertulliani, oſtendemus, (Domino donante) infrà, ex ipſo Tertulliano, & aliis.

12. Alter locus, quem pro imaginum adoratione citant ex Tertulliano Pontificii, extat in Apologetico Tertulliani, cap. 16. ubi refert Ter-
De Paganorum criminatione adverſus Chriſtianos, quaſi religioſos crucis. tullianus Paganos objeciſſe Chriſtianis, quod crucis eſſent religioſi, & lignum aliquod propitiarent. Neque ipſe (inquiunt) hoc negat eſſe verum. At certè nunquam Gentilibus in mentem veniſſet, ut noſtris objicerent adorationem crucis (inquit Bellarminus,) niſi vidiſſent primis illis & ſanctiſſimis Chriſtianis crucem ſummæ venerationi fuiſſe.

*Reſpondeo*, unde igitur venit in mentem Paganis, ut objicerent Chriſtianis adorationem capitis aſinini, apud Tertullianum eodem capite, & monſtri illius Onychitæ, ibidem; & infanticidium in ſuis myſteriis, ut referunt Minutius Felix in Octavio, & Athenagoras in legatione pro Chriſtianis? quas calumnias, ut & illam, de propitiatione ligni & adoratione crucis, Tertullianus, capite illo 16. facetè ridet ac retorquet; & cap. 17. planè depellit: oſtendens unicum religioſæ adorationis apud Chriſtianos objectum eſſe illum, qui eſt ſolus verus Deus: quod colimus nos (inquit) Deus unus eſt, qui totam molem iſtam, &c. ad eandem calumniam reſpondens Minutius Felix in Octavio, Nos (inquit) cruces neque adoramus, neque optamus. Inde autem veriſimile eſt calumniæ huic anſam arripuiſſe Paganos, quod audirent Chriſtianos cum Paulo Apoſtolo gloriantes in cruce Chriſti, qui ſuper lignum portavit peccata noſtra, ut loquitur Petrus Apoſtolus, etſi non lignum, ſed illum qui in ligno paſſus eſt adorabant. ut taceam lignum crucis non tunc fuiſſe inventum. Vide ſuprà cap. 5. §. 11. Citant & alium locum è Tertulliano pro religione crucis, de quo loco dicemus infrà, §. 30.

13. Octavo, inde probare conantur Pontificii antiquitatem uſus cultuſque imaginum in Eccleſia Chriſtiana; quia Ælius Lampridius, in vita Alexandri Severi refert, Alexandrum Imperatorem in ſuo Larario imagines Chriſti & Abrahæ habuiſſe: & Euſebius, lib. 7. hiſtoriæ ſuæ, dicit, ſe vidiſſe imagines depictas Pauli & Petri.

*Reſpondeo*, factum id ab Alexandro & aliis ἐθνικῇ συνηθείᾳ uti ſuprà ex Euſebio monuimus: neque exemplum Ethnici Imperatoris idonea eſt regula divini cultûs. Euſebius verò imagines illas ſibi viſas eſſe refert, ut rem apud Chriſtianos inſolentem, & quæ mira videri poſſet. Ideo ait illas factas eſſe gentili quadam conſuetudine, neque mirum videri debere, ſi ejuſmodi imagines, gentiles à Chriſto & Apoſtolis beneficiis affecti fecerint & aſſervarint; ſic enim ſolitos fuiſſe gentiles eorum qui iis benefeciſſent memoriam per imagines conſervare.

14. Atque hæc quidem omnia ſunt, quæ pro imaginum in Eccleſia Chriſtiana, per primos trecentos annos, uſu & veneratione prolata invenio à Pontificiis. Unde liquet, non poſſe illos ex ullo certo teſtimonio demonſtrare venerationem, aut uſum imaginum, currentibus illis tribus primis ſeculis. Nunc viciſſim & noſtras proferamus probationes, quibus oſtendamus veteres Chriſtianos per illa tria ſecula abhorruiſſe ab imaginum cultu, neque imagines illius quod religioſè colebant, habuiſſe; ſed primum illarum uſum cultumque in Eccleſia Chriſtiana, ſive inter eos qui Chriſti nomen profitebantur, cœpiſſe à nefariis, teterrimis & prodigioſis hæreticis.

15. Irenæus, lib. 1. contra hæreſes, Marcum quendam hæreſiarcham appellatum eſſe ſcribit à divinæ adſpirationis ſeniore fabricatorem idolorum, eo quod incorporalis Dei materiam & ſubſtantiam ex multis literis, aliis ex aliis generantis, fabricaret Marcus ille Dædalus fictor & faber malus factus ſublimiſſimæ virtutis. Hæc Irenæus, de Marco illo, cap. 12. libri citati. Idem cap. 23. ait, Imaginem Simonis Magi, factam ad figuram Jovis, & imaginem Selenæ (aliàs Helenæ) in figura Minervæ, adoratas eſſe à Simonianis. Idem ſcribit Auguſtinus, lib. ad Quodvultdeum, hæreſ. 1. ubi ait, Simonem Magum imagines illas diſcipulis ſuis adorandas præbuiſſe. Ecce parentem Iconolatriæ inter Chriſtianos! Deinde Irenæus, libro 1. cap. 23. de Saturninianis hæreticis loquens, utuntur (inquit) & imaginibus, & incantationibus, & invocationibus, & reliqua univerſa pergia. Et cap. 24. de Carpocratianis ſcribens, qui ſe Gnoſticos vocabant, etiam imagines (inquit) quaſdam quidem depictas, quaſdam autem & de reliqua materiâ fabricatas, habent, dicentes formam Chriſti factam à Pilato, illo in tempore quo fuit Jeſus cum hominibus, & has coronant, & proponunt eas cum imaginibus mundi Philoſophorum, videlicet, cum imagine Pythagoræ, & Platonis, & Ariſtotelis, & reliquorum, & reliquam obſervationem circa eas ſimiliter ut gentes faciunt. Hæc Irenæus. Non eo ſolum nomine culpans Gnoſticos, quod imagini Chriſti alias adjungerent mundi Philoſophorum, ſed id etiam, ut parergon & hæreticum, in illis obſervans, quod imagines ullas haberent, quod formam Chriſti fingerent factam à Pilato, (ſicuti Pontificii noſtri hodie fingunt factam ab ipſo Chriſto, & à Nicodemo) & quod ipſam etiam Chriſti quam vocabant imaginem coronarent, & proponerent religioſo cultu obſervandam; hunc enim morem eſſe non Chriſtianorum, ſed gentilium. De iiſdem Carpocratianis ſcribens Auguſtinus, hæreſ. 7. Sectæ (inquit) ipſius fuiſſe traditur ſocia quædam Marcellina, quæ colebat imagines Jeſu, & Pauli, & Homeri, & Pythagoræ, adorando, incenſumque ponendo. Hæc ille.

16. Tertullianus in Apologetico (quem ſcripſit anno Domini ducenteſimo; ut in ejus vita ſupputat Pamelius) capite 12. de Chriſtianis ſui temporis loquens, Si ſtatuas (inquit) & imagines frigidas, mortuorum ſuorum ſimilliimas, non adoramus, quas milvi & mures & araneæ intelligunt, nonne laudem magis quam pœnam merebatur repudium agniti erroris? Hæc ille. Diſputans quidem contra idola gentium, argumento tamen utens quo omnis imaginum religioſa excluditur adoratio. Vide ſuprà, §. 12. & cap. 5. §. 11. & cap. 6. §. 5.

17. Eodem pertinent illa Minutii Felicis verba in Octavio, Quanta (inquit) & de diis veſtris animalia bruta naturaliter judicant, mures, hirundines, milvi, non ſentire eas ſciunt, norunt, inculcant, inſident, &, niſi abigatis, in ipſo Dei veſtri ore nidificant; araneæ verò faciem ejus intexunt, & de ipſo capite ſua fila ſuſpendunt. Hactenus Minutius.

18. Sed redeamus ad Tertullianum; qui librum de idololatria ſcripſit contra ſimulacra gentilium: nulla enim inter Chriſtianos illo tempore inveniebantur, niſi forte inter reliquias veterum hæreticorum. Sic autem argumentatur Tertullianus, ut omnem imaginum adorationem aut in uſum religioſum fabricationem, Chriſtianis prohibitam eſſe doceat; ut patet ex hiſce ipſius verbis, libri citati cap. 3. Omnis (inquit) forma vel formula idolum ſe dici expoſcit. inde idololatria omnis circa omne idolum famulatus & ſervitus. inde & omnis idoli artifex ejuſdem & unius eſt criminis. Et cap. 4. Idolum tam fieri quàm coli Deus prohibet. quanto præcedit ut fiat quod coli poſſit, tantò prius eſt ne fiat, ſi coli non licet. Propter hanc cauſſam ad eradicandam ſcilicet materiam idololatriæ lex divina proclamat, *ne feceritis idolum*, & conjungens, *neque ſimilitudinem eorum quæ in Cœlo ſunt, & quæ in terra, & quæ in mari*. Toto mundo ejuſmodi artibus interdixit ſervis Dei.

Reſpondetur objectioni de ſerpente æneo. Et cap. 5. Sed ait quidam; Cur ergo Moſes in eremo ſimulacrum ſerpentis ex ære fecit? Seorſum figuræ quæ diſpoſitioni alicui arcanæ præſtruebantur, non ad evogationem legis, ſed ad exemplarium cauſæ ſuæ. ——— Bene quod idem Deus qui lege vetuit ſimilitudinem fieri, extraordinario precepto ſerpentis ſimilitudinem interdixit. ſi eundem Deum obſervas, habes legem ejus, *ne feceris ſimilitudinem*. ſi & præceptum factæ poſtea ſimilitudinis reſpicis, & tu imitare Moyſen, ne facias adverſus legem ſimulacrum aliquod, niſi & tibi Deus juſſerit. Et cap. 8. reſpondens artificum uſitatæ objectioni: Non habeo aliud, quo vivam: Si (inquit) ita neceſſitas exhibitionis extenditur, habent & alias ſpecies, quæ ſine exorbitatione diſciplinæ, id eſt, ſine idoli confecturâ, opem victus præſtent; Scit albarius tector & tecta ſarcire, & tectoria inducere, & ciſternam liare, & cymatia diſtendere, & multa alia ornamenta, præter ſimulacra, parietibus incruſtare, &c. Hæc

Priſcorum Chriſtianorum abſtinentia à ſimulacrorum uſu. Tertullianus. Unde colligimus nullum fuiſſe, tempore Tertulliani, religioſum, ac vix politicum uſum imaginum inter Chriſtianos; nam in prolixa illa ſua ad propoſitam artificum exceptionem reſponſione, nuſquam monet ut Chriſti & ſanctorum potiùs faciant imagines, quàm falſorum Deorum; ſed prorſus abſtinendum eſſe monet ab omni effigiei ſeu ſimulacri fabricatione, nullum enim ſimulacrum colere licere, neq; ſuppeditandam eſſe materiam idololatriæ. Abſtinuerunt autem tunc temporis à ſimulacrorum uſu etiam politico, alioqui non illicito, Chriſtiani; ne viderentur colere imagines, & ne Ethnicorum ſuperſtitionem fovere viderentur, & ne ſcandalizarentur infirmiores.

Clementis Alexandrini diſſertatio contra cultum imaginum. 19. Clemens Alexandrinus, qui circa annum ducenteſimum, nempe initio ſeculi tertii, vixit, Panteni diſcipulus, in ſuo Protreptico, multa ſcribit contra cultum imaginum, & addit nullam fuiſſe Chriſtianis ſenſibilem imaginem numinis: An non ſunt (inquit) prodigioſi qui lapides venerantur? λίθους προσκυνοῦντες; deinde verò etiam ſtatuentes eos ante fores, perinde atque qui vim agendi habeant. ——— ſenſu carenti lapidi, ligno, & diviti auro nihil penitus curæ eſt ——— καὶ παντός ἐστιν ἀτιμότερα ζώου τὰ ἀγάλματα, ſunt autem imagines quovis animali viliores: & quomodo quæ ſunt nullo ſenſu prædita, divino ſint honore affecta, mihi venit in mentem dubitare, & errantium tanquam miſerorum miſereri amentiæ; nam ſi quædam animalia non habent omnes ſenſus, ut vermes & erucæ; & quæcunque ſtatim à primo ortu manca & mutila apparent, ſicut talpæ, & mus araneus, quem dicit Nicander cæcum & σμερδαλέον: ſunt tamen meliores his ſtatuis & imaginibus, quæ penitus ſurdæ ſunt, ἀγαλμάτων τελέως ὄντων κωφῶν, habent enim unum quidem certe ſenſum, verbi gratia, auditum vel tactum, vel qui habet proportionem ac convenientiam cum odoratu vel guſtu; ſimulacra autem nullum ſenſum participant: ſunt autem multa animantia quæ nec viſum habent, nec auditum, nec vocem, cujuſmodi eſt genus oſtreorum, vivunt tamen & augentur, & præterea cum Luna conſentiunt & afficiuntur; ſtatuæ autem, [ἀγάλματα] otioſæ, inefficaces, inutiles, & nullo ſenſu præditæ, alligantur,

confinguntur, & compinguntur, funduntur, limantur, ſecantur, eraduntur, ſculpuntur, fundam quidem terram vexant & contumelioſè tractant ſtatuarii (οἱ ἀγαλματοποιοὶ) eam à natura propriâ arte dimoventes, & adorare perſuadentes, adorant autem ii qui Deos faciunt, non Deos & Dæmones, meâ quidem ſententiâ, ſed artem & terram, id eſt, imagines: verè enim eſt imago materia mortua, formata manu artificis, ὅτι γὰρ ὡς ἀληθῶς τὸ ἄγαλμα ὕλη νεκρά, τεχνίτου χειρὶ μεμορφωμένη. Nobis autem non eſt materiæ ſenſilis imago ſenſilis, ſed quæ percipitur intelligentiâ: Deus qui ſolus verè eſt Deus, intelligentiâ percipitur, non ſenſu, ἡμῖν δὲ οὐχ ὕλης αἰσθητῆς αἰσθητόν, νοητὸν δὲ τὸ ἄγαλμά ἐστι, νοητὸν οὐκ αἰσθητόν ἐστι τὸ ἄγαλμα, ὁ Θεὸς ὁ μόνος ὄντως Θεός. Contra autem quum in ipſis caſibus reipſâ didicerint ſuperſtitioſi lapidum adoratores, οἱ τῶν λίθων προσκυνηταί, nullo ſenſu præditam non colere materiam, ab ipſo uſu victi pereunt à ſuperſtitione. ——— Cur ergo ea quæ ſunt Dei [τὰ τοῦ Θεοῦ] iis qui non ſunt dii tribuiſtis? cur relicto Cœlo terram honoraſtis, τετιμήκατε; quid eſt autem aliud aurum vel argentum, vel adamas, vel ferrum, vel æs, vel ebur, vel lapides pretioſi: annon terra, & ex terra: an non ſunt unius matris fœtus cuncta quæ vides? cur ergo, ô ſtolidi & inanium rerum dediti cogitationi [ὦ μάταιοι καὶ κενόφρονες] cœleſtem locum maledictis inceſſentes, pietatem ac religionem humi detraxiſtis? terreſtres Deos vobis fingentes, & hæc genita ante Deum ingenitum perſequentes, in profundiorem incidiſtis caliginem? Pulcher eſt lapis Parius, ſed nondum eſt Neptunus: pulchrum eſt ebur, ſed nondum eſt Olympius. Materia ſemper arte indiget, Deus autem nullius eſt indigus. Præceſſit ars, adjecta eſt figura, materiæ & eſſentiæ opes ad lucrum quidem deducuntur, ſolâ autem ſunt figurâ venerandæ, μόνῳ δὲ τῷ σχήματι γίνεται σεβάσμια. Aurum eſt tua ſtatua, eſt lignum, eſt lapis, & terra, quæ ſi ab initio conſideraveris, formam accepit ab artifice. Ego autem terram calcare didici, non adorare. Non enim eſt mihi fas unquam rebus inanimis credere ſpem animæ, γῆν ἐγὼ πατεῖν, οὐ προσκυνεῖν μεμελέτηκα, οὐ γὰρ μοι θέμις ἐπιτρέψαι ποτὲ τοῖς ἀψύχοις τὰς τῆς ψυχῆς ἐλπίδας. ——— Vos autem ars decipit præſtigiis, ad colendum & adorandum ſimulacra & picturas [ἐπὶ τὸ τιμᾶν καὶ προσκυνεῖν τὰ δὲ ἀγάλματα καὶ τὰς γραφάς.] (Obſerventur diligenter iſta verba τιμᾶν καὶ προσκυνεῖν, nam inde omnes concertationes iconolatrarum & iconomachorum; quod illi affirmaverint oportere imagines τιμᾶν καὶ προσκυνεῖν, iſti negaverint, uti ſcribunt, Damaſcenus libro quarto orthodoxæ fidei, capite decimo ſeptimo, & Nicephorus Calliſti, libro decimo ſexto, capite vigeſimo ſeptimo, ipſi ambo iconolatræ. Sed audiamus porro Clementem.) ——— Nobis (inquit, de Chriſtianis loquens) eſt apertè vetitum artem fallacem exercere, Non facies, inquit Propheta, cujuſvis rei ſimilitudinem eorum quæ ſunt in Cœlo, & quæcunque ſunt in terra infra. Exod. 20. 4. ——— Sed vos quidem ut ſtatua fabricetur quam pulcherrima valde elaboratis, ne autem propter ſenſus egeſtatem efficiamini imaginibus ſimiles non curatis. ——— Antiſthenes enim non hoc quidem Cynicum cogitavit, ſed ut qui eſſet Socratis familiaris, dicit, Deum nulli eſſe ſimilem, quare eum nemo poteſt diſcere ex imagine, διόπερ αὐτὸν οὐδεὶς ἐκμαθεῖν ἐξ εἰκόνος δύναται. Hactenus Clemens Alexandrinus in Protreptico ſuo ad Græcos, ſeu Gentes, ubi etiam ex Sibyllinis verſibus, imagines deridet à materia, à vanitate, & impotentiâ, & ab auctore; vocantur enim à Sibylla, apud Clementem λίθοι κωφοί,

> *Καὶ λίθινα ξόανα, καὶ ἀγάλματα χειροποίητα.*

id eſt, lapides ſurdi, & lapideæ ſtatuæ, & imagines manufactæ. quibus argumentis contra ſimulacrorum adorationem utitur ſacra Scriptura, uti oſtendimus, cap. 6. §. 5.

20. Objicienti Celſo Chriſtianis, quod & aras & ſimulacra, & delubra defugerent; reſpondet Origenes libro octavo contra Celſum; non ut loco gentilium idolorum alias externas imagines ſubſtituat, ſed, ſimulacra (inquit) Deo dicanda ſunt non fabrorum opera, ſed à Verbo Dei dedolata formataque in nobis, videlicet virtutes. Et paullò poſt, Conferat igitur, qui vult, ſtatuas in animis piorum Deo dicatas, cum ſtatuis Phidiæ ac Polycleti, ſimiliumque, & bene ſciet has quidem inanimas eſſe obnoxiaſque temporum & tempeſtatum injuriis; illas verò ſuas in immortali anima manſuras, quamdiu mens voluerit & ratio. Hæc Origenes, Clementis Alexandrini diſcipulus. Vide ſupra, capite ſecundo, §. trigeſimo tertio, & §. trigeſimo quinto.

21. Lactantius Firmianus, Inſtitutionum divinarum opus, ſub Diocletiano aggreſſus eſt, ut ipſe teſtatur, libro quinto, capite quarto, & tempore Conſtantini Magni edidit, ad ipſum Conſtantinum ſermone converſo. In hoc opere Lactantius, libro ſecundo, capite primo, ait, Ipſi ergo ſibi renunciant, ſeque hominum nomine abdicant, qui non ſurſum aſpiciunt, ſed deorſum: niſi forte idipſum, quod recti ſumus, ſine cauſa homini attributum putant: ſpectare nos Cœlum Deus voluit, utique non fruſtra: nam & aves, & ex mutis pænè omnia Cœlum vident, ſed nobis propriè datum eſt Cœlum rigidis ac ſtantibus intueri, ut religionem ibi quæramus; ut Deum cujus ſedes illa eſt, quem oculis non poſſumus, animo contemplemur: quod profectò non facit qui æs, aut lapidem, quæ ſunt terrena, veneratur. Eſt autem praviſſimum, quum ratio corporis recta ſit, quod eſt temporale, ipſum verò animum, qui eſt æternus, humilem fieri: quum figura & ſtatus nihil aliud ſignificent, niſi mentem hominis eò ſpectare oportere, quo vultum: & animum tam rectum eſſe debere, quam corpus, ut id, cui dominari debet, imitetur. Verum homines & nominis ſui, & rationis obliti, oculos ſuos ab alto dejiciunt, ſoloque defigunt, atque timent eſſe opera digitorum ſuorum, quaſi quicquam eſſe poſſit artifice ſuo majus. (Et capite ſecundo.) Quæ igitur amentia eſt, aut ea fingere, quæ ipſi poſtmodum timeant, aut timere quæ finxerint? Non ipſa, inquiunt, timemus, ſed eos, ad quorum imaginem ficta, & quorum nominibus conſecrata ſunt. Nempe ideo timetis, quod eos eſſe in Cœlo arbitramini, neque enim ſi dii ſunt, aliter fieri poteſt. Cur igitur oculos in Cœlum non tollitis, & advocatis Deorum nominibus, in aperto ſacrificia celebratis? cur ad parietes & ligna & lapides potiſſimum, quam illò ſpectatis, ubi eos eſſe creditis? quid ſibi templa, quid aræ volunt? quid denique ipſa ſimulacra, quæ aut mortuorum aut abſentium monimenta ſunt? Nam omnino fingendarum ſimilitudinum ratio idcirco ab hominibus inventa eſt, ut poſſit eorum memoria retineri, qui vel morte ſubtracti, vel abſentiâ fuerant ſeparati. Deos igitur in quorum numero reponemus? ſi in mortuorum, quis tam ſtultus ut colat? ſi in abſentium; colendi ergo non ſunt, ſi non vident quæ facimus, nec audiunt quæ precamur. Si autem dii abſentes eſſe non poſſunt, qui quoniam divini ſunt, in quacunque mundi parte fuerint, vident & audiunt univerſa, ſupervacua ergo ſunt ſimulacra, illis ubique præſentibus, quum ſatis ſit audientium nomina precibus advocare. At enim præſentes non niſi ad imagines ſuas adſunt. Ita planè, quemadmodum vulgus exiſtimat mortuorum animas circa tumulos & corporum ſuorum reliquias oberrare. Sed tamen, poſtquam Deus ille præſto eſſe cœpit, jam ſimulacro ejus opus non eſt. quæro enim, ſi quis imaginem hominis peregrè conſtituti contempletur ſæpius, ut ex ea ſolatium capiat abſentis, num idem ſanus eſſe videatur, ſi eo reverſo, atque præſente, in contemplanda imagine perſeveret, eâque potius quam ipſius hominis aſpectu frui velit? minimè profectò: etenim hominis imago neceſſaria tum demum videtur, quum procul abeſt; ſupervacua futura, quum præſto eſt. Dei autem, cujus ſpiritus ac numen ubique diffuſum abeſſe nunquam poteſt, ſemper utique imago ſupervacua eſt. Sed verentur, ne omnis eorum religio inanis ſit & vacua, ſi nihil in præſenti videant, quod adorent: & ideo ſimulacra conſtituunt, quæ quia mortuorum ſunt imagines, ſimilia mortuis ſunt, omni enim ſenſu carent. Dei autem in æternum viventis vivum & ſenſibile debet eſſe ſimulacrum. quod ſi à ſimilitudine id nomen accepit, quomodo poſſunt iſta ſimulacra Deo ſimilia judicari, quæ nihil ſentiunt, nec moventur? Itaque ſimulacrum Dei non illud eſt, quod digitis hominis ex lapide aut ære aliave materia fabricatur, ſed ipſe homo: quoniam & ſentit, & movetur & multas magnaſque actiones habet. Nec intelligunt homines ineptiſſimi, quod ſi ſentire ſimulacra & moveri poſſent, ultro adoratura homines fuiſſent, à quibus ſunt expolita: quæ eſſent aut incultus & horridus lapis, aut materia informis & rudis, niſi fuiſſent ab homine formata. Homo igitur illorum quaſi parens putandus eſt, per cujus manus nata ſunt, per quem, ſpeciem, figuram, pulchritudinem habere cœperunt. Et ideo melior eſt qui fecit, quàm illa quæ facta ſunt. Et tamen factorem ipſum nemo ſuſcipit aut veretur. quæ fecit, timet; tanquam plus eſſe poſſit in opere, quàm in opifice. Rectè igitur Seneca, in libris moralibus, Simulacra, inquit, Deorum venerantur, illis ſupplicant genu poſito, illa adorant, illis per totum aſſident diem, aut adſtant, illis ſtipem jaciunt, victimas cædunt: & quum hæc tantopere ſuſpiciant, fabros qui illa fecere contemnunt. quid inter ſe tam contrarium, quam ſtatuarium deſpicere, ſtatuam adorare, & eum ne in convictum quidem admittere, qui tibi Deos faciat? quam ergo vim, quam poteſtatem habere poſſunt, quum ipſe, qui fecit illa, non habeat? ſed ne hæc quidem dare his potuit quæ habebat, videre, audire, loqui, moveri. quiſquamne igitur tam ineptus eſt, ut putet aliquid eſſe in ſimulacro Dei, in quo ne hominis quidem quicquam eſt præter umbram? ſed hæc nemo conſiderat, infecti ſunt enim perſuaſione, ac mentes eorum penitùs fucum ſtultitiæ perbiberunt. Adorant ergo inſenſibilia, qui ſentiunt: irrationabilia, qui ſapiunt: examina, qui vivunt: terrena, qui oriuntur è Cœlo. Juvat ergo veluti in aliqua ſublimi ſpeculâ conſtitutum, unde univerſi exaudire poſſint, Perſianum illud proclamare;

*Audiant adoratores imaginum, niſi ipſi ſimiles [illegible]*

> *O curas hominum, ô quantum eſt in rebus inane!*
> *O curvæ in terras animæ, & Cœleſtium inanes!*

Cœlum potius intuemini, ad cujus ſpectaculum vos excitavit ille artifex verus Deus. Ille vobis ſublimem vultum dedit, vos in terram curvamini? vos altas mentes, & ad Patrem ſuum cum corporibus ſuis erectas, ad inferiora deprimitis, tanquam vos pœniteat non quadrupedes eſſe natos? fas non eſt, cœleſte animal cum terrenis, in terramque vergentibus, verſari. quid vos beneficiis cœleſtibus orbati, pronique in humum veſtra ſponte procumbitis? humi enim miſeri volutamini, quum deorſum quæritis, quod in ſublimi quærere debuiſſis. Nam iſta mortalium digitorum ludicra & fragilia figmenta, ex quolibet materiæ genere formata, quid, quid aliud ſunt, niſi terra ex qua nata ſunt? Quid ergo rebus inferioribus ſubjacetis? quid capitibus veſtris terram ſuperponitis? quum enim vos terræ ſubmittitis, humilioreſque facitis, ipſi vos ultro ad inferos mergitis, ad mortemque damnatis: quia nihil terra inferius & humilius, niſi mors, & inferi: quæ ſi effugere velletis, ſubjectam pedibus veſtris terram contemneretis, corporis ſtatu ſalvo, quod iccirco rectum accepiſtis, quò oculos atque mentem cum eo, qui fecit, conferre poſſetis. Contemnere autem, & calcare terram, nihil aliud eſt, quàm ſimulacra non adorare; quia de terra ficta ſunt: Item, divitias non concupiſcere, voluptates corporis ſpernere; quia opes & corpus ipſum, cujus hoſpitio utimur, terra eſt. Vivum colite, ut vivatis; moriatur enim neceſſe eſt, qui ſe ſuamque animam mortuis adjudicavit. Hæc ibi.

*Mortalium digitorum ludicra, & fragilia figmenta.*

*Quid ſit contemnere & calcare terram.*

22. Faciunt iſta contra omnem omnium imaginum cultum religioſum. Excipiunt quidem Pontificii, omni alio perfugio deſtituti. Patres tam acri uſos oratione, contra imagines gentilium, fateor. at nil mirum, ſi in illos tantum arma expediebant Patres, quos religioſo honore imagines colere cernebant; nempe in Ethnicos; adverſus quos depromunt argumentorum jacula, quæ etiam adorationi imaginum jugulandæ idonea ſunt, quam exercent Romanenſes. Nam quæ à Romanenſibus adorantur imagines, ſunt materia homine inferior: ſunt opera manuum hominum: ſunt ſenſus vitæque expertes: ſunt multæ ex eis imagines mortuorum: denique ſunt vel abſentium imagines, adeóque non colendæ; vel ſunt imagines præſentium, exemplari autem præſente ſupervacua eſt talis imago; eamque ſtultum eſt adorare.

*Exceptio Pontificiorum refutatur.*

23. Sed redeamus ad Lactantium: qui



eodem

*Lactantii triplex ratio adverſus ſimulacra.*

eodem lib. 2. cap. 18. tribus argumentis oppugnat illorum temporum ſimulacra, quæ coli ab hominibus cernebat: quorum argumentorum primum & ſecundum etiam contra Pontificiorum imagines militant; tertium verò ad refutationem Paganicæ idololatriæ magis propriè pertinere videtur. Verba Lactantii ſunt: Docui religiones Deorum triplici ratione vanas eſſe: una quod ſimulacra ipſa, quæ coluntur, effigies ſint hominum mortuorum; eſt autem perverſum, & incongruens, ut ſimulacrum hominis à ſimulacro Dei colatur: colit enim quod eſt deterius & imbecillius: tum inexpiabile facinus eſſe, deſerere viventem, ut defunctorum monumentis ſerviat, qui nec vitam nec lucem cuiquam dare poſſunt, quâ ipſi carent; nec eſſe alium quenquam Deum, præter unum, cujus judicio ac poteſtati omnis anima ſubjecta ſit. Altera, quod ipſæ imagines ſacræ, quibus inaniſſimi homines ſerviunt, omni ſenſu carent, quoniam terra ſint. quis autem non intelligat nefas eſſe, rectum animal curvari ut adoret terram? quæ idcirco pedibus noſtris ſubjecta eſt, ut calcanda nobis, non adoranda ſit: qui ſumus ideo excitati, & ex eo ſtatum ſublimem præter cæteras animantes accepimus, ut non revolvamur deorſum: ne hunc cœleſtem vultum projiciamus ad terram, ſed oculos eò dirigamus, quò illos naturæ ſuæ conditio direxit, nihilque aliud adoremus, nihil colamus, niſi ſolum artificis Parentiſque noſtri unicum Numen, qui propterea hominem rigidum figuravit, ut ſciamus nos ad ſuperna & cœleſtia provocari. Tertia, quod ſpiritus, qui præſunt ipſis religionibus, condemnati & abjecti à Deo, &c.

*Prima ratio. Homo, cum ſit ſimulacrum Dei, non debet colere ſimulacrum hominis.*

*Secunda ratio. Nefas eſt hominem curvare ut adoret imagines ſenſu carentes. Hoc argumento uſus eſt etiam Cyprianus lib. ad Demetrianū. Religioſè nihil adorandum, nihil colendum, niſi ſolus Deus. Tertia ratio. Admonitio de tertia ratione.*

24. Diximus hanc tertiam Lactantii rationem magis propriè pertinere ad refutationem doctrinæ Paganorum, qui apertum dæmonum cultum profitentur: quamvis ex conſequenti valeat hæc ratio contra omnem ſimulacrorum religioſum cultum: quicquid enim præ ſe ferant imaginum adoratores, teſtatur tamen Deus, cultum omnem, qui etiam vero Deo præſtari putatur, in adoratione imaginum manufactarum, non vero Deo, ſed alienis diis præſtari. 1. Reg. 14. 9. Jam autem cultus alienis diis præſtitus, quibus quæſo niſi dæmonibus exhibetur? tali enim cultui præſunt dæmones; talis cultus auctores fuere ipſi dæmones, qui imagines & ſimulacra fingere docuerunt, ut mentes hominum à cultu veri Dei averterent, ut ſcribit Lactantius, libro illo 2. cap. 17. ſolis dæmonibus, & errantibus quibuſdam hominibus, gratus eſt ille cultus, quem imaginibus ſuis exhibent Pontificii iconoduli. Deo enim, & ſanctis Angelis, ſpiritibuſque ſanctorum hominum defunctorum, omnibuſque bonis & ſapientibus exoſus eſt.

*Dæmones imagines & ſimulacra fingere docuerunt, ut mentes hominum à cultu veri Dei averterent. Vide cap. 7. §. 5. & cap. 12. §. 12.*

25. Sed pergat Lactantius, capite decimo nono ejuſdem ſecundi libri; Quicunque igitur (ait ille) ſacramentum hominis tueri, rationemque naturæ ſuæ nititur obtinere, ipſe ſe ab humo ſuſcitet, & erectâ mente oculos ſuos tendat in Cœlum, non ſub pedibus quærat Deum, neque à veſtigiis ſuis eruat quod adoret, quia quicquid homini ſubjacet, infra hominem ſit neceſſe eſt: ſed quærat in ſublimi, quærat in ſummo, quia nihil poteſt homine majus eſſe, niſi quod fuerit ſupra hominem: Deus autem major eſt homine, ſupra ergo, non infra eſt, nec in ima potius, ſed in ſumma regione quærendus eſt. Quare non eſt dubium, quin religio nulla ſit ubicunque ſimulacrum eſt. — Non enim religio in ſimulacris, ſed mimus religionis eſt. Hactenus Lactantius.

26. Elibertinum in Hiſpania Concilium celebratum eſt anno Domini trecenteſimo quinto, videntur autem nonnulli (quæ humani ingenii ad ſimulacrorum vanitatem propenſio eſt) illo tempore imagines affectâſſe, & ſaltem ut eas in templis haberent ſuadere cœpiſſe; quod in ſe parum aut neutiquam utile, illis autem temporibus valdè incongruum & noxium, prohibuerunt Patres illius Concilii, canone trigeſimo ſexto. *Placuit* (inquiunt) *picturas in Eccleſia eſſe non debere, ne quod colitur vel adoratur, in parietibus pingatur.*

27. Nicolaus Sanderus, homo Pontificius, libro ſecundo de cultu imaginum, capite quarto, reſpondet, Concilium illud prohibuiſſe imagines in templis, quia tempus & locus id requirebat; tunc enim periculum fuiſſe, ne Gentiles exiſtimarent Chriſtianos adorare ligna & lapides: quam ſolutionem ut bonam probant Cardinales, Bellarminus, libro de imaginibus, capite nono §. Nicolaus. & Baronius, in Annalibus, anno Chriſti trecenteſimo quinto, quamvis tum iſti tum alii Papiſtæ ſe torqueant in comminiſcendis etiam aliis reſponſionibus: Puta: Periculum fuiſſe, ne in perſequutionibus imagines contumelia afficerentur à perſequutoribus; vel non prohiberi, ne in tabellis aut velis depictæ habeantur in Eccleſia imagines, ſed tantum ne in parietibus depingantur. Poſtremum illud pugnat cum verbis canonis, Placuit in Eccleſia non eſſe debere picturas; unde patet, verba quæ ſequuntur (ne quod colitur & adoratur in parietibus depingatur) accipienda eſſe de omni genere picturæ, quæ vel ipſis parietibus velut inſcribitur, aut inſculpitur, vel ad parietes in tabellis aut velis appenditur, vel alio quovis modo in templis habetur, & ad parietes aut columnas, ut fit, collocatur. Et ſynecdochicè etiam, ſi qua pictura vel de laquearibus pendeat, vel in medio pavimento conſtituatur, vel quocunque modo in Eccleſia ſeu templo habeatur, uti ſonant verba canonis. quantum ad aliam reſponſionem, ne, ſcilicet, contumeliâ afficerentur imagines, fictio eſt non cauſſæ pro cauſa. oſtendimus enim Chriſtianis illorum temporum nefas viſum eſſe imagines collocare in templis quod ſacro cultu colebant & adorabant. Ex prima autem illa Sanderi reſponſione hoc etiam evincimus, uſum cultumque imaginum probatum non fuiſſe, aut cum approbatione uſurpatum in Eccleſia Chriſtiana, ſed vetitum eſſe, ab eoque abſtinuiſſe Chriſtianos, per primos trecentos annos poſt Chriſtum natum. Præterea uſum cultumque imaginum non eſſe neceſſarium de jure divino, nec ab Apoſtolis traditum, uti mentiuntur iconolatræ, ſive malint vocari iconoduli. quis enim credat veteres illos Patres primorum trium ſeculorum non ſolum caituros fuiſſe imaginibus, ſed etiam eorum uſum prohibituros, ſi imaginum uſus cultuſque eſſet de jure divino, ex Apoſtolica traditione, neceſſarius?

28. Bellarminus libro 2. de imaginibus, capite 9. §. adde poſtremò. De alio exitu tandem deſperans, auctoritatem hujus Concilii elevare conatur, adſpergine erroris, in diſciplina erga lapſos, can. 1. & 2. &c. Sed refellitur hæc tum



prudentia à Cardinale Baronio, in anno Dom. 305. & à Binio, in notis in hoc Concilium Elibertinum, in Can. 1. auctoritate Innocentii Papæ primi, qui epiſt. 3. cap. 2. hanc Concilii hujus diſciplinam approbat; & à Gabriele Vaſquezio, in tertiam partem Thomæ, quæſt. 25. diſp. 105. cap. 2.

29. Atque ita jam evidenter oſtendimus, uſque ad Conſtantinum Magnum Imperatorem, nullum in Eccleſia Chriſtiana locum fuiſſe religioſæ dedicationi aut adorationi imaginum: neque crucis, quam Papiſtæ, ut Chriſti imaginem, proponunt adorandam. Neque oſtendi poteſt ex ullo probato auctore, fabricatas eſſe in Eccleſia Chriſtiana ex ligno, vel auro, aliâve materiâ, aut coloribus depictas, in Chriſtianorum oratoriis, cruces, toto illo trium ſeculorum decurſu.

30. In uſu quidem fuit ſignum crucis impermanens, ante Conſtantinum, ut patet ex Tertulliano, de corona militis, cap. 3. At abſque ulla lege ſcripturarum, ut ibi fatetur Tertullianus, conſuetudinem eam referens ad traditionem non ſcriptam, quomodo & alias quaſdam conſuetudines, quas ibidem commemorat. Neque tamen ea omnia exiſtimandum eſt ex Apoſtolicâ deſcendiſſe traditione, quæ eò refert ibi Tertullianus: exemplo ſit prægustata illa concordia lactis & mellis, &c. Utebantur autem veteres illi Chriſtiani ſigno crucis, non ut adorando, nec ut operativo ex opere operato (ut exiſtimat Bellarminus, lib. de imaginibus, cap. ultimo) ſed ut externâ quadam profeſſionis ſuæ teſſerâ, & geſtu precandi. Obſervandum eſt (inquit Vaſquez) quoties ſuper res aliquas ſignum crucis exprimimus, nihil virtutis ipſis imprimi, ſed ſolum ſigno illo ſuper illa expreſſo, Chriſti crucifixi auxilium invocari. Hæc Gabriel Vaſquez, in tertiam partem Thomæ, quæſt. 25. diſputatione centeſima undecimâ, cap. 5. De invento autem poſtea crucis ligno, dicemus, capite proximè ſequente. §. 8.

31. His omnibus accedat ex Apocrypho illo Clementis libro teſtimonium, quod etſi Clementis illius Romani non eſt, rationem tamen continet haud contemnendam. Nam libro quinto recognitionum, quæ Clementis dicuntur, ſcriptor ille, cum propoſuiſſet defenſionem Paganorum, dicentium ſe ad honorem inviſibilis Dei imagines viſibiles adorare, reſpondet, ſi verè velitis Dei imaginem colere, homini benefacientes veram Dei imaginem in eo coleretis, ſi ergo vultis veri Dei imaginem honorare, nos vobis quod verum eſt aperimus, ut homini qui ad imaginem Domini factus eſt benefaciatis. quis ergo iſte honor Dei eſt per lapideas & ligneas formas diſcurrere, & inanimes atque exanimes figuras tanquam Numina venerari, & hominem, in quo verè imago Dei eſt, ſpernere. Hæc ille.

*Clement. recognit.*

*Quid ſit veri Dei imaginem vere honorari.*

## CAPUT NONUM.

*Hiſtoria imaginum à tempore Conſtantini Magni, qui regnare cœpit anno Domini 306. uſque ad quiniſextam Synodum, quæ ſub Iuſtiniano juniore Auguſto celebrata eſt, anno Dom. 692.*

Quæ fuerit Conſtantini Magni Imperat. & Catholicæ Eccleſiæ, illo regnante, ſententia, facile eſt perſpicere ex inſtitutionibus Lactantii, quas ad eundem Conſtantinum ſcripſit. quam illic doctrinam tradat Lactantius, ſpecimen exhibuimus ſuperiore capite, §. 21. & aliquot ſequentibus Similia ſcripſit Athanaſius, in oratione contra Gentes.

2. Conſtantinus quidem viſione quadam, ut ipſe retulit, permotus, vexillum Imperiale, quod Labarum dictum eſt, in crucis formam redegit, ſubſtitutâ ſua effigie & liberorum ipſius; uti refert Euſebius, lib. 1. de vita Conſtantini, capp. 22, 23, 24, 25. Addit Sozomenus, lib. 1. hiſt. Eccl. cap. 4. hoc ſignum bellicum in multo majore honore, quàm alia propterea fuiſſe, quod ſemper Imperatorem antecederet, & à militibus adorari conſueverit: fuiſſe enim [Greek] nobiliſſimum Romani Imperii ſignum. Et ait ſe arbitrari, ob hanc inprimis cauſam à Conſtantino mutatum eſſe in ſignum crucis, ut aſſiduo ejus aſpectu & cultu [Greek] ſubjectos ſuos pedetentim à Patriis ritibus deſuefaceret, eumq; ſolum Deum exiſtimarent quem coleret Imperator. Hæc ille. Sciendum autem cultum illum civilem à militibus vexillo exhiberi ſolitum eſſe etiam ante illud tempus, ut patet ex Tertulliani Apologetico, cap. 16. in ſignum ſubjectionis Imperio Romano. quemadmodum & Imperatorum imagines cultu civili adorabant omnes ſubditi, etiam Chriſtiani, teſte Gregorio Nazianzeno, oratione tertiâ adverſus Julianum. Ideo non legimus vexillum illud ab ipſo Conſtantino adoratum eſſe, quippe capite Imperii, quem tamen religioſiſſimum fuiſſe Dei cultorem ſcribit Euſebius, & alii. Unde colligimus, non voluiſſe Imperatorem milites perducere ad religioſam adorationem crucis, ſed tantummodo ad illius Dei religioſam adorationem, quem ipſe colebat Imperator, & quem credebat crucifixum eſſe, ſuoque ſanguine Eccleſiam ſibi redemiſſe; unde ſignum crucis Imperator vexillo inſeruit Imperiali, ut Chriſtianis non erubeſcendam Chriſti in cruce paſſionem palàm profiteretur. Vide de libera Imperatoris hujus profeſſione, & Chriſtianâ gloriatione, Euſeb. lib. 3. de vita Conſtantini, capp. 2. & 3. ubi inter alia profeſſionis indicia, ſuam curaviſſe ſcribitur in tabula depingendam imaginem, ſuperpoſito capiti ipſius ſigno paſſionis Dominicæ, & pedibus ſubjecto dracone hoſte Eccleſiæ. hanc tabulam in ſublimi ante palatii veſtibula ſuſpendi voluit. At nullius fit mentio adorationis religioſæ ſigno illi crucis, vel ab ipſo Imperatore vel ab alio quoquam exhibitæ.

3. Extrui curavit idem Imperator templum in loco ſepulchri Dominici, illudque exornavit inſignibus, ſeu elegantiis ſupra quam dici poteſt pulchris ornamentorum & monumentorum auri & argenti, lapidum pretioſorum, &c. [Greek] Euſebius libro tertio de vita Conſtantini, capite trigeſimo nono, ubi tamen nulla mentio imaginis. Unde deprehenditur mala fides Bellarmini, lib. de imaginibus, cap. 9. §. Sozomenus.

4. Refert etiam Euſebius, ejuſdem libri capite quadrageſimo octavo, Conſtantinum in pa-

Jeſu ſui introitu, In ædificio omnium excellentiſſimo, confici curâſſe ſignum crucis, in tabula ingenti, ex lapillis pretioſis, auro multo addito. at nullius additæ imaginis, neque collocationis in loco religioſo, mentionem facit.

5. Solum etiam Dominicæ paſſionis ſymbolum [τὸ τοῦ σωτηρίου τροπαίου σύμβολον] non autem ullam Chriſti aut illius quod religioſè colitur imaginem [ἄγαλμα] exercitui ſuo præferendum curavit, quod ſequeretur. Ipſe verò conclavi ſe includens, ſtatis quotidie temporibus, in genua projectus, ſupplex Deum orabat, ſolus cum ſolo habens colloquium, uti ſcribit Euſebius libro quarto de vita Conſtantini, capite vigeſimo primo. Nullam ille creaturam adorabat, aut invocabat, ſed in ſuis ſupplicationibus μόνῳ τῷ αὐτοῦ σωτηρίας Θεῷ, nec ulla mentio imaginis.

6. Bellarminus libro de imaginibus, capite nono; ait, Conſtantinum poſuiſſe imagines argenteas Salvatori & Apoſtolis duodecim & Angelis quatuor, in Eccleſia Lateranenſi. Item in loco, ubi fuerat baptizatus, poſuiſſe agni imaginem auream, & ad dextram agni ſtatuam argenteam Salvatoris, ad lævam autem ſtatuam argenteam Johannis Baptiſtæ: teſtem citat Damaſum in vita Silveſtri. At audi rurſus eundem Bellarminum, libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, in Damaſo; Tribuitur (inquit) S. Damaſo liber de vitis Pontificum, qui extat in primo tomo Conciliorum: ſed liber ille eſt Anaſtaſii bibliothecarii, non Damaſi, ut notum eſt. Hæc ille. Jam verò Anaſtaſium illum bibliothecarium interfuiſſe conſtat Concilio illi Conſtantinopolitano, anno Domini octingenteſimo ſexageſimo nono) quod Romanenſes octavum œcumenicum vocant, & fuiſſe adorationi imaginum vehementer addictum, manifeſtum eſt tum ex ea Synodo, tum etiam ex ejuſdem Anaſtaſii præfatione in eam quam vocant ſeptimam ſynodum, quæ Niceæ habita eſt. Illius autem ſeculi & genii ſcriptoribus, ad fabularum in hoc argumento vel confictionem vel admiſſionem propenſis, nihil fidei debetur, tacente, imò contrariam doctrinam tradente Catholicâ antiquitate.

7. Suam quidem ipſius imaginem, cum inſerta manui ejus cruce, Conſtantinus in loco quodam celebri Romæ locavit [Euſebius libro primo de vita Conſtantini, capite trigeſimo tertio] Symbola etiam boni paſtoris, & imaginem æneam Danielis cum leonibus, in medio foro apud publicos fontes collocavit. [Euſebius libro tertio de vita Conſtantini, capite quadrageſimo octavo.] Sed neque in templa introductas imagines, neque religioſo cultu adorari juſſas, aut adoratas tempore Conſtantini Magni, apud quenquam legimus antiquiorem auctorem.

*De invento crucis ligno per Helenam.*

8. De invento crucis ligno per Helenam Conſtantini Magni matrem, nihil prorſus legitur apud Euſebium, qui eodem tempore floruit, & de profectione Helenæ in Orientem, & de repurgatione montis Calvariæ prolixè ſcripſit, libro tertio de vita Conſtantini. Bellarminus, ait Euſebium in Chronico hujus rei mentionem feciſſe, & verba citat, libro de imaginibus, capite vigeſimo ſeptimo. At ea verba (inquit Spondanus) non reperiuntur in pleriſque manuſcriptis codicibus. Hæc ille, in Epitome Annalium Baronii, in anno Domini treceenteſimo vigeſimo ſexto, ubi & fatetur Baronius, multa minus ſolidæ veritatis in hiſtoriam inventionis crucis jam ab antiquis temporibus irrepſiſſe. Audi Gelaſium, hujus nominis primum, Papam Romanum: Scripta (inquit) de inventione crucis Dominicæ, & alia ſcripta de inventione capitis Joannis Baptiſtæ, novellæ quidem revelationes ſunt, & nonnulli eas Catholici legunt: ſed cum hæc ad Catholicorum manus pervenerint, beati Pauli Apoſtoli ſententia præcedat, *Omnia probate, quod bonum eſt tenete.* Hæc Gelaſius, cum ſeptuaginta Epiſcopis, in ſynodo Romæ habita, anno Domini 494. Synodicum hoc Gelaſii decretum reperit Gratianus, 15. diſt. can. Sancta Romana. Verum fac eſſe inventam ab Helena crucem, non tamen inde ſequitur, crucem eſſe adorandam, etiamſi concederetur, Deo monente quæſitam, & monſtrante inventam. Vide ſuprà cap. 5. §. 11. & §. 21.

9. Irrepere poſtea cœpit, eodem quarto ſeculo, quibuſdam in locis, introductio imaginum in ipſa Chriſtianorum oratoria: at ea ſanioribus quantoperè improbata ſit, & intolerabilis viſa, locupletes nobis teſtes ſunt magnus ille Cypri Epiſcopus Epiphanius, in epiſtola ad Joannem Epiſcopum Hieroſolymorum, ejuſque interpres, Hieronymus (apud quem ea epiſtola Latinè ab eo verſa extat, tomo ſecundo epiſtolarum Hieronymi, & incipit; Domino dilectiſſimo fratri) & Amphilochius Iconii Epiſcopus. Præterea (inquit Epiphanius) quod audivi quoſdam murmurare contra me, quia quando ſimul pergebamus ad ſanctum locum qui vocatur Bethel, ut ibi collectam tecum ex more Eccleſiaſtico facerem, & veniſſem ad villam quæ dicitur Anablatha, vidiſſemque ibi præteriens Lucernam ardentem, & interrogâſſem; quis locus eſſet? didiciſſemque eſſe Eccleſiam, & intraſſem ut orarem: inveni ibi velum pendens in foribus ejuſdem Eccleſiæ tinctum atque depictum, & habens imaginem quaſi Chriſti, vel ſancti cujuſdam: non enim ſatis memini cujus imago fuerit. Cum ergo hoc vidiſſem in Eccleſia Chriſti contra auctoritatem ſacrarum ſcripturarum hominis pendere imaginem, ſcidi illud, & magis dedi conſilium cuſtodibus ejuſdem loci, ut pauperem mortuum eo obvolverent & efferrent. Illique contra murmurantes dixerunt; Si ſcindere voluerat, juſtum erat, ut aliud daret velum atque mutaret. quod cum audiſſem, me daturum eſſe pollicitus ſum, & illicò eſſe miſſurum. Paululum autem moratum fuit in medio, dum quæro optimum velum pro eo mittere. Arbitrabar enim de Cypro mihi eſſe mittendum. Nunc autem miſi quod potui reperire, & precor ut jubeas presbyteros ejuſdem loci ſuſcipere velum à latore, quod à nobis miſſum eſt: & deinceps præcipere, in Eccleſia Chriſti iſtiuſmodi vela, quæ contra religionem noſtram veniunt, non appendi. Decet enim honeſtatem tuam hanc magis habere ſollicitudinem, ut ſcrupuloſitatem tollat, quæ indigna eſt Eccleſia Chriſti, & populis qui tibi crediti ſunt. Hæc Epiphanius, interprete Hieronymo, qui in ſua ad Pammachium tractatu adverſus errores Joannis Hieroſolymitani, (qui incipit; Si juxta Paulum.) magnis effert laudibus eundem Epiphanium, cum vocans Patrem pænè omnium Epiſcoporum, & antiquæ reliquias ſanctitatis, & beatum Papam Epiphanium. ſcribebat adhuc Epiphanius, in extrema ſenectute, anno decimo quarto



quarto Principis Theodoſii ſenioris, teſte Hieronymo, in catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum, capite 124. & 145. Amphilochius dicit; Non enim in tabulis carneas perſonas ſanctorum per colores curæ nobis eſt figurare, quoniam non his opus habemus: ſed converſationem eorum virtute imitari. Hæc Amphilochii verba citantur in ſeptima illa œcumenica Synodo, ſub Conſtantino Copronymo Imperatore, Conſtantinopoli celebrata, tomo quinto termini illius Synodi, qui extat inſertus ſextæ actioni alterius ſeptimæ ſynodi, ſub Irene, Nicææ celebratæ. Ubi Nicæni illi Patres allegationis iſtius agnoſcentes veritatem, alienum ac violentum ſenſum verbis Amphilochii affingere fruſtra ſatagunt; quaſi Amphilochius innuere ſolum vellet, cultum imaginum ſanctorum non prodeſſe eis qui ſanctorum virtutes non imitantur, alioqui profuturum imitantibus virtutum. Hanc gloſſam ipſa Amphilochii verba palàm reſpuunt; ait enim, Chriſtianis curæ non eſſe pingere ſanctorum imagines, quoniam his non opus habemus [ὅτι οὐ χρείαν ἔχομεν τούτων.] Loquitur autem de imitatoribus virtutis ſanctorum. Hæc Amphilochii doctrina in Concilio poſtea Francofurtenſi reperita & laudata invenitur, in Capitulari Caroli Regis, lib. 1. cap. 17. & alibi. Verba Capitularis Carolini exhibebimus inferius, capite 11. hujus libri §. 3. & §. 4. & aliquot ſequentibus. Hic eſt ille Amphilochius Iconii Epiſcopus, ad quem Baſilius magnus Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus ſcripſit librum ſuum de Spiritu Sancto. Quem etiam ſibi familiariter notum fuiſſe teſtatur Hieronymus, in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, cap. 143.

10. Sub initium quinti ſeculi *Paulinus* Epiſcopus Nolanus, & *Severus* Bituricenſis Epiſcopus, picturas quaſdam hiſtoricas curârunt in baſilicis, quas extruxerant, faciendas; non quæ eſſent imagines illius quod religioſè colitur, neque ut ipſæ illæ picturæ religioſè colerentur, ſed tantummodo, ut eſſent hiſtorica & commonitoria ſymbola, & baſilicarum ornamenta, ut patet ex epiſtola 12. Paulini ad Severum. Severus in baptiſterio, à ſe condito, pingendos curavit Martinum quondam Turonenſem Epiſcopum, tum vitâ functum, & Paulinum Nolanum, de quo jam nobis ſermo eſt, adhuc mortalem, quem utique religioſo cultu non adorabat aut invocabat, neque ejus imaginem. Paulinus verò certior factus, primò quidem cum Severo verecundè expoſtulat, quod, impenſo nimis in eum amoris ſtudio, eum beato Martino adjunxiſſet, præ tanto viro facilè contemnendum; deinde factum excuſat, & picturas illas ſtare permittit, cum hac interpretatione, & in hunc uſum, ut emergentes à ſacro fonte & ſequendum & vitandum pariter conſpicarentur, habentes in Martino exemplum juſtitiæ, & in Paulino pœnitentiæ. At religioſi cultus Martino aut Paulino eorumve imaginibus exhibiti nulla fit mentio.

11. Paulinus in baſilica Nolana à ſe extructa picturas quaſdam fieri curavit, quas epiſtola citata commemorat atque exponit his verſibus,

*Pleno coruſcat Trinitas myſterio,*
*Stat Chriſtus agno: vox Patris cœlo tonat:*
*Et per columbam Spiritus Sanctus fluit.*
*Crucem corona lucido cingit globo;*
*Cui corona ſunt corona Apoſtoli,*
*Quorum figura eſt in columbarum choro,*
*Pia Trinitatis unitas Chriſto coit,*
*Habente & ipſa Trinitate inſignia:*
*Deum revelat vox Paterna, & Spiritus;*
*Sanctam fatentur crux & agnus victimam.*
*Regnum & triumphum purpura & palma indicant.*
*Petram ſuperſtat ipſe petra Eccleſiæ,*
*De qua ſonori quatuor fontes meant*
*Evangeliſtæ viva Chriſti flumina.*

Item in ipſis baſilicæ ingreſſibus, trinis arcubus ſeu januis pariter perlucente tranſennâ, erant hi verſiculi;

*Alma domus triplici patet ingredientibus arcu,*
*Teſtaturque piam janua trina fidem.*

Item dextra lævaque crucibus minio ſuperpictis erant hi verſus;

*Ardua florifera crux cingitur orbe corona,*
*Et Domini fuſo tincta cruore rubet.*
*Quaque ſuper ſignum reſident cœleſte columba,*
*Simplicibus produnt regna patere Dei.*

In aliis arcubus, hi verſus;

*Una fides trino ſub nomine quæ colis unum,*
*Unanimes trino ſuſcipit introitu.*

Eadem etiam epiſtola picturam baſilicæ Fundanæ, quam etiam Paulinus extrui curavit, his exprimit verſibus;

*Sanctorum labor & merces ſibi ritè cohærent,*
*Ardua crux, pretiumque crucis ſublime, corona.*
*Ipſe Deus nobis Princeps crucis atque coronæ,*
*Inter floriferi cœleſte nemus Paradiſi,*
*Sub cruce ſanguineâ niveo ſtat Chriſtus in agno,*
*Agnus ut innocua injuſto datus hoſtia leto.*
*Alite quem placida ſanctus perfundit hiantem*
*Spiritus, & rutilâ Genitor de nube coronat.*
*Et quia præcelſâ quaſi judex rupe ſuperſtat,*
*Bis gemina pecudes, diſcors agnis genus hædi,*
*Circumſtant ſolium: lævos avertitur hædos*
*Paſtor, & emeritos dextrâ complectitur agnos.*

*Picturæ, non ad adorandum propoſitæ, ſed alium in uſum.*

12. Hos Paulini verſus ideò hoc loco cenſui lectori exhibendos, ut ex iis palàm innoteſcat, poſitas eſſe ab illo & Severo picturas illas in templis, tantummodo in uſum hiſtoricum & Ethicum & politicum, id eſt, ad revocandum ſpectatoribus in memoriam res geſtas, & ad eos extimulandos ad virtutem, & ad templorum ornatum; quos tres uſus appoſiti picturis verſus declarant, quia neque in hos quidem ſufficere videbatur ſola pictura. Non autem poſitas eſſe ab illis picturas, aut cujuſcunque artificii imagines, ut eas homines adorarent.

13. Illud etiam de picturis illis obſervandum eſt; Non

Non eſſe in eis poſitam ullam Deo, ſive objecto religioſi cultus, ſolitariam imaginem, ſed tantummodo depictas eſſe quaſdam de Deo hiſtorias, ut baptiſmi Chriſti, & ultimi judicii, &c. Deinde in omnibus illis etiam hiſtoricis picturis nullam reperiri Dei ipſius imaginem, ſed tantummodo ſimilitudines quaſdam ſymbolorum parabolicorum & metaphoricorum, quæ vel in viſionibus vel in ſermone divino aut aliter pro tempore adhibita inveniuntur ad præſens aliquod miniſterium ſacræ alicujus ſignificationis de Deo. Quæ ſanè ſymbola, cum ſint creata à Deo, nec ſint ipſe Deus, non debent ab hominibus adorari, ut neque eorum picturæ. Hujuſmodi ſymbola, ut oſtene, fuerunt vox illa de Cœlis ſonans, *hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacitum eſt*: & viſibilis illa ſpecies columbæ in Chriſtum delapſa. Matth. 3. *In ſermone*; ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Matth. 16. & ſimilitudo illa hædorum & agnorum in ultimo judicio, Matth. 25. 32. & ſimilitudo illa agni, qua utitur Joannes baptiſta, dicens de Chriſto, Ecce agnus Dei. Joan. 1. 29. 36. & olim in deſerto ſerpens æneus, & petra, erant *typi viſibiles* Chriſti, & rivi ex petra promanantes, ſecundùm interpretationem Paulini, typi erant verbi Dei, niſi ad flumina Paradiſi, ut typos, referas quod ait,

*Non pinxerunt imaginem Dei, ſed ſimilitudines ſymbolorum.*

*Matth. 3. 16. 17. Matth. 16. 18. Matth. 25. 32. Joan. 1. 29. 36. Joan. 3. 14. 1. Cor. 10. 4.*

*De qua ſonori quatuor fontes meant*
*Evangeliſta Chriſti viva flumina.*

Et quamvis in baptiſmo Chriſtus præſens fuerit in ſua propria aſſumta humanitate & ſpecie humana, noluit tamen Paulinus in illius hiſtoriæ picturata deſcriptione ponere ad repræſentandum Chriſtum imaginem hominis, ne videretur Deo locare imaginem manufactam, quod toties ipſe Deus vetuit, ſed imaginem agni ſeu metaphorici ſymboli, ut non fuerit in illis baſilicis imago Dei, vel imagines Trinitatis, ſed tantum metaphorica quædam & myſtica inſignia: ut ait Paulinus;

*Cur noluerit Paulinus, ad repræſentandum Chriſtum ponere imaginem hominis.*

*Habente & ipſa Trinitate inſignia.*

Veluti ſi quis aquilam pingat, aut Leonem, aut gallinam, aut furem nocturnum, aut vitem, aut pomum arborem, aut rorem, aut mulierem parturientem, aut mulierem domum verrentem, aut ſponſum, aut aquam, aut Solem, aut phoſphorum, aut ramum, aut hominem ſatorem, aut Patremfamilias, aut regem, aut ignem, aut aliud aliquod ex Metaphoricis de Deo ſymbolis, quæ in ſacris literis commemorantur. Nec erunt illæ Dei, ſed ſymbolorum illorum figuræ. Sicut illæ columbarum picturæ, in baſilica Nolana, cruci ſuperpoſitæ ſunt, ad ſignificandum metaphoricè ſimplicitatem fidelium, qui jubentur eſſe ſimplices ut columbæ: & picta illa crux, in baſilica Fundana, ſignabat ſanctorum laborem. Quædam etiam ſymbola de ſuo ingenio addidit Paulinus, ut triplicem januarum arcum, ad ſignificandum ſanctiſſimam Trinitatem; & manum è nube cum corona, quam deſignari quidam exiſtimant illis verbis,

*Genitor rutilâ de nube coronat.*

14. Picturas hujuſmodi vocat (eadem epiſt. 12.) devotionis in Chriſto titulos. At certè, etiamſi aliquem habeant ad inſtructionem uſum, & pio quodam zelo à ſanctis quibuſdam viris adhibitæ ſint, incauti tamen ſalebram offenſionis immiſcuerunt. Rudis enim & ad ſuperſtitionem prona plebecula non ſe continuit: ſed aliquibus in locis ad ejuſmodi picturarum & reliquiarum adorationem protinus devoluta eſt. Id quod vehementer deplorat & damnat, qui eodem tempore floruit, celeberrimus Auguſtinus; eamque labem penes paratores eſſe jubet, neque Eccleſiæ Catholicæ, eam averſanti, tribui patitur: lib. de moribus Eccleſiæ Catholicæ, adverſus Manichæos, capite 34. Nolite (inquit) mihi colligere profeſſores nominis Chriſtiani, nec profeſſionis ſuæ vim ſcientes aut exhibentes. Nolite conſectari turbas imperitorum, qui vel in ipſa vera religione ſuperſtitioſi ſunt, vel ita libidinibus dediti, ut obliti ſint quid promiſerint Deo. Novi multos eſſe ſepulchrorum & picturarum adoratores. — Nunc vos illud admoneo, ut aliquando Eccleſiæ Catholicæ maledicere deſinatis, vituperando mores hominum quos & ipſa condemnat, & quos quotidie tanquam malos filios corrigere ſtudet. Hæc ibi Auguſtinus. Idem epiſt. 119. capite 11. Prohibetur (inquit) coli aliqua in figmentis hominum Dei ſimilitudo, non quia non habet imaginem Deus, ſed quia nulla imago ejus coli debet, niſi illa quæ hoc eſt quod ipſe. Idem Pater collocationem imaginum artefactarum in templis, penes auctores relinquit, & à Catholicæ Eccleſiæ moribus amolitur. Nec id ipſum (inquit) quod ſedere Pater dicitur, flexis poplitibus fieri putandum eſt, ne in illud incidamus ſacrilegium, quo execratur Apoſtolus eos, qui commutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem corruptibilis hominis. Tale enim ſimulacrum Deo nefas eſt Chriſtiano in templo collocare; multò magis in corde nefarium eſt, ubi verè eſt templum Dei, ſi à terrena cupiditate atque errore mundetur. lib. de fide & ſymbolo. capite 7. Ubi evidenter Auguſtinus damnat non ſolum cogitationem Anthropomorphiticam de Deo in corde, ſed externam collocationem talis imaginis Deo in templo manufacto, etiamſi in corde non exiſtimes talem eſſe Deum. Nam illa utra & disjunctivè comparat. Alioqui ſi externam collocationem cum interna cogitatione conjunctam intelligeret, haud dubiè gravius eſſe pronunciaret peccatum in utroque, quam in ſola cogitatione, ſe per externam collocationem non exferente. Quâ obſervatione prorſus ſuccidítur inanis illa Bellarmini tergiverſatio, quâ utitur lib. de imaginibus, cap. 8. ad hunc Auguſtini locum.

15. Idem Auguſtinus in Pſalm. 113. in illa Pſalmi verba; [Simulacra gentium argentum & aurum, & opera manuum hominum. Os enim habent, & non loquuntur, &c.] his utitur argumentis, contra gentium ſimulacra. 1. Multò honeſtius non habetur religioſi cultûs objectum, quod poſſit oculis carnalibus oſtendi. (nempe Chriſto, quoad aſſumtam carnem, nobiſcum viſibiliter non præſente.) 2. Sunt opera Dei, nempe quoad materiam, ſunt enim aurum & argentum, &c. non ſunt igitur religioſè ſeu divino honore colenda. (Meminiſſe oportet religioſè aliquid colere, & divino honore illud colere, idem eſſe Auguſtino, ſicuti docuimus c. 2. hujus libri.) 3. Simulacra ſunt opera manuum hominum, nempe quoad figuram, ergo non ſunt colenda. 4. Os habent & non loquentur, oculos habent & non videbunt, aures habent & non audient, nares habent & non odorabunt, manus habent & non contrectabunt, pedes habent & non ambulabunt, non clamabunt in faucibus ſuis: jam ergo artifex melior eſt eis, quia ea potuit membrorum motu atque officio fabricare, quem tamen artificem te utique puderet adorare: melior & tu, quamvis ea non feceris, quoniam quæ illa non poſſunt facis: melior eſt & beſtia; ut ſi pudeat adorare beſtiam, quam fecit Deus videntem, audientem, odorantem, contrectantem, ambulantem, clamantem in faucibus ſuis, videant homines quam pudendum ſit adorare mutum & carens vita ſenſuque ſimulacrum, de quo ipſæ etiam beſtiæ quodammodo judicant, quæ in ſimulacris quia non ſentiunt humanam vitam, non curant humanam figuram, itaque in eis plerumque nidificant. 5. Simulacrum deterius eſt mortuo, quia mortuus aliquando vixit. 6. Simulacrum in amicitiam recipere velle inſania eſt: quanto magis adorare? 7. Quamvis hæc de ſimulacris, notiſſima & apertiſſima concedant ipſi etiam idololatræ, noxius eſt tamen uſus ſimulacri, dum eum & affectu quodam infimo rapit infirma turba mortalium formæ ſimilitudo, & membrorum imitata compago.

16. Deinde occurrit quibuſdam gentilium ſpecioſis argutiis, quibus ſe tueri ſatagebant. 1. Dicebant quidam, cum iſtis cernerent ſimulacra; Non hoc viſibile colo, ſed Numen quod illic inviſibiliter habitat. Reſpondet Auguſtinus, Dii gentium (inquit ſcriptura) dæmonia ſunt, Dominus autem Cœlos fecit. Nefas autem colere dæmonia. 2. Alii, qui ſibi videbantur purgatioris eſſe religionis, dicebant, nec ſimulacrum, nec dæmonium colo, ſed per effigiem corporalem, ejus rei ſignum intueor quam colere debeo: puta, terræ, maris, aëris, ignis, &c. ſeu potius Numinum quæ eis præſident. Reſpondet Auguſtinus; Apoſtoli una ſententia pœnam iſtorum damnationemque celebrari: qui tranſmutaverunt, inquit, veritatem Dei in mendacium: & coluerunt & ſervierunt creaturæ potius quam Creatori, qui eſt benedictus Deus in ſecula. Nam priore parte hujus ſententiæ ſimulacra damnavit: poſteriori autem interpretationes ſimulacrorum. Deinde docet Auguſtinus, quam ſit plerique adoratoribus perniciſum ipſe intuitus effigiei à fabro factæ, quicquid prætexant ii qui ſibi acutiores videntur; quis autem (inquit) adorat vel orat intuens ſimulacrum, qui non ſic afficitur ut ab eo exaudiri putet, ac ſibi præſtari quod deſiderat, ſperet? hoc enim facit & quodammodo extorquet illa figura membrorum.

17. Denique huic gentilium erroneæ ac ſuperſtitioſæ conſuetudini opponit conſuetudinem Chriſtianorum, per modum occupationis; & oſtendit argumenta illa quibus contra gentium ſimulacra uſus erat, retorqueri in Catholicam Chriſtianorum Eccleſiam non poſſe; Sed enim (inquit) & nos pleraque inſtrumenta & vaſa ex hujuſmodi materia vel metallo habemus in uſum celebrandorum ſacramentorum: quæ ipſo miniſterio conſecrata, ſancta dicuntur, in ejus honore cui pro ſalute noſtra inde ſervitur. Et ſunt profectò etiam iſta inſtrumenta vel vaſa, quid aliud quam opera manuum hominum? Verumtamen nunquid os habent, & non loquentur? Nunquid oculos habent, & non videbunt? Nunquid eis ſupplicamus, quia per ea ſupplicamus Deo. Illa cauſſa eſt maxima impietatis inſanæ, quod plus valet in affectibus miſerorum ſimilis viventi forma, quæ ſibi efficit ſupplicari, quàm quod eam manifeſtum eſt non eſſe viventem, ut debeat à vivente contemni. Plus enim valent ſimulacra ad curvandam infelicem animam, quod os habent, oculos habent, aures habent, nares habent, manus habent, pedes habent; quam ad corrigendam, quod non loquentur, non videbunt, &c. Hæc, & in eandem ſententiam plura Auguſtinus, loco citato.

*Forma imaginis cauſa impietatis.*

18. Hinc obſerva. 1. Quicquid alicubi privato quorundam judicio factum ſit, non patitur tamen Auguſtinus, ut religioſus aliquis imaginum artefactarum uſus tribuatur Catholicæ Eccleſiæ, à cujus moribus, in negotio religionis, removet omnem artefactam effigiem. 2. Omnia argumenta, quæ contra gentilium ſimulacra Auguſtinus, & ante Auguſtinum divinus Pſaltes, ſumit ab eorum materiâ, auctore, impotentiâ, & vilitate, directè conveniunt omni imagini artefactæ, atque adeò imaginibus quas venerantur Papiſtæ, qui non audebant negare eas ex terrena quadam materia, ab homine artifice fieri, os habere & non loqui, &c. 3. Reſponſio Auguſtini contra interpretationes ſimulacrorum, allatas ab iis Paganis qui ſibi purgatioris religionis eſſe videbantur, facit etiam contra illos Chriſtiani nominis profeſſores, qui ſe ajunt non colere imaginem, ſed beatam Virginem, aut alium aliquem ſanctum, quem imago illa ſignificat. Omnes enim illi ſancti ſunt Dei creaturæ, ideóque non ſunt religioſè colendi. 4. Neque fas eſt ipſi Deo talem imaginem collocare, ut docet Auguſtinus. 5. Quicquid religioſè adores, non eſt utile, ſed periculoſum & noxium adoranti, procumbere coram artefactâ imagine illius quod adoras, aut te ad eam convertere dum adoras, eamque intueri. Hæc eſt doctrina Auguſtini apud quem ſimilia invenies in Pſal. 96. & epiſt. 49. ad quæſtionem tertiam.

*Quinque obſervationes ex Auguſtino, contra adorationem imaginum, vel coram imagine.*

19. Theodoretus (qui interfuit Concilio Epheſino primo, anno Dom. 431. & Concilio Chalcedonenſi, anno Domini 451.) in ſua interpretatione in Pſal. 115. exponens illa verba [os habent, & non loquentur, &c.] Simulacra quidem (inquit) ſenſuum domiciliis induta ſunt, operatione verò privantur. Viliora igitur non modo ſunt iis qui ipſa finxerunt, ſed etiam minimis animantibus: quandoquidem muſcæ & culices, & his tenuiores in ſenſuum ſedibus vim habent; vident enim & audiunt, evolant & ambulant. Hæc ille, de ſimulacris gentilium. quæ omnia niſi æquè conveniant imaginibus quas Papiſtæ adorant, nullam cauſſam dico quia animantibus æquiparentur.

*Theodoretus.*

20. Neque tamen hinc inferimus, omnem imaginem, quamvis non colatur (etiam Jovis aut Minervæ) eſſe idolum, ſumendo idolum non ut vox ſonat, pro formula vel effigie, ſed pro alieno Deo, à cujus cultu dicuntur idololatræ, nam illud ſolum hoc ſenſu idolum eſt, cui cum non ſit natura Deus, exhibetur religioſus cultus, ſive imago ſit, ſive creatura qualibet, quæ non eſt natura Deus, ſed opus Dei vel hominis. Certè, neque beata Virgo Maria, neque ejus imago, neque Sol, neque imago Solis, neque ipſe Diabolus, aut ad repræſentandum illum ficta imago, neque ullum figmentum, eſt in ſe idolum, id eſt, Deus alienus. ſed ſi horum quippiam religioſè colas, jam defers ei honorem divinum, & illud tibi jam facis idolum, eique ſerviens idololatriæ teneris, nullo

*Non formata, ſed religioſe imaginis eſt idololatria.*

*Gal. 4. 8.*

*Creaturas religioſè colere, idololatria eſt.*



quidem

*Inconcuſſa argumentatio contra religioſam adorationem cujuſcunque imaginis manufactæ.*

quidem vitio rei adoratæ (niſi tibi hoc ſuadeat vel facienti conſentiat, ut facit diabolus) ſed tua ſolius culpâ. Stat autem inconcuſſa & univerſaliter vera illa argumentatio, contra religioſam adorationem cujuſcunque imaginis manufactæ; os habent imagines & non loquentur, oculos habent & non videbunt, &c. ergo non ſunt adorandæ. Item ſunt viliores ipſis hominibus, ſunt viliores etiam beſtiis, ergo non ſunt adorandæ.

*De imaginum uſu Politico & hiſtorico.*

21. Imagines autem quædam, ſecluſâ adoratione & ſcandalo, haberi poſſunt, quæ honeſtum præſtant ornamentum, vel hiſtoricam præbent aut Ethicam ad pietatem commonefactionem; & tales in templis etiam eſſe, non eſt abſolutè illicitum; ſed ἀδιάφορον: quamvis imagines illius quod colitur, aut ad quarum cultum proclivis eſt lapſus, illic collocare, res ſit plena periculi, ut ſuprà monui, nec fiat ſine ingenti ſcandalo Judæorum & Muhammedanorum, qui certè non ſunt propter humanas inventiones negligendi, & à Chriſto abſterrendi. Inexcuſabile verò peccatum eſt earum adoratio, quæ honorificam earum in templis collocationem conſequuta eſt.

*Imaginum in templis collocatio periculoſa & noxia.*

*Quæ occaſione irrepſerit collocatio imaginum in templis Chriſtianorum.*

22. Factum autem quinto & ſexto ſeculis, ut Eccleſia, in Neſtorii & Eutychetis, & Pelagii, & Acephalorum, & Origeniſtarum, aliiſque multis hæreſibus refellendis occupata, non uſque adeò, ut veteres Patres, de excludendis imaginibus, ſollicita fuerit, aliis jam curis intenta: Nullo tamen decreto Eccleſiaſtico fabricatæ ſunt vel in templa introductæ imagines, illis ſeculis, ſed ſuo quiſque judicio, viri etiam pii, ſequuturæ peſtis non ſatis providi, eas in templis poni vel juſſerunt vel permiſerunt: ab earum tamen adoratione alieniſſimi.

*Serenus Maſſilienſis confregit imagines, quas videbat adorari.*

23. Propterea circa annum Domini 600. Serenus Epiſcopus Maſſilienſis, conſpiciens adorari à quibuſdam imagines, pio Ezechiæ regis (qui ſimilem ob cauſſam ſerpentem æneum, licet ipſius Dei juſſu alios in uſus olim factum, confregit) zelo accenſus, eas confregit atque projecit. Eumque Gregorius, hujus nominis primus, Epiſcopus Romanus, laudavit quod imagines adorari non paſſus ſit, licet eas mallet non eſſe confractas. lib. 7. ex regiſtro, epiſt. 109. Indico (inquit) dudum ad nos perveniſſe, quod fraternitas veſtra quoſdam imaginum adoratores aſpiciens, eaſdem Eccleſiæ imagines confregit atque projecit. Et quidem zelum vos, ne quid manufactum adorari poſſit, habuiſſe laudavimus: ſed frangere eaſdem imagines non debuiſſe judicamus. Idcirco enim pictura in Eccleſiis adhibetur, ut hi qui literas neſciunt, ſaltem in parietibus videndo legant quæ legere in codicibus non valent. Tua ergo fraternitas & illas ſervare, & ab earum adoratu populum prohibere debuit: quatenus & literarum neſcii haberent unde ſcientiam hiſtoriæ colligerent; & populus in picturæ adoratione minimè peccaret. Hæc ibi Gregorius. Similia repetit. lib. 9. epiſt. 9. ubi, 1. Imagines illas vocat *ſanctorum imagines, ſanctorum hiſtorias.* 2. *Ait eas in Eccleſiis, non ad adorandum, ſed ad inſtruendas ſolummodo mentes neſcientium, eſſe collocatas:* adeóque non ſine ratione vetuſtatem admiſiſſe ſanctorum depingi hiſtorias in locis venerabilibus, quia quod legentibus ſcriptura, hoc idiotis præſtat pictura cernentibus. 3. Rationem ſuperiorem per hanc confirmat vel illuſtrat, non niſi exemplo gentilium, *Unde* (inquit) *& præcipuè gentibus pro lectione pictura eſt.* 4. Quia ex Maſſilienſibus quidam confractas ab Epiſcopo ſuo imagines ægrè ferebant, hoc ei dat conſilium Gregorius. Convocandi (inquit) ſunt diſperſi Eccleſiæ filii, eiſque ſcripturæ ſacræ eſt teſtimoniis oſtendendum, *quia omne manufactum adorare non licet*: quoniam ſcriptum eſt, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Ac deinde ſubjungendum eſt: quia picturas imaginum, quæ ad ædificationem imperiti populi fuerant factæ, ut neſcientes literas, ipſam hiſtoriam attendentes diſcerent quid actum ſit, quia tranſiſſe in adorationem videras, idcirco commotus es ut eas imagines frangi præciperes. Atque eis dicendum: ſi hanc inſtructionem, ad quam imagines antiquitus factæ ſunt, habere vultis in Eccleſia, eas modis omnibus & fieri & haberi *permitto*. Atque indica quod non tibi ipſa viſio hiſtoriæ, quæ pictura teſte pandebatur, diſplicuerit, ſed illa adoratio quæ picturis fuerat incompetenter exhibita. Atque in his verbis eorum mentes demulcens, eos ad concordiam tuam revoca. Et ſi quis imagines facere voluerit, minimè prohibe; adorare verò imagines omnibus modis devita. Sed hoc ſollicitè fraternitas tua admoneat, ut ex viſione rei geſtæ ardorem compunctionis percipiant, & in adoratione ſolius omnipotentis ſanctæ Trinitatis humiliter proſternantur. Cuncta verò hæc amore ſanctæ Eccleſiæ, & tuæ fraternitatis loquimur. Non ergo ex mea correptione frangatur à zelo rectitudinis, ſed magis adjuvetur in ſtudio piæ diſpenſationis. Hæc Gregorius, lib. 9. epiſtolarum ex regiſtro, epiſt. 9.

*Gregorii I. Papæ Romani judicium de facto Sereni.*

24. Vides Gregorium apertiſſimè damnare omnem adorationem imaginum: quæ verò de earum utilitate diſſerit, ea neque earum habendarum neceſſitatem important, ſed tantum licitam ac conditione limitatam permiſſionem; neque ullo ſacræ Scripturæ teſtimonio munit, ſed utilitatis hujus rationem confirmat exemplo gentilium, quorum in hoc argumento nulla eſt auctoritas. Antiquitas verò ſeu vetuſtas Eccleſiaſtica, quam allegat, quanto diſtet intervallo à temporibus Apoſtolicis, facilè eſt perſpicere ex ſuperiore narratione. De hac autem utilitate plura, Deo donante, inferius monebimus. Nunc hiſtoriam proſequamur.

25. Hæc fuit doctrina Gregorii, initio ſeptimi ſeculi; eademque viguiſſe videtur reliquo illo ſeculo, uſque ad quiniſextam Synodum: nempe imagines ſanctorum in templis utiliter haberi, ſed nefas eſſe ullam imaginem adorare, quæ non eſt Deus; nulla autem imago Deus eſt, niſi ſolus unigenitus Dei Filius, quem ſcriptura vocat imaginem inviſibilis Dei. Coloſſ. 1. 15.

CAPUT



## CAPUT DECIMUM.

*De imaginibus narratio hiſtorica à tempore quiniſextæ Synodi, uſque ad Synodum Francofurtenſem, ſub Carolo Magno celebratam, anno Dom. 794. ubi etiam de duabus nuncupatis ſeptimis œcumenicis Synodis.*

Synodus quiniſexta, quæ anno Domini 692. celebrata eſt, imagines vocat venerabiles, [illegible], can. 82. Sed hoc epitheton & templis [illegible] tribuitur poſtea ab ipſis Nicænis illis Patribus in Concilio Nicæno ſecundo, actione 6. tom. 2. ſectione illa quæ antepenultimam proximè antecedit. Et ipſi etiam Patres Concilii Conſtantinopolitani ſub Conſtantino quinto contra imagines celebrati, anno Domini 754. templum in quo ſedebant, appellant [illegible], idemque Nicæni vocant [illegible], in actis ſeptimæ Synodi, actione ſextâ, tom. 1. non procul ab initio. Juſtinianus etiam Imper. Xenodochia & noſocomia & id genus alia collegia vocat venerabiles domos, Novell. 7. cap. 2. & Novell. 120. cap. 5. & adorandas domos, Novell. 7. cap. 1.

2. In eadem quiniſextâ Synodo, can. 73. dicunt Patres illi, ſe vivificæ cruci tribuere adorationem [τὴν προσκύνησιν] & propterea crucis figuras [τοὺς τύπους] in ſolo ac pavimento fieri prohibent, ne incedentium pedibus calcetur victoriæ nobis trophæum. Magnifica iſta crucis elogia, à veteribus quibuſdam uſurpata, Patres Francofurdienſes, in refutatione ſeptimæ pſeudo-ſynodi ſeu Nicænæ ſecundæ, intelligenda eſſe ajunt non de ligno, ſed de toto opere Chriſti in cruce peracto, item de afflictionibus piorum. Et certè Trullani illi, Synodi quiniſextæ Patres non dicunt ſe adorationem impertiri figuræ crucis [τῷ τύπῳ τοῦ σταυροῦ] ſed vivificæ cruci, id eſt, Chriſto crucifixo: quo ſenſu dixit Apoſtolus Paulus, ſe gloriari in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti. Galat. 6. 14. & ſe non ſtatuiſſe ſcire aliquid inter Corinthios, niſi Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum. 1. Cor. 2. 2. Et ad honorem Chriſti crucifixi pertinere putabat quiniſexta Synodus, ut non calcaretur figura crucis. quo loco autem hujus Synodi judicium habeant Pontificii, monuimus ſuprà, lib. 5. cap. 5.

3. Poſt annum verò Dominicæ incarnationis 700. jam palàm urgeri, atque ab ipſo Romano Pontifice aliiſque Epiſcopis ingenti ſtudio defendi cœpit atque obtrudi religioſus cultus & adoratio imaginum, contra mentem Gregorii I. & orthodoxæ antiquitatis. Hinc acerrimæ exortæ ſunt & diuturnæ concertationes, aliis Serenum Maſſilienſem imitantibus, & imagines, (cùm eas coli dolerent) confringentibus ac delentibus, aliis earum adorationem obſtinatè exercentibus atque urgentibus: illi iconomachi & iconoclaſtæ dicti ſunt, illi iconolatræ.

4. Eouſque autem invaluerat iconomania, ut imagines religioſè adorarent ipſi jam Pontifices Romani, aliarumque multarum ſedium degeneres antiſtites. qua deteſtanda idololatria meritò commotus Leo Iſaurus, hujus nominis tertius, Romanorum Imperator, Conſtantinopoli regnans, edictum promulgavit anno Dom. 726. ne quis ullam manufactam imaginem adoraret, & quia eas adorari videbat, amovendas curavit, non quod hiſtoricum imaginum uſum prorſus improbaret, ſed piè & prudenter reputans eo potius carendum eſſe, quàm permittendam imaginum adorationem. Hic enim cardo fuit controverſiæ, ut docet Zonaras, tomo 3. Annalium, in Imperio Leonis Iſauri; Acceſito (inquit) Germano Patriarcha, negat [Leo Imp.] colendas eſſe imagines, earumque adorationem idololatriam vocat. Hanc Imperatoris propoſitionem ut hæreticam averſatus Germanus de ſede Conſtantinopolitana pellitur, ſuffecto in ejus locum Anaſtaſio, qui de imaginibus idem ſentiebat quod Leo Auguſtus.

*Cardo controverſiæ inter iconomachos & iconolatras.*

5. Gregorium etiam Papam Rom. hujus nominis ſecundum, monuit Leo ut imagines adorari non ſineret, ſed eas potiùs auferret. Sed tantum abfuit ut ſalubribus Imperatoris & Anaſtaſii Patriarchæ conſiliis aurem præberet Gregorius Papa, ut è contrario adorationem imaginum inſanâ obſtinatione tuendam ſuſceperit. Propter eam controverſiam, Gregorius, repudiata ſocietate Patriarchæ Conſtantinopolitani, & eorum qui ei conſentirent, illos, unà cum Imperatore Leone, ſynodico anathemate obſtrinxit. Et impietati rebellionem addens, vectigalia Romana & Itala, quæ ad id uſque tempus Imperatori Conſtantinopolitano pendebantur, inhibuit, icto cum Francis fœdere. Unde illi occupandæ Romæ occaſionem habuerunt, ut ſcribit Zonaras, etiam imaginum cultor: idque ipſum de perfida Gregorii rebellione repetens, ait, [illegible] id eſt, Papa igitur Gregorius, deſertâ Imperatoris obedientiâ, ut dictum eſt, ob perverſam illius opinionem, pacem cum Francis fecit. Sic Abbas Urſpergenſis, Miſit (inquit) & ad Papam Romanum Gregorium, ut ſimiliter faceret, ille verò noluit, ſed omnia tributa Romanæ urbis & Italiæ, ſibi dari prohibuit. Hæc ille, & in eandem ſententiam plura, in ſuo Chronico, ubi de Leone Iſauro.

*Gregorius 2. Papa Romanus ſpreta auctoritate Imperatoris Conſtantinopolitani, fœdus cum Francis init.*

Nota hic geminam ſedis Romanę apoſtaſiam: à Dei obedientia unam; alteram ab Imperatoris.

*Duplex apoſtaſia Sedis Rom.*

6. Leoni Iſauro ſucceſſit ipſius filius Conſtantinus quintus, quem *Copronymum* cognominant: hic ſynodum convocavit trecentorum triginta octo Epiſcoporum, quæ celebrata eſt Conſtantinopoli, anno Domini 754. & ſeptima œcumenica dicta eſt. In ea decretum eſt, non eſſe adorandas artefactas imagines, nec in templis collocandas, aut in privatis domibus, nec occultandas. Earumque adoratores, ut idololatras, Xylolatras, iconolatras, anathemate condemnant, & in eis nominatim Germanum & Georgium quondam Patriarchas Conſtantinopolitanos, & Joannem Damaſcenum, qui cognomento *Manſur* dictus eſt, ut patet ex ejuſdem ſynodi geſtis, quæ exſtant inſerta actis Synodi ſecundæ Nicænæ, actione ſextâ.

*Conſtantinus Copronymus. Septima œcumenica Synodus, an. Dom. 754. contra adorationem imaginum.*

7. Mortuo jam Anaſtaſio, Patriarcha Conſtantinopolitano, ſuffectus in ejus locum eſt, in hac Synodo, *Conſtantinus*, qui Silæi Epiſcopus fuerat, cui poſtea ſucceſſit Nicetas, regnante adhuc Conſtantino Copronymo; teſte Zonara. Succeſſit autem Patri Conſtantino in Imperio filius *Leo*, hujus nominis quartus,

*Leo 4. Imperator.*



anno

anno Dom. 775. etiam adverſarius adorationis imaginum, eoque regnante, Nicetas mortuus eſt, ſuccedente in ejus locum Paulo Patriarchâ.

*Irene & Conſtantinus ſextus Imper. Vide ſupra, lib. 4. cap. 17. § 11.*

8. Mortuo deinde Leone, ejus relicta vidua *Irene* & filius *Conſtantinus ſextus* Imperium ſuſceperunt, anno Dom. 780. favebat Irene adorationi imaginum, & filium ſecum traxit. *Paulus* autem Patriarcha, qui regnante Leone averſationem cultus imaginum præ ſe ferebat, conſenſit Irenæ Imperatrici, & ſe Patriarchatu abdicans monachus fieri voluit. Et ejus loco Imperatores *Taraſium* ſecretarium, hominem laicum, conſtituerunt Patriarcham Conſtantinopolitanum. quæ promotio, ex laico ſtatim in Patriarcham, initio quidem improbata eſt Hadriano, hujus nominis primo, tunc Papæ Romano, intellectâ tamen Taraſii in adorationem imaginum propenſione, diſſimulata eidemque probata eſt, ut patet ex Hadriani epiſtola ad Taraſium, inſerta actis Nicænæ ſecundæ ſynodi, actione ſecunda. Atque ita opportunitate utentibus iconolatris, indicta eſt Synodus Conſtantinopoli celebranda, pro reſtitutione imaginum & adoratione earundem; ſed cum eam impietatem ita averſarentur Conſtantinopolitani, ut non ſuccederet, dilata res eſt, & poſtea cogitatum de Nicæa Bithyniæ, ut monet Binius in hiſtoria ſeptimæ ſynodi. Celebrata eſt igitur Nicææ ſynodus trecentorum quinquaginta Epiſcoporum anno Dom. 787. qui fuit annus octavus Imperii Irenes & Conſtantini, hanc cultores imaginum œcumenicam ſeptimam appellârunt. quid in ea, in negotio de imaginibus decretum ſit, prolixe declarant ejus acta, tomo quinto Conciliorum, editionis Pariſ. Compendio verò ſic refert Zonaras, in Imperio Irenes & ejus filii Conſtantini; Decretum (inquit) [illegible], venerabiles imagines & adorandas & religioſe colendas eſſe. Non tamen latria, ut patet ex Synodi actis. In eademque improbata eſt prior illa ſynodus ſub Conſtantino Copronymo contra imagines celebrata, & anathemate notati tres, qui Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ præfuerant Patriarchæ, Anaſtaſius, Conſtantinus & Nicetas, quia docuerant non eſſe adorandas imagines.

*Alia ſeptima [illegible] ſynodus, an. Dom. 787. pro adoratione imaginum. Vide ſupra, cap. 2. § 11.*

9. Perlatis in Occidentem ſynodi hujus actis, per Hadriani Papæ legatos, qui eidem interfuerunt, *Carolus Magnus*, Francorum Rex, generalem indixit Synodum Epiſcoporum Franciæ & Italiæ aliarumque ſuarum ditionum, quæ de hac controverſia judicaret. Celebrata eſt igitur Francofurti ad Mœnum celebris illa Francofurtenſis Synodus trecentorum Epiſcoporum, anno Dom. 794. conſentiente Hadriano Papa Romano, qui ad celebrandum eam Synodum ſuos etiam legatos miſit Theophylactum & Stephanum Epiſcopos. Ibi primum damnata eſt hæreſis Felicis & Elipandi, de qua alias diximus: deinde (utar jam verbis Adonis Archiepiſcopi Vienneſis) pſeudoſynodus, quam ſeptimam Græci appellant, pro adorandis imaginibus abdicata penitus. Hæc Ado, in ſuo breviario chronicorum, ætate ſexta. Sic Abbas Urſpergenſis, in ſuo Chronico. Synodus etiam (inquit) quæ ante paucos annos in Conſtantinopoli congregata ſub Irene & Conſtantino filio ejus, ſeptima & univerſalis ab ipſis appellata eſt, ut nec ſeptima, nec aliquid diceretur, quaſi ſupervacua ab omnibus abdicata eſt. Hæc ille. dicit autem Conſtantinopoli congregatam, tum quia in ea urbe initio congregari cœpit, ut diximus, tum etiam quia in Conſtantinopolitano Imperio, juſſu Conſtantinopolitanorum Principum, congregata eſt Nicææ quæ ſubterat Conſtantinopoli urbi imperanti, ut nova Romæ: veluti ſi ſynodum Patavinam dicas Venetiis eſſe congregatam.

10. Clariſſimè autem mentem ſuam ipſi illa Francofurtenſis ſynod aperit in libris illis, qui ſub Caroli M. nomine ſcripti ſunt in illa Synodo, contra illam pſeudoſeptimam ſynodum, & contra adorationem imaginum, quod opus capitulare dictum, miſit Carolus ad Adrianum Papam Romanum, qui Capitularis illius confutationem, ſynodique Nicænæ pſeudoſeptimæ defenſionem, infelici conatu, molitus eſt, ſcripto quodam ad Carolum miſſo, quod exſtat ſubjunctum actis illius ſeptimæ ſynodi, in editione Binii. Ubi ait Adrianus Engilbertum Abbatem, à Carolo miſſum, tradidiſſe ei Capitulare adverſum Synodum, quæ pro ſacrarum imaginum erectione in Nicæa acta eſt.

## CAPUT UNDECIMUM.

*Specimen doctrinæ Concilii Francofurtenſis, cum diſcuſſione offuciarum Baronii & Bellarmini, & ineptis quibuſdam Adriani primi, Papæ Romani, reſponſionibus, & abſurda ejus doctrinâ.*

*Summa doctrinæ operis Carolini.*

SUmma doctrinæ operis illius Carolini, quod adhuc exſtat, huc redit. Neque probandum eſſe rigorem illius Synodi ſub Conſtantino quinto celebratæ, quæ imagines in hiſtoricum uſum poſitas prorſus abolendas cenſuit, & multò magis rejiciendam eſſe ſynodi ſub Irene habitæ impudentiam in adoratione imaginum. Paucis enim rejectâ priore ſynodo in præfatione operis, reliquum opus in quatuor libros diſtinctum prolixè impendunt refutationi ejus ſynodi quæ (ut loquitur in præfatione Carolus, ſeu ſub ejus perſona Concilium Francofurtenſe) propter adorandarum imaginum impudentiſſimam traditionem in Bithyniæ partibus geſta eſt. Contra quam ineptiſſimam Synodum Carolus ait ſe opus hoc adgreſſum eſſe cum conhibentia ſacerdotum in regno à Deo ei conceſſo Catholicis gregibus prælatorum, non arrogantiæ ſupercilio, ſed zelo Dei & veritatis ſtudio.

*Contra Synodum Nicææ in Bithynia geſtam.*

*Cum cohibentia ſacerdotum, id eſt, cum eorum unanimi conſenſu.*

2. Porrò ita tuentur uſum imaginum hiſtoricum, Carolus & Patres Francofurtenſes, ut tamen fateantur eum non eſſe neceſſarium, & eſſe parum utilem: earum verò adorationem rejiciunt ac refellunt, ut prorſus illicitam ac nefariam. Ex ipſorum verba, libro 2. illius operis, cap. 21. Solum (inquiunt) Deum colere, ipſum adorare, ipſum glorificare debere, totius Divinæ ſcripturæ tuba terribilis intonat. Unde cavendum illud eſt, & modis omnibus pertimeſcendum, ne, dum imaginum cultum & adorationem Chriſtianæ religioni ingerere nituntur, ſingularem unius Dei cultum & adorationem fruſtrari videantur:



Quæ duo ita inter ſe mutuò reluctantur, ut ſi unum ſteterit, aliud ſtare non poſſit. ——— Solus igitur Deus colendus, ſolus adorandus, ſolus glorificandus eſt, de quo per Prophetam dicitur, *Exaltatum eſt nomen ejus ſolius.* [Pſalm. 148.] Cujus etiam ſanctis qui, triumphato diabolo, cum eo regnant, ſive quia viriliter certaverunt, ut ad nos incolumis ſtatus Eccleſiæ perveniret, ſive quia eandem Eccleſiam aſſiduis ſuffragiis & interceſſionibus adjuvare noſcuntur, veneratio exhibenda eſt. Imagines verò, omni ſui culturâ & adoratione ſecluſa, utrum in baſilicis propter memoriam rerum geſtarum & ornamentum ſint, an etiam non ſint, nullum fidei catholicæ adferre poterunt præjudicium: quippe cum ad peragenda noſtræ ſalutis myſteria nullum penitus officium habere noſcantur. Hæc ibi.

3. Alibi etiam paſſim in eo opere Carolus docet, imagines ad inſtructionem intuentium parum habere utilitatis, nec urgere ſe earum uſum ut neceſſarium, ſed permittere ut licitum. Et reprehendit Nicænos nimis extollentes utilitatem imaginum: Non gratiam Dei (inquit) in ea veritate quærunt, de qua pia veritas, & vera pietas dixit, *Si permanſeritis in verbo meo, cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos:* ſed in imaginibus artificum induſtria formatis, quæ ſpectatores ſuos plerumque ob rerum geſtarum memoriam inducunt in admirationem, adoratores verò ſemper in errorem. Non enim mediocris eſt error, cum aliud adoratur religionis cultu, quàm is qui dixit, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Hæc ille, lib. 1. cap. 2. Ubi etiam ſubjungit, nec veritatis capaces eſſe imagines, nec ſanctas dici debere, ſanctitate enim & veritate eas omnino carere. Item lib. 1. cap. 13. Non jam veritatem per imagines & picturas quæramus, qui Spe, Fide, & Charitate ad eandem veritatem quæ Chriſtus eſt, ipſo auxiliante pervenimus. Et in eandem ſententiam, lib. 1. cap. 17. Unde (inquit) liquido patet hanc eſſe Apoſtolicam traditionem, ut non in picturis, ſed in virtutibus videri poſſit ſanctorum exitus converſationis & eorum imitari fides, non imaginum fucis, ſed in operibus bonis.

4. Et cap. 29. ejuſdem libri, Habet ſancta Eccleſia decorem quem Propheta diligebat, id eſt, ſpirituales virtutes: habet aurum, id eſt, fidem: habet columnas argenteas, id eſt, ſanctos viros; quæ columnæ habent baſes argenteas, cum ſupra ſtabilitatem verbi Dei quod per Prophetas & Apoſtolos nobis traditur collocantur. &c. Ex his & aliis quæ hic prolata non ſunt, diligens divinarum ſcripturarum lector domus Dei decorem non in imaginibus materialibus, ſed in virtutibus ſpiritualibus refulgentem eſſe videbit. Hæc ibi.

5. Item lib. 4. cap. 2. Non in rebus viſibilibus, non in manufactis, ſed in corde Deus eſt quærendus: nec carnalibus oculis, ſed mentis ſolummodo oculo aſpiciendus. In corde meo, inquit David, non imaginibus, abſcondi eloquia tua: ne repellas me à mandatis tuis. Et Moyſes dicit, Ponite verba Domini in cordibus veſtris. Et Dominus per Prophetam, Convertimini ad me de toto corde veſtro. Et è contrario, de reprobis ait, Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt à me. Nam quæ veſania eſt dicere, per imaginem quæ per colores apparet, adſtatur fortitudo ejus, & ad memoriam venimus de ejus in terra præſentia? Infelix memoria, quæ ut Chriſti memoretur, qui nunquam à pectore juſti hominis recedere debet, imaginariæ viſionis eſt indiga: nec aliter poteſt Chriſti habere in ſe præſentiam, niſi in pariete aut in aliqua materia ejus viderit imaginem pictam: Quoniam talis memoria quæ imaginibus fovetur, non venit ex cordis amore, ſed ex viſionis neceſſitate. Quia videlicet hanc non internus amor ad memorandum Chriſtum incendit, ſed neceſſitas, qua etiam res exoſas mox ut videmus pictas, utcunque ad mentem viſione duce reducimus. De talibus ergo qui tanta neceſſitate arctantur, ut niſi picturas viderint, Chriſti difficile memorentur, timendum eſt, ne ſi forte aut communem hanc lucem quadam corporis moleſtia urgente viventes amiſerint, aut picturis quodam caſu, quæ tamen ſemper haberi non poſſunt, caruerint, Chriſti prorſus qui ſemper ante oculos habendus eſt obliviſcantur.

*Infelix memoria quæ ut Chriſti memor ſit, indiget viſione imaginis.*

6. His ſimilia lector inveniet lib. 2. operis illius Carolini, capite 22. quod hac inſcriptione prænotatur, Quod non bonam habeant memoriam, qui ut non obliviſcantur ſanctorum, vel certè ipſius Domini, idcirco imagines erigunt.

7. Item lib. 4. cap. 21. Prophetia (inquit) quæ Virginem concepturam & filium parituram intonat, non jam in incertis & ambiguis eſt quærenda, ſed in pectore retinenda, nec ejus arcana myſteria ſunt in picturis, ſed in divinis literis earumque explanatoribus, Apoſtolis videlicet eorumque ſucceſſoribus, inveſtiganda, & fide potius quam oculis intuenda. Non enim nobiliſſimus vates Eſaias ait, niſi pinxeritis & adoraveritis imagines, non permanebitis, ſed ait; ſi non credideritis, non permanebitis. ——— Hanc autem picturam in tabula aut pariete cernentes, Virginem videlicet depictam, puerum in ulnis ferentem, quomodo præſumemus rem inſenſatam adorare, & opus cujuſlibet artificis oſculari? Quis indiſciplinatus tale facinus perpetrare audebit, ut adorationem ſoli Creatori debitam creaturis impendat, & dum vult favere picturis, ſacris renitatur ſcripturis? ——— Iſti abſque ſanctorum Patrum doctrinâ & Conſacerdotum per diverſas mundi partes conſtitutorum conſenſu, arrogantiâ quadam & ſuperciliosâ intentione novam Chriſtianæ religioni imaginum adorationem nituntur inferre.

*Prophetia de Virginis partu, non in picturis, ſed in ſcripturis quærenda eſt.*

*Eſai. 7. 9.*

*Contra adorationem imaginum, earumve oſculationem.*

*Adoratio imaginum nova & à Chriſtiana religione aliena.*

8. Et lib. 1. cap. 27. Nil ad manufactarum imaginum vultus pertinet quod Pſalmographus dicit, Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine. Nec illud, Vultum tuum, Domine, requiram. ut in ejuſdem vaniſſimæ ſynodi lectione habetur, quæ pro adorandis imaginibus facta eſt, cujus textus nihil aliud quam materia eſt, ubi ſtultitia magnitudinem ſuam exercuit. Hæc ibi.

*Vindicia ſcripturarum. Pſal. 4. 7. Pſal. 27. 8. Elogia quædam Nicænæ ſecundæ ſynodi, quæ ſe ſeptimam œcumenicam dixit. Tranſitio.*

9. Hic multa invenis contra imaginum neceſſitatem. Contra adorationem verò & ſalutationem earundem vehementius acuitur oratio, in illo opere.

10. Eccleſiaſticæ (inquit) norma inſtitutionis Prophetarum & Apoſtolorum, vel ipſius Domini aliquando nobis commendatur verbis, aliquando exemplis, aliquando obumbratis, aliquando patefactis monſtratur oraculis, nonnunquam etiam figuratis, nonnunquam ſimplicibus perdocetur eloquiis: inter quæ omnia omnium rerum adoratione inhibita, ſalva

*Contra adorationem & ſalutationem imaginum.*

*Nota diſtinctionem adorationis.*

adoratione qua nos mutuo ſalutantes adoramus, ſolius Dei adoratio inſtituitur. ——— Si igitur Angeli ſive homines, ut præſentis exempli ratio docet, [exempla attulit Petri, Actorum 10., Pauli & Barnabæ, Actorum 14. & Angeli, Apocal. 19. & 22.] minimè adorandi ſunt, ſalva adoratione quæ charitatis & ſalutationis officio exhibetur, multò minus imagines, quæ rationis expertes ſunt, nec ſalutatione nec adoratione dignæ, eo quod inſenſatæ ſunt, adorandæ ſunt: quæ ſi adorandæ non ſunt, imo quia non ſunt, duplex illi in hac parte deliquium patrare perhibentur, ſive quia eas adorant, ſive quia ut hoc facerent ab Apoſtolis ſibi traditum eſſe mentiuntur. Hæc lib. 2. cap. 25.

*Duplex culpa eorum qui in ſecunda Nicæna ſynodo decreverunt adorandas eſſe imagines.*

*De congrua veneratione ſanctorum, & incongrua.*

11. Supra monuit, ſolum Deum adorandum eſſe religionis cultu, lib. 1. cap. 3. (verba recitavimus, §. 3.) Ergo neque ad ipſorum ſanctorum convenientem venerationem pertinet cultus religionis, aut adoratio religioſa. Adde illud quod ſubjungitur eodem lib. 1. cap. 3. Faceſſat (inquit) cœcæ ſuperſtitionis vocabulum, abdicetur procacis nominis ſupercilium, pellatur à fidelibus in divos transferendorum hominum gentile mendacium. ——— Omnia falſa, veritate veniente, caſſata ſunt. Nam ſi falſorum deorum gentilis opinio falſa eſt, poſt mortem in divos transferendorum hominum fabula falſa eſt, ——— Divalis nominis nuncupatio vana eſt. Hæc ibi. Et lib. 3. capite 16. Honor itaque (inquit) dignè ſanctorum corporibus, reliquiis, ſive baſilicis exhibitus, & omnipotenti Deo & ſanctis ejus manet acceptus; incompetens verò & indecens, nec Deo, nec ſanctis ejus manet acceptus.

*Sanctorum corpora venerari, eorumque reliquiis honorem exhibere.*

12. Item eodem lib. 3. capite 24. Sanctorum corpora venerari, eorumque reliquiis honorem exhibere non ſine cauſa vetuſtas admiſit. Nam Abraham Pater gentium, vir fide plenus, devotione ſummus, obedientiâ præcipuus, in præceptis Domini ſtrenuus, non in quolibet loco, ſed in agro ſtudioſè empto, conjugem legitur ſepeliſſe: & oſſa ſua non in loco quolibet, ſed in ſpelunca pulcherrima, in cujus interiore parte protoplaſtus ſepultus fuit, juxta ſuum imperium à filiis tumulatus fuiſſe legitur. Iſaac quoque juxta Patrem ſecundum propriam juſſionem creditur à filiis fuiſſe ſepultus. Jacob quoque, cum Niliacas deſcendiſſet in oras, non ſe ibidem ſepeliri permiſit, ſed corpus ſuum ad terram ſibi Patribuſque repromiſſam, juxta oſſa Patris avique ſepeliendum advehi ſanxit. Joſeph quoque oſſa ſua filiis Iſrael ad terram repromiſſionis vehenda præcepit: Quod quidem legiſlator idcirco minimè agere diſtulit, quia id haudquaquam contra fidem eſſe cognovit. ——— Prophetes Bethel, niſi ſanctis oſſibus venerationem exhibendam ſciret, nunquam ſe juxta oſſa viri ſancti ſepeliri præciperet, dicens, ſepelite me juxta oſſa Prophetæ. (*1. Reg. 13. 31.*) Vir itaque ſanctus Joſias duorum Prophetarum oſſa nequaquam intemerata ſervare præciperet, niſi ſanctis oſſibus venerationem exhibendam ſciret. (*2. Reg. 23. 16.*) Ecce quibus exemplis, ut cætera taceamus, monſtratum eſt ſanctorum cineribus venerationem exhiberi debere. Dicant illi, ubi unquam jubeamur imagines adorare. Sancti in Cæleſtibus ſedibus cum Chriſto vivere, & eorum oſſa quandoque reſurrectura creduntur: at imagines nec vixiſſe unquam creduntur, nec reſurrecturæ. Hæc ibi. Ubi vides eam, quæ Carolo & Concilio Francofurtenſi probatur, ſanctorum venerationem, non in eo poſitam eſſe, ut mortui in divos transferantur, religioſo cultu adorentur, exhumentur, & oſculanda vel adoranda proponantur eorum oſſa; ſed 1. ut eorum corpora ſeu corporum reliquiæ honeſtè ſepeliantur, in ſpe reſurrectionis. 2. Ut ſepulta ſinantur jacere inviolatæ. 3. Ut virtutes eorum cogitemus, commemoremus & imitemur, ut patet ex eo teſtimonio, quod ſuperius §. 1. allatum eſt, ex libro primo, cap. 17. operis Carolini.

13. Si quæras, quem honorem cenſeant baſilicis exhibendum. Reſpondeo, ut in eis Deo ſerviamus, eaſque competenti ſtructuræ & ſupellectilis adparatu exornemus. Hæc reſponſio habetur lib. 4. cap. 3. ubi etiam eorum deridetur veſania, qui imaginibus nil cernentibus luminaria concinnant, & nihil odorantibus adolent thymiamata.

14. Ne autem quiſquam exiſtimet argumenta paulo ſuperius allata contra imaginum neceſſitatem, quibus etiam evincitur perexiguam eſſe earum utilitatem, ne, inquam, ea quiſquam exiſtimet retorqueri poſſe in ſacras ſcripturas, cum Nicæni illi in ſua pſeudoſynodo, actione ſexta, in fine tomi primi, ſuſcipiant imagines [illegible] ſicut ſacras ſcripturas, & per utraſque ſe probteantur ſimili modo [ὁμοίως] intelligibiliter illuſtrari: hæc iniqua comparatio, quemadmodum à Carolo & Francofurtenſi Concilio refellatur, ipſius Carolini operis verbis, licet prolixioribus, lectori ſuggerere non gravabor.

15. In Capitulari, lib. 2. cap. 30. Divinæ Scripturæ libris (ait Carolus) imagines non ritè æquiparari poſſunt: cum ſcripturæ divinæ ſint à Deo prædeſtinatæ, & per momenta ſeculorum ad humanæ ſalutis emolumenta clementi exhibitione conceſſæ, habeantque auctores ſanctos & venerabiles viros virtutum lampadibus & miraculorum inſignibus coruſcantes, vel certè ipſum Dominum; imagines verò & gentilium errorum vanitate prolatæ ſint, & nullam ſalutis exhibitionem, nullam ſacramenti alicujus mentalibus prærogativam adducant, ſed oculis tantummodo faveant, per quos quaſi per quoſdam legatos geſtarum rerum memoriam cordibus mandent. Eo etenim tempore quo Moſes cum populo Dei in eremo morabatur, & præcipiente Domino ſacræ legis doctrinam & cæremoniarum ſacratiſſimos ritus populo tradebat, & genus humanum ad divini cultus eruditionem informabat, Cecrops quidam Rex Athenienſium, dæmonico infectus veneno, rudes gentilium mentes ad imaginum ſimulacrorumque & aliorum vanorum Deorum culturas excitavit: & quo tempore populus Dei, mandata vitæ percepit, hoc ille inficiendis animabus perpetuæ mortis pocula & diuturni erroris ſeminaria præparavit, de quo eſt illud Sedulii,

*Quo lethale malum, quæ vanis dedita curis*
*Attica Cecropii ſerpit doctrina veneni.*

Unde imaginum uſus, qui à gentilium traditionibus inolevit, ſacræ legis libris æquiparari nec debet nec valet, quia in libris, non in imaginibus, doctrinæ ſpiritalis eruditionem diſcimus. Non enim ait Paulus Apoſtolus, quæcunque picta ſunt, ad noſtram doctrinam picta ſunt; ſed ait, quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, ut per patientiam & conſolationem ſcripturarum, ſpem habeamus apud Deum.



*2. Tim. 3. 16.*

Deum. Nec ait, omnis pictura, ſed, omnis ſcriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad erudiendum, ut perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus. Quinquageſimo denique die poſt agni immolationem, & maris rubri tranſitum, Dominus in montem Sinai deſcendens, legem, non pictam, ſed ſcriptam Moyſi dedit, & in tabulis lapideis non imagines, ſed apices qui indices rerum ſive ſigna verborum eſſe perhibentur tradidit. Idem quoque Moyſes originem mundi, non pingendo ſed ſcribendo edocuit. Et omnia quæ per ſpiritum prophetiæ ſive de præteritis, ſive de præſentibus, ſive de futuris cognovit, in quinque libris annotans, non pingendo ſed ſcribendo poſteris Domino imperante mandavit. Nec de eo legitur, accepit picturas, ſed accepit librum Moyſes, & recitavit in aures populi verba libri, ——— David in perſona Chriſti dixiſſe legitur; In capite libri ſcriptum eſt de me. Non enim ait pictum, ſed ſcriptum: nec in capite parietum ſive tabularum, ſed in capite libri. ——— Apoſtoli non imagines, ſed epiſtolas ad diverſas mundi partes deſtinaſſe leguntur: nec per picturas genus humanum ab idolorum cultibus ad veræ fidei puritatem revocavere, ſed per ſcripturas: Quibus Redemtor ſenſum aperuit, non ut intelligerent picturas, ſed Scripturas; Scriptum eſt enim; Tunc aperuit illis ſenſum, ut intelligerent ſcripturas. In Evangelio quoque legitur; Multa quidem & alia ſigna fecit Jeſus in conſpectu diſcipulorum ſuorum, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc. Hæc autem ſcripta ſunt ut credatis quoniam Jeſus eſt Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus. Joanni quoque dictum ſupernæ vocis tonitruo eſt, Quod vides ſcribe in libro, & mitte ſeptem Eccleſiis. Unde datur intelligi, non picturas, ſed ſcripturas ad noſtræ fidei eruditionem eſſe conceſſas. Quam ergo ſit incautum, quamque à ratione remotum dicere, ſicut divinæ ſcripturæ libros, ita imagines ob memoriam venerationis habemus, facile intelligere poteſt quiſquis divinarum ſcripturarum cognitionem habet. In illis [videlicet ſcripturis] reperiuntur arma quibus contra adverſa confligatur, quibus vitia reprimantur, quibus virtutes erigantur, ——— & ut cuncta breviter complectar, in illis & animæ perpetuus cibus, & præſentis vitæ doctrina & ſapientia quæ decor eſt vitæ, & vitæ perpetuæ documenta continentur. Eſt enim theſaurus nullo bono carens, omnibus bonis redundans: ad quem quiſquis devotus accedit, quicquid fideliter quærit, feliciter ſe adquiſiſſe gaudet. ——— Eſt planè divina ſcriptura verax, eſt fixa, eſt caſta, eſt cœleſtis magiſterii inſtrumentum, & æterna prædicatio puriſſimo nitens eloquio, eſt lux mortalium, dicente Propheta, Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine, & lumen ſemitis meis. Eſt vivax & mori neſciens, dicente Apoſtolo, vivus eſt Dei ſermo & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens uſque ad diviſionem animæ ac ſpiritus. Eſt tenebrarum diſcuſſio, Salomone adteſtante, qui ait, Lucerna eſt mandatum legis & lux vitæ, & increpatio & diſciplina: de quo per Eſaiam dicitur, de nocte ſpiritus meus vigilat ad te Deus, quia lux præcepta tua ſunt ſuper terram. Semper enim vitalia jubet, noxia prohibet, terrena removet, cœleſtia perſuadet. Eſt, inquam, fons æthereus de margine ſcaturiens, &c. ——— Nihil igitur horum quæ perſtrinximus, ſive his ſimilium, quæ brevitatis ſtudio prætermiſimus, in imaginibus, ô imaginum adorator, ô rerum inſenſatarum cultor, invenire poſſe te conſtat, quæ, dum his omnibus meritorum prærogativis careant, dolendus potius quam mirandus es, cur eas divinis ſcripturæ libris, in quibus tot bona reperiuntur, æquiparare affectes. Tu qui fidei tuæ puritatem in imaginibus conſervare te dicis, ſupplex eis adſtare memento, cum thymiamatibus: nos præcepta Domini ſolerti indagatione perquiramus in divinæ legis codicibus. Tu luminaribus perluſtra picturas: nos frequentemus divinas ſcripturas. Tu fucatorum venerator eſto colorum: nos veneratores & capaces ſimus ſenſuum arcanorum. Tu depictis demulcere tabulis: nos divinis mulceamur alloquiis. Tu figuris rerum inſta, in quibus nec viſus, nec auditus, nec guſtus, nec odoratus, nec tactus eſt: nos inſtemus divinæ legi quæ eſt irreprehenſibilis, in qua teſtimonium Domini, juſtitiæ ſive præcepta, timor ſive judicia ejus inveniuntur. Hæc, cum Epiſcopis illis Francofurtenſibus, Carolus Rex.

*At ſi dicatur, à Adriano Papa [illegible]*

*Neque vaſis divino cultui dicatis æquiparantur imagines.*

16. Neque vaſis divino cultui dicatis æquiparari ſinit imagines, lib. 2. cap. 29. Quanta (inquit) excellentia vaſa divino cultui mancipata imaginibus emineant, divinæ legis inſtrumenta demonſtrant: Cum utique illa præcipiente Domino per Moyſen in teſtimonii tabernaculo condita, & inſtituente vatum ſanctiſſimo David per Solomonem in templo Hieroſolymis condita atque dicata, & typicorum ſenſuum arcana ſignificaverint, & in his quæ ad Dei cultum pertinent diuturni miniſterii officium geſſaverint: Hæ autem, ſalva ratione Cherubin, ſive boum & Leonum, qui non ad adorandum, ſed ad rerum futurarum ſignificationem conditi ſunt, non ſolum à quoquam ſanctorum non conditæ vel dedicatæ, ſed pene cunctorum divinæ legis oraculorum teſtimoniis uſquequaque ſunt abdicatæ. Hæc quoque vaſa, quæ ad peragenda noſtræ redemtionis myſteria ſancta habet Eccleſia, ſemper ſunt fidelibus neceſſaria, ſemperque in divino cultu officioſa, &c.

*Cherubin, &c. non ad adorandum.*

*Certum & manifeſtum eſt, damnatam in Concilio Francofurtenſi & refutatam eſſe Pſeudoſynodum Nicænam, quæ imagines decreverat adorandas, & quæ ab imaginum adoratoribus ſeptima œcumenica Synodus nuncupatur. Vide ſupra, §. 1.*

17. Damnatam eſſe à Patribus hujus Francofurtenſis Concilii Nicænam illam ſynodum, quæ pro adoratione imaginum ſub Irene & Conſtantino celebrata fuit, concedunt, & contra alios quoſdam Papiſtas, hoc impudenter negare auſos, evidentiſſimis probant argumentis duo Romanæ Eccleſiæ celeberrimi Cardinales, Bellarminus, lib. de imaginibus, capite 14. & Baronius in Annalibus, anno Domini 794. Nam, 1. Libri illi Carolini, ſine dubio (inquit Bellarminus) ſcripti ſunt tempore Caroli, ut patet ex refutatione eorundem librorum quam edidit Adrianus primus, & ſcripti videntur in Concilio Francofordienſi, & acta continere ſynodi Francofordienſis: id enim aſſerit Hincmarus, ejus temporis auctor, & ipſi libri hoc præ ſe ferunt. Quod autem Synodus, quæ in his libris refutatur, ſit verè Nicæna ſecunda, dubitari non poteſt, ſi legantur vel ipſi libri, vel Adriani reſponſio. 2. Auctores antiqui omnes conveniunt in hoc, quod in Concilio Francofordienſi ſit reprobata ſynodus ſeptima, quæ decreverat imagines adorandas. Ita Hincmarus, Aimonius, Rhegino, Ado, & alii paſſim docent. Dicere autem hos omnes mentiri, vel libros eorum eſſe corruptos, ut Copus dicit, videtur mihi

paulo

paulo darius. Hæc & plura in eandem ſententiam, loco citato, Bellarminus: qui etiam eodem libro, cap. 15. eſſe Adriani illum librum quo contra Capitulare Carolinum defenditur Nicæna ſecunda ſynodus, ait cum aliunde, tum etiam ex Ivone intelligi poſſe, qui multa ex hoc libro nomine Adriani, in 4. partem ſui decreti tranſtulit.

18. Baronius ait rem ita accidiſſe, ut qui Nicænam ſynodum convellere laborarent, ſeorſim ſinguli quæ reprehendenda putarent Concilio Francofordienſi obtulerint: ab hoc verò eadem in unum faſciculum congeſta data Carolo fuerint, & ab ipſo miſſa ad Hadrianum. Cæterum (inquit Baronius) ad damnandam Nicænam ſynodum permoti ſunt Francofordienſes Epiſcopi, non quidem odio imaginum, quas haud ipſi reſpuebant; ſed quod iidem contradictores, duo ei ſynodo mendacia obtruſiſſent; Unum Nicænos Patres ſtatuiſſe, imagines eodem honore & cultu, quo ipſum Deum, venerandas eſſe: Alterum decretis ejuſdem ſynodi Romanum Pontificem non prębuiſſe aſſenſum. Hęc enim duo perſuaſa fuiſſe, conſtat ex verbis ipſius Capitularis voluminis. Hæc Cardinalis Baronius.

*Proponuntur Baronii & Bellarmini effugia.*

19. Eadem defenſione utitur Bellarminus; & ſubjicit hanc objectionem, cum ſua ad eandem reſponſione; Si dicas (inquit) ergo falſum Concilium Francofordienſe, quod frequentiſſimum fuit, & legitimum, errare potuit: Reſpondeo, potuit errare & erravit, non in juris, ſed in facti quæſtione. Et præterea, non mirum ſi errare potuit: nam non conſenſere legati Romani, ut Magdeburgenſes dicunt: Papa autem non ſolum non conſenſit, ſed etiam refutavit Francofordienſe decretum. Hæc Bellarminus, lib. de imaginibus, cap. 14. Eſtque hæc jam ejus tertia defenſio, qua etiam utitur Baronius, concedens damnationem Nicęnæ illius ſynodi factam eſſe in hoc Concilio Francofordienſi, ſed negans factum eſſe per Concilium, quia non acceſſit conſenſus legatorum Apoſtolicæ ſedis, nec qui eos miſerat Hadriani, quorum ſuit (inquit) ſtatuta firmare. Hæc Cardinalis, incautè nimis & inverecundè.

20. Priores duæ defenſiones de gemino mendacio Patribus Francofurtenſibus per fraudem obtruſo, inania ſunt commenta, quæ per ſummam impudentiam obtrudere conantur incauto lectori iſti Cardinales. Nam ex ipſo Capitulari volumine, ad quod provocant, apertiſſimè conſtat, nec latuiſſe Patres Francofurtenſes, quo cultu Nicæna illa ſynodus profeſſa ſit ſe colere imagines: nec Adriani Papæ Romani cum Taraſio Patriarcha Conſtantinopolitano Nicænaque illa ſynodo neſcivisse conſenſionem.

*Diſſipantur Cardinalium effugia.*

21. Audi ipſius Capitularis operis verba lib. 1. cap. 14. ubi de Nicænis illis Patribus loquens, Ajunt (inquit) benedixit Jacob Pharaonem, ſed non ut Deum benedixit: adoramus nos imagines, ſed non ut Deum adoramus. Similia invenies lib. 3. capite 17. & alibi paſſim in illo opere. Eam verò Nicænorum inſaniam confutant Francofurtenſes (locis proximè citatis, & alibi in illo opere paſſim) hoc dilemmate: qui adoras imaginem, aut eam cultu religionis adoras, aut eo charitatis & ſalutationis officio quo homines civiliter & humaniter honoramus: at religionis cultu nefas eſt aliud adorare quam ſolum Deum: nec civili ſalutatione colendæ ſunt aut ſalutandę imagines, hoc enim ſuperſtitioſum eſt & ſuperfluum, eo quod imagines rationis expertes & inſenſatæ ſint. At clamant iconolatræ, nos ſanctas & venerabiles imagines honoraria quadam adoratione religioſe colimus & ſalutamus [τιμητικῇ προσκυνήσει ἀσπάζεσθαι ϰ̀ ἀσπαζόμεθα,] non tamen adoramus eas latriâ ſeu cultu divino. Sed iſtam religioſæ adorationis diſtinctionem, ut abſurdam, meritò rejiciunt ac deteſtantur Francofurtenſes, quia quibuſcunque ſe conteris verborum ambagibus, non mediocris eſt error, cum aliud adoratur religionis cultu quam is qui dixit: Dominum Deum tuum adorabis & illi ſoli ſervies. Idcirco Nicæna pſeudoſynodus dum religioſum neſcio quem imaginum cultum ingerere nititur, ſingularem unius Dei cultum & adorationem fruſtrari deprehenditur.

*Dilemma contra adoratores imaginum.*

22. Adrianum autem Papam Romanum idem cum Taraſio & Nicæna illa ſynodo, de adoratione imaginum ſenſiſſe, & palam profeſſum eſſe, neminem latere poterit, qui illius ſynodi acta diſcuſſerit. Multo minus hanc tam celebrem prudentiſſimorum Epiſcoporum Synodum Francofurti habitam, præſentibus etiam ipſius Adriani Papæ legatis, qui utique & vocali ſuo, & ſcripto Adriani ipſius teſtimonio, quod in actis Nicænis adhuc extat, palam declaraſſent mentem Adriani, ſi qua Patribus de ea eſſet injecta dubitandi occaſio. Teſtatur autem opus Capitulare, Carolum cum cohibentia ſacerdotum in regno ei divinitus conceſſo catholicis gregibus prælatorum, atque adeo Francofurtenſem ſynodum ſcripta præ manibus habuiſſe acta illius Nicænæ ſynodi, eaque diſcuſſiſſe. In præfatione operis, & lib. 1. cap. 5. Extat autem in ſecunda actione Nicænæ illius Synodi epiſtola Adriani ad Taraſium, qua non ſolum mentem ſuam aperit Adrianus, & cum Taraſio conſenſionem, de adorandis imaginibus, ſed etiam pro communi illi cum Taraſio opinionis defenſione quædam adhibet argumenta, quæ poſtea Francofurtenſes in Capitulari opere ex profeſſo refutanda ſumſerunt. Præterea ſynodo Francofurtenſi probè cognitam fuiſſe Adriani mentem clariſſimè patet etiam ex operis Carolini libro 2. capite 4. ubi de conſenſu Papæ Adriani & Taraſii Epiſcopi Conſtantinopolitani in adoratione imaginum.

23. At contra ſic argumentatur Bellarminus; Synodus Francofurtenſis decrevit judicium ultimum controverſiarum ad Romanum Pontificem pertinere; ut ex Carolinis libris patet: ergo ſi Nicænam ſynodum ſciens à Romano Pontifice eſſe approbatam, nihilominus eam damnavit, ſe ipſam deſtruit.

24. Reſpondeo; Sciviſſe Synodum Francofurtem conſenſionem Adriani & Nicænæ Synodi, ſatis jam liquido demonſtratum eſt. Romanam etiam Eccleſiam honorificis elogiis cumulatè ornat, nec tamen damnando Nicænam ſynodum, ſeipſum deſtruit. Tametſi enim in opere Capitulari, lib. 1. cap. 6. Romanam Eccleſiam magnificè extollit, ut cæteris Eccleſiis auctoritate ipſius Domini prælatam, & pro cauſa fidei, cum quæſtio ſurgit, omnino conſulendam ab omnibus Eccleſiis, & profitetur Carolus ſe ſuaque ditionis Eccleſiam à communione Romanæ Eccleſiæ non recedere, licet multis aliis recedentibus; Etſi, inquam, hæc in Romanam Eccleſiam magnifica



elogia largiter congerit, ad demulcendum animum Adriani Romani Pontificis, eumque ſi fieri poſſet, ad ejuſdem pſeudoſynodi Nicænæ (quam jam temerè approbaverat) abdicationem, veritatiſque ingenuam profeſſionem ac defenſionem addocendum; præmiſſâ tamen hac blanda inſinuatione, ſtatim demonſtrat Carolus & Synodus Francofurtenſis, non eo animo tantopere laudatam ei eſſe Eccleſiam Romanam, ut ſi de veritate aut falſitate cujuſcunq; dogmatis exſpectanda eſſet Romani Pontificis deciſio, eique tanquam infallibili incunctanter parendum. Non è contrario auctoritatem diſputationis ſuæ petendam proponit ex ſacris Scripturis, & adhibenda etiam aliorum doctorum dicta: eaque monet non aliter atque aliter pro cujuſlibet arbitrio, ſed ſanè ſobrieque eſſe intelligenda: initio ejuſdem capitis ſexti.

25. Et eodem libro, cap. 5. Synodum illam in Bithynia habitam, cujus acta ſe ait diſcuſſiſſe, & quam (ut oſtendimus) non ignorabant Adriano Papæ probari, arguunt & condemnant impietatis, ob hoc quod ſcripturas ſanctas aliter intellexerit atque interpretata ſit, quam intelligi debeant, & ad eos ſenſus uſurpaverit, atque accommodaverit quos illæ non continent: idque ab ea ſynodo impiè, arroganter, indoctè factum eſſe affirmant.

26. Adriani etiam ſcriptum quod poſthac pro defenſione ejuſdem Nicænæ pſeudoſynodi ad Carolum miſit, rejecerunt ut erroneum Franci Epiſcopi, qui Synodum Francofurtenſem celebraverant, eorumque ſucceſſores, abſque retractatione tamen encomiorum illorum quæ Synodus Francofurtenſis conceſſit Romanæ Eccleſię. Nempe aliud eſt Eccleſiam aliquam ut loco priorem conſulere, aliud verò in ejuſdem reſponſione ſimpliciter acquieſcere.

27. Monet etiam Carolus & Synodus Francofurtenſis, in Capitulari, lib. 2. cap. 24. vitari facillimè poſſe hunc quem oppugnat errorem, ſi homines intra metas Propheticæ, & Evangelicæ, ſive Apoſtolicæ prædicationis contineantur, &c. exclusis vocum novitatibus, ſanctorum Patrum ſolummodo inſtitutis contenti ſint.

28. Quamvis autem ſciret Carolus, ejuſque Epiſcopi, conſenſiſſe Nicænæ Synodo Adrianum Papam Romanum, hunc tamen illi honorem habuerunt, ut ad Synodi Francofurtenſis celebrationem interponi ejus auctoritatem petierint: quod & factum, miſſis ab Adriano legatis, atque ita ſane conſuluerunt Eccleſiam Romanam, ſed ſine præjudicio ſynodicæ deliberationis, & liberæ ſententiæ. Præmiſſa autem, in Synodo, eximiâ Eccleſiæ Romanæ commendatione, qua Adrianum, ſi poſſibile, ad ſaniorem mentem ſuaviter revocarent, lib. 1. cap. 6. Reliquo deinceps operæ ad argumentorum, à Nicæna pſeudoſynodo, & ab ipſo Adriano, pro adoratione imaginum allatorum, accuratum & liberum examen intrepidè accinguntur, idque ipſum fortiter & feliciter exſequuntur. Et Nicænam illam Synodum, quam Adriano probari ſciebant, haud exſpectata nova Romani Pontificis declaratione, damnant ut erroneam: ejuſque errorem, de adorandis imaginibus, vocant ſtultiſſimum, abſurdum, inſaniſſimum: quæque in ejus actis pro ejuſdem erroris patrocinio dicuntur, ajunt dici indoctè, inordinatè, inconſequenter, non mediocri vecordiâ & hebetudine, ſtoliditiſſimè, ſtultiſſimè, irrationabiliter, dementiſſimè, inſaniſſimè, magnâ temeritate; eoſque qui ea dixerunt, deliraſſe, non ſanæ mentis fuiſſe, vana loquutos eſſe, importuna, & deliramento plena, riſu digna, & divinorum apicum teſtimonia ad ſuos ſenſus violenter inflectere niſos eſſe, mentitos eſſe, & ſanctorum Patrum ſententias depravaſſe, & nugarum adglomeratione pro adorandis imaginibus ſcripſiſſe, eiſque amorem inſolentiſſimæ adorationis imaginum cauſam exercendæ ſynodi extitiſſe; magnæ eſſe temeritatis ingentiſque abſurditatis quæ dicunt, pravam eſſe illorum confeſſionem, & ridiculoſum errorem; eos impudentiſſimè egiſſe: & impoſſibile eſſe eorum ſtatutis adſenſum præbere, & ſimul antiquis Patrum inſtitutionibus parere, cum inter ſe pugnent: incomparabilem eſſe eorum dementiam, & ridiculoſam ſegnitiem: non eſſe magni pendendam eorum veſaniam adorandarum imaginum; eos novas inſtitutiones Eccleſiæ inferre niſos eſſe, res ſenſu carentes adorare, inſenſatas nænias colere dum percenſent. &c.

29. Hoc Capitulare miſit Carolus Rex ad Adrianum Papam Romanum, qui tamen à pſeudoſynodi Nicænæ impudenti defenſione non deſtitit, ſed pro ſtultiſſimorum inſaniſſimorumque dictorum patrocinio epiſtolam, ſive librum, ad Carolum ſcripſit, qui extat ſubjunctus vulgatæ Latinæ editioni ſeptimæ Synodi. tom. 3. Conciliorum, part. 1. editionis Colon. & tom. 6. Concil. edit. Pariſ. pag. 128.

*Adrianus Papa monitus non reſipiſcit ab errore.*

30. In eo libro, in actione 4. (vel in edit. Pariſ. act. 5. pag. 134. col. 2.) cap. 26. Addendum eſt (inquit Adrianus) ad incredulorum ſatisfactionem, & directionem Francicam, &c. quibus verbis oſtendit Adrianus ſe illam reſponſionem & defenſionem ſcripſiſſe, ut Francis, adorationem imaginum unanimiter reſpuentibus, ſatisfaceret. Notum eſt illo ſeculo Francorum nomen longè lateque patuiſſe. Unde patet, Capitulare Carolinum non eſſe unius aut paucorum opus, ſed eſſe opus ſynodicum multorum Epiſcoporum Catholicis gregibus in regno Caroli prelatorum, & eſſe ſimul opus regium ipſius Caroli Regis, quia illud ſuo nomine evulgavit.

*Ex Adriani verbis oſtenditur Capitulare Carolinum opus eſſe publicum, Synodicum & regium.*

31. Quam frigidè autem & pueriliter, jejunè & miſerè ad objecta reſponderit Adrianus (difficile eſt enim malam cauſam tueri) facilè perſpiciet æquus lector utriuſque operis, videlicet, Capitularis Carolini, & epiſtolæ Adriani. Vin' ſpecimen? In actione 4. capite 2. (in poſteriore pag. 143. tom. 6. Concil. edit. Pariſ. col. 2. B.C.) hanc ſibi Adrianus ex Capitulari proponit objectionem ſeu reprehenſionem; Inutile & demens & errore plenum dictum, quod dicunt, [Nicęni,] qui Deum timet, honorat omnino, adorat, & veneratur ſicut Filium Dei Chriſtum Dominum noſtrum, & ſignum crucis ejus, & figuram ſanctorum ejus. Hæc eſt objectio, ſeu reprehenſio: Nunc accipe Adriani reſponſionem, quam bonâ fide, integram, prout in ipſius libro ibidem extat, ſubjiciam: Ex libro (inquit) beati Auguſtini de filio Abraham ducto ad ſacrificium, inter cætera: Non enim fruſtra moti eſtis, cum hoc dicerem; Crux cornua habet. Sic enim duo ligna compinguntur in ſe, ut ſpeciem crucis reddant. Sicut ergo in imagine crucis multis locis videmus, ut fiant duo cornua, quibus infiguntur manus, cornibus hęrentem arietem crucifixum Dominum video, &c. Haſtenus Adrianus, nec plura ibi addit. Ex hac autem defenſione quis ita hebes eſt ut exiſtimet per ullam legitimam conſequentiam

*Reſponſio Adriani frigida & nullius ponderis.*

*Reprehenſio Carolina & Francofurtenſis.*

*Adriani reſponſio.*

*Examen reſponſionis Adriani.*

quentiam inferri poſſe eam aſſertionem, quam hic tuendam Adrianus ſuſcepit? nempe, qui timet Deum, is honorat, adorat, veneratur, ſicut Filium Dei, & ſignum crucis ejus, & figuras ſanctorum. Nihil in verbis Auguſtini de honoranda vel adorandâ cruce, vel imagine: ſed tantum applicat allegoricè hiſtoriam arietis illius in vepre cornibus impliciti, ad Chriſtum qui manibus ſuis affixus fuit cornibus crucis: idque ipſum mente concipi poſſe docet, ſi cornua ſpectemus in imagine crucis. Merus hic eſt uſus hiſtoricus, nulla fit mentio adorationis, de qua eſt controverſia. Præterea, iſtam quidem allegoriam arietis de Chriſto interpretatur Auguſtinus, lib. 12. contra Fauſtum Manichæum, cap. 25. & lib. 3. contra Maximinum Arianum, cap. 26. At teſtimonium iſtud ab Adriano adductum de imagine crucis, etiamſi cauſæ Adriani nihil conducat, ſuſpicor non eſſe Auguſtini, dum cônſidero ea quæ ſcripſit Auguſtinus, lib. 1. de conſenſu Evangeliſtarum, cap. 10. contra eos qui Chriſtum & Apoſtolos ejus non in ſanctis codicibus, ſed in pictis quærunt parietibus. Et certè ſatis notum eſt cuilibet in Eccleſiaſticâ antiquitate mediocriter verſato, Nicęnam illam pſeudoſynodum, eiq; conſentientem Adrianum Papam Romanum, multa ſub antiquorum Patrum nominibus lectori obtrudere evidenter notha & ſuppoſititia, & indubitatis eorundem Patrum ſcriptis apertè repugnantia, multa etiam genuina in alienum & à Patrum mente remotiſſimum ſenſum detorquere. Veruntamen, ut jam oſtendi, iſtud ſub Auguſtini nomine citatum ab Adriano teſtimonium nihil officit Francofurtenſium cauſæ, nec juvat cauſſam Nicænorum & Adriani.

*Gen. 22. 13.*

32. Accipe aliud ſpecimen; in actione 4. c. 57. [pag. 140. tom. 6. Conc. edit. Pariſ. col. 2. E.] Reprehenſio Francofurtenſis; quod non ſit contra religionem Chriſtianam, ut illi [Nicæni] dicunt, non colere & non adorare imagines. Adriani reſponſio eſt; Ex libro (inquit) beati Auguſtini de tractatu Proverbii Salomonis, inter cætera: Invenis hominem porrigentem manu eleemoſynas pauperum, nec tamen de Deo ibi cogitantem, ſed hominibus placere cupientem. Lanea veſtis videri poteſt; interiorem lineam non habet. Invenis alium dicentem tibi; Sufficit mihi in conſcientia Deum colere, Deum adorare: quid mihi opus eſt aut in Eccleſiam ire, aut viſibiliter miſceri Chriſtianis? lineam vult habere ſine tunica. Non novit, non commendat talia opera mulier iſta. Dicenda ſunt quidem & docenda ſpiritalia ſine carnalibus, ſed illi qui accipiunt, debent tenere ſpiritalia, & non carnaliter operari carnalia, &c. Hæc, neque ulterius quicquam ad hanc reprehenſionem Adrianus. Quid verò hoc ad probandum quod negabatur. ait Auguſtinus, *externa Chriſtianæ profeſſionis exercitia, ſi abſit interna conſcientiæ mundities, Deo non probari:* Et rurſum, *Vanam eſſe internæ devotionis opinionem, ſi externa à Deo imperata pietatis exercitia contemnas:* Ergo, (ſecundum mirabilem Papæ Adriani logicam) eſt contra religionem Chriſtianam non colere & non adorare imagines. Audituм admiſſi riſum teneatis amici! Certè qui ita inſaniunt, ut talium eos nugamentorum non pudeat, iidem etiam ſine rubore jungant vulpes, & mulgeant hircos.

*Reprehenſio Francofurtenſis. Adriani Papæ Romani reſponſio.*

33. Quin & eodem ſuo libro Adrianus, in actione quarta, capite 14. (pag. 145. poſteriore, col. 1. E. edit. Pariſ.) hanc ſibi defendendam ſumit dementiſſimam ac ſpurciſſimam aſſertionem; quam pia mens meminiſſe horret, luctuque refugit; homini commodius eſſe omnia in civitate lupanaria ingredi, quàm abnegare adorationem imaginis Domini, aut ejus ſanctæ Genetricis. O vocem lenone, non Pontifice dignam! en, quo veſanus imaginum zelus cæcutientes hominum mentes perducere! Egregia ſcilicet illa Cardinalium ultima defenſio; defuiſſe Synodi Francofurtenſis judicio conſenſum legatorum ſedis Romanæ & Adriani Papæ. At, inquam, hoc ipſum eſt quod oſtenſum ibamus, meritò rejectum eſſe in ea controverſia ſedis Romanæ judicium, utpote manifeſtè erroneum & impudenter profanum. Neque tamen propterea quicquam decedit auctoritati decreti ſynodici, quod à trecentis Epiſcopis legitimè in nomine Domini congregatis, congruenter ſacris ſcripturis & orthodoxæ antiquitatis doctrinę, ſapienter factum & promulgatum eſt. Sicut etiam decreto Chalcedonenſi, de ordine Patriarcharum, ſua in hunc uſque diem conſtat auctoritas, etiamſi ei legati Leonis Papæ Romani, & ipſe Leo, obſtinatè contradixerint. Et robur habuit decreti ſynodi œcumenicæ, illud quod de tribus Capitulis in quinta Synodo factum eſt, licet abſente & vel per ſe, vel per legatos, adeſſe recuſante, editoque in contrarium conſtituto palàm reclamante Vigilio Papa Romano. Quare deſinant Papiſtæ iſtiuſmodi fumos pro idoneis mercibus venum obtrudere: Erravit, inquiunt, vel errare potuit, Francofurtenſis ſynodus in negotio imaginum; quia non conſenſit Papa Romanus. Verte, & invenies: Erravit certè Adrianus Papa Romanus; Quia ſynodo ſanam doctrinam tuenti conſentire renuit. Res cum re, ratio cum ratione conferatur, propoſitis in medio ſacris ſcripturis, & genuinis atque indubitatis orthodoxæ antiquitatis monumentis, & hæret in luto Adrianus, ut ex præcedentibus abundè jam liquet.

CAPUT



## CAPUT DUODECIMUM.

*Hiſtorica narratio de imaginibus, à tempore Concilii Francofurtenſis, id eſt, ab anno Domini 794. uſque ad annum Domini milleſimum ducenteſimum. ubi de Synodo Conſtantinopolitana ſub Leone Armenio Imp. & Synodo Pariſienſi, ſub Ludovico pio Imperatore Occidentis, & de Synodo Conſtantinopolitana ſub Michaële Imp. quæ dicta eſt Synodus prima & ſecunda; & de duabus nuncupatis Octavis œcumenicis Synodis, Conſtantinopoli celebratis, ſub Imperatore Baſilio; & de Papiſſa Romana, & de ſeculo infelici, & de Gallorum ac Germanorum conſtantia in rejiciendo cultu imaginum.*

Quamvis Concilii Francofurtenſis decretum, de non adorandis imaginibus, ad Adrianum primum Papam Romanum perlatum, ei bilem moverit, quippe obſtinato imaginum adoratori, & pſeudoſeptimæ Nicænæ Synodi inſtio defenſori; In Eccleſiis tamen tum Occidentis, tum Orientis, ea veritas palàm prædicata eſt, quæ à Patribus Francofurtenſibus, contra imaginum adorationem, auctoritate ſacrarum literarum & teſtimoniis antiquorum Patrum defenſa fuit, ac demonſtrata.

2. Quod fuerit autem Britannicarum illius temporis Eccleſiarum, ea de re judicium, Anglorum hiſtorici Simeon Dunelmenſis, Rogerus Hovedenus, Matthæus Florilegus, & Roffenſis hiſtoriæ auctor (apud Uſſerium) hunc in modum referunt: Anno ab incarnatione Domini 792. Carolus Rex Francorum miſit Synodalem librum ad Britanniam, ſibi à Conſtantinopoli directum; in quo libro (proh dolor!) multa inconvenientia, & veræ fidei contraria reperta ſunt: maximè, quod pænè omnium Orientalium doctorum, non minus quam trecentorum, vel eo amplius, Epiſcoporum unanimâ aſſertione confirmatum eſt, imagines adorari debere: quod omnino Eccleſia Dei exſecratur. Contra quod ſcripſit Alcuinus epiſtolam ex auctoritate divinarum Scripturarum mirabiliter affirmatam; illamque cum eodem libro ex perſona Epiſcoporum & Principum noſtrorum regi Francorum attulit. Hæc, ex hiſtoricis illis Anglis, recitavit vir doctiſſimus, Jacobus Uſſerius, Theologus Hibernus, Archiepiſcopus Armachanus, in ſuo hiſtorico opere de Chriſtianarum Eccleſiarum ſucceſſione & ſtatu, cap. 2. §. 4.

3. Conſtantinopoli ſub Leone Armenio Imperatore, habita eſt ſynodus, quæ Nicænam illam pſeudoſynodum anathematizavit, & imaginum adorationem ab eadem pſeudoſynodo Nicæna decretam damnavit: anno Dom. 814. ut cernere eſt tomo ſexto Conciliorum, edition. Pariſ. pag. 232. & 233.

4. In Gallia habita eſt collatio ſeu ſynodus Pariſienſis, in qua rurſus damnatus eſt cultus imaginum; anno Domini 825. tempore Ludovici pii Imperatoris Occidentis, & Michaelis Balbi Imperatoris Orientis, qui eâ de quæſtione legatos ad Ludovicum pium, Caroli Magni filium, miſerat. Et utriuſque Imperii Theologis conſentientibus, repudiata eſt illa pſeudoſeptima Synodus Nicæna; & reprehenſæ atque erroris notatæ ſunt duæ epiſtolæ Adriani primi Papæ Romani, nimirum illa epiſtola quam pro adoratione imaginum ſcripſit Adrianus ad Conſtantinum & Irenen, & illa quam pro defenſione pſeudoſynodi Nicænæ ſcripſit idem Adrianus ad Carolum Magnum, ut patet ex epiſtola, quam ſcripſit ea ſynodus Pariſienſis ad Ludovicum pium, ejuſque filium Lotharium Imperatores; quæ extat in geſtis illius Synodi, apud Melchiorem Goldaſtum, in collectione Conſtitutionum Imperialium, tom. 1.

5. In ea autem Synodi Pariſienſis epiſtolâ, conſilium dant Epiſcopi Imperatoribus, ut eodem modo, quem à Carolo Ludovici patre adhibitum ſuperiore capite commemoravimus, animum Papæ Romani ad veritatis defenſionem adducere ſtudeant: nempe Pontifices Romanos (ut eorum utar verbis) demulcendo, laudando, & præferendo, eorumque auctoritatem magnis laudum præconiis efferendo, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ condignam laudem deferendo; veritatem tamen ex teſtimoniis ſanctarum ſcripturarum & ſententiis ſanctorum Patrum in medium proferendo, & veraciter ſobriéque exponendo. Hæc ibi.

*Blandæ & honorificæ ſunt erga Romanos Pontifices agendi modus; cum libera diſſerenda veritatis contra eorundem Pontificum errores.*

6. Miſſus eſt à Ludovico cum his geſtis ad Eugenium ſecundum Papam Romanum Jonas Epiſcopus Aurelianenſis. De quo Bellarminus, lib. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, ait; Sed hic tamen auctor cautè legendus eſt; quoniam laborat eodem errore, quo Agobardus & reliqui ejus ætatis Galli, qui negabant ſacris imaginibus ullum deberi cultum religioſum. Hæc Bellarminus. Extat ejuſdem Jonæ Aurelianenſis Epiſcopi opus de cultu imaginum, tribus libris comprehenſum, in priore parte tomi quarti bibliothecæ Patrum, editionis quartæ: ubi Margarinus de la Bigne, Doctor Sorbonicus, lectorem admonens (pag. 533.) ait; Non te lateat, candide lector, Jonam hunc magni nominis ſcriptorem, unum fuiſſe de Theologis illis, ſeu Epiſcopis Gallorum, qui etſi contra Iconoclaſtas valide propugnarent, ſacras imagines non eſſe frangendas, vel exurendas, aut quoquo modo delendas; ſed ſervandas in templis & locis ſacris ad ornatum, & hiſtoricam inſtructionem fidelium; attamen errore præpoſtero exiſtimabant, nullum illis religioſum honorem, aut venerationem, nedum cultum latriæ uni Trinitati debitum, ſed nec ullam quoquo modo adorationem tribuendam. Pariterque invehebantur acerrimè in ſecundum Concilium Nicænum ab Eccleſia Romana approbatum. ——— Equidem pleroſque Gallorum Epiſcopos, & inſignes Theologos in his, quos prędiximus, circa adorationem imaginum erroribus eſſe verſatos, qui geſta in Conc. Francofordienſi ſub Carolo Magno, & in ſynodo ſeu Collatione Pariſ. ſub Ludovico pio probè tenuerit, facilè agnoſcet. —— Porro in hac

*Jonas Epiſcopus Aurelianenſis.*

*Quæ fuerit eorum mens, in prohibenda ſtatione imaginum, vide infra: §. 9. & §. 10.*

*Concil. Francofurt. Synodus Pariſienſis.*

ipſa Gallorum Theologorum circa imaginum adorationē errantium claſſe fuiſſe Walafridum Strabonem, ex libro ejus de rebus Eccleſiaſticis, cap. 8. liquet. Item Hincmarum Rhemenſem Epiſcopum, ex his quæ contra Laudunenſem Epiſcopum ſcripſit, cap. 20. manifeſtè conſtat: & multos alios, quorum nomina expreſſa extant in ſynodo illa Pariſienſi ſub Ludovico pio. Cæterum præcipuum hujus erroris antesignanum fuiſſe hunc ipſum Jonam Aurelienſem, qui è Pariſienſi Synodo eâ de cauſſa miſſus ſit legatus à Ludovico Pio ad Eugen. Papam, ut in actis ejuſdem Synodi refertur, qui librum primum & ſecundum Jonæ attentè legerit, facilè deprehendet. Hæc Margarinus de la Bigne.

*Walafridus Strabo. Hincmarus Epiſcopus Rhemenſis.*

*Ephalma Patrum Pariſienſium, de adoratione crucis.*

7. Inexcuſabilis autem videtur illa Patrum Synodi illius Pariſienſis ſub Ludovico Pio habitæ incogitantia, qui, dum Synodum Francofurtenſem & opus Capitulare ſe ſuſcipere & ſequi profitentur, adeóque ſolum Deum religiosè adorandum eſſe agnoſcunt, imagines verò negant adorandas eſſe, eo quod ſint partim creaturæ, partim opera manuum hominum, ſatiſcere tamen videntur in adoratione crucis cap. 12. Nam ſi permittatur adoratio crucis, inde corroborabitur illud Anaſtaſii Bibliothecarii argumentum, quo contra Gallos, adorationem imaginum reſpuentes, utitur, in Præfatione in ſeptimam Synodum, ad Joannem octavum Papam Romanum, ubi ait, Gallos ideo rejicere adorationem imaginum, quod exiſtiment non eſſe quodlibet opus manuum hominum adorandum: & regerit, formam crucis eſſe opus manuum hominum: Item, ſi imago crucis adoranda, quanto magis imago ejus qui in cruce paſſus eſt? Cui certè argumento evertendo non ſufficit illa Pariſienſium diſtinctio, Chriſtum non in imagine ſed in cruce ſuſpendi elegiſſe, ideóque non ita imagines ſicut cruces adorari licere.

*Anaſtaſii argumentatio contra Gallos.*

*Solus Deus adorandus.*

8. Multò rectiùs & conſtantiùs Patres Francofurtenſes, & cum eis Carolus Magnus, in opere Capitulari, lib. 2. cap. 28. Si ergo crucem tollere, & te, [*Chriſtum alloquuntur*,] qui per crucem triumphans terrena cœleſtibus ſociâſti, ſequi, & imaginem Cæſaris Cæſari reddere debemus, non ſunt imagines cruci æquiparandæ, non adorandæ, non colendæ, ſed huic Mundo cum cæteris quæ mundi ſunt relinquendæ: & tu ſolus adorandus, tu ſolus ſequendus, tu ſolus colendus es, qui in unitate ſubſtantiæ cum Patre & Spiritu Sancto perpetim regnas. Hæc ibi. Et ſubjungunt, duobus ſequentibus capitibus, Neque vaſis divino cultui conſecratis, neque ſacræ Scripturæ libris æquiparandas eſſe imagines: non ut iſta adoranda eſſe doceant, ſed ut imagines infra iſta deprimant. Et lib. 4. cap. 21. quomodo (inquiunt) præſumemus rem inſenſatam adorare, & opus cujuslibet artificis oſculari? Et Jonas Aurelianenſis, lib. 1. de cultu imaginum, hoc utitur argumento univerſali, quod nullam creaturam fas ſit adorare. Creaturam verò (inquit) adorari, eique aliquid divinæ ſervitutis impendi, nefas ducimus, hujuſque ſceleris patratorem deteſtandum atque anathematizandum, liberâ voce proclamamus.

*Non eſt adoranda res inſenſata, non aſſuite excipiendum opus artificis. Adorans creaturam anathematizatur.*

*Claudius Epiſcopus Taurinenſis.*

9. Quod autem imagines frangi prohibuerint, & tam aculeatis verbis Jonas Aurelianenſis, in ſuis libris de cultu imaginum, reprehendat Claudium Taurinenſem Epiſcopum, qui imagines, quum eas à quibuſdam adorari conſpiceret, confringendas curavit, & projiciendas, ut ſordes & anathemata; id non ita exponendum eſt, ac ſi exiſtimâſſent Patres illi Galli neceſſarium, aut etiam valde utile eſſe ut habeantur imagines; cùm ex ipſorum verbis manifeſtè conſtet, eos non juſſiſſe, ſed tantum permiſiſſe ut haberentur imagines in Eccleſiis, ſine ulla opinione neceſſitatis, aut magnæ utilitatis. Jonam autem offendit, non tam ejectio imaginum, quàm apologiæ Claudii aſperitas, quæ in omnes Galliæ & Germaniæ Epiſcopos, qui imagines in templis collocari ſinebant, licet eas adorari non ſinerent, contumelioſa eſſe videbatur: ſicut ipſe non obſcurè indicat Jonas, paullò pòſt initium libri primi, & in progreſſu etiam operis. Procul autem fuiſſe Germanos & Gallos illorum temporum Epiſcopos ab opinione neceſſitatis aut magnæ alicujus utilitatis imaginum, ad qualemcunque in Eccleſia uſum, liquidò patet ex hac aperta declaratione Concilii Francofurtenſis, in opere Carolino, lib. 2. cap. 21. Imagines verò, omni ſui cultura & adoratione ſecluſa, utrum in baſilicis propter memoriam rerum geſtarum & ornamentum ſint, an etiam non ſint, nullum fidei Catholicæ adferre poterunt præjudicium: quippe cum ad peragenda noſtræ ſalutis myſteria nullum penitus officium habere noſcantur. Hæc Patres Francofurtenſes, & cum eis Carolus Magnus, loco citato. Et poſtea in eodem opere, lib. 4. cap. 25. citant verba Epiphanii in epiſtola ad Joannem, ex tranſlatione Hieronymi, de imagine ab illo diſciſſa. Unde colligunt Patres Francofurtenſes Epiphanium non ſolùm adorationem imaginum ſprevîſſe, verum etiam eas in Eccleſiis haberi noluiſſe. quam Epiphanii de velo diſciſſo ſententiam, utrùm laudanda an vituperanda ſit, lectoris arbitrio concedunt.

10. Patres Synodi Pariſienſis, cap. 7. cujus capitis titulus eſt, *De ſcandalo infirmorum vitando*. Adferunt exempla Hezekiæ Regis, qui ſerpentem æneum contrivit; & Epiphanii, ex ejus epiſtola ad Joannem Hieroſolymitanum, ab Hieronymo tranſlata. & teſtimonia Auguſtini, lib. 4. de Civitate Dei, & Ambroſii, in 1. Cor. 8. Et ex iſtis hanc inferunt concluſionem; Hæc (inquiunt) ideò inferuntur, ut hi qui imagines erigunt memoriæ cauſſa & amoris, illud caveant, ne quod ab illis fortè devotè & licitè fit, infirmis in ſcandalum evenire contingat, ut ſic ſuæ devotioni ſatisfaciant, quatenus ſalutem infirmorum non obliviſcantur, & infirmam conſcientiam fratrum occaſione ſuperſtitionis præbendæ commaculent. Hæc ibi. Cauſſa autem, quæ Jonam Aurelianenſem & omnes cæteros Pariſienſis illius Synodi Patres impulit, ut ſuperſtitioſam imaginum adorationem condemnarent & proſcriberent, futurum, inciperent à reprehenſione confringentium imagines, fuit, ut blando hoc & honeſto erga Sedem Romanam, ſuperſtitioſæ imaginum adorationi addictam, agendi modo, Romanos Pontifices ab infimo illo errore faciliùs revocarent. Id quod ipſa illa Pariſienſis Synodus, in ſua ſynodali epiſtola ad Ludovicum & Lotharium Imperatores, palàm profitetur, his verbis; Quia igitur nos his, qui in ſacra Sede B. Petri Apoſtoli reſident, dignam honoris reverentiam jure tribuendam non dubitamus, & illorum erga imagines ſuperſtitioſam venerationem quidam volumus, omnes verò aliorum relatu cognoſcimus, volumus primùm contra illos ſententias ponere, quod imagines præſumtuoſâ temeritate confringere præſumſerunt, quatenus inde illi animi



mati aliorum errata valentius vobiſcum corrigerent, & ad ſuam ſuperſtitionem cognoſcendam ac veritatis teſtimonia ſuſcipienda animum faciliùs flecterent. Hactenus ſynodus Pariſienſis, in ſua illa epiſtola, quæ extat cum reliquis ejuſdem Synodi geſtis, tomo primo Conſtitutionum Imperialium, quas edidit Melchior Goldaſtus.

11. Michaëli Balbo, Orientis Imperatori, ſucceſſit in Imperio filius ipſius Theophilus, quem Zonaras ſcribit fuiſſe juſtitiæ obſervantiſſimum, & ejus quam probabat pietatis ſtrenuum defenſorem, multiſque aliis laudibus abundaſſe, & ab imaginum cultu conſtanter abhorruiſſe, atque ab illo, tanquam ab idolomania, ſubditos abducere ſummopere contendiſſe. De eodem Imperatore ſcribit Nicetas, cognomento David Paphlagonius, in vita Ignatii Patriarchæ Conſtantinopolitani, fuiſſe hunc Imperatorem cætera non malum, æquitatis quoque propugnatorem [δικαιοσύνης ἀντιχείμενον.] in imaginum autem abolitione nullo prædeceſſorum ſuorū fuiſſe inferiorem. Extat ſcriptum illud Nicetæ, ſive, Davidis Paphlagonii, in antactis Synodi prioris, nuncupatæ octavæ œcumenicæ, in priore parte tomi ſeptimi Conciliorum editionis Pariſienſis. Theophilum excepit filius Michael, quo cæſo ſolus imperavit Baſilius Macedo. Hic ſuaſu Adriani ſecundi, Pontificis Romani, convocavit anno Domini 869. Synodum illam Conſtantinopolitanam centum & duorum Epiſcoporum, quam Romanenſes octavam œcumenicam vocant. In ea ſynodo approbata eſt adoratio imaginum. Præſens fuit in ea ſynodo Anaſtaſius bibliothecarius, qui etiam geſta ejuſdem Synodi Romam pertulit, eademque, hortatu Adriani ſecundi Pontificis Romani, in Latinum (ut ipſe loquitur) tradidit dictionem. Idem verò Anaſtaſius, in ſua in ſeptimam Synodum præfatione ad Joannem Papam, Adriani ſecundi ſucceſſorem, ſcribens de imaginum adoratione, queritur Gallos eam etiamnum rejicere. Unde patet, non tanti apud Gallos fuiſſe vel Sedis Romanæ vel Synodi illius judicium, quin ſe utriuſque decretis, de colendis imaginibus, palàm fortiterque opponerent.

*Theophilus Imperator.*

12. In Synodo illa Conſtantinopolitana centum & duorum Epiſcoporum, cui interfuerunt legati Adriani ſecundi Papæ Romani, & quam Romanenſes œcumenicam octavam vocant, agitata etiam eſt cauſſa Ignatii & Photii; & reſtituitur in ſedem Conſtantinopolitanam Ignatius, qui prius exauctoratus fuerat decreto illius Synodi, quæ præſidente Photio, & præſentibus Nicolai Papæ Romani legatis, Conſtantinopoli, in templo ſanctorum Apoſtolorum, ſub Michaële Imperatore, Theophili filio, habita eſt anno Domini 859. Cujus Synodi canones extant cum commentario Joannis Zonaræ, ubi Zonaras in ſua præfatione recitat Synodi illius inſcriptionem, inquiens; Ἡ Σύνοδος αὕτη ἐπιγέγραπται ἁγία καὶ μεγάλη πρώτη καὶ δευτέρα σύνοδος ἡ ἐν Κωνσταντινουπόλει συγκροτηθεῖσα ἐν πανσέπτῳ ναῷ τῶν ἁγίων καὶ πανευφήμων Ἀποστόλων. Synodi hujus inſcriptio ita ſe habet; *Sancta & magna prima & ſecunda Synodus Conſtantinopoli habita in venerabili templo ſanctorum & glorioſiſſimorum Apoſtolorum.* Unde quæſtionem proponit Zonaras; πῶς μία οὖσα πρώτη καὶ δευτέρα ἐκλήθη, qua ratione hæc Synodus cum una ſit, nuncupatur prima & ſecunda? Et hanc reddit reſponſionem: Memorant Synodum hanc, diſceptantibus inter ſe & ad arma venientibus orthodoxis & heterodoxis, ſolviſſe conventum, & rurſum temporis intervallo [παρελθόντος καιροῦ] alterum in eodem templo conventum habitum (ἀθροισθῆναι ἐν τῷ αὐτῷ ναῷ γενέσθαι συνέλευσιν) iterúmque de eiſdem rebus factum colloquium, & dogmatica decreta literarum monumentis commendata eſſe, & editos eſſe illos canones [quos ille commentariis illuſtravit.] Atque hinc factum eſſe ajunt, ut hæc licet una Synodus eſſet, appellaretur prima & ſecunda, ob Patres bis congregatos. Duos illos conventus longè inter ſe diſtantes temporis intervallo commemorat Nicetas, qui & David Paphlagonius, in vita Ignatii, ubi refert convocatam eſſe Synodum, & in ea ſententiam depoſitionis & anathematis contra Ignatium abſentem à Photio quidem pronunciatam eſſe, ſed diſcordibus inter ſe Epiſcopis, cum multi huic ſententiæ ſubſcribere recuſarent, ſolutum eſſe conventum. Tum, alia inita via, Photium legatos cum literis miſiſſe ad Nicolaum [hujus nominis primum] Papam Romanum, & petiiſſe ut legatos mitteret Conſtantinopolim pro reformatione illius Eccleſiæ; Ignatium enim morbo & ſenio debilitatum jam ſe munere abdicaſſe: atque his auditis Nicolaum, rerum Conſtantinopoli geſtarum ignarum, miſiſſe duos legatos Zachariam & Rhodoaldum Epiſcopos. qui cum Conſtantinopolin veniſſent, rurſum congregatam eſſe Synodum, & ibi præſente Michaële imperatore, & Barda Cæſare, Michaëlis avunculo, acerrimo hoſte Ignatii, & ſuffragantibus veteris Romæ legatis, Ignatium præſentem damnatum & exauctoratum eſſe. Ignatius Sede pulſus Nicolaum Papam Romanum compellat, libello ad eum miſſo, qui extat in antactis Synodi centum & duorum Epiſcoporum ſub Baſilio habitæ, quæ Romanenſibus pro octava œcumenica habetur, in priore parte tomi ſeptimi Conciliorum, edit. Pariſ. pag. 915. ubi Ignatius Nicolaum, inuſitatâ adulatione, vocat omnium ſedium Patriarcham, & œcumenicum Papam. Nicolaus autem convocata Synodo acta illius primæ & ſecundæ Synodi, de Ignatio & Photio, decernit nullarum eſſe virium. Et ſe non conſenſiſſe in depoſitionem Ignatii, vel in ſubſtitutionem Photii, ſcriptis ea de re etiam ad aliarum Eccleſiarum Epiſcopos & ad Imperatorem epiſtolis, palam declaravit, legatóſque ſuos Zachariam & Rhodoaldum ab Epiſcopatu depoſuit & excommunicavit. Et in Photium ſententiam depoſitionis pronunciavit, adjecta etiam ſententia excommunicationis, ſi porro pro Epiſcopo Conſtantinopolitano ſe gereret. Hæc manifeſta ſunt ex epiſtolis ipſius Nicolai, epiſt. 1. & 4. & 5. & 7. & 10. & 13. &c. Photius, re tota intellecta, perſuaſit Michaëli Imperatori ut alia adhuc Synodus Conſtantinopoli haberetur, & in ea Synodo, præſentibus eis qui ſe pro Patriarcharum Orientis legatis gerebant, pronunciata eſt in Nicolaum Papam Romanum depoſitionis & anathematis ſententia. Narrant hoc Nicetas David Paphlagonius, in vita Ignatii, & Anaſtaſius Bibliothecarius in ſua præfatione hiſtorica, de octava Synodo. Et ipſa illa octava Synodus, actione 10. in ſua epiſtola Encyclica. Miſſa eſt ea ſententia in Italiam, ſed Nicolaus, antequam Romam perlata eſt, rebus humanis exemtus eſt, teſte Niceta. Michaële Imperatore cæſo, regnat Baſilius, & Romanæ Eccleſiæ gubernacula accipit Adrianus Papa ſecundus. Hic habita Romæ Synodo ſtatim damnat illam Photii Synodum, & ſententiam in ea contra Nicolaum latam irritam eſſe

*Nicetas in vita Ignatii Patriarchæ CP.*

*Geſta Synodi hujus Romanæ extant in ſeptima actione ipſius octavæ Synodi.*

eſſe decernit, damnat etiam Synodum illam quæ prima & ſecunda dicta eſt, & ipſum Photium iteratò damnat atque anathematizat. Et ejuſdem Adriani hortatu Baſilius Imperator convocat Synodum centum & duorum Epiſcoporum, quæ octava nuncupatur. Et Photius, qui Nicolaum Papam Rom. ſynodali ſententiâ depoſuerat & anathematizaverat, rurſus in hac nuncupata octava Synodo abdicatur & anathematizatur: ut legere eſt in ſeptima actione illius Synodi. De quo etiam ſcribit Anaſtaſius bibliothecarius, in ſua hiſtoria octavæ ſynodi, ad Adrianum II. Papam Romanum; Miſſis (inquit) cum auctoritate Apoſtolica vicariis & epiſtolis decretalibus, * juſſiſti fieri Conſtantinopoli ſynodum pro multis quidem neceſſitatibus Eccleſiæ, ſed pro his præcipuè, quæ hucuſque breviter annotata ſunt, quæque in hujus ſynodi geſtis inveniuntur: in qua ſcilicet Photius ob id etiam ſpecialiter condemnatur, quoniam depoſitionem vel anathema præſumſit in ſanctæ memoriæ Papam Nicolaum nominare. Hæc Anaſtaſius in ſua narratione hiſtorica, quæ extat præmiſſa verſioni Latinæ octavæ illius Synodi, ab eodem Anaſtaſio concinnatæ. tom. 6. Concil. edit. Pariſ.

** Iuſſiſti, inquit Anaſtaſius adulatoriè. Certè in proœmio Synodi dicitur, Baſilium Imp. congregaſſe hanc Synodum. Et id ipſum repetitur actione 10. in Termino Synodi, & in ejuſdem Synodi epiſtola Encyclica.*

13. Poſtea verò, defuncto Ignatio, idem Baſilius Imperator revocavit Photium; & Baſilii atque Orientalium Epiſcoporum hortatu, Joannes Papa Romanus (quem hujus nominis octavum vocant) Hadriani ſucceſſor, legatos ſuos Conſtantinopolim miſit. Habita eſt igitur, convocante Baſilio Imperatore, anno Dom. 879. alia Conſtantinopolitana Synodus trecentorum octoginta trium Epiſcoporum, præſentibus in ea Joannis Papæ Romani & Orientalium ſedium Patriarchalium legatis: Hujus ſynodi unanimi decreto in ſedem Patriarchalem Conſtantinopolitanam reſtitutus eſt Photius, & prior illa Synodus, quæ ſub eodem Imperatore Baſilio, & tempore Adriani ſecundi Papæ Romani, habita eſt, (quam noſtri ſeculi Romanenſes œcumenicam octavam vocant) planè abrogata eſt, & hæc poſterior ſynodus, trecentorum octoginta trium Epiſcoporum, œcumenica octava indigitata eſt. Secundam autem Nicænam Synodum, tanquam ſeptimam œcumenicam, utraque ſuſcepit. Poſterioris hujus octavæ ſynodi acta integra, Græcè ſcripta, extare Romæ, tum in Vaticana bibliotheca, tum in Columnienſi, teſtes ſunt Cardinalis Baronius, in anno 879. & Severinus Binius, in ſuis notis in eandem ſynodum, quam iratus vocat Conciliabulum. Et ibidem ſummam recenſent omnium actionum iſtius ſynodi, cujus prima actio celebrata eſt menſe Novembri, anno Domini 879. Septima autem atque noviſſima actio celebrata eſt die decimo-tertio menſis Martii, anno Domini 880. Sed Romanenſibus iſtis curæ non fuit ipſa integra acta in lucem publicam emittere. Hanc tamen ſynodum, quam Romanenſes, per contemtum, Photianam vocant, à Græcis pro germana octava accipi, & ut divinum quoddam oraculum obſervari, quin & Gratianum, in libro Decretorum, ſecundum ejuſdem ſynodi canonem, tanquam ex legitima octava ſynodo, deſcripſiſſe; confitetur Baronius, loco citato.

*Poſterior ſynodus nuncupata octava œcumenica.*

*Conſ. 7. quæſt. 1. Can. Nunquam.*

14. Joannem Papam Romanum, non citra culpam, & non ſine gravi exiſtimationis ſuæ jacturâ, notâque Cathedræ Pontificiæ turpiſſima, reſtituiſſe Photium, ait Binius, in ſuis notis in vitam Joannis Papæ octavi, & in notis in poſteriorem nuncupatam octavam œcumenicam ſynodum. Baronius etiam, loco ſuperius allegato, ait iſtud à Joanne factum eſſe prudentiâ carnis, inimica Deo, & nunquam tam ſordidam tamque indignam ab Apoſtolica ſede legationem miſſam eſſe. Hincque accidere potuit (inquit Baronius ibidem) ut ob nimiam animi facilitatem & mollitudinem, abjectâ penitus omni virilitate, Idem Joannes non Papa, ut Nicolaus & Hadrianus, qui conſtantiſſimè Photio reſtiterant, ſed Papiſſa fuerit contumeliæ loco dictus, utpote quod qui nec reſiſtere ſciret Eunucho Photio, quique vinceretur à ſemiviro, non vir, ſed eſſet fœmina potius nuncupandus: ſicque nomen contumeliæ tranſierit poſteris rerum inſciis in veritatis opinionem; fueritque à pluribus decantatum, Joannem octavum Papam fuiſſe fœminam. Hæc Baronius. Hanc Baronii de Papiſſa Romana conjecturam laudat Binius, in ſuis notis in vitam Joannis Papæ octavi. Et alibi, idem Binius, narrationis de Papiſſa fœmina, refutationem ex profeſſo ſcribit, tom. 6. Conciliorum, edit. Pariſ. pag. 467. & ante eum Onuphrius, annot. in vitam Joannis 8. à Platina ſcriptam.

*Binii & Baronii invectivæ in Joannem Papam.*

15. Inſtituti noſtri ratio non ſinit nos eò nunc digredi, ut de Papiſſa illa Romana prolixius diſſeramus: monendus tamen eſt lector, non de hoc Joanne, Hadriani ſecundi ſucceſſore, & Marini ſeu Martini ſecundi immediato prædeceſſore, qui Platinæ Joannes nonus dicitur, non, inquam, de hoc Joanne aſſeri ab hiſtoricis quod fuerit fœmina; fœminam autem illam, ſucceſſiſſe aiunt Leoni Papæ, hujus nominis quarto, & ſucceſſorem habuiſſe Benedictum Papam, hujus nominis tertium, cui ſucceſſit Nicolaus primus, prædeceſſor Adriani ſecundi. Sabellicus Ennead. 9. lib. 1. fœminam illam, quæ Leoni quarto ſucceſſit, vocat Joannem ſeptimum. Eum autem qui poſtea Adriani ſecundi ſucceſſor fuit, vocat Joannem octavum. Fama eſt (inquit Sigebertus, ad annum Domini 854. loquens de muliere, Joanne Papa) hunc Joannem fœminam fuiſſe, & uni ſoli familiari tantum cognitam, qui eam complexus eſt, & gravida facta peperit, Papa exiſtens; quare eam inter Pontifices non numerant quidam, ideo nomini numerum non facit. Hæc Sigebertus. Et hinc factum, ut Adriani ſecundi ſucceſſor Joannes quibuſdam dicatur octavus, quem Platina nonum vocat. Narrationis autem de muliere illa Papa Joanne octavo, hæc ſumma eſt. Mulier quædam, nomine Gilberta Anglica, ex Moguntiaco oriunda, ſexum mentita virilem, Athenas ſe contulit, & inde Romam profecta, doctrinæ ac morum præſtantiâ cunctis Romæ admirationi fuiſſe fertur, & Pontificatum conſequuta, in anno Domini 854. prius quidem Gilberta, in Papatu autem, quem teſte Mariano Scoto, tenuit annis 2. menſibus 5. diebus 4. Joannes dicebatur. Puerperio tandem, in ipſa via publica, detecta, & mortua eſt. Hujus narrationis veritatem anonymus quidam ſcriptor, apud Illyricum lib. 10. Catalogi teſtium veritatis; & Conradus Deckerus, in ſua aſſertione veritatis hiſtoriæ, de Papa Joanne 8. quod fuerit mulier & puerpera; & Alexander Cocus, in ſuo dialogo de Joanna Papiſſa; prolixè adſtruunt, teſtimoniis Ranulphi monachi Flaviacenſis (qui vixiſſe fertur anno Domini 930.) & Mariani Scoti monachi Fuldenſis, & Sigeberti monachi Gemblacenſis, & Martini Poloni qui pœnitentiarius fuit Innocentii quarti Papæ Romani, & Franciſci Petrarchæ qui

*De Papiſſa Romana.*



Martini Poloni fuit coætaneus ac Papæ domeſticus, & Joannis Bocatii eorundem æqualis, & Martini Minoritæ, & Antonini Archiepiſcopi Florentini, & Ottonis Epiſcopi Friſingenſis, & antiquorum Annalium Auguſtanorum, & Wilhelmi Occami, & Raphaëlis Volaterrani, & Guilhelmi Jacobi Egmôdenſis, & Platinæ, & Sabellici, & Jacobi Philippi Bergomenſis, & Matthæi Palmerii, & Trithemii, & Joannis Stellæ, & Nauclerii, & Valerii Anſelmi, & Alberti Crantzii, & Werneri Rolivingi Carthuſiani auctoris faſciculi temporum, & Cœlii Rhodigini, & Joannis Lucidi, & Chriſtiani Maſſæi, & Gotefridi Viterbienſis, & Joannis de Pariſiis, & Theodori de Niem, & Chalcocondylæ, & Schedelii, & Laziardi, & Fulgoſi, & Baptiſtæ Mantuani, & epiſtolæ cujuſdam Univerſitatum Pariſienſis, Oxonienſis, & Pragenſis; & Textoris, & Carranzæ, & libri Romanarum indulgentiarum, anno Dom. 1525. Romæ editi, & Jacobi de Regis curia [von Königshofen] & Joannis Henaldi. Hæc hiſtoria, multis ſeculis, in Romana Eccleſia, ſine contradictione recepta, vel tolerata eſt; Nullus Romanenſium ſcriptorum, nullus Pontificum, ei contradixiſſe, aut ejus ſcriptores reprehendiſſe, invenitur. Creditum enim eſt, rem hanc verè contigiſſe, vel ſaltem non eſſe incredibilem, aut impoſſibilem, ſed eſſe poſſibilem & veriſimilem, & tot tantiſque indiciis ac teſtimoniis ſuffultam, ut non ſatis verecundè negari poſſe videretur.

16. Poſt octavas illas nuncupatas œcumenicas Synodos, ſequutum mox eſt infelix illud ſeculum, quod ita ab ipſis Romanarum partium ſcriptoribus, ob inſcitiam morumque corruptelam, indigitatur. Marinum Papam, Joannis ſucceſſorem, Platina Martinum ſecundum vocat, eumq; ait malis artibus Pontificatum adeptum, & brevi mortuum eſſe. Hujus ſucceſſorem, Adrianum tertium, anno primo & menſe ſecundo Pontificatûs ſui mortuum, excepit Stephanus quintus, quo, cum ſediſſet annos ſex & dies undecim, defuncto, ſucceſſit in Papatu Romano Formoſus, anno Domini 891. In cujus vita Platina, Neſcio (inquit) quo fato accidiſſe dicam, ut una cum induſtria Imperatorum, ſimul etiam Pontificum virtus & integritas defecerit: quæ quidem tempora infeliciſſima eſſe arbitror, cum auctoritate Platonis tales ſoleant eſſe reliqui cives, quales ſunt in republica Principes. Formoſi ſucceſſor Bonifacius ſextus die vigeſimo ſexto Pontificatûs ſui mortuus eſt. Tum ſedem obtinuit Stephanus ſextus, quo poſt annum & tres menſes defuncto, Pontificatum adeptus eſt Romanus, in cujus vita idem Platina ait; Nihil aliud hi Pontifices cogitabant, quam & nomen & dignitatem ſuorum majorum exſtinguere. Tertio Pontificatus ſui menſe mortuo Romano, ſucceſſit Theodorus ſecundus, quem excepit Joannes, quem Platina vocat decimum hujus nominis, Onuphrius nonum. Huic ſucceſſit Benedictus quartus, anno Domini 899. In cujus vita Platina ait, Acciderat huic ætati, quod aliis interdum ſolet, ut hominum induſtria in quovis genere virtutis conſeneſceret. ——— Mox verò ubi cum ipſis opibus laſcivire cœpit Eccleſia Dei, verſis ejus cultoribus à ſeveritate ad laſciviam, peperit nobis tanta licentia peccandi, nullo Principe flagitia hominum tum coërcente, hæc portenta, à quibus ambitione & largitione ſanctiſſima Petri ſedes occupata eſt potius quàm poſſeſſa. Hæc ibi Platina. Defuncto Benedicto, anno Domini 903. Leo quintus ſedit menſem & decem dies. Deinde Chriſtophorus (ut loquitur Platina, in ejus vita) Pontificatum malis artibus adeptus, malè amiſit. Septimo enim menſe dignitate ac meritò quidem ejectus, monaſticam vitam, unicum calamitoſorum refugium, obire cogitur. In monaſteria enim, tanquam in inſulas, clerici malè de Eccleſia Dei meriti, tum relegabantur. Hæc Platina. Chriſtophorum ſequitur Sergius Papa tertius, in cujus vita exclamat Platina; Vide quæſo, quantum iſti degeneraverint à majoribus ſuis. Idem Platina, in vita Joannis 13. Sunt (inquit) qui ſcribant, hunc ſceleratiſſimum hominem, vel hoc monſtrum potius, in adulterio deprehenſum & confoſſum interiiſſe. Joannem illum Onuphrius vocat duodecimum, & ait creatum eſſe Pontificem anno Dom. 956.

17. Sabellicus, de Pontificatu ſcribens Benedicti quarti; Mirum eſt (inquit) quanta omnium bonarum artium oblivio, per id tempus mortalium animis obrepſerit, ut ne in Pontificibus quidem, cæteriſque principibus, quicquam eluceſceret, quod vitam juvare poſſet, non ſalubria inſtituta, non templorum refectiones, non ulla pietatis exempla, non liberalium artium affectationes, ſed ſtupor & amentia quædam, oblivioque morum invaſerat hominum animos. Hæc Sabellicus, Ennead. 9. lib. 1. Baronius etiam Cardinalis, ſcribens de Pontificatu Sergii tertii, anno Domini 908. ait, Sergium illum nefarium Sedem invaſiſſe, & odio furentem in Formoſi memoriam, ordinationes ejus irritas habuiſſe. Hæc que (inquit) planè ſunt infeliciſſima illa tempora. Et paullò poſt ibidem; Tantum (inquit) invaluit meretricum imperium, ut pro arbitrio legitimè creatos Pontifices dimoverent, & violentos ac nefarios homines intruderent. Hæc Baronius. Brevem chronologiam ſcripſit Bellarminus Cardinalis, in qua, ad annum Domini 970. Vide (inquit) ſeculum infelix, in quo nulli ſcriptores illuſtres, nulla Concilia, Pontifices parum ſolliciti de republica. Hæc ille.

*De hac infelici ſeculo Vide plura lib. 11 ſupra cap. 16. §. 1.*

*Meretricum imperium.*

18. Iſta infelicis illius ſeculi conditio mirari nos prohibet, ſi, mundo tantis tenebris obruto, & Pontificali interim magnitudine obſtupefacto, non adeo multi legantur per illa tempora palàm ſeſe oppoſuiſſe adorationi imaginum, ſynodicis quibuſdam Pontificalibuſque impiis decretis conſtabilitæ. quamvis nunquam caruerit teſtibus veritas. oſtenſum ſupra, §. 11. Gallos conſtanter rejeciſſe adhuc adorationem imaginum, tempore Joannis Papæ, qui ſucceſſit Adriano ſecundo. Agobardus Epiſcopus Lugdunenſis, illius ſeculi ſcriptor, in ſuo libro de picturis & imaginibus; Cum (inquit) omnium ſanctorum Patrum una ſententia ſit, cultum religionis ſoli Deo deberi, quid ſupereſt fidelibus, niſi ut purgatis ab omni figmentorum profana ſervitute animis, totis viribus decertemus, quatenus veraciter illud quod ſcriptum eſt dicere valeamus? non enim in errorem induxit nos hominum malæ artis excogitatio, nec umbra picturæ, &c. Et paullò poſt; Si enim ſanctorum imagines hi qui dæmonum cultum reliquerant venerari juberentur, puto quod videretur eis non tam idola reliquiſſe, quam ſimulacra mutaſſe. Et rurſum, eodem libro, propoſitis Auguſtini verbis, hanc ex eis infert collectionem; Ex quibus (inquit) manifeſtè colligitur: quia ſi ſerpentem æneum, quem Deus fieri præcepit, quoniam errans populus, tanquam idolum colere cœpit, Ezechias religioſus Rex cum

*Galli conſtanter rejecerunt adorationem imaginum. Agobardus.*

*Vide infra cap. 13. §. 4.*

*Vide ſupra §. 10.*

magna

magna religionis laude contrivit, multo religioſius Sanctorum imagines (ipſis quoque ſanctis faventibus, qui ob ſui honorem, cum divinæ religionis contemtu, eas adorari more idolorum indignantiſſimè ferunt) omni genere conterendæ, & uſque ad pulverem ſunt eradendæ, præſertim cum non illas fieri Deus juſſerit, ſed humanus ſenſus excogitaverit. quod autem Deus caſtius abſque ſimulacris veneretur, teſtis eſt etiam Q. Lucilius Balbus Gentilis Philoſophus, ſicut præfatus Doctor, in 4. de Civitate Dei libro, eum diſputantem inſerit. Et poſtea propè finem illius libri ait idem Agobardus; Nemo ſe fallat, nemo ſe ſeducat, nemo ſe circumveniat: quicunque aliquam picturam, vel fuſilem ſive ductilem adorat ſtatuam, non exhibet cultum Deo, non honorat Angelos, vel homines ſanctos, ſed ſimulacra veneratur. Agit hoc nimirum verſutus & callidus humani generis inimicus, ut ſub prætextu honoris ſanctorum rurſus idola introducat, rurſus per diverſas effigies adoretur, ut avertat nos à ſpiritualibus, ad carnalia verò demergat; ac per omnia ſimus digni ab Apoſtolo audire, *O inſenſati, quis vos faſcinavit & ſic ſtulti eſtis, ut cum ſpiritu cœperitis, nunc carne conſummamini? Ipſe enim Satanas*, ſicut dicit idem Apoſtolus, *transfigurat ſe in Angelum lucis*. Denique comeſſationes & ebrietates introducit ſub nomine charitatis, &c. Item; Rectè nimirum ob hujuſmodi evacuandam ſuperſtitionem, ab orthodoxis Patribus definitum eſt, Picturas in Eccleſia fieri non debere, ne quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur. Hæc Agobardus. Ex quo plura adferemus, cap. 13. §. 8.

*Sanctorum imagines fieri non juſſit Deus, ſed eas humanus ſenſus excogitavit.* *Aug. lib. 4. de Civitate, cap. 30.* *Vide ſupra, cap. 8. §. 24 & infra, cap. 13. §. 8.* *qui adorat imaginem, non exhibet cultum Deo, non honorat Angelos, vel homines ſanctos, ſed ſimulacra veneratur.* *Galat. 3. 1. 3.* *2. Cor. 11. 14.* *Concil. Eliberitan. 36.*

*Ado Viennenſis.*

19. Ado Epiſcopus Viennenſis, vixit poſt annum Domini octingenteſimum & octogeſimum, ut ex fine Chronici ab eodem Adone ſcripti conſtat. Hic in illo Chronico ſcribens de rebus geſtis in Synodo Francofurtenſi, ſub Carolo Magno celebrata, ait; Sed pſeudoſynodus quam ſeptimam Græci appellant, pro adorandis imaginibus, abdicata penitus. Hæc Ado.

*Regino.*

20. Sic etiam Regino Abbas Prumienſis, in ſuo Chronico, de eadem ſcribens Synodo Francofurtenſi, & rejectione ſynodi Nicænæ ſecundæ anno Dom. incarnationis 794. Pſeudoſynodus (inquit) Græcorum, quam pro adorandis imaginibus fecerant, à Pontificibus rejecta eſt. Hæc Regino Abbas Prumienſis, in diœceſi Treverenſi, natione Teutonicus, qui in Proœmio ſui operis ad Adalberonem, Epiſcopum Treverenſem ſcripto, teſtatur ſe Chronica illa ſua deducere uſque ad annum Domini nongenteſimum octavum.

*Synodus Rhemenſis. An. Dom. 991.*

21. Habita eſt in Gallia, anno Domini 991. ſynodus Rhemenſis, in qua Arnulphus Archiepiſcopus Rhemenſis exauctoratus eſt, ſuffecto in ejus locum Gerebertο, qui etiam poſt paucos annos factus eſt Papa Romanus, & Silveſter ſecundus appellatus eſt. Hic Gerebertus ſynodi illius ſcripſit hiſtoriam, quæ ex vetuſtiſſimo codice Micianenſis quondam monaſterii accepta, & typis evulgata eſt, Francofurti, anno Domini 1600. In illius hiſtoriæ cap. 28. Arnulphus Aurelianenſis Epiſcopus, approbante Synodo, Joannem Papam Romanum, ab ipſis, de eo negotio conſultum, rem neglexiſſe ægrè ferens, ait; Quid hunc [Joannem Papam Rom.] reverendi Patres, in ſublimi ſolio reſidentem, veſte purpurea & aurea radiantem, quid hunc, inquam, eſſe cenſetis? Nimirum, ſi charitate deſtituitur, ſolaque ſcientia inflatur, & extollitur, Antichriſtus eſt, in Templo Dei ſedens, & ſe oſtendens tanquam ſit Deus. Si autem nec charitate fundatur, nec ſcientia erigitur, in templo Dei tanquam ſtatua, tanquam idolum eſt: à quo reſponſa petere, marmora conſulere eſt. ——— Certè in Belgica & Germania, quæ vicinæ nobis ſunt, ſummos ſacerdotes Dei, in religione admodum præſtantes, inveniri, in hoc ſacro conventu teſtes quidam ſunt. Proinde ſi Regum diſſidentium animoſitas non prohiberet, inde magis Epiſcoporum judicium petendum fore videretur, quàm ab ea urbe, quæ nunc emtoribus venalis expoſita, ad nummorum quantitatem judicia trutinat. ——— Sed cum hoc tempore Romæ nullus pene ſit (ut fama eſt) qui literas didicerit, ſine quibus (ut ſcriptum eſt) vix oſtiarius efficitur, qua fronte aliquis eorum docere audebit, quod minimè didicit? Hæc Arnulphus Aurel. approbante Synodo. Ubi dum Joannem Papam, non reſpondentem, aſſimilat ſtatuæ vel idolo, à quo reſponſa petere, ſit marmora conſulere; ſuggillare videtur etiam ſuperſtitionem Romanæ Eccleſiæ adorantis ſtatuas & imagines mutas & ſenſus expertes, quibus ſimiles evaſiſſe inſinuat earum cultores.

22. Fridericus Ænobarbus Imperator Occidentis, expeditionem ſuſcepit in Orientem, contra Saracenos, anno Domini milleſimo centeſimo octogeſimo nono. Hujus expeditionis meminit Nicetas Choniates, lib. 2. de imperio Iſaaci Angeli, Imperatoris Conſtantinopolitani: ubi de Armeniorum & Germanorum conſenſu in re nefanda adoratione imaginum ſcribens auctor ille iconolatra; Apud Alemanos (inquit) & Armenios ſacrarum imaginum adoratio æquè interdicta eſt. Id quod ad illud tempus etiam extendere videtur Nicetas Choniates, quo hiſtoriam ſuam ſcribebat, quam edidit poſt captam à Latinis Conſtantinopolin, nam & illius belli hiſtoriam ſuo operi inſeruit. Captam autem eſſe à Latinis Conſtantinopolin, anno Domini milleſimo ducenteſimo quarto, ibique eodem tempore fuiſſe Nicetam hunc Choniatem, monuimus ſupra, lib. 4. hujus operis, cap. 21. §. 5. Unde conſtat Germanos ultra annum Domini milleſimum ducenteſimum adhæſiſſe doctrinæ Concilii Francofurtenſis, ſub Carolo Magno celebrati, & conſtanter rejeciſſe adorationem imaginum.

23. Idipſum patet ex verbis Abbatis Urſpergenſis, qui ſe vixiſſe teſtatur poſt annum Domini milleſimum ducenteſimum. Ejus verba recitata ſunt ſupra, cap. 12. hujus libri, §. 9.

CAPUT



## CAPUT DECIMUM-TERTIUM.

### *De illo dicto, cui veluti fundamento adorationem imaginum inædificant Iconolatræ;* Imaginis honor ad primitivum tranſit.

PRo adoratione imaginum ponit pſeudoſynodus Nicæna hoc veluti axioma, ἡ τῆς εἰκόνος τιμὴ ἐπὶ τὸ πρωτότυπον διαβαίνει, *imaginis honor ad primitivum tranſit*. actione 6. in fine tomi 5. Reſpondet cum Concilio Francofurtenſi Carolus, in opere Capitulari, lib. 3. cap. 16. *Dicant* igitur, quibus hoc tam peculiare eſt dicere, quod imaginis honor in primam formam tranſit: dicant ubi hoc legerint, aut quibus valeant teſtimoniis adprobare. Dominus namque & Salvator noſter non ait, Quamdiu feciſtis imaginibus, ſed quamdiu feciſtis uni de minimis iſtis, mihi feciſtis: Nec ait, qui imagines, ſed, qui vos recipit, me recipit: nec Apoſtolus ait, diligamus imagines, ſed, diligamus nos invicem. Hæc ibi. Regerit Adrianus Papa ad Carolum, in actione 3. cap. 8. qui (inquit) huic contradicere voluerit, ſancti Baſilii contradicit expoſitioni, &c.

2. Nimis certè temerè & inverecundè Damaſcenus, lib. 3. de imaginibus, & cum Nicæna pſeudoſynodo Adrianus, locis modò citatis, abutuntur nominibus Baſilii & aliorum quorundam, idem cum Baſilio dicentium ſanctorum Patrum; En ipſa Baſilii verba; Inſoleſcunt (inquit) ſuperbia & faſtu adverſus eum qui ad imaginem ſui Creatoris conditus eſt, per cujus imaginem injuria talis in Creatorem redundat ac tranſit. quemadmodum enim quiſquis regiam imaginem aſperſit contumeliis, perinde peragitur reus, ac ſi in legem ipſam fuiſſet contumelioſus & improbè egiſſet: ſic ſanè ſe conſtituit obnoxium peccato, qui contumelioſè tractat genitum, ſive conditum ad Dei imaginem. Hæc Baſilius in enarratione in cap. 13. Eſaiæ, verſ. 11. Nempe (ut loquitur Lactantius, lib. 2. Inſtit. cap. 2.) ſimulacrum Dei non illud eſt, quod digitis hominis ex lapide, aut ære, aliave materia fabricatur, ſed ipſe homo.

3. Similiter Ambroſius, in Pſal. 118. (ſeu 119.) in Jod, Quod enim (inquit) ſecundùm imaginem eſt, non eſt in corpore, nec in materia, ſed in anima rationabili. Ibi operatur, ibi oſtenditur homo ad ſimilitudinem & imaginem Dei, ubi juſtitiæ, ubi ſapientiæ, ubi omnis forma virtutis aſſumitur. Et poſtea in eandem Pſalmi illius ſectionem, ait idem Ambroſius; Pretioſum eſt videre virum juſtum, ut videas eum ſecundum imaginem Dei. quod foris eſt, nihil prodeſt: quod intus eſt, ſanat. Sanè & in eo qui foris eſt, illum qui intus eſt frequenter aſpicimus: ut ſi viderimus pauperem, illum ad cujus ſimilitudinem factus eſt, honoremus in paupere, de quo ait, *Dediſtis mihi manducare: quia quod uni eorum dediſtis, mihi dediſtis.* qui enim coronat imaginem Imperatoris, utiq; illum honorat, cujus imaginem coronavit: & qui ſtatuam contempſerit Imperatoris, Imperatori utique cujus ſtatuam conſputaverit, feciſſe videtur injuriam. Gentiles lignum adorant, quia Dei imaginem putant: ſed inviſibilis Dei imago non in eo eſt quod videtur, ſed in eo utique quod non videtur. Vides ergo quia inter multas Chriſti imagines ambulamus? caveamus ne coronam imagini detrahere videamur, quam unicuique Chriſtus impoſuit. Caveamus ne aliquid detrahamus illis, quibus debemus adjungere. Sed quod pejus eſt, non ſolum non honeſtamus pauperes, ſed etiam dehoneſtamus, deſtruimus, perſequimur: & ignoramus quas Dei imagini congeramus injurias, cum factos ad imaginem Dei putamus eſſe lædendos. Hæc Ambroſius.

*Baſilius.*

4. Eandem adhibet ſimilitudinem Baſilius, lib. de Spiritu Sancto, cap. 18. ubi diſſerens de una eſſentia & una gloria Patris & Filii, dicit, quemadmodum imago Regis appellatur Rex, nec tamen ideo ſunt duo reges, ſed unus rex, & una quæ ei defertur glorificatio, non multæ, quia imaginis honor ad primum exemplar tranſit [διότι ἡ τῆς εἰκόνος τιμὴ ἐπὶ τὸ πρωτότυπον διαβαίνει;] ſic in Divinis, Filium, qui eſt imago Dei, eſſe unum cum Patre Deum, & uno honore glorificandum. Hoc interim obſervato diſcrimine; quod imago manufacta rex ſit tantummodo μιμητικῶς, per imitationem & ſimilitudinem externæ formæ: Filius autem unus cum Patre Deus ſit φυσικῶς, naturaliter in unitate incompoſitæ Deitatis. Hæc ibi tradit Baſilius: At nuſquam dicto illo utitur Baſilius de imaginibus illis Chriſti, vel ſanctorum, vel Angelorum, de quibus noſtra eſt cum Romanenſibus controverſia. Baſilius & Ambroſius ab ea civili conſuetudine, quam cernebant obſervari circa Imperatorum imagines manufactas, ſumto argumento, hortati ſunt ſuos auditores, vel lectores, ad glorificandum Filium, qui eſt Dei imago conſubſtantialis Patri; & ad exercenda charitatis officia erga homines, qui ſunt conditi ad imaginem Dei. Nuſquam autem dicunt honorem exhibitum exanimi & manufactæ alicui imagini tranſire ad Chriſtum, vel ad ſanctos defunctos, vel ad Angelos.

*Vindiciæ Baſilii & Ambroſii.*

5. Huc pertinet & illud in opere Carolino, lib. 2. cap. 19. Si (inquit) vulgus partim lætitiæ bacchatu effrænis, partim ſecularis pompæ novitate arceſſitus, partim ventoſi honoris inflatione cupidus, partim adulationis vitio famulatus, partim publicæ ſecuris metu perterritus, Imperatorum imagines vanis & pernicioſis laudibus honorat; quid ad nos qui gloriamur in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti, per quem nobis mundus crucifixus eſt, noſque mundo? quorum converſatio in Cœlis eſt; qui cum Apoſtolo dicimus, nobis quibus Chriſtus crucifixus eſt, quid nobis cum foro? qui tanto errori obniti potius, quam adſenſum præbere debemus, qui non ſolum ab eo exemplum ad adorandas imagines minimè ſumere, ſed etiam eum cum ſuis ſequacibus prorſus execrari debemus. Item in eodem opere, lib. 3. cap. 15. Nam quis furor eſt (inquit) quæve dementia, ut hoc in exemplum adorandarum imaginum ridiculum adducatur, quod Imperatorum imagines in civitatibus & plateis adorantur, & à re inlicita res inlicita ſtabiliri paretur. Et ejuſdem operis lib. 4. cap. 1. Aliud (inquit) & longè aliud eſt picturam quandam nomine tantummodo illius rei nuncupare, cujus imago eſt, ſecundùm æquivocorum nominum rationem, atq; aliud rem inſenſatam adorare, & eandem rem plenâ ſententia Chriſtum Dei Filium profiteri, & dicere, Hic eſt Chriſtus Filius Dei. ——— Cum talis profeſſio mendacium ſit, proculdubio de veritate non eſt. Hæc ibi.

*Opus Carolinum in Concilio Francofurtenſi compoſitum.* *2. Cor. 6.*

6. Claudius Epiſcopus Taurinenſis, in ſuo reſcripto

*Claudius Epiſcopus Taurinenſis.*

ſcripto Apologetico adverſus Theodemirum Abbatem, [in 2. parte tom. 4. bibl. Patrum, edit. 4. pag. 147.] Dicunt (inquit) iſti, contra quos Dei Eccleſiam defendendam ſuſcepimus: Non putamus imagini, quam adoramus, aliquid ineſſe divinum, ſed tantummodo pro honore ejus, cujus effigies eſt, tali eam veneratione adoramus. Cui reſpondemus, quia ſi ſanctorum imagines, hi qui dæmonum cultum reliquerunt, venerantur, non idola reliquerunt, ſed nomina mutaverunt. —ſummopere penſandum eſt, quia ſi opera manuum Dei non ſunt adoranda & colenda, quanto magis opera manuum hominum non ſunt adoranda & colenda? prorſus, nec in honore eorum quorum ſimilitudines eſſe dicuntur, quia ſi imago quam adorat, Deus non eſt, nequaquam veneranda eſt pro honore ſanctorum, qui nequaquam divinos ſibi adrogant honores. Hæc Claudius epiſcopus Taurinenſis.

*Vide ſupra, cap. 12. §. 12.*

*Ionas Aurelianenſis.*

7. Jonas Aurelianenſis Epiſcopus, lib. 1. de cultu imaginum, contra eundem ſcribens Claudium Taurinenſem, in hoc tamen conſenſum cum eo profitetur, quod non ſint adorandæ imagines, ne in honorem quidem eorum, quorum dicuntur eſſe imagines. Illud (inquit) quod imaginum adoratores, tibi, ad ſuum errorem muniendum, reſpondiſſe ſcripſiſti, ita inquiens; *Non putamus imagini quam adoramus, aliquid ineſſe divinum, ſed tantummodo pro honore ejus, cu-jus effigies eſt, tali eam veneratione adoramus:* Una tecum reprehendimus ac deteſtamur: quia cum eorum ſcientiam non ſubterfugit, imaginibus nil ineſſe divini, majori digni ſunt invectione, eo quod debitum honorem Divinitati impenderint infimo & egeno ſimulacro. quantumque hujuſce erroris ſectatores ac defenſores à vera exorbitent religione, non opus eſt per ſingula, mea declarare narratione. Id ipſum etiam nonnulli Orientalium, qui eidem ſceleratiſſimo mancipantur errori, ſe objurgantibus reſpondere ſolent. Tribuat Dominus ſua gratuita pietate, ut tandem aliquando & iſti & illi ab eadem eruantur ſuperſtitione, & Apoſtolicis diſciplinis ſalubriter inſtructi, traditioni revocentur Eccleſiaſticæ. —Sequitur in eodem opere tuo; *Et qua re*, inquis, *ſummopere penſandum eſt, quia ſi opera manuum Dei non ſunt adoranda & colenda, quanto magis opera manuum hominum adoranda & colenda non ſunt? prorſus nec in honore eorum, quorum ſimilitudines eſſe dicuntur:* In hujus ſententiæ ſenſu nobiſcum ſobriè ſapis. — Sed & illud quod ſubjungis; *quia ſi imago, quam adorat, Deus non eſt, nequaquam veneranda eſt pro honore ſanctorum, qui nequaquam divinos ſibi arrogant honores;* Omnino approbamus, congruumque fidei Catholicæ eſſe judicamus. Hæc Jonas Aurelianenſis Epiſcopus.

*Agobardus Epiſcopus Lugdunenſis.*

8. Summopere (inquit Agobardus) notandum eſt, quia ſi opera manuum Dei non ſunt adoranda & colenda, nec in honore Dei, quanto magis opera manuum hominum non ſunt adoranda & colenda, nec in honore eorum quorum ſimilitudines eſſe dicuntur? Hæc Agobardus, in ſuo libro de picturis & imaginibus. Et poſtea in eodem libro ait; Dicit forſitan aliquis non ſe putare imagini, quam adorat, aliquid ineſſe divinum, ſed tantummodo pro honore ejus, cujus effigies eſt, tali eam veneratione donare. Cui facile reſpondetur, quia ſi imago, quam adorat, Deus non eſt, nequaquam veneranda eſt, quaſi pro honore ſanctorum, qui nequaquam divinos ſibi arrogant honores, ſicut multis jam ſupra teſtimoniis eſt oſtenſum. Hactenus Agobardus Epiſcopus Lugdunenſis. Cujus plura in hanc ſententiam teſtimonia recitavimus ſupra, cap. 12. §. 12.

9. His adjunge quæ leguntur in actis primæ illius ſub Baſilio celebratæ Conſtantinopolitanæ ſynodi, quæ Romanenſibus 8. œcumenica dicitur, actione 8. de Theodoro Crithino. Baſilius Imperator, in ſynodo præſens, legatis ſenioris Romæ & ſedium Orientis dixit, Theodorum Crithinum iconomachicæ hæreſeos auctorem adductum eſſe ad ſynodum; quid igitur de eo illis placeret. Reſponderunt legati, mittendos ad illum honoratiſſimos quoſdam ex proceribus, qui ei legatorum voces ſcripto comprehenſas legant, eidemque ab eiſdem denuncient ut ab errore reſipiſcat. Baanes igitur & Leo Patricii, jubente Imperatore, Crithinum adeuntes, quæ in mandatis habebant ei legerunt. At illo nihil reſpondente, Baanes Patricius dedit ei numiſma characterem ferens Baſilii Imperatoris, & dixit ad eum: Imperator noſter ſanctus mandat ad te, monens, ſuſcipis numiſma characteris mei? reſpondit Theodorus, ſe ſuſcipere. Baanes dixit, Imperator noſter ſanctus admonens, dicit ad te, honoras numiſma exarationis meæ? Theodorus dixit, ſecundum quod oportet honorari numiſma regium, honoro. Baanes dixit, inhonoras illud? Theodorus dixit, ut quid non inhonoro illud. Baanes magnificentiſſimus Patricius & præpoſitus dixit, jubet Imperator noſter ſanctus dicere tibi; Et, ſi imaginem meam, id eſt, mortalis regis non vis inhonorare [οὐκ ἀτιμάζεις] ſed honorabiliter ſuſcepiſti è manu mea qui ſum præpoſitus; quomodo Dei virilem imaginem [[illegible]] Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ſanctiſſimæ Matris ejus, & omnium ſanctorum audes inhonorare? dic nobis, inhonoras has? an honoras? Theodorus dixit; Omnes quidem homines Chriſtianos ſubdi oportet ſub ſancto & juſto Imperio tuo, plus autem omnibus me indignum, quia & ex morte liberaſti me, & ab exiliis injuſtis eripuiſti me, & à captivitate, & fame & exitio adjuviſti; & quia multum debeo pro ſancto Imperio tuo ſuper omnes Chriſtianos orare: ſed & capilli capitis mei & barbæ omnes ſi fierent ora, & exoraverint pro ſancto Imperio tuo, non ſufficient: talis eſt in me benignitas tua, Imperator juſte, & amice Chriſti. Numiſma mihi miſiſti Imperii tui, & ſuſcepi illud, ſciens quod tuum fuerit: exigis ut & Chriſti ſuſcipiam notam & formam [[illegible]] ſi eſt hoc Chriſti præceptum, & Chriſto placabile [[illegible]] deprecabile ſit Imperium tuum ſanctum, & det dilationes, & det tempus induciarum, & det infirmitati noſtræ ſpacium, & poſthæc quando juſſerit à Deo decretum imponam, trum, ſi oſtenſum fuerit, quod ſit hoc Chriſti præceptum, faciam quicquid juſſeris. Baanes Patricius dixit, Imperator noſter ſanctus non vos adduxit ad hanc ſanctam & univerſalem ſynodum, ad diſputandum, ſed ad commonendum. Reverſi autem magnificentiſſimi Patricii renunciarunt Synodo, quid reſpondiſſet Theodorus Crithinus: Lectoque Nicolai Papæ Romani capitulo de imaginibus, Synodus Theodoro Crithino dixit anathema.

*[illegible]*

10. At ſicut pafferis eſt vagari, & ut hirundinis eſt volare; ſic maledictio ſine cauſa prolata non veniet.

*Proverb. 26. 2.*





## CAPUT DECIMUM-QUARTUM.

*De idololatria celeberrimorum Doctorum Romanenſium, ipſiuſque adeò Eccleſiæ Romanæ, poſt annum Domini milleſimum ducenteſimum: ipſis Nicæna ſecunda & Tridentina Synodis judicibus.*

*[illegible]*

DIxit ſynodus Conſtantinopolitana ſub Conſtantino Copronymo celebrata, [illegible] id eſt, ſeductoriam ſimilitudinum per colores operationem avellere hominum mentem ex ſumma & Deo congrua latria, ad humilem & materialem creaturæ latriam.

*[illegible]*

2. Reſpondet Nicæna Synodus, ſub Irene habita, actione 6. tomo 2. §. Ἀμνημονοῦντες. Immemores. O veſaniam, linguam ut gladium acutam & mendacio infectam habentium, immaculatam fidem Chriſtianorum in imaginum æſtimantium commutari culturam; quique contumelioſè proferunt, humilem ac materialem creaturæ latriam hinc appellantes. [illegible] id eſt, Nullus Chriſtianorum hominum qui ſub Cœlo ſunt, imagini cultum latriæ exhibuit: Pagana eſt enim iſta fabulatio, dæmonum adinventio, & ſatanicæ actionis opus. Periit hoc Chriſti adventu. Latria nunc in ſpiritu & veritate eſt.

*[illegible]*

3. Item act. 7. ejuſdem ſynodi, in termino ſynodi, ſeu ſententia definitiva, definit ſynodus, imaginibus Chriſti & Deiparæ Virginis & Angelorum & ſanctorum virorum, [illegible] id eſt, ut tribuatur ſalutatio ſive oſculum & honoraria adoratio. non tamen vera latria, quæ ſecundum fidem noſtram eſt, quæque ſolam Divinam naturam decet.

*[illegible]*

4. Adrianus I. Papa Romanus, in defenſione hujus Nicænæ ſynodi ad Carolum, act. 4. cap. 60. ait, hujus ſynodi divina dogmata irreprehenſibilia exiſtere. Ejuſdem ſynodi decretis conſenſum ſuum addit ſynodus Tridentina, ſeſſione 25.

5. Attamen imaginem Chriſti & crucem adorandam eſſe cultu latriæ, & deberi eis eundem honorem qui & Deo debetur, docuerunt aliquot ſeculis primarii Eccleſiæ Romanæ doctores, videlicet, Alexander Alenſis, part. 3. quæſt. 30. memb. 3. art. ult. Thomas 3. part. qu. 25. art. 3. & ibidem Cajetanus; Bonaventura, Marſilius, Almayn, Carthuſianus, Capreolus & Joannes Major, & alii in 3. ſent. diſt. 9. quos ita excuſare nititur Bellarminus, lib. de imaginibus, cap. 22. Eſt (inquit) valde credibile, S. Thomam, Alexandrum Alenſem, & alios doctores ſcholaſticos illius temporis non vidiſſe Nicænam ſynodum ſecundam, neque octavam ſynodum generalem, neque epiſtolam Hadriani I. pro defenſione ſynodi Nicænæ. Hæc ille. Miſera hæc eſt & prorſus inepta excuſatio. Nam doctores iſti ex divinis ſcripturis & primæva orthodoxa antiquitate ſcire tenebantur, cultum divinum non eſſe imaginibus, ſed ſoli Deo tribuendum. Nec defuere poſtea, qui, etiam viſis illis ſcriptis, judicio nihilominus ſcholaſticorum illorum pertinaciter adhæſerunt: In quibus fuerunt Gregorius de Valentia, Commentariorum Theologicorum tomo 3. diſp. 6. qu. 11. puncto 6. & Gabriel Vaſquez, in 3. partem Thomæ, qu. 25. & Coſterus, in Enchiridio, cap. 8.

*Excuſatio Bellarmi-niana.*

*Ejuſdem refutatio.*

*Vide ſupra, cap. 2. §. 26.*

6. Ex eis autem ſcholaſticis qui nefarium hoc dogma palàm tradiderunt, Eccleſia Romana quoſdam etiam in divorum numerum retulit: & omnes pro Catholicis ſuſcipit. Neque veriſimile eſt aliter, illis ſeculis, vel credidiſſe vel egiſſe Eccleſiam Romanam, quoad cultum imaginum, quam ſecundum communiter receptam in ſcholis doctrinam. Summam illam Alexandri Alenſis diplomate Alexandri Papæ IV. & ſeptuaginta virorum Eccleſiaſticorum ſyngraphis comprobatam eſſe ſcribit Antoninus Poſſevinus, in apparatu ſacro. Et fabulantur Thomiſtæ, Thomam, quum ad imaginem crucifixi preces ardentius funderet, hanc vocem audiviſſe, Bene ſcripſiſti de me Thoma. At certè idololatriam committebat Thomas, quoties adorabat imaginem crucifixi, ſi ſtandum decretis Nicænæ ſecundæ ſynodi, ut oſtenſum eſt. Vide ſupra, cap. 2. §. 29.

*Alenſis Summa.*

*Fabula de Thoma Aquin.*

## CAPUT DECIMUM-QUINTUM.

*De imaginum adoratione narratio hiſtorica ab anno Domini 1200, uſque ad annum 1640.*

*[illegible]*

ADorationem imaginum oppugnarunt Waldenſes, ut patet ex libro Reineri contra Waldenſes, cap. 5. & idipſum de eis ſcribit Petrus Pilichdorfius, in ſuo libro contra Waldenſes, capite trigeſimo tertio. Extant libri iſti in ſecunda parte tomi quarti bibliothecæ Patrum, editionis quartæ, cum Prolegomenis Jacobi Gretſeri Jeſuitæ.

*[illegible]*

2. Waldenſium autem (qui & Leoniſtæ, & Albigenſes, multiſque aliis nominibus indigitati ſunt) exortum refert Pilichdorfius, cap. 1. ad tempus Innocentii Papæ II. quem Onuphrius in ſuo Chronico ſcribit creatum eſſe Papam anno Domini 1130. & mortuum anno Dom. 1143. Inter omnes has ſectas (inquit Reinerus) quæ adhuc ſunt, vel fuerunt, non eſt pernicioſior Eccleſiæ, quam *Leoniſtarum*. Et hoc tribus de cauſis: prima eſt; quia eſt diuturnior. Aliqui enim dicunt quod duraverit à tempore Silveſtri; aliqui, à tempore Apoſtolorum. Secunda, quia eſt generalior. Ferè enim nulla eſt terra, in qua hæc ſecta non ſit. Tertia, quia cum omnes aliæ ſectæ immanitate blaſphemiarum in Deum, audientibus horrorem inducant; hæc, ſcilicet Leoniſtarum, magnam habet ſpeciem pietatis; eo quod coram hominibus juſtè vivant, & bene omnia de Deo credant, & omnes articulos qui in Symbolo continentur: ſolummodo Romanam Eccleſiam blaſphemant, & clerum, cui multitudo laicorum facilis eſt ad credendum.

*Doctrina Apoſtolica eſt, tameſi [illegible] ſit recens.*

*Laus Waldenſium.*

*Crimen Waldenſium.*

Hæc Reinerus, lib. contra Waldenſes, cap. 4. fuit autem Reinerus iſte Inquiſitor, per Lombardiam, ſive cenſor eorum qui pro hæreticis apud Romanenſes habebantur, & claruit an. Domini 1254. teſte Antonio Senenſi, apud Gretſerum in Prolegomenis, cap. 9. De bello autem adverſus Waldenſes, juſſu Innocentii Papæ tertii, geſto, & interemtis eo in bello multis Waldenſium millibus, diximus ſupra, lib. 4. hujus operis, cap. 21. §. 16. Divina tamen providentia durarunt Waldenſes uſque ad reformationem religionis ſuperiore ſeculo factam, & cum reformatis ſe conjunxerunt.

*Joannes Wickleff. Joannes Huſs & Hieronymus Pragenſis.*

3. Orthodoxam Catholicæ antiquitatis & Waldenſium doctrinam defendit in Anglia Joannes Wickleff, circa annum Domini 1372. quem ſequuti ſunt Joannes Huſs, & Hieronymus Pragenſis: quos adverſarii, in Concilio Conſtantienſi, damnarunt; Huſſum quidem ſeſſione 15. anno Dom. 1415. ſexto die Julii, Hieronymum autem Pragenſem ſeſſione 21. anno Dom. 1416. die 30. Maii. Et contra fidem ſalvi conductus, eos ignibus cremaverunt. Condito illo impio & perfidioſo decreto, ſeſſ. 19. anno Dom. 1415. die 23. Septembris; Quod non obſtantibus ſalvis cōductibus Imperatoris, Regum, & aliorum ſeculi Principum, poſſe per judicem competentem Eccleſiaſticum, de hæretica pravitate inquiri, & quod liceat judici competenti Eccleſiaſtico contra hujuſmodi perſonas procedere, eoſdemq; punire, etiamſi de ſalvo conductu confiſi ad locum venerint judicii, alias non venturi. Doctrina tamen Huſſi & Hieronymi manſit in pretio apud ipſorum diſcipulos Bohemos.

*Perfidioſa conſtitutio Concilii Conſtantienſis.*

*Lutherus.*

4. Vertente deinde ſeculo prodiit Martinus Lutherus, anno Dom. 1517. cumque ſequuti alii, qui imaginum cultum tanto cum ſucceſſu palam refutarunt, ut multis in locis auctoritate publica fuerit ſublatus. De ejiciendis tamē imaginibus Lutherus ipſe & qui ſe ipſius γνησίους diſcipulos eſſe gloriantur, non magnopere laborarunt: quamvis earum cultum conſtanter improbent, & fateantur melius eſſe imagines è templis ejici & aboleri (id quod in multis jam reformatis Eccleſiis laudabiliter factum eſt) quam ab hominibus eas adorari. teſte Chemnitio, in quarta parte examinis Concilii Tridentini.

*Imagines impediunt converſionem Judæorum, & Muhammedanorū.*

5. Negari non poteſt, Judæos & Muhammedanos iſtis imaginum larvis & humanorum figmentorum offendiculis abſterreri atque impediri ab amplectenda religione Chriſtiana. quod non diffitetur Bellarminus, lib. de imaginibus, cap. 6. Unde Paulus Ricius, doctiſſimus Hebræus, qui Papiæ Chriſto nomen dedit, expedire plurimum dicebat (referente Petro Martyre) ut imagines è templis amoverentur, quod multi Hebræorum ea de cauſa revocentur à Chriſti confeſſione. Vide ſupra, cap. 12. §. 10. & §. 18.

*P. Martyr. loc. com. claſſ. 2. cap. 5. §. 24.*

*Cultui imaginum ſemper palam contradictum eſt.*

6. Atque ita jam evidenter oſtenſum eſt, cultui imaginum, ad hæc noſtra uſque tempora, à multis Chriſtianis, palam contradictum eſſe. Non abs re autem erit, pugnantes ipſorum Romanenſium ſententias breviter commemorare. Nam poſt annum Domini 1200. Romanenſes imaginum cultores in tres ſententias diverſi abiere.

*Pugna Romanenſiū.*

7. Quidam dixerunt, imaginem non eſſe ullo modo in ſe colendam, nec propriè adorari ipſam imaginem, ſed tantummodo coram imagine colendum eſſe exemplar, & hoc ſolum propriè adorari. Hæc eſt ſententia Durandi, in 3. ſent. diſt. 9. qu. 2. Et ita etiam ſenſiſſe videtur auctor diſtichi illius, quod à Sabellico repetitur, & ipſe Sabellicus, qui de ſecunda Nicæna Synodo, ejuſque decreto ſcribens, Magno (inquit) omnium conſenſu eſt decretum, ut Romanæ Eccleſiæ ritu imagines in templis haberentur, additaque eſt colendi forma, duobus carminibus complexa, ut res ab omni idololatriæ ſuſpicione abeſſet. Viſuntur hodiè verſus hi Venetiis aurea æde figurati, vetuſta literarum forma, ut ex Græco fuerant in Latinum verſi,

*Nam Deus eſt quod imago docet, ſed non Deus ipſa:*
*Hanc videas, ſed mente colas quod cernis in ipſa.*

Hæc Sabellicus, Ennead. 8. lib. 8. Rapſodiam hiſtoriarum deduxit Sabellicus, ab orbe condito, in annum uſque ſalutis noſtræ, 1504. quod autem dicitur de imagine Chriſti Dei, dici etiam poſſet de imaginibus ſanctorum, nimirum; Nam Petrus eſt quod imago docet, ſed non Petrus ipſa, &c. ut notat Bellarm. lib. de imagin. cap. 20. ubi iſtam ſententiam ait refutatam eſſe à Catharino; & ipſe eam ex profeſſo refellit Bellarm. cap. 21. ejuſdem libri, ubi etiam dicit, verſibus illis ſolum doceri, non deberi imagini eundem honorem qui debetur exemplari. Imo opinionem iſtam, quæ dicit non colendam eſſe ipſam imaginem, ſed ſolum coram imagine colendum exemplar, damnari à Romana Eccleſia & rejici ut hæreticam, oſtendimus ſupra, cap. 2. hujus libri, §. 28.

8. Alii dixerunt, ipſam quidem imaginem in ſe colendam eſſe, & ipſam propriè adorari, non tamen eodem honore quo ipſum exemplar, ſed inferiore, quem inferiorem honorem duliam vocat Lucas Tudenſis Epiſcopus, lib. 2. adverſus Albigenſes, cap. 21. [in bibl. Patr. in 2. parte tomi 4. edit. 4.] Lucam autem iſtum floruiſſe temporibus Gregorii noni & Cœleſtini quarti Pontificum Romanorum, monet Andreas Schottus, in ſua Epiſtola ad Jacobum Gretſerum, præfixa operi illi Lucæ Tudenſis. Gregorium nonum creatum eſſe Papam, anno Dom. 1227. eique defuncto ſucceſſiſſe Cæleſtinum quartum anno Dom. 1241. ſcribit Onuphrius in ſuo Chronico Romanorum Pontificum. Hanc ſententiam tuetur Lucas Tudenſis, loco citato, & Bellarminus lib. de imaginibus, cap. 21. & cap. 24. & Margarinus de la Bigne, in ſua admonitione, quam præmiſit libris Jonæ Aurelianenſis de cultu imaginum, & alii quidam recentiores. Hanc tamen ſententiam oppugnat, & ex profeſſo refellit Vaſquez, ut novam & ſtultam, vel ſuperſtitioſam, in 3. partem Thomæ, qu. 25. diſput. 108.

9. Tertia & communis Scholaſticorum opinio fuit, imaginem eodem honore colendam eſſe, quo ipſum exemplar. De qua idololatrica doctrina lectorem monuimus præcedente capite. Diſcordibus autem inter ſe hoſtibus veritatis, ipſa veritas, per Dei gratiam, jam luce ſua nitet, & mole ſua ſtat. Nempe, neque colendam eſſe ipſam imaginem, neque ponendam vel adhibendam eſſe imaginem, ut coram ea colatur exemplar.





# INSTRUCTIONUM HISTORICO-THEOLOGICARUM LIBER OCTAVUS,

## DE HÆRESI PELAGIANA, ejuſque reliquiis. ubi de gratia Dei, & libero hominis arbitrio, & connexis quibuſdam quæſtionibus.

### CAPUT PRIMUM.

*De hæreſeos Pelagianæ ortu, & ejuſdem hæreſeos damnatione.*

NOn hinc ſolùm (inquit Auguſtinus) *error humanus obrepit, ut aliquid ſecius ſentiatur de individua Trinitate. Sunt enim & alia in quibus perniciosiſſimè erratur, ſicuti hoc eſt,* (Pelagii dogma intelligit, de quo porrò ait) *quanquam qui bonum quod ex Deo eſt, negat eſſe ex Deo, neſcimus cui faciat injuriam niſi Deo, ac per hoc illi utique Trinitati.* Hæc cum Alipio Auguſtinus, epiſtola 143. Poſtquam igitur de Deo, de Chriſto, & de Dei cultu diſſeruimus, poſtulare nunc rerum ordo videtur, ut etiam de hominis à Deo per peccatum averſione, & ejuſdem ad Deum per Dei gratiam converſione, & annexis quæſtionibus nonnulla ex orthodoxa antiquitate deprompta lectori exhibeamus.

2. *Pelagius* Brito monachus clanculum ſpargebat errores de libero hominis arbitrio, contra Divinæ gratiæ neceſſitatem: & contra eos errores ſcribere cœperunt Hieronymus in Oriente, & Auguſtinus in Africa, circa annum Domini 411. Impp. Honorio, & juniore Theodoſio, filio Arcadii. Biennio poſt, eoſdem errores Pelagius apertius profitetur. Dumque ſerpit contagio, accitur in judicium Pelagius coram Concilio Dioſpolitano in Palæſtina, ubi cenſuram Eccleſiaſticam metuens ipſe dogmata illa, de quibus accuſabatur, damnavit, anno Domini 415. ſed hoc ab illo doloſè factum eſt, ſicut docet Auguſtinus lib. de peccato originali, contra Pelagium & Cæleſtium, capp. 9. 10. 11. 12. & epiſtolis 105. 106. 107. Nam illo metu liberatus, mox ad vomitum rediit: ideoque cum diſcipulo ſuo Cæleſtio hæreticus pronunciatus eſt à Patribus Africanis, in duobus Conciliis in Africa celebratis, anno Domini 416. videlicet Concilio Carthaginenſi, & Concilio Milevitano, cui interfuit Auguſtinus. Et ab utroque Concilio miſſæ ſunt ea de re literæ ad Innocentium Papam Romanum, hujus nominis primum, qui ad utraſque literas reſpondens, Pelagium & Cæleſtium tanquam hæreticos juſtè damnatos excommunicavit. Extant Conciliorum iſtorum & Innocentii epiſtolæ, inſertæ epiſtolis Auguſtini, epiſt. 90. & epiſt. 91. & ep. 92. & ep. 93. & ſummam rei geſtæ repetit Auguſtinus epiſt. 94.

3. Biennio autem poſt illa Concilia, celebratum eſt Carthagine aliud Concilium ducentorum & decem ac ſeptem (vel ut Proſper ait, 214.) Epiſcoporum, in quo hæreſes Pelagiana penitus damnata eſt, & decretis illius Concilii, ac præcedentium in ea cauſa habitorum Conciliorum Africanorum, Zoſimus Papa Romanus, Innocentii ſucceſſor, ſuum adnexuit adſenſum, ſeu, ut loquitur Proſper libro contra collatorem, cap. 41. ſententiæ ſuæ robur adnexuit. Idem Proſper ad octavam objectionem Gallorum, ait, totum mundum amplexum eſſe illam Africanorum conſtitutionem contra inimicos gratiæ Dei.

*Aliud Concil. Carthag. in quo hæreſis Pelagiana penitus damnata eſt. Conſenſit Zoſimus Papa Rom. & totus mundus.*

4. Zoſimo ſucceſſit Bonifacius Papa I. anno Dom. 419. qui (teſte Proſpero ibidem) piiſſimorum Imperatorum Honorii & Theodoſii junioris Catholica devotione gaudens, contra inimicos gratiæ Dei, non ſolum Apoſtolicis ſed etiam Regis utebatur edictis. Cumque prodiiſſent illo tempore duæ peſtiferæ Pelagianorum epiſtolæ, quarum unius auctor erat Julianus Epiſcopus Capuæ, eas Bonifacius ad Auguſtinum tranſmiſit refutandas: contra quas duas epiſtolas Pelagianorum, extant libri quatuor ab Auguſtino ſcripti ad Bonifacium, tom. 7. operum Auguſtini. Bonifacio ſucceſſit Cæleſtinus I. anno Dom. 423. qui Cæleſtium, quaſi non diſcuſſo negotio, audientiam poſtulantem, totius Italiæ finibus juſſit extrudi; (nempe juxta edicta regia per Bonifacium impetrata) ſciens damnatis non examen judicii, ſed ſolum pœnitentiæ remedium eſſe præſtandum: inquit Proſper. (intelligit autem eos qui juſtè damnati ſunt.)

*Bonifacius Papa Rom. auxilio legum Imperialium uſus eſt contra hæreticos Pelagianos. Aug. contra duas epiſt. Pelagianorum. Cæleſtinus Papa Rom. exemplum ſequitur Bonifacii.*

5. Quia autem Pelagius ſe in Britanniam, natale ſuum ſolum, recipiens, multos in ea inſula ſuo errore infecerat, adjuvante Juliano tanti mali comite & ſocio (ut ſcribit Platina in vita Innocentii Papæ I.) Propterea Cæleſtinus Papa (teſte

Proſpero contra Collat. cap. 41.) inimicos gratię inde etiam ut excluderet, miſit qui ex ea inſula Pelagianiſmi reliquias profligarent, ordinato Scotis Epiſcopo. [videlicet Palladio.]

*Palladius Scotorum Epiſcopus.*

6. Quanto autem animorum & judicii conſenſu hæreſin Pelagianam oppugnarint Hieronymus & Auguſtinus, non ſolum librorum conſonantia, & eorundem declarat uſurpatio argumentorum, ſed etiam ipſe diſertè teſtatur Hieronymus, honorificam faciens Auguſtini mentionem, in fine libri tertii, contra Pelagianos.

*Hieronymi & Auguſtini conſenſus contra Pelagianos.*

7. Cum autem aliquæ Pelagianorum in Gallia reliquiæ reprehenderent ſcripta Auguſtini, jam mortui; luculento Auguſtinum ornavit teſtimonio Cæleſtinus Papa Romanus; Auguſtinum (inquit) ſanctæ recordationis virum, pro vita ſua, atque pro meritis, in noſtra ſemper communione habuimus: nec unquam hunc ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor aſperſit: quem tantæ ſcientiæ fuiſſe olim meminimus, ut inter magiſtros optimos etiam à meis ſemper prædeceſſoribus haberetur. Hæc Cæleſtinus, in epiſtola pro Proſpero & Hilario ad Epiſcopos Galliæ, cap. 2. Repetit eadem Cæleſtini de Auguſtino verba Proſper, prope finem libri contra Collatorem, cap. 41. ubi Proſper ſtrenuè defendit omnia ſcripta Auguſtini, quę pro gratia Dei edidit contra hæreſin Pelagianam ejuſdemque reliquias.

*Cæleſtini Papæ teſtimonium de Auguſtino.*

*Proſper defenſor Auguſtini.*

8. Extat etiam memorati Papæ Cæleſtini ad Neſtorium epiſtola, in Concilii Epheſini œcumenici parte prima, cujus epiſtolæ initio ſic loquitur Cæleſtinus; Aliquantis diebus vitæ noſtræ, poſt nefandum & ſæpe damnatum dogma Pelagii atque Cæleſtii, Catholica fides quietem habuit, quando eos cum ſuæ opinionis ſequacibus, telis unitæ ſententiæ Oriens Occidenſque percuſſit. Denique ſanctæ recordationis Atticus [*Epiſcopus Conſtantinopolitanus*] Catholicæ magiſter fidei, & verè beati Joannis [Chryſoſtomi] etiam ad iſta ſucceſſor, eos ita perſequutus eſt pro Rege communi, ut iis nec ſtandi quidem illic copia præſtaretur. Hæc Cæleſtinus.

*Pelagianos unita ſententia Oriens Occidenſque percuſſit.*

9. Damnatum eſſe in ſynodo œcumenica Epheſina Neſtorium anno Dom. 431. docuimus, lib. 2. hujus operis. Damnatum eſſe in eadem ſynodo Pelagium ſcribit Gregorius lib. 5. epiſtolarum ex regiſtro, epiſt. 14. ad Narſem. De utriuſque in illa ſynodo damnatione meminit Proſper contra Collatorem, cap. 41. Per hunc (inquit) virum (nempe Cæleſtinum Pontificem Romanum) etiam Orientales Eccleſiæ gemina peſte purgatæ ſunt quando Cyrillo Alexandrinæ urbis Antiſtiti glorioſiſſimo fidei Catholicæ defenſori, ad exſecrandam Neſtorianam impietatem, Apoſtolico auxiliatus eſt gladio: quo etiam Pelagiani, dum cognatis confœderantur erroribus, iterum proſternerentur. Hæc ibi. Idem de eadem Pelagianæ hæreſeos damnatione Epheſi facta ſcribit libro de ingratis, capite 2. ubi ait;

*Pelagianus damnatus Synodo œcumenica Epheſina, Cyrillo præſidente celebrata, anno Dom. 431.*

*Præterea quanto fuerit bene mota tumultu*
*Clara Epheſus, non paſſa ſuis conſiſtere tectis*
*Vaſa iræ, & morbi ſtatus & ſemina mortis.*

Idipſum diſertè teſtatur ipſa Synodus Epheſina œcumenica, in fine relationis ſeu epiſtolæ à Synodo illa ſcriptæ ad Cæleſtinum Rom. Epiſcopum. ἀναγνωσθέντων δὲ ἐν τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ τῶν ὑπομνημάτων τῶν πεπραγμένων ἐπὶ τῇ καθαιρέσει τῶν δυσσεβῶν Πελαγιανῶν, καὶ Κελεστιανῶν, Κελεστίου, Πελαγίου, Ἰουλιανοῦ, Περσιδίου, Φλώρου, Μαρκελλίνου, Ὀρεντίου, καὶ τῶν τὰ αὐτὰ τούτοις φρονούντων, ἐκρίναμεν καὶ ἡμεῖς ἰσχυρὰ καὶ βέβαια μένειν τὰ ἐπ' αὐτοῖς ὁρισθέντα παρὰ τῆς σῆς θεοσεβείας· καὶ σύμψηφοι πάντες ἐσμὲν, καθῃρημένους ἔχοντες αὐτούς. Porro autem perlectis in ſancta Synodo Commentariis actorum in depoſitione impiorum Pelagianorum, & Cæleſtianorum, Cæleſtii, Pelagii, Juliani, Perſidii, Flori, Marcellini, Orentii, & eadem cum illis ſentientium, quæ à pietate tua de ipſis decreta & confirmata ſunt, judicavimus & nos ea ſolida firmaque permanere debere, & idem omnes tecum ſtatuimus, eos pro depoſitis habentes. Hæc Patres Epheſini in ſua illa relatione ſeu epiſtola ad Cæleſtinum ſcripta, in ſecunda parte Concilii Epheſini, actione quinta. Et ruſum iidem Patres in Canonibus à ſe in illa œcumenica ſynodo promulgatis, actione 7. can. 1. eos qui cum Cæleſtio ſentiunt, declarant ejectos eſſe ex omni Eccleſiaſtica communione, per ſententiam illius Synodi.

10. Cæleſtino Papæ Romano ſucceſſit Sixtus, hujus nominis tertius, anno Dom. 432. quem excepit Leo primus, anno Dom. 440. & hi Pelagianam hæreſin damnarunt. Poſtea interpoſitis Hilaro & Simplicio & Felice tertio, Pontifex Romanus creatus eſt Gelaſius, anno Dom. 492. Hic epiſtola quinta, quam ſcripſit ad Honorium Dalmatiæ Epiſcopum; Nunciatum (inquit) nobis eſt, in regionibus Dalmatiarum, quoſdam recidiva Pelagianæ peſtis zizania ſeminaſſe, tantumque illic prævalere eorum blaſphemiam, ut ſimplices quoſque mortiferi furoris inſinuatione decipiant. Eſt quidem error ipſe nefarius, tanto perniciosior ad ſubripiendum, quanto ad fallendum veriſimilitudinis colore verſutior. Præſtante Domino adeſt fidei Catholicæ pura veritas, concordibus univerſorum Patrum deprompta ſententiis, quæ & ſubtile virus funeſtæ pravitatis exponat, & humano generi ſalvando conferat de ſcripturarum confectione medicinam. An fortaſſe neſcitis hanc hæreſin, de qua loquimur, & ab Apoſtolica dudum ſede per beatæ memoriæ Innocentium, ac deinde Zoſimum, Bonifacium, Cæleſtinum, Sixtum, Leonem, continuis & inceſſabilibus ſententiis fuiſſe proſtratam: nec tantum Eccleſiæ Catholicæ legibus, ſed principum quoque Romanorum eo tenore damnatam, ut nec uſquam terrarum vivendi locum ſectatores ejus habere ſinerentur? Quæ omnia tam geſtis Eccleſiæ per ſingulas quaſque regiones de eorum pravitate confectis, quam cenſuræ publicæ ſanctionibus edocentur. Hæc ibi.

11. Idem Gelaſius, epiſtola 7. ad omnes Epiſcopos per Picenum, eandem refellit hæreſin, & ſpeciatim tria ejuſdem præcipua capita: videlicet, 1. Parvulos ſine peccato originali naſci. 2. Parvulos pro ſolo originali peccato non poſſe damnari. 3. Hominem per liberum arbitrium, bono ſuffragante naturæ, beatum effici, & gratiam Dei ſecundum merita hominum conferri. Ibidem etiam laudat Gelaſius Hieronymum & Auguſtinum, eos vocans Eccleſiaſticorum lumina magiſtrorum, & reprehendit acriter Epiſcopos illos, ſub quorum conſpectu Pelagianus quidam eos impunè lacerare contenderat. Aliam etiam idem Gelaſius tractatum ſcripſit adverſus Pelagianam hæreſin, qui incipit; De Pelagianis quidem ſenſibus. In eo prolixè confutat alium Pelagianæ hæreſeos articulum, de perfectione juſtitiæ in hac vita. Extat hic tractatus cum eius epiſtolis, tomo 2. Conciliorum, part. 1. editionis Binii Colon. Eundem articulum refellit

totamque



totamque Pelagianam hæreſin jure damnatam eſſe monet Joannes electus Papa Romanus, in epiſtola ad Scotos, quæ extat apud Bedam lib. 2. Hiſtor. Eccleſ. cap. 19. Hic in Papatu Joannes 4. dictus eſt, anno Domini, 640. Sed ſpeciales articulos Pelagianiſmi proximum caput plenius exhibebit.

*Joannes 4. Papa Rom.*

## CAPUT SECUNDUM.

### *Controverſia inter Catholicos & Pelagianos.*

Auguſtinus lib. de bono perſeverantiæ, capite 2. Tria ſunt (inquit) quæ maximè adverſus Pelagianos Catholica defendit Eccleſia. Quorum unum eſt; Gratiam Dei non ſecundum merita noſtra dari: quoniam Dei dona ſunt & Dei gratia etiam conferuntur merita univerſa juſtorum. Alterum eſt; In quantacunque juſtitia, ſine qualibuſcunque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere. Tertium eſt; Obnoxium naſci hominem peccato primi hominis, & vinculo damnationis obſtrictum; niſi reatus qui generatione contrahitur, regeneratione ſolvatur. Hæc ibi.

2. De primo iſtorum articulorum, puta de gratia Novi Teſtamenti, prolixè diſſerit Auguſtinus epiſt. 120. ad Honoratum. Hæc eſt (inquit) gratia quæ gratis datur, non meritis operantis, ſed miſeratione donantis, cap. 19. illius epiſtolæ. Et infra; Habet hæc gratia adverſarios, qui ejus profunditate turbati, non Deo tribuere, ſed potius ſibi volunt arrogare quod boni ſint. Nec tales ſunt quos facilè contemnas, ſed continenter viventes, atque in bonis operibus laudabiles, nec falſum Chriſtum, ſicut Manichæi aliique plurimi hæretici, ſed eundem verum æqualemque Patri & coæternum veraciterque hominem factum, & veniſſe credentes & venturum expectantes. Sed tamen ignorantes Dei juſtitiam, & ſuam conſtituere volentes; cap. 37. ſeu ultimo illius epiſtolæ. Dixit etiam prius in eadem epiſt. cap. 3. hanc gratiam in veteri Teſtamento occultatam eſſe, figuris tamen obumbrantibus prophetatam & prænunciatam, in Novo autem revelatam. Gratia gratis datur, unde etiam nuncupatur. Ait idem Auguſtinus epiſt. 106. Si gratia meritis redditur, conſtat eam non donum eſſe, ſed debitum, inquit Proſper lib. 1. de vocatione gentium, capite 1. Hæc hominis ſumma eſt juſtitia, quicquid potuerit habere virtutis, non ſuum putare eſſe, ſed Domini qui largitus eſt. Ait Hieronymus, lib. 1. adverſus Pelagianos.

3. De ſecundo articulo prolixè diſſerit Hieronymus, epiſt. ad Cteſiphontem, & tribus libris contra Pelagianos dialogiſticè ſcriptis. Impugnat autem hanc Pelagii aſſertionem, poſſe hominem eſſe ſine peccato ſi velit, & ob hanc aſſertionem eum vocat prædicatorem impeccantiæ. Cui errori opponit multa perſpicua ſacræ ſcripturæ teſtimonia, & exempla. Et ait, lib. 1. contra Pelagianos; Tunc ergo juſti ſumus, quando nos peccatores fatemur, & juſtitia noſtra non ex proprio merito, ſed ex Dei conſiſtit miſericordia. Eundem Pelagianorum errorem deſcribit Auguſtinus lib. ad Quodvultdeum hæreſ. 88. ubi ait; In id etiam progrediuntur [Pelagiani,] ut dicant vitam juſtorum in hoc ſeculo nullum omnino habere peccatum, & ex his Eccleſiam Chriſti in hac mortalitate perfici, ut ſit omnino ſine macula & ruga. Quaſi non ſit Chriſti Eccleſia, quæ in toto orbe terrarum clamat ad Deum, Dimitte nobis debita noſtra. Hæc ibi. De hoc argumento vide plura apud Auguſtinum, lib. de perfectione juſtitiæ. & lib. de ſancta Virginitate, cap. 48. 49. 50. & Enchirid. cap. 64. & epiſt. 1. ad Bonifacium, ſub finem tomi 2. & ſub finem illius epiſtolæ. & epiſt. 89. & lib. 14. de Civitate Dei, cap. 9. & lib. 2. de peccatorum meritis & remiſſione, capp. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 29. & lib. de Spiritu & litera, capp. 1. 2. &c. & cap. 35. & tract. 84. in Euang. Joannis. & lib. 4. contra Julianum, cap. 3. poſt medium capitis. & lib. 1. retractationum, cap. 19. & lib. 9. Confeſſionum, cap. 13. Summa doctrinæ orthodoxæ quam tuetur Auguſtinus, eſt; Deum poſſe eam dare homini viatori gratiam, ut nullam amplius habeat concupiſcentiam contra quam dimicet, prorſuſque peccato careat; poſſe, inquam, ſi vellet: Hoc tamen non fieri, neque ullum exiſtere hominem de quo in hac vita conſtituto veraciter dici poſſit, quod nullum habeat omnino peccatum, excepto uno Mediatore, [lib. 2. de peccatorum meritis & remiſſione, cap. 20. & 29.] Poſſe quidem ſanctorum vitam hic inveniri ſine crimine, ſed non ſine peccato. lib. 14. de Civit. cap. 9. & tract. 41. in Euang. Joannis.] & omnibus orandum eſſe, *Dimitte nobis debita noſtra*. idque dicendum eſſe non ſolum humiliter, ut erat mens Pelagianorum, ſed etiam veraciter. (vide Concil. Milevit. can. 6. 7. 8.) Omnia autem Dei mandata deputari facta à fidelibus, quando quicquid non fit ignoſcitur. lib. 1. retract. cap. 19.] At væ etiam laudabili vitæ hominum, ſi remotâ miſericordia diſcutiat eam Deus, lib. 9. Confeſſ. cap. 13.] Idem docet Hieronymus, cui objicit Pelagianus, multos eſſe juſtos, teſte Scriptura: Reſpondet Hieronymus, paulò poſt initium libri 2. adverſus Pelagianos; juſtos eſſe concedo; ſine omni autem peccato omnino non aſſentior. Etenim abſque vitio, quod Græcè dicitur κακία, hominem poſſe eſſe ajo; ἀναμάρτητον, id eſt, ſine peccato eſſe, nego: id enim ſoli Deo competit, &c. Idem lib. 3. adverſus Pelagianos, affirmat; perpetuitatem impeccantiæ ſoli reſervari Deo & ei qui Verbum caro factus, carnis detrimenta & peccata non pertulit. Juſtitia noſtra in hac vita (inquit Proſper) potius remiſſione peccatorum conſtat, quam perfectione virtutum, lib. epigrammaton, c. 88. Idem docent Gelaſius & Joannes quartus Pontifices Romani, locis ſuperius citatis, in fine primi capitis.

*Summa doctrinæ Auguſtini de ſecundo articulo.*

*Diſt. ſine crimine, ſed non ſine peccato.*

*Non ſolum humiliter ſed etiam veraciter.*

*Nota de juſtificatione peccatorum.*

*Diſtinct. Vide lib. 14. cap. 5. & 6.*

4. De tertio articulo ſic ex Cypriano ſcribit Hieronymus lib. 3. adverſus Pelagianos, prope finem libri; Infans recens natus nihil peccavit, niſi quod ſecundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ, prima nativitate contraxit. Et addit; hinc infantes baptizari ad remiſſionem peccatorum. Quod autem ibidem ait, remitti eis peccata non propria, ſed aliena; id etiam cum præcedentibus deſumſit Hieronymus ex Cypriano, ex quo eadem verba citat

*De peccato Originali.*

etiam

etiam Auguſtinus, lib. 1. contra Julianum, cap. 2. Quo ſenſu etiam Joannes Chryſoſtomus dixit, parvulos non habere peccata; nempe propria, ut ibidem docet Auguſtinus: unde illos (inquit) innocentes meritò nuncupamus, ſecundum id quod ait Apoſtolus, Nondum natos nihil egiſſe boni ſive mali; non ſecundum id quod ait, per cujus inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi. Comparans ergo eos Joannes majoribus, quorum propria peccata dimittuntur in baptiſmo, dixit eos non habere peccata. Hæc ibi Auguſtinus, qui illo ipſo capite, & alibi paſſim in ſuis ſcriptis, peccatum diſtinguit in originale & proprium. Idem, loco citato contra Julianum, affirmatores originalis peccati citat, ſeipſo priores, orthodoxos Patres, Irenæum, Cyprianum, Reticium, Olympium, Hilarium, Ambroſium, Gregorium Nazianzenum, Baſilium magnum, Joannem Chryſoſtomum, Innocentium, omnes Epiſcopos: quibus adjungit illos etiam Epiſcopos quatuordecim, qui in Dioſpolitano Concilio Pelagium ad ſui dogmatis damnationem adegerunt, videlicet, Eulogium, Joannem, Ammonianum, Porphyrium, Eutonium, Porphyrium, Fidum, Zozimum, Zoboennum, Nymphydium, Ehromatium, Jovinum, Eleutherium, Clematium. Deinde accedens ad Hieronymi teſtimonium, ſic compellat Julianum; Nec ſanctum Hieronymum, quia presbyter fuit, contemnendum arbitreris, qui Græco & Latino inſuper & Hebræo eruditus eloquio, ex Occidentali ad Orientalem tranſiens Eccleſiam, in locis ſanctis atque in literis ſacris, uſque ad decrepitam vixit ætatem. Hic omnes vel pæne omnes, qui ante illum ex utraque parte orbis de doctrina Eccleſiaſtica ſcripſerant, legit, nec aliam de hac re tenuit promſitque ſententiam. Qui cum exponeret Jonam Prophetam, apertiſſimè dixit, quod etiam parvuli peccato offendentis Adam tenentur obnoxii. Hæc ibi. Vide etiam Auguſtini librum de peccato originali, contra Pelagium & Cæleſtium, tom. 7. & epiſt. ad Marcellinum, de baptiſmo parvulorum, prope finem tomi ſecundi operum Auguſtini. & Concil. Milevit. can. 2.

*Parvuli quo ſenſu nuncupentur innocentes.* *Rom. 9. 11.* *Rom. 5. 19.* *Diſtinctio peccati in originale & proprium.* *Antiqui Patres affirmatores originalis peccati ante Auguſtinum.* *De Hieronymi teſtimonium Auguſtini.*

5. His articulis adde ex Hieronymi epiſtola ad Creſiphontem, & Auguſtini epiſt. 107. ad Vitalem Carthaginenſem; Gratiam Dei adultis ad ſingulos actus dari. Quod negabant Pelagiani. Item, laturum unumquemque in die judicii ſecundùm ea quæ per corpus geſſit, non ſecundùm ea quæ, ſi diutius viveret, geſturus fuerit, ſive bonum, ſive malum. Hoc etiam contra Pelagianos defendebant Catholici. & oppoſitum Pelagianorum errorem prolixè refutavit Auguſtinus, lib. de prædeſtinatione ſanctorum, capitib. 12. & 13. & 14.

*Quarta Controverſia.* *Quinta Controverſia.*

6. Erat etiam controverſia de gratiæ definitione; Nam Pelagiani gratiam quæ homini neceſſaria etiam nunc eſt, interpretabantur partim naturam & liberum arbitrium homini à Deo gratis datum, partim doctrinam qua Deus mentes noſtras illuminat, & demonſtrat atque docet quid agere debeamus, & nobis ſuadet omne quod bonum eſt, ut patet ex ipſius Pelagii verbis, apud Auguſtinum lib. de gratia Chriſti, capp. 3. 7. 10. Hinc illud Pelagianorum impium effatum; à Deo habemus quod homines ſumus: à nobis ipſis autem quod juſti ſumus. Hoc eorum inſanum dictum refert ac refutat Auguſtinus tract. 81. in Euang. Joan. At orthodoxi eam etiam contendebant agnoſcendam eſſe gratiam, quæ facit prodeſſe doctrinam, quæ gratia ſi deſit, videmus etiam obeſſe doctrinam, inquit Auguſtinus epiſt. 107. hanc gratiam ajebant eſſe neceſſariam, non ſolùm qua demonſtrat & revelat Deus quid agere debeamus, ſed etiam qua donat atque adjuvat ut agamus. Auguſt. lib. de gratia Chriſti, cap. 8. qua futuræ gloriæ magnitudo non ſolum promittitur, verum etiam creditur & ſperatur; nec ſolum revelatur ſapientia, verumetiam & amatur; nec ſuadetur ſolum omne quod bonum eſt, verum & perſuadetur: eodem libro, cap. 10. qua gratia agitur non ſolum ut facienda noverimus, verumetiam ut cognita faciamus; nec ſolum ut diligenda credamus, verumetiam ut credita diligamus. capite 12.

*Sexta Controverſia, de gratia definitione.* *Impium effatum Pelagianorum.*

7. De neceſſitate etiam gratiæ & viribus liberi arbitrii diſſentiebant; nam Pelagius gratiæ neceſſitatem agnoſcebat non ſimplicem, ſed tantummodo ſecundùm quid; Orthodoxi autem ſimplicem. De hac controverſia ſic ſcribit Auguſtinus, epiſt. 106. Aliquando ita paribus momentis poteſtatem voluntatis æqua lance perpendit [Pelagius,] ut aliquantum etiam ad non peccandum valere definiat. Quod ſi ita eſt, nullus locus adjutorio gratiæ reſervatur, ſine qua nos dicimus ad non peccandum nihil voluntatis arbitrium valere. Aliquando autem quotidiano gratiæ Dei muniri nos confitetur auxilio, quamvis habeamus ad non peccandum forte ac firmum liberum arbitrium. Quod utique invalidum & infirmum debuit confiteri, donec ſanentur omnes languores animæ noſtræ. ——— Videtur ergo auxilium gratiæ tanquam ex abundanti putare concedi, id eſt, ut etiamſi non concedatur, habeamus tamen ad non peccandum forte ac firmum liberum arbitrium. ——— ait, ideo Dei gratiam hominibus dari, ut quod facere per liberum jubentur arbitrium, facilius poſſint implere per gratiam. Utique cum dicit, facilius, quid vult intelligi, niſi & gratia ſi deſit, poſſe per liberum arbitrium, vel facilè vel etiam difficile, quæ divinitus jubentur impleri? Ubi eſt ergo, quid eſt homo ut memor ſis ejus? [Pſal. 8.] ubi illa teſtimonia? Non ego autem, ſed gratia Dei mecum [1. Cor. 15.] Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei. [Rom. 9.] & niſi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt ædificantes eam. [Pſal. 127.] Quomodo ergo quod Deus jubet, ſine adjutorio ipſius vel difficile impletur, cum ſi Dominus non ædificet, in vanum ædificans laboraſſe dicatur? neque ſcriptum ſit; Eſt quidem volentis atque currentis, facilius autem miſerentis Dei; ſed ſcriptum ſit; Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Non quia in illa eſt hominis atque voluntatis concurſus, ſed quia nihil poteſt niſi ille miſereatur. Nec Apoſtolus dixerit, Et ego, ſed dixerit; Non ego autem, ſed gratia Dei mecum. Non quia ipſe nihil boni agebat, ſed quia nihil ageret, ſi illa non adjuvaret. Hæc ibi Auguſtinus.

8. Huic cohæret controverſia illa de uſu & efficacitate gratiæ Dei: nam ita diſtinguebat Pelagius, poſſe, & velle, & eſſe ſeu operari. Auxilio autem gratiæ ajebat Deum adjuvare ſolam in nobis poſſibilitatem boni, quam primitus à natura dedit; velle autem & agere bonum, à libero hominis ſuſpendebat arbitrio, neque ulterius porrigi agnoſcebat auxilium gratiæ, quam ut quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, facilius poſſint implere per gratiam. Unde inferebat, quod poſſumus, laudem eſſe Dei, qui hoc poſſe donavit, & adjuvat: at verò in voluntate & opere bono laudem eſſe hominis, nec aliter hic eſſe laudem Dei, niſi quia Deus ipſius voluntatis atque operis poſſibilitatem dedit atque adjuvat. Hanc ſuam ſententiam ſuis ipſe verbis Pelagius diligenter expreſſit, apud Auguſtinum, lib. de gratia Chriſti, capite 4. & capite 7. Cui Auguſtinus opponit dictum illud Apoſtoli, Deus enim eſt qui operatur in nobis & velle & operari. Et multa alia clariſſima ſacræ Scripturæ teſtimonia, & argumenta, quibus demonſtrat non ſolam poſſibilitatem boni in nobis adjuvari per auxilium gratiæ, ſed efficere etiam in nobis Deum ut bonum volendo appetamus, agendoque perficiamus: Deum operari in nobis etiam bonas voluntates, & Dei ſpiritu nos agi ut agamus quod bonum eſt; adeoque Dei ſpiritu nos actos agere. Deum nobis inſpirare bonæ voluntatis affectum, & facere ut faciamus: Vide Auguſtinum reliquo illo libro de gratia Chriſti. & lib. de gratia & libero arbitrio, capp. 16. 17. & lib. de correptione & gratia, cap. 14. & lib. de prædeſtinatione ſanctorum, cap. 10. & lib. 2. contra duas epiſt. Pelag. cap. 8. & Proſp. ſent. 312.

*Phil. 2. 13.*

9. Iſte Pelagianorum error alium peperit errorem; quo Pelagiani omnia ad fidelem piamque vitam hominum pertinentia, (videlicet, fidem, charitatem, perſeverantiam, &c.) ita tribuebant libero voluntatis arbitrio, ut habenda ex nobis, non à Domino putarent eſſe poſcenda, ſicut de eis ſcribit Auguſtinus, hæreſ. 88. & epiſt. 107. ſub finem epiſtolæ. Et Patres Carthaginenſes epiſt. ad Innocentium, apud Auguſtinum, epiſt. 90. & Patres Milevitani ad eundem Innocentium, apud Auguſt. epiſt. 92. quem Pelagii deteſtandum errorem clarius ex ipſius Pelagii ſcriptis proponit Auguſtinus, lib. de gratia Chriſti, capite 41. Ipſas quoque (inquit) orationes, ut in ſcriptis ſuis apertiſſimè affirmat, ad nihil aliud adhibendas opinatur Pelagius, niſi ut nobis doctrina etiam divina revelatione aperiatur, non ut adjuvetur mens hominis, ut id quod faciendum eſſe didicerit, etiam dilectione & actione perficiat. Hæc ibi. Contrariam Catholicorum ſententiam explicat & defendit Auguſtinus epiſt. 107. & lib. de gratia & libero arbitrio, capite 14. nempe, nos qui credimus, debere Deum orare pro infidelibus credere nolentibus, ut velint credere, adeoque credant; & pro impiis impœnitentibus, ut det eis Deus reſipiſcentiam, ſeu eos convertat: & gratias Deo agere debere de converſione eorum qui ab infidelitate ad fidem, à malis moribus ad bonos converſi ſunt. Fidem enim & reſipiſcentiam eſſe dona Dei gratuita, ſine ullo noſtro merito (imo contra mala noſtra merita) nobis gratis data. Item, fideles pro ſeipſis aliiſque fidelibus orare debere ut proficiant in eo quod eſſe cœperunt, gratiaſque Deo agere quia proficiunt. Profectum intellige qui includit etiam finalem perſeverantiam, quam etiam eſſe gratuitum Dei donum, & à Deo precibus petendam, docet Auguſtinus, epiſtol. 107. & lib. de correptione & gratia, capitib. 6. 7. 8. 9. & lib. de bono perſeverantiæ.

10. Cum autem eo confugerent Pelagiani, ut ſaltem petitionem ſeu orationem & orationis meritum dicerent præcedere ex parte hominis, quia promiſſio fit petentibus, quærentibus, pulſantibus: Reſpondit Auguſtinus, præceſſiſſe gratiam, & cor tetigiſſe, ut beatificum bonum peteretur à Deo, ut quæreretur Deus, ut pulſaretur ad Deum. lib. 4. contra Julianum, capite 8. Ipſam etiam orationem eſſe gratiæ munus, nos enim (teſte Apoſtolo) quid oremus ſicut oportet, neſcire, ſed Spiritum Sanctum eſſe qui pro nobis interpellat gemitibus inenarrabilibus, id eſt, interpellare nos facit, nobiſque interpellandi & gemendi inſpirat affectum. Adjutorium enim Spiritus Sancti ſic in ſcriptura expreſſum eſſe, ut ipſe facere dicatur, quod ut faciamus facit. epiſt. 105. ad Sixtum. Et paulo ſuperius in eadem epiſtola ait; fides erat quæ data eſt non oranti, quæ utique niſi data eſſet, orare non poſſet. Quomodo enim invocabunt, in quem non crediderunt?

*Rom. 8. 26.* *Rom. 10. 14.*

11. Aſſerebant etiam Pelagiani Adamum, etiamſi non peccaſſet, fuiſſe corpore moriturum, neque mortuum merito culpæ, ſed conditione naturæ. Auguſtin. hæreſ. 88. hoc nomine eis Milevitani Patres anno Dom. 416. anathema dixerunt. Quicunque (inquiunt) dicit Adam primum hominem mortalem factum, ita ut ſive peccaret, ſive non peccaret, moreretur in corpore, hoc eſt, de corpore exiret, non peccati merito, ſed neceſſitate naturæ; anathema ſit. Concil. Milevit. 2. can. 1. Eundem errorem refellit Auguſtinus, lib. 1. de peccatorum meritis & remiſſione, cap. 2. & aliquot ſequentibus capitibus. & ejuſdem operis, lib. 2. capp. 33. 34. & lib. 3. ſive epiſtola ad Marcellinum, de baptiſmo parvulorum. Item, lib. 13. de civitate Dei, capitibus, 3. 4. 19.

*11. Controverſia, De mortalitate Adami.*

12. De ipſa ſalutis via erat controverſia: Nam Pelagius ejuſque diſcipuli tempora ſic diſtribuebant, ut dicerent, ante legem ſalvos factos eſſe per naturam; deinde per legem; poſtremò per Chriſtum. Quaſi hominibus duorum ſuperiorum temporum, ante legem ſcilicet, & in lege, ſanguis Chriſti non fuerit neceſſarius, ut legere eſt apud Auguſtinum lib. 1. contra duas epiſtolas Pelagianorum, capite 21. ubi oppoſitam veritatem tuetur, inquiens; quantælibet fuiſſe virtutis antiquos prædices juſtos, non eos ſalvos fecit, niſi fides Mediatoris, qui in remiſſionem peccatorum ſanguinem fudit. Ipſorum enim vox eſt; Credidi, propter quod loquutus ſum. Unde ait & Apoſtolus Paulus; Habentes autem eundem ſpiritum fidei, ſecundùm quod ſcriptum eſt, Credidi propter quod loquutus ſum; & nos credimus propter quod & loquimur. Quid eſt eundem ſpiritum, niſi quem juſti quoque illi habuerunt, qui iſta dixerunt? Dicit etiam Apoſtolus Petrus, Quid vultis jugum imponere gentibus, quod neque nos portare potuimus neque Patres noſtri? Sed per gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti credimus nos ſalvi fieri, quemadmodum & illi. Hoc vos non vultis inimici gratiæ Chriſti, ut eadem gratiâ Jeſu Chriſti ſalvi facti credantur antiqui, ſed diſtributis tempora ſecundum Pelagium, in cujus libris hoc legitur; & ante legem dicitis ſalvos factos eſſe per naturam, deinde per legem, poſtremo per Chriſtum: quaſi hominibus duorum ſuperiorum temporum, ante legem ſcilicet, & in lege, ſanguis Chriſti non fuerit ne-

*12. Controverſia, De ſalutis via.* *Pſal. 116. 10.* *2. Cor. 4. 13.* *Act. 15. 10, 11.*

ceſſarius: evacuantes quod dictum eſt, unus enim Deus, unus & Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus. Hæc ibi Auguſtinus. Qui etiam alibi docet, Pelagium hæc tria diſtinguere. 1. Poſſibilitatem naturalem. 2. Auxilium legis atque doctrinæ quo poſſibilitas naturalis adjuvatur, etiam Propheticis conceſſum temporibus. 3. Adjutorium gratiæ, quæ propriè gratia nuncupatur, quod Pelagius in Chriſti eſſe arbitratur exemplo. Hoc docet Auguſtinus lib. de gratia Chriſti, contra Pelagium & Cæleſtium, capitibus trigeſimo nono & quadrageſimo primo. Illam verò Pelagianam temporum diviſionem refellit etiam multis aliis in locis ſuorum operum Auguſtinus, docens, omnes homines quicunque ullo ſeculo ſalvi facti ſunt, non niſi gratia Dei per Jeſum Chriſtum ſalutem eſſe conſequutos. tempora quidem variata eſſe, ſed non fidem. lib. de peccato originali contra Pelagium & Cæleſtium, capitibus 25. 26. & 32. & libro ſecundo, de peccatorum meritis & remiſſione, capite vigeſimo nono: & libro ſeptimo de Civitate Dei, capite trigeſimo ſecundo: & libro decimo ejuſdem operis, capite vigeſimo quinto: & tractatu 45. in Evangelium Joannis, in illa verba capitis decimi, *Oves non audierunt eos.*]

1.Tim.2. 5.

Joh. 10. 8.

13.Controverſia, De virtutibus infidelium.

13. Aliam priori cognatum Pelagianorum errorem refert refellitque Auguſtinus, libro quarto, contra Julianum, capite tertio. Julianus Pelagianus aſſerit homines infideles, ut Fabricios, Fabios, Scipiones, &c. habere veras virtutes, puta caſtitatem, modeſtiam, miſericordiam, juſtitiam, &c. earumque virtutum exercitiis eos facere opera verè bona, & Deo placere, per liberum ſuum arbitrium, ſine adjutorio gratiæ divinæ; lege naturæ, ſine Chriſti fide. Quem errorem Juliano aliiſque Pelagianis exprobrans Auguſtinus loco citato; Hoc eſt (inquit) unde vos maximè Chriſtiana deteſtatur Eccleſia. Hunc errorem ibi oppugnans Auguſtinus oſtendit, homines infideles non habere germanas veraſque virtutes, ſed quæ in eis videntur eſſe virtutes, nihil aliud eſſe quam vitia, quæ per quandam veriſimilitudinem finitima videntur & propinqua virtutibus, & quadam ſpecie fallente ſimilia. Non enim eſſe veram caſtitatem in animo fornicante à Deo, neque veram juſtitiam in homine qui verè juſtus non eſt, nullum autem infidelem verè juſtum eſſe, quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, omnis autem verè juſtus Deo placet, & ad Dei regnum admittitur. Opera autem infidelium, quæ videntur bona, videlicet, nudum operire, eſurientem paſcere, &c. in quantum quidem accipientibus proſunt, eſſe Dei dona, adeoque bona; at in quantum ab homine fiunt ſine fide, eſſe peccata; non quod officium ipſum operiendi pauperem, &c. malum ſit, ſed quia officium bonum non bene ſed male, nempe infideliter & non bono fine faciunt infideles. Non enim actibus ſed finibus penſari officia: & cum omnis infidelium voluntas ſit arbor mala, quippe infidelis & impia, non poſſe eam ferre fructus bonos.

Hebr. 11. 6.

14. Vide de hoc plura apud Auguſtinum, loco citato. & libro duodecimo de Trinitate, capite ſeptimo. ubi ait opera miſericordiæ nihil prodeſſe ſive Paganis ſive Judæis, qui Chriſto non credunt, ſive quibuſcunque hæreticis vel ſchiſmaticis, ubi fides & dilectio & ſobria ſanctificatio non invenitur. Et tractatu vigeſimo quinto in Evang. Joannis, ſunt (inquit) opera quæ videntur bona, ſine fide Chriſti, & non ſunt bona, quia non referuntur ad eum finem ex quo ſunt bona. Item, lib. contra mendacium, capite ſeptimo. Ex (inquit) opera hominum, ſicut cauſas habuerint bonas ſeu malas, nunc ſunt bona, nunc mala, quæ non ſunt per ſeipſa peccata. Sicut victum præbere pauperibus, bonum opus eſt, ſi fit cauſa miſericordiæ cum recta fide. Hæc atque hujuſmodi ſecundum ſuas cauſas opera ſunt bona vel mala, quia eadem ipſa, ſi habeant malas cauſas, in peccata vertuntur, velut ſi jactantiæ cauſa pauper paſcitur, &c. Item, ſermone quinquageſimo quinto de verbis Domini, in illa verba, Ego ſum via, veritas & vita.] Invenies homines bene viventes, & non Chriſtianos. Bene currunt, ſed in via non currunt. Quanto plus currunt, plus errant, quia à via recedunt. ——— Melius eſt in via claudicare, quam præter viam fortiter ambulare. Hæc ibi. Et epiſtola 105. Opera (inquit) bona fiunt ab homine, fides autem fit in homine, ſine qua illa à nullo fiunt homine. Omne enim quod non eſt ex fide, peccatum eſt. Et paulò ſuperius ibidem; Ut juſti fierent, merita non fuerunt. ——— Et ideo percipiendæ hujus gratiæ merita nulla præcedunt, quoniam meritis impii non gratia ſed pœna debetur. Nec iſta eſſet gratia, ſi non daretur gratuita, ſed debita redderetur. Hæc Auguſtinus. Item, epiſtola 106. Sine gratia Dei ad non peccandum nihil valet voluntatis arbitrium.

15. Proſper, lib. contra Collatorem, capite vigeſimo octavo. Puto (inquit) iſtum veriſimilitudine decipi, & in ſpecie falſitatem errare virtutum, dum ea bona, quæ non poſſunt niſi ex Dei munere haberi, etiam in impiorum animis exiſtimat reperiri: ideo ſcilicet, quia multi eorum ſint juſtitiæ, temperantiæ, continentiæ & benevolentiæ ſectatores: quæ omnia non fruſtra quidem neque inutiliter habent, multumque ex eis in hac vita honoris & gloriæ conſequuntur. Sed quia in iis ſtudiis non Deo, ſed diabolo ſerviunt, licet habeant temporalem de vana laude mercedem, ad illam tamen beatarum virtutum non pertinent veritatem. Et ita manifeſtiſſimè patet, in impiorum animis nullam habitare virtutem, ſed omnia opera eorum immunda eſſe, atque polluta, habentium ſapientiam non ſpiritalem ſed animalem, non cœleſtem ſed terrenam, non Chriſtianam ſed diabolicam, non à Patre luminum, ſed à Principe tenebrarum, dum per ea ipſa quæ non haberent niſi dante Deo, ſubduntur ei qui primus receſſit à Deo. Idem, libro ſententiarum ex Auguſtino, capite 106. Omnis infidelium vita peccatum eſt: & nihil eſt bonum ſine ſummo bono. Ubi enim deeſt agnitio æternæ & incommutabilis veritatis, falſa virtus eſt, etiam in optimis moribus. Eandem ſententiam repetit Proſper, & carmine exprimit. lib. Epigrammaton, cap. 81.

16. Fuit hæc non Auguſtini tantum & Proſperi, ſed publica Catholicæ Eccleſiæ doctrina, quæ ob hunc errorem maximè deteſtata eſt Pelagianos inimicos gratiæ Chriſti, quo introducebant quoddam hominum genus quod placere Deo



poſſit ſine Chriſti fide, lege naturæ, teſte Auguſtino, lib. 4. contra Julianum, capite 3. circa medium capitis. Huc referri poteſt illud quod ſcribit Auguſtinus, lib. de gratia & libero arbitrio, capite 17. Ut ergo velimus, ſine nobis operatur; cum autem volumus, & ſic volumus ut faciamus, nobiſcum cooperatur: tamen ſine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus. Hæc ibi.

17. Lis erat etiam de eo, an ſint aliqua peccata, quæ pœnæ ſint etiam peccatorum. Item, num ea hominibus à Deo infligatur pœna peccati, per quam in plura & gravia peccata collabantur. Atque adeo, an inveniatur aliquod malum, quod unum idemq; ſit & peccatum & pœna peccati & cauſa peccati. Negabant Pelagiani: affirmat Auguſtinus, & ex epiſtola ad Romanos capite 1. & capite 11. & 2. ad Theſſal. 2. & Eſai. cap. 19. & 2. Paralip. 25. aliiſque multis ſacræ ſcripturæ locis luculenter confirmat, lib. de natura & gratia contra Pelagianos, capp. 21. 22. 23. & lib. 5. contra Julianum, cap. 3. & lib. de gratia & libero arbitrio, capp. 20. 21. & lib. 14. de Civitate Dei, cap. 15.

18. Dicebant Pelagiani, ad juſtificationem hominis opus quidem eſſe gratià remiſſionis peccatorum admiſſorum, quia id quod factum eſt facere infectum non poſſumus? at ſibi ſufficere liberum hominis arbitrium in futurum, ut peccata caveamus, tentationes ſuperemus, & quæ Deus poſtulat præſtemus, accedente præſertim illa gratia inſtructionis & moralis ſuaſionis: neque alio gratiæ auxilio opus eſſe, neque aliud auxilium à Deo eſſe petendum, ut in poſterum peccata vitemus, & Dei monitis obſequamur: E contrario Catholici, præter peccatorum remiſſionem, & doctrinam ac moralem ſuaſionem, eam etiam contendebant gratiam eſſe homini regenito neceſſariam, qua in poſterum adjuvetur ne peccet, per quam Deus in nobis operans & nobiſcum cooperans faciat, ut faciamus ejus mandata. Auguſt. epiſt. 94. & 105. & 106. & lib. de natura & gratia, capite 18. & lib. de gratia & libero arbitrio, capite 13. Concil. Milevit. can. 3.

19. Ex controverſia de originali peccato, nata eſt quæſtio de uſu baptiſmi parvulorum, quos Catholici aſſerebant baptizari in remiſſionem peccatorum, videlicet, in remiſſionem peccati originalis, quod ab Adamo originaliter traxerunt: at Pelagiani dicebant eos non in remiſſionem peccatorum, nullum enim habere peccatum, ſed tantum baptizari in regnum Cœlorum, quod non niſi regenitis patet. Auguſt. lib. de peccato originali, contra Pelagium & Cœleſtium, cap. 18. & 21. & lib. 1. contra duas epiſtolas Pelagianorum, cap. 22.

20. Hinc extitit alia controverſia, de ſtatu parvulorum defunctorum ſine baptiſmo & regeneratione: quibus Pelagiani regnum Dei negabant, quippe non regenitis, non juſtis, adeóque non idoneis ad illud obtinendum; dabant tamen eis extra regnum Dei locum ſalutis & vitæ æternæ. At Catholici eos contendebant damnationi primi hominis manere obnoxios. Auguſt. lib. de originali peccato, capite 18.] & ſecundæ mortis ſubire ſupplicium. Auguſt. lib. 1. contra duas epiſtolas Pelagianorum, cap. 22.] Alibi autem ait Auguſtinus, eos in damnatione omnium mitiſſima futuros. Multum autem fallere & falli, qui eos in damnatione prædicat non futuros. lib. 1. de peccatorum meritis & remiſſione, cap. 16.] ait eos in damnatione omnium leviſſima futuros, cum ſolum habeant originale peccatum, nec ullis propriis aggraventur. lib. 5. contra Julianum, cap. 8. manere tamen in eadem damnatione, de qua dicit Apoſtolus, [ad Rom. 5.] per unius delictum in omnes homines ad condemnationem. epiſtol. 28.] iram Dei manere ſuper eos, lib. 1. de peccatorum meritis & remiſſione capite 2.] tranſire eos in mortem ſecundam, lib. de bono perſeverantiæ, capite 12.] eſſe filios iræ, lib. 6. contra Julianum cap. 3.]

*Vide contem de baptiſmi neceſſitate, diſſertationem noſtram, lib. 10. hujus operis. Nunc hoc loco quæſtio eſt de ſtatu infantium, qui moriuntur irregeniti.*

21. Idem docet Gelaſius, 1. Papa Romanus, epiſt. 7. ad omnes Epiſcopos per Picenum. Unde ſic argumentantur Auguſtinus & Gelaſius, locis citatis, Deus neminem damnat immeritum, neque cum Dei juſtitia conſiſtit, ut Deus illic infligat pœnam, ubi nulla eſt culpa: Cum igitur infantes irregeniti æterna morte puniantur, nec habeant propria peccata quorum reatu conſtringantur, neceſſe eſt agnoſcamus in eis originale peccatum, propter quod ſolum damnantur.

*Deus neminem damnat immeritum, vide infra, §. 26.*

22. Contra locum autem illum tertium quem parvulis aſſignabant Pelagiani, ſic diſſerit Gelaſius, loco citato: Dicant igitur, in morte perpetua conſtitui, ſi non videantur eſſe damnati; tollant ergo de medio neſcio quem ipſi tertium, quem decipiendis parvulis faciunt locum. Et quia non niſi dextram partem legimus & ſiniſtram, non illos faciant in ſiniſtra regione ſine baptiſmate remanere, ſed baptizatos ſinant ad dextram ſalutarem ſacra regeneratione transferri. Hæc Gelaſius. Quibus ſi addas ſententiam Domini judicialem de ſtantibus ad ſiniſtram, & memineris omnes homines comparituros coram Chriſti tribunali; evaneſcet illud ſcholaſticorum commentum de limbo infantium, & æterna pœna damni, ſine ulla pœna ſenſus. Habent (inquit Auguſtinus) omnes animæ, cum de ſeculo exierint, diverſas receptiones ſuas, habent gaudium boni & mali tormenta: ſed cum facta fuerit reſurrectio, & bonorum gaudium amplius erit, & malorum tormenta graviora, quando cum corpore torquebuntur. Aug. tract. 49. in Evang. Joannis. Vide etiam lib. 13. de Civit. capite 8. & lib. de prædeſtinatione ſanctorum, capite 12. Neque tamen iſta pugnant cum ejuſdem Auguſtini doctrina ſuperius propoſita de gradibus pœnarum in inferno, quam ille confirmat auctoritate Domini, dicentis, tolerabilius fore Sodomis, &c. lib. 5. contra Julianum, capite 8.

*Contra locum tertium à Pelagianis excogitatum.*

*Contra limbum puerorum.*

Matt. 11. 24.

23. De errore etiam & ignorantia, an ſit peccatum, & an per errorem & ignorantiam committantur peccata, quæ reatu mortis æternæ committentes conſtringant. Negabant Pelagiani: at Catholici affirmabant, & ſacrarum literarum auctoritate adſtruebant. Hieronymus lib. 1. adverſus Pelagianos, modico intervallo ante finem libri. & Auguſtinus lib. 1. de peccatorum meritis & remiſſione, cap. 36.

*18. Controverſia, De errore & ignorantia.*

24. Pelagiani calumniabantur Catholicos, dicentes eos fatum gratiæ nomine aſſerere, quia non ſecundùm merita noſtra dari dicebant Dei gratiam. [Auguſtinus lib. 2. ad Bonifacium, contra duas epiſtolas Pelagianorum, capite 5.]

*19. Controverſia, De fato.*

Hanc calumniam refellit Auguſtinus, eodem libro, capp. 6. & 7. Juſtificandis (inquit) impiis ſicut propterea merita non ſunt, quia Dei gratia eſt; ita propterea non eſt fatum, quia Dei gratia eſt. Fatum quippe qui affirmant, de ſiderum poſitione, ad tempus quo concipitur quiſque vel naſcitur, quas conſtellationes vocant, non ſolum actus & eventa, verumetiam ipſas noſtras voluntates pendere contendunt; Dei verò gratia non ſolum omnia ſidera & omnes cœlos, verumetiam omnes Angelos ſupergreditur. Deinde fati aſſertores & bona & mala hominum fato tribuunt, Deus autem in malis hominum merita eorum debitâ retributione perſequitur, bona verò per indebitam gratiam miſericordi voluntate largitur: utrumque faciens non per ſtellarum temporale conſortium, ſed per ſuæ ſeveritatis & bonitatis æternum altumque conſilium. Neutrum ergo pertinere videmus ad fatum. (Hæc capite 6. pergit deinde capite 7.) Hic reſponderis, hanc ipſam Dei benevolentiam, qua non merita ſequitur, ſed bona indebita gratuita bonitate largitur, fatum potius eſſe dicendum; cum hanc Apoſtolus gratiam vocet, dicens; Gratiâ ſalvi facti eſtis per fidem, & hoc non eſt ex vobis, ſed Dei donum eſt, non ex
Epheſ. 2. 8,9. operibus, ne forte quis extollatur. Nonne attenditis, nonne perſpicitis, non à nobis divinæ gratiæ nomine fatum aſſeri, ſed à vobis potius divinam gratiam fati nomine nuncupari. Hæc ibi.

25. Ulterius progreſſa eſt Pelagianorum audacia; dicebant enim perſonarum acceptorem
*20. Controverſia, De acceptione perſonarum.* fieri Deum, ſi in una eademque cauſa ſuper alios veniat miſericordia ejus, ſuper alios verò maneat ira ejus: ſi de Deo credatur, quod ſine ullis præcedentibus meritis, cujus vult miſeretur, & quos dignatur vocat, & quem vult religioſum facit. Quibus reſpondet Auguſtinus, epiſt. 105. Parum (inquit) attendunt quod debita reddatur pœna damnato, indebita gratia liberato, ut nec ille ſe indignum queratur, nec dignum ſe iſte glorietur, atque ibi potius acceptionem nullam fieri perſonarum, ubi una eademque maſſa damnationis & offenſionis involvit. ——— Sed injuſtum eſt, inquit, in una eademque mala cauſa hunc liberari, illum puniri. Nempe ergo juſtum eſt, utrumque puniri. Quis hoc negaverit? Agamus ergo gratias Salvatori, dum nobis redditum non cernimus quid in damnatione ſimilium etiam nobis debitum fuiſſe cognoſcimus. ——— Cui non poteſt figmentum dicere,
*Rom. 9. 20,21.* quare ſic me feciſti, cum habeat poteſtatem ex eadem maſſa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam. Ubi quia univerſa iſta maſſa meritò damnata eſt, contumeliam debitam reddit juſtitia, honorem donat indebitum gratia, non meriti prærogativâ, non fati neceſſitate, non temeritate fortunæ, ſed altitudine divitia-
*Rom. 11. 33.* rum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam non aperit, ſed clauſam miratur Apoſtolus, clamans, ô altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam
*Quid ſit acceptio perſonarum.* inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus, &c. Item lib. 2. ad Bonifacium, cap. 7. ubi acceptionem perſonarum definiens Auguſtinus, ait ibi rectè dici acceptionem perſonarum, ubi ille qui judicat, relinquens cauſæ meritum de qua judicat, alteri contra alterum ſuffragatur, quia invenit aliquid in perſona quod honore vel miſeratione ſit dignum. Si autem quiſpiam duos habeat debitores, æqualiter reos, ſi alteri velit dimittere debitum, ab altero exigere, tunc eum cui vult, donare, ſed neminem fraudare, nec ibi dicendam eſſe acceptionem perſonarum, quando iniquitas nulla eſt.

26. Auctor lib. de prædeſtinatione & gratia, capite 16. ſeu ultimo [tom. 7. oper. Auguſt.] Si (inquit) humanum genus quod creatum primitus conſtat ex nihilo, non cum debita mortis & peccati origine naſceretur, & tamen ex eis Creator omnipotens in æternum nonnullos damnare vellet interitum: quis omnipotenti Creatori diceret, quare feciſti ſic? qui enim cum non eſſent, eſſe donaverat, quo ſine eſſent habuit poteſtatem: nec dicerent cæteri, cur paribus omnium meritis divinum diſcreparet arbitrium: quia poteſtatem habet figulus luti ex eadem maſſa facere, aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam. Nunc autem cum damnatis pœna juſta redditur, ſalvatis autem gratia donatur indebita, quis uſque adeo humanæ conditionis oblitus, divini ſenſus arcana diſcutiat, ut cum ipſe pœnam merito fuerit conſecutus, quærat cur alius gratiam quæ non debebatur ei acceperit? Hanc itaque divinam electionem non meritis reddi, ſed ſola voluntatis munificentiâ donari hominibus, Moſes oſtendit, [Deuteronom. 10.] Ecce Domini Dei tui cœlum eſt, & cœlum cœli, &c. Item Auguſtinus epiſt. 105. Cur autem illum potius quam illum liberet, aut non liberet, ſcrutetur qui poteſt judiciorum ejus tam magnum profundum, verumtamen caveat præcipitium: Numquid enim eſt iniquitas apud Deum? abſit. Sed inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus. Et epiſt. 106. Quia in re nimis alta & inſcrutabilia ſunt judicia Dei, &c. Vide in illis epiſtolis plura. Quibus docet, omnes homines reos naſci originalis peccati, & propter illud juſtæ damnationi ſubjacere, nec inde omnes, ſed quoſdam liberari, nullo ſuo merito, ſed mera liberantis gratiâ; reliquos autem irreprehenſibili juſtitia in damnatione relinqui. Concedit etiam, epiſt. 106. ſi Deus quenquam immeritum & nulli obnoxium peccato damnare credatur, alienum ab iniquitate non credi. Quamvis enim in fine libri illius de prædeſtinatione & gratia, in ſublimiorem contemplationem erigatur ſive Auguſtinus, ſive Fulgentius (quem hujus libri auctorem eſſe contendit Theophilus Raynaudus Jeſuita) ibidem tamen ſcriptor ille, & paſſim in ſuis operibus Auguſtinus prædeſtinationis, ſive electionis & reprobationis objectum ſtatuit maſſam peccato originali corruptam. Gratiam vero qua electos, ſeu ad vitam prædeſtinatos, credere facit Deus, & bene operari, & perſeverare, ſcribit Auguſtinus eſſe prædeſtinationis ſeu electionis effectum. lib. de prædeſtinatione ſanctorum, cap. 10. Neque eligi homines quia credunt, ſed eligi ut credant. eodem lib. cap. 17.

27. Ajebant etiam Pelagiani tolli liberum arbitrium, ſi credatur illud indigere auxilio gratiæ Dei, ut ſine gratia non habeat bonam voluntatem. Cui errori Auguſtinus opponit hanc aſſertionem catholicam, liberum eſſe arbitrium, etiamſi divino indiget adjutorio. epiſtol. 106. Item alibi; Quod enim (inquit) putant auferri ſibi liberum arbitrium, ſi nec ipſam bonam voluntatem ſine adjutorio Dei hominem habere conſenſerint, non intelligunt non ſe firmare humanum arbitrium, ſed impellere ut per inania feratur, non in Domino tanquam in petra ſtabili collocetur. Paratur enim voluntas à Domino. epiſt. 105.] Sic auctor hypognoſticon (tom. 7. operum Auguſt.) lib. 3. Eſt igitur (inquit) liberum arbitrium, quod quiſquis eſſe negaverit, Catholicus non eſt: & quiſquis ſic eſſe dixerit, quod ſine Deo bonum opus, id eſt, quod ad ejus ſanctum propoſitum pertinet, nec incipere nec perficere poſſit, Catholicus eſt. Vide Auguſt. epiſt. 107. & Enchirid. capp. 105. & 106. & lib. de gratia Chriſti, capp. 13. & 14. & lib. de gratia & libero de arbitrio, cap. 16. & lib. de correptione & gratia, cap. 1. & 8. & epiſtolam Concilii Carthaginenſis ad Innocentium, apud Aug. epiſt. 90. & Gelaſii epiſt. 7.

28. Alios etiam errores fuiſſe Pelagio in ſynodo Palæſtina objectos, & ab ipſo Pelagio, metu Eccleſiaſtici judicii, anathematizatas, refert Auguſtinus epiſtola 106. videlicet; Divites baptizatos, niſi omnibus abrenuncient, ſi quid boni viſi fuerint facere, non reputari illis, nec eos habere poſſe regnum Dei.

Item; Filios Dei non poſſe vocari, niſi omnino abſque peccato fuerint effecti.

Item; Victoriam noſtram non ex Dei adjutorio eſſe, ſed ex libero arbitrio.

Item; Quod pœnitentibus venia non detur ſecundum gratiam & miſericordiam Dei, ſed ſecundum meritum & laborem eorum qui per pœnitentiam digni fuerint miſericordiâ.

29. Iſtis quatuor erroribus opponit Auguſtinus has Catholicas poſitiones: Divites baptizatos, etiamſi divitiis ſuis non careant, & ſint tales quales ad Timotheum deſcribit Apoſtolus, dicens; Præcipe divitibus hujus mundi non ſuperbè ſapere, &c. [1. Tim. 6. 17, 18, 19.] non poſſe regno Dei poſſe privari.

Filios Dei vocari poſſe illos qui quotidie dicunt; Dimitte nobis debita noſtra: quod utique veraciter non dicerent, ſi eſſent omnimodo ſine peccato. *Contra errorem 23.*

Quando contra tentationes concupiſcentiaſque illicitas dimicamus, quamvis & illic habeamus propriam voluntatem, non tamen ex illa, ſed ex adjutorio Dei noſtram provenire victoriam. Non enim aliter verum fore, quod Apoſtolus ait; Non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. *Contra errorem 24.* *Rom. 9. 16.*

Secundùm gratiam & miſericordiam Dei veniam pœnitentibus dari, non ſecundum merita eorum: quandoquidem etiam ipſam pœnitentiam donum Dei dixit Apoſtolus, ubi ait de quibuſdam; Ne forte det illis Deus pœnitentiam. *Contra errorem 21.* *2. Tim. 2. 25.*

30. Quis enim te diſcernit? quid autem habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid glori aris ac ſi non acceperis? 1. Corinth. 4. 7. In nullo gloriandum, quando noſtrum nihil ſit. inquit Cyprianus, citante Auguſtino, lib. de bono perſeverantiæ cap. 17. ubi hoc dictum Cypriani ſubjungit ſententiæ illi Apoſtolicæ. Baſilius ait; [illegible] id eſt; In omnibus igitur quæ à nobis rectè fiunt, anima rectè facti cauſas in Deum referat, nihil omnino ſe reputans rectè facere ex propriis ſuis viribus. Hæc Baſilius Magnus, in Aſceticis, ſeu Monaſticis conſtitutionibus, capite decimo ſexto. *1. Cor. 4. 7.* *Nihil proprii viribus. Vide infra, cap. 10. § 1.*

31. Alium inſuper Pelagianorum errorem commemorat Hilarius, in epiſtola ad Auguſtinum de placitis quorundam Syracuſanorum, quæ extat inter epiſtolas Auguſtini, epiſt. 88. Dicebant, non debere jurare omnino. quem eorum errorem refellit Aug. epiſt. 89. ſub finem epiſtolæ. *26. Controverſia, De juramento.*

## CAPUT TERTIUM.

*De reliquiis Pelagianæ hæreſeos, ſive de Semipelagianis. ubi de origine & defenſoribus erroris Semipelagianorum, ejuſdemque oppugnatoribus præcipuis.*

Pelagiana igitur hæreſis (inquit Proſper epiſt. ad Ruffinum de libero arbitrio) quo dogmate Catholicam fidem deſtruere adorta ſit, impietatum venenis viſcera Eccleſiæ atque ipſa viſcera corporis Chriſti voluerit occupare; notiora ſunt quam ut opere narrationis indigeant. Ex his tamen una eſt blaſphemia nequiſſimum & ſubtiliſſimum germen aliarum, qua dicunt *gratiam Dei ſecundum merita hominum dari.* — nec aliud ſit gratia (*ſecundum Pelagianos*) quam lex, quam Propheta, quam doctor, cui circa omnes homines per univerſum mundum commune & generale ſit ſtudium, ut qui voluerint credant, & qui crediderint, juſtificationem merito fidei & bonæ voluntatis accipiant: ac ſi gratia Dei ſecundum hominum meritum tribuatur. Atque hoc modo gratia non ſit gratis. quia ſi meritis redditur, & non ipſa eſt bonorum creatrix, fruſtra gratia nominatur. Has autem verſutias, quibus ſe filii tenebrarum, in ſimilitudinem filiorum lucis transfigurare voluerunt, cum & Orientalium Epiſcoporum judicia, & Apoſtolicæ ſedis auctoritas, & Africanorum Conciliorum vigilantia deprehenderit: beatiſſimus quoque Auguſtinus, præcipua utique in hoc tempore portio Domini ſacerdotum, copiosè & pulchrè in multis voluminum diſputationibus deſtruxit: ut pote inter multa Dei dona, quibus illum abundantiſſimè Spiritus veritatis implevit, habens etiam hanc ſcientiæ & ſapientiæ ex Dei charitate virtutem, ut non ſolum iſtam adhuc in ſuis detruncationibus palpitantem, ſed etiam multas prius hæreſes invicto verbi gladio debellaret. Cui inter tot certaminum palmas, inter tot triumphorum coronas, ad illuminationem Eccleſiæ, & ad gloriam Chriſti, qua ipſe illuſtratus eſt præfulgenti, quidam noſtrorum (quod de ipſis multum dolendum eſt) occultis, ſed non incognitis ſuſurrationibus obloquuntur. Et prout ſibi noxias aliquorum aures opportunaſque repererint, ſcripta ejus quibus error Pelagianorum impugnatur infamant: dicentes, eum liberum arbitrium penitus ſubmovere, & ſub gratiæ nomine neceſſitatem prædicare fatalem. ——— Noverunt non ſolum Romanam, Africanamque Eccleſiam, & per omnes mundi partes univerſos promiſſionis filios cum doctrina hujus viri, ſicut in tota fide, ita in gratiæ confeſſione congruere: ſed etiam in ipſis his locis, (*id eſt, in Gallia*) in quibus adverſus eum querimonia concitatur, eſſe, propitio Deo, plurimos, qui ad perceptionem Evangelicæ Apoſtolicæque doctrinæ ſaluberrimis ejus diſputationibus imbuuntur. ——— De virtutum ſtudio exortum eſt (*illis Semipelagianis*) periculum, *Semipelagiani Pelagium cum Catholicis damnantes, ſed non plene, nec ſincerè.*

lum, & de morum probitate diſcrimen. Non quia quiſquam carere his debeat, ſed quia miſerrimus eorum uſus eſt, cum ex naturali putantur facultate prodiſſe, aut ex largitate quidem gratiæ, ſed aliquo vel boni operis, vel bonæ voluntatis merito præcedente veniſſe. Aſſerunt quidem hæc quibuſdam ſanctarum ſcripturarum teſtimoniis, ſed non rationabiliter adſumtis. Ad defenſionem enim alicujus definitionis ea promenda ſunt, quæ alteri intellectui, à quo videtur definitio diſſonare, non cedant, & eam regulam, cui ſunt aptata, non deferant. Hæc ibi.

*Regula de apta aſſumtione teſtimoniorum ſacræ Scripturæ.*

2. Idem Proſper, libro contra Caſſianum, qui contra Collatorem inſcribitur, capite undecimo, Quid (inquit) de eliſarum argumentationum ratiunculis fracta ſtudes arma colligere? quid cineres exſtinctis dogmatis [*Pelagiani*] refovendo, deficientis fumi nidorem in redivivam flammam conaris accendere? Et ejuſdem libri, cap. 1. Semipelagianos illos vocat fallaces calumniatores & hypocritas, quamvis ejuſmodi ſint, ut nec ordo eorum in Eccleſia, nec ingenia deſpicienda videantur.

*Vide ſupra, cap. 2. §. 2.*

3. Hinc jam præſentiſcere poteſtis Semipelagianorum mentem & doctrinam: ante cujus enucleatiorem propoſitionem præmittenda quædam videntur de præcipuis ejus defenſoribus & oppugnatoribus.

*Hiſtorica narratio de Semipelagianis.*

4. In Gallia, & præſertim in Maſſilienſi urbe, quidam ordine Eccleſiaſtico & moribus clari ita Pelagium ejuſque dogmata damnabant, ut tamen oppoſitam Auguſtini doctrinam improbarent, retinentes quædam Pelagii placita, perque eorum incautam & obſtinatam defenſionem, etiam illa quæ ipſi palam damnabant, occultis quibuſdam machinis atque itineribus in Eccleſiam revehentes. Ut patet ex epiſtolis Proſperi & Hilarii ea de re ſcriptis, & reſponſione Auguſtini, & diſputationibus Proſperi.

*Joannes Caſſianus Semipelagianus, cui ſe adjunxerunt quidam Galli.*

5. Eorum dux, & contradictionum iſtarum parens fuit Joannes Caſſianus, natione Scytha, qui fuerat diaconus Conſtantinopoli, tunc autem Maſſiliæ Presbyter erat. De quo Proſper lib. contra Collatorem, cap 2. Unius (inquit) potiſſimum definitiones, quem non dubium eſt illis omnibus in ſanctarum ſcripturarum ſtudio præſtare, referemus. —— Igitur in libro cujus prænotatio eſt, De protectione Dei, vir quidam ſacerdotalis ordinis, qui diſputandi uſu inter eos, quibuſcum degit, excellit, Abbatem quendam introducit de gratia Dei & libero arbitrio diſſerentem, &c. Huic ſe adjunxerunt quidam Galli.

*Contra Semipelagianos ſcribunt Proſper & Hilarius & Auguſtinus.*

6. His ſe oppoſuerunt Proſper tunc Presbyter, qui poſtea factus eſt Epiſcopus Rhegienſis, & Hilarius item Presbyter, qui factus eſt poſtea Epiſcopus Arelatenſis. Extant horum epiſtolæ de reliquiis Pelagianæ hæreſeos, ad Auguſtinum, tomo ſeptimo, operum Auguſtini, quibus Auguſtinum de Maſſilienſium doctrina certiorem fecerunt, ſumma ejus capita compendio referentes: quibus reſcribens Auguſtinus veritatem ſtrenue defendit, refutatis Semipelagianorum erroribus, inſigni illo opere. de Prædeſtinatione ſanctorum, & de bono perſeverantiæ. Eos libros tum ſcripſit cum aliorum ſuorum ſcriptorum retractationes ſcriberet, ut ipſe teſtatur poſteriore libro, qui eſt de bono perſeverantiæ, cap. 21. quos libros de prædeſtinatione ſanctorum & de bono perſeverantiæ, pari cum reliquis Auguſtini ſcriptis reverentia à Catholicis ſuſceptos & ab omnibus orthodoxis Eccleſiis comprobatos eſſe, patet non ſolum ex eis quæ de operum Auguſtini approbatione ſupra commemoravimus, cap. 1. ex Innocentio, & Proſpero, & Gelaſio, ſed etiam ex decreto ejuſdem Gelaſii in Concilio 70. Epiſcoporum, & Hormiſdæ Papæ epiſtola ad Poſſeſſorem Epiſcopum Afrum, & ex Fulgentii libro primo ad Monimum, & Maxentii reſponſione ad Epiſtolam Hormiſdæ, & ex Eccleſiæ Lugdunenſis libro de tenenda veritate Scripturæ, in bibliotheca Patrum, tom. 4. edit. 4. part. 2. col. 429.

7. Excerpſerunt ex eiſdem duobus Auguſtini libris, Auguſtino jam mortuo, quaſdam ſententias Camillus & Theodorus Presbyteri Genuenſes, quas ſibi exponi petierunt à Proſpero. Neque eam operam detrectavit Proſper, cujus exſtat adhuc liber reſponſionum ad excerpta Genuenſium.

8. Galli autem quidam Semipelagiani, odioſa quædam capitula ex eiſdem Auguſtini libris colligi poſſe calumniabantur, quibus (Auguſtino jam in cœleſtem patriam translato) reſpondit Proſper, libro reſponſionum ad capitula objectionum Gallorum calumniantium. ubi in præfatione ait, ſe in nullo recedere à tramite earum definitionum, quæ in ſancti Auguſtini diſputationibus continentur: ut facile vel tenuis diligentiæ advertat inſpector, quam injuſtis opprobriis Catholici prædicatoris memoria carpatur: & in quod peccatum cadant, qui aliena inſtigatione commoti, ſcriptorem celeberrimi nominis promtius habeant culpare, quam noſſe. Hæc ibi. De quo opere Fulgentius, libro primo ad Monimum, prope finem libri, ait: Non autem ignoramus etiam præterito tempore illi luculentiſſimo ſancti Auguſtini operi, quod ſcripſit de prædeſtinatione ſanctorum, à quibuſdam Gallis objectum, quod beatus Auguſtinus in aſſertione prædeſtinationis divinæ, peccatores non ad ſolum prædeſtinatos diceret judicium, ſed etiam ad peccatum. Cujus dicta, quia ipſe celeri præventus eſt obitu, Proſper, vir eruditus & ſanctus, recta defendit fide & copioſo ſermone. Ex quibus Gallorum capitulis, &c. —— Nos itaque, chariſſime, hæc interim pauca de libris ſancti Auguſtini, & de reſponſionibus Proſperi, ob hoc maluimus huic libello inſerere, ut cuncti noverint, quid debeant de prædeſtinatione ſanctorum impiorumque ſentire, ſimulque ut appareat ejuſdem beati Auguſtini dictis tenorem noſtræ ſententiæ convenire. Hæc Fulgentius.

9. Compellarunt etiam, poſt Auguſtini obitum, Proſper & Hilarius Cæleſtinum primum, Papam Romanum, qui doctrinæ Auguſtinianæ, ipſorumque adeo Proſperi & Hilarii eam acriter contra Semipelagianos tutantium ſuſcipiens patrocinium, ſcripſit illam pro Proſpero & Hilario, de gratia Dei, epiſtolam ad quoſdam Galliarum Epiſcopos, ex qua inſignem illam Auguſtini laudationem, doctrinæque ejus comprobationem commemoravimus ſupra, cap. 1. §. 7. in qua etiam epiſtola Cæleſtinus multa ſanæ doctrinæ capita explicat.

10. Vergente tamen eodem illo quinto ſeculo, Fauſtus in Gallia, ex Abbate Lirinenſi factus Epiſcopus Rhegienſis, opinioni Semipelagianorum ſe adſocians, doctrinam orthodoxam ab Auguſtino & Proſpero, & Hilario, & Cæleſtino aliiſque orthodoxis defenſam palam ſcriptis publicis damnavit. Extant ejus libri de libero arbitrio erroribus referti, in bibliotheca Patrum, tom. 4. edit. 4. quem tamen, ſicut Caſſianum, laudatorumque ſententiam de gratia & libero arbitrio ſententiæ Auguſtini & Proſperi antepoſuit ſcriptor ejuſdem ſeculi Gennadius Maſſilienſis Epiſcopus, in catalogo virorum illuſtrium. At multo rectius Gelaſius Papa Romanus & cum eo ſeptuaginta Epiſcopi in Concilio Romano, anno Domini 494. utriuſque, id eſt, tum Caſſiani, tum Fauſti iſtius Rhegienſis opuſcula in Apocryphorum catalogum retulerunt, atque ab Eccleſia eliminarunt. Auguſtini autem & Proſperi opera ut orthodoxa receperunt. quod eorum decretum extat etiam apud Gratianum, 15. diſt. can. Sancta Romana.



11. De ejuſdem etiam Fauſti dictis, de gratia Dei, Hormiſdam Papam Romanum conſuluit per literas Poſſeſſor Epiſcopus Afer, anno Domini 520. ad quem reſcribens Hormiſda, ait Fauſtum illum non recipi, quid autem de libero arbitrio & gratia Dei Romana ſequatur & aſſeveret Eccleſia, poſſe in variis libris beati Auguſtini & maxime ad Hilarium & Proſperum cognoſci. Extant hæ epiſtolæ in libro epiſtolarum Hormiſdæ, ſtatim poſt epiſtolam ſexageſimam nonam, in priore parte tomi ſecundi Conciliorum, edit. Binii Colon. & tom. 3. edit. Pariſ. Contra eundem Fauſtum ſcripſerunt, pro orthodoxa doctrina de gratia Dei, Avitus Viennenſis Epiſcopus, lucidiſſima fide, & Joannes vir eruditus Antiochenus Presbyter; ut monet Ado Epiſcopus Viennenſis, in Chronico, ad annum Domini 492. ubi apertè Gennadium ait in eo erraſſe quod Fauſti hujus ſenſus hac in parte Catholicos prædicarit. Joannem intellige Maxentium, quem fuiſſe Presbyterum Antiochenum, & egregie, in reſponſione ad epiſtolam Hormiſdæ, retelliſſe Fauſtum & Pelagianos, ſcribit Bellarminus, libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis. De alia autem controverſia quæ Maxentio & monachis Scythis fuit cum legatis Hormiſdæ ipſoque Hormiſda, ſupra diximus, lib. 5. cap. 21. ubi oſtendimus, deteriores fuiſſe partes Hormiſdæ. Extat autem illa Maxentii, ad epiſtolam Hormiſdæ reſponſio, cum aliis quibuſdam ejus ſcriptis, in bibliotheca Patrum, tomo quarto editionis quartæ. Neque aſſentiendum videtur iis qui putant ab Adone intelligi Joannem illum Antiochenæ Eccleſiæ Presbyterum, de quo meminit Gennadius in catalogo virorum illuſtrium. Nam neque ille Gennadio ab eximia doctrina laudatur, neque uſquam legitur ſcripſiſſe quicquam contra Fauſtum, aut de gratia Dei & libero arbitrio. quod conſtat feciſſe Maxentium, & quidem ita egregie id præſtitiſſe, ut merito eum Ado viri eruditi elogio ornarit. Contendit autem in illa ſua reſponſione Maxentius, libros Fauſti eſſe hæreticos, id quod ex libris Auguſtini ad Proſperum & Hilarium, imo ex ipſis divinis ſcripturis luculenter confirmat.

12. Adverſus eoſdem Fauſti illius errores ſcripſit ſanctus Fulgentius, Afer, Epiſcopus Ruſpenſis, teſte Iſidoro de viris illuſtribus, cap. 14. de quo Patre, ejuſque libro ad Monimum, de prædeſtinatione Dei, quem adhuc præ manibus habemus, ſic ſcribit Eccleſia Lugdunenſis, libro de tenenda veritate Scripturæ; Beatus quoque antiſtes & glorioſus confeſſor Fulgentius, de hac judicii in utramque partem præſcientia & prædeſtinatione egregium librum ſcribit: qui, ſicut & cætera ejus admiranda & veneranda ſcripta, ſemper ab Eccleſia fideliter receptus, & inter ſcriptores Eccleſiaſticos laudabiliter annumeratus eſt. Et nunc neſcimus qua ratione, immo infidelitate & contentione ſimul cum beato Auguſtino abjicitur, & ab eis qui Catholici videri volunt tales ac tanti viri Dei iniquiſſimè injuriati, & ſpreti velut quiſquiliæ & purgamenta conculcantur. Et eſt nimis mirabile, imo horribile, quomodo ut ſuis adinventionibus & ineptiis credatur exigant, cum ipſi beatiſſimos Patres & illuſtriſſimos doctores Eccleſiæ abjecerint: ac per hoc, niſi ſe citius corrigere ſtudeant, veriſſimè hæretici judicari poſſunt; qui fidei & charitati, & ſinceriſſimæ Patrum doctrinæ non communicant: ſed inſuper cum ipſis Scripturæ ſanctæ cœleſtem auctoritatem contemnunt. Nam ſi illum fideliſſimum, copioſiſſimum & florentiſſimum librum beati Fulgentii cum pietate & obedientia legere & intelligere ſtuduiſſent, profecto in hac obſcuriſſima quæſtione de præſcientia & prædeſtinatione divina, Deo aſpirante atque illuminante, nulla erroris caligo in eorum cordibus remanſiſſet. Hæc ibi, in bibliotheca Patrum, tom. 4. edit. 4. part. 2. col. 427. Librum autem illum Fulgentii ad Monimum hic laudari patet ex multis ſententiis, quas ibidem Lugdunenſes ex eo citant, quæ omnes in eo libro ἀυταλεξ(?) leguntur. Scripſit verò opus iſtud Eccleſia Lugdunenſis circa medium noni ſeculi, occaſione controverſiæ de Gotteſchalci doctrina, illo tempore agitatæ.

*Fulgentius & alii exules propter fidem Catholicam.*

13. Fulgentius autem, cum aliis orthodoxis Epiſcopis Afris, Traſamundi Vandalorum in Africa regis Ariani decreto in inſulam Sardiniam relegatus eſt, anno Domini 504. Interea turbantibus Eccleſiam duabus præſertim hæreſibus, Neſtoriana, & Pelagiana, miſſi ſunt Romam fidei cauſſa ex Oriente à Græcis Petrus diaconus, Joannes & Leontius monachi, & Joannes lector, & alii fratres. hi Romæ dum eſſent, librum ſcripſerunt ad Fulgentium & cæteros Epiſcopos cum eo in Chriſti confeſſione decoratos, continentem confeſſionem fidei ſuæ de incarnatione & gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, contra Neſtorianos, & Pelagianos, Pelagianæque hæreſeos reliquias. Extat liber ille cum operibus Fulgentii. Cujus libri initium ſic ſe habet; Utile & pernecesſarium, ſanctiſque Dei Eccleſiis ſpecialiter credimus profuturum, ea quæ de incarnatione & diſpenſatione divina, nobiſcum univerſæ ſanctæ Eccleſiæ Orientalium, defendunt contra hæreticos (qui pravis & iniquis argumentis antiquam Eccleſiæ fidem inquietare non ceſſant) ſanctitati veſtræ ſuggerere; atque de his conſenſum veſtræ beatitudinis ſuppliciter promereri. Eundem librum ſic claudunt, quorum omnium ſanctorum Patrum imbuti doctrinis, anathematizamus Pelagium & Cæleſtium, ſimulque etiam Julianum Edanenſem, & qui illis ſimilia ſapiunt: præcipuè libros Fauſti, Galliarum Epiſcopi, qui de monaſterio Lirinenſi profectus eſt; quos contra prædeſtinationis ſententiam ſcriptos eſſe, non dubium eſt. In quibus, non ſolum contra horum omnium ſanctorum Patrum, verumetiam contra ipſius Apoſtoli contradictionem veniens, humano labori ſubjungit gratiæ adjutorium: atque totam omnino Chriſti evacuans gratiam, antiquos ſanctos, non ea gratia, qua nos, ſecundum quod docet beatiſſimus Petrus Apoſtolus, ſed naturæ poſſibilitate ſalvatos, impiè profitetur. Hæc ibi.

*Vide ſupra, lib. 5, cap. 21.*

*Monachorum Scytharum teſtimonium contra libros Fauſti.*

14. Quibus reſpondentes Fulgentius & qui cum

*Monachi Scythæ reſpondent Fulgentius ejuſque Collegæ Epiſcopi Confeſſores, & cum iis conſentire ſe profitentur.*

cum eo erant Epiſcopi Afri, librum ejuſdem argumenti, videlicet de incarnatione & gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, ad eos ſcripſerunt, qui ſic prænotatur, Dilectiſſimis & in Chriſti fide atque gratia plurimum amplectendis ſanctis fratribus, Petro diacono, Joanni, Leontio, & alii Joanni, cæteriſque fratribus, quos una vobiſcum in cauſa fidei Romam directos literis intimaſtis, Dacianus, Fortunatus, Boethus, Victor, Scholaſticus, Vorontius, Vindicianus, Victor, Januarius, Victorianus, Photinus, Quodvultdeus, Fulgentius, Felix, & Januarius, in Domino ſalutem. Librum autem illum ſic ordiuntur, Beatus frater noſter Joannes Diaconus, à veſtra ſocietate directus, literas nobis, quas miſiſtis, habuit: quibus recenſitis, veſtram ſimul alacrem, & fidem cognovimus & ſalutem; imo, in agnitione fidei, veſtra nobis ſalus innotuit, &c. reliquo item libro plenam cum illis contra Neſtorianos & Pelagianos ac Semipelagianos ſeu Pelagianæ hæreſeos reliquias conſenſionem profitentur. Et ſpeciatim illam contra Fauſtum, prædeſtinationis ſeu Catholicæ de prædeſtinatione doctrinæ oppugnatorem, prolatam à legatis Orientalium ſententiam, atque adeo eorum de Semipelagianis judicium, haud obſcurè comprobant, dum in fine libri obſtinatos ejuſmodi prædeſtinationis adverſarios alienos eſſe pronunciant à regno Dei.

*Contra errores Fauſti ſcripſit Cæſarius Epiſcopus Arelatenſis, approbante Felice 4. Papa Romano.*

15. Aliquanto poſt, Romanæ Eccleſiæ præfectus eſt Felix quartus, anno Domini 526. vivente adhuc Fulgentio, Epiſcopo Ruſpenſi, & Eccleſiæ Arelatenſis in Gallia clavum tenente Cæſario, qui etiam opus de gratia & libero arbitrio ſcripſit contra errores Fauſti Rhegienſis, quod Cæſarii opus Felix Papa Romanus addita ſua epiſtola comprobavit, ut ex Gennadio & Honorio monent Baronius in annalibus anno Domini 529. & Binius in notis in Concilium Arauſicanum ſecundum, & Voſſius in ſua hiſtoria Pelagiana, libro primo, capite vigeſimo quarto. Præterea (ut teſtantur acta Concilii Arauſicani ſecundi, quod celebratum eſt contra Semipelagianos anno Domini 529. præſide eodem illo magno Cæſario Epiſcopo Arelatenſi, & Romanam adhuc Eccleſiam gubernante Felice) collegit Felix Papa Romanus ex antiquorum Patrum (præſertim verò beati Auguſtini) ſcriptis quædam capitula orthodoxa quæ Pelagianæ hæreſeos reliquiis ſive Semipelagianis oppoſuit, eaque ad Cæſarium Epiſcopum Arelatenſem alioſque cum eo Epiſcopos in Arauſica civitate ad dedicationem baſilicæ à Liberio Patricio conſtructæ congregatos, miſit, ut eadem decreto ſynodali & manuum ſuarum ſubſcriptione comprobarent, & opponerent erroribus eorum qui de gratia & libero arbitrio aliter quam oportet, ſeu non ſecundùm fidei Catholicæ regulam ſentiebant. Ita enim deſcribuntur Semipelagiani in actis illius Concilii, in præfatione, ubi narrationis hujus ſumma extat. Promulgati autem ſunt in eo Concilio, contra Semipelagianos, canones ſeu capitula viginti-quinque, quæ Epiſcopi illius Concilii ſub finem geſtorum vocant antiquorum Patrum & ſuam definitionem; & ſubſcribunt memoratus Cæſarius, & cum eo alii duodecim Epiſcopi, Julianus, Conſtantius, Cyprianus, Eucherius, Heraclius, Principius, Philagrius, Maximus, Prætextatus, Aletius, Lupercianus, Vindemialis. & poſt eos quidam illuſtres ac magnifici viri, quorum nomina legere eſt in geſtis Concilii, quæ extant in tomis Conciliorum; & cum operibus

*Felix 4. Papa Romanus ſcripſit contra errores Semipelagianorum.*

*Quadam deſcriptio Semipelagianorum.*

*Synodus Arauſicana ſecunda damnat errores Semipelagianorum.*

Proſperi in editione Colonienſi anno Domini 1609. Canones ipſos invenies etiam in ſumma Carranzæ, qui cum primo Concilio Arauſicano, Leonis I. Papæ Rom. tempore habito, hoc ſecundum confundit, quod & ab aliis perperam factum.

16. Ex illo ſopita jacuit Pelagiana hæreſis cum ſuis reliquiis, uſque ad tempora Joannis IV. PP. Rom. quem eidem hæreſi apud Scotos repullulanti, reſtitiſſe ſupra monuimus, ex Beda, in fine 1. capitis, & ſediſſe anno Dom. 640. Poſtea in Hiſpania recruduit idem malum, circa annum Domini 790. eaque occaſione Hadrianus primus Papa Romanus, datis ad Egilam & omnes Hiſpaniæ Epiſcopos literis, commendavit illis ſcriptum quoddam beati Fulgentii, olim Ruſpenſis Epiſcopi, de illa controverſia, ut ex Carolino codice epiſtolarum Pontificalium, Ingolſtadii edito, anno Domini 1613. docet reverendiſſimus totius Hiberniæ primas Jacobus Uſſerius, in ſua continuatione hiſtoriæ Pelagianæ, cap. 1.

17. In flammam autem vehementem poſtea erupit de eiſdem quæſtionibus contentio, occaſione Gotteſchalci, inter Hincmarum Archiepiſcopum Rhemenſem cum ſuis complicibus, & Remigium Lugdunenſem, Egilmarum Viennenſem, Rodlandum Arelatenſem, Archiepiſcopos, quibus adhæſerunt in ea cauſa trium illarum provinciarum Epiſcopi, collaborante ea quam maximè Ebbone Gratianopolitano Epiſcopo, ut patet partim ex epiſtola Hincmari Rhemenſis quam ad Nicolaum primum Papam Romanum, ea de re ſcripſit, (quæ extat apud Flodoardum, lib. 3.) ubi fit etiam mentio ſynodi Moguntinæ, quæ contra Gotteſchalcum habita eſt, anno Domini 848. partim ex actis Concilii Valentini, quod à memoratis Remigio, & Egilmaro, & Rodlando, & Ebbone, aliiſque earum provinciarum Epiſcopis celebratum eſt, anno Domini 855. & ex hiſtoria Flodoardi.

18. Gotteſchalcus iſte (teſte Hincmaro, epiſtola ad Nicolaum) monachus fuit monaſterii Eccleſiæ Rhemenſis Orbei dicti, (Orbacum vocant;) hunc, Auguſtini & Proſperi, & Fulgentii aliorumque orthodoxorum Patrum doctrinam de prædeſtinatione & gratia Dei & libero hominis arbitrio liberè ac palam prædicantem, ſimulaverunt & damnarunt erroris & hæreſeos cujuſdam Prædeſtinatianæ Rabanus in ſynodo illa Moguntina, & poſtea Hincmarus in ſynodo Rhemenſi, qui etiam eum arcto carceri mancipavit, ubi annos plus quam viginti detentus, animam tandem exhalavit, immotus, & in veritatis profeſſione intrepida conſtans.

19. Cum Hincmarum ejuſque ſocios nimis apertè & inverecundè reliquias Pelagianæ hæreſeos, obtentu oppugnandi iſtius monachi, in Eccleſiam revocare velle perſpicerent Remigius aliique cum eo orthodoxæ veterum Patrum doctrinæ tenaces, ſynodum illam Valentinam celebrarunt, in qua capitula ab Hincmaro ejuſque ſynodo ſuſcepta rejiciunt & penitus explodunt, ut inutilia & noxia & erronea, veritati contraria. Cum eis etiam alia novemdecim capitula, ſyllogiſmis contra Gotteſchalci doctrinam concluſa à Johanne Scoto Erigena, quem adverſarii Gotteſchalci ad ſcribendum contra eum concitarant: in eis autem Scoti capitulis ſynodus Valentina ait commentum Diaboli potius quam argumentum aliquod fidei deprehendi. Approbat verò eadem Valentina ſynodus, & ſequi ſe profitetur ſynodum Arauſicanam ſecundam. Extant ſynodi



illius Valentinæ acta, tom. 3. Conciliorum, in poſteriore ſectione, partis primæ. edit. Bin. Colon. & tom. 6. edit. Pariſ.

20. Adverſus illa Scoti capitula prodiit etiam, nomine Eccleſiæ Lugdunenſis, liber ſcriptus (ut creditur) à Floro magiſtro, diacono Lugdunenſi, juſſu ejuſdem Eccleſiæ, ubi & ipſa Scoti verba inſeruntur, adjectâ luculenta refutatione. Extat liber hic, cum aliis quibuſdam ejuſdem Lugdunenſis Eccleſiæ ſcriptis, in bibliotheca Patrum, in ſecunda parte tomi quarti, editionis quartæ. Remigio & Floro in hac cauſa ſe adjunxit Rathramnus (qui vulgò Bertramus dicitur) monachus Corbejenſis, ut patet ex Flodoardo, lib. 3. hiſtoriæ Remenſis, cap. 15. ubi Hincmari ſcripta commemorans Flodoardus, ait eum compoſuiſſe volumen ingens de Prædeſtinatione Dei & liberò arbitrio contra quoſdam reprehenſores ſuos Epiſcopos, maximéque contra Goteſchalcum, atque Rathramnum monachum Corbejenſem.

*Rathramnus (vulgo Bertramus) monachus Corbejenſis.*

## CAPUT QUARTUM.

### *An ſit hæretica judicata doctrina Maſſilienſium, ſeu Semipelagianorum.*

EX ſuperiore hiſtoria manifeſtum eſt, non ſoli Maxentio, ſed etiam Petro diacono, univerſiſque cum eo Eccleſiis Orientalibus, Fulgentio inſuper & Epiſcopis Africanis, atque etiam Europæ Occidentalibus Eccleſiis, reliquias illas Pelagianæ hæreſeos judicatas eſſe hæreticas, anathemate dignas, & à ſenſu Catholico exitialiter alienas, ſi accederet pertinacia. Et huc facit ipſa illa nomenclatura reliquiarum Pelagianæ hæreſeos, quæ nihil aliud ſignificat, niſi ipſam Pelagianam hæreſin in quibuſdam ſui reliquiis adhuc durantem aut recrudeſcentem. ideo veteres orthodoxi contra eas ſcribentes, ſe ſcribere profitebantur contra hæreſin Pelagianam.

2. Neque tamen Rabanum & Hincmarum hæreticis accenſemus, quia (ut rectè monet Hincmarus in epiſtola ad Carolum Calvum Francorum regem, apud Flodoardum lib. 3. hiſtoriæ Eccleſiæ Remenſis, cap. 16. in fine capitis) non ſtatim hæreticum, quod ignoranter à fide ſentitur diverſum, ſi non fiat pertinaci contentione hæreticum. Profitetur autem idem Hincmarus, in alia ad eundem Carolum epiſtola, apud Flodoardum, eodem lib. cap. 15. ſe pro Catholicis agnoſcere Africanam & Arauſicam ſynodos, eoſque Patres qui à Gelaſio Papa Romano in Concilio 70. Epiſcoporum approbati ſunt, (in quibus ſunt Cyprianus, Baſilius, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Proſper, &c.) ipſoſque adeo qui eos approbarunt, Romanæ ſedis Pontifices, Innocentium, Zoſimum, Bonifacium, Cæleſtinum, Xyſtum, Gelaſium, &c. quique poſt Gelaſium vixit, venerabilem Bedam, &c. Et (inquit Hincmarus) ſi qui aliter quam iſti maturiore & ſaniore documento tenendum docuerunt, dogmatizant aut dogmatizare præſumſerunt, totum ducimus fidei & ſaluti adverſum, quicquid ab eorum ſalubri doctrina conſtat eſſe diverſum. Hæc ille: ſubſumo; atqui ex eodem Gelaſii canone, & ex ipſa collatione, conſtat doctrinam Caſſiani & Fauſti Regienſis de Prædeſtinatione Dei, & gratia, & libero arbitrio, diverſam eſſe ab orthodoxorum illorum Patrum doctrinâ, eidemque repugnantem; unde efficitur, ex ipſa Hincmari confeſſione, illam Caſſiani & Fauſti doctrinam eſſe fidei & ſaluti adverſam, id eſt, hæreticam. Subdit paulò poſt, in eadem epiſtola Hincmarus, de eiſdem orthodoxis Patribus adhuc loquens; Denique (inquit) ſi talium, ut diximus, ſententiis concordari capitula quæ excerpſimus, demonſtrare non potuerimus; parati ſumus doctioribus & Catholicis aurem accommodare, ſenſum ſubdere, & ſine contentione nos doctrinæ illorum ſubjicere. Hæc Hincmarus. Eadem proculdubio mens Rabani, qui Gotteſchalcum ad Hincmarum miſit.

3. Et hos tantos viros in hanc concertationem incautos pertraxiſſe videtur metus ſcandali in rudis populi animis, ſi permitteretur Gotteſchalcus palam de tantis myſteriis intempeſtivos eis injicere ſcrupulos, & præpoſtero ordine coram Paganis prius de prædeſtinatione quam de pœnitentia concionari: ut patet ex epiſtola ea de re ſcripta ad Lugdunenſem Eccleſiam, cujus verba refert Lugdunenſis Eccleſia, lib. de tribus epiſtolis, paullò poſt initium libri, in bibliotheca Patrum, in ſecunda parte tomi quarti, editionis quartæ, columna 349. & 350. ubi reſpondet Eccleſia Lugdunenſis, incredibile videri, Gotteſchalcum tam importunè & præpoſterè in prædicando barbaris Evangelio ſe geſſiſſe. Et poſtea, elucidata prolixius orthodoxa doctrina, quam Gotteſchalcus turbatur; Hoc (inquit Eccleſia Lugdunenſis, col. 360.) & divinarum ſcripturarum veritas, & ſanctorum atque orthodoxorum Patrum auctoritas conſonanter annunciant, indubitanter nobis credendum & tenendum inculcant. Quapropter etſi illius miſerabilis monachi improbatur levitas, improbatur temeritas, culpatur importuna loquacitas, non ideo divina neganda eſt veritas. quia juxta præmiſſam Catholicæ fidei rationem, omnipotens Deus ante conſtitutionem mundi, antequam quicquam faceret à principio certis & juſtis atque immutabilibus cauſis æterni conſilii ſui quoſdam prædeſtinaverit ad regnum gratuitâ bonitate ſua, ex quibus nemo ſit periturus, protegente miſericordia ſua; & quoſdam prædeſtinaverit ad interitum juſto judicio ſuo, propter meritum quod præſcivit impietatis eorum: ex quibus nemo poſſit ſalvari, non propter violentiam aliquam divinæ poteſtatis, ſed propter indomabilem & perſeverantem nequitiam propriæ iniquitatis. quid ergo reſtat, niſi ut ſi aliquid aliter ſapuimus, hoc nobis Deo revelante humiliter abnuamus, & clareſcentem veritatem fideliter amplectamur: quia, ut Apoſtolus docet, non debemus poſſe aliquid adverſus veritatem, ſed pro veritate. Hæc ibi. 2. Cor. 13. 8.

*Gotteſchalci, & Eccleſiæ Lugdunenſis doctrina de Prædeſtinatione.*

## CAPUT QUINTUM.

*Semipelagianorum cum Catholicis conſenſiones : & ab eiſdem diſſenſionum ſumma.*

SEmipelagianorum placita legere eſt in epiſtolis Proſperi & Hilarii ad Auguſtinum, aliiſque ſcriptis ſuperius citatis. Quædam autem fuerunt capita de quibus cum orthodoxis ſentire ſe profitebantur, Pelagiumque erroris damnabant.

*Capitula conſenſionum.*

1. Agnoſcebant originali peccato obnoxium naſci omnem merum hominem, ab Adamo originem trahentem.

2. Neminem per opera ſua, ſed per Dei gratiam regeneratione ſalvari. Hæc duo commemorat Proſper in epiſtola ad Auguſtinum.

3. Ad nullum opus bonum vel incipiendum vel perficiendum ſibi quemquam ſufficere. refert Hilarius in epiſtola ad Auguſtinum.

4. Dicebant profanam eſſe eorum opinionem, qui totum libero arbitrio deputantes, gratiam Dei diſpenſari ſecundùm meritum uniuſcujuſque definiunt. Caſſianus apud Proſperum, lib. contra Collatorem, cap. 37.

Verum ex aliis quæ probabant ac docebant, convincebantur in hunc ipſum damnatum Pelagii errorem recidere, nempe gratiam Dei ſecundum merita hominum dari, ſicut ex ipſorum placitis demonſtrant Auguſtinus, lib. de prædeſtinatione ſanctorum, cap. 2. & Proſper lib. contra Collatorem, cap. 6.

Age igitur ea adferamus, de quibus à Catholicis diſſentiebant, cum Pelagio callidè conſpirantes. Summa eſt; Humano velificantes arbitrio, negabant prædeſtinationem & gratiam Dei, prout à Catholicis definiebantur ac defendebantur.

Sed præſtat ad ſpeciales deſcendere articulos.

## CAPUT SEXTUM.

*Prima diſſenſio, ſeu primus articulus de quo Semipelagiani à Catholicis diſſentiebant: nempe, De gratia Dei, & merito humano.*

*Hilarius Arelatenſis, epiſt. ad Auguſtinum, de reliquiis Pelagianæ hæreſeos. [tom. 7. operum Auguſtini.] Meritum fidei.*

COnſentiunt (inquit Hilarius in epiſtola ad Auguſtinum) omnem hominem in Adam periiſſe, nec inde quemquam poſſe proprio arbitrio liberari. Sed id conveniens aſſerunt veritati vel congruum prædicationi, ut cum proſtratis & nunquam ſuis viribus ſurrecturis annunciatur obtinendæ ſalutis occaſio, eo merito quo voluerint & crediderint à ſuo morbo ſe poſſe ſanari, & ipſius fidei augmentum, & totius ſanitatis ſuæ conſequantur effectum. Cæterum ad nullum opus vel incipiendum, nedum perficiendum, quemquam ſibi ſufficere poſſe conſentiunt: neque enim alicui operi curationis eorum annumerandum putant, exterrita ſupplicii metu voluntate, unumquemque ægrotum velle ſanari. Quod enim dicitur, crede & ſalvus eris; unum horum exigi aſſerunt, aliud offerri, ut propter id quod exigitur, ſi redditum fuerit, id quod offertur, deinceps tribuatur. Unde conſequens putant, exigendam ab eo fidem, cujus naturæ id voluntate conditoris conceſſum eſt: & nullam ita depravatam vel extinctam putant, ut non debeat vel poſſit ſe velle ſanari. Propter quod ut ſanetur quis à ſua, vel ſi noluerit cum ſua ægritudine puniatur. Nec negari gratiam ſi præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantum medicum quærat, non autem quicquam ipſa jam valeat. Nam illa teſtimonia, ut eſt illud, Sicut unicuique partitus eſt menſuram fidei: ut ſimilia, ad id volunt valere, ut adjuvetur qui cœperit velle, non ut etiam donetur ut velit; rejectis ab hoc dono aliis pariter reis, & qui poſſent ſimiliter liberari, ſi ea quæ pariter indignis præſtatur credendi voluntas, etiam ipſis ſimiliter præſtaretur. Si autem, ajunt, dicatur vel talem [*voluntatem*] omnibus remanſiſſe, qua vel contemnere quis valeat vel obedire: de compendio putant rationem reddi electorum & rejectorum, in eo quod unicuique meritum propriæ voluntatis adjungitur. Cum autem dicitur eis, quare aliis vel alicubi prædicetur, vel non prædicetur: vel nunc prædicetur, quod aliquando pene omnibus, ſicut nunc aliquibus gentibus non prædicatum ſit: dicunt id præſcientiæ eſſe divinæ, ut eo tempore & ibi & illis veritas annunciaretur & annuncietur, quando & ubi prænunciabatur [*præſciebatur*] eſſe credenda. Hæc ibi.

*Sic legendum, non autem [Non conſequens.]*

*Voluntas gratiam præcedens, ſecundùm erroneam doctrinam Semipelagianorum. Vide infra, cap. 10. §. 1. Rom. 12. 3.*

*Meritum propriæ voluntatis.*

2. De iiſdem Proſper in epiſtola ejuſdem argumenti ad eundem Auguſtinum: Quidam verò (inquit) horum in tantum à Pelagianis ſemitis non declinant, ut cum ad confitendam eam Chriſti gratiam, quæ omnia prævenit merita humana, cogantur, ne ſi meritis redditur, fruſtra gratia nominetur; ad conditionem hanc velint uniuſcujuſque hominis pertinere, in qua eum nihil prius merentem, quia nec exiſtentem, liberi arbitrii & rationalis gratia Creatoris inſtituat, ut per diſcretionem boni & mali, & ad cognitionem Dei, & ad obedientiam mandatorum ejus poſſit ſuam dirigere voluntatem: atque ad hanc gratiam qua in Chriſto renaſcimur, pervenire, per naturalem ſcilicet facultatem, petendo, quærendo, pulſando, ut ideo accipiat, ideo inveniat, ideo introeat, quia bono naturæ benè uſus, ut ad iſtam ſalvantem gratiam initialis gratiæ ope meruerit pervenire. —— Et conſequens putant, ut quia prævaricator ideo dicitur non obediſſe, quia noluit: fidelis quoque non dubitetur ob hoc devotus fuiſſe, quia voluit: & quantum quiſque ad malum, tantum habeat facultatis ad bonum, parique momento animum ſe vel ad vitia, vel ad virtutes movere: quem bona appetentem, gratia Dei foveat; mala ſectantem damnatio juſta ſuſcipiat. —— gratiam Dei, comitem, non præviam humanorum volunt eſſe meritorum. —— Hanc ſanè de humanis meritis præſcientiam Dei, ſecundum quam gratia vocantis operetur, multo ſibi rationabilius videntur



adſtruere, cum ad earum nationum contemplationem venitur, quæ vel in præteritis ſeculis dimiſſæ ſunt ingredi vias ſuas, vel nunc quoque adhuc, &c. —— Præviſos inquiunt à Domino credituros: & ad unamquamque gentem ita diſpenſata tempora ac miniſteria magiſtrorum, ut exortura erat bonarum credulitas voluntatum. —— Itaque quantum ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam: quantum autem ad arbitrii libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo ſponte crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint. —— Priorem volunt eſſe obedientiam hominis, quam gratiam Dei. Hæc Proſper.

3. Caſſianus, apud Proſperum libro contra Collatorem, hanc adhibet diſtinctionem, ut in aliis voluntas humana præveniat gratiam divinam, in aliis verò gratia voluntatem; & horum quidem ait Deum eſſe Salvatorem, illorum verò ſuſceptorem. adjacere autem homini in quamlibet partem arbitrii libertatem, qua gratiam Dei poſſit vel negligere vel amare. Neque ita ad Deum omnia ſanctorum merita referenda, ut nihil niſi id quod malum atque perverſum eſt, humanæ adſcribamus naturæ. Hæc Caſſianus.

4. In eandem ſententiam Fauſtus Regienſis, libro primo de gratia & libero arbitrio, capite ſeptimo. Sicut (inquit) ad Deum largitio remunerandi, ita ad hominem devotio reſpicit inquirendi; —— Prima itaque vocatio compendium fidei requirit à nobis, &c. Et cap. 9. Si quis (inquit) vult poſt me venire, abneget ſeipſum ſibi, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me: hoc eſt dicere, Meæ miſerationis eſt ut voceris, ſed tuæ voluntati commiſſum eſt ut ſequaris. Et capite decimo ait: Omni homini à Deo conceſſam eſſe arbitrii poſſibilitatem, qua ei promtum eſſet carni ſuæ reſiſtere, & diabolo repugnare. Et capite undecimo. Omni homini ineſſe facultatem bonæ voluntatis. Et capite decimo tertio. Ita (inquit) hæc elocutio intelligenda eſt, Miſerebor cui voluero, id eſt, quem juſtum eſſe cognovero, cujus promtam fidem videro, quem præceptis meis obedire perſpexero, quem meam facere probavero voluntatem. Et miſericordiam, inquit, præſtabo cujus miſerebor: quod ita intelligendum eſt; qui conlatam à Deo miſericordiam ſubdita & ſollicita mente ſervaverit, ampliorem miſericordiam conſequetur. Et capite decimo ſeptimo. Semper (inquit) gratiæ ſubjiciamus laborem, & ſemper gratiam cum labore ſociemus. Sed ante omnia arrogantiam laboris refugiamus, nec nobis quicquam de ejus meritis vindicemus, ne Pharisæum imitari mortifera jactantiæ præſumtione videamur. Nam cum ille orans, indubitanter verum diceret, jejuno bis in ſabbato, decimas do omnium quæcunque poſſideo, evacuavit veri fidem, quia veritati miſcuit vanitatem. Non ergo operatio, ſed cordis elatio declinanda eſt. Nemo, inquit, venit ad me, niſi Pater attraxerit eum. Numquid velut inſenſibilis & inepta materies de loco ad locum movendus eſt & trahendus? Sed adſiſtenti & vocanti Domino, famulus manum fidei, qua attrahatur extendit; & dicit, Credo Domine, adjuva incredulitatem meam. Et ita ſe duo iſta conjungant, attrahentis virtus, & obedientis affectus: quomodo ſi æger aliquis adſurgere conetur, & ſaucius animum non ſequatur, & propterea ſibi porrigi dextram deprecetur. Clamat voluntas, quia ſola per ſe elevari neſcit infirmitas. Ita Dominus invitat volentem, attrahit deſiderantem, erigit adnitentem. quid eſt autem attrahere, niſi prædicare, niſi ſcripturarum conſolationibus excitare, increpationibus deterrere, deſideranda proponere, intentare metuenda, judicium comminari, præmium polliceri? —— dicit, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos: ne ullus ſe excuſare poſſit excluſum, qui convincitur invitatus. Licet enim non omnes obedientiam exhibituros eſſe prænoſceret, omnibus tamen & velle & poſſe donaverat. —— Sed is quem perſpicis attrahentem, requirit omnimodis præcepta ſervantem, ut per quandam voluntatis anſulam comprehendi & attrahi valeat qui vocatur. Et ſupra, eodem lib. 4. Cum (inquit) dixerint totum Gratiæ Dei eſt; quis non ad tam reverendum nomen omni cordis inclinetur affectu? Sed cum reſponderimus, totum planè gratiæ eſt, ſed omnibus eam offert atque ingerit ad ſalutem. Et cap. 10. Non ergo æquum juſtumque uni velle conceſſit, alteri denegavit. Sed ſicut omni homini manum, oculum, greſſumque donavit, ita ſimiliter omni homini voluntatem, ut eam in quamlibet partem verſaret, indulſit. Hæc Fauſtus, qui etiam aliter ſentientes ac docentes vocat hæreticos & impios, in illo opere paſſim.

*Matth. 11. 28.*

*Fauſtus ait, omnibus & velle & poſſe datum eſſe.*

*Anſula. Totum gratia eſt.*

*De viribus liberi arbitrii.*

5. De Fauſto etiam ejuſque ſociis obſervandum, quod, aliorum hæreticorum more, abſurdas quaſdam aſſertiones Catholicis calumnioſè tribuerint, quarum facilis erat & plauſibilis refutatio, ut ita ipſis veris Catholicorum aſſertionibus odium conciliarent. cum tamen abſurditates illas ipſi Catholici rejicerent ac refutarent.

*Semipelagianorum calumnioſa vaſrities.*

6. Quidam in Africa monachi Adrumetini, ſcripta Auguſtini ſuſcipientes, quę pro gratia Dei contra elatos liberi arbitrii aſſertores ediderat, in eum lapſi ſunt ab Auguſtini mente alieniſſimum errorem, ut quando gratia defenditur, negari exiſtimarent liberum arbitrium. & obtentu defendendæ gratiæ eouſque negarent liberum arbitrium, ut dicerent, non eſſe corripiendos aut arguendos errantes & tranſgreſſores, ſed tantummodo proponendum ſeu præcipiendum eis quid facere debeant, & pro eis orandum ut faciant. Monachos iſtos Adrumetinos vocat Auguſtinus lib. 2. retr. c. 66. quos à pernicioſo iſto errore, alioque contrario errore Auguſtinus, ſcriptis ad eos epiſtolis 46. & 47. & lib. de gratia & libero arbitrio. & libro de correptione & gratia, facile dimovit. Non tamen puduit poſtea Fauſtum Regienſem, hoc tanquam Auguſtini omniumque cum eo de prædeſtinatione & gratia Dei ſentientium commune placitum ſibi oppugnandum aſſumere, quod, ſcilicet, ad cultum Dei atque famulatum, etiam poſt baptiſmi ſalutare donum, devotæ ſervitutis obedientia non requiratur, ſed ſola per ſe gratia effectum humanæ ſalutis operetur, homine ipſo interim ab omni exercitio virtutis alieno, nec habente liberum arbitrium, nec in prolatione fructuum juſtitiæ vel ſentiente vel conſentiente. Fauſt. lib. 1. de gratia & libero arbitrio, cap. 1. & cap. 3. & cap. 8.

*Error Monachorum Adrumetinorum.*

*Fauſti impudens calumniandi libido.*

7. Ad hunc articulum referenda eſt illa Caſſiani aſſertio, de laudata à Domino Centurionis fide, Miratur enim Dominus (inquit Caſſianus) atque collaudat, cunctiſque illis qui in Iſraelis populo crediderant, præfert, dicens, Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Iſrael,

*Matth. 8. 10. Perverſus ſenſus Caſſiani.*

Iſraël. Nullius enim laudis eſſet ac meriti, ſi id in eo Dominus quod ipſe donaverat prætuliſſet. Hæc Caſſianus apud Proſperum, lib. contra Collatorem, capite trigeſimo nono, definitione undecima; ubi ſtatim ſubjicit Proſper: Impius ſenſus qui putat beatiorem eſſe hominem, cui Deus nihil dederit, quam cui univerſa contulerit. Hæc ibi. Prolixius autem refellit eandem Caſſiani aſſertionem Proſper, eodem libro, cap. 36.

*Eum refellit Proſper. Vide Tr... dam in Evang. Marci, cap. 4. v. 6. Inconſtantia Semipelagianorum ſibi ipſis contradicentium.*

8. Quamvis autem & iſtic Caſſianus, & alibi cum eo alii Semipelagiani, meriti vocem uſurpent, & doceant hominem prævia ſua credulitate & voluntate mereri gratiam Dei, proteſtatione tamen contraria facto, dum Pelagiani dogmatis invidiam reformidant, clamant ſe longè abeſſe à profana illa opinione, quæ dicit gratiam Dei dari ſecundum hominum merita. Audivimus Fauſtum, libro primo, capite decimo ſeptimo, monentem, ut arrogantiam fugiamus, nec nobis quidquam de ejus meritis vindicemus.

*Verba Caſſiani Semipelagiani.*

9. Sic ante eum Caſſianus, collatione decimatertia, de protectione Dei, capite decimo tertio, (apud Gerardum Joannem Voſſium, libro quarto hiſtoriæ Pelagianæ, parte prima, theſ. prima, in fine paginæ quadringenteſimæ ſextæ,) Quantumlibet (inquit) enisa fuerit humana fragilitas, futuræ retributioni par eſſe non poterit. Item; Et nihilominus gratia Dei perſeverat, dum exiguis quibuſdam parviſque conatibus tantam immortalitatis gloriam, tanta perennis beatitudinis dona inæſtimabili tribuit largitate. Et capite decimo quarto. Dicimus ſecundum Salvatoris ſententiam, dari quidem petentibus, & aperiri pulſantibus, & à quærentibus inveniri: ſed petitionem, & pulſationem, & inquiſitionem noſtram non eſſe condignam, niſi miſericordia Dei id quod petimus dederit. Et capite decimo ſexto. Nemo autem exiſtimet hæc à nobis ob hoc fuiſſe prolata, ut nitamur adſtruere ſummam ſalutis in noſtræ fidei ditione conſiſtere, ſecundum quorundam profanam opinionem, qui totum libero arbitrio deputantes, gratiam Dei diſpenſari ſecundum meritum uniuſcujuſque definiunt. Hæc Caſſianus.

*Proſper confutat Caſſianū, & contradictionem ejus convincit.*

10. Ad Caſſiani verba, proximè jam citata, reſpondens Proſper, libro contra Collatorem, capite trigeſimo ſeptimo. Sed miror (inquit) valde, quomodo non vides, aut ab aliis exiſtimas non videri, quod teipſum tuo ore condemnas. ——— quomodo hoc vulnus declinabis, quo teipſum configis, pronunciando eos profanos, qui gratiam diſpenſari ſecundum merita humana definiant: & aſſerendo, quod nec laudem conſtet habere, nec meritum eos, qui ex dono gratiæ ſint fideles. quoquoverſum ergo te conferas, à teme ipſo & vinceris & vinceris. Si enim gratiam merita non præcedunt, & fides non poteſt eſſe ſine meritis: fides gratiam non præcedit. Et omni modo ex gratia habetur, quicquid illud eſt ex quo meritum naſcitur, quod ante gratiam non habetur. Hæc ibi Proſper.

11. Alibi etiam in eadem collatione Caſſianus ſibi ipſe apertè contradicit: dum primò ait; non ſolum actuum, verum etiam cogitationum bonarum à Deo eſſe principium; cum nobis & initia ſanctæ voluntatis inſpirare, & virtutem atque opportunitatem eorum quæ rectè cupimus tribuere peragendi. Omne enim datum bonum & omne donum perfectum desurſum eſſe, deſcendens à Patre luminum, qui & incipit quæ bona ſunt, & exſequitur, & conſummat in nobis. (hanc Proſper vocat definitionem catholiciſſimam, libro contra Collatorem, capite tertio.) Poſtea autem idem Caſſianus docet, multos ad gratiam venire ſine gratia, & affectum petendi, quærendi, atque pulſandi habere quoſdam de vigilantia liberæ voluntatis. Unde meritò exclamat Proſper, (capite quarto.) Doctor Catholice, cur profeſſionem tuam deſeris? cur ad fumoſam falſitatis caliginem relicta ſereniſſimæ veritatis luce devolveris? quod in petentibus, quærentibus, pulſantibusque miraris, cur non eidem gratiæ quæ defideratur adſcribis? Vides bonos conatus, pia ſtudia, & dubitas eſſe Dei dona? latuerit opus gratiæ donec fides inſita cogitationis claudebatur arcano: at ubi ſupplex oratio, ubi diligens inquiſitio, ubi apparet crebra pulſatio; quare non ex qualitate operis ſubminiſtrationem intelligis incitantis? Et ſatis te contra Pelagianorum calumnias præcavere exiſtimas, ſi quod in univerſitate vocatorum ſentiendum eſt, id nobis in portione concedas? Sed nec cum hæreticis tibi, nec cum Catholicis plena concordia eſt. Illi in omnibus juſtis hominum operibus, liberæ voluntatis tuentur exordia: nos bonarum cogitationum ex Deo ſemper credimus prodire principia: Tu informe neſcio quid tertium & utrique parti inconveniens reperiſti, quo nec inimicorum conſenſum acquireres, nec in noſtrorum intelligentia permaneres. Quomodo autem non advertis, te in illud damnatum incidere, quod velis nolis convinceris dicere, Gratiam Dei ſecundum merita noſtra dari, cum aliquid præcedere boni operis ex ipſis hominibus, propter quod gratiam conſequantur, affirmas? Non enim nullius meriti haberi poteſt petentis fides, quærentis pietas, pulſantis inſtantia: præcipuè cum omnes ejuſmodi & accipere, & invenire, & intrare dicantur. Hæc Proſper.





## CAPUT SEPTIMUM.

### *Admonitio de merito, de quo certant Papiſtæ.*

EX eis quæ ſuperiore capite, §. 8. & deinceps, dicta ſunt, patet inane eſſe quod Semipelagiani captabant effugium in extenuatione meriti præcedentis gratiam: unde vanam illam meriti congrui & condigni diſtinctionem hauſerunt Scholaſtici. Nam, incognita aut prorſus rejecta iſta diſtinctiuncula, Patres per bonum hominis meritum nihil in his controverſiis intelligunt, niſi illius officii præſtationem, cui ex benigna & gratuita Dei ordinatione & promiſſione ſuccedit gratia aliqua (*puta, augmentum gratiæ*) aut gloria. Tale meritum in homine ante acceptam prævenientem ſpecialem à Deo gratiam negabant Catholici, aſſerebant autem Semipelagiani.

2. Senſu autem memorato, bona fidelium per gratiam præſtita opera, licet imperfecta, appellabant Catholici merita, non ex intrinſeca dignitate operis, ſed ex benevola promiſſione & acceptatione Dei, opus illud à ſe imperatum & per gratiam ſuam præſtitum, licet imperfectum, gratioſè remunerantis mercede gratiæ ulterioris, aut gloriæ; miſericorditer ſimul, & juſtè, non ſecundum rigorem juſtitiæ permutativæ, ſed ſecundum immotum tenorem juſtitiæ conſtantiæ divinæ.

3. Conſentit Scotus, rationem meriti non in ipſo actu collocans, ejuſve intrinſeca bonitate quam habet ex ſuis principiis, ſed in mera gratuita ordinatione & acceptatione divina illius actus ad præmium, quod Deus ex mera liberalitate promittit & reddit, non ex debito ſtrictæ juſtitiæ reſpectu ipſius actus in ſe ſpectati, ſed ex mera liberalitate. in 1. ſent. diſt. 17. qu. 3. num. 25. & 26.

4. Non eſt autem par ratio meriti boni in homine peccatum in ſua carne circumgeſtante, ac meriti mali. Nam meritum malum, ſeu legis divinæ tranſgreſſio, (cum ea perfectè violetur lex Dei, bonum enim eſt ex integra cauſa, malum verò ex uno defectu) ordinatur ad mortem æternam ſecundum ordinem ſtrictæ juſtitiæ judiciariæ. At nullum meritum bonum, ſecundum eum ordinem ordinatur ad vitam æternam, niſi quod ex ſuis principiis habet intrinſecam perfectam immenſamque dignitatem, adeoque mercedi æqualem; quale eſt ſolius Chriſti meritum, cui propriè & ſimpliciter & ſtrictè ſumtum competit nomen meriti boni. Noſtræ autem obedientiæ id nominis impropriè, ſecundùm quendam modum & laxo quodam ſenſu tribuitur, quatenus ſignificat bonum opus hominis Deo in Chriſto dilecti, ex gratia Dei ortum, & quamvis imperfectum multiſque vitæ noſtræ nævis immundum, ad mercedem tamen ſupernaturalem ex gratuita Dei conſtitutione & promiſſione ordinatum. Quo ſenſu veteres Patres tribuebant fidelibus bona merita, neque nos refragamur. Ex ea autem ordinatione divina efficitur, ut poſito tali merito in homine, rectè inde colligamus certitudinem ſecuturæ mercedis: & ab tali antecedente procedat argumentatio (ex hypotheſi ordinationis divinæ, in ſcripturis revelatæ) ad illationem conſequentis. Boetius ait, Rerum quæ geruntur, illud propter quod unaquæque res geritur, ejuſdem rei præmium eſſe non injuria videri poteſt. Uti currenti in ſtadio, propter quam currimus, jacet præmium corona. Hæc ille, lib. 4. de Conſolatione Philoſophiæ, proſa 3. Nempe etiamſi illud præmium re geſta longè amplius & pretioſius ſit, & ex gratuita donantis liberalitate proponatur & conferatur. Quamvis latiùs ſe extendat vis hujus vocabuli, etiam ad ea præmia quæ præter vel ſupra exſpectationem adveniunt.

*Præmium.*

5. Inepti igitur Papiſtæ illi qui ex voce meriti veteribus uſurpata, & nexu talis meriti cum conſequente promiſſo bono, extruere conantur ſuperbam illam doctrinam de meritis condignis, quibus aiunt hominem, poſt primam juſtificationem, mereri de condigno vitam æternam. Nam etſi veteres bona opera juſtificatorum per Dei gratiam præſtita vocant merita, eaque à Deo coronari dicunt retributione æterna; non tamen intelligunt meritum propriè ac ſtrictè ſumtum ſeu condignum, ſed quale ſupra deſcripſimus, nec mercedem dari ex debito κατ' ὀφείλημα, propter intrinſecam & mercedi commenſuratam præcedentis meriti dignitatem, ſed ex gratia, κατὰ χάριν, ut diſtinguit Apoſtolus ad Rom. 4. 4.

*Refutatio doctrinæ Papiſticæ de meritis condignis, de qua Bellarm. lib. 5. de juſtificatione c. 16. & cap. 17.*

*Rom. 4. 4.*

6. Docent ipſi Papiſtæ, quamvis homo per fidem juſtificetur, tamen gratis eum abſque ullo ſuo merito juſtificari, quia (ut loquuntur Tridentini) nihil eorum, quæ juſtificationem præcedunt, ſive fides, ſive opera, ipſam juſtificationis gratiam promeretur. Si enim gratia eſt, jam non ex operibus: alioquin, ut idem Apoſtolus inquit, gratia jam non eſt gratia. Concil. Trident. ſeſſ. 6. in decreto de juſtificatione, cap. 8. Confer jam cum illis verba hæc Auguſtini: Poſſunt quidem [*Pelagiani*] dicere remiſſionem peccatorum eſſe gratiam, quæ nullis præcedentibus meritis datur. Quid enim habere boni meriti poſſunt peccatores? Sed nec ipſa remiſſio peccatorum ſine aliquo merito eſt, ſi fides hanc impetrat. Neque enim nullum eſt meritum fidei, qua fide ille dicebat, Deus propitius eſto mihi peccatori! & deſcendit juſtificatus merito fidelis humiliatus, quoniam qui ſe humiliat exaltabitur. Reſtat igitur ut ipſam fidem, unde omnis juſtitia ſumit initium, propter quod dicitur ad Eccleſiam in Cantico Canticorum, Venies & pertranſies ab initio fidei, non humano quo iſti extolluntur, tribuamus arbitrio, nec ullis præcedentibus meritis, quoniam inde incipiunt bona quæcunque ſunt merita, ſed gratuitum donum Dei eſſe fateamur, ſi gratiam veram, id eſt, ſine meritis cogitamus. Quia ſicut in eadem epiſtola legitur; Deus unicuique partitur menſuram fidei. Opera quippe bona fiunt ab homine, fides autem fit in homine, ſine qua illa à nullo fiunt homine. Omne enim quod non eſt ex fide, peccatum eſt. Auguſt. epiſt. 105. Item, ſi quis autem dixerit quod gratiam bene operandi fides meretur, negare non poſſumus, imo verò gratiſſimè confitemur, hanc enim fidem volumus habeant qua impetrent charitatem. ——— Qui ergo habent fidem qua impetrent juſtificationem, per Dei gratiam pervenerunt ad legem

*Pontificii docent juſtificationem ex fide eſſe gratuitam, abſque ullo merito illius qui juſtificatur.*

*Luc. 18. 13.*

*Patres docent eum qui per fidem juſtificatur juſtificari merito, & fidem mereri gratiam bene operandi.*

*Rom. 12. 3.*

*Quando meritum concedunt Patres alio ſenſu utuntur vocabulo meriti, quàm illud uſurpant Pontificii.*

juſtitiæ. Auguſt. epiſt. 106. Item ; Si autem vera erat publicani illius confeſſio, propter quam juſtificari etiam meruit, proculdubio vera erant peccata. lib. 2. contra epiſtolam Parmeniani, capite 12. His adde verba Proſperi, paulò ſuperius citata ex libro contra Collatorem, capite 6. Quo modo autem non advertis te in illud damnatum incidere, &c. Ex quibus manifeſtum eſt, ludere in re ſeria Papiſtas, quando patrocinium meriti condigni ab Auguſtino & aliis veteribus orthodoxis arceſſunt. Non enim aliud ſeu alterius ordinis meritum in operibus juſtificatorum ex fide præſtitis, agnoverunt illi Patres, quam in ipſa fide juſtificationem impetrante, & in peccatorum confeſſione juſtificationem præcedente: nempe meritum ex gratuita Dei ordinatione impetratorium promiſſi beneficii, non autem condignè meritorium: Quo merito impetratorio non obſtante beneficium promiſſum confertur merè gratuitò, ipſis fatentibus Pontificiis. Meritum autem condignum, quod tuentur Papiſtæ, non agnoverunt Patres, ſed illud apertè negarunt, ſicut ipſorum teſtimonia inferius recitata clamant.

*Suprà, cap. 4. §. 11.*

7. Reparatus & cæteri ducenti & ſeptemdecim orthodoxi Epiſcopi Africani, in ſua ad Joannem, hujus nominis ſecundum, Pontificem Romanum epiſtola [quæ exſtat cum epiſtolis ipſius Joannis, tom. 3. Concil. edit. Pariſ. pag. 852.] ſcribentes de libertate ſibi, poſt multorum annorum captivitatem Vandalicam, reſtituta ; In omnibus (inquiunt) lætitiæ ſpiritualis unus fuit affectus, agere gratias omnipotenti Deo, cujus gratia peccatoribus ſine meritis operum datur. Hæc illi, jam juſtificati, & gratias Deo agentes de gratis conceſſa illis gratia & liberatione, poſt primam juſtificationem.

*217. Epiſcoporum Africanorum liberatio.*

*Gratia etiam juſtificatis datur ſine meritis operum.*

8. Attamen ut fides ad juſtificationem (adultorum) eſt neceſſaria, ita poſt juſtificationem viatoribus adultis bona opera ſunt ad augmenti gratiæ promiſſæque hæreditatis ſeu vitæ æternæ conſequutionem neceſſaria; neceſſitate præcepti, & neceſſitate etiam medii à Deo inſtituti, ſeu itineris à Deo propoſiti & imperati, ut in eis operibus ambulantes perveniamus ad glorioſam metam, & gratuitam laboris noſtri mercedem, ſive aditionem promiſſæ hæreditatis. Deus enim in die judicii reddet unicuique ſecundùm operationem ipſius, κατὰ τὴν πρᾶξιν αὐτοῦ, Matth. 16. 27. ſecundum opera ſua, κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ, Rom. 2. 6. ὡς τὸ ἔργον αὐτοῦ ἔσται. Apocal. 22. 12. id eſt, ſecundùm qualitatem operum, (ut rectè exponit Gregorius, in expoſitione ſeptimi Pſalmi pœnitentialis) iis nempe qui bonum operati ſunt, retribuet gloriam & honorem & pacem, retributione miſericordiæ κατὰ χάριν. Operatoribus verò iniquitatis retribuet tribulationem & anguſtiam, retributione juſtitiæ & ſeveritatis ſecundùm qualitatem, nec non ſecundum meritum mali operis. Neque hic boni & mali operis par ratio eſt quoad meritum, ut ſuperius docuimus. Huc pertinent illa verba Auguſtini ; Non quia nullum eſt meritum, vel bonum piorum, vel malum impiorum : alioqui quomodo judicabit Deus mundum ; ſed miſericordia & gratia Dei convertit hominem, ut incipiat habere meritum bonum, quod Deus coronabit quando judicabitur mundus. Auguſt. epiſt. 46.

*Viatoribus adultis jam juſtificatis facienda ſunt bona opera.*

*Vide ſupra §. 2. & 3. & 4. Auguſt.*

9. Vitam autem æternam, quamvis aliquo ſenſu, ut ſupra oſtenſum, merces dici poſſit, maluit Paulus Apoſtolus appellare gratuitum Dei donum, τὸ χάρισμα τοῦ Θεοῦ, Rom. 6. 23. & miſericordiam à Domino in illo die. ἔλεος παρὰ κυρίου ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ. 2. ad Timoth. 1. 18. & Judas Apoſtolus eos qui ſe per Dei gratiam cuſtodierint in dilectione Dei, exſpectare jubet miſericordiam Domini noſtri Jeſu Chriſti in vitam æternam, τὸ ἔλεος τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς ζωὴν αἰώνιον. Jud. 21. Idque quatuor præſertim de cauſis. 1. Quia eſt gratia filiis Dei per Chriſtum Jeſum miſericorditer promiſſa ; ut ipſi loquuntur Tridentini, ſeſſ. 6. cap. 16. 2. Quia bona fidelium opera, quæ merita ipſorum dicuntur, ſunt revera dona Dei gratuita. Quapropter (inquit Auguſtinus) quando cœperit homo habere merita bona, non debet ſibi tribuere illa, ſed Deo. lib. de gratia & libero arbitrio, capite 6. Item ; Si ergo Dei dona ſunt bona merita tua, non Deus coronat merita tua tanquam merita tua, ſed tanquam dona ſua. Eodem libro, cap. 7. Item ; maluit Apoſtolus dicere ; gratia autem Dei vita æterna : ut hinc intelligeremus, non pro meritis noſtris Deum nos ad æternam vitam, ſed pro ſua miſeratione perducere, eodem libro, cap. 9. 3. Quia (ut loquitur Apoſtolus) οὐκ ἄξια, non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur nobis. Rom. 8. 18. Si enim centupla ſit earum retributio etiam in hac vita, νῦν ἐν τῷ καιρῷ τούτῳ, ſicut promiſit Dominus, Marc. 10. 30. Quam incomparabile ad omnes vitæ hujus paſſiones eſt illud ſecundum excellentiam excellens æternum pondus gloriæ, quod ex liberaliſſima & miſericordiſſima Dei ordinatione nobis operantur ſeu ad quod nos ducunt! τὸ γὰρ παραυτίκα ἐλαφρὸν τῆς θλίψεως ἡμῶν, καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν αἰώνιον βάρος δόξης κατεργάζεται ἡμῖν. 2. Cor. 4. 17. imo cum omnia fecerimus quæ injuncta ſunt nobis, non tanti eſt illud meriti ut propterea nobis Deus debeat vel gratiam habere; (Luc. 17. 9. 10.) nedum ut ideo nobis debeat tam excellentem retributionem. Quis enim noſtrum (inquit Ambroſius) ſine divina poteſt miſeratione ſubſiſtere? Quid poſſumus dignum præmiis facere cœleſtibus? quis noſtrum ita aſſurgit in hoc corpore, ut animum ſuum elevet, quo jugiter adhæreat Chriſto? quo tandem hominum merito defertur, ut hæc corruptibilis caro induat incorruptionem, & mortale hoc induat immortalitatem? quibus laboribus, quibus injuriis poſſumus noſtra levare peccata? Indignæ ſunt paſſiones hujus temporis ad ſuperventuram gloriam. Non ergo ſecundùm merita noſtra, ſed ſecundum miſericordiam Dei cœleſtium decretorum in homines forma procedit. Ambroſius in Pſalm. 118. Octonario 20. Reſh. in illa verba : Miſerationes tuæ multæ nimis, Domine ; ſecundum judicium tuum vivifica me.

10. Sic Joannes Chryſoſtomus, homil. 2. in epiſtolam ad Coloſſenſes; de fidelibus & ſanctis loquens : Nemo (inquit) talem vitæ converſationem oſtendit, ut regno dignus eſſe poſſit, ſed totum de ipſius dono eſt. Quapropter, &c. οὐδεὶς τοιαύτην ἐπιδείκνυται πολιτείαν ὥστε βασιλείας ἀξιωθῆναι, ἀλλὰ τὸ πᾶν αὐτοῦ δωρεᾶς ἐστὶ τὸ τοιοῦτον. διὸ καί φησιν, ὅταν πάντα ποιήσητε, λέγετε ὅτι ἀχρεῖοι δοῦλοί ἐσμεν. ὃ γὰρ ὠφείλομεν ποιῆσαι πεποιήκαμεν. Hæc Chryſoſtomus in verba illa Apoſtoli, τῷ ἱκανώσαντι ἡμᾶς, &c. Coloſſ. 1. 12. Et Theodoretus in epiſt. ad Rom. cap. 6. verſ. ult. in illa Apoſtoli verba; *Gratia autem Dei vita æterna in Chriſto*



*Jeſu Domino noſtro.* Hic (inquit) non dicit mercedem, ſed gratiam. Eſt enim Dei donum vita æterna. Etſi quis enim ſummam & abſolutam juſtitiam præſtiterit, temporalibus laboribus æterna in æquilibrio non reſpondent. Et in cap. 8. verſ. 18. in illa verba ; *Exiſtimo enim, quod non ſunt condignæ*, &c. Superant (inquit) certamina coronæ, non comparantur cum laboribus remunerationes : labor enim parvus eſt, ſed magnum lucrum ſperatur. Et propterea non mercedem, ſed gloriam vocavit ea quæ exſpectantur. Hæc ille. Ex gratia enim datur (inquit Fulgentius) non ſolum juſtificatis vita bona, ſed etiam glorificatis vita æterna. ——— Gratia autem etiam ipſa [vita æterna] ideo non injuſtè dicitur, quia non ſolum donis ſuis Deus dona ſua reddit, ſed quia tantum etiam ibi gratia divinæ retributionis exuberat, ut incomparabiliter atque ineffabiliter omne meritum, quamvis bonæ & ex Deo datæ, humanæ voluntatis atque operationis excedat. Hæc Fulgentius, lib. 1. ad Monimum, cap. 10.

*August.*

11. In eandem ſententiam Gregorius primus, Papa Romanus, in explanatione ſeptimi Pſalmi pœnitentialis (qui in Hebræo eſt Pſal. 143.) in illa verba ; *Auditam fac mihi mane miſericordiam tuam : quia in te ſperavi.* In illo autem mane (inquit) auditam faciet Dominus miſericordiam ſuam, cum ſegregatis juſtis ab impiis, ovibus ſcilicet ab hædis, dicet his qui à dextris ejus erunt ; Venite benedicti Patris mei, &c. ——— Quod ſi illa ſanctorum felicitas miſericordia eſt, & non meritis acquiratur, ubi erit quod ſcriptum eſt ; Et tu reddes unicuique ſecundum opera ſua? Si ſecundum opera redditur, quomodo miſericordia æſtimabitur? Sed aliud eſt ſecundùm opera reddere, & aliud propter ipſa opera reddere. In eo enim quod ſecundùm opera dicitur, ipſa operum qualitas intelligitur, ut cujus apparuerint bona opera, ejus ſit & retributio glorioſa. Illi namque vitæ beatæ, in qua cum Deo & de Deo vivitur, nullus poteſt æquari labor, nulla opera comparari ; præſertim cum Apoſtolus dicat ; *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* Quanquam & ex hoc quoque miſericordia jure poſſit nominari, Quia pro illis operibus datur, quæ ſine præventu miſericordiæ Dei nemo aſſequitur. Unde in Pſalmis dicitur ; Deus meus, miſericordia ejus præveniet me. Niſi enim vaſa iræ feciſſet vaſa miſericordiæ, neminem ab illa perditionis maſſa converſatio ſancta diſcerneret, neminem à pœna perpetuæ mortis juſtitia propria liberaret. Conſtat ergo quia quibus miſericorditer tribuit ut in hac vita benè operentur, eis miſericorditer largitur ut in æterna beatitudine centuplicato fructu remunerentur. Hæc Gregorius.

12. Objicit. Apoſtolus ait, 1. ad Cor. 3. *Unuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem.* Hinc contendit Bellarminus (lib. 5. de juſtificatione, cap. 3.) loca illa in quibus dicitur, Chriſtum in die judicii redditurum unicuique ſecundùm opera ſua, intelligenda eſſe ſecundùm menſuram & proportionem, & dignitatem & efficaciam operum. Reſpondeo ; ſequitur quidem ex iſto Apoſtoli effato, & ex parabola talentorum, dari operantibus bona inæqualem retributionem proportionaliter inæqualem ; at non ſequitur vel minorem vel majorem retributionem dari propter dignitatem operum, nam etiam in conferendis præmiis quæ dantur ex mera gratuita ordinatione & indulgentia remuneratoris, poteſt hujuſmodi proportionalitas ex eadem ordinatione locum habere, ut qui operanti unum aut minus opus daturus eſt ex ſua mera liberalitate & gratuita promiſſione remunerationem centies centuplam ; idem operanti plura aut majora opera multiplicet proportionaliter mercedem gratuitam, ut ſervetur inter duas mercedes relatas ad opera æqualitas proportionalitatis, hoc eſt, ut ſicut ſe habet merces minor ad opus minus, ita merces major ſe habeat ad opus majus ; quamvis inter neutrum opus ejuſdemque mercedem ſit æqualitas proportionis : ſed tantum ſimilitudo illa qualitatis, de qua nos monuit Gregorius.

13. Quarta ratio, cur vita æterna appelletur gratia & miſericordia, eſt, quia ii ſunt noſtri in exſequendis bonis operibus vitioſi defectus, & tot tantaque mala ſeu peccata conglomerat vitæ noſtræ tenor, ut omnibus in lance juſtitiæ divinæ poſitis, proſterni nos & humiliter veraciterq; exclamare neceſſe ſit, cum Davide ; Reminiſcere miſericordiarum tuarum Domine, Pſal. 25. 6. Si iniquitates obſervaveris Domine, Domine quis ſtabit? Pſal. 130. 3. Et ne intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens. Pſal. 143. 2. Et cum Daniele ; Non propter juſtitias noſtras, ſed propter miſerationes tuas multas. Dan. 9. 18. In multis enim offendimus omnes, ait Apoſtolus Jacobus, 3. 2. Si dixerimus nos peccatum non habere, nos ipſos fallimus, veritas in nobis non eſt, ait Joannes Apoſtolus, 1. Epiſt. 1. 8. Propterea Dominus eos orare juſſit pro remiſſione peccatorum ſuorum in illa jugi & quotidiana oratione, quam Dominicam appellamus, Origenes, in cap. 12. epiſtolæ ad Rom. verſ. 1. Nunc jam (inquit) non in meritis, ſed in miſericordia Dei ſalus humana conſiſtit. Hæc ille.

*Quarta ratio, cur vita æterna appellatur gratia & miſericordia, ſumitur ab operum noſtrorum defectibus & operantium vitioſitate.*

*Origenes.*

14. Hilarius, in Pſal. 118. in Coph. in illa verba ; vocem meam exaudi ſecundum miſericordiam tuam Domine, ſecundum judicium tuum vivifica me.] Diſcamus (inquit) modeſtiam ex dictis Prophetæ, tot ſuperioribus, clamore cordis, juſtificationum inquiſitione, cuſtodia teſtimoniorum Dei, & continentia juventutis, & antelucanæ meditationis vigiliis, & per hæc omnem in miſericordia Dei ſpem reponens. ---- Totum de Deo Propheta ſperat, totum ex miſericordia ejus exſpectat. Hæc Hilarius Epiſcopus Pictavienſis.

*Hilarius. Pſal. 119, 149.*

*Spes omnis in Dei miſericordia. Totum ex ea exſpectandum.*

15. Hieronymus ait ; Cum dies judicii vel dormitionis advenerit, omnes manus diſſolventur : quibus dicitur in alio loco ; confortamini manus diſſolutæ : Diſſolventur autem manus quia nullum opus dignum Dei juſtitia reperietur : & non juſtificabitur in conſpectu ejus omnis vivens. Unde Propheta dicit in Pſalmo ; Si iniquitates attendas Domine, quis ſuſtinebit? hæc Hieronymus. lib. 6. in Eſaiam, in caput 13. v. 6. & 7.

*Hieronym.*

*Noſtrum nullum opus dignum Dei juſtitia reperietur. Pſal. 143. & 130.*

16. Nemo ergo (inquit Ambroſius) ſibi arroget, nemo de meritis glorietur, nemo de poteſtate ſe jactet, ſed omnes ſperemus per Dominum Jeſum miſericordiam invenire. Quoniam omnes ante tribunal ejus ſtabimus. De illo veniam, de illo indulgentiam poſtulabo. Quæ enim ſpes alia peccatoribus? Ambroſ. in Pſal. 118. octonario 20. Reſh. in illa verba ; Vide humilitatem meam, & erue me, &c.

*Ambroſ. Spes omnis in Dei miſericordia per Dominum Jeſum. Rom. 14. 10.*

17. Auguſti-

*Auguſt.*

17. Auguſtinus in Pſal. 31. in præfatione. Si vis (inquit) eſſe alienus à gratia, jacta merita tua. Idem Auguſt. in Pſalm. 142. (qui in Hebræo textu eſt 143.) Noli ergo (inquit) intrare mecum in judicium Domine Deus meus, quantumlibet rectus mihi videar: producis tu de theſauro tuo regulam; coaptas me ad eam: & pravus invenior. Vide ibi plura, ubi docet locum hunc intelligendum eſſe de ipſis etiam Apoſtolis, omnibuſque aliis fidelibus. Idem in Pſalm. 129. (ſeu 130.) Si ergo cor caſtum non poteſt inveniri, quod præſumat de ſua juſtitia: præſumat omnium cor de miſericordia Dei. & dicat Deo; Si iniquitates obſervaveris Domine, Domine quis ſuſtinebit? Hæc Auguſtinus.

*Comm. præfat.*

*Præſumamus de Dei miſericordia, non de noſtra juſtitia.*

*Gregor. I. Papa.*

18. Gregorius ait; Ut enim ſæpe diximus; Omnis humana juſtitia, injuſtitia eſſe convincitur, ſi diſtrictè judicetur. Prece ergo poſt juſtitiam indiget, ut quæ ſuccumbere diſcuſſa poterat ex ſola judicis pietate convaleſcat. —— Etſi ad opus virtutis excrevero, ad vitam non ex meritis, ſed ex venia convaleſco. Hæc Gregor. lib. 9. expoſitionis moralis, in Job, cap. 14. Nec innocens, ſi diſtrictè diſcutior, apparebo. eod. lib. capite 19. Ipſa in nobis etiam bene geſta timeamus. eod. lib. cap. 25. vide etiam lib. 35. ejuſdem operis, cap. 3.

*Hildebertus Turonenſis.*

19. Hildebertus Epiſcopus Turonenſis (qui florebat circiter annum Domini milleſimum centeſimum) in fine ſui ſermonis ad paſtores, in illa Domini verba, apud Lucam in Euangelio, *Cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo.* Rogate, fratres, rogate Dominum meſſis, ut in die ventilationis ex miſericordia recondat vos in horreo ſuo. Quod neminem credimus aſſequi ex merito ſuo. Dominus dignetur noſter Jeſus Chriſtus hanc vobiſcum facere miſericordiam. Dignetur vos agnoſcere & amplecti familiam ſuam, cum venerit judicare vivos & mortuos & ſeculum per ignem. Hæc Hildebertus Cœnomanenſis, & poſtea Turonenſis, Epiſcopus. In Bibl. Patrum, tom. 3. edit. 4. col. 274.

*Luc. 12. 48.*

*Bernardus Claræval.*

20. Bernardus Claræuallenſis abbas, ſerm. 1. in annunciatione beatæ Mariæ; Neceſſe eſt (inquit) primo omnium credere, quod remiſſionem peccatorum habere non poſſis, niſi per indulgentiam Dei: deinde quod nihil prorſus habere queas operis boni, niſi & hoc dederit ipſe: poſtremo quod æternam vitam nullis potes operibus promereri, niſi gratis detur & illa. —— Jam verò de æterna vita ſcimus, quia non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, nec ſi unus omnes ſuſtineat. Neque enim talia ſunt hominum merita, ut propter ea vita æterna debeatur ex jure, aut Deus injuriam aliquam faceret, niſi eam donaret. Nam ut taceam quod merita omnia dona Dei

*Æternam vitam nullis poſſumus operibus promereri.*

*Rom. 8. 18.*

*Vide etiam eundem Bernardum de verbis, quæ inſeruntur citando, cap. 24. § 21.*

ſunt, & ita homo magis propter ipſa Deo debitor eſt, quam Deus homini: quid ſunt merita omnia ad tantam gloriam? Denique quis melior eſt Propheta, cui Dominus ipſe tam inſigne teſtimonium perhibet, dicens; Virum inveni ſecundum cor meum? Verumtamen & ipſe neceſſe habuit dicere Deo; non intres in judicium cum ſervo tuo, Domine. Nemo itaque ſe ſeducat. Hæc ibi.

21. Idem alibi, de datore & natura & neceſſitate ac utilitate bonorum operum ſic diſſerit; Nec dubium (inquit) quin à Deo ſit & velle & perficere pro bona voluntate. Deus igitur auctor eſt meriti, qui & voluntatem applicat operi, & opus explicat voluntati. Alioqui ſi propriè appellentur ea quæ dicimus noſtra merita; ſpei quædam ſunt ſeminaria, charitatis incentiva, occultæ prædeſtinationis indicia, futuræ felicitatis præſagia, via regni, non cauſa regnandi. Denique quos juſtificavit, non quos juſtos invenit, hos & magnificavit. Hæc Bernardus, in fine tractatus ſeu libri illius, quem ſcripſit de gratia & libero arbitrio.

22. Meritum de condigno (inquit Durandus) ſtrictè & propriè acceptum, actio eſt voluntaria propter quam alicui debetur merces ex juſtitia, ſic quod ſi non reddatur, ille ad quem pertinet reddere, injuſtè facit, & eſt ſimpliciter & propriè injuſtus. Et tale meritum de condigno invenitur inter homines, ſed non eſt hominis ad Deum. —— Non eſt poſſibile, quod ex quocunque noſtro opere Deus fiat nobis debitor, ita ut, ſi non redderet debitum, eſſet injuſtus. Cauſa autem hujus eſt, quia & illud quod ſumus, & quod habemus, ſive ſunt boni actus, ſive boni habitus, vel uſus, totum eſt in nobis ex liberalitate divina gratis dante & conſervante. Et quia ex dono gratuito nullus obligatur ad dandum amplius, ſed potius recipiens magis obligatur danti, ideò ex bonis habitibus, & ex bonis actibus ſive uſibus nobis à Deo datis, Deus non obligatur nobis ex aliquo debito juſtitiæ ad aliquid amplius dandum, ita quod ſi non dederit ſit injuſtus, ſed potius nos ſumus Deo obligati. Et ſentire, ſeu dicere oppoſitum, eſt temerarium ſeu blaſphemum. Hæc Durandus, in 2. ſent. diſtinct. 27. quæſt. 2. ab illa tamen doctrina diſcedit Synodus Tridentina, Seſſ. 6. capite 16. & can. 32. & Bellarm. lib. 5. de juſtificat. capite 16. & 17. & plurimi alii Pontificii. Quamvis antiquæ orthodoxæ doctrinæ veſtigium quoddam adhuc maneat in verbis illis Miſſæ Romanæ, *Non æſtimator meriti, ſed veniæ largitor.* Vide caput 24. hujus libri, ubi adferuntur Patrum teſtimonia pro juſtificatione per ſolam fidem.

CAPUT



## CAPUT OCTAVUM.

### *Quo ſenſu vita æterna credentibus ac bene operantibus debita, & Deus debitor dici poſſit. Item de Chriſti merito.*

APoſtolus Paulus, de Deo loquens, ait, ἐκεῖνος πιστὸς μένει, ἀρνήσασθαι ἑαυτὸν οὐ δύναται. 2. Timoth. 2. 13. Ex hoc immoto axiomate idem Apoſtolus, ad Titum ſcribens, colligit certitudinem promiſſæ gloriæ, in ipſo epiſtolæ illius principio; ἐπ' ἐλπίδι ζωῆς αἰωνίου, ἣν ἐπηγγείλατο ὁ ἀψευδὴς Θεὸς πρὸ χρόνων αἰωνίων. Ideò ſibi ait, Non confundor: Scio enim cui crediderim. 2. Timoth. 1. 12. Hoc enim Deus, non quidem noſtris meritis, ſuæ tamen veracitati & conſtantiæ quaſi debet, id eſt, hoc ei naturale eſt, & de perfectione Dei eſt, adeoque ei neceſſarium, ut quod libenter & miſericorditer promiſit, etiam libenter miſericorditerque reddat. Quia fidelis eſt, & mentiri neſcit, neque ſeipſum abnegare poteſt.

*Auguſt.*

2. Fidelis homo eſt (inquit Auguſtinus) credens promittenti Deo; fidelis Deus eſt exhibens quod promiſit homini. Teneamus fideliſſimum debitorem: quia tenemus miſericordiſſimum promiſſorem. Neque enim aliquid ei commodavimus, aut mutuum commendavimus, ut teneamus eum debitorem: cum ab illo habeamus quicquid illi offerimus, & ex illo ſit quicquid boni ſumus: omnia bona quibus gaudemus ab illo ſunt. Quis enim cognovit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius ejus fuit? aut quis prior dedit ei, & retribuetur illi? Quoniam ab ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia. Ergo non ei aliquid dedimus, & tenemus debitorem. Unde debitorem? Quia promiſſor eſt. Non dicimus Deo; Domine quod recepiſti, redde: ſed redde quod promiſiſti: Quoniam rectus eſt ſermo Domini. Quid eſt, rectus eſt ſermo Domini? Non te fallit. Hæc Auguſt. in Pſal. 32. (ſeu 33.) ſermone 1. in illa verba Pſalmi; quia rectus eſt ſermo Domini, & omnia opera ejus in fide.

3. Bernardus, prope finem libri de gratia & libero arbitrio; Eſt ergo (inquit) quam Paulus expectat, corona juſtitiæ, ſed juſtitiæ Dei, non ſuæ. Juſtum quippe eſt ut reddat quod debet. Debet autem quod pollicitus eſt; Et hæc eſt juſtitia de qua præſumit Apoſtolus, promiſſio Dei. Hæc ille.

4. Hoc vidit etiam Thomas Aquinas; ait enim; Quia actio noſtra non habet rationem meriti niſi ex præſuppoſitione divinæ ordinationis, non ſequitur quod Deus efficiatur ſimpliciter debitor nobis, ſed ſibi ipſi, in quantum debitum eſt, ut ſua ordinatio impleatur. prima ſecundæ, quæſtione centeſima decima quarta, artic. 1. ad tertium.

5. Et Bonaventura; Debitum (inquit) ex promiſſo, quod eſt merè liberalitatis, eſt debitum quod ſequitur largitatem promittentis: & ideo ſecundum rem plus habet de ratione gratiæ, quam debiti: & hoc modo Deus eſt debitor. —— Ratio debiti ſecundum quod obligationem dicit, propriè in Deo non cadit: ſi autem abutamur nomine, & debitum ſonet in condecentiam bonitatis Dei, ſic recipitur in Deo. Bonaventura in primum ſententiarum, diſt. 43. dub. 3.

6. Impropriè igitur & abuſivè de Deo dicitur quod ſit debitor. quod vocabulum de Deo dictum nihil aliud ſignificat, niſi veraciſſimum & miſericordiſſimum promiſſorem. Si verò noſtra intueamur merita, non debitum repoſcimus, ſed miſericordiam imploramus. Unde Aurelius Caſſiodorus; Meritum (inquit) noſtrum indulgentia tua eſt: dona quod offeram: cuſtodi quod exigas: ut velis coronare quod præſtas. —— Domine, in nobis non eſt quod remunereris, ſed in te ſemper eſt quod largiaris. —— Contra peccata noſtra miſericordiæ tuæ munimen inſurgat. —— Petimus, quia jubes. —— O altitudo pietatis: clementiæ incomprehenſa profunditas! —— Dimitte peccata, & concede non debita. Hæc Caſſiodorus, lib. de anima, cap. ultimo.

*Impropriè de Deo dicitur, quod ſit debitor. Caſſiodor. Meritum noſtrum indulgentia Dei eſt, qui nobis dimittit peccata, & concedit non debita.*

7. Quæres igitur de Chriſti merito, cum ſit propriè meritum, adeoque condignum, an ei præmium reddatur ex debito, cum omni merito condigno præmium ſit debitum, unde videtur ſequi Deo ipſi competere rationem debiti propriè dicti, qua debitor conſtituitur, etſi non nobis, at ſaltem Chriſto.

*De Chriſti merito, eique debito præmio.*

Reſpondeo; duplex eſt meritum condignum, aliud abſolutum, dum beneficio aliquis afficitur indebito, quo egebat: aliud eſt hypotheticum, ſuppoſitâ libera conſtitutione illius qui meritum exigit vel acceptat, & præmium promittit, quod meritum non prodeſt ei cui præſtatur, ſed ei probatur & perplacet, ut ipſius Dei judicio plenum perfectumque, & propoſito præmio dignitate æquipollens, aut etiam eo longè dignius, quamvis non niſi antecedente Agonothetæ decreto meritum illud exiſtat. Meritum prioris ordinis nullum eſſe poteſt erga Deum: poſterioris ordinis eſt Chriſti meritum, qui ex beneplacito Dei, hunc modum reconciliationis & ſalutis noſtræ liberè decernentis, miſſus in mundum eſt, nobiſque datus, homo tantæ dignitatis & virtutis (cum idem Deus eſſet) ut poſſet ſua obedientiâ & hoſtia perfectè ſatisfacere juſtitiæ Dei, noſtris peccatis offenſæ, nobiſque reconciliationem & gratiam gloriamque æternam promereri, quod etiam verè plenè perfectèque præſtitit. Hinc ei verè ac propriè eſt jam debitum propoſitum illud præmium. Deus tamen non niſi ex ſuo libero decreto & pacto & acceptatione debitor: Quia abſolutum debitum non cadit in Deum.

*Vide Calvin. lib. 2. Inſtit. cap. 17. & Chemnit. tom. 3. Panſtrat. lib. 5. capp. 1, 2, 3.*

## CAPUT NONUM.

*Alia generalior & laxior ſignificatio verbi* merui & mereor, *in Patrum ſcriptis paſſim occurrens.*

MEreri eſt aliquid facere, cujus intuitu præmium vel pœnam conſequaris. Præmium autem vel propter condignitatem præſtiti operis, vel ex mera promittentis liberalitate & conſtantia in ſervandis promiſſis. Illud propriè eſt bonum meritum, hoc impropriè. De his ſignificationibus ſuperius diſſeruimus. Sed eſt adhuc alia magis impropria hujus verbi ſignificatio, apud veteres frequens, qua nihil aliud ſignificat mereri niſi ſimpliciter conſequi, non ut mercedem, ſed ut eventum quendam, ſine intuitu alicujus præcedentis meriti in eo cui illud evenit, imo interdum contra ejus meritum. Quocirca non eſt cur ex frequenti hujus verbi occurſu apud veteres, quiſquam ſuſpicetur, juvari inde cauſam Papiſtarum, merita ſua condigna jactantium, imo potius hæc obſervatio cauſam eorum labefactat.

2. Gregorius primus Papa Romanus ait; Quid quod Paulus, cum Redemtoris nomen in terrâ conaretur extinguere, ejus verba de cœlo meruit audire. Moral. in Job. libri noni capite vigeſimo ſeptimo. Apoſtolus Paulus de ſe ſcribit, qui prius fui blaſphemus & perſequutor & injurioſus, ἀλλ᾽ ἠλεήθην. 1. Tim. 1. 13. Quod verbum Græcum vulgatus Latinus interpres vertit, *ſed miſericordiam Dei conſequutus ſum.* ſic legit etiam auctor Commentariorum qui Ambroſio tribuuntur. At Cyprianus, *ſed miſericordiam merui.* ſic ille citat hunc locum Apoſtoli, epiſtola ſeptuageſima tertia, edit. Pamel. De eodem loquens Auguſtinus; ac talem (inquit) ſe confitetur fuiſſe peccatorem, ut omnis peccator propterea de ſe non deſperet, quia Paulus meruit indulgentiam. ſermone quadrageſimo nono de Tempore. Item, Nabuchodonoſor pœnitentiam meruit. Auguſt. lib. de prædeſtinatione & gratia, cap. 15.

3. Alibi etiam Auguſtinus; Meruerunt (inquit) priora tempora Prophetas afflatos & impletos verbo Dei: meruimus nos Prophetam ipſum Verbum Dei. tractatu vigeſimo quarto, in Euangelium Joannis. Idem loquens de beata Virgine Deipara; quæ (inquit) concipere ac parere meruit eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum, lib. de natura & gratia, capite 36. Et de eadem beata Maria Virgine ait Fulgentius; Sed ipſum Deum hominem factum & concipere & parere Maria, non humanis meritis, ſed concepti naſcentiſque ex ea ſummi Dei dignatione promeruit. Hæc Fulgentius, lib. de incarnatione & gratia Jeſu Chriſti, capite 7.

4. Auguſtinus, epiſt. 12. ad Hieronymum; Audivi (inquit) perveniſſe in manus tuas literas meas, ſed quod adhuc reſcripta non merui, &c. Sic Paulinus Epiſcopus Nolanus, epiſtola quadrageſima ſecunda. Scripſimus itaque iteratò nunc, ſi priores ad te literæ noſtræ pervenire meruerunt; aut primò, ſi illis in manus tuas perveniendi felicitas non fuit. Hæc Paulinus. Sic etiam Hilarius Arelatenſis, in ſua epiſtola ad Auguſtinum, de reliquiis Pelagianæ hæreſeos; libros (inquit) cum editi fuerint, quæſo habere mereamur.

5. Hoc igitur ſenſu ille dici poteſt mereri gratiam Dei & vitam æternam cui ea felicitas eſt ut Dei gratiam vitamque æternam conſequatur, quamvis nullo ſuo merito, ſed ex gratuita Dei miſericordia.

6. Eodem ſenſu dixit Hieronymus; Omnia dat Domini voluntati, ut mereatur accipere quod precatur. libro tertio adverſus Pelagianos. Idem ſcribens ad Auguſtinum; utinam (inquit) mereremur complexus tuos. inter epiſtolas Auguſtini, epiſtola 13. Et Ambroſius; & Eccleſia (inquit) memor gratiæ, eo plura ſolveret, quo plura meruiſſet. lib. de Tobia, capite vigeſimo ſecundo. Plura meruiſſet, id eſt, ut ibidem explicat Ambroſius, quo plura ei peccata dimiſſa eſſent, quo plura ei per gratiam donata eſſent.

## CAPUT DECIMUM.

*Antitheſis orthodoxa adverſus reliquias Pelagianæ hæreſeos, de gratia Dei, & merito humano.*

*Supra cap. 6.*

QUæ fuerit Semipelagianorum de hoc primo articulo opinio, ſupra commemoravimus, eique nonnullas ibidem oppoſuimus orthodoxæ antiquitatis ſententias. Eodem nunc, poſt digreſſionem de operum merito contra Papiſtas interpoſitam, regredimur.

2. Auguſtinus in ſuis libris, quos ante acceptas Hilarii & Proſperi epiſtolas ſcripſerat contra Pelagianos, hunc errorem ſæpe refellit. Quod enim (inquit) putant auferri ſibi liberum arbitrium, ſi nec ipſam bonam voluntatem ſine adjutorio Dei hominem habere conſenſerint, non intelligunt, non ſe firmare humanum arbitrium, ſed impellere ut per inania feratur, non in Domino tanquam in petra ſtabili collocetur. Paratur enim voluntas à Domino. Auguſtinus epiſtola centeſima quinta.

3. Item, Enchirid. capite 31. Et ne ipſam ſaltem fidem ſic ſibi homines arrogarent, ut non intelligerent divinitus eſſe donatam, ſicut idem Apoſtolus alio loco dicit, ſe ut fidelis eſſet miſericordiam conſequutum: hic quoque adjunxit, atque ait; Et hoc non ex vobis, ſed Dei donum eſt, non ex operibus, ne fortè quis glorietur. Et capite 32. ejuſdem Enchiridii, ad Laurentium; Præcedit enim bona voluntas hominis multa Dei dona, ſed non omnia: quæ autem non præcedit ipſa, in eis eſt & ipſa. Nam utrumque legitur in ſanctis eloquiis, & miſericordia ejus præveniet me, & miſericordia ejus ſubſequetur me. Nolentem prævenit ut velit, volentem ſubſequitur ne fruſtra velit. Cur enim admonemur orare pro inimicis noſtris utique nolentibus piè vivere, niſi ut Deus in illis operetur ut velint? Item cur admonemur petere ut accipiamus, niſi ut ab illo fiat quod volumus à quo factum eſt ut velimus? Oramus ergo pro inimicis noſtris ut miſericordia Dei præveniat eos, ſicut prævenit & nos: oramus autem pro nobis, ut miſericordia ejus ſubſequatur nos. Hæc ibi.

4. Item, lib. de gratia & libero arbitrio, capite 13. Quis ita inſaniat, ut audeat dicere legem eſſe gratiam, cum clamet Apoſtolus, qui in lege juſtificamini, à gratia excidiſtis. Si autem lex non eſt gratia, quia ut ipſa lex fiat, non poteſt lex adjuvare, ſed gratia: Nunquid natura eſt gratia? Nam & hoc Pelagiani auſi ſunt dicere, gratiam eſſe naturam, in qua ſic creati ſumus ut habeamus mentem rationalem qua intelligere valeamus, facti ad imaginem Dei, ut dominemur piſcibus maris, & volucribus Cœli, & omnibus pecoribus quæ repunt ſuper terram. Sed non hæc eſt gratia quam commendat Apoſtolus per fidem Jeſu Chriſti. Hanc enim naturam etiam cum impiis & infidelibus certum eſt nobis eſſe communem: gratia verò per fidem Jeſu Chriſti eorum tantummodo eſt quorum eſt ipſa fides. Hæc Auguſtinus. His non ſolum error ille Pelagianorum ac Semipelagianorum refellitur, de gratia legali & gratia naturali ſive initiali, ſed etiam inane illud Fauſti & aliorum Semipelagianorum effugium de communi & univerſali gratia. Quod etiam ex profeſſo eleganter ac nervoſe refutavit Proſper, lib. de ingratis, capitibus 11, 12, 13, 14, 17, 34.

5. Pergit verò Auguſtinus capite 14. libri ſui de gratia & libero arbitrio; Sed (inquit) cum fuerint convicti non defenſores, ſed inflatores & præcipitatores liberi arbitrii, quia neque ſcientia divinæ legis, neque natura, neque ſola remiſſio peccatorum eſt illa gratia quæ per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum datur, ſed ipſa facit ut lex impleatur, ut natura liberetur, ne peccatum dominetur. Cum ergo in his convicti fuerint, ad hoc ſe convertunt, ut quocunque modo conentur oſtendere gratiam Dei ſecundum merita noſtra dari. Dicunt enim, etſi non datur ſecundum merita bonorum operum, quia per ipſam bene operamur, tamen ſecundum merita bonæ voluntatis datur. ——— Nunquid ergo poſſumus niſi abſurdiſſimè dicere, bonum meritum bonæ voluntatis in homine præceſſiſſe, ut avelleretur ab eo cor lapideum: quandoquidem ipſum cor lapideum non ſignificat niſi duriſſimam voluntatem, & adverſus Deum omnino inflexibilem? Ubi enim præcedit bona voluntas, jam non eſt cor utique lapideum. Et lib. de correptione & gratia, cap. 1. deſiderare auxilium gratiæ, initium eſt gratiæ.

6. Similia ſcribit Auguſtinus in ſuis libris ad Proſperum & Hilarium, ubi ait; Sciebat, inquit Euangeliſta, ab initio Jeſus qui eſſent credentes, & quis traditurus eſſet eum, & dicebat; propterea dixi vobis, quia nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo. Ergo trahi à Patre ad Chriſtum, & audire ac diſcere à Patre, ut veniat ad Chriſtum, nihil aliud eſt, quam donum accipere à Patre, quo credat in Chriſtum. Neque enim audientes Euangelium à non audientibus, ſed credentes à non credentibus diſcernebat qui dicebat; Nemo venit ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo. Lib. de prædeſtinatione ſanctorum, capite octavo. *Joan. 6. 64, 65.* *Quid ſit trahi à Patre.*

7. Item; ejuſdem libri, capite 9. Fides igitur & inchoata & perfecta, donum Dei eſt: & hoc donum quibuſdam dari, quibuſdam non dari, omnino non dubitet, qui non vult manifeſtiſſimis ſacris literis repugnare. Cur autem non omnibus detur, fidelem movere non debet, qui credit ex uno omnes iſſe in condemnationem, ſine dubitatione juſtiſſimam: ita ut nulla Dei eſſet juſta reprehenſio, etiamſi nullus inde liberaretur. Unde conſtat magnam eſſe gratiam, quod plurimi liberantur, & quid ſibi deberetur, in eis qui non liberantur agnoſcunt: ut qui gloriantur, non in ſuis meritis, quæ paria vident eſſe damnatis, ſed in Domino glorientur. Cur autem iſtum potius quam illum liberet, inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus. Melius enim & hic audimus aut dicimus, O homo, tu quis es qui reſpondeas Deo: quam dicere audeamus quaſi noverimus quod occultum eſſe voluit: qui tamen aliquid injuſtum velle non potuit. ——— Proinde quod dixi, tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, & apud eos prædicari doctrinam ſuam, quando ſciebat & ubi ſciebat eſſe qui in eum fuerant crediturí: poſſet etiam ſic dici, tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, & apud eos prædicari doctrinam ſuam, quando ſciebat & ubi ſciebat eſſe, qui electi fuerant in ipſo, ante mundi conſtitutionem. Et capite decimo ejuſdem libri. Item quod dixi, ſalutem religionis hujus nulli unquam defuiſſe qui dignus fuit, & dignum non fuiſſe cui defuit: ſi diſcutiatur & quæratur, unde quiſque ſit dignus, non deſunt qui dicant, voluntate humana: nos autem dicimus, gratia vel prædeſtinatione divina. Hæc ibi. *Fides eſt donum Dei ſpeciale.* *Omnibus non datum.* *Rom. 11. 33.* *Diſcriminationis cauſa inſcrutabile Dei judicium.* *Rom. 9. 20.* *Verba ſua exponit Auguſtinus quæ ſcripſerat epiſt. 49. qu. 2.* *Ibidem.* *Unde quiſque ſit dignus.*

8. Item capite 11. ejuſdem libri de prædeſtinatione Sanctorum. Sed cum dicitur, inquiunt, Si credideris, ſalvus eris: unum horum exigitur, alterum offertur. Quod exigitur in hominis, quod offertur in Dei eſt poteſtate. Cur non utrumque in Dei eſt, & quod jubet, & quod offertur? Rogatur enim ut det quod jubet, rogant credentes, ut ſibi augeatur fides: rogant pro non credentibus, ut eis donetur fides, ut & in ſuis incrementis & in ſuis initiis, Dei donum ſit fides. Sic autem dicitur; Si credideris, ſalvus eris: Quemadmodum dicitur; Si Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Nam & hic ex his duobus unum exigitur, alterum offertur. ——— Sicut ergo, quamvis donum Dei ſit, facta carnis mortificare, exigitur tamen à nobis, propoſito præmio vitæ: ita donum Dei eſt & fides, quamvis & ipſa, cum dicitur, ſi credideris ſalvus eris, propoſito præmio ſalutis exigatur à nobis. Ideo enim hæc & nobis præcipiuntur, & dona Dei *Semipelagiani.* *Auguſt.* *Rogatur Deus, ut det quod jubet.* *Rom. 8. 13.* *Rom. 10. 9.*

eſſe monſtrantur, ut intelligatur quod & nos ea faciamus, & Deus facit ut illa faciamus: ſicut per Prophetam Ezechielem apertiſſimè dicit: quid enim apertius quam ubi dicit, ego faciam ut faciatis? locum ipſum ſcripturæ fratres chariſſimi attendite, & videbitis illa Deum promittere facturum ſe ut faciant, quæ jubet ut fiant. Non ſanè ibi tacet etiam merita eorum, ſed mala, quibus ſe oſtendit reddere pro malis bona: hoc ipſo quòd eos facit habere deinceps opera bona, cum ipſe facit ut faciant divina mandata. Hæc Auguſtinus.

*Deus facit ut nos faciamus ea quæ ipſe jubet. Ezech. 36. 27.*

9. Plura his ſimilia apud eundem lector inveniet. item apud Proſperum lib. contra Collatorem, & libro de ingratis, & in opere de vocatione gentium. & apud Fulgentium lib. de incarnatione & gratia Chriſti: & epiſt. 6. de converſione à ſeculo. & apud Maxentium in poſteriore parte reſponſionis ad epiſtolam Hormiſdæ. Vide in eandem ſententiam, tertium & aliquot ſequentes canones Concilii Arauſicani ſecundi, & alios ſcriptores orthodoxos, ſupra à nobis commemoratos. Vide etiam ſupra, capite 2. §. 30.

## CAPUT UNDECIMUM.

### *Diſtinctio gratiæ in operantem & cooperantem. Item, in prævenientem, & comitantem, & ſubſequentem.*

VT hujus primæ controverſiæ ſummam brevem & facilem teneamus, ſciendum eſt, Catholicos gratiam Dei, qua homo ex impio fit pius producitque bona opera, diſtinxiſſe in gratiam operantem & gratiam cooperantem. Quoniam (verba ſunt Auguſtini) ipſe ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur, perficiens. Propter quod ait Apoſtolus; Certus ſum, quoniam qui operatur in vobis opus bonum, perficiet uſque in diem Chriſti Jeſu. Ut ergo velimus, ſine nobis operatur: cum autem volumus, & ſic volumus, ut faciamus, nobiſcum cooperatur: tamen ſine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad pietatis opera nihil valemus. Auguſt. libro de gratia & libero arbitrio, cap. 17.

*Philip. 1. 6.*

2. Proſper iſtam diſtinctionem, eodem ſenſu, ait eſſe, in præoperantem & cooperantem gratiam: in epiſtola ad Auguſtinum, de reliquiis Pelagianæ hæreſeos. Et Auguſtinus in Enchiridio capite 32. eandem diſtinctionem aliis verbis tradens, ait: Nolentem prævenit ut velit, volentem ſubſequitur ne fruſtra velit. Item epiſtol. 106. Cum ergo (inquit) fides impetrat juſtificationem, ſicut unicuique Deus partitus eſt menſuram fidei, non gratiam Dei aliquid meriti præcedit humani, ſed ipſa gratia meretur augeri, ut aucta mereatur perfici, comitante non ducente, pediſſequa non prævia voluntate. Hæc Auguſtinus.

*Eadem etiam ſenſu Baſilius magnus memorat [illegible] gratiæ antecipantis. lib. 1. de baptiſmo, c. 2. [tom. 2. oper. Baſil. edit. Pariſ. Græcol. an. Dom. 1638. pag. 662. C.]*

3. Ad ſcripturas ſanctas (inquit Fulgentius) ſi humilis & mitis acceſſeris, ibi profectò invenies & prævenientem gratiam, qua poteſt eliſus ſurgere; & comitantem, qua viam recti queat itineris currere; & ſubſequentem, qua valeat ad regni Cœleſtis beatitudinem pervenire. Hæc Fulgentius, epiſt. 6. ad Theodorum, de converſione à ſeculo.

4. Hinc gratia illa operans dicitur etiam præveniens, præoperans. gratia autem cooperans dicitur etiam comitans, & ſubſequens.

5. Semipelagiani admittebant naturam, & legem, & iſtam etiam poſteriorem gratiam agnoſcebant, licet non plenè: Negabant autem gratiam illam prævenientem, operantem, præoperantem, quam tamen ex ſacris ſcripturis, Auguſtinus aliique Catholici luculenter demonſtrarunt.

6. Rectè Proſper, in epiſtola ad Auguſtinum de reliquiis Pelagianæ hæreſeos; In iſtis (inquit) Pelagianæ pravitatis reliquiis non mediocris virulentiæ fibra nutritur, ſi principium ſalutis malè in homine collocatur: ſi divinæ voluntati impiè voluntas humana præfertur, ut ideo quis adjuvetur quia voluit, non ideo quia adjuvatur velit: ſi originaliter malus receptionem boni non à ſummo bono, ſed à ſemetipſo inchoare male creditur: ſi aliunde Deo placetur, niſi ex eo quod ipſe donaverit. Hæc ille. Quæ manifeſtè approbat & confirmat Auguſtinus, lib. de prædeſtinatione ſanctorum, cap. 2. Ex quo capite depromit Auguſtini verba, quibus Fauſtum oppugnet Maxentius, prope finem reſponſionis ad epiſtolam Hormiſdæ.

7. Quoniam verò Semipelagiani, invictis Catholicorum argumentis coarctati, effugium in quadam omnibus hominibus communi gratia quærebant, de quo etiam nonnihil in hujus primi articuli tractatione ſuggeſſimus, dicemus inferius, Domino donante, de gratiæ prævenientis amplitudine & efficacitate, in quarto articulo, ubi agetur de vocatione.

## CAPUT DUODECIMUM.

### *Controverſiarum inter Catholicos & Semipelagianos articulus ſecundus; de æterna Dei prædeſtinatione; & primo hujus ſecundæ controverſiæ ſumma exhibetur.*

SUmmam hujus controverſiæ prius proponemus, ſeptem comprehenſam quæſtionibus, & reſponſionibus: deinde adjectis teſtimoniis reſponſiones confirmabimus.

*Septem quæſtiones de prædeſtinatione.*

1. Quæſtio. Utrum præviſa à Deo bona eorum qui eliguntur, voluntas & fides & bona opera & in eis perſeverantia, aut quodlibet horum, ſit cauſa propter quam eliguntur aut conditio in eligendis prærequiſita: an verò hæc omnia in electis ſint electionis ſeu prædeſtinationis effecta. Prius affirmabant, & poſterius negabant Semipelagiani: prius autem negabant, & poſterius affirmabant Catholici.

2. Quæſtio. An ſit ab æterno definitus à Deo certorum electorum ſeu hominum ad gratiam & gloriam prædeſtinatorum numerus, quorum nemo peribit, & præter quos nemo ſalvabitur. Semipelagiani negabant: affirmabant Catholici.

3. Quæſtio. An Deus aliquos homines ab æterno prædeſtinaverit ad malum. Semipelagiani prorſus negabant aliquem vel ad peccatum vel ad interitum eſſe prædeſtinatum: diſtinguebant Catholici, & prædeſtinatum eſſe quempiam ad culpam negabant, ad pœnam affirmabant.

4. Quæſtio. Utrum quia eorum quos reprobat, invenit Deus mala merita plura ac deteriora malis meritis eorum quos eligit, ideo illos reprobet ſeu prædeſtinet ad interitum, hos eligat ſeu prædeſtinet ad vitam æternam: an verò utroſque malis meritis pares, & morte æterna dignos invenit. Semipelagiani prius, poſterius affirmabant Catholici.

5. Quæſtio. An diſcriminationis hujus, qua alii ad vitam æternam, alii ad mortem æternam prædeſtinantur, ulla alia in ſacris literis revelata ſit viatoribus cauſſa præter liberrimam voluntatem Dei, qui quorum vult miſeretur, & quos vult indurat, & an viatoribus fas ſit ullam aliam inveſtigare. Semipelagiani affirmabant. Negabant Catholici.

6. Quæſtio. An hæc Catholicorum doctrina, vel injuſtitiam aut crudelitatem Deo tribuat, vel hominibus uſum hortationum & precum ſtudiumque pietatis adimat. Semipelagiani affirmabant. Negabant Catholici.

7. Quæſtio. An hanc Catholicorum doctrinam, etiamſi vera ſit, expediat apertè ac ſeriò prædicare, & populo palàm proponere. Negabant Semipelagiani; at Catholici affirmabant prædicandam apertè quidem & ſerio, prudenter tamen & ἐν καιρῷ, ut omnia divina myſteria, cum debita verbi Dei εὐϑημίᾳ.

Sic autem propoſita hæc doctrina gignit in eis, quibus jam à Patre datum eſt ad Chriſtum venire, pium Divinæ majeſtatis timorem, quem, ut & fidem ſuam, ex qua timor hic profectus eſt, opus eſſe Divinæ gratiæ in ſeipſis recognoſcentes per inhabitatorem Spiritum Dei, cognita ſacientem ipſis dona Dei gratuita eis collata, perfunduntur ſpirituali gaudio ineffabili & glorioſo. His duobus, videlicet timore Domini, & conſolatione Spiritus Sancti, deſcribitur ædificatio Eccleſiarum tempore Apoſtolorum. Eccleſiæ ædificabantur, & pergentes in timore Domini & conſolatione Sancti Spiritus multiplicabantur. Act. 9. 31. hinc augeſcit fides, roboratur ſpes, & fiducia in noſtro fideli Deo, per quem vocati ſumus. [1. Corinth. 1. 9.] Charitas inflammatur tum erga Deum qui nos tantopere prior dilexit; tum etiam erga proximum, Dei juſſu. Mundi autem faceſſit dilectio, quia cor noſtrum & theſaurus noſter ac converſatio noſtra jam in Cœlis eſt. Nec pericula mortemve ipſam propter Dei noſtri nomen ſubire, freti ipſius gratiâ, recuſamus. Neque eſt quicquam nobis exoſum aut formidabile præter offenſionem Dei, ne ea ſuavitatis hujus ſenſus in nobis vel minuatur vel extinguatur, quocirca alii alios, noſque ipſos ſinguli, ad ſedulam vigilantiam & aſſiduam ardentemq; precationem hortamur atq; extimulamus, ne introëamus in tentationem, & vetus denuo hoſtis obrepat, itaq; cum tremore ac timore noſtram ipſorum ſalutem κατεργαζόμεϑα. Et quo magis in hiſce virtutibus ſtudiiſque proficimus, eo luculentius ſe exſerit in nobis gratia Dei, & patefit nobis benevolentia Dei; ſcimus enim non ex nobis eſſe, ſed Deum eſſe qui in nobis operatur & velle & perficere, pro gratuita ſua benevolentia. (Philip. 2.) Unde nobis ſurgit uberrima conſolatio, lætique progredimur divina ſuffulti gratiâ, & id unicè operam damus, ut fructuoſi magis magiſque ſimus in Domini noſtri Jeſu Chriſti cognitione, atque ita vocationem & electionem noſtram firmam faciamus. (2. Petr. 1.) De aliis verò hanc gratiam nondum adeptis nec deſperamus, nec judicamus. de Dei autem judiciis, ſine dubitatione juſtiſſimis, ſi quando illicitæ curioſitatis ſubrepat tentatio, pia ſtatim indignatione tremebundi ei ſilentium indicimus, injecto fræno illo Apoſtolico, *Imo verò, ô homo, tu quis es, qui ex adverſo reſpondes Deo?* [Rom. 9. 20.] Et memores dicti illius Apoſtolici, Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam, nos Deo ſubjicimus, & reſiſtimus diabolo [Jacob 4. 6, 7. & 1. Petr. 5. 5, 6.] Atque ad ineluctabile ſecretum & impermeabilem potentiæ, & ſapientiæ, & juſtitiæ, & miſericordiæ Dei abyſſum, adorabundi exclamamus, cum Davide, Judicia tua abyſſus multa, Pſal. 36. 7.] juſtus es Domine, & rectum judicium tuum, [Pſal. 119. 137.] Magnus eſt Dominus & laudabilis valdè, & magnitudinis ejus non eſt inveſtigatio. [Pſalm. 145. 3.] Juſtus Dominus in omnibus viis ſuis, & ſanctus [vel benignus, Chaſid] in omnibus operibus ſuis, [ibid. verſ. 17.] Magnus Dominus noſter, & multus robore, & ſapientiæ ejus non eſt numerus. Pſal. 147. 5.] & cum Apoſtolo Paulo; O profunditatem divitiarum tum ſapientiæ tum cognitionis Dei! quam inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & inperveſtigabiles viæ ejus! quis enim cognovit mentem Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſum ſunt omnia. Ipſi gloria in ſecula. Amen. Rom. 11. 33, & deinceps.

*Philip. 2. 13. — 2. Petr. 1. 10. — Rom. 9. 20. — Jacob. 4. 6. 7. — 1. Petr. 5. 5, 6. — Pſal. 36. 7. — Pſal. 119. 137. — Pſ. 145. 3. 17. — Pſal. 147. 5. — Rom. 11. 33, &c.*

## CAPUT DECIMUM-TERTIUM.

*Teſtimonia opinionem Semipelagianorum, & doctrinam Catholicorum, declarantia, de æterna Dei Prædeſtinatione, juxta præmiſſas ſeptem reſponſiones.*

### Ad primam quæſtionem.

*Reſponſio Semipelagianorum.*

HÆc ipſorum (inquit Proſper in epiſtola ad Auguſtinum de reliquiis Pelagianæ hæreſeos) definitio ac profeſſio eſt: qui credituri ſunt, quive in ea fide quæ deinceps per Dei gratiam ſit juvanda, manſuri ſunt, præſciſſe ante mundi conſtitutionem Deum, & eos prædeſtinaſſe in regnum ſuum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono fine exceſſuros eſſe præviderit.

Fauſtus libro primo de libero arbitrio, capite decimo. Salutem (inquit) hominis non in prædeſtinatione factoris, ſed in operatione famulantis largitor gratiæ collocavit.

*Reſponſio Catholicorum.*

Prædeſtinatio eſt gratiæ præparatio. 2. Nullum elegit dignum, ſed eligendo efficit dignum: nullum tamen punit indignum. Auguſtinus libro quinto contra Julianum, capite tertio. Prædeſtinatio Dei quæ in bono eſt, gratiæ eſt præparatio: gratia verò eſt ipſius prædeſtinationis effectus. —— Promiſit enim quod ipſe facturus eſt, non quod homines: quia etſi faciunt homines bona quæ pertinent ad colendum Deum, ipſe facit ut illi faciant quæ præcepit: non illi faciunt, ut ipſe faciat quod promiſit: alioquin ut Dei promiſſa compleantur, non in Dei, ſed in hominum eſt poteſtate. Auguſtinus libro de prædeſtinatione ſanctorum, capite decimo.] Item; Elegit ergo nos Deus in Chriſto ante Mundi conſtitutionem, prædeſtinans nos in adoptionem filiorum, non quia per nos ſancti & immaculati futuri eramus, ſed elegit prædeſtinavitque ut eſſemus. Aug. eod. lib. de prædeſtinatione ſanctorum, cap. 18.] Item; Cum ergo nos prædeſtinavit, opus ſuum præſcivit, qui nos ſanctos & immaculatos facit. —— Non quia credidimus, ſed ut credamus elegit nos. ibid. cap. 19.

3. Et in eandem ſententiam Fulgentius ait; hæc autem omnia, id eſt, & vocationis noſtræ initia, & juſtificationis augmenta, & glorificationis præmia in prædeſtinatione ſemper Deus habuit, quia & in vocatione, & in juſtificatione, & in glorificatione ſanctorum, gratiæ ſuæ opera futura præſcivit. Fulgentius lib. 1. ad Monimum, cap. 11.

### Ad ſecundam quæſtionem.

*Reſponſio Semipelagianorum.*

4. Nec acquieſcunt prædeſtinatum electorum numerum, nec augeri poſſe nec minui. Proſper epiſtola ad Auguſtinum.

5. Et illud pariter non accipiunt, ut eligendorum rejiciendorumque eſſe definitum numerum velint. Hilarius, epiſt. ad Auguſtinum.

*Reſponſio Catholicorum.*

6. An quiſquam dicere audebit Deum non præſciſſe, quibus eſſet daturus ut crederent? aut quos daturus eſſet Filio ſuo, ut ex eis non perderet quenquam? quæ utique ſi præſcivit, profectò beneficia ſua quibus nos dignatur liberare præſcivit. Hæc prædeſtinatio ſanctorum nihil aliud eſt, quam præſcientia ſcilicet & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur quicunque liberantur. Cæteri autem ubi niſi in maſſa perditionis juſto Dei judicio relinquuntur. Auguſt. lib. de bono perſeverantiæ, cap. 14.

Prædeſtinatio ſanctorum. 7. De his loquor, (ait idem Auguſtinus) qui prædeſtinati ſunt in regnum Dei, quorum ita certus eſt numerus, ut nec addatur eis quiſquam, nec minuatur ex eis. —— Numerus ergo ſanctorum per Dei gratiam Dei regno prædeſtinatus, donata ſibi etiam uſque in finem perſeverantia illuc integer perducetur. Auguſtinus, libro de correptione & gratiâ, capite decimo tertio. Item; horum ſi quiſquam perit, fallitur Deus: ſed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus: horum ſi quiſquam perit, vitio humano vincitur Deus: ſed nemo eorum perit, quia, nulla re vincitur Deus. Eodem lib. cap. 7.

8. Hi ergo (inquit idem Pater) qui non pertinent ad iſtum certiſſimum & feliciſſimum numerum, pro meritis juſtiſſimè judicantur: aut enim jacent ſub peccato, quod originaliter de generatione traxerunt, & cum illo hæreditario debito hinc exeunt, quod non eſt regeneratione dimiſſum: aut per liberum arbitrium alia inſuper addiderunt: arbitrium, inquam, liberum, ſed non liberatum, liberum juſtitiæ, peccati autem ſervum, quo volvuntur per diverſas noxias cupiditates, alii magis, alii minus: ſed omnes mali, & pro ipſa diverſitate diverſis ſuppliciis judicandi. Aut gratiam Dei ſuſcipiunt, ſed temporales ſunt, nec perſeverant, deſerunt & deſeruntur: dimiſſi enim ſunt libero arbitrio, non accepto perſeverantiæ dono, judicio Dei juſto & occulto. Eodem lib. de correpti. & gratia, cap. 13.

9. Sic etiam Proſper; Ab hac autem (inquit) confeſſione gratiæ Dei, ideo quidam reſiliunt, ne cum eam talem confeſſi fuerint, qualis divino eloquio prædicatur, & qualis opere ſuæ poteſtatis agnoſcitur, etiam hoc neceſſe habeant confiteri, quod ex omni numero hominum per ſecula cuncta natorum, certus apud Deum definituſque ſit numerus prædeſtinati in vitam æternam populi, & ſecundùm propoſitum Dei vocantis electi, quod quidem tam impium eſt negare, quam ipſi gratiæ contraire. Proſper, epiſt. ad Ruffinum, de gratia & libero arbitrio.

Ad



### Ad tertiam quæſtionem.

*Reſponſio Semipelagianorum.*

10. Itaque quantum ad Deum pertinet, (inquit Proſper,) omnib. paratam ajunt vitam æternam: quantum autem ad arbitrii libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo ſponte crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint. In iſtam verò talis gratiæ prædicationem hi, quorum contradictione offendimur, cum prius meliora ſentirent, ideo ſe vel maximè contulerunt: quia ſi profiterentur ab ea omnia bona merita præveniri, & ab ipſa, ut poſſint eſſe, donari: neceſſitate concederent Deum ſecundum propoſitum & conſilium voluntatis ſuæ, occulto judicio, & opere manifeſto, aliud vas condere in honorem, aliud in contumeliam: quia nemo niſi per gratiam juſtificetur, & nemo niſi in prævaricatione naſcatur. Sed refugiunt illud fateri. Hæc Proſper, in epiſtola ad Auguſtinum, de reliquiis Pelagianæ hæreſeos.

11. Fauſtus ait, aſſertionem, qua dicitur ſtatutam ſeu prædeſtinatam eſſe quorundam perditionem, eſſe aſſertionem erroris plenam, lib. 1. de libero arbitrio, cap. 4. eſſe hæreticam, eodem lib. cap. 19. ſtatum enim hominis in diverſa, non pro conſtitutione Dei, ſed pro arbitrii libertate poſſe verſari. eodem libro, cap. 12.

12. Hoc etiam ab Hincmaro crimini datum eſt Gotteſchalco, quod aſſereret; quod ſicuti Deus quoſdam prædeſtinavit ad vitam æternam: ſic etiam alios ad mortem æternam prædeſtinavit. teſte ipſo Hincmaro, in epiſtola ad Nicolaum, Papam Romanum, apud Flodoardum, lib. 3. hiſtoriæ Rhemenſis, cap. 14.

*Reſponſio Catholicorum.*

13. Auguſtini verba ſunt; Ut impleret ipſe quod voluit: bene utens & malis, tanquam ſummè bonus, ad eorum damnationem quos juſte prædeſtinavit ad pœnam, & ad eorum ſalutem quos benignè prædeſtinavit ad gratiam, Auguſt. Enchirid. cap. 100.

14. Item; Prædeſtinatio ſine præſcientia eſſe non poteſt: poteſt autem eſſe ſine prædeſtinatione præſcientia. Prædeſtinatione quippe Deus ea præſcivit, quæ fuerat ipſe facturus. Præſcire autem potens eſt etiam quæ ipſe non facit, ſicut quæcunque peccata. quia etſi ſunt quædam quæ ita peccata ſunt, ut pœnæ etiam ſint peccatorum; unde dictum eſt; Tradidit illos Deus in reprobam mentem, ut faciant quæ non conveniunt: non ibi peccatum Dei eſt, ſed judicium. Auguſt. libro de prædeſtinatione ſanctorum, cap. 10.

15. Fulgentius ait; De Filio autem Dei Joannes dicit; *ſcimus quia ille apparuit, ut peccata tolleret, & peccatum in eo non eſt.* Sicut ergo peccatum in eo non eſt, ita peccatum ex eo non eſt. quod autem ex eo non eſt, opus ejus itaque non eſt. quod autem nunquam eſt in opere ejus, nunquam fuit in prædeſtinatione ejus. Non ergo prædeſtinati ſunt mali ad hoc, quod male operantur, à concupiſcentia ſua abſtracti & illecti, ſed ad hoc, quod juſtè patiuntur inviti. Prædeſtinationis enim nomine non aliqua voluntatis humanæ coactitia neceſſitas exprimitur, ſed miſericors & juſta futuri operis divini ſempiterna diſpoſitio prædicatur. Proinde potuit, ſicut voluit, prædeſtinare quoſdam ad gloriam, quoſdam ad pœnam. Sed quos prædeſtinavit ad gloriam, prædeſtinavit ad juſtitiam: quos autem prædeſtinavit ad pœnam, non prædeſtinavit ad culpam. Hæc Fulgentius, lib. 1. ad Monimum, ubi multa lector inveniet in hanc ſententiam.

16. Sic in cauſſa Gotteſchalci, Eccleſia Lugdunenſis libro de tribus epiſtolis; Veriſſimè (inquit) & rectiſſimè divino judicio prædeſtinati dicuntur reprobi, non ad culpam utique, ſed ad pœnam; nec ad malum opus quod ipſi volentes agunt, ſed ad malum quod in æternis ſuppliciis inviti patiuntur, &c. vide ibi plura.

### Ad quartam quæſtionem.

*Reſponſio Semipelagianorum.*

17. Reſponſionem Semipelagianorum ad hanc quæſtionem facile eſt colligere ex eorundem reſponſione ad primam quæſtionem; nempe, propter diverſitatem meritorum vel præſcitæ dignitatis aut indignitatis factam eſſe diſcriminationem electorum & reprobatorum, adeoque inventos eſſe meritis impares. Pro qua reſponſione virulento impetu certat Fauſtus Semipelagianus in ſuo opere de gratia & libero arbitrio.

*Reſponſio Catholicorum.*

18. Hinc evidenter apparet (ait Auguſtinus) à pœna debita liberato & gratis juſtificato quantum beneficii conferatur, quod alter æqualiter reus ſine punientis iniquitate punitur. Auguſtin. epiſt. 106.

19. Item; Unde conſtat magnam eſſe gratiam, quod plurimi liberantur, & quid ſibi deberetur, in eis qui non liberantur, agnoſcunt: ut qui gloriantur, non in ſuis meritis, quæ paria vident eſſe damnatis, ſed in Domino glorientur. Aug. lib. de prædeſt. ſanctorum, cap. 9.

20. Ejuſdem & hæc verba ſunt; quod ab iræ vaſis exigit juſtitia punientis, hoc vaſis miſericordiæ dimittit gratia liberantis. Nec beneficium quod quibuſdam gratis tribuitur appareret, niſi Deus aliis ex eadem maſſa pariter reis juſto ſupplicio condemnatis, quid utriſque deberetur, oſtenderet. Aug. lib. 2. ad Bonifacium, contra duas epiſtolas Pelagianorum, cap. 7.

21. Et hæc; Per Mediatorem regenerati à damnatione liberantur debita, ſed gratuita miſeratione non debita, quos elegit ante conſtitutionem mundi per electionem gratiæ, non ex operibus vel præteritis, vel præſentibus, vel futuris. Aug. lib. 6. contra Julianum, cap. 8.

### Ad quintam quæſtionem.

*Reſponſio Semipelagianorum.*

22. Si autem, ajunt, dicatur voluntatem omnibus remanſiſſe, qua vel contemnere quis valeat, vel obedire: de compendio putant rationem reddi electorum vel rejectorum, in eo quod unicuique

que

que meritum propriæ voluntatis adjungitur. Hæc Hilarius, epiſt. ad Auguſtinum de reliquiis Pelagianæ hæreſeos.

23. Proſper refert, in ſua de eiſdem reliquiis epiſtola, Semipelagianos uſque adeo in hac opinione tuenda inſaniſſe, ut etiam parvulos, in ætate infantili morientes, dicerent, tales perdi, taleſque ſervari, quales futuros illos in annis majoribus, ſi ad activam ſervarentur ætatem, ſcientia Divina præviderit.

24. Fauſtus lib. 2. de libero arbitrio, cap. 2. Hoc (inquit) potius agnoſce, quod præſcientia Dei de materia humanorum actuum ſumat exordium. quid de nobis ſcire ac præordinare debeat Deus quantum pertinet ad futurum, in profectu hominis defectuque conſiſtit. Præſcientia Dei pro humana ſe actione convertit. Idem eodem libro cap. 6. exponens verba Dei, de illis nondum natis geminis, Jacobo & Eſavo, quæ ab Apoſtolo ad Rom. 9. repetuntur, ait Deum prævidiſſe utriuſque futuram converſationem, in eaque ſe obtuliſſe Deo evidentes & juſtiſſimas cauſas dilectionis odiiq; divini, per quas Eſau odio, Jacob autem dilectione Dei dignus. Et cap. ultimo ejuſdem operis, ait, juſtitiæ fuiſſe, ut Deus non ante eligeret quam probaret.

25. His adde quæ reſponderunt Semipelagiani ad præcedentes quæſtiones. Ex quibus omnibus patet, eos in libera Dei voluntate non agnoviſſe cauſſam diſcriminationis hujus, qua alii præ aliis eliguntur, aut rejiciuntur, ſed eam ulterius inveſtigaſſe, & collocaſſe in ipſorum hominum diſpari converſatione, qua alios electione dignos invenit non fecit Deus, alios autem rejectione & odio dignos quia invenit, ideo rejecit.

### *Reſponſio Catholicorum.*

26. At Catholici, ut oſtenſum eſt, docuerunt neminem à Deo inveniri dignum electione, ſed omnes inveniri dignos rejectione. ideoq; quamvis in rejectione quorundam qui rejici merentur, ſe evidenter exerat Dei irreprehenſibilis juſtitia, debitas pœnas merentibus præparans: cur tamen non eadem ſeveritate cum aliis rejici merentibus agat, ſed quoſdam miſericorditer liberans, hos eligat, illos rejiciat, cum poſſet, ſi vellet, abſque ulla injuſtitia rejicere hos quos eligit, & eligere hos quos rejicit; Nullam hujus diſcriminationis aliam cauſſam in ſcripturis inveniunt, nullam aliam inveſtigant, niſi inſcrutabile myſterium liberrimæ voluntatis Dei.

27. Auguſtinus ait, epiſt. 105. Quid enim diligebat in Jacob, antequam natus feciſſet aliquid boni, niſi gratuitum miſericordiæ ſuæ donum? Et quid oderat in Eſau, antequam feciſſet aliquid mali, niſi originale peccatum? Nam neque in illo diligeret juſtitiam quam nullam ipſe fecerat, neque in iſto odiſſet naturam quam bonam ipſe perfecerat. Mirum autem, cum his coarctantur anguſtiis, in quam ſe abrupta præcipitent, metuentes retia veritatis. Ideo, inquiunt, nondum natorum alium oderat, alium diligebat, quia eorum futura opera prævidebat. quis iſtum acutiſſimum ſenſum defuiſſe Apoſtolo non miretur? hoc quippe ille non vidit, quãdo ſibi velut adverſantis objecta quæſtione, non id potius tam breve, tam apertum, tam, ſicut iſti putant, verum abſolutumque reſpondit: Sed; abſit ut ſit iniquitas apud Deum! Moyſi enim dicit, Miſerebor cui miſericors ero, & miſericordiam præſtabo cui miſericors fuero. Igitur non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Ubi nunc merita? &c. vide ibi prolixiorem Auguſtini diſſertationem.

*Rom. 9. de Eſau & Jacob.*

28. Idem epiſt. 106. Sed (inquit) cum vellet Apoſtolus oſtendere, cur in iis non ſit iniquitas apud Deum, ait, Moyſi enim inquit, Miſerebor cui miſertus ero, & miſericordiam præſtabo cui miſericors fuero. quid nos hic docuit, niſi ex illa maſſa primi hominis cui merito mors debetur, non ad merita hominum, ſed ad Dei miſericordiam pertinere quod quiſque liberatur, atque ita non eſſe iniquitatem apud Deum, quia neque dimittendo neque exigendo quod debetur injuſtus eſt? ——— Non ex operibus ſed ex vocante dictum eſt, major ſerviet minori. quia in re nimis alta & inſcrutabilia ſunt judicia Dei, & inveſtigabiles viæ ejus, interim teneat homo non eſſe iniquitatem apud Deum, ſed qua æquitate cujus vult miſeretur, & quem vult obdurat, ſe tanquam hominem ignorare fateatur. Hæc ibi.

*Rom. 9. 15.* *Rom. 9. 11, 12.*

29. Idem epiſt. 107. Scimus (inquit) quod omnes adſtabimus ante tribunal Chriſti, ut ferat unuſquiſque ſecundùm ea quæ per corpus geſſit, non ſecundùm ea quæ ſi diutius viveret, geſturus fuit, ſive bonum, ſive malum. Hanc etiam inſaniam de parvulorum meritis hypotheticis ſi diutius viverent, refellit prolixè Auguſt. lib. de prædeſtinatione ſanctorum, capp. 12. & 13. & 14.

30. Idem Enchiridii ad Laurentium cap. 32. Cum proculdubio ſi homo ejus ætatis eſt ut ratione jam utatur, non poſſit credere, ſperare, diligere, niſi velit, nec pervenire ad palmam ſupernæ vocationis Dei, niſi voluntate cucurrerit, quomodo ergo non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, niſi quia & ipſa voluntas à Deo præparatur? alioqui ſi propterea dictum eſt, quia ex utroque fit, tanquam diceretur, non ſufficit ſola voluntas hominis, ſi non ſit etiam miſericordia Dei. Non ergo ſufficit ſola miſericordia Dei, ſi non ſit voluntas hominis; ac per hoc, cur non & è contrario rectè dicitur, Non miſerentis eſt Dei, ſed volentis eſt hominis? hoc ſi nullus Chriſtianus dicere audebit, ne Apoſtolo apertiſſimè contradicat: reſtat ut propterea rectè dictum intelligatur, non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam, &c.

31. Fulgentius, & qui cum eo Epiſcopi Afri, lib. ad Petrum diaconum, de incarnatione & gratia, cap. 18. Salubriter (inquiunt) nos inſtruit Apoſtolus, dicens, Igitur non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. quia reverà, & ut velimus, miſericordiæ prævenientis illuminamur dono; & ut curramus, miſericordiæ ſubſequentis fulcimur auxilio. Hæc illi.

32. Aug. lib. de prædeſtinatione ſanctorum, cap. 9. Cur autem iſtum potius quam illum liberet, inſcrutabilia ſunt judicia Dei, & inveſtigabiles viæ ejus. Melius enim & hic audimus aut dicimus, O homo, tu quis es qui reſpondeas Deo? quam dicere audeamus, quaſi noverimus quod occultum eſſe voluit. qui tamen aliquid injuſtum velle non potuit. Hæc Auguſtinus.

33. Proſper ad cap. Gall. cap. 8. Impoſſibile eſt comprehendere, & periculoſæ curioſitatis eſt quærere: cum tamen, quod nulla ſit apud Deum iniquitas, nemini liceat ignorare.

34. Auguſtinus ait, revelatum iri nobis in cœleſti



patria, quod nunc nos latet, cur ille potius quam iſte fuerit aſſumtus, quamvis ambo fuerint reatu pares: & cur non ſint facta ſigna illa in Tyro & Sidone, quibus conſpectis reſipuiſſent: & tamen facta ſint in Chorazin & Bethſaida, ubi ingrato contemtu excepta ſunt. Auguſtinus in Enchiridio, cap. nonageſimo quinto.

## Ad priorem partem quæſtionis ſextæ.

## An hæc Catholicorum doctrina injuſtitiam aut crudelitatem Deo tribuat.

### *Reſponſio Semipelagianorum.*

35. Affirmativam reſponſionem Fauſtus tueri conatur, libro primo de libero arbitrio, capite quarto, & libro ſecundo, capite quarto.

### *Reſponſio Catholicorum.*

36. Reſponſionem negantem exhibuerunt jam nobis allata Catholicorum ad ſuperiorem quæſtionem teſtimonia: quibus pauca hæc adjicimus.

37. Auguſtinus, Enchirid. cap. 99. Ad utrumque concludens Apoſtolus, id eſt, ad miſericordiam & judicium, inquit, Ergo cujus vult miſeretur Deus, & quem vult obdurat. Miſeretur, ſcil. magna bonitate, obdurat nulla iniquitate, ut nec liberatus de ſuis meritis glorietur, nec damnatus niſi de ſuis meritis conqueratur. Sola enim gratia redemtos diſcernit à perditis, quos in unam perditionis concreverat maſſam ab origine ducta cauſſa communis. Hoc autem qui eo modo audit ut dicat, quid adhuc conqueritur? Nam voluntati ejus quis reſiſtit? tanquam propterea malus non videatur eſſe culpandus, quia Deus cujus vult miſeretur, & quem vult obdurat: abſit ut pudeat nos hoc reſpondere, quod reſpondiſſe videmus Apoſtolum, O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo? Numquid dicet figmentum ei qui ſe finxit, quid me feciſti ſic? an non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere, aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? hoc enim loco quidam ſtulti putant Apoſtolum reſponſione defeciſſe, & inopiâ reddendæ rationis compreſſiſſe contradictoris audaciam. Sed magnum habet pondus quod dictum eſt, ô homo, tu quis es? & in talibus quæſtionibus ad ſuæ capacitatis conſiderationem revocat hominem, verbo quidem brevi, ſed reipſâ magna eſt redditio rationis. Si enim non capit hæc, quis eſt qui reſpondeat Deo? Si autem capit, magis non invenit quid reſpondeat. Videt enim, ſi capit, univerſum genus humanum tam juſto judicio divino in Apoſtatica radice damnatum, ut etiamſi nullus inde liberaretur, nemo rectè poſſet Dei vituperare juſtitiam; & qui liberantur, ſic oportuiſſe liberari, ut ex pluribus non liberatis, atque in damnatione juſtiſſima derelictis, oſtenderetur quid meruiſſet univerſa conſperſio, & quo etiam iſtos debitum judicium Dei duceret, niſi ejus indebita miſericordia ſubveniret: ut volentium de ſuis meritis gloriari omne os obſtruatur, & qui gloriatur, in Domino glorietur. Hæc ibi.

38. Idem Aug. lib. de bono perſeverantiæ, cap. 12. Conficitur itaque gratiam Dei non ſecundùm merita accipientium dari, ſed ſecundùm placitum voluntatis ejus, in laudem & gloriam ipſius gratiæ ejus, ut qui gloriatur, nullo modo in ſe ipſo, ſed in Domino glorietur: qui hominibus dat quibus vult, quoniam miſericors eſt, quod & ſi non det, juſtus eſt: & non dat quibus non vult, ut notas faciat divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ. Dando enim quibuſdam quod non merentur, profectò gratuitam, & per hoc veram ſuam gratiam eſſe voluit. Non omnibus dando, quid omnes mereantur oſtendit. Bonus in beneficio certorum, juſtus in ſupplicio cæterorum: & bonus in omnibus, quoniam bonum eſt cum debitum redditur: & juſtus in omnibus, quoniam juſtum eſt cum debitum ſine cujuſquam fraude donatur. Hæc ibi Auguſtinus.

39. Proſper, ad tertiam objectionem Vincentianam; De Deo dici non poteſt, aliter eum quicquam facere debuiſſe, quam fecerit.

## Ad poſteriorem partem quæſtionis ſextæ.

## An hæc Catholicorum doctrina uſum hortationum & precum ſtudiumque pietatis hominibus adimat.

### *Reſponſio Semipelagianorum, affirmans.*

40. Proſper eam refert, epiſt. ad Auguſtinum, de reliquiis Pelagianæ hæreſeos his verbis; Cum ſi aliud habeat prædeſtinantis electio, caſſa ſit annitentis intentio. Removeri itaque omnem induſtriam, tollique virtutes, ſi Dei conſtitutio humanas præveniat voluntates: & ſub hoc prædeſtinationis nomine, fatalem quandam induci neceſſitatem.

41. Item Hilarius, in ſua ejuſdem argumenti epiſtola ad Auguſtinum; Nam ſi ſic prædeſtinati ſunt, inquiunt, ad utramque partem, ut de aliis ad alios nullus poſſit accedere, quo pertinet tanta extrinſecus correctionis inſtantia?

42. Fauſtus Semipelagianus, lib. 1. de libero arbitrio, cap. 4. qui (inquit) unum in origine perditum, alterum in prædeſtinatione adfirmat electum, vide quo improbâ perſuaſione declinet. quid enim aliud dicit, niſi quod adjutorio orationis neuter indigeat. Nam jam præordinatis ad vitam neceſſaria non erit, deputatis ad mortem prodeſſe non poterit. Hæc Fauſtus.

### *Reſponſio Catholicorum, negans.*

43. Sed aiunt (inquit Auguſtinus) prædeſtinationis definitionem utilitati prædicationis adverſam, quaſi verò adverſata ſit Apoſtolo prædicanti. Nonne ille doctor gentium in fide & veritate prædeſtinationem toties commendavit, & verbum Dei prædicare non deſtitit? Numquid quia dixit, Deus eſt qui operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate ſua: ideo, non ipſe, & ut velimus quæ Deo placeant, & ut operemur hortatus eſt? aut quia dixit, qui in vobis bonum *Philip. 2. 13.*

*Philip. 1.6.*
num opus cœpit, perficiet uſque in diem Chriſti Jeſu. ideo ut inciperent homines, & perſeverarent uſque in finem, ipſe non ſuaſit? Nempe ipſe Dominus hominibus præcepit, ut crederent, atque ait, Credite in Deum, & in me credite: nec tamen ejus falſa ſententia eſt, nec vana definitio, ubi ait, Nemo venit ad me, id eſt, nemo credit in me, niſi fuerit ei datum à Patre meo. Nec rurſus, quia vera eſt hæc definitio, ideo vana eſt illa præceptio. Cur ergo prædicationi, præceptioni, exhortationi, correptionique, quæ omnia frequentat ſcriptura divina, exiſtimamus inutilem definitionem prædeſtinationis, quam commendat eadem ſcriptura divina? ——— Et tamen hæc prædeſtinatio, quæ ſatis apertè etiam verbis Evangelicis explicatur, non prohibuit Dominum & propter incipiendum dicere, quod paulò ante commemoravi, Creditis in Deum, & in me credite: & propter perſeverandum, oportere ſemper orare & non deficere. Audiunt enim hæc & faciunt quibus datum eſt, non autem faciunt, ſive audiant ſive non audiant, quibus non datum eſt. quia vobis, inquit, datum eſt noſſe myſterium regni Cœlorum, illis autem non eſt datum: quorum alterum ad miſericordiam, alterum ad judicium pertinet illius, cui dicit anima noſtra, Miſericordiam & judicium cantabo tibi Domine. Nec prædeſtinationis igitur prædicatione impedienda eſt prædicatio fidei perſeverantis & proficientis, ut quod oportet audiant, & quibus datum eſt ut obediant. quomodo enim audient ſine prædicante? Nec rurſus prædicatione fidei proficientis, & uſque ad ultimum permanentis, impedienda eſt prædicatio prædeſtinationis, ut qui fideliter & obedienter vivit, non de ipſa obedientia tanquam de ſuo non accepto bono extollatur, ſed qui gloriatur, in Domino glorietur. In nullo enim gloriandum, quando noſtrum nihil eſt. quod vidit fideliſſimè Cyprianus, & fidentiſſimè definivit, per quod utique prædeſtinationem certiſſimam pronunciavit. ——— His Cypriani verbis proculdubio prædeſtinatio prædicata eſt, quæ ſi Cyprianum à prædicatione obedientiæ non prohibuit, nec nos utique debet prohibere. quamvis ergo dicamus Dei donum eſſe obedientiam, tamen homines exhortamur ad eam. Sed illis qui veritatis exhortationem obedienter audiunt, ipſum donum Dei datum eſt, hoc eſt, obedienter audire: illis autem qui non ſic audiunt non eſt datum ——— Cur autem illi habeant aures audiendi, illi non habeant: hoc eſt, cur illis datum ſit à Patre ut veniant ad Filium, illis autem non ſit datum, quis cognovit ſenſum Domini, aut quis ejus conſiliarius fuit? Aut tu quis es homo, qui reſpondeas Deo? Numquid ideo negandum eſt quod apertum eſt, quia comprehendi non poteſt quod occultum eſt? Hæc Auguſtinus, libro de bono perſeverantiæ, cap. 14.

*Joan. 14. 1.* *Joan. 6.45.* *Joan. 14.1.* *Luc. 18.1.* *Matth. 13.11.* *Pſal. 100. (Hebr. 101.) verſ. 1.* *Rom. 10. 14.*

*Noſtrum nihil eſt. Vide ſupra, cap. 2. § 10.*

*Non ideo negandum eſt quod apertum eſt, quia comprehendi non poteſt quod occultum eſt.*

44. Idem etiam, eodem libro, cap. 15. ſic retorquet argumentum. Sed ajunt, ut ſcribitis, neminem poſſe correptionis ſtimulis excitari, ſi dicatur in conventu Eccleſiæ, audientibus multis, Ita ſe habet de prædeſtinatione definita ſententia voluntatis Dei, ut alii ex vobis de infidelitate, acceptâ obediendi voluntate veneritis ad fidem, &c. Iſta cum dicunt (inquit Auguſtinus) ita nos à confitenda Dei gratia, id eſt, quæ non ſecundum merita noſtra datur, & à confitenda ſecundum eam prædeſtinatione ſanctorum deterrere non debent: ſicut non deterremur à confitenda præſcientia Dei, ſi quis de illa populo ſic loquatur, ut dicat, Sive nunc rectè vivatis, ſive non rectè, tales vos eritis poſtea, quales vos Deus futuros eſſe præſcivit, vel bonos ſi bonos, vel malos ſi malos: Nunquid enim ſi hoc audito nonnulli in torporem, ſegnitiemq; vertantur, & à labore proclives ad libidinem poſt concupiſcentias ſuas eant, propterea de præſcientia Dei falſum putandum eſt eſſe, quod dictum eſt? Item cap. 16. Sunt etiam (inquit) qui propterea vel non orant, vel frigidè orant, quoniam Domino dicente didicerunt, ſcire Deum quid nobis neceſſarium ſit priuſquam petamus ab eo. Num propter tales hujus ſententiæ veritas deſerenda, aut ex Evangelio delenda putabitur? imò cum conſtet Deum alia danda etiam non orantibus, ſicut initium fidei, alia non niſi orantibus præparaſſe, ſicut uſque in finem perſeverantiam; profectò qui ex ſe ipſo hanc ſe habere putat, non orat ut habeat.

45. Idem, ejuſdem lib. de bono perſever. cap. 17. fruſtra (inquit) quotidie à Domino poſcitur perſeverantia uſque in finem, ſi non eam Dominus per gratiam ſuam in illo cujus orationem exaudit, operatur. ——— Iſta igitur ſua dona quibuſcunque Deus donat, proculdubio donaturum ſe eſſe præſcivit, & in ſua præſcientia præparavit. Quos ergo prædeſtinavit, ipſos & vocavit vocatione illâ, de qua dictum eſt, Sine pœnitentia ſunt dona & vocatio Dei. Nam in ſua quæ falli mutarique non poteſt præſcientiâ, opera ſua futura diſponere, id omnino nec aliud quicquam eſt niſi prædeſtinare. Sicut autem ille quem caſtum futurum eſſe præſcivit, quamvis id incertum habeat, agit ut caſtus ſit: ita ille quem caſtum futurum prædeſtinavit, quamvis id incertum habeat, non ideo non agit ut caſtus ſit, quoniam Dei dono ſe audit futurum eſſe quod erit, imò etiam gaudet ejus charitas, nec inflatur tanquam id non acceperit. Non ſolum ergo prædicatione prædeſtinationis ab hoc opere non impeditur, verum hoc adjuvatur, ut cum gloriatur in Domino glorietur. quod autem dixi de caſtitate, hoc de fide, hoc de pietate, de charitate, de perſeverantia, & ne pergam per ſingula, hoc de omni obedientia qua obeditur Deo, veraciſſimè dici poteſt. Hæc ibi.

46. Et infra, eod. cap. ſic rurſus in ipſos Semipelagianos retorquet argumentum: Neque iſti (inquit) propter quos hæc dicimus, quæ prædicatione prædeſtinationis & gratiæ, exhortationem clamitant impediri, ad ſola illa exhortantur bona quæ non à Deo dari, ſed à nobis eſſe contendunt: ſicut ſunt initium fidei, & uſque in finem perſeverantia: quod utique facere deberent, ut tantummodo infideles hortarentur, ut crederent, & fideles, ut credentes permanerent. Ea verò quæ nobiſcum Dei dona eſſe non negant, ut nobiſcum Pelagianum demoliantur errorem: ſicut eſt pudicitia, continentia, patientia, & cætera quibus rectè vivitur, & ex fide impetrantur, à Domino oranda monſtrare, & orare ſolum vel ſibi vel aliis debuerunt, non autem quenquam ut ea caperet & retineret hortari. Cum verò & ad hæc capienda hortantur ut poſſunt, atque exhortando ſe eſſe homines confitentur, ſatis utique oſtendunt, nec ea prædicatione impediri exhortationes, ſive ad fidem, ſive ad perſeverantiam uſque in finem, quia & iſta Dei dona eſſe, nec à ſeipſo cuiquam, ſed ab illo tribui prædicamus. Hæc Auguſtinus, loco citato.

47. Idem, ejuſdem libri de bono perſeverantiæ, cap. 23. ex ipſis orationibus ſeu precibus, quas ſemper habuit & habebit Eccleſia pro infidelibus ut eis donetur fides, & pro fidelibus ut eis donetur perſeverantia, colligit invictum argumentum pro divina prędeſtinatione, quam ipſe aliique Catholici prædicabant. Tantum abeſt ut doctrina hæc de prædeſtinatione precibus adverſetur. Vide ſupra, in controverſiis Pelagianis, cap. 2. controverſ. 9.



48. Ait alibi Auguſtinus, pro ſolis quidem electis exaudiri orationes Eccleſiæ, ideoque ſi certa eſſet quinam ſint ii, qui licet in hac vita adhuc conſtituti ſint, tamen prædeſtinati ſunt in æternum ignem ire cum Diabolo, tam pro eis non oraturam, quam nec pro ipſo. Sed quia de nullo certa eſt, ideo eam orare pro omnibus, licet pro ſolis electis ſe ſciat exaudiri. Aug. lib. 21. de Civitate Dei, cap. 24.

49. Et certè hæc mens eſt Eccleſiæ, ut proſint ejus preces electis. ſicut Chriſtus ſciens quos elegerat, profitetur ſe non orare pro mundo, ſed pro eis quos dedit ei Pater, Joan. 17. hinc patet falſum eſſe quod ait Fauſtus, inutiles eſſe preces: nam exauditur Eccleſia pro electis, ut patet ex ſacris literis; ergo illis utiles ſunt Eccleſiæ preces. Promiſerat & immutabili decreto ſtatuerat Deus domum facere Davidi, & reducere poſt 70. annos captivitatem Babylonicam, & ſervare credentes in Chriſtum quos ipſe ei ſervandos dederat: Audebuntne propterea Semipelagiani dicere, ſupervacuas & inutiles fuiſſe Davidis & Danielis, & ipſius Chriſti pro eis rebus orationes? 2. Sam. 7. Dan. 9. Joan. 17. Reprobis quidem non proſunt noſtræ preces; Sed de quoquam in hac adhuc vita conſtituto noſtrum non eſt judicare, ſed potius indifferenter pro omnibus. Dei juſſu, orare, ſi fortè eis det Deus pœnitentiam, ad agnitionem veritatis, ut reſipiſcant de diaboli laqueo. Idem de hortationibus & correptionibus dicendum eſt, quia in eundem finem, ejuſdemque Dei juſſu, omnibus ſeu ſingulis ut occurrerint, debemus; Dei autem eſt, qui ſolus dat incrementum, eas facere utiles illis quibus in ſua æterna fallique & immutari neſcia præſcientiâ donum ſalutaris obedientiæ præparavit. Neque nos ab officii à Deo imperati obligatione liberat vel excuſat quorundam finalis contumacia Deo ab æterno ſatis cognita, quia etiam pereuntis ſanguis requiretur de manu negligentis excubitoris, ut monet Dominus apud Ezechielem, quod & obſervavit Auguſtinus, lib. de correptione & gratia, cap. 16. Rectè idem Auguſtinus, Non argumentemur (inquit) contra Dei præcepta, eodem lib. de correptione & gratia, cap. 15. Imo Semipelagiani contra Deum ipſum argumentantur, quem negare non poſſunt præcognitam habere multorum contumaciam juſtamque perditionem, quos tamen hortari non deſinit, & de quibus mandata ſervis ſuis dat, ut eos hortentur ac pro eis orent. Imo ipſis Prophetis per divinam revelationem in anteceſſum certò cognita auditorum contumacia, ab injuncto erga illos prædicationis officio eos haudquaquam retraxit. [Eſai. 6. Jerem. 7. Ezechiel. 3.] Sed, ô homo, tu quis es, qui ex adverſo reſpondeas Deo? Nos humili obſequio divinis mandatis obſecundemus, nec inani carnis ſenſu turgeſcamus, aut in ea quæ non vidimus nos ingeramus, ſed hortando & corripiendo proximos noſtros, & pro eis Deum orando, liberemus animas noſtras.

*Rom. 9.20.* *Ezech. 3.19.*

*Qui facit officium cætera tutus erit.*

50. Doctores Eccleſiarum Apoſtoli (inquit Auguſtinus) & præcipiebant quæ fierent, & corripiebant ſi non fierent, & orabant ut fierent. Præcipit Apoſtolus Paulus, ut habeatur charitas; corripit, quia non habetur charitas: orat, ut abundet charitas. O homo in præceptione cognoſce, quid debeas habere: in correptione cognoſce, tuo te vitio non habere: in oratione cognoſce, unde accipias quod vis habere. Aug. lib. de correptione & gratia, cap. 3.

*Præceptio, & correptio, & oratio.*

51. Deinde ait idem Aug. eodem libro, cap. 8. Quantum itaque nobis judicia ſua manifeſtare dignatur, gratias agamus: quantum verò abſcondere, non adverſus ejus conſilium murmuremus, ſed hoc quoque nobis ſaluberrimum eſſe credamus. Ego autem (ait alibi idem Auguſt.) nolo exaggerare meis verbis, ſed illis [Semipelagianis] cogitandum potius relinquo, ut videant quale ſit quod ſibi perſuaſerunt, prædicatione prædeſtinationis audientibus plus deſperationis quam exhortationis afferri: hoc eſt enim dicere, tunc de ſua ſalute hominem deſperare, quando ſpem ſuam non in ſe ipſo, ſed in Deo didicerit ponere: cum Propheta clamet: Maledictus omnis qui ſpem ponit in homine. Hæc Auguſtinus, lib. de bono perſeverantiæ, cap. 17.

*Hierem. 17.5.*

52. Et ſupra eodem capite: Sic videant nec ad fidem, nec ad perſeverantiam impediri hortationes ſuas, ſi & ipſa opera, quod verum eſt, eſſe Dei dona, eaque præcognita, id eſt, ad donandum prædeſtinata eſſe dicantur: ſed impediri potius atque ſubverti hac prædeſtinationis prædicatione illum tantummodo pernicioſiſſimum errorem, quo dicitur gratia Dei ſecundùm merita noſtra dari, ut qui gloriatur, non in Domino ſed in ſeipſo glorietur. Hactenus Auguſtinus.

53. Calumnia illa de fatali neceſſitate refutata eſt ſupra in Controverſiis Pelagianis, cap. 2. controverſ. 19. Nec minus ineptum illud quod clamitant de caſſa annitentis intentione, ſi aliud habeat prædeſtinantis electio: nam ſincera & conſtans annitentis intentio nunquam caſſa eſt; nam eſt ipſum illud donum perſeverantiæ, quod eſt electionis effectum certumque indicium, & futuræ glorificationis nunquam fallens præſagium.

*Non eſt caſſa annitentis intentio ſincera & conſtans.*

## Ad quæſtionem ſeptimam.

### *Reſponſio Semipelagianorum.*

54. Proſper epiſt. ad Auguſtinum, de reliquiis Pelagianæ hæreſeos, Cum ut ipſi ea exponant, ſecundum quorum velint ſenſa depoſcimus, nihil ſe profitentur inveniſſe quod placeat, & de his tacere exigunt, quorum altitudinem nullus attigerat. Eo poſtremo pervicacia tota deſcendit, ut fidem noſtram ædificationi audientium contrariam eſſe definiant, ac ſic, etiamſi vera ſit, non promendam: quia & pernicioſè non recipienda tradantur, & nullo periculo quæ intelligi nequeant, conticeantur.

*Reſponſio Catholicorum.*

55. Dicatur verum, (inquit Auguſtinus) maximè ubi aliqua quæſtio ut dicatur impellit, & capiant qui poſſunt: ne fortè cum tacetur propter eos qui capere non poſſunt, non ſolum veritate fraudentur, verum etiam falſitate capiantur, qui verum capere, quo caveatur falſitas, poſſunt. Facile eſt enim, imo & utile, ut taceatur aliquod verum propter incapaces. quamvis modo quodam dicendi fieri poſſit, ut id quod dicitur, & parvulis lac, & grandibus eſca ſit. ſicut; In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. quis Chriſtianus tacere poteſt? quis capere? aut quid in doctrina ſana poteſt inveniri grandius? quod tamen & parvulis non tacetur, & nec grandibus nec parvulis occultatur. Sed alia eſt ratio verum tacendi, alia verum dicendi neceſſitas. ——— Inſtat inimicus gratiæ atque urget modis omnibus, ut credatur ſecundum merita noſtra dari, & ſic gratia jam non ſit gratia. Et nos nolumus dicere, quod teſte Scripturâ poſſumus dicere: timemus enim videlicet ne loquentibus nobis offendatur, qui veritatem non poteſt capere, & non timemus ne tacentibus nobis, qui veritatem poteſt capere, falſitate capiatur. Aut enim ſic prædeſtinatio prædicanda eſt, quemadmodum eam ſancta Scriptura evidenter loquitur, ut in prædeſtinatis ſine pœnitentia ſint dona & vocatio Dei; aut gratiam Dei ſecundum noſtra dari merita confitendum, quod ſapiunt Pelagiani. Auguſtinus libro de bono perſeverantiæ, cap. 16.

Joan. 16. 12. & 1. Cor. 3. 1. 2.

Joan. 1. 1. *Idem quodque & parvulis lac, & grandibus eſca.*

Rom. 11. 29.

56. Idem, eodem libro, cap. 20. Certè qui non accipit, rejiciat: dum tamen qui capit, ſumat & bibat, bibat & vivat. Et Cap. 21. Nimiæ igitur contentionis eſt, prædeſtinationi contradicere, vel de prædeſtinatione dubitare. quæ tamen non ita populis prædicanda eſt, ut apud imperitam vel tardioris intelligentiæ multitudinem refelli quodammodo ipſa ſuâ prædeſtinatione [*legendum forte prædicatione*] videatur: ſicut redargui videtur & præſcientia Dei, quam certè negare non poſſunt, ſi dicatur hominibus, ſive curratis ſive dormiatis, quod vos præſcivit qui falli non poteſt hoc eritis. Doloſi autem & imperiti medici eſt etiam utile medicamentum ſic alligare, ut aut non proſit, aut obſit: ſed dicendum eſt, Sic currite, ut comprehendatis, atque ut ipſo curſu veſtro ita vos eſſe præcognitos noveritis, ut legitimè curratis: & ſi quo alio modo Dei præſcientia prædicari poteſt, ut hominis ſegnitia repellatur. Et cap. 22. quamvis ergo ita ſe habeat de prædeſtinatione definita ſententia voluntatis Dei, non tamen, &c. Docet prolixè iſto capite Auguſtinus, quonam modo prædicanda ſit prædeſtinatio. Et concludens, eam prorſus prædicandam, ait; Hæc atque hujuſmodi cum dicuntur ſive paucis Chriſtianis, ſive multitudini Eccleſiæ, cur metuimus ſanctorum prædeſtinationem, & veram Dei gratiam, id eſt, quæ non ſecundum merita noſtra datur, ſicut eam ſancta Scriptura prædicat, prædicare? An vero timendum eſt, ne tunc de ſe homo deſperet, quando ſpes ejus ponenda demonſtratur in Deo; non autem deſperaret, ſi eam in ſeipſo ſuperbiſſimus & infeliciſſimus poneret? Hæc Auguſtinus. quibus adjunge ea quæ ex eodem ad ſuperiorem quæſtionem allata ſunt in hanc ſententiam.

*Prædicanda eſt prædeſtinatio, prudenter tamen prædicanda eſt.*

57. Eccleſia Lugdunenſis, libro de tribus epiſtolis, in cauſſa Gotteſchalci ſcriptis, mox ſub initium illius libri, refert hoc in una earum de Gotteſchalco ſcriptum eſſe, quod alio prædicationem ſuam eſſet apud barbaras & Paganas gentes orſus initio quàm Joannes, qui dixit, Pœnitentiam agite, &c. & quàm Paulus Apoſtolus, qui docuit per viſibilia viſibilium & inviſibilium cognoſcere Creatorem, prædicare cœperit; quia ante omnia ſecula & antequam quicquam faceret à principio Deus, quos voluit prædeſtinavit ad regnum, & quos voluit prædeſtinavit ad interitum, &c. Reſpondet Eccleſia Lugdunenſis, videri ſibi incredibile, Gotteſchalcum tam importunè atque præpoſterè talia ingeſſiſſe. Et poſtea eodem libro, (in bibliotheca Patrum, tom. 4. part. 2. col. 360. editionis 4.) Quapropter (inquit) etſi illius miſerabilis monachi improbatur levitas, improbatur temeritas, culpatur importuna loquacitas, non ideo divina neganda eſt veritas. quia juxta præmiſſam Catholicæ fidei rationem omnipotens Deus ante conſtitutionem mundi, antequam quicquam faceret à principio certis & juſtis atque immutabilibus cauſſis æterni conſilii ſui, quoſdam prædeſtinaverit ad regnum gratuitâ bonitate ſua, ex quibus nemo ſit periturus, protegente miſericordia ſuâ: & quoſdam prædeſtinaverit ad interitum juſto judicio ſuo, propter meritum quod præſcivit impietatis eorum; ex quibus nemo poſſit ſalvari, non propter violentiam aliquam divinæ poteſtatis, ſed propter indomabilem & perſeverantem nequitiam propriæ iniquitatis. Plura ibidem in eandem ſententiam, cum inſigni Auguſtini & Fulgentii commendatione, lector inveniet.

## CAPUT DECIMUM-QUARTUM.

*Septem regulæ, ab Eccleſia Lugdunenſi propoſitæ; De præſcientia & prædeſtinatione Dei.*

Antequam ad reliquos articulos progrediamur, accipe has ſeptem regulas, ad ſecundum hunc articulum pertinentes, ex eodem illo libro Eccleſiæ Lugdunenſis de tribus epiſtolis. quarum regularum, in eo libro, hæc eſt inſcriptio;

*Septem regulæ fidei, ex Divinarum Scripturarum auctoritate venientes, & à ſanctis atque orthodoxis Patribus diligentiſſimè commendatæ, de præſcientia & prædeſtinatione divinâ, quas & Catholicus quiſque fideliſſimè tenere debeat, & quicunque his contraria ſapit, non Catholicè ſentire comprobetur.*

Harum ergo prima eſt, ut omnino firmiſſimè ac fideliſſimè teneamus, quia omnipotens Deus nihil ex tempore præſcierit vel prædeſtinaverit: ſed ſicut ipſe abſque ullo initio æternus & incommutabilis eſt, ita & ejus præſcientia ac prædeſtinatio ſempiterna ac incommutabilis ſit.

2. Secunda regula divinæ præſcientiæ & prædeſtinationis eſt: Nihil omnino eſſe aut fuiſſe, aut futurum eſſe poſſit in operibus Dei, quæ ſive in condendis, ſive in regendis, ſive in conſummandis vel finiendis creaturis agit, quod non ipſe in ſuo æterno conſilio atque judicio & veraciter præſcierit, & immobiliter prædeſtinaverit. ——— Nihil enim temere vel fortuito, ſed omnia æternæ ſuæ ſapientiæ conſilio & ratione facit.

3. Tertia regula divinæ præſcientiæ & prædeſtinationis eſt: quia in operibus omnipotentis Dei non ſunt alia præſcita & alia prædeſtinata: ſed quicquid ibi eſt præſcitum, quia totum eſt bonum & juſtum, ſine dubio eſt etiam prædeſtinatum: & quicquid eſt prædeſtinatum, utique eſt præſcitum: quia prædeſtinatio ſine præſcientia eſſe non poteſt. Quantum igitur ad ipſa opera divina pertinet, ſive dicantur præſcita, ſive dicantur prædeſtinata, tantundem valet, & eandem exprimit immobilem firmitatem. Inde eſt quod Apoſtolus quodam loco præſcientiam Dei prædeſtinationem ejus intelligi voluit; ubi ait, Non repulit Deus plebem ſuam quam præſcivit; ſi enim præſciſſet tantummodo & non prædeſtinaſſet, nequaquam eam plebem ſuam feciſſet: ſed quia ita præſcivit, ut eam veriſſimè ipſa præſcientia prædeſtinaret, quid eſt aliud quod eam præſcivit, niſi quia verè & immutabiliter prædeſtinavit. Sic ergo in præordinatione electorum ad vitam, & in præordinatione reproborum ad mortem, quia utrumque juſtum opus Dei eſt, ſicut Pſalmus teſtatur dicens, Juſtus Dominus in omnibus viis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis, nec præſcientia ejus ſine prædeſtinatione, nec prædeſtinatio ſine præſcientia intelligi poteſt; quia iſtud juſtum eſt & rectum opus ſuum, & verè præſcivit, & præſciendo juſtè prædeſtinavit.

Rom. 11. 2.

Pſal. 144. 17.

4. Quarta regula eſt ejuſdem præſcientiæ & prædeſtinationis: quod hæc duo in operibus rationalis creaturæ & diſtinctè & conjunctè intelligi poſſunt: quia ſcilicet ejuſdem creaturæ opera alia ſunt bona, alia ſunt mala: & quia bona opera ita ſunt ipſius creaturæ, ut ſint omnino principaliter & veraciter opera Creatoris, qui operatur in ea & velle & perficere pro bona voluntate, rectiſſimè tanquam verè divina, id eſt, divinitus inſpirata & geſta & præſcita & prædeſtinata debent intelligi. Mala verò opera ejuſdem creaturæ, quia ipſius tantummodo ſunt, & ex ejus vitio, non ex Dei voluntate vel operatione procedunt, præſcita à Deo dici poſſunt, prædeſtinata non poſſunt. quia ita eſt ille certiſſimè præſcius omnium futurorum, & bonorum ſcilicet & malorum, ut nunquam eſſe poſſit prædeſtinator, ſicut nec auctor malorum. Præſcivit itaque Deus & prædeſtinavit rationalis creaturæ ſuæ omnia bona, ſicut Apoſtolus dicit; Nam quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imagini Filii ſui. Mala verò opera & mala merita ejuſdem creaturæ præſcivit tantummodo, non prædeſtinavit.

Rom. 8. 29.

5. Quinta regula eſt præſcientiæ & prædeſtinationis; quod omnipotens Deus eadem præſcientiâ & prædeſtinatione ſua ita quoſdam malos in ſua iniquitate & impietate & præſcierit perſeveraturos, & ob hoc juſtè prædeſtinaverit perituros, ut ex ipſa certa præſcientia & juſta prædeſtinatione ſua nulli neceſſitatem impoſuerit ut malus eſſet, & aliud eſſe non poſſet. Hoc enim ſi feciſſet, quod abſit de ejus bonitate ſentire! ipſe eſſet utique auctor malorum, quę ſuæ poteſtatis violentia fieri compuliſſet. Quod quam horrendæ ſit blaſphemiæ dicere vel cogitare, omnis pius & fidelis intelligit. Suo ergo vitio impii & iniqui in malis ſuis pertinaciter perſeverant, non aliquo Dei præjudicio, qui quotidie omnes ad pœnitentiam vocat, & ad ſalutem invitat, & converſis ad ſe miſericordiæ ſuæ ſinum pandit, & inceſſanter declinari à malis & fieri bona hortatur & admonet. ——— Non ergo ille tantæ bonitatis & pietatis Pater quenquam impellit aut compellit ad malum opus agendum, vel in malo opere permanendum, tamen verè conſtringit & compellit judicio in malis perſeverantes ad juſtum ſupplicium luendum. Et ibi ergo bonus, quia neminem vult malum eſſe: & hic juſtus, quia nullum iniquum & impium permittit impunitum eſſe: nuſquam autem malus, quia malorum tantummodo ultor, nunquam auctor exiſtit. ——— Igitur omnipotens Deus præſcientia ſua erga reprobos prævidit quod verum eſt, eos ſcilicet non ſuo impulſu, ſed proprio vitio in impietatibus perſeveraturos: prædeſtinatione ſuâ ſtatuit & decrevit quod juſtum eſt, eoſdem videlicet æterno ſupplicio perituros.

6. Sexta regula eſt divinæ præſcientię & prædeſtinationis: ut in divinis ſcripturis nequaquam hoc pueriliter quæratur vel exigatur, ut ibi ſolummodo intelligatur divina præſcientia & prædeſtinatio, ubi hæc ipſa nomina præſcientiæ & prædeſtinationis expreſſè & propriè poſita inveniuntur, ſicut eo loco ubi Apoſtolus dicit, nam quos præſcivit & prædeſtinavit conformes fieri imagini Filii ſui: Sed ubicunque res ipſa ejuſdem divinæ præſcientiæ & prædeſtinationis certiſſimè poſita legitur, præſcientiam & prædeſtinationem ipſam intelligendam eſſe minimè dubitemus. Nam ſi proprietates ipſorum nominum requiramus, nuſquam in illis teſtimoniis Propheticis, quæ pro ipſius præſcientiæ & prædeſtinationis commendatione in epiſtola ad Romanos aſſumit & proponit Apoſtolus, vel præſcientia vel prædeſtinatio nominatur; & tamen res ipſa in eis tam clarè & perſpicuè demonſtratur, ut de ea nemini fidelium liceat dubitare. Rom. 8. 29.

7. Septima regula eſt divinæ præſcientiæ & prædeſtinationis; ut neque de electis Dei ullum perire poſſe credamus, neque de reprobis aliquem ſalvari ullatenus exiſtimemus.

Hæ ſeptem regulæ ipſis Remigii, ſeu illius, cui præerat, Eccleſiæ Lugdunenſis verbis à nobis hic propoſitæ, latius ibi explicantur, & confirmantur, paulo poſt initium libri illius de tribus epiſtolis.

## CAPUT DECIMUM-QUINTUM.

*Controverſiarum inter Catholicos & Semipelagianos, articulus tertius.*

### Pro quibus Chriſtus mortuus ſit, ſeu pro quibus Deus tradiderit Filium ſuum.

*Opinio Semipelagianorum.*

PRoſper epiſt. ad Auguſt. de reliquiis Pelagianæ hæreſeos, Hæc (inquit) ipſorum definitio ac profeſſio eſt, Pro univerſo humano genere mortuum eſſe Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & neminem prorſus à redemtione ſanguinis ejus exceptum, etiamſi omnem hanc vitam alieniſſima ab eo mente pertranſeat: quia ad omnes homines pertineat divinæ miſericordiæ ſacramentum. Hæc ibi.

2. Fauſtus lib. 1. de libero arbitrio capite 4. ait eos longè à pietatis tramite recedere, qui dicunt Salvatorem non pro omnibus mortuum eſſe.

3. Hincmarus in epiſtola ad Nicolaum Papam Romanum, apud Flodoardum, lib. 3. capite 14. inter errores Gotteſchalci ponit, quod prædicaverit Chriſtum non effudiſſe Deo Patri pretioſum ſanguinem ſuum pro redemtione & ſalute omnium hominum, ſed tantum pro his qui ſalvantur, ſive pro omnibus electis. Idem dogma ut erroneum Gotteſchalco objicitur in una earum epiſtolarum, quarum mentionem facit Eccleſia Lugdunenſis, lib. de tribus epiſtolis.

*Doctrina Catholicorum.*

*Eccleſia Smyrnenſ.* 4. Antiqua Smyrnenſis Eccleſia, quam Polycarpus Joannis Apoſtoli diſcipulus rexit, in epiſtola quam ſcripſit de Polycarpi martyrio, anno Dom. 169. apud Euſebium lib. 4. hiſt. Eccleſiaſt. capite 15. ait; οὔτε τὸν Χριστόν ποτε καταλιπεῖν δυνησόμεθα, τὸν ὑπὲρ τῆς τοῦ παντὸς κόσμου τῶν σωζομένων σωτηρίας παθόντα. id eſt, neque Chriſtum unquam deſerere poterimus, qui pro ſalute totius mundi eorum qui ſalvantur, paſſus eſt.

*Pro toto mundo eorum qui ſalvantur.*

*Hieronym.* 5. Hieronymus, Comment. in caput 21. Matth. exponens illa Chriſti verba, [*& dare animam ſuam redemtionem pro multis.*] Quando (inquit) formam ſervi accepit, ut pro mundo ſanguinem funderet: non dixit animam ſuam redemtionem dare pro omnibus, ſed pro multis, id eſt, pro his qui credere voluerint.

*Pro omnibus qui credere voluerint.*

*Chryſoſt.* 6. Joannes Chryſoſtomus, in cap. 10. Evangelii Joannis, homil. 59. in illa verba; Ego ſum Paſtor bonus, &c. Alterum (inquit) ab altero confirmat: hoc eſt, quia dat animam, quia dat etiam vitam. Quod & Paulus dicebat, Si enim cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filii ejus: multò magis reconciliati, ſalvi erimus. Et iterum; qui etiam proprio Filio non pepercit, ſed pro omnibus nobis tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit? hæc Chryſoſtomus. Qui ibidem oves Chriſti, de quibus dicit, Cognoſco oves meas, interpretatur populum Dei præcognitum ſeu prædeſtinatum.

*Pro quibus Chriſtus mortuus eſt, dat eis vitam. Rom. 5. 10. Rom. 8. 32. Joan. 10. 14.*

*Auguſt.* 7. Auguſtinus, tractatu 47. in Evangelium Joannis: Miſſus fuerat Chriſtus ad Judæos, non propter quoſdam immani odio pertinaces & perſeverantes in tenebris, ſed propter quoſdam in ipſa gente quas dicit oves ſuas. Et tractatu 48. Quomodo ergo iſtis dixit, non eſtis ex ovibus meis? quia videbat eos ad ſempiternum interitum prædeſtinatos, non ad vitam æternam ſui ſanguinis pretio comparatos. Idem alibi (citante Remigio, ſeu Eccleſia Lugdunenſi, lib. de tribus epiſtolis) Omnes, inquit, fecit ſuas oves, pro quibus eſt omnibus paſſus. Et rurſum tractatu 48. in Evang. Joannis; De ovibus (inquit) iſtis, nec lupus rapit, nec fur tollit, nec latro interficit: ſecurus eſt de numero earum qui pro eis novit quod dedit. Et hoc eſt quod ait; Non rapiet eas quiſquam de manu mea. Item tractatu 95. in idem Evangelium; & mundus eum non cognovit, hoc eſt, homines infideles, quibus toto orbe terrarum mundus eſt plenus: inter quos gemit fidelis mundus, quem de mundo elegit per quem factus eſt mundus; de quo ipſe dicit, Non venit filius hominis ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum. Mundus eo judicante damnatur: mundus eo ſubveniente ſalvatur: Quoniam ſicut arbor foliis & pomis, ſicut area paleis & frumentis, ita infidelibus & fidelibus plenus eſt mundus. Hæc Auguſtinus.

*Tractat. Joan. 10. 28.*

8. Proſper reſpondens ad primum objectionem Vincentianam; Contra vulnus (inquit) originalis peccati, quo in Adam omnium hominum corrupta & mortificata natura eſt, & unde omnium concupiſcentiarum morbus inoleſcit, verum & potens & ſingulare remedium eſt mors Filii Dei Domini Jeſu Chriſti, qui liber à mortis debito, & ſolus abſque peccato, pro peccatoribus & debitoribus mortuus eſt. Quod ergo, ad magnitudinem & potentiam pretii, & quod ad unam pertinet cauſam generis humani, ſanguis Chriſti redemtio eſt totius mundi: ſed qui hoc ſeculum ſine fide Chriſti, & ſine regenerationis ſacramento pertranſeunt, redemtionis alieni ſunt. Cum itaque propter unam omnium naturam, & unam omnium cauſam à Domino noſtro in veritate ſuſceptam, rectè omnes dicantur redemti, & tamen non omnes à captivitate ſint eruti, redemtionis proprietas haud dubiè penes illos eſt, de quibus princeps mundi miſſus eſt foras, & jam non vaſa diaboli, ſed membra ſunt Chriſti. Cujus mors non ita impenſa eſt humano generi, ut ad redemtionem ejus, etiam qui regenerandi non erant, pertinerent: ſed ita, ut quod per unicum exemplum geſtum eſt pro univerſis, per ſingulare ſacramentum celebraretur in ſingulis. Poculum quippe immortalitatis, quod confectum eſt de infirmitate noſtra & virtute divinâ, habet quidem in ſe ut omnibus proſit: ſed ſi non bibitur, non medetur. Hæc ibi.

9. Idem libro primo, de vocatione gentium, capite tertio [vel in alia editione, capite nono] In electis & præſcitis atque ab omnium generalitate diſcretis, ſpecialis quædam cenſetur univerſitas: ut de toto mundo totus mundus liberetur, & de omnibus hominibus omnes homines videantur aſſumti. Et ejuſdem operis libro ſecundo, capite primo (ſeu in alia editione, capite ſecundo.) Apparuit ergo, ut Apoſtolus ait, gratia ſalutaris Dei omnibus hominibus, & tamen miniſtri gratiæ odio erant omnibus hominibus, & cum alii eſſent qui oderant, alii qui odiis perſequentium premebantur, neutra tamen pars nuncupatione omnium hominum privatur: habente quidem ſalutis ſuæ damnum rebellium portione; ſed obtinente plenitudinis cenſum, fidelium dignitate. Dicit enim Joannes Apoſtolus; Sed & ſi quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jeſum Chriſtum juſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris; non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi. Hæc Proſper.

10. Ex iſto autem Joannis loco, & ex Eſai. 53. 12. patet etiam Chriſtum intercedere atque orare pro eis omnibus, pro quorum peccatis eſt propitiatio, ſeu quorum peccata portavit: ergo non eſt propitiatio pro peccatis mundi illius pro quo Chriſtus non orat (Joan. 17. 9.) Semper auditur Chriſtus à Patre (Joan. 11. 42.) & ſic quicquid orat. Qui igitur gratiam & ſalutem à Deo non conſequuntur, pro eis ut eam conſequerentur Chriſtus non oravit, non ſe Patri obtulit.



11. Non negandum eſt, quædam eſſe à morte & interceſſione Chriſti profluentia effecta, electis reprobiſque communia: ut ſunt communis externa vocatio, & ſacramenta, & illæ Jiraëlitarum prærogativæ quas enumerat Apoſtolus in epiſtola ad Rom. capite 9. & internæ illæ motiones quæ deſcribuntur capite 6. ad Hebr. & quæ de temporariis docet parabola ſatoris: propter quæ effecta reprobi Apoſtatæ dicuntur, & ſunt ἐν φανερῷ Jiraëlitæ, filii ſanctificati, redemti, &c. licet non ſint tales ἐν κρυπτῷ, ut diſtinctione utar illa Apoſtolicâ, ad Rom. 2. 28, 29. Neque revera unquam fuerint ex nobis, alioqui manſiſſent utique nobiſcum, ut docet Joannes Apoſtolus, 1. Joan. 2. 19. Non enim omnes qui ſunt ex Jiraël, ii ſunt Jiraël, neque quia ſunt ſemen Abrahæ, ideo omnes ſunt filii, Rom. 9. 6, 7. Neque qui redemti ex Ægypto vel Babylone, ii omnes redemti ab ira ventura. Vide Deuteronom. 32. 2. Sam. 7. 23. & Eſai. 51. 10, 11. & 62. 12. & confer 2. Petr. 2. 1. Communibus effectis accenſenda videntur multa etiam bona temporalia, quæ in hac vita etiam reprobis conceduntur, propter electos, quibuſcum, vel propinquius vel remotius, degunt, donec compleatur & perficiatur electorum numerus.

*De quibuſdam mortis Chriſti effectis communibus. Vide c. 14. Adver. in propoſ. 2.*

## CAPUT DECIMUM-SEXTUM.

*Remigii Epiſcopi Lugdunenſis & Eccleſiæ Lugdunenſis doctrina de hoc articulo, cum quibuſdam annotationibus. Item judicium Concilii Valentini.*

REmigius Epiſcopus Lugdunenſis & cum eo Eccleſia Lugdunenſis, lib. de tribus epiſtolis, ſententiam ſuam prolixius de hac quæſtione explicant: eam nos complectemur paucis propoſitionibus, ex illa diſſertatione fideliter depromtis.

Dominus noſter Jeſus Chriſtus, paſtor bonus animam ſuam poſuit pro ovibus ſuis.

De his ovibus alibi dicitur; Sicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam in redemtionem pro multis. Et; hic eſt calix ſanguinis mei novi Teſtamenti qui pro vobis, & pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum. Unde & Apoſtolus dicit; Sic & Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhauriènda peccata.

Hæ oves, hi multi, ſunt populus ille ſuus quem ſalvum facit Jeſus à peccatis eorum: Jiraël Dei, de quo in Pſalmis prænunciatum eſt; Et ipſe redimet Jiraël ex omnibus iniquitatibus ejus.

Hi ſunt illi credentes, pro quibus ipſe Dominus ſe in patibulo crucis exaltatum teſtatur, dicens; Et ſicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.

Hi ſunt mundus ille, de quo ibidem ſtatim ſubjunxit; Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret. Et quis iſte ſit mundus quem Deus dilexit, & pro quo unigenitum ſuum dedit, continuò exponens adjunxit, ut omnis qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam. Sic enim & ibi intelligendus eſt mundus Deo dilectus, & per unigenitum ejus redemtus, ubi beatus Joannes Apoſtolus dicit; Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed & pro totius mundi. Et ubi beatus Apoſtolus dicit: Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non reputans illis delicta ipſorum. Eſt namque mundus in infidelibus inimicus Deo, nec reconciliatus Deo: de quo ſcriptum eſt; Et mundus eum non cognovit. & iterum; & mundus totus in maligno poſitus eſt. Totus ergo mundus in ſalute, & totus in incredulitate: totus in reconciliatione, & totus in inimicitiis: quia & ille in ſuo genere totus, & iſte in ſuo genere totus intelligendus eſt.

*Mundus credentium Deo dilectus & redemtus. 1. Joan. 2. 2. 2. Cor. 5. 19. Joan. 1. 10. & 1. Joan. 5. 19. Totus mundus.*

Ad hanc redemtionis gratiam pertinent tres hominum ordines: primus ordo eſt electorum & prædeſtinatorum ad vitam æternam: de quibus perire nullus poteſt, & qui omnino omnes ſalvantur. Secundus ordo eſt eorum fidelium, qui rectâ fide & pietate accedunt ad gratiam baptiſmi, & per eam accipiunt indulgentiam peccatorum, & ſic participes redemtionis ſunt; ſed poſtea gratiam amittunt, & perſeverantes in malis ſic de ſeculo exeunt, & pereunt. Tertius ordo in illis accipiendus eſt, qui adhuc in infidelitate poſiti, vocandi tamen ſunt per miſericordiam Dei, & hoc ſine dubio in Eccleſia conſecuturi, quod conſequuti ſunt & illi duo ordines ſive perſeverantium, ſive non perſeverantium in gratia Chriſti.

*6. Propoſ. 1. Ordines.*

Anno-

*Annotatio in propoſitionem ſextam.*

*Vide c. 13. §. 13.* *Temporarii non ſimulant, ſed ſua duritie occæcati ſeipſos decipiunt. Matth. 13. 20.*

Nota, nos non diſſentire, quin etiam Apoſtatis Chriſtus morte ſua meruerit omnem illam gratiam quam conſequuti ſunt, poſteaque ſuo vitio ſibi inutilem effecerunt, ut vocationem, baptiſmum, & illam illuminationem, illum guſtum doni cœleſtis, illam participationem Spiritus Sancti, &c. de quibus ad Hebr. 6. aſſentimur etiam eos recta fide & pietate acceſſiſſe, ſi rectam intelligas eam fidem quam revera habent, nec ſimulare intendunt, ut faciunt deriſores qui cum ſciant ſe non credere, ſimulant tamen ſe credere, ut illi Phariſæi & Herodiani, Matth. 22. 16. certè hoc ſenſu recta fuit fides illorum temporariorum, de quibus teſtatur Dominus in expoſitione parabolæ ſatoris, quod verbum prædicatum receperint cum gaudio. (Vide Joan. 2. 23, 24, 25.) de quibus Auguſtinus lib. de correptione & gratia, cap. 9. Non erant (inquit) filii, etiam quando erant in profeſſione & nomine filiorum: non quia juſtitiam ſimulaverunt, ſed quia in ea non permanſerunt. Concedimus etiam illis remiſſa eſſe peccata, quomodo remiſſum dicitur debitum ſervo illi, qui poſtea traditus eſt cruciatoribus donec illud ipſum debitum totum perſolveret. Matth. 18. de qua remiſſione vide Auguſt. lib. 1. de baptiſmo contra Donatiſtas, capite 12. at non illa remiſſione abſoluta & irrevocabili, de qua loquitur David, Pſal. 32. & quam promiſit Deus Iſraëli ſuo, apud Jeremiam 31. 34. & ad Hebr. 8. 12. & cap. 10. 18. de qua loquitur Apoſtolus ad Coloſſ. 1. 14. Neque habuerunt temporarii fidem illam electorum Dei, Tit. 1. 1. Qua Deus purgat corda, Actor. 15. 9. quæ fides ἀνυπόκριτος nuſquam invenitur ſine charitate & corde puro & conſcientia bona, 1. Tim. 1. 5. Temporariorum autem cor nunquam fit terra illa bona, id eſt, καρδία καλὴ καὶ ἀγαθὴ, quam illi ſoli habent qui auditum verbum intelligunt & retinent, & fructum ferunt perſeveranter: ut patet ex parabola ſatoris. Eorum qui hanc fidem habent nullus perit, ait enim de eis ipſe Dominus, Amen amen dico vobis, qui credit in me habet vitam æternam, Joan. 6. 47. & in parabola ſatoris ait, habentes cor hujuſmodi καρδίᾳ καλῇ καὶ ἀγαθῇ perſeverare Luc. 8. 15. Quamvis igitur non ſimulent temporarii, ſed profiteantur ut ſentiunt, ſitque eorum fides etiam ratione objecti ſeu rerum creditarum recta, id eſt, orthodoxa, ſeu dogmaticè vera, ſeipſos tamen decipiunt, dum ſufficere exiſtimant illam ſuam fidem, & eſſe putant eandem cum ea fide cui promiſſa eſt vita æterna, hæc enim juſtificans & ſalvifica fides (quæ eſt aſſenſus fiducialis & charitativus, ſeu charitatem ſecum introducens & per charitatem operans) non invenitur in corde petroſo, aut ſpinoſo ſentibuſque horrido & immundo: hac enim fide purgat Deus corda, & per hanc Chriſtus in cordibus fidelium habitat. Actor. 15. 9. Epheſ. 3. 17. & quicunque hanc habet perſeverat, certoque ſalvatur, ut oſtenſum. Dici etiam poſſunt temporarii participes quodammodo fieri redemtionis, per illa dona à morte Chriſti profluentia quæ accipiunt, & poſtea amittunt, ideoque dicuntur negare τὸν ἀγοράσαντα αὐτοὺς δεσπότην 2. Petr. 2. 1. Non tamen pertinent ad illam αἰωνίαν λύτρωσιν, quam ſanguine ſuo Chriſtus tanquam Novi Teſtamenti mediator acquiſivit ſuis vocatis, τοῖς κεκλημένοις, quorum conſcientias ſanguine ſuo mundat ab operibus mortuis ad ſerviendum Deo viventi: quorum peccata portavit & abolevit. Hebr. 9. quos Dei voluntate ſanctificavit & conſummavit in perpetuum unica illa oblatione ſui, eiſque acquiſivit ut eorum cordibus Deus indat & mentibus inſcribat leges ſuas, neque amplius recordetur peccata eorum, Hebr. 10. Qui dicunt Domino, ἐσφάγης καὶ ἠγόρασας τῷ Θεῷ ἡμᾶς ἐν τῷ αἵματί σου ἐκ πάσης φυλῆς καὶ γλώσσης καὶ λαοῦ καὶ ἔθνους. Apoc. 5. 9. Qui laverunt & candidas fecerunt ſtolas ſuas in ſanguine agni, Apocal. 7. 14. οἱ ἠγορασμένοι ἀπὸ τῆς γῆς, οὗτοι ὑπὸ Ἰησοῦ ἠγοράσθησαν ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων. Apocal. 14. 3. 4. quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ Agni mactati à jactis mundi fundamentis. Apocal. 13. 8. Aurum (inquit Gregorius) quod pravis diaboli perſuaſionibus quaſi lutum ſterni potuerit, aurum ante Dei oculos nunquam fuit. Qui enim ſeduci quandoque non reverſuri poſſunt, quaſi habitam ſanctitatem ante oculos hominum videntur amittere, ſed eam ante oculos Dei nunquam habuerunt. Hæc Gregorius primus, Papa Romanus, lib. 34. Moral. capite 8.

*Vide lib. 10. c. 16. §. 4. & ſeq.*

*De ordine fidei & charitatis, vide Ambroſ. epiſt. 44. ad Horontianum.*

*2. Petr. 2. 1. Eum qui emit eos Dominum negantes.*

Hac interpoſita neceſſaria admonitione, adjiciamus nunc reliquias Eccleſiæ Lugdunenſis de hoc articulo propoſitiones.

7. Propoſitio, quartus ordo hominum, de quo dicitur, qui autem non crediderit condemnabitur, manifeſtè extra numerum fidelium jacet, & æternæ condemnationi eſt deſtinatus: qualibus dictum eſt, Sed vos non creditis, quia non eſtis ex ovibus meis. Et, propterea vos non audistis, quia ex Deo non eſtis. Et, qui non credit, jam judicatus eſt, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.

8. Propoſitio: Licet Apoſtolus de Domino & redemtore noſtro dicat, Unus enim Deus, unus eſt mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus, qui dedit ſemetipſum Redemtorem pro omnibus: Tamen juxta ſuperius demonſtratam fidei regulam, rectè intelligitur pro illis omnibus ſe redemtionem dediſſe, pro quibus etiam dignatus eſt Mediator Dei & hominum eſſe, neque enim infidelium Mediator eſt, ſicut nec advocatus nec reconciliator, ſed fidelium tantum.
——— Dedit ſemetipſum redemtionem pro omnibus, non quod omnes ejus paſſione redemerit, ſicut utique manifeſtum eſt, ſed quod nemo accipiat redemtionem niſi in illo & per illum. Dicit enim alibi idem Apoſtolus de Domino, ut gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem: & pro quibus omnibus mortem guſtaſſe intelligendus ſit videtur continuò demonſtraſſe, cum ſubjunxit; Decebat enim eum propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem ſalutis eorum per paſſionem conſummare. Iſti ſunt omnes pro quibus Deus proprium Filium ſuum tradidit, Rom. 8. 32. Qui etiam pro eiſdem omnibus mortuus eſt, 2. Cor. 5. 15. Quibus & alibi dicit Apoſtolus: Et non eſtis veſtri, emti enim eſtis pretio magno. 1. Cor. 6. 20.

9. Propoſitio; Sanguis Chriſti pretium eſt magnum, non poteſt tale pretium in aliqua parte eſſe inane & vacuum, ſed potius illarum mercium, pro quibus datum eſt, lucro & cumulo refertum.

10. Propo-



10. Propoſitio; Chriſtus ſine dubio nunquam ignorare potuit exitum & effectum paſſionis ſuæ, quam pro populi ſui redemtione & ſalute certo & definito conſilio ſuſcepit. ſed copioſum fructum mortis ſuæ certò præſcivit, & manifeſtè pronunciavit, dicens, Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſin autem mortuum fuerit, multum fructum affert Joan. 12. 24. Et quo conſilio ſeu qua intentione mortuus ſit Dominus, docet Evangeliſta, inquiens, quod Jeſus moriturus erat pro gente, & non tantum pro gente, ſed ut filios Dei qui erant diſperſi congregaret in unum. Joan. 11. 51. 52. *Joan. 11. 51, 52.*

*Annotatio in nonam & decimam propoſitionem.*

Si Chriſtus etiam pro illis credentibus mortuus ſit qui non perſeverant, ſed in perditionem ſuo vitio abeunt, ſicut dicebat Eccleſia Lugdunenſis, ſuperius, propoſitione ſextâ, quomodo hic eadem Eccleſia dicit Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum nihil inaniter & vanè in paſſione ſua & pretioſi ſanguinis fuſione egiſſe, & in nullo ſui effectûs lucro fraudatum?

Reſpondeo, Nulli reprobi ſunt ad vitam æternam ſanguinis Chriſti pretio comparati, ut monuit Auguſt. tract. 48. in Euang. Joan. Idcirco temporarii illi qui pereunt, non ſunt de numero earum ovium de quibus ait Chriſtus, *Ego pono vitam pro ovibus, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me, & ego vitam æternam do illis, & non peribunt in æternum, & non rapiet quiſquam eas è manu mea.* Joan. 10. Neque venit Chriſtus ut ipſi ſalvarentur, alioqui non perirent: nam de certo fructu oblationis & interceſſionis Chriſti impletur illa Dei prædictio per Eſaiam; *Quum poſuerit ſacrificium pro delicto animam ſuam, videbit ſemen, prolongabit dies, & voluntas Domini in manu ejus proſperabitur. Propter laborem animæ ſuæ videbit, & ſaturabitur: ſcientiâ ſui juſtificabit juſtus ſervus meus multos, & iniquitates ipſorum ipſe portabit.* Eſai. 53. 10, 11. Vide ſimiles prædictiones, Eſai. 35. & 49. Jerem. 23. 5, 6. & 31. 33, 34. & 32. 39. 40. & Ezechiel. 34. 15, 16, 22, 23, 24, 25. & 36. 25, 26, 27. Mortuus igitur Chriſtus eſt primariò & ſimpliciter pro ſolis electis, penes quos ſolos eſt redemtionis proprietas, ut loquitur Proſper: pro temporariis autem illis mortuus eſt non niſi ſecundariò & ſecundum quid; non quod Chriſtus bis mortuus ſit, ſed quia unica illa ejus mors impenſa fuit propter electos primariò & ſimpliciter, abſque quorum cauſa foret, non moreretur Chriſtus pro reliquis; dum autem vitam ponit pro electis, poſtulat etiam & virtute inæſtimabilis meriti ſui impetrat quædam temporalia dona reprobis, idque propter electos, ut dum vident multos à ſpecioſa Chriſti profeſſione deficere, ipſi timere diſcant & cum tremore ſalutem ſuam perficere. Quod qui faciunt, illi ſoli propriè & ſimpliciter redemti ſunt: temporarii autem illi non niſi impropriè & ſecundum quid, quantum ad dona illa temporalia, quibus poſtea ſuo vitio abutuntur, & ingrati exiſtunt. Non tamen propterea ullo ſui effectûs lucro fraudatur Chriſtus, quia non amplius illis poſtulavit aut acquirere decreverat. Hominibus autem videtur (inquit Auguſtinus) omnes qui boni apparent fideles, perſeverantiam uſque in finem accipere debuiſſe: Deus autem melius eſſe judicavit, miſcere quoſdam non perſeveraturos certo numero ſanctorum ſuorum, ut quibus non expedit in hujus vitæ tentatione ſecuritas, non poſſint eſſe ſecuri: multos enim à pernicioſa elatione reprimit, quod ait Apoſtolus, quapropter qui videtur ſtare, videat ne cadat. Voluntate enim ſuâ cadit, qui cadit: voluntate Dei ſtat, qui ſtat. Potens eſt enim Deus ſtatuere illum: non ergo ipſe ſeipſum, ſed Deus. Veruntamen bonum eſt non altum ſapere, ſed timere. Hæc Auguſtinus lib. de bono perſeverantiæ, cap. 8. audiamus nunc porrò Eccleſiam Lugdunenſem.

11. Propoſitio; Pro omni illa innumerabili & infinita multitudine impiorum, qui ab exordio mundi uſque ad paſſionem Domini per quatuor ferme annorum millia in ſua impietate ſunt mortui, & apud inferos æternâ perditione damnati, nunquam Dominus paſſus, nunquam mortuus eſt, nec ad eos ſalvandos ullatenus venit, nec pro eis pretioſum ſanguinem fudit.

12. Propoſitio: Nec igitur pro iſta utique minore parte infidelium & impiorum, qui poſt paſſionem ejus uſque ad mundi terminum aut extiterunt aut exiſtunt aut futuri ſunt, in quibus utique & Antichriſtus erit. Nec, inquam, pro iſtis eſt crucifixus & mortuus, ſed pares ſunt impietate, pares perditione, & pariter omnino extranei à Chriſti redemtione. Quia & ſi pro illis paſſus eſſe dicatur, quid eis profecit ejus paſſio impiis & in ſua impietate perituris, niſi ut qui non fiunt participes redemtionis, majorem & graviorem incurrant cumulum damnationis.

*Nota de diſtinctione impetrationis & applicationis.*

Nota, ex propoſitione undecima, & ultimis verbis duodecimæ propoſitionis, inanem eſſe diſtinctionem illam, qua utuntur illi hujus ſeculi Semipelagiani qui ſe Remonſtrantes vocant, dicentes Chriſtum morte ſua omnibus hominibus impetraſſe redemtionem, ſed eam ſolis credentibus applicari. Nam cui bono eſt illa impetratio nunquam applicationem allatura? Nihil cuiquam impetravit Chriſtus, quod ei non poſtulavit; quicquid autem cuilibet poſtulavit, illud & datur. Noluit pro mundo orare, adeóque nec exorare. Docent etiam ſacræ literæ (locis ſuperius citatis in hoc articulo paſſim) Chriſtum eis quos à Patre ſalvandos accepit, meritum eſſe & impetraſſe non ſolam redemtionis poſſibilitatem, reconciliabilitatem, peccatorum remiſſibilitatem, ſalvabilitatem, ſed ipſam redemtionem, reconciliationem, peccatorum remiſſionem, ſalutem æternam, & hæc omnia non ſolum conditionaliter, neque ſub incerta conditione, ſed cum ipſa conditione, adeóque infallibiliter & certò applicanda ſeu conferenda; nam & ipſa fides & charitas & ſpes & perſeverantia ſunt in Dei donis novo fœdere promiſſis, cujus mediator eſt Chriſtus, qui ea omnia dona accepit ſeu impetravit hominibus merito ſuæ obedientiæ, & contulit effuſione Spiritûs Sancti.

*Vide hac ſpectantem inſignem Ameſii diſſertationem, quam invenies in fine hujus libri, cap. 23. §. 9. Joan. 17. 9.*

13. Propoſitio Eccleſiæ Lugdunenſis eſt; Ubicunque in literis Apoſtolicis legitur, quod Dominus noſter dederit ſemet ipſum redemptionem pro omnibus, & gratia Dei pro omnibus guſtaverit mortem, & pro omnibus mortuus ſit, illi multi pro quibus Dominus & animam ſuam ſe poſiturum & ſanguinem fuſurum dixit, qui utique in ſuo genere & multi & omnes ſunt, rectè intelliguntur: ſicut & illud, quod omnes in Chriſto vivificabuntur, & quod per unius hominis juſtitiam in omnes homines in juſtificationem

*Pro omnibus.*

*1. Cor. 15. 22. Rom. 5. 18.*



vitæ;

vitæ: & non confuſè & abſurdè, etiam de impiis & infidelibus: ſed de illis omnino multis dictum intelligendum, de quibus manifeſtè dicitur, ſic & per obedientiam unius hominis juſti conſtituentur multi. Et iſti ipſi in ſuo genere omnes, & in ſuo genere multi, ad comparationem multitudinis reproborum dicuntur à Domino pauci, cum ait, multi autem ſunt vocati, pauci verò electi.

*Rom. 5.19.* — *Matth. 20.16.*

Hæc omnia quæ his tredecim propoſitionibus aſſeruntur, Remigius & Eccleſia Lugdunenſis aſſerunt ſe firmiſſimè tenere, nec de eis ulteriùs dubitare. Nihilominus hoc Eccleſiarum paci dant & concordiæ, ut quamvis tam de ſcripturis ſanctis, quam de beatorum Patrum ſcriptis fideliter, indubitanter, atque evidenter ſententiam ſuam propoſuerint & confirmaverint; ſi tamen inveniantur aliqui Patrum, qui etiam pro impiis in ſua impietate permanſuris Dominum crucifixum dicant, quod eos certiſſimis ac clariſſimis divinæ ſcripturæ teſtimoniis probare potuiſſe incredibile eſt, ſi tamen etiam abſque ullis ſcripturæ non ambiguis teſtimoniis hoc dixiſſe inveniantur, utcunque illa haud dubiè potior ſit auctoritas, quæ & tam evidenti ratione & tam multiplici ſcripturarum atteſtatione firmatur, attamen & illorum ſententia ex pietate veniens, propter pacem & venerabilem pietatem beatiſſimorum Patrum non renuatur: nihil temerè definiatur: ut quolibet quis acquieſcat modo, non ſit hæreticum, niſi contentione hæreticum fiat.

Et poſtea eodem libro, col. 575. ajunt; Jam illud de Dominici ſanguinis pretio, quod pro his tantum qui credere voluerint datum ſit, manifeſta eſt, ſicut ſupra ſatis oſtendimus, eorundem beatorum Patrum ſententia. Quam iſte (Gotteſchalcus) ut putamus, & legendo didicerat, & damnare metuebat. Unde & ſi inventi ſunt alii æquè Patres, qui illud glorioſum pretium etiam pro nunquam crediturіs, & in ſua impietate perituris datum eſſe non abnuant, melius, ut credimus, utrique honorarentur, nec pro aliis alii damnarentur: quia & illud manifeſtè divinâ auctoritate firmatum eſt: Et illud, ſi piè ſentitur, non eſt abnuendum. Et infra, col. 577. quod & ſi aliqui Patrum pro omnibus omninò hominibus Dominum paſſum intellexerunt, honoretur & iſte velut pius ſenſus, dummodo ille prior qui eſt certiſſimus, & divina veritate firmatus, nulla præſumtione contemnatur, vel, quod eſt gravius, damnetur. Hæc Remigius & Eccleſia Lugdunenſis, libro de tribus epiſtolis, in bibliotheca Patrum, in ſecunda parte tom. 4. editionis quartæ.

Concilium Valentinum, in quo reverendiſſimi, nempe, Lugdunenſis, Viennenſis, & Arelatenſis, provinciarum Epiſcopi numero 14. in unum collecti conſederunt, præſidentibus Epiſcopis Metropolitanis, videlicet Remigio illo Lugdunenſi, Egilmaro Viennenſi, Rodlando Arelatenſi, collaborante eis quam maximè Ebbone Gratianopolitano Epiſcopo, adjuncto etiam venerabili cœtu presbyterorum, devotiſſimis quoque diaconis adſtantibus, Euangeliis in medio poſitis, anno Dom. 855. hoc, inquam, Concilium, cap. 4. ait; Item de redemtione ſanguinis Chriſti, propter nimium errorem, qui de hac cauſa exortus eſt, ita ut quidam, ſicut eorum ſcripta indicant, etiam pro illis impiis, qui à mundi exordio uſque ad paſſionem Domini, in ſua impietate mortui & æternâ damnatione puniti ſunt, effuſum definiant, contra illud Propheticum; Ero mors tua, ô mors, ero morſus tuus inferne: illud nobis ſimpliciter & fideliter tenendum ac docendum placet, juxta Euangelicam & Apoſtolicam veritatem, quod pro illis hoc datum pretium teneamus, de quibus ipſe Dominus noſter dicit; Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in ipſo, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Et Apoſtolus: Chriſtus (inquit) ſemel oblatus eſt ad multorum exhauriendo peccata. Hæc Concilium Valentinum.

Convenit illud dictum Leonis primi, Epiſcopi Romani; Effuſio enim pro injuſtis ſanguinis juſti, tam potens fuit ad privilegium, ut ſi univerſitas captivorum in Redemtorem ſuum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent. Hæc Leo, epiſt. 11. ad Julianum Coenſem. Vide ſupra lib. 2. cap. 13. § 7.

## CAPUT DECIMUM-SEPTIMUM.

*Controverſiarum inter Catholicos & Semipelagianos articulus quartus.*

### De vocatione ſecundùm propoſitum, ubi de ejus efficacitate, & amplitudine ſeu ſpeciali diſpenſatione.

*Opinio Semipelagianorum.*

PRoſper epiſt. ad Auguſt. de reliquiis Pelagianæ hæreſeos; hæc ipſorum definitio ac profeſſio eſt; Univerſis hominibus propitiationem quæ eſt in ſacramento ſanguinis Chriſti, ſine exceptione eſſe propoſitam, ut quicunque ad fidem & baptiſmum accedere voluerint, ſalvi eſſe poſſint. Ideoq; omnem hominem ad credendum & adoperandum divinis inſtitutionibus admoneri, ut de apprehendenda vita æterna nemo deſperet, cum voluntariæ devotioni remuneratio ſit parata. Hoc autem propoſitum vocationis Dei, quo vel ante mundi initium, vel in ipſa conditione generis humani, eligendorum & rejiciendorum dicitur facta diſcretio, & lapſis curam reſurgendi adimere, &c. Et infra in eadem epiſtola; Cum ad earum nationum contemplationem venitur, quæ vel in præteritis ſeculis dimiſſæ ſunt ingredi vias ſuas, vel nunc quoque adhuc in veteris ignorantiæ impietate depereunt, nec ulla eis aut legis aut Euangelii illuminatio coruſcavit: cum tamen in quantum prædicatoribus oſtium apertum eſt, & via facta eſt, gentium populus, qui ſedebat in tenebris & in umbra mortis, lucem viderit magnam: & qui quondam non populus, nunc autem populus Dei ſit, & quorum aliquando non miſertus eſt, nunc autem miſereatur: prævisos inquiunt à Domino credituros, & ad unamquamque gentem ita diſpenſata tempora ac miniſteria magiſtrorum, ut exortura erat bonarum credulitas voluntatum. Nec vacillare illud, quod Deus omnes homines velit ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire: quandoquidem inexcuſabiles ſint, qui & ad unius veri Dei cultû potuerint inſtrui intelligentiâ naturali &



& Euangelium ideo non audierint, quia nec fuerint recepturi. Hæc ibi.

2. Hilarius epiſt. ad Aug. de eiſdem reliquiis Pelagianæ hæreſeos; Hæc ſunt itaque quæ Maſſiliæ, vel aliis etiam locis in Gallia ventilantur: Novum & inutile eſſe prædicationi, quod quidam ſecundùm propoſitum eligendi dicantur, ut id nec arripere valeant, nec tenere, niſi credendi voluntate donata. Et infra; Illa teſtimonia, ut eſt illud, Sicut unicuique partitus eſt menſuram fidei: ut ſimilia, ad id volunt valere, ut adjuvetur qui cœperit velle non etiam ut donetur ut velit; rejectis ab hoc dono aliis pariter reis, qui & poſſent ſimiliter liberari, ſi ea quæ pariter indignis præſtatur credendi voluntas, etiam ipſis ſimiliter præſtaretur. Et infra; ſententiam illam, qui omnes homines vult ſalvos fieri, ita exponunt, ut non eos tantum intelligant qui ad ſanctorum numerum pertinebunt, ſed omnes omnino, ut nullus habeatur exceptus. Nec hoc timendum, quod quidam eo invito perire dicantur: ſed quomodo, ajunt, non vult à quoquam peccari, vel deſeri juſtitiam, & tamen jugiter illa deſeritur contra ejus voluntatem, committunturque peccata; Ita cum ſalvare velle omnes homines, nec tamen omnes homines velle ſalvari. Hæc in epiſtola Hilarii.

3. Fauſtus ait, lib. 1. de libero arbitrio, capite 4. Totum planè gratiæ Dei eſt, ſed omnibus eam offert atque ingerit ad ſalutem, omnium conditor atque Redemtor. Et ejuſdem libri, capite 10. Non ergo æquum juſtumque uni velle conceſſit, & alteri denegavit, &c. Et capite 12. Status hominis in diverſa non pro conſtitutione Dei, ſed pro arbitrii libertate poteſt verſari. Et capite 17. ejuſdem libri; Licet non omnes obedientiam exhibituros eſſe prænoſceret, omnibus tamen & velle & poſſe donaverat. Et ibidem; Quid eſt autem attrahere, niſi prædicare, niſi ſcripturarum conſolationibus excitare. Et capite 19. Videns civitatem, flevit ſuper illam. Si Dominus perituris ſalutis intercluſerat aditum, ergo falsò iſtorum deflevit exitum. Si autem eorum perditionem verò (ut manifeſtum eſt) mœrore perdoluit, non voluntatem ſuam homini, ſed conſenſum hominis voluntati ſuæ defuiſſe monſtravit. Item in Matthæo, Jeruſalem quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt, quoties volui congregare filios tuos, ſicut gallina congregat pulloſ ſuos ſub alas ſuas, & noluiſti! Duas res hic agit ſermo divinus: Nam dum dicit; quoties volui & noluiſti, in Deo propoſiti bonitas, in homine arbitrii eſt expreſſa libertas. Dicendo autem; Jeruſalem quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt, ſalvare ſe eos voluiſſe pronunciat, cum evidenter proferat cauſas, per quas ſalutem eis negare debuerit. Dum dicit Propheta Michæas, & quid Dominus quærat à te, utique facere judicium: promtam exercendi boni operis voluntatem non repoſceret, ſi non dediſſet. Vides, quia ſicut Dei eſt ut provocans adhortetur, ita obedientiæ hominis reſervatum eſt, ut ſequatur. Hæc Fauſtus.

*Luc. 19. 41.* — *Matth. 23. 37.* — *Mich. 6. 8.*

4. Summa opinionis Semipelagianorum eſt; Non aliâ vocatione ſecundùm propoſitum vocari eos qui obediunt quam inobedientes, ſed diſcrimen eſſe in hominis obedientia, non in Dei vocatione. Hanc autem omnibus hominibus eſſe eo uſque conceſſam, ut omnibus facta ſit ſufficiens intimatio, omnibuſque data ſit obediendi facultas, & voluntas quam verſare in quamlibet partem poſſint. Hanc eſſe gratiam propoſiti divini, Deum hanc largiri omnibus hominibus, nemine excepto, etiam eis quibus denegatur Euangelii annunciatio. Vide Proſperi librum de ingratis, cap. 10.

*Summa erroris Semipelagianorum, de hoc articulo.*

*Doctrina Catholicorum, de vocatione ſecundùm propoſitum.*

5. Auguſtinus, lib. 2. contra duas epiſtolas Pelagianorum, cap. 7. Sicut nulla eſt acceptio perſonarum in duobus debitoribus æqualiter reis, ſi alteri dimittitur, alter exigitur, quod pariter ab utroque debetur: ſic etiam cum ſecundùm propoſitum Dei vocatur alius, alius non vocatur: vocato datur gratuitum donum, cujus boni eſt vocatio ipſa principium; non vocato redditur malum, quia omnes rei ſunt ex eo, quod per unum hominem peccatum intravit in mundum. Hæc ibi.

6. Idem, lib. 5. contra Julianum, cap. 3. Nullum elegit dignum, ſed eligendo effecit dignum, nullum tamen punit indignum. Ait, inquis, Apoſtolus, Bonitas Dei ad pœnitentiam te adducit. Verum eſſe conſtat, ſed quem prædeſtinavit adducit, quamvis ſecundùm duritiam & cor impœnitens, quantum ad ipſum attinet, theſaurizet ſibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei, qui reddet unicuique ſecundum opera ejus. Quantamlibet enim præbeat patientiam, niſi ipſe dederit, quis agit pœnitentiam? An oblitus es quod idem ipſe Doctor ait, ne forte det illis Deus pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant à Diaboli laqueis? Sed judicia ejus ſicut multa abyſſus. Nos certè ſi eos in quos nobis poteſtas eſt, ante oculos noſtros perpetrare ſcelera permittamus, rei cum ipſis erimus. Quam verò innumerabilia ille permittit fieri ante oculos ſuos: quæ utique ſi noluiſſet nulla ratione permitteret, & tamen juſtus & bonus eſt, & quod præbendo patientiam dat locum pœnitentiæ, nolens aliquem perire, novit Dominus qui ſunt ejus, & omnia cooperantur in bonum, ſed his qui ſecundum propoſitum vocati ſunt: Multi enim vocati, pauci verò electi. Qui ergo electi, hi ſecundum propoſitum vocati. Unde & alibi dicit, Secundum virtutem Dei ſalvos nos facientis & vocantis vocatione ſua ſanctâ, non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundùm ſuum propoſitum & gratiam, quæ data eſt nobis in Chriſto Jeſu ante ſecula æterna. Denique & hic cum dixiſſet, Omnia cooperantur in bonum, his qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt, continuò ſubdidit, Quoniam quos ante præſcivit & prædeſtinavit conformes imaginis filii ejus, ut ſit primogenitus in multis fratribus: quos autem prædeſtinavit, illos & vocavit: quos autem vocavit, ipſos & juſtificavit: quos autem juſtificavit, ipſos & glorificavit. Hi ſunt ſecundum propoſitum vocati. Ipſi ergo electi, & hoc ante mundi conſtitutionem, ab eo qui vocat ea quæ non ſunt, tanquam ſint. Sed electi per electionem gratiæ. Ex iſto numero electorum & prædeſtinatorum etiam qui peſſimam duxerunt vitam, per Dei benignitatem adducuntur ad pœnitentiam. Ex his nemo perit. Propter hos Dominus ait; Hæc eſt autem voluntas ejus qui miſit me Patris, ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo. Cæterorum autem mortalium, qui ex iſto numero non ſunt, neminem adducit ad pœnitentiam ſalubrem & ſpiritalem,

*2. Pet. 3. 9.* — *2. Tim. 2. 19.* — *Rom. 8. 28.* — *Matth. 22. 14.* — *2. Tim. 1. 9.* — *Rom. 8. 28, 29. 30.* — *Rom. 4. 17.* — *Rom. 11. 5.* — *Joan. 6. 39.*

qua homo reconciliatur Deo, ſive illis amplio-
*Vide infra §. 12.* rem patientiam, ſive non imparem præbeat. Hæc Auguſtinus, lib. 5. contra Julianum, cap. 3.

7. Idem, libro de gratia Chriſti, contra Pelagium, cap. 10. Iſtam aliquando gratiam fateatur, qua futuræ gloriæ magnitudo non ſolum promittitur, verum etiam creditur & ſperatur, nec ſolum revelatur ſapientia, verùm etiam & amatur, nec ſuadetur ſolùm omne quod bonum
*2. Theſſ. 3. 2.* eſt, verùm & perſuadetur. Non enim omnium eſt fides qui audiunt per ſcripturas Dominum regnum Cælorum pollicentem; aut omnibus perſuadetur quibuſcunque ſuadetur, ut veniant ad eum qui dicit, Venite ad me omnes qui laboratis.
*Matth. 11. 28.* Quorum autem ſit fides, & quibus perſuadetur, ut ad eum veniant, ſatis ipſe demonſtravit, ubi ait, Nemo venit ad me, niſi Pater qui miſit me traxerit eum. Et paulo poſt, cum de non creden-
*Joan. 6. 44. & 65.* tibus loqueretur, Dixi, inquit, vobis, quia nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo. Hanc debet Pelagius gratiam confiteri, ſi vult non ſolum vocari, verumetiam eſſe Chriſtianus. Hæc ibi.

8. Item, cap. 12. ejuſdem libri: hæc autem gratia qua virtus in infirmitate perficitur, prædeſtinatos & ſecundum propoſitum vocatos, ad ſummam perfectionem glorificationemque perducit. Qua gratia agitur non ſolum ut facienda noverimus, verumetiam ut cognita faciamus, nec
*Doctrina Patris ſemper efficax, quicunque docentur diſcit.* ſolum ut diligenda credamus, verum etiam ut credita diligamus. Et cap. 13. Hæc gratia ſi doctrina dicenda eſt, certè ſic dicatur, ut altius & interius eam Deus cum ineffabili ſuavitate credatur infundere, non ſolum per eos qui plantant & rigant extrinſecus, ſed etiam per ſeipſum qui incrementum ſuum miniſtrat occultus, ita ut non oſtendat tantummodo veritatem, verumetiam impertiat charitatem. Sic enim docet Deus eos qui ſecundum propoſitum vocati ſunt, ſimul donans & quid agant ſcire, & quod ſciunt agere. Hæc Auguſtinus, loco citato.

9. Et cap. 14. Ejuſdem libri de gratia Chriſti;
*Joan. 6. 45.* Si enim, inquit, ſicut Veritas loquitur, omnis qui didicit, venit: quiſquis non venit, profectò nec didicit. Quis autem non videat & venire quemquam & non venire arbitrio voluntatis? Sed hoc
*Adjutorium gratiæ.* arbitrium poteſt eſſe ſolum ſi non venit, non autem poteſt niſi adjutum eſſe ſi venit. Et ſic adjutum, ut non ſolum quid faciendum ſit ſciat, ſed quod ſcierit etiam faciat. Ac per hoc quando Deus docet, non per legis literam, ſed per Spiritus gratiam, ita docet, ut quod quiſque didicerit,
*Divinus modus docendi.* non tantum cognoſcendo videat, ſed etiam volendo appetat, agendoque perficiat. Et iſto divino docendi modo etiam ipſa voluntas & ipſa operatio, non ſola volendi & operandi naturalis poſſibilitas, adjuvatur. Si enim ſolum poſſe noſtrum hac gratia juvaretur, ita diceret Dominus, omnis qui audivit à Patre & didicit, poteſt venire ad me. Non autem dixit. Sed, omnis, inquit, qui
*Joan. 6. 45.* audivit à Patre, & didicit, venit ad me. Omnis qui didicit à Patre, non ſolum poteſt venire, ſed venit, ubi jam & poſſibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus eſt. Hæc Auguſtinus, in ſuo libro, de gratia Chriſti.

*Propoſitum.* 10. Idem, lib. de correptione & gratia, cap. 7. Secundum propoſitum vocati ſunt, propoſitum
*Rom. 9. 11, 12.* autem non ſuum, ſed Dei, de quo alibi dicit, ut ſecundum electionem propoſitum Dei maneret, ſed non ex operibus ſed ex vocante dictum eſt ei, quia major ſerviet minori: & alibi, Non ſecundum opera noſtra, inquit, ſed ſecundum ſuum propoſitum & gratiam. Cum ergo audimus, quos autem prædeſtinavit, illos & vocavit, ſecundum propoſitum vocatos debemus agnoſcere, quoniam inde cœpit, dicens, omnia cooperantur in bonum his qui ſecundum propoſitum vocati ſunt: ac deinde ſubjunxit, quoniam quos ante præſcivit & prædeſtinavit, &c. Eos itaque vult intelligi, quos ſecundum propoſitum vocavit, ne putentur in eis eſſe aliqui vocati & non electi, propter illam Dominicam ſententiam, Multi vocati, pauci electi. Quicunque enim electi, ſine dubio etiam vocati: non autem quicunque vocati, conſequenter electi. Illi ergo electi, ut ſæpe dictum eſt, qui ſecundum propoſitum vocati, qui etiam prædeſtinati atque præſciti. Hæc Auguſt. lib. de correptione & gratia, cap. 7.

11. Idem, libro de prædeſtinatione ſanctorum, cap. 6. Multi audiunt verbum veritatis: ſed alii credunt, alii contradicunt. Volunt ergo iſti credere, nolunt autem illi. Quis hoc ignoret? quis hoc neget? Sed cum aliis præparetur, aliis non præparetur voluntas à Domino; diſcernendum eſt utique quid veniat de miſericordia ejus, quid de judicio. Et eodem libro. cap. 8. Quid eſt, ad me veniet: niſi, credet in me? Sed ut fiat, Pater dat. ——— Valde remota eſt à ſenſibus carnis hæc ſchola, in qua Deus auditur & docet. Multos videmus venire ad Filium, quia multos credere videmus in Chriſtum, ſed ubi & quando à Patre audierint hoc & didicerint, non videmus. Nimium gratia iſta ſecreta eſt, gratiam verò eſſe quis ambigit? hæc itaque gratia quæ occultè humanis cordibus divina largitate tribuitur, à nullo duro corde reſpuitur: ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitùs auferatur. Quando ergo Pater intus auditur, & docet ut veniatur ad Filium, aufert cor lapideum, & dat cor carneum, ſicut Propheta prædicante promiſit. Sic quippe facit filios promiſſionis & vaſa miſericordiæ quæ præparavit in gloriam. Cur ergo non omnes docet ut veniant ad Chriſtum, niſi quia omnes quos docet, miſericordia docet; quos autem non docet, judicio non docet: quoniam cujus vult miſeretur, & quem vult obdurat: ſed miſeretur, bonum tribuens: obdurat, juſta retribuens.——— Et dicebat, Propterea dixi vobis, quia nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo. Ergo trahi à Patre ad Chriſtum, & audire ac diſcere à Patre, ut veniat ad Chriſtum, nihil aliud eſt, quàm donum accipere à Patre, quo credat in Chriſtum. Et cap. 9. Fides igitur & inchoata & perfecta donum Dei eſt: & hoc donum quibuſdam dari, quibuſdam non dari, omnino non dubitet, qui non vult manifeſtiſſimis ſacris literis repugnare. ——— Cur autem illum potius quam illum liberet, inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus. Hæc ibi.

12. Et cap. 10. ejuſdem libri de prædeſtinatione ſanctorum; Ut impleatur quod promiſit Deus, in hominum eſſe poteſtate; ac per hoc ut promiſſa ſua Deus poſſit implere, non eſſe in Dei, ſed in hominis poteſtate, veritas & pietas non credere vetant: credamus cum Abraham, quoniam quæ promiſit, potens eſt & facere. Promiſit autem filios Abrahæ, quod eſſe non poſſunt, ſi non habeant fidem: ergo ipſe donat & fidem. Et cap. 15. Ille quippe nos fecit credere in Chriſtum, qui nobis fecit in quem crederemus Chriſtum: Ille facit in hominibus principium fidei & perfectionem in Jeſu, qui fecit hominem principem



pem fidei & perfectorem Jeſum. Et cap. 16. Dixit ergo Apoſtolus, ſed ex vocante, non quacunque vocatione, ſed qua vocatione fit credens. Hanc etiam intuebatur cum diceret. Sine pœnitentia ſunt dona & vocatio Dei. Et cap. 17. Intelligamus ergo vocationem qua fiunt electi, non qui eliguntur quia crediderunt, ſed qui eliguntur ut credant. Hanc enim & Dominus ipſe ſatis aperit, ubi dicit, Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos. Elegit ergo eos de mundo cum hic ageret in carne, ſed jam electos in ſeipſo, ante conſtitutionem Mundi. ——— Electi ſunt itaque ante mundi conſtitutionem eâ prædeſtinatione, in qua Deus ſua futura facta præſcivit: Electi ſunt autem de mundo eâ vocatione, qua Deus id quod prædeſtinavit, implevit. Quos enim prædeſtinavit, ipſos & vocavit, illa ſcilicet vocatione ſecundum propoſitum: non ergo alios, ſed quos prædeſtinavit, ipſos & vocavit: nec alios, ſed quos ita vocavit, ipſos & juſtificavit: nec alios, ſed quos prædeſtinavit, vocavit, juſtificavit, ipſos & glorificavit, illo utique fine qui non habet finem. Et cap. 18. Ex hoc propoſito ejus eſt illa electorum propria vocatio, quibus omnia cooperantur in bonum, quia ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti, & ſine pœnitentia ſunt dona & vocatio Dei. Et cap. 19. Non quia credidimus, ſed ut credamus elegit nos. Nec quia credidimus, ſed ut credamus vocamur, atque illa vocatione quæ ſine pœnitentia eſt, id prorſus agitur & peragitur ut credamus. ——— Deus igitur operatur in cordibus hominum, vocatione illa ſecundum propoſitum ſuum, ut non inaniter audiant Evangelium, ſed eo audito convertantur & credant. Hæc Auguſtinus, lib. de prædeſtinatione ſanctorum.

13. Idem, lib. de bono perſeverantiæ, cap. 8. Ex duobus itaque parvulis originali peccato pariter obſtrictis, cur iſte aſſumatur, ille relinquatur: & ex duobus ætate jam grandibus impiis, cur iſte ita vocetur ut vocantem ſequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur ut vocantem ſequatur: inſcrutabilia ſunt judicia Dei. Hæc ibi.

14. Et cap. 9. ejuſdem libri, An eo (inquit) fecturi ſumus, ut adhuc deputemus, quanta abſurditate dicatur judicari homines mortuos etiam de his peccatis, quæ præſcivit eos Deus perpetraturos fuiſſe, ſi viverent? Quod ita abhorret à ſenſibus Chriſtianis aut prorſus humanis, ut id etiam refellere pudeat. Cur enim non dicatur & ipſum Evangelium, cum tanto labore paſſionibuſque ſanctorum fruſtra eſſe prædicatum, vel adhuc etiam prædicari, ſi judicari poterant homines etiam non audito Evangelio ſecundum contumaciam vel obedientiam, quam præſcivit Deus eos habituros fuiſſe ſi audiſſent? Nec damnarentur Tyrus & Sidon, quamvis remiſſius quam illæ civitates, in quibus non credentibus à Domino Chriſto mirabilia & ſigna ſunt facta: quoniam ſi apud illos facta eſſent, in cinere & cilicio pœnitentiam egiſſent: ſicut ſe habent eloquia veritatis, in quibus verbis ſuis Dominus Jeſus altius nobis myſterium prædeſtinationis oſtendit. Si enim quæratur à nobis, cur apud eos tanta miracula facta ſunt, qui videntes ea non fuerant credituri; & apud eos facta non ſunt, qui crederent ſi viderent: quid reſpondebimus? Et cap. 10. Nullus hominum judicatur ex bonis ſeu malis, quæ fuerat ſi non moreretur acturus: alioqui Tyrii & Sydonii non ſecundum ea quæ geſſerunt pœnas luerent; ſed potius ſecundum ea quæ geſturi fuerant, ſi in eis illæ virtutes Evangelicæ factæ fuiſſent, per grandem pœnitentiam & per Chriſti fidem conſequerentur ſalutem. Quidam diſputator catholicus non ignobilis hunc Evangelii locum ſic expoſuit, ut diceret, præſciſſe Dominum Tyrios & Sidonios à fide fuiſſe poſtea receſſuros, cum factis apud ſe miraculis credidiſſent, & miſericordia potius non eum illic iſta feciſſe: quoniam graviori pœnæ obnoxii fierent ſi fidem quam tenuerant, reliquiſſent, quam ſi eam nullo tempore tenuiſſent. In qua ſententia docti hominis & admodum acuti, quæ ſint adhuc merito requirenda, quid me nunc attinet dicere, cum & ipſa nobis ad id quod agimus ſuffragetur? Si enim miſeratione Dominus non fecit in iſtis virtutes, per quas fieri poſſent fideles, ne gravius punirentur cum poſtea fierent infideles, quod eos iterum infideles futuros fuiſſe præſcivit; ſatis apertéque demonſtratur de his peccatis neminem judicari mortuorum, quæ præſcivit fuiſſe facturum, ſi aliquo modo ei ne illa faciat ſubvenitur; ſicut Tyriis & Sidoniis, ſi ſententia illa vera eſt, ſubveniſſe dicitur Chriſtus, quos maluit non accedere ad fidem, quam ſcelere multo graviore diſcedere à fide: quod eos, ſi acceſſiſſent, prævide-rat fuiſſe facturos. Quamvis ſi dicatur, cur non factum eſt ut crederent potiùs, & hoc eis præſtaretur, ut antequam fidem relinquerent ex hac vita migrarent: quid reſponderi poſſit, ignoro. Et cap. 11. ejuſdem libri de bono perſeverantiæ: Proinde ſicut Apoſtolus ait, Non volentis, ne- *Rom. 9. 16.* que currentis, ſed miſerentis eſt Dei: qui & parvulis quibus vult, etiam non volentibus neque currentibus ſubvenit, quos ante mundi conſtitutionem elegit in Chriſto, daturus etiam eis gratiam gratis, hoc eſt, nullis eorum vel fidei vel o- *Epheſ. 1. 4.* perum meritis præcedentibus: & majoribus etiam his quos prævidit, ſi apud eos facta eſſent, ſuis miraculis credituros, quibus non vult ſubvenire, non ſubvenit, de quibus in ſua prædeſtinatione occultè quidem, ſed juſtè aliud judicavit: non enim eſt iniquitas apud Deum, ſed inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus: Univerſæ autem viæ Domini miſericordia & ve- *Pſal. 25. 10.* ritas. Inveſtigabilis ergo eſt miſericordia, qua cujus vult miſeretur, nullis ejus præcedentibus meritis: & inveſtigabilis veritas, qua quem vult obdurat, ejus quidem præcedentibus meritis, ſed cum eo cujus miſeretur plerumque communibus. Hæc Auguſtinus, lib. de bono perſeverantiæ.

15. Idem epiſt. 105. Nec omnium eſt fides, *2. Theſſ. 3. 2.* qui audiunt verbum, ſed quibus Deus partitur *Rom. 12. 3.* menſuram fidei: ſicut nec omnia germinant quæ *1. Cor. 3. 6, 7.* plantantur & rigantur, ſed quibus Deus dat incrementum. Cur autem ille credat, ille non credat, *Non omnium eſt fides.* cum ambo idem audiunt, etſi miraculum in eorum conſpectu fiat, ambo idem vident, altitudo *Ratio diſcriminationis occulta eſt & inſcrutabilis.* eſt divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, cujus inſcrutabilia ſunt judicia, & apud quem non eſt iniquitas, dum cujus vult miſeretur, & quem vult obdurat: neque enim propterea ſunt iſta injuſta, quia occulta. Et paulo poſt in eadem epiſtola. O Homo tu quis es qui reſpondeas Deo? quærimus *Rom. 9. 20.* namque meritum obdurationis, & invenimus: merito namque peccati univerſa maſſa damnata eſt: nec obdurat Deus impertiendo malitiam, ſed *Obduratio.* non impertiendo miſericordiam. Quibus enim non impertitur, nec digni ſunt, nec merentur: at potius ut non impertiatur, hoc digni ſunt, hoc merentur. Quærimus autem meritum miſericordiæ,

diæ, nec invenimus, quia nullum eſt, ne gratia evacuetur, ſi non gratis donatur, ſed meritis redditur. Et infra; Neque ab originali neque ab aliis peccatis quiſquam liberatur & juſtificatur, niſi gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, non ſolum remiſſione peccatorum, ſed prius ipſius inſpiratione fidei & timoris Dei impartito ſalubriter orationis affectu & effectu, donec ſanet omnes languores noſtros, & redimat de corruptione vitam noſtram, & coronet nos in miſeratione & miſericordiâ. Hæc Auguſtinus, epiſt. 105.

*Pſal. 103. 3,4.*

16. Idem epiſt. 107. Si ergo ita præpararet atque operaretur Deus hominis voluntatem, ut tantummodo legem ſuam atque doctrinam libero ejus adhiberet arbitrio, nec vocatione illa alta atque ſecreta ſic ejus ageret ſenſum, ut eidem legi atque doctrinæ accommodaret aſſenſum, procul dubio eam legere vel intelligere legendo, vel etiam exponere ac prædicare ſufficeret, nec opus eſſet orare, ut Deus ad fidem ſuam infidelium corda converteret, & converſis proficientem perſeverantiam ejuſdem gratiæ ſuæ largitate donaret. Et poſtea in eadem epiſtola; Quomodo Deus exſpectat voluntates hominum, ut præveniant eum quibus det gratiam, cum gratias ei non immerito agamus de eis, quibus non ei credentibus & ejus doctrinam voluntate impiâ perſequentibus miſericordiam prærogavit, eoſque ad ſeipſum omnipotentiſſima facilitate convertit, ac volentes ex nolentibus fecit? ut quid ei inde gratias agimus, ſi hoc ipſe non fecit? Hæc Auguſtinus, epiſt. 107.

*Vocatio alta atque ſecreta.* *Argumentum ab oratione.* *Argumentum à gratiarum actione.* *Nota, omnipotentiſſimam facilitatem.*

17. Idem, Enchiridii cap. 95. Certa & immutabilis & efficaciſſima eſt voluntas Dei; Multa poteſt & non vult: nihil autem vult quod non poteſt. In Pſalmo canitur; Deus autem noſter in Cœlo ſurſum, in Cœlo & in terra omnia quæcunque voluit fecit. quod utique non eſt verum, ſi aliqua voluit & non fecit: &, quod eſt indignius, ideo non fecit quoniam ne fieret quod volebat omnipotens, voluntas hominis impedivit. Non ergo fit aliquid, niſi omnipotens fieri velit, vel ſinendo ut fiat, vel ipſe faciendo. Et capite nonageſimo ſexto. Omnipotenti quam facile eſt quod vult facere, tam facile eſt quod non vult eſſe, non ſinere. Neque enim veraciter ob aliud vocatur omnipotens, niſi quia quicquid vult poteſt, nec voluntate cujuſpiam creaturæ voluntatis Omnipotentis impeditur effectus. Hæc ibi.

*Certa & immutabilis & efficaciſſima eſt voluntas Dei.* *Pſal. 115. 3. & Pſal. 135.6.* *Deus facere volens non impeditur ab hominis voluntate.* *Non fit aliquid niſi omnipotens fieri velit, vel ſinendo ut fiat, vel ipſe faciendo.*

18. Et capite 97. ejuſdem Enchiridii. Sed Dominus in Evangelio compellans impiam civitatem; quoties, inquit, volui colligere filios tuos ſicut gallina pullos ſuos, & noluiſti: tanquam Dei voluntas ſuperata ſit hominum voluntate, & infirmiſſimis nolendo impedientibus, non potuerit facere potentiſſimus quod volebat. Et ubi eſt illa omnipotentia, qua in Cœlo & in terra omnia quæcunque voluit fecit, ſi colligere filios Hieruſalem voluit & non fecit? An potius & illa quidem filios ſuos ab ipſo colligi noluit, ſed eâ quoque nolente filios ejus collegit ipſe quos voluit: quia in Cœlo & in terra non quædam voluit & fecit, quædam verò voluit & non fecit, ſed omnia quæcunque voluit fecit. Et capite 98. Quis porro tam impiè deſipiat, ut dicat, Deum malas hominum voluntates quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non poſſe convertere? Sed cum facit, per miſericordiam facit: cum autem non facit, per judicium non facit. quoniam cujus vult miſeretur, & quem vult indurat. Et cap. 102. Sed quantælibet ſint voluntates vel Angelorum vel hominum, vel bonorum vel malorum, vel illud quod Deus vel aliud volentes quam Deus, omnipotentis voluntas Dei ſemper invicta eſt. Hæc Auguſtinus, in Enchiridio ad Laurentium.

*Matth. 23.37.* *Dei voluntas inſuperabilis. Dei etiam poſſe videtur colligere eos volentes prædeſtinatione ſua, ut homo, qua etiam noluerat, ſic fecit.*

19. Idem, libro primo ad Bonifacium contra duas epiſtolas Pelagianorum, capite tertio. Ille trahitur ad Chriſtum, cui datur ut credat in Chriſtum. Datur ergo poteſtas ut Filii Dei fiant qui credunt in eum, cum hoc ipſum datur ut credant in eum. Et capite 19. Trahitur ergo miris modis, ut velit, ab illo, qui novit intus in ipſis hominum cordibus operari, non ut homines, quod fieri non poteſt, nolentes credant, ſed ut volentes ex nolentibus fiant. Hæc Auguſtinus, lib. 1. ad Bonifacium, contra duas epiſtolas Pelagianorum.

20. Idem, libro de gratiâ & libero arbitrio, capite decimo ſexto. Certum eſt nos mandata facere ſi volumus, ſed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum eſt ut tantum velimus, quantum ſufficit ut volendo faciamus. Certum eſt nos velle cum volumus, ſed ille facit ut velimus bonum, de quo dictum eſt quod præparatur voluntas à Domino: à Domino greſſus hominis dirigentur, & viam ejus volet: Deus eſt qui operatur in vobis & velle & operari. Certum eſt nos facere cum facimus, ſed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati, qui dixit, Faciam ut in juſtificationibus meis ambuletis, & judicia mea obſervetis & faciatis. Hæc ibi.

21. Idem libro de correptione & gratia, capite decimo quarto. Deo volenti ſalvum facere nullum hominum reſiſtit arbitrium: ſic enim velle vel nolle in volentis vel nolentis eſt poteſtate, ut divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem. ——— Non eſt itaque dubitandum, voluntati Dei qui in Cœlo & in terra omnia quæcunque voluit fecit, & qui etiam quæ futura ſunt fecit, humanas voluntates non poſſe reſiſtere, quominus faciat ipſe quod vult; quandoquidem etiam de ipſis hominum voluntatibus quod vult cum vult facit. ——— ſine dubio habens humanorum cordium, quo placet, inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem. ——— Intus egit, corda tenuit, corda movit, eoſque voluntatibus eorum, quas ipſe in illis operatus eſt, traxit. Hæc Auguſtinus, libro de correptione & gratiâ, cap. 14.

22. Idem libro de Spiritu & litera, capite trigeſimo quarto. Jam ſi ad illam profunditatem ſcrutandam quiſquam nos coarctet, cur illi ita ſuadeatur ut perſuadeatur, illi autem non ita: duo ſola occurrunt interim quæ reſpondere mihi placeat, ô altitudo divitiarum: &, Numquid iniquitas apud Deum? Cui reſponſio iſta diſplicet, quærat doctiores, ſed caveat ne inveniat præſumtores. Hæc Auguſtinus.

23. Proſper libro ſecundo de vocatione gentium, capite decimo. (ſeu in alia editione, capite trigeſimo tertio.) Nihil (inquit) obſiſtere divinæ gratiæ poteſt, quo minus id quod voluerit impleatur.

24. Idem, lib. de ingratis, cap. 14.

*Namque ut nunc ſævas gentes & barbara regna,*
*Ignoti prius aut ſpreti nova gratia Chriſti*
*Attrahit, & terrâ templum ſibi condit in omni:*
*Sic prius, immites populos, urbeſque rebelles*
*Vincenſ obſtantes animos pietate ſubegit.*
*Non hoc conſilio tantum hortatuque benigno*
*Suadens atque docens, quaſi normam legis haberet*
*Gratia: ſed mutans intus mentem, atque reformans,*
*Vaſque novum ex fracto fingens, virtute creandi.*
*Non iſtud monitus legis, non verba Prophetæ,*
*Non præſtata ſibi præſtat natura: ſed unus*
*Qui fecit, reficit. Percurrat Apoſtolus orbem,*
*Prædicet, hortetur, plantet, riget, increpet, inſtet,*
*Quoque viam verbo reſeratam invenerit, irrer:*
*Ut tamen his ſtudiis auditor promoveatur,*
*Non doctor, neque diſcipulus, ſed gratia ſola*
*Efficit: inque graves adoleſt plantaria fructus.*



*Gratia ſola.*

Et cap. 15. ejuſdem libri;

*At verò omnipotens hominem cum gratia ſalvat,*
*Ipſa ſuum conſummat opus: cui tempus agendi*
*Semper adeſt cui geſta velit, non moribus illi*
*Fit mora, non cauſis anceps ſuſpenditur ullis.*

*Omnipotens gratia & certo efficax.*

25. Fulgentius ejuſque collegæ coëpiſcopi, lib. de incarnatione & gratia, cap. 30. In hominibus igitur quos ſalvat, voluntatem bonam non invenit: ſed, ſicut ætatum exigit diverſitas, aut in majoribus bonam voluntatem gratia facit, quam invenit malam: aut ſine voluntate hominis, vel bona vel mala, perficit in parvulis gratiam ſacramenti illius, cujus nemo poteſt bonæ reſiſtere voluntati.

*Voluntas Dei irreſiſtibilis.*

## CAPUT DECIMUM-OCTAVUM.

*Catholicorum expoſitiones dicti illius Apoſtolici*, Qui vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. 1. Tim. 2. 4.

HUjus loci expoſitionem catholicam nobis tradunt Auguſtinus Enchirid. cap. 103. & lib. 4. contra Julianum, cap. 8. & lib. de correptione & gratia capp. 14. & 15. & lib. 22. de civitate Dei capp. 1. & 2. & Proſper ad Capitula Gallorum, cap. 8. & toto opere de vocatione gentium. Et Petrus Diaconus lib. de incarnatione & gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, capite ſeptimo, & Fulgentius lib. de incarnatione & gratia, capp. 29, 30, 31. & Eccleſia Lugdunenſis, lib. de tribus epiſtolis.

2. Proſper initio operis de vocatione gentium, quæſtionis ſtatum ita proponit; Inter defenſores (inquit) liberi arbitrii, & prædicatores gratiæ Dei, magna & difficilis dudum vertitur quæſtio. Quæritur enim, utrum velit Deus omnes homines ſalvos fieri. Et quia negari hoc non poteſt: cur voluntas omnipotentis non impleatur, inquiritur. Cumque hoc ſecundum voluntates hominum fieri videtur, gratia videtur excludi: quæ ſi meritis redditur, conſtat eam non donum eſſe, ſed debitum. Unde iterum quæritur, cur hoc donum, ſine quo nemo ſalvus eſt, ab eo qui omnes ſalvari vult, non omnibus conferatur. Reſpondet autem Proſper, lib. 1. illius operis cap. 5. Latet diſcretionis illius ratio, ſed non latet ipſa diſcretio. ——— Certiſſimum eſt nihil aliter Deum facere debuiſſe, quam fecerit.

3. Objectio Semipelagianorum; Salvari volentes, ſalvantur.

Reſpondet Proſper, lib. 1. de vocatione gentium, cap. 3. (ſeu alia editione cap. 8.) ſalvari volentes, omnino ſalvantur: quia ipſum deſiderium ſalutis ex Dei inſpiratione concipiunt, & per illuminationem vocantis in agnitionem veniunt veritatis. Sunt enim filii promiſſionis, &c.

4. Alia objectio; Gratiam ſuam Deus omnibus impertit.

Reſponſio Proſperi, lib. 1. de voc. gent. cap. 2. (ſeu cap. 5.) Piiſſimè confitemur, quod unquam univerſitati hominum divinæ providentiæ cura defuerit. Quæ licet exceptum ſibi populum ſpecialibus ad pietatem direxerit inſtitutis, nulli tamen nationi hominum bonitatis ſuæ dona ſubtraxit, ut Propheticas voces & præcepta legalia convincerentur in elementorum obſequiis ac teſtimoniis accepiſſe. Unde & inexcuſabiles facti ſunt, quia Deos ſibi Dei dona fecerunt: & quæ creata erant ad utendum, venerati ſunt ad colendum. In quam impietatem etiam illa gens, quam ſibi ab omnibus gentibus Dominus ſegregavit, tota tranſiiſſet, niſi miſericordiæ ſuæ propoſitum ſuſtentandis electorum lapſibus prætendiſſet. Ita humana natura in primi hominis prævaricatione vitiata, etiam inter beneficia, inter præcepta & auxilia Dei, ſemper in deteriorem eſt proclivior voluntatem, cui committi non eſt aliud quam dimitti. Et capite 3. (ſeu capite 9.) Omnes præſciti ac præordinati in vitam æternam à puſillo uſque ad magnum cognoſcunt Deum, quia ut venirent ad Chriſtum, à Patre audierunt atque didicerunt, omnes educti ab errore diriguntur in viam vitæ, omnibus corde mutato recta ſapere & recta velle donatur, omnibus timor quo in mandatis Dei erudiantur, inſeritur. ——— Manet prorſus & quotidie impletur quod Abrahæ Dominus ſine conditione promiſit, ſine lege donavit: quia etſi quidam quibus hæc prædicata ſunt, non crediderunt; incredulitas eorum fidem Dei non evacuavit. Eſt enim Deus verax; omnis autem homo mendax. Et illi quidem qui audito Evangelio credere noluerunt, inexcuſabiliores facti ſunt, quàm ſi nullum præconium veritatis audiſſent: ſed certum eſt eos apud præſcientiam Dei, Abrahæ filios non fuiſſe, nec in illorum ſorte numeratos, de quibus dictum eſt Benedicentur in ſemine tuo omnes tribus terræ. Credituros enim promiſit qui dixit, & non docebit unuſquiſque proximum ſuum, & unuſquiſque fratrem ſuum, dicens, Cognoſce Dominum: quia

*Omnes.* *Rom. 3. 3.* *Joan. 15. 22.* *Gen. 22. 18.* *Jer. 31. 34. & Hebr. 8. 11, 12.*

quia omnes cognoſcent me à puſillo eorum uſque ad magnum. Reconciliandos promiſit, qui dixit; Propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum memor non ero. Obedituros promiſit, qui dixit; Dabo illis viam alteram, & cor aliud, ut timeant me omnes dies. Perſeveraturos promiſit, qui dixit; Timorem meum dabo in cor eorum, ne diſcedant à me: & viſitabo eos, ut bonos eos faciam. Poſtremò, omnes ſine cujuſquam exceptione ſibi obſequuturos promiſit, qui dixit; Per memet ipſum juro, niſi exibit de ore meo juſtitia, & verba mea non avertentur; quia mihi flectetur omne genu, & confitebitur omnis lingua Deo. Quomodo nobis veracis promiſſionis firmitas apparebit, cum multa adhuc hominum millia dæmonis ſerviant, & idolis genu flectant, niſi hujuſmodi denunciationes Dei ſecundum illam incommutabilem ſcientiam editas noverimus, in qua apud illum jam univerſitas diſcreta eſt, & ſive de bonis, ſive de malis loquatur, ita unius partis meminit, quaſi neminem hominum prætermittat? Nam cum dicit Apoſtolus; Vetera tranſierunt, ecce facta ſunt omnia nova: numquid non omnes homines videtur dixiſſe renovatos? Aut cum dicit; Quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem habitare, & per ipſum reconciliare omnia in ipſo: numquid non ita loquitur, quaſi neminem velit exſortem hujus reconciliationis intelligi? ——Quid cum dicitur; Et veniet omnis caro in conſpectu meo ut adorent in Jeruſalem, dicit Dominus: Aut illud; Et erit in diebus; Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem: Aut illud; allevat Dominus omnes qui corruunt, & erigit omnes eliſos: Numquid non ita pronunciatum eſt, quaſi ab hoc Dei munere nemo diſcretus ſit? Habet ergo populus Dei plenitudinem ſuam, &c.

*Jerem. 32.39.40. — Pſal. 45. 23. — Univerſitas diſcreta. — 2.Cor.5.17. — Coloſſ.1.19.20. — Eſai. 66. 23. — Joel. 2. 28. — Pſal. 145. 14. — Habet populus Dei plenitudinem ſuam.*

5. Idem Proſper, eodem lib. de vocatione gentium, cap. 4. (ſeu 12. & 13.) præcipit Apoſtolus, imò per Apoſtolum Dominus, fieri obſecrationes & poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, ac pro iis qui in ſublimitate ſunt. Supplicat ergo ubique Eccleſia Deo non ſolùm pro ſanctis & in Chriſto jam regeneratis, ſed etiam pro omnibus infidelibus & inimicis crucis Chriſti, pro omnibus idolorum cultoribus, pro perſequutoribus, pro Judæis, pro hæreticis & ſchiſmaticis, ut relictis erroribus ſuis ad Deum convertantur, accipiant fidem, accipiant charitatem, & de ignorantiæ tenebris liberati, in agnitionem veniant veritatis. Quod quia ipſi præſtare ſibi nequeunt, miſericors & juſtus Dominus pro omnibus ſibi vult hominibus ſupplicari: ut cum videmus de tam profundis malis innumeros erui, non ambigamus Deum præſtitiſſe, quod ut præſtaret oratus eſt: & gratias agentes pro iis qui ſalvi facti ſunt, ſperemus etiam eos qui nondum illuminati ſunt, eodem Divinæ gratiæ opere eximendos de poteſtate tenebrarum, ut in regnum Dei priuſquam de hac vita exeant transferantur. Quod ſi aliquos, ſicut videmus accidere, ſalvantis gratia prætenerit: & pro eis oratio Eccleſiæ recepta non fuerit: ad occulta divinæ juſtitiæ judicia referendum, & agnoſcendum eſt ſecreti hujus profunditatem nobis in hac vita patere non poſſe, &c.

*1.Tim.2.1.*

6. Et cap. 5. (ſeu 15.) Liberatur pars hominum, parte pereunte. Et ſi hoc voluntatum meritis velimus adſcribere, ut malos neglexiſſe gratia, bonos autem elegiſſe videatur; reſiſtet nobis innumerabilium cauſa populorum, quibus per tot ſecula nulla cœleſtis doctrinæ annunciatio coruſcavit, nec meliores fuiſſe eorum poſteros poſſumus dicere, de quibus ſcriptum eſt; Gentium populus qui ſedebat in tenebris, lucem vidit magnam, & ſedentibus in tenebris & umbra mortis lux orta eſt illis. Et ad quos Apoſtolus Petrus ait; Vos autem genus electum, &c. Item; Non ergo meritis minorum tributum quod non meruere majores: par enim impietas & Patres accuſabat & filios, eademque ignorantiæ cæcitas omnes ſimul in eoſdem mergebat errores. Sed cur illorum non miſertus, & horum miſertus ſit Deus, quæ ſcientia comprehendere, quæ poteſt inveſtigare ſapientia? Latet diſcretionis iſtius ratio, ſed non latet ipſa diſcretio. Non intelligimus judicantem, ſed videmus operantem. Quid calumniamur juſtitiæ occultæ, qui gratias debemus miſericordiæ manifeſtæ? Lauda & venerare quod agitur; quia tutum eſt neſcire quod tegitur. Hæc ibi Proſper.

*Voluntatum merita non ſunt diſcretionis cauſa.*

7. Et ejuſdem libri primi, de vocatione gentium, capite ultimo, ſub finem capitis; Quantumlibet enim impiorum malignitas accuſetur reſiſtens gratiæ Dei, Numquid probabitur eam, quibus eſt collata, meruiſſe: aut illa virtus gratiæ quæ ſibi quos voluit ſubdidit, convertere eos qui inconvertibiles permanſere, non potuit? Tales fuerunt qui ſunt attracti, quales ii qui in ſua duritia ſunt relicti. Sed illis tribuit gratia ſtupenda quod voluit, iſtis retribuit veritas juſta quod debuit: ut judicium Dei magis inſcrutabile ſit in electione gratiæ, quàm in retributione juſtitiæ. Hæc Proſper, lib. 1. de vocatione gentium, locis citatis.

8. Poſtea, lib. 2. ejuſdem operis, de vocatione gentium, diſtinguit inter auxilium generale, gratiam generalem, dona generalia, ſeu ea beneficia, eam providentiam Dei, quam univerſis generationibus & omnibus hominibus communiter atque indifferenter impendit; & excellentius illud opus, largius munus, potentiorem virtutem, ſpecialis gratiæ largitatem, abundantiorem gratiam, qua vocatio ſpecialis exſeritur erga electos, certòque ſalvandos. Tandemque illius libri cap. 10. (ſeu 30.) ſummam diſſertationis ſuæ tribus propoſitionibus comprehenſam lectori commendat, his verbis; Quod itaque in principio ſecundi hujus voluminis inſinuavimus, hoc nunc iterum commendamus, ut cum de gratiæ profunditate & altitudine diſputatur, tribus illis ſaluberrimis & veraciſſimis definitionibus ſimus innixi;

Quarum una profitetur æternum & proprium Divinæ eſſe bonitatis, ut omnes homines ſalvos fieri velit, & in agnitionem veritatis venire.

Alia ſimul prædicat. Omnem hominem qui ſalvus fit, quique in agnitionem veritatis venit, Dei auxilio juvari & regi, utque in fide, quæ per dilectionem operatur, permaneat, cuſtodiri.

Tertia verò temperanter & ſobriè profitetur, non omnem voluntatis Dei comprehendi poſſe rationem, & multas divinorum operum cauſas ab humana intelligentia eſſe ſubductas.

Et paulo poſt; Ipſe eſt (ut Apoſtolus ait) *Salvator omnium hominum, maximè fidelium*. Quæ ſententia ſubtiliſſimæ brevitatis & validiſſimi roboris, ſi tranquillo conſideretur intuitu, totam hanc de quâ egimus controverſiam dirimit. Dicendo enim; *qui eſt Salvator omnium hominum*, confirmavit bonitatem Dei ſuper univerſos homines eſſe generalem. Adjiciendo autem; *Maximè fidelium*, oſtendit eſſe partem generis humani, quæ merito fidei divinitus inſpiratæ, ad ſummam uſque æternam ſalutem ſpecialibus beneficiis provehatur. Quod utique nulla iniquitate agitur juſtiſſimi & miſericordiſſimi Dei, cujus judicium in his diſpenſationibus non cum arrogantia diſcutiendum, ſed cum tremore laudandum eſt. Hæc ibi.

*1.Tim.4.10.*

9. Denique opus illud de vocatione gentium his verbis noviſſimis claudit; Dum in hoc corpore vivitur, nullius eſt negligenda correctio, nullius eſt deſperanda reparatio. Oret itaque ſancta Eccleſia, & pro eis qui crediderunt, gratias agens, proficientem eis perſeverantiam petat: pro eis autem qui extra fidem ſunt, poſcat ut credant. Nec ideo ab obſecrationibus ceſſet, ſi pro aliquibus exaudita non fuerit. Deus enim qui omnes vult ad agnitionem veritatis venire, non poteſt quenquam ſine juſtitia reſutare. Hæc Proſper.

*1.Tim.2. 4.*

10. His ex illo Proſperi opere in anteceſſum præmiſſis; ſubjiciemus nunc Catholicorum expoſitiones dicti illius Apoſtolici, [*qui vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.*] 1.Tim. 2.4.

11. Prima expoſitio ſit ea quæ apertè colligitur ex verbis Proſperi ſuperius poſitis, quam etiam repetit Eccleſia Lugdunenſis, lib. de tribus epiſtolis; quod Deus omnes homines velit ſalvos fieri bonitate Creatoris, & gratia illa generali; non tamen omnes velit ſalvos fieri electione illa & vocatione ſpeciali, ſine qua nemo ſalvus fit, ſed quoſdā juſta judicis ſeveritate non ſalvet, qui planè inexcuſabiles ſunt & ſalute indigni, imò ſeveritate illa digni. Cur autem aliis pariter indignis miſericordiam ſpecialis certoque ſalvantis gratiæ largiatur, illis preteritis, myſterium eſt viatoribus inſcrutabile. Quamvis illa ipſa omnibus impenſa dona generalia, non ſolum abutentes reddant inexcuſabiles, ſed etiam canora voce teſtentur æternam illam naturæ Dei proprietatem, qua conſtanter vult, id eſt, amat juſtitiam & creaturæ ſuæ debitum obſequium, & conſequenter vult conſequentem obſequentium ſalutem; At non vult, id eſt, odio habet peccatum, nec vult creaturæ ſuæ interitum, id eſt, eo non delectatur, ſed eum averſatur, quia pro ſua æterna & incommutabili bonitate non vult ullos perire, ſed omnes ad pœnitentiam venire. Ezech. 18. verſ. ult. & cap. 33. verſ. 11. & 2. Petr. 3. 9. hoc ipſo tamen quod Deus ſit non volens iniquitatem, evincitur (ut colligit Pſaltes Pſal. 5.) non habitaturum cum eo malum, nec ſtaturos ſtultos coram oculis ejus, ſed eum perditurum omnes obſtinatè impios, ad ſalubrem pœnitentiam nunquam venientes, quos merentes Deus juſto judicio vult indurare, vult perdere. Cur autem eis qui pereunt, non dederit Deus pœnitentiam ad agnitionem veritatis, qua fugerent ab ira ventura, cum eam dare eoſque ad ſe convertere omnipotentiſſimâ facilitate poſſet, ſi vellet, quam tamen aliis æquè indignis largitus ſit, abyſſus eſt multa, viatoribus impermeabilis, hoc tamen inconcuſsè certiſſimum eſt, nullam eſſe iniquitatem apud Deum: nihil eſſe in ejus verbis ludificatorium: nihil in ejus voluntate inane.

12. Secunda expoſitio eſt; Poteſt etiam (inquit Auguſtinus, lib. de correptione & gratia, capite decimo quinto) ſic intelligi, quod omnes homines Deus velit ſalvos fieri, quoniam nos facit velle, ſicut miſit ſpiritum Filii ſui clamantem Abba Pater, id eſt, nos clamare facientem. Multa enim (ait idem Auguſt. lib. 22. de civitate Dei, capite ſecundo) volunt fieri ſancti ejus ab illo inſpirata ſancta voluntate, nec fiunt: ſicut orant pro quibuſdam piè ſanctèque, & quod orant non facit, cum ipſe in eis hanc orandi voluntatem ſancto ſpiritu ſuo fecerit, &c. Hanc expoſitionem repetit etiam Eccleſia Lugdunenſis.

*Galat.4.6.*

13. Applica huc verba Apoſtoli, 1. Timoth. 2. ubi jubet nos pro omnibus orare, quia hoc Deo gratum eſt, qui omnes homines vult ſalvos fieri & in agnitionem veritatis venire: id eſt, qui in eis in quibus habitat hanc voluntatem facit. Quaſi diceret, hoc indicio explorent ſe, qui haberi volunt Chriſtiani. Attamen orationibus noſtris, quas pro rebus haud evidenter promiſſis fundimus, ſemper ſubeſt humilis conditio, ſaltem intellecta, nimirum, ſi Deus voluerit.

*1.Tim. 2. 1,2,3,4.*

14. Secundùm has duas expoſitiones, omnes homines in iſto dicto Apoſtolico ſunt univerſi & ſinguli homines, quamdiu ſunt viatores, ſeu quamdiu eis patet acceſſus ad agnitionem veritatis. Sequentibus autem expoſitionibus omnes homines reſtrictius intelliguntur.

*Omnes, univerſi & ſinguli.*

15. Tertia expoſitio; Auguſtinus ait, libro quarto contra Julianum, capite octavo. Sic debet intelligi quod dictum eſt, qui omnes vult homines ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, Quemadmodum intelligitur quod idem dixit Apoſtolus; Per unius juſtificationem in omnes homines ad juſtificationem vitæ. Hos enim omnes vult Deus ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, in quos omnes per unius juſtificationem gratia pervenit ad juſtificationem vitæ. Et paucis ibidem interpoſitis, ait Auguſtinus, in utroque dicto omnes poſitos eſſe pro multis.

*3. Expoſit. 1.Tim.2.4. — Rom. 5. 18. — Omnes pro multis.*

16. Hanc expoſitionem tradunt etiam Proſper, libro primo de vocatione gentium, capite tertio, verbis ſupra citatis, §. 4. & Fulgentius, cum ſuis Collegis Coëpiſcopis, lib. de incarnatione & gratia Chriſti, capite 31. In his (inquiunt) omnibus hominibus, quos Deus vult ſalvos facere, non totum omnino genus ſignificatur hominum; ſed omnium univerſitas ſalvandorum, omnes quoſcunque Dominus advocaverit, &c. Sic etiam alibi Fulgentius; Iſtorum nemo perit. Hi ſunt, *omnes*, quos ſecundum B. Pauli præconium, Deus vult ſalvos fieri & in agnitionem veritatis venire. Quia enim ille hoc vult, qui omnia quæcunque voluit fecit; quod vult ſemper inſuperabiliter facit, hoc utique in eis impletur, quod omnipotentis Dei voluntas incommutabilis & inſuperabilis habet. Hæc Fulgentius, lib. 2. de remiſſione peccatorum, cap. 2. ubi vide plura. Cur autem electi, & ſalvandi familiari divinis eloquiis loquutione dicantur *omnes*, docent iidem Patres, eoſque ſequuta Eccleſia Lugdunenſis, proxima expoſitione, quam, quia cum tertiâ cohæret, hic exhibeo.

*Omnium univerſitas ſalvandorum. — Pſal. 113. 4. — Nota, inſuperabiliter, Inſuperabilis.*

17. Quarta expoſitio; Fulgentius, lib. de incarnatione & gratia Chriſti, cap. 31. Ideo autem (inquit) omnes dicti ſunt, quia ex omnibus hominibus omnes iſtos divina bonitas ſalvat, id eſt, ex omni genere, conditione, ætate, ex omni lingua, ex omni provincia.

*4. Expoſit. Non de ſingulis generum, ſed de generibus ſingulorum.*

Auguſtinus Enchirid. cap. 103. Qui (inquit) omnes homines vult ſalvos fieri, non quod nullus hominum eſſet quem ſalvum fieri nollet, qui virtutes miraculorum facere noluit apud eos, quos dicit acturos fuiſſe pœnitentiam, ſi feciſſet: ſed ut omnes homines omne genus humanum intelligamus per quaſcunque differentias diſtributum, reges, privatos, nobiles, ignobiles, ſublimes, humiles, doctos, indoctos, integri corporis, debiles, ingenioſos, tardicordes, fatuos, divites, pauperes, mediocres, mares, fœminas, infantes, pueros, adoleſcentes, juvenes, ſeniores, ſenes: in linguis omnibus, in moribus omnibus, in artibus omnibus, in profeſſionibus omnibus, in voluntatum & conſcientiarum varietate innumerabili conſtitutos, & ſi quid aliud differentiarum eſt in hominibus. ——— Et ideo facit, quia omnipotens velle inaniter non poteſt, quodcunque voluerit. Præceperat enim Deus ut oraretur

1. Tim. 2. 1, 2. pro ſingulis hominibus, & ſpecialiter addiderat, pro regibus & iis qui in ſublimitate ſunt, qui putari poterant faſtu & ſuperbia ſeculari à fidei Chriſtianæ humilitate abhorrere. Proinde di-

Ibid. v. 3. & 4. cens; Hoc enim bonum eſt coram Salvatore noſtro Deo, id eſt, ut etiam pro talibus oretur, ſtatim ut deſperationem tolleret, addidit; qui omnes homines vult ſalvari, & in agnitionem veritatis venire. Iſto loquutionis modo ait Do-

Luc. 11. 42. minus Phariſæis; Decimatis mentam & rutam & omne olus; id eſt, omne olerum genus. Neque enim Phariſæi & quæcunque aliena & omnium per omnes terras alienigenarum omnia olera decimabant. Hæc Auguſtinus. Sic etiam alii Patres, quorum teſtimonia ſuperius adducta ſunt c. 15. hujus libri, & cap. 16.

5 Expoſit. Vult omnes ſalvos fieri. Nullus ſit ſalvus, niſi quem fieri ſalvum ipſe voluerit, lib. 1. ſent. diſt. 46.

18. Quinta expoſitio: Auguſtinus Enchirid. cap. 103. Cum audimus & in ſacris literis legimus quod velit omnes homines ſalvos fieri, non tamen ideo debemus omnipotentiſſimę Dei voluntati aliquid derogare, ſed ita intelligere quod ſcriptum eſt, qui vult omnes homines ſalvos fieri: tanquam diceretur, nullum hominem fieri ſalvum, niſi quem fieri ſalvum ipſe voluerit. Et ideo rogandus ut velit, quia neceſſe eſt fieri ſi voluerit. ——— Et quocunque alio modo intelligi poteſt, dum tamen credere non cogamur aliquid omnipotentem Deum voluiſſe fie-

Pſal. 135. 6. ri, factumque non eſſe, qui ſine ullis ambiguitatibus ſi in cœlo & in terra, ſicut & veritas cantat, omnia quæcunque voluit fecit, profectò facere noluit quodcunque non fecit. Hæc Auguſtinus.

19. Huc accommodari poteſt illud ſimile, quo utitur idem Auguſtinus lib. de prædeſtinatione ſanctorum, cap. 8. de aliquo literarum magiſtro qui in civitate ſolus eſt. Omnes iſte hic literas docet, non quia omnes diſcunt, ſed quia nemo niſi ab illo diſcit, quicunque ibi literas diſcit.

20. In his omnibus (inquit Fulgentius lib. de incarnatione & gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, c. 31.) ille ſermo noſtri Redemtoris impletur, Cum exaltatus fuero à terra, omnes traham ad meipſum. Quod non ideo dixit, quia omnes omnino trahit: ſed quia nemo ſalvus fit, niſi quem ipſe traxerit. Nam & alibi dicit; Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum. Item alibi, omne quod dedit mihi Pater, ad me veniet. Hi ergo ſunt omnes, quos vult Deus ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Hæc Fulgentius cum ſuis collegis.

21. Eccleſia Lugdunenſis, lib. de tribus epiſtolis, eandem repetens expoſitionem, ait eundem loquutionis modum in verbis Apoſtoli etiam in aliis locis inveniri, ſicut eſt illud, per unius hominis juſtitiam in omnes homines, in juſtificationem vitę. Non quia nullus hominum eſt qui per illius juſtitiam non juſtificetur: ſed quia præter ejus juſtitiam nemo juſtificatur. Omnes hæ expoſitiones ſine compugnantia conſiſtunt.

22. Illam verò expoſitionem, qua dictum illud, qui omnes homines vult ſalvos fieri, ita intelligitur, ut ſimpliciter accipiatur, hoc de omnibus hominibus quantum in ipſo eſt Deum velle, eo quod omnes ſalvari velit bonitate Creatoris: ſed quia liberi arbitrii eos condidit, expectet ut hoc etiam ipſi velint: & ſi voluerint, juſtè ſalventur; ſi noluerint, juſtè puniantur: illam, inquam, expoſitionem, ut Pelagianæ pravitati faventem, ſacriſque literis & antiquis orthodoxorum Patrum Conciliis repugnantem, rejicit ac refellit Eccleſia Lugdunenſis, loco citato.

23. Commendat autem, in tam profundis quæſtionibus tractandis, tranquillitatis & ſobrietatis modeſtiam; & à contentioſa temeritate dehortatur. Vide ejuſdem Eccleſiæ librum de tenenda veritate Scripturæ, col. 435. & 436. in ſecunda parte tomi quarti, bibbliothecæ Patrum, editionis quartæ.

## CAPUT DECIMUM-NONUM.

### *Controverſiarum inter Catholicos & Semipelagianos articulus quintus, de bono perſeverantiæ.*

### Opinio Semipelagianorum.

Deri ipſam perſeverantiam, negant Semipelagiani.

Hilarius, epiſt. ad Auguſtinum de reliquiis Pelagianæ hæreſeos; Deinde (inquit) moleſtè ferunt ita dividi gratiam, quę vel tunc primo homini data eſt, vel nunc omnibus detur, ut ille acceperit perſeverantiam, non qua fieret ut perſeveraret, ſed ſine qua per liberum arbitrium perſeverare non poſſet; Nunc verò ſanctis in regnum per gratiam prædeſtinatis non tale adjutorium perſeverantiæ detur, ſed tale ut eis perſeverantia ipſa donetur, non ſolum ut ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint, verum etiam ut per hoc donum non niſi perſeverantes ſint. ——— Cæterum quicquid habet donatum ſit prædeſtinatis, id poſſe & amittere & retinere propria voluntate, contendunt.

### *Doctrina Catholicorum.*

Affirmant Catholici.

2. Auguſt. lib. de correptione & gratia, cap. 7. Quiſquis à Domino, ut in bono perſeveret, precatur; donum ejus eſſe talem perſeverantiam confitetur.





3. Et capite 12. ejuſdem libri. Primo itaque homini, qui in eo bono quo factus fuerat rectus, acceperat poſſe non peccare, poſſe non mori, poſſe ipſum bonum non deſerere, datum eſt adjutorium perſeverantiæ, non quo fieret ut perſeveraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeverare non poſſet. Nunc verò ſanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædeſtinatis, non tantum tale adjutorium perſeverantiæ datur, ſed tale ut eis perſeverantia ipſa donetur, non ſolum ut ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint, verumetiam ut per hoc donum non niſi perſeverantes ſint. Non ſolum enim dixit, Sine me nihil poteſtis facere; verumetiam dixit; Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, & poſui vos, ut eatis & fructum afferatis. Quibus verbis eis non ſolum juſtitiam, verumetiam in illa perſeverantiam ſe dediſſe monſtravit: Chriſto enim ſic eos ponente, ut eant & fructum afferant, & fructus eorum maneat, quis audeat dicere, Forſitan non manebit? ——— Nam ſi in tanta infirmitate vitæ hujus, in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat, ipſis relinqueretur voluntas ſua, ut in adjutorio Dei ſine quo perſeverare non poſſent, manerent ſi vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent; inter tot & tantas tentationes infirmitate ſua voluntas ipſa ſuccumberet, & ideo perſeverare non poſſent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis ut poſſent. Subventum eſt ergo infirmitati voluntatis humanæ, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter atq; inſeparabiliter ageretur, & ideo quamvis infirma non deficeret, neq; adverſitate aliqua vinceretur. ——— Infirmis ſervit, ut ipſo donante invictiſſimè quod bonum eſt vellent, & hoc deſerere invictiſſimè nollent.

Object. 4. Idem, lib. de bono perſeverantiæ, capite 6. At enim voluntate ſua quiſque deſerit Deum, ut meritò deſeratur à Deo. Quis hoc negaverit? Reſp. Sed ideo petimus, ne inferamur in tentationem, ut hoc non fiat. Et ſi exaudimur, utique non fit, quia Deus non permittit ut fiat. Nihil enim fit, niſi quod aut ipſe facit, aut fieri ipſe permittit. ——— Tutiores igitur vivimus, ſi totum Deo damus: non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus.

Nihil fit, niſi quod aut facit Deus, aut fieri permittit.

5. Et capite 7. ejuſdem libri; Poſt caſum autem hominis, non niſi ad gratiam ſuam Deus voluit pertinere, ut homo accedat ad eum: neque niſi ad gratiam ſuam voluit pertinere, ut homo non recedat ab eo. Hanc gratiam poſuit in illo in quo ſortem conſecuti ſumus, prædeſtinati ſecundum propoſitum ejus qui univerſa operatur: ac per hoc ſicut operatur ut accedamus, ſic operatur ne diſcedamus. ——— Manus igitur Dei eſt iſta, non noſtra, ut non diſcedamus à Deo. Manus, inquam, ejus eſt iſta, qui dixit, Timorem meum dabo in cor eorum, ut à me non recedant. Propter quod & poſci à ſe voluit, ne inferamur in tentationem: quia ſi non inferimur, nullâ ab eo ratione diſcedimus. Quod poterat nobis etiam non orantibus dari, ſed oratione noſtrâ nos voluit admoneri, à quo accipiamus hæc beneficia. à quo enim, niſi ab illo accipimus, à quo juſſum eſt ut petamus? Prorſus in hac re non operoſas diſputationes expectet Eccleſia, ſed attendat quotidianas orationes ſuas. Orat, ut increduli credant: Deus ergo convertit eos ad fidem. Orat, ut credentes perſeverent: Deus ergo donat perſeverantiam uſque in finem. Hoc Deus futurum eſſe præſcivit: ipſa eſt prædeſtinatio ſanctorum. Hæc Auguſtinus.

Non niſi ad gratiam Dei pertinet, ut ad Deum accedamus, & ut à Deo non diſcedamus.

Hierem. 32. 40.

Matth. 6. 13. Vſurpatione.

## CAPUT VIGESIMUM.

### *Admonitio de ſtatu hujus controverſiæ, de perſeverantia. cum regula judicii Theologici, de auctoritate veterum.*

Auguſtino cum Pelagianis ac Semipelagianis controverſia fuit de cauſa efficiente perſeverantiæ ſanctorum electorum; item de cauſa impulſiva; denique de qualitate vel menſura gratiæ, quæ ad perſeverandum datur, imo requiritur. Contendebat Auguſtinus, contra adverſarios gratiæ, perſeverantiam eſſe donum & opus Dei gratuitum, quod ex ſolo beneplacito prædeſtinantis Dei datur ſolis & omnibus electis; dari autem eis ad perſeverandum talem ac tantam gratiam, per quam non ſolum poſſint perſeverare ſi velint, ſed etiam velint certoque perſeverent, nec niſi perſeverantes ſint: talem etiam gratiam nobis in hoc certamine eſſe neceſſariam: eſſe autem gratiam hanc prædeſtinationis effectum. At non movebatur inter eos controverſia de Apoſtaſia multorum ſanctorum non electorum, temporariâ fidei profeſſione Deum colentium, quos pro tempore nobis viatoribus impoſſibile eſt ab electis diſcernere; neque contentio erat de temporariorum ſtatu ante Apoſtaſiam. Quocirca mirandum non eſt, ſi Auguſtinus, præſenti controverſiæ intentus, de aliis adjacentibus quæſtionibus, pro tempore in lite non poſitis, id tantum curaverit, ut nihil inde adverſarii lucrarentur, & cauſæ quam agebat non officerent, ſed potius adjumento eſſent.

Regula de auctoritate veterum.

2. Nam (ut rectè monet ipſe Auguſtinus, libro de bono perſeverantię, capite vigeſimo) ſingulæ quæque hæreſes inferunt Eccleſiæ proprias quæſtiones, contra quas diligentiùs defendatur Scriptura divina, quam ſi nulla talis neceſſitas cogeret. Idcirco profitetur Auguſtinus, ſe, occaſione Pelagiani erroris, non ſolum cautiùs loquutum eſſe, quàm alii, qui, tali quæſtione non pulſati, ſecurius loquuti ſunt, ſed quædam etiam ſua ſcripta retractaſſe, & hæreticorum inquietudine tanquam è ſomno ignaviæ excitatum, ſcripturas vigilantius perſcrutatum eſſe. libro primo contra Julianum, capite ſecundo; & lib. de prædeſtinatione ſanctorum, capitibus tertio & nono, & epiſtola 105. in fine epiſtolæ. Et lib. 3. de doctr. Chriſt. capite 33. & lib. de bono perſeverantiæ, capite vigeſimo primo. Quo loco noviſſimè citato, de ſe ait; Neminem velim ſic amplecti omnia mea ut me ſequatur, niſi in eis quibus me non errare perſpexerit. Nam propterea nunc facio libros in quibus opuſcula mea retractanda ſuſcepi, ut nec meipſum in omnibus me ſequutum fuiſſe demonſtrem, ſed proficienter me exiſtimo Deo miſerante ſcripſiſſe,

Plures regulas, de teſtimoniis veterum prudenter dijudicandis, vide ſupra, lib. 7. c. 3. §. 8. & ſequentibus.

Libros retractationum cur ſcripſerit Auguſtinus.

non tamen à perfectione cœpiſſe : quandoquidem arrogantius loquor quam verius, ſi vel nunc dico me ad perfectionem ſine ullo errore ſcribendi jam in iſta ætate veniſſe. Sed intereſt, quantum & in quibus rebus erretur, & quam facile quiſque corrigat, vel quanta pertinacia ſuum defendere conetur errorem. Bonæ quippe ſpei eſt homo, ſi eum ſic proficientem dies ultimus vitæ hujus invenerit, ut adjiciantur quæ proficienti defuerunt, & perficiendus quam puniendus potius judicetur. Hæc ibi de ſeipſo.

*Auguſtini modeſtia.*

3. De aliis autem qui ante motam controverſiam Pelagianam vixerunt, loquens, lib. de prædeſtinatione ſanctorum, capite 14. Quid igitur opus eſt (inquit Auguſtinus) ut eorum ſcrutemur opuſcula, qui priuſquam iſta hæreſis oriretur, non habuerunt neceſſitatem in hac difficili ad ſolvendum quæſtione verſari, quod proculdubio facerent, ſi reſpondere talibus cogerentur?

4. Et in Pſal. 54. in illa verba [& appropinquavit cor illius.] Multa (inquit) latebant in ſcripturis, & cum præciſi eſſent hæretici, quæſtionibus agitaverunt Eccleſiam Dei. Aperta ſunt quæ latebant : & intellecta eſt voluntas Dei. ——— Numquid enim perfectè de Trinitate tractatum eſt, antequam oblatrarent Ariani? Numquid perfectè de Trinitate tractatum eſt, antequam obſiſterent Novatiani? Sic non perfectè de baptiſmate tractatum eſt, antequam contradicerent foris poſiti rebaptiſatores. Nec de ipſa unitate Chriſti enucleatè dicta erant quę dicta ſunt, niſi poſteaquam ſeparatio illa urgere cœpit fratres infirmos. Ut jam illi qui noverant hæc tractare atque diſſolvere, ne perirent infirmi ſolicitati quæſtionibus impiorum, ſermonibus & diſputationibus ſuis obſcura legis in publicum deducerent. Hæc ibi. Multa quippe (inquit alibi idem Pater) ad fidem Catholicam pertinentia, dum hæreticorum callida inquietudine exagitantur, ut adverſus eos defendi poſſint, & conſiderantur diligentius, & intelliguntur clarius, & inſtantius prædicantur, & ab adverſario mota quæſtio, diſcendi exiſtit occaſio. Hæc Auguſtinus, lib. 16. de Civitate Dei, capite 2.

*Occaſione hæreſeon clarius explicata eſt veritas.*

5. Quocirca quod de ſeipſo ſcripſit Auguſtinus, lib. de bono perſeverantiæ, capite 12. inquiens; Nemo, ut opinor, eſt tam injuſtus, atque invidus, qui me proficere prohiberet, atque in hac dubitatione remanendum mihi eſſe judicaret : idipſum etiam de aliis Eccleſiæ doctoribus, per occaſionem novarum quæſtionum proficientibus dicendum eſt, nimis fore eum injuſtum atque invidum, qui eos proficere prohiberet. Rectè monet Cœleſtinus Papa Romanus, in fine ſuæ epiſtolæ pro Proſpero & Hilario, de gratia Dei, ad quoſdam Galliarum Epiſcopos, dum probamus ea quæ à majoribus contra hæreſes definita ac diſputata ſunt, non eſſe neceſſe, ut etiam omnes partes incurrentium quæſtionum aſtruamus. Ait quidem ibidem, neque contemnendas eſſe : Attamen (ut rectè monet Auguſtinus) licet nobis, ſalvâ honorificentia, quæ Catholicis & laudatis Patribus debetur, aliquid in eorum ſcriptis improbare atque reſpuere, ſi forte invenerimus quod aliter ſenſerint quam veritas habet, divino adjutorio vel ab aliis intellecta, vel à nobis. Talis (inquit) ego ſum in ſcriptis aliorum, tales volo eſſe intellectores meorum. Hæc Auguſtinus, epiſtola 111. ad Fortunatianum, de videndo Deo.

*Per occaſionem novarum quæſtionum proficiunt doctores Eccleſiaſtici.*

6. Non cenſuit Auguſtinus, multiplicandas ſibi eſſe in negotio Pelagiano controverſias, ea dicere contentus, quæ convincendo adverſariorum errori in eis de quibus agitabatur controverſia, ſufficere videbantur; aliis autem minus intentus humani aliquid pati potuit, ut de eis minus commodè loqueretur. Quas ille loquutiones ipſe nunc ſi hic viveret retractaret. Quis enim credat eum, ſi hoc ſeculo viator eſſet, ita expoſiturum verba illa Domini, *Niſi manducaveritis carnem meam, & biberitis ſanguinem meum, non habebitis vitam in vobis*; ſicut non ſolum ipſe Auguſtinus contra Pelagianos diſputans, ſed etiam, eo teſte, Innocentius Papa Romanus interpretatus eſt, de Euchariſtia etiam parvulis neceſſariò danda, ut hinc colligerent, morte æterna perire infantes non baptiſatos, ad eum admitti non potuerint non baptiſati ad ſacramentum ſanctæ menſæ? quam fuiſſe etiam univerſæ tunc temporis Eccleſiæ mentem, contendit Auguſtinus, uſque adeo ut confidenter affirmet, nullum qui ſe meminit Catholicæ fidei Chriſtianum, expoſitionem eam negare, aut de ejus veritate dubitare. epiſtola 106. & lib. 1. de peccatorum meritis & remiſſione, capite 20. & lib. 1. contra Julianum, capite 2.

*Joan. 6. 53.*

7. Nec diceret, reprobis quibuſdam dari eam fidem & charitatem & juſtificationem, in qua ſi mortui eſſent ſalvarentur, ſicut dixiſſe comperitur, lib. de correptione & gratia, capite nono & capite decimo tertio, & lib. de bono perſeverantiæ capite octavo & capite decimo tertio: præſertim cum ipſe Auguſtinus agnoverit eos non fuiſſe Dei filios, etiam quando erant in profeſſione & nomine filiorum : quia non habuerunt perſeverantiam; ideoque neque verè diſcipulos Chriſti, nec verè filios Dei fuiſſe, nec in eorum numero qui Chriſto dati ſunt, etiam quando eſſe videbantur, & ita vocabantur. lib. de correptione & gratia, capite nono. quod quia ſic ibi enervat, ut concedat eos nihilominus eam habuiſſe pietatem & fidem, quæ ipſis eſſet ſalvifica, adeoque Deo probata, ſi tunc mortui eſſent; alia quædam ejuſdem Auguſtini dicta proferam, quæ cum illa opinione apertiſſimè pugnant.

## CAPUT VIGESIMUM-PRIMUM.

*Teſtimonia Auguſtini, pro perſeverantia omnium ſanctorum verè credentium & juſtificatorum.*

CÆteri (inquit) mortales, qui ex iſto electorum & prædeſtinatorum numero non ſunt, vaſa iræ facti ſunt. Iſtorum neminem adducit ad pœnitentiam ſalubrem & ſpiritalem, qua homo in Chriſto reconciliatur Deo. libro quinto contra Julianum, capite tertio, poſt medium capitis.

2. Non ergo alios (ait idem Auguſtinus) ſed quos prædeſtinavit, ipſos & vocavit: nec alios, ſed quos ita vocavit, ipſos & juſtificavit: Nec alios, ſed quos prædeſtinavit, vocavit, juſtificavit, ipſos & glorificavit, illo utique fine qui non habet finem. Elegit ergo Deus fideles, ſed ut ſint, non quia jam erant. libro de prædeſtinatione ſanctorum, cap. 17.

3. Idem Auguſtinus, reprehendens loquutionem Ticonii in deſcribenda ſecunda ſua regula; Secunda (inquit) eſt de corpore Domini bipartito, quod quidem non ita debuit appellari. Non enim revera Domini corpus eſt, quod cum illo non erit in æternum. Sed dicendum fuit, de Domini corpore vero atque permixto : aut vero atque ſimulato, vel quid aliud : quia non ſolum in æternum, verumetiam nunc hypocritæ non cum illo eſſe dicendi ſunt, quamvis in ejus eſſe videantur Eccleſia. libro tertio de doctrina Chriſtiana, cap. 32.

4. Alibi autem de vero Chriſti corpore, nempe de Eccleſia illa quam Chriſtus modo mundat lavacro aquæ in verbo, ut tunc eam ſibi exhibeat non habentem maculam neque rugam, aut aliquid ejuſmodi, totam ſcilicet pulchram atque perfectam, quando abſorbebitur mors in victoriam, ait ſolam hanc Eccleſiam à Chriſto juſtificari inquiens; Dominus itaque Chriſtus & juſtus eſt, & juſtificans, nos autem juſtificati gratis per gratiam ipſius. Non autem juſtificat niſi corpus ſuum, quod eſt Eccleſia. Auguſt. epiſt. 50. ad Bonifacium comitem, poſt medium.

5. Item. Norunt fideles corpus Chriſti, ſi corpus Chriſti non negligant eſſe. Fiant corpus Chriſti, ſi volunt vivere de Spiritu Chriſti. De Spiritu Chriſti non vivit, niſi corpus Chriſti. — Hunc itaque cibum & potum ſocietatem vult intelligi corporis & membrorum ſuorum, quod eſt ſancta Eccleſia in prædeſtinatis & vocatis, & juſtificatis, & glorificatis ſanctis & fidelibus ejus. quorum primum jam factum eſt, id eſt, prædeſtinatio: ſecundum & tertium factum eſt, & fit, & fiet, id eſt, vocatio & juſtificatio: quartum verò nunc in ſpe eſt, in re autem futurum eſt, id eſt, glorificatio. Hujus rei ſacramentum, id eſt, unitatis corporis & ſanguinis Chriſti, alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum in dominica menſa præparatur, & de menſa dominica quibuſdam ad vitam ſumitur, quibuſdã ad exitium. Res verò ipſa cujus & ſacramentum eſt, omni homini ad vitam, nulli ad exitium, quicunque ejus particeps fuerit. —— Iſte cibus & potus eos à quibus ſumitur, immortales & incorruptibiles facit. —— ac per hoc qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, proculdubio nec manducat ſpiritaliter carnem ejus, nec bibit ejus ſanguinem, licet carnaliter & viſibiliter premat dentibus ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti. —— qui Chriſtum manducant, vivunt in æternum, quia Chriſtus eſt vita æterna. Auguſtin. tract. 26. in Evangelium Joannis.

6. Tractatu etiam 27. in illud Evangelium; Signum (inquit) quia manducavit & bibit, hoc eſt, ſi manet & manetur, ſi habitat & inhabitatur, ſi hæret ut non deſeratur. Et alibi exponens, quid ſit verè credere, ait; Crediderunt verè, id eſt, quomodo credendum eſt, inconcuſsè, firmè, ſtabiliter, fortiter, non jam in propria redituri, & Chriſtum relicturi. Auguſt. tract. 106. in Evang. Joannis.

7. Idem in Pſal. 32. ſerm. 2. *Anima noſtra patiens erit Domino*: ſecura exſpectans miſericorditer promittentem, miſericorditer & veraciter exhibentem. Et donec exhibeat quid agimus? *Anima noſtra patiens erit Domino.* Sed quid, ſi in ipſa patientia non durabimus? Immo planè durabimus, *quoniam adjutor & protector noſter eſt.* Adjuvat in pugna; protegit ab æſtu; non te deſerit. Hæc ibi. Ait etiam idem Pater; Cum igitur boni & mali dent & accipiant baptiſmi ſacramentum, nec regenerati ſpiritaliter in corpus & membra Chriſti coædificentur niſi boni, profectò in bonis eſt illa Eccleſia, cui dicitur, Sicut Lilium in medio ſpinarum, ita proxima mea in medio filiarum. In his eſt enim qui ædificant ſupra petram, id eſt, qui audiunt verba Chriſti, & faciunt. ———— Qui ergo compage charitatis incorporati ſunt ædificio ſuper petram conſtituto, & lilio inter ſpinas candenti, ipſi utique poſſidebunt regnum Dei. Auguſt. lib. de unitate Eccleſiæ, cap. 18. *Cant. 2. 2.*

8. Item poſtea eodem libro; Non viſibilem baptiſmum, quem poſſunt habere & alieni, id eſt, qui regnum Dei non poſſidebunt, ſed hoc donum commendat Spiritus Sancti, quod proprium eſt eorum tantum, qui regnabunt cum Chriſto in æternum. quoniam charitas Dei, ſicut dicit Apoſtolus, diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis. ———— Ipſa etiam quæ Domini Dei data ſunt, nonnulla ex eis habent alieni, id eſt, non poſſeſſuri regnum Dei, quibus in fine dicetur, Non novi vos, etiam cum dixerint, in nomine tuo prophetavimus & virtutes multas fecimus : quia etſi habeam, inquit, Prophetiam, & ſciam omnia ſacramenta & omnem ſcientiam, & ſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil ſum. Hoc eſt ergo donum Spiritus Sancti proprium ſanctorum, unde nemo communicat alienus. libro de unitate Eccleſiæ, cap. 19. *Rom. 5. 5.* *Matth. 7. 22, 23.* *1. Cor. 13. 2.*

9. Et rurſus eodem lib. cap. 20. ſeu ultimo. quaſi viſa ſunt per aliquam partem agri frumenta dominica defeciſſe : Nullo modo autem defecerant, quæ verè frumenta erant prædeſtinata atque ſeminata, & alta radice veraciter germinantia. ———— Triticum quod filius hominis ſeminaverat, triticum manſit. Hæc ibi.

10. Charitas quæ deſeri poteſt, nunquam vera fuit. ait idem Auguſtinus apud Gratianum, de pœnitentia diſt. 2. can. *Charitas qua.* Item; Dominus ait; Amen amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam. qui ergo non habet vitam æternam, in Chriſtum non credit. Ead. diſt. can. *Charitas eſt.* *Joan. 6. 47.*

11. Idem Auguſtinus, tract. 3. in epiſtolam B. Joannis; Intelligetis non poſſe exire foras niſi Antichriſtos. Eos autem qui non ſunt Chriſto contrarii, foras exire nullo modo poſſe: qui enim non eſt Chriſto contrarius, in corpore ejus hæret & membrum computatur. ——— Unctio inviſibilis charitas illa eſt, quæ in quocunque fuerit tanquam radix illi erit, quamvis ardente Sole areſcere non poteſt. Omne quod radicatum eſt, nutritur calore Solis, non areſcit. Hactenus Auguſtinus. *Vide Epheſ. 3.18.*

12. Jam autem iſta evidenter atque ex diametro adverſantur eis, quæ apud illum alicubi leguntur de juſtificatione eorum qui pereunt. Unde colligere promtum eſt, quid eſſet conſtanter dicturus, ſi ea pulſaretur quæſtione quæ nunc Eccleſiam exercet, de perſeverantia ſanctorum, ſeu verè juſtificatorum.

## CAPUT VIGESIMUM-SECUNDUM.

*Teſtimonia aliorum Patrum, de perſeverantia ſanctorum.*

Cyprian. CYprianus ait; Nemo exiſtimet bonos de Eccleſia poſſe diſcedere. Triticum non rapit ventus, nec arborem ſolidâ radice fundatam procella ſubvertit. Inanes paleæ tempeſtate jactantur; invalidæ arbores turbinis incurſione evertuntur. Hos execratur & percutit Joannes Apoſtolus dicens; Ex nobis exierunt, ſed non fuerunt ex nobis, ſi enim fuiſſent ex nobis, manſiſſent utique nobiſcum. Cyprianus libro de unitate Eccleſiæ. (1.Joan. 2. 19.)

2. Baſilius magnus diſſerens de illa ſervi mali diſſectione, de qua apud Matthæum, cap. 24. verſ. ultimo: [illegible], diſſectio (inquit) eſt animæ perpetua à SpirituSancto alienatio. Nunc enim tametſi non admiſcetur indignis, attamen aliquo modo videtur adeſſe ſemel baptizatis: [illegible] ] exſpectans ut ad ſalutem convertantur. Tunc verò in totum ab anima quæ ipſius gratiam profanaverit, reſecabitur. Baſil. lib. de Spiritu Sancto, cap. 16. ubi agnoſcit indignis & perituris non admiſceri Spiritum Sanctum, ſicut admiſcetur eis, qui verè convertuntur, licet illis per communem quandam gratiam adeſſe aliquo modo videatur. (Baſilius. Matth. 24. 51.)

Ambroſ. 3. Ambroſius, libro 1. de Jacob & vita beata, cap. 6. omnium eorum, pro quibus Chriſtus mortuus eſt, quos vocavit & juſtificavit, quibus Spiritum adoptionis infudit, eorum (inquam) omnium perſeverantiam, & quod certi eſſe debeant de propria ſalute, prolixè multis ex ſacra Scriptura petitis adſtruit argumentis. Verba Ambroſii recitabimus, capite vigeſimo quinto hujus libri, §. 9.

Chryſoſt. 2.Cor. 1. 21, 22. 4. Chryſoſtomus ſerm. 3. in 2. Cor. 1. verſ. 21, 22. Hæc verba Apoſtoli, [illegible]. Hæc, inquam, Apoſtoli verba exponens, ait; [illegible]. Hæc Chryſoſtomus.

*Deus non fuit eis depicit de fide quam habent in Christum, ex quo eum credidit arrhabonem Spiritus Sancti.*

Oecumenius. 5. Oecumenius in epiſtola ad Epheſ. cap. 1. verſ. 14. [illegible]. Arrhabo rem omnem confirmat. Adoptionem igitur & innumera bona confirmans Deus, arrhabonem dedit cœleſtis hæreditatis, Spiritum Sanctum.

Proſper. 6. Proſper. lib. 1. de vocatione gentium, cap. 3. (ſeu, in alia editione, cap. 8.) Ex eo quod ſcriptum eſt, Omnis qui invocaverit nomen Domini, ſalvus erit; infert, eos qui non ſalvabuntur, non invocare nomen Domini, non habere ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater. Non agi illa actione Spiritus Dei, de qua ſcriptum eſt; quicunque Spiritu Dei aguntur, hi filii ſunt Dei. Et poſtea, eodem libro, eodem cap. 3. (vel, in alia edit. cap. 10.) Proſper ait, Plebs ergo præſcita, plebs non repulſa, hi ſunt qui in Chriſto juſtificati ſunt. Hæc ille.

Gregor. 7. Quo ſpectant etiam verba illa Gregorii primi Epiſc. Rom. lib. 7. epiſt. 99. Redemtor noſter, Dei hominumque Mediator, conditionis humanæ non immemor, ſic imis ſumma conjungit, ut ipſe in unitate permanens, ita temporalia occulto inſtinctu pia conſulens moderatione diſponat, quatenus de ejus manu antiquus hoſtis nullatenus rapiat, quos ante ſecula intra ſinum matris Eccleſiæ coadunandos eſſe præſcivit. Nam etſi quiſquam eorum, inter quos degit, flatibus mentis ad tempus ut palmes titubet, radix tamen rectæ fidei, quæ ex occulto prodit, divino judicio virens manet, quæ accepto tempore fructum de ſe oſtentare valeat qui latebat. Hæc Gregorius docens radicem rectæ fidei ſemper manere in eo homine, in quo eſt. Et eos qui per rectam fidem intra ſinum matris Eccleſiæ coadunati ſunt, cuſtodiri in manu Chriſti, nec ab antiquo hoſte aliatenus rapi de manu ejus; & quamvis titubent, non tamen eradicari.

8. Atque huc pertinet etiam illud quod alio loco ſcripſit idem Gregorius; Aurum quod pravis diaboli perſuaſionibus quaſi lutum fieri potuerit, aurum ante Dei oculos nunquam fuit. Qui enim ſeduci quandoque non reverſuri poſſunt, quaſi habitam ſanctitatem ante oculos hominum videntur amittere: ſed eam ante oculos Dei nunquam habuerunt. Sæpe namque homo multis occultè peccatis involvitur, & in una aliqua virtute magnus videtur, &c. Gregor. lib. 34. moral. cap. 8.

9. Nempe fides & reliqui fructus Spiritus, qui cap. 5. epiſt. ad Galatas ab Apoſtolo recenſentur, habent (inquit Auguſtinus) quaſdam imagines ſuas in malis hominibus & deceptoribus: ut omnino fallant, niſi quiſque jam mundum oculum & ſimplicem habuerit, quo iſta cognoſcat. Auguſt. de ſermone Domini in monte, lib. 2. propè finem libri. Idcirco ipſam virtutem, qua temporarii ſplendere hominibus videntur, virtutem non eſſe ante oculos Dei, dicit Gregorius, loco proximè citato, libro trigeſimo quarto moral. capite octavo.

10. Dominus in illo die profitebitur eis, quia nunquam [illegible] novi vos. Matth. 7. 23. Ergo nunquam erant ex ovibus Chriſti, nunquam audiverunt obedienter vocem ejus & ſequuti ſunt eum. Joan. 10. Nunquam igitur verè juſtificati fuerunt per fidem in ſanguine Chriſti. Vide ſupra, in doctrina de tertio articulo, cap. 10. annotationes noſtras ad ſextam, & nonam, & decimam, propoſitiones Eccleſiæ Lugdunenſis. Et ad de verba illa Moſis in Cantico, de multis qui propter temporariam quandam profeſſionem & propter dona quædam univerſæ Eccleſiæ viſibili communia dicuntur filii Dei, ita tamen ut non ſint filii ejus, ſed generatio prava & perverſa, filii in quibus non eſt fides. Deuteronom. 32. 5, 6, 9, 19, 20. Temporarii igitur non habent eam fidem, neque eum filiationis honorem, quem habent qui ex Deo geniti ſiu verè regenerati ſunt. Johan. 1. 12, 13. & 1. Johan. 3. 9, 10.



## CAPUT VIGESIMUM-TERTIUM.

*Admonitio de juſtificatione. ubi oſtenditur ſtatum controverſiæ de juſtificatione inter Catholicos olim & Pelagianos, diverſum fuiſſe à ſtatu controverſiæ, qua nunc inter Catholicos & Romanenſes de juſtificatione agitatur.*

JUſtificatio in ſacris literis pro opere divinæ erga nos miſericordiæ in Chriſto ſumta, ſignificat gratuitam donationem juſtitiæ qua juſti conſtituimur.

2. Ea juſtitia duplex eſt; una per quam juſtitiæ Dei peccatis noſtris offenſæ plenaria fit ſatisfactio, & remiſſio peccatorum ac jus æternæ hæreditatis, ad eamque ducens gratia ſufficientiſſimi pretii ſolutione nobis acquiruntur. Hæc eſt illa Chriſti perfectiſſima obedientia, per quam juſti conſtituuntur multi. Rom. 5. 9. Ideo Cyrillus Alexandrinus, de Chriſto ait; Atque ita Deo Patri per omnia obſecutus, humanam naturam in ſeipſo [illegible] juſtificavit. Hæc Cyrillus Alexandrinus, lib. 2. ad Reginas, cap. 22. Hanc Chriſti juſtitiam nobis Deus donat imputando. Rom. 4. 6, 11. Nos eam fide apprehendimus, & quidem ſola fide (licet non ſolitaria) quia fides hic renuncians omni alii juſtitiæ pro reconciliationis memorata effectione, nec ſua ipſius dignitate cenſetur fides in hac juſtificatione, aptitudinem autem organicam inter omnia Dei chariſmata, fides peculiarem habet, ad hanc apprehenſionem. Hinc per metonymiam ſacris Scripturis familiarem fides dicitur imputari in juſtitiam, & ſalvare, quia eſt inſtrumentum apprehendens eam juſtitiam Dei, quæ credentibus imputatur, eoſque ſalvat. Et hanc ſolam unici noſtri Mediatoris juſtitiam repræſentamus Deo in precibus noſtris, ut propter ejus meritum nos exaudiat, neque admiſcemus vel noſtra vel aliorum merita, nam (ut rectè monet Auguſtinus lib. 2. contra epiſtolam Parmeniani, cap. 8.) Unus Mediator Chriſtus, Apoſtoli non mediatores, ſed membra corporis. Hæc Auguſtinus. Vide ſupra, lib. 7. cap. 2. §. 7, 8, 9, 10.

3. Quamvis autem hanc juſtificationem ingrediatur ſolius fidei operatio, non aliorum chariſmatum, nulla tamen huic operi apta eſt fides niſi quæ charitatem ſecum ducit, & in eis qui diutius hic vivere ſinuntur, etiam per dilectionem producit bona opera, lege Dei imperata, quæ præparavit Deus ut in illis ambularemus. Hæc illa eſt fides qua non ſolum credimus Deo, ſed etiam in Deum credimus. Dæmones (inquit Auguſtinus) credebant ei, ſed non credebant in eum. Rurſus etiam de Apoſtolis ejus poſſumus dicere, credimus Paulo, ſed non credimus in Paulum: credimus Petro, ſed non credimus in Petrum. Credenti autem in eum qui juſtificat impium, deputatur fides ejus ad juſtitiam. quid eſt ergo credere in eum? Credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire, & ejus membris incorporari. Ipſa eſt ergo fides quam de nobis exigit Deus & non invenit quod exigat, niſi donaverit quod inveniat. quæ fides niſi quam definivit alio loco Apoſtolus pleniſſimè dicens, Neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides quæ per dilectionem operatur. Non qualiſcunque fides, ſed fides quæ per dilectionem operatur. Hæc Auguſtinus, tract. 29. in Euangelium Joannis.

4. Hi habitus & inde procedentes operationes ſunt altera illa juſtitia, nobis inhærens, & in moribus noſtris relucens, per quam formaliter ſive habitualiter, & actualiter juſti ſumus. Pars & principium hujus juſtitiæ eſt ipſa fides, quam propterea Chriſtus vocat opus Dei. Joan. 6. 29. Fides eſt virtutum omnium fundamentum, inquit Proſper ad excerpta Genuenſium, ad dubium octavum. Hanc comitantur charitas & reliqui fructus Spiritus, qui ſe omnes in externa etiam converſatione exerunt. Tota hæc habitualis & actualis juſtitia eſt etiam gratuitum Dei donum: quod Deus nobis donat, infundendo habitus, & operando in nobis & velle & perficere pro ſuo beneplacito. Hæc juſtificatio, alia peculiari nomenclaturâ, appellatur *ſanctificatio*. (*Juſtitia habitualis & actualis.* — *Joan. 6. 29. Fides fundamentum virtutum.* — *Philip. 2. 13.* — *Sanctificatio.*)

5. Eſt autem hæc noſtra juſtitia, dum hic militamus, imperfecta, & crebro culparum intercurſu & aſpergine uſque adeo interrupta & impurata, ut quotidie nobis clamandum ſit, Domine ne intres in judicium cum ſervo tuo: dimitte nobis debita noſtra. Et exaudit nos miſericors Deus fideliter orantes, propter meritum perfectæ illius juſtitiæ Chriſti, quam fide tenemus, in illa juſtificatione ſtrictè ſumtâ. idcirco non ſolum nævos condonat & tandem abolet, ſed etiam hanc noſtram quantulamcunque obedientiam benignè remuneratur, ſua in nobis munera coronans. (1. Cor. 1, 30.)

6. Utramque illam juſtificationem uno verbo complexus eſt Apoſtolus, in catena illa aurea; Quos autem vocavit, hos & juſtificavit: quos autem juſtificavit, hos & glorificavit. Rom. 8. 30. Item epiſt. ad Titum, cap. 3. verſ. 7. ut juſtificati illius gratiâ hæredes efficeremur ſecundum ſpem vitæ æternæ. Utramque etiam comprehendit Auguſtinus, illis verbis, Neque ab originali, neque ab aliis peccatis quiſquam liberatur & juſtificatur, niſi gratiâ Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, non ſolum remiſſione peccatorum, ſed prius ipſius inſpiratione fidei & timoris Dei, impartito ſalubriter orationis affectu & effectu, donec ſanet omnes languores noſtros, & redimat de corruptione vitam noſtram, & coronet nos in miſeratione & miſericordia. Hæc Auguſtinus epiſtola 105. (Rom. 8, 30. — Tit. 3. 7. — Pſal. 103, 3. 4.)

7. Controverſia Catholicis cum Pelagianis fuit, non de priore illa, ſed de hac poſteriore juſtificatione ſive ſanctificatione, quam Pelagiani dictabant eſſe homini poſſibilem viribus humani arbitrii, abſque adjutorio gratiæ, atque adeò triplicem tantummodo gratiam ajebant eſſe homini neceſſariam ad ejus reformationem ut impleat legem Dei, videlicet, naturam humanam, & remiſſionem peccatorum præteritorum, & doctrinam legis Dei in futurum; his enim poſitis poſſe hominem fieri perfectè juſtum juſtitia habituali & actuali. Semipelagiani neceſſitatem ulterioris- (*Controverſia de juſtificatione, inter Catholicos & Pelagianos.*)

-terioris gratiæ fatebantur, ſed quam quiſque merito antecedentis ſuæ voluntatis & fidei conſequeretur. At Catholici docebant, hanc juſtitiam eſſe gratiam Dei ſeu donum Dei gratuitum, nullo noſtro merito, ſed gratis donatum à Deo eis quorum vult miſereri; quos ipſe non juſtos invenit, neque juſtificari merentes, ſed gratuito munere juſtificat ſeu juſtos facit. Et hanc oppoſitè ad opera liberi arbitrii rectè appellant Dei gratiam, Dei juſtitiam. Dei gratuitum donum; opera autem liberi arbitrii ſine præveniente gratia appellant opera noſtra, juſtitiam noſtram. Et huc accommodant illa etiam Scripturæ teſtimonia, in quibus, ſi primarium Spiritus ſcopum intuearis, juſtitia illa imputata opponitur omni noſtræ juſtitiæ inhærenti & actuali, etiam illi quam ex gratia habemus: huc, inquam, teſtimonia illa accommodant, ut evincant nullam nos juſtitiam actualem & inhærentem habere niſi ex fide, quicquid autem ex fide non ſit, eſſe peccatum; quod utique verum eſt.

*Juſtum facere.* 8. Hinc crebra illa apud Auguſtinum notatio verbi juſtificare, id eſt, juſtum facere, quia non ex nobis ſumus juſti, ſed Deus nos facit juſtos, Epiſt. 105. & 106. & lib. de prædeſtinatione ſanctorum, cap. 7. & lib. de gratia & libero arbitrio, capp. 7. 8. 12. & apud Fulgentium lib. 1. ad Monimum. Non eſt aliud (inquit) juſtificare, niſi juſtos facere. Certè hoc verum eſt loquendo de ſanctificatione noſtra. Sic idem eodem libro, Neque verò Deus humiles, quibus dat gratiam, ante datam, humiles invenit, ſed dando gratiam humiles facit. Hæc Fulgent. (Imo de juſtificatione ſtrictè ſumta verum eſt, quod Deus nos juſtificando juſtos faciat, imputatione juſtitiæ, & remiſſione peccatorum, ideo eam loquutionem non averſatus eſt Joannes Calvinus, lib. 3. Inſtit. cap. 11. §. 21.) In eandem ſententiam dixit Bernardus in fine libri ſui de gratia & libero arbitrio; Denique quos juſtificavit, non quos juſtos invenit, hos & magnificavit. Hæc ille. Et Proſper de libero arbitrio, ad Ruffinum; Deus hominem ita reformavit, ut ei non ſolum culpam malæ voluntatis & actionis remitteret, ſed etiam benè velle, bene agere, atque in his perſeverare donaret. Hæc Proſper.

9. Huc pertinent canones illi Concilii Milevitani ſecundi, cujus Auguſtinus pars fuit, anno Dom. 416.

Can. 3. Placuit, ut quicunque dixerit gratiam Dei, in qua juſtificamur per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, ad ſolam remiſſionem peccatorum valere quæ jam commiſſa ſunt, non etiam ad adjutorium ut non committantur, anathema ſit.

Can. 4. Item, quiſquis dixerit eandem gratiam Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, propter hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipſam nobis revelatur & aperitur intelligentia mandatorum, ut ſciamus quid appetere, quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præſtari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus atque valeamus, anathema ſit.

Can. 5. Item placuit, ut quicunque dixerit, ideo nobis gratiam juſtificationis dari, ut quod facere per liberum jubemur arbitrium, facilius poſſimus implere per gratiam, tanquam etſi gratia non daretur, non quidem facile, ſed tamen poſſimus etiam ſine illa implere divina mandata, anathema ſit.

10. Nos canonibus iſtis eorumque ſanctionibus libenter ſubſcribimus. At nunc alia inter nos & Papiſtas agitatur controverſia, in qua illi pugnant non pro gratia Dei contra liberi arbitrii defenſores, ſed pro ſola juſtitia inhærente & actuali contra juſtitiam imputatam, & pro operibus contra gratiam, id eſt, pro condignitate meriti operum noſtrorum, quæ auxilio gratiæ facimus, contra neceſſitatem divinæ indulgentiæ qua nos ipſos in Chriſti merito per imputationem acceptos habet, & conſequenter opera noſtra per ipſius gratiam in Chriſto facta, quæ præparavit & juſſit ut in eis ambularemus, licet rigido examini ſuſtinendo imparia, miſericorditer etiam acceptat, & gratuitâ remuneratione coronat.

11. Ineptè igitur ad hanc controverſiam, in qua nos magis prædicamus Dei gratiam quam Papiſtæ, qui plus æquo favent libero arbitrio, & minus quam par eſt tribuunt gratiæ, Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 5. Ineptè, inquam, abutuntur dictis Patrum, quæ illi, de hac noſtra controverſia nihil interim cogitantes, protulerunt pro gratia Dei, nos ſanctificante, contra elatos humani arbitrii aſſertores. In qua controverſia nos firmiter adhæremus parti Catholicorum Patrum, rejecto penitus Pelagianorum errore.

## CAPUT VIGESIMUM-QUARTUM.

*Teſtimonia Patrum pro juſtificatione ex fide ſola, licet non ſolitariâ, per imputationem juſtitiæ Chriſti & remiſſionem peccatorum per ejus ſanguinem: non autem per inhærentem nobis habitualem, aut à nobis præſtitam actualem ſive operum juſtitiam.*

*Origenes.* ORigenes, Comment. in epiſt. ad Rom. cap. 3. verſ. 27. & 28. Et dicit (inquit, de Apoſtolo loquens) ſufficere ſolius fidei juſtificationem, ita ut credens quis tantummodo juſtificetur, etiamſi nihil ab eo operis fuerit expletum. Imminet igitur nobis qui integram eſſe Scripturam Apoſtoli conamur aſſerere, & ordine ſuo cuncta conſtare, ut requiramus quis ſine operibus ſola fide juſtificatus ſit. quantum igitur ad exemplum attinet, ſufficere arbitror illum latronem, qui cum Chriſto crucifixus clamavit ei de cruce: Domine Jeſu, memento mei cum veneris in regnum tuum. *Luc. 23. 42.* Nec aliquid quicquam deſcribitur boni operis ejus in Euangeliis, ſed pro hac ſola fide ait ei Jeſus, Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo. Aptemus nunc, ſi videtur, hujus latronis verba cauſſæ Apoſtoli Pauli, & dicamus ad Judæum; Ubi eſt ergo gloriatio tua? Certum quia excluſa eſt, excluſa autem non per legem operum, ſed per legem fidei. Per fidem enim juſtificatus eſt hic latro ſine operibus legis: quia ſuper hoc Dominus non requiſivit quid prius operatus eſſet, nec exſpectavit quid operis cum credidiſſet expleret, ſed ſolâ confeſſione juſtificatum comi-



-temque ſibi Paradiſum ingreſſurus aſſumſit. Sed & mulier illa quæ in Euangelio ſecundum Lucam refertur, quia cum cognoviſſet quod Jeſus recubuit in domo Phariſæi, attulit vas unguenti, & ſtans retro ad pedes ejus, ac flens, lachrymis lavit pedes ejus, ——— Et ex nullo legis opere, ſed pro ſola fide ait ad eam; Remittuntur tibi peccata tua. Et iterum, Fides tua te ſalvam fecit, vade in pace. ——— Igitur ut ad propoſitum redeamus, juſtificatur homo per fidem, cui ad juſtificandum nihil conferunt opera. ——— Audi quid dicit [Apoſtolus:] Mihi autem abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. vides Apoſtolum non gloriantem ſuper juſtitia ſua, neque ſuper caſtitate, neque ſuper ſapientia, neque ſuper cæteris virtutibus vel actibus ſuis, ſed apertiſſimè pronunciantem & dicentem, Qui gloriatur, in Domino glorietur. Et ſic excluſa eſt Judaica gloriatio, non per legem operum, ſed per legem fidei, quæ eſt in Chriſto Jeſu, in cujus cruce gloriatur Apoſtolus. quis enim rectè vel ſuper caſtitate ſua gloriabitur, cum ſcriptum legat, quia ſi quis aſpexerit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo? Unde & Propheta dicit; quomodo gloriabitur quis caſtum ſe habere cor? ——— quis autem vel ſuper juſtitia ſua gloriabitur, cum audiat Deum per Prophetam dicentem; Quia omnis juſtitia veſtra ſicut pannus mulieris menſtruatæ? Sola igitur juſta gloriatio eſt in fide crucis Chriſti, quæ excludit omnem iſtam gloriationem quæ deſcendit ex operibus legis. Hactenus Origenes, in c. 3. epiſt. ad Romanos, in illa verba Apoſtoli; *Ubi igitur gloriatio? excluſa eſt. per quam legem? operum? non; ſed per legem fidei. Colligimus igitur, fide juſtificari hominem abſque operibus Legis.*

2. Colligit autem iſtam concluſionem Apoſtolus, ex ſuperiore ſua diſſertatione de Dei juſtitia per fidem Jeſu Chriſti, in omnes & ſuper omnes credentes: ſine diſtinctione. qui omnes juſtificantur gratis, ipſius gratia, per redemtionem quæ eſt in Chriſto Jeſu. Univerſalis igitur eſt, & ad omnes credentes, atque adeo ad omnes homines adultos quicunque juſtificantur, pertinet concluſio illa Apoſtolica, Λογιζόμεθα οὖν πίστει δικαιοῦσθαι ἄνθρωπον χωρὶς ἔργων νόμου. Neque eſt alius à Domino conſtitutus juſtificationis modus. οὐ γάρ ἐστι διαστολή. Omnes enim peccaverunt, ac deficiuntur gloriâ Dei, ac juſtificantur gratis, &c. Omnes, inquam, fide juſtificantur abſque operibus legis. Quo igitur modo juſtificatur unus credentium, ſeu unus adultorum illorum qui juſtificantur, eodem etiam & non alio modo juſtificantur omnes credentes, ſive omnes adulti quicunque juſtificantur. quamvis igitur unus per fidem juſtificatus, mox de hac vita deceſſerit, alius autem poſt juſtificationem diutius vixerit, & fecerit bona opera, quæ alter præſtare non potuit, quia in hac vita eſſe non ſinebatur, uterque tamen eodem modo juſtificatus eſt, nempe per fidem abſque operibus legis. Superſtitis autem bona opera, quæ ex fide per caritatem operante facit, oſtendunt fidem per quam juſtificatus eſt, atque adeò oſtendunt hominem illum verè eſſe juſtificatum per fidem; nam fides mortua & tantum aſſenſiva, non juſtificat, ſicut docet Jacobus Apoſtolus: ſi tamen ipſum juſtificationis actum intueamur, ſolum huic negotio, nempe ad accipiendam gratuitam peccatorum remiſſionem aptum atque idoneum inſtrumentum eſt fides, non autem aliæ eam comitantes virtutes, neque inde procedentes operationes. Fide enim juſtificatur homo abſque operibus legis. Neque quiſquam adultus aliter juſtificatur.

*Obſervationes ex verbis Origenis.* 3. In verbis Origenis, quæ paragrapho primo recitavimus, obſerva; 1. mentem Apoſtoli eſſe, hominem ſolâ fide juſtificari. 2. Hujus exempla adferri in latrone qui cum Chriſto crucifixus credidit; *Luc. 23.* & in muliere illa, cui multa peccata remiſſa ſunt, & quæ dilexit multum, *Luc. 7.* & ex fide non ficta per charitatem operante faciebat bonum opus, ſtans ad pedes Domini, eoſque lachrymis ſuis rigans, & capillis capitis ſui extergens, & deoſculans, & unguento ungens, quando dixit ei Dominus, Remiſſa ſunt tibi peccata tua. Et iterum; Fides tua te ſalvam fecit: vade in pace. Item in Apoſtolo Paulo, qui jam credens & juſtificatus, multiſque per Dei gratiam virtutibus & bonis operibus abundans, dixit, Mihi autem abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti: *Gal. 6. 14.* Denique in omnibus fidelibus, quorum nemo rectè poteſt ſuper ſua caſtitate vel juſtitiâ gloriari, vel dicere, mundum eſt cor meum. 3. Excludi à juſtificatione non ſolum opera legis cerimonialis, ſed etiam opera legis moralis. 4. Excludi à juſtificatione non ſolum opera facta viribus naturæ & liberi arbitrii & ante juſtificationem, ſed etiam omnia opera quæ ab ipſis credentibus fiunt ex fide & per Dei gratiam. 5. A juſtificatione excludi opera, non ſolum quando eorum faciendorum poteſtas & occaſio deeſt, ſed etiam quando adeſt poteſtas & occaſio, & quando etiam fiunt. 6. Non ſolum opera externa excludi à juſtificatione, ſed etiam operationes internas, & omnes infuſos virtutum habitus, exceptâ ſola fide. 7. Omnem gloriationem in virtutibus aut operibus quibuſcunque noſtris dici & eſſe gloriationem Judaïcam. 8. Solam juſtam gloriationem eſſe in fide crucis Chriſti, quæ excludit omnem iſtam gloriationem quæ deſcendit ex operibus Legis.

*Memoratæ obſervationes refellunt Bellarmini effugium.* 4. Hæ obſervationes eludunt omnem illam Bellarmini ſophiſticam, quâ clariſſimo lumini tenebras offundere, & legentium oculis pulverem injicere conatur, ſeque abdere in caliginem, lib. 1. de juſtificatione, c. 25. ſeu ultimo. Serviunt autem illæ obſervationes vindicandis aliorum etiam Patrum teſtimoniis, quæ ſubjiciemus.

*Baſilius.* 5. Baſilius Magnus, homilia de humilitate: Ea demum (inquit) perfecta & omnimoda gloriatio eſt in Deo, quando neque propter ſuam ipſius quis juſtitiam extollitur, ſed agnoſcit ſe quidem vera deſtitui juſtitiâ, verùm ſolâ in Chriſtum fide juſtificatum eſſe [γνόντα δὲ μόνῃ τῇ εἰς Χριστὸν πίστει δεδικαιωμένον.] Et gloriatur in eo Paulus, quod ſuam ipſius juſtitiam contemnat, *Philip. 3. 8. 9.* quærat autem eam juſtitiam quæ per Chriſtum, quæ ex Deo eſt, in fide. Hæc Baſilius. Ubi à juſtificatione excludit illam etiam virtutum & operum juſtitiam, quæ Dei dono in ipſis fidelibus & jam per fidem juſtificatis invenitur, ut patet ex Apoſtoli Pauli adducto exemplo, & ex his ipſius Baſilii ſequentibus ibidem verbis; Nihil tibi relictum eſt, ô homo, de quo gloriari poſſis. ——— quid enim habes, quod

non accepiſti? ——— An ideo ſuperbis quia honore affectus es, & acceptam miſericordiam ad occaſionem arrogantiæ capis? Hæc & plura in hanc ſententiam ibi Baſilius, loquens de ipſis fidelium virtutibus & bonis operibus. Atque huc applicat locum epiſtolæ ad Philippenſes, cap. 3. 8, 9.

*Bellarmini objectio, de verbis Apoſtoli, Philip. 3. 8. 9. Reſponſio Davidis Parei idonea.*

6. At quanta, quæſo, (inquit Bellarminus) blaſphemia eſt, opera facta ex fide, & gratia Chriſti, ſtercora nominare, quæ ad Galat. 5. fructus Spiritus ipſe idem Apoſtolus vocat? Bellarminus, libro primo de juſtificatione, capite decimo nono. Rectè reſpondit Præceptor meus beatæ memoriæ David Pareus, in caſtigatione illius capitis Bellarmini, inquiens; Opera ſua pro ſtercoribus ſive quiſquiliis ducit [Apoſtolus] non abſolutè, ſed comparatè ad juſtitiam Chriſti quæ eſt ex fide: quia nefas ducit, in ullis ſuis operibus fiduciam juſtificationis ponere coram Deo. Gratia enim Chriſti non ideo in nobis bene operatur, ut in operibus noſtris quaſi meritis confidamus; ſed ut debitum Deo cultum & gloriam per bona opera tribuamus. ——— Hactenus igitur Apoſtolus omnia opera ſua tanquam ſtercora abjiciens, non magis eſt blaſphemus, quàm tota Eccleſia Prophetica fuit blaſphema, *omnes ſuas juſtitias pannum menſtruatum*, rem æquè fœdam, appellans. Hæc Pareus. Vide ſupra, capite ſeptimo, ubi Catholicorum Patrum invenies teſtimonia, cum reſponſione hac concordantia. Concordant etiam verba Origenis hoc ipſo capite ſuperius recitata, & aliorum Patrum quæ inferius recitabuntur.

*Hilarius Pictav.*

7. Hilarii Pictavienſis verba ſunt; Movet ſcribas remiſſum ab homine peccatum. Hominem tantum in Jeſu Chriſto contuebantur, & remiſſum ab eo, quod lex laxare non poterat. Fides enim ſola juſtificat. Hæc Hilarius, canone octavo in Euangelium Matthæi. ubi remiſſionem peccatorum ſeu juſtificationem tribuit ſoli fidei, excluſis omnibus operibus legis, quocunque tandem auxilio præſtitis: nulla enim noſtra opera, in legis Dei obſequium, per Dei gratiam præſtita, nos juſtificant coram Deo; nam ſolâ fide accipimus remiſſionem peccatorum, quam nullis operibus promeremur. Hanc eſſe mentem Hilarii, declarant ipſius verba jam recitata.

*Ambroſius.*

8. Ambroſius in ſermonibus de tempore, ſermone quadrageſimo nono. Hanc (inquit) tantam gloriam latroni fides præſtitit. Fides enim eſt quæ peccata cooperit, quæ vincit crimina. ——— Sicut ergo ſufficit Judæ ad ſcelera deſeruiſſe Chriſtum; ita latroni ſufficit ad innocentiam Domino credidiſſe. Hæc ibi. Idem libro primo de Jacob & vita beata, capite ſexto. Non gloriabor quia juſtus ſum, ſed gloriabor quia redemtus ſum. Gloriabor, non quia vacuus peccati ſum, ſed quia mihi remiſſa ſunt peccata. Non gloriabor quia profui, neque quia profuit mihi quiſquam, ſed quia pro me advocatus apud Patrem Chriſtus eſt, ſed quia pro me Chriſti ſanguis effuſus eſt. Et libro ſecundo ejuſdem operis, de Jacob & vita beata, capite ſecundo. Meritò (inquit) dixit, ipſa quidem vox Jacob: at manus, manus Eſau. Et odoratus eſt odorem veſtimentorum ejus. Et forſaſſe illud eſt, quia non operibus juſtificamur, ſed fide, quoniam carnalis infirmitas operibus *Geneſ. 27. 22. 27.*

impedimento eſt, ſed fidei claritas ſanctorum obumbrat errorem, quæ meretur veniam delictorum. Hæc Ambroſius. quibus à juſtificatione manifeſtè excludit omnia etiam fidelium & ſanctorum opera. quò pertinent illa ejuſdem Patris verba, quæ ex ejus Commentario in Reſh. Pſalm. 118. (ſeu 119.) recitavimus ſupra, capite ſeptimo hujus libri, §. 9. vide etiam ejuſdem capitis §. 6.

9. Auctor Commentariorum in epiſtolas Pauli Apoſtoli, qui Ambroſio tribuuntur, ſcribens in epiſtolam ad Romanos, capite tertio, verſu vigeſimo quarto in illa Apoſtoli verba; *Juſtificati gratis per gratiam ipſius.*] Juſtificati (inquit) ſunt gratis, quia nihil operantes, neque vicem reddentes, ſolà fide juſtificati ſunt dono Dei. Et in capite quarto, verſu tertio in illa verba Apoſtoli, *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad juſtitiam.*] Manifeſtavit (inquit) non ideo Abraham gloriam apud Deum habere quia circumciſus eſt, aut quia abſtinuit ſe à peccato, ſed quia Deo credidit, hinc & juſtificatus eſt, laudis ſuæ præmium in futuro conſequuturus. His verbis auctor iſte ab Abrahami juſtificatione palam excludit omnia ejus opera, etiam poſt fidem acceptam facta, tum ceremonialia, tum etiam moralia. Eodem autem modo nos omnes juſtificari docet Apoſtolus, quo juſtificatus eſt Abraham. Idem etiam ſcriptor, in ejuſdem quarti capitis verſum quintum, in illa verba Apoſtoli; *Credenti autem in eum qui juſtificat impium, reputatur fides ejus in juſtitiam.*] Hoc dicit (inquit) quia ſine operibus legis credenti impio, id eſt, gentili, in Chriſtum reputatur fides ejus ad juſtitiam. quomodo ergo Judæi per opera legis juſtificari ſe putant juſtificatione Abrahæ, cum videant Abraham non ex operibus legis, ſed ſolâ fide juſtificatum? Non ergo opus eſt lege, quando impius per ſolam fidem juſtificatur apud Deum. Hæc ibi. Excluduntur autem hic à juſtificatione non ſolùm ceremonialis legis opera, ut cavillatur Bellarminus, libro primo de juſtificatione, capite vigeſimo quinto, ſed omnino omnia legis etiam moralis opera: nam etiam per legis moralis opera Judæi putabant ſe juſtificari, ut patet ex gloriatione Phariſæi illius, apud Lucam, cap. 18. verſ. 11.

*Auctor Comment. in epiſt. Pauli, qui Ambroſio tribuuntur. Rom. 3. 24. Rom. 4. 3. Rom. 4. 5.*

10. Idem ſcriptor, in cap. 11. ad Rom. verſ. 32. in illa verba Apoſtoli; *Concluſit enim Deus omnia in incredulitate, ut omnium miſereatur.*] Solam (inquit) fidem poſuit Deus, per quam omnium peccata abolerentur: ut quia nulla ſpes per legem omnibus hominibus erat, Dei miſericordiâ ſalvarentur. Item, in 1. epiſtolam ad Corinthios, capite 1. verſu 4. in illa verba Apoſtoli, *Gratias ago Deo meo ſemper pro vobis ſuper gratia Dei, quæ data eſt vobis in Chriſto Jeſu.*] Datam (inquit) dicit gratiam à Deo in Chriſto Jeſu, quæ gratia ſic data eſt in Chriſto Jeſu, quia hoc conſtitutum eſt à Deo, ut qui credit in Chriſtum, ſalvus ſit ſine opere, ſolâ fide gratis accipiens remiſſionem peccatorum. Hæc auctor Commentariorum illorum qui Ambroſio tribuuntur.

*Rom. 11. 32. 1. Cor. 1. 4.*

11. Huc pertinet illud Hieronymi; Tunc ergo juſti ſumus, quando nos peccatores fatemur: & juſtitia noſtra non ex proprio merito, ſed ex Dei conſiſtit miſericordia: dicente ſanctâ Scripturâ; *Juſtus accuſator ſui eſt in principio ſermonis.* Et in alio loco; *Dic tu peccata tua ut juſtificeris.* Concluſit enim Deus omnia ſub peccato, ut omnibus miſereatur. Et hæc hominis ſumma eſt juſtitia, quicquid potuerit habere virtutis, non ſuum putare eſſe, ſed Domini qui largitus eſt. Hæc Hieronymus, lib. 1. adverſus Pelagianos.

*Hieronym. Proverb. 18. 17. LXX. Eſai. 43. 26. Rom. 11. 32. Gal. 3. 22.*



12. Joannes Chryſoſtomus, homilia de fide, & in legem naturæ, & de Spiritu Sancto, quæ eſt octogeſima nona homilia tomi ſexti, editionis Savilianæ; Eum (inquit) qui operatur opera juſtitiæ ſine fide, non potes probare vivum eſſe; fidelem autem abſque operibus poſſum monſtrare & vixiſſe & regnum Cœlorum aſſecutum. Nullus ſine fide vitam habuit. Latro autem credidit tantum & juſtificatus eſt [ὁ δὲ λῃστὴς πιστεύσας μόνον ἐδικαιώθη.] Atque hic ne mihi dixeris defuiſſe ei tempus, quo juſtè viveret & honeſta faceret opera; neque enim de hoc ego contenderim, ſed illud jam evici, quod fides per ſeipſam ſalvum fecerit. [ὅτι ἡ πίστις καθ' ἑαυτὴν ἔσωσεν.] Si enim poſtquam credidit manſiſſet in hac vita, & opera neglexiſſet, ſalute excidiſſet. Hæc Chryſoſtomus, homilia citata, tom 6. edit. Savil. pag. 838. Nempe, ut idem Pater paulo ſuperius ibidem dicit, ἀ δεῖ μὲν τὴν πίστιν γυμνὴν εἶναι τῶν ἔργων, ἵνα μὴ ὀνειδίζηται, πολὺ ἀνωτέρα τῶν ἔργων ἡ πίστις. id eſt; Oportet quidem fidem non eſſe operibus vacuam, ne opprobrio ſit obnoxia; Attamen ſuperior operibus eſt fides. Hoc ibi illuſtrat Chryſoſtomus ſimilitudine vitæ & alimenti: & vitæ quidem aſſimilat fidem, opera autem alimento.

*Chryſoſtom.*

13. In eandem ſententiam Auguſtinus, oſtendens conſenſum Pauli & Jacobi Apoſtolorum, quorum alter excludit opera à juſtificatione, alter verò per opera fidem oſtendi jubet; ad facilius percipiendum hunc Apoſtolorum conſenſum, hæc tria nobis commendat ſedulò obſervanda: 1. Neminem meritis operum fidem præcedentium perveniſſe ad donum juſtificationis, quæ eſt in fide: & hæc opera Paulum excludere à juſtificatione. 2. Juſtificationem ex fide eſſe in ſe perfectam & ſufficientem ad aſſecutionem vitæ æternæ, abſque ullis operibus vel præcedentibus vel ſequentibus fidem, ſi, cum aliquis crediderit, mox de hac vita deceſſerit. 3. Si credens diutius vixerit, ad eum pertinere bene operari, & impoſſibile eſſe quin deinceps juſtè operetur; gratiam enim Dei in illo vacuam eſſe non poſſe, nec dicendum eſſe juſtum ſi malè vixerit, quia fide vacua & mortuâ nemo juſtificatur; & hoc docuiſſe Jacobum Apoſtolum, & ipſum etiam paſſim ab ipſo Paulo Apoſtolo inculcari. Hæc eſt doctrina Auguſtini, in libro octoginta trium quæſtionum, quæſtione ſeptuageſima ſexta.

*Auguſtinus.*

14. Quamvis autem opera fidem ſequentia, ut veræ ac vivæ fidei effecta & indicia, in eis qui diutius vivunt, poſtulet cum Apoſtolis Auguſtinus; fiduciam tamen juſtificationis coram Deo, propriè ac ſtrictè ſumtæ, collocandam monet in ſola Dei miſericordia, remittentis noſtra peccata, propter Chriſti juſtitiam, quam noſtram facit. Delicta (inquit) noſtra [Chriſtus] ſua delicta fecit, ut juſtitiam ſuam noſtram juſtitiam faceret. Auguſtinus expoſitione ſecunda in Pſal. 21. in illa verba Pſalmi, *Longè à ſalute mea, &c.* Alibi etiam ait; Ad exiſtimationem hominum, magna teſtium qui me noverunt ſuppetit copia: ad Dei verò conſpectum ſola conſcientia, quam contra veſtras criminationes cum intrepidam geram, non me tamen ſub oculis omnipotentis juſtificare audeo, magiſque ab illo effluentem miſericordiæ largitatem, quam judicii ſummum examen exſpecto, cogitans quod ſcriptum eſt; Cum rex juſtus ſederit in throno, quis gloriabitur caſtum ſe habere cor: aut quis gloriabitur mundum ſe eſſe à peccato? Hæc Auguſtinus, lib. 2. contra Creſconium, cap. 80. Et alibi; Ut in ipſo (inquit) ſacerdote ac ſacrificio fieret remiſſio peccatorum: id eſt, per Mediatorem Dei & hominum, hominem Jeſum Chriſtum: per quem facta peccatorum purgatione reconciliamur Deo. Non enim niſi peccatis homines ſeparantur à Deo, quorum in hac vita non fit noſtra virtute, ſed Divina miſeratione purgatio: per indulgentiam illius, non per noſtram potentiam: quia & ipſa quantulacunque virtus, quæ dicitur noſtra, illius eſt bonitate conceſſa. Multum autem nobis in hac carne tribueremus, niſi uſque ad ejus depoſitionem ſub venia viveremus. Hæc Auguſtinus lib. 10. de Civitate Dei, cap. 22. Et væ etiam laudabili vitæ hominum, ſi remota miſericordia diſcutias eam. ait idem Auguſtinus, lib. 9. Confeſſionum, cap. 13.

*Proverb. 20. 8. 9. LXX.*

*Sub venia vivimus.*

15. Huc pertinet illud ejuſdem Auguſtini, lib. expoſitionis epiſtolæ ad Romanos inchoatæ, in Apoſtolicam illam ſalutationem, *Gratia vobis, & pax, à Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto.* Gratia eſt ergo à Deo Patre, & Domino noſtro Jeſu Chriſto, qua nobis peccata remittuntur, quibus adverſabamur Deo. Pax verò ipſa, qua reconciliamur Deo. Cum enim per gratiam remiſſis peccatis abſumtæ fuerint inimicitiæ, reſtat ut pace adhæreamus illi à quo nos ſola peccata dirimebant. Sicut Propheta dicit, *Non gravabit aurem ut non audiat, ſed peccata veſtra inter vos & Deum ſeparant.* quibus remiſſis per fidem Domini noſtri Jeſu Chriſti, nulla ſeparatione interveniente pax erit. Et de hoc ſuo opere ſcribens Auguſtinus, lib. 1. Retractationum, cap. 25. quod dixi (inquit) gratiam eſſe in remiſſione peccatorum, pacem verò in reconciliatione Dei. Ubicunque hoc dixi, non ſic accipiendum eſt, ac ſi pax ipſa & reconciliatio non pertineat ad gratiam generalem, ſed quod ſpecialiter nomine gratiæ remiſſionem ſignificaverit peccatorum. Hæc ibi.

*Tom. 1. 7. Gratia & Pax.*

*Eſai. 59. 1, 2.*

*In ſalutatione Apoſtolica gratiam Auguſtinus interpretatur remiſſionem peccatorum.*

16. Inſignis eſt illa ejuſdem etiam Auguſtini ſententia, libro decimo nono de Civitate Dei, capite vigeſimo ſeptimo, quam repetit Proſper, libro epigrammaton, capite octogeſimo octavo. Juſtitia noſtra quamvis vera ſit propter verum boni finem, ad quem refertur; tamen tanta eſt in hac vita, ut potius remiſſione peccatorum conſtet, quàm perfectione virtutum. Iſtam Auguſtini ſententiam Proſper hoc explicat epigrammate;

*Magna quidem in multis eſt excellentia ſanctis,*
*Quorum animos ſuperi gratia roris alit.*
*Sed dum mens quadam patitur mala corporis agri,*
*Et pugnam internis exteriora movent,*
*Nunquam ita perfecta capitur victoria bello,*
*Verâ ut ſecurus pace fruatur homo.*
*Inter diſcordes motus contagia ſerpunt,*
*Ipſaque virtutum gaudia vulnus habent.*

*Proſper Aquitanicus, Epiſcopus Rhegienſis, lib. Epigrammatum, cap. 88.*

*Vt faciat cunctis longa experientia notum,*
*Non eſſe hoc plenam tempore juſtitiam.*
*Ni Dominus miſerando lavet delicta ſuorum,*
*Et dans virtutum munera, det veniam.*

*Neminem hominum niſi in peccatorum remiſſione juſtificat Deus.*

Ejuſdem Proſperi dictum eſt; Non poteſt peccator bene agere, niſi à Deo juſtificatus; qui neminem hominum niſi in peccatorum remiſſione juſtificat. Hæc Proſper, in Pſal. 142. (ſeu 143.) verſ. 1. Et mox ibidem in verſ. 2. Citò (inquit) aperuit, quare nollet ſe Divinæ comparari juſtitiæ, & cum Deo mereretur judicari: *quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.* quomodo præſumam de innocentia, cum à te convincendus ſim de juſtitia? aut quid mihi boni proprii vindicabo, qui quod non dederis non habeo? Expaveſco igitur diſcuti, metuo judicari: quia nemo in hac mortali carne viventium veraciter poteſt dicere, ſe peccati contagia non habere: cum ipſi præcipui arietes ovium Chriſti ſic orare jubentur, *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Hactenus Proſper.

*Pſal. 143. 2.*

*Opera credentium non juſtificant eos coram Deo.*

*Matth. 6.12.*

17. Auctor libri meditationum, qui ſub Auguſtini nomine circumfertur [tom. 9. operum Auguſtini,] Deſperare (inquit) utique potuiſſem, propter nimia peccata mea & infinitas negligentias meas, niſi Verbum tuum, Deus, caro fieret & habitaret in nobis. Sed deſperare jam non audeo, quia cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus per mortem Filii tui; quanto magis reconciliati ſalvi facti ſumus per eum? Omnis namque ſpes & totius fiduciæ certitudo mihi eſt in pretioſo ſanguine ejus, qui effuſus eſt propter nos & propter noſtram ſalutem. In ipſo reſpiro, & in ipſo confiſus ad te pervenire deſidero, non habens meam juſtitiam, ſed eam quæ eſt in Filio tuo Domino noſtro Jeſu Chriſto. Hæc auctor ille, cap. 14. illius libri meditationum: quæ etiamſi non ſint Auguſtini, iſta tamen ſententia, quam recitavimus, ſana eſt, & doctrinæ Auguſtini conformis.

*Auctor meditationum, quæ Auguſtino tribuuntur.*

*Juſtificamur ex juſtitia, quæ eſt in Domino noſtro Jeſu Chriſto.*

18. Cyrillus Alexandrinus, lib. 2. ad Reginas, de recta fide, cap. 22. [tom. 2. Concil. edit. Pariſ. pag. 133. & 134.] Miſit Deus Filium ſuum, factum ex muliere, ut aſſumto noſtro corpore, tanquam homo in terris appareret, omnis peccati ignarus: atque ita Deo Patri per omnia obſecutus, humanam naturam in ſemetipſo juſtificaret [ἀπαμείψας τὴν ἀρχαίαν φύσιν ἐν ἑαυτῷ,] & mortis vinculis eximeret, innocentiæ ſtolâ à Deo Patre coronandam. Etenim perabſurdum fuerit, per inobedientiam primi Parentis Adæ ad mortem & corruptionem præcipitantis, damnationis hæredes nos eſſe; juſtitiæ verò poſterioris, per conſummatam illam obedientiam in vitam reducentis, exſortes nos manere [ὡς δὲ τῆς δευτέρας ἀναμαρτήτου μεταθείσης εἰς ζωήν, ἀλλὰ μὴ ἐν ἀπαθεῖ] Hæc Cyrillus. Cujus doctrinæ hæc ſumma eſt, Chriſtus pro nobis Patri perfectè obediens, & ſuam nobis impertiens obedientiam, nos juſtificavit in ſeipſo.

*Cyrillus Alexand.*

*Chriſtus pro nobis Patri perfectè obediens, & ſuam nobis impertiens obedientiam, nos juſtificavit in ſeipſo. Vide ſupra §. 14. Vide 2. Cor. 5. 21.*

19. Concordat Leo, inquiens, Fides enim vera juſtificans impios, & creans juſtos, ad humanitatis ſuæ tracta participem, in illo acquirit ſalutem, in quo ſolo homo ſe invenit innocentem: liberum habens per gratiam Dei de ejus potentia gloriari, qui contra hoſtem ſuperbum in carnis noſtræ humilitate congreſſus, his victoriam ſuam tribuit, in quorum corpore triumphavit. Hæc Leo, hujus nominis primus, Papa Romanus, epiſtola octogeſima tertia, ad Palæſtinos, capite quarto.

*Leo I. PP. Romanus. In ſolo Chriſto homo ſe invenit innocentem. Suam Chriſtus nobis victoriam tribuit.*

20. Hanc veterum Catholicorum Patrum doctrinam amplexus Bernardus Abbas Claravallenſis, ait, Quiſquis pro peccatis compunctus eſurit & ſitit juſtitiam, credat in te, qui juſtificas impium, & ſolam juſtificatus per fidem pacem habebit apud te. Hæc Bernardus, ſerm. 22. ſuper Cantica. Idem alibi, Quid namque (inquit) ex ſe agere poterat, ut ſemel amiſſam juſtitiam recuperaret homo ſervus peccati, vinctus Diaboli? Aſſignata eſt ei proinde aliena, quia caruit ſua. —— Nam ſi unus, inquit, pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt: ut videlicet ſatisfactio unius omnibus imputetur, ſicut omnium peccata unus ille portavit. —— Nec vereor ſic erutus de poteſtate tenebrarum repelli à Patre luminum, juſtificatus gratis in ſanguine Filii ejus: nempe ipſe qui juſtificat, quis eſt qui condemnet? Non condemnabit juſtum, qui miſertus eſt peccatori: juſtum me dixerim, ſed illius juſtitia. Quænam ipſa? Finis legis Chriſtus ad juſtitiam omni credenti. Denique qui factus eſt nobis, inquit, juſtitia à Deo Patre. quæ ergo mihi juſtitia facta eſt, mea non eſt? Si mea traducta culpa, cur non & mea indulta juſtitia? Et ſanè mihi tutior donata quàm innata. Nam iſta quidem gloriam habet, ſed non apud Deum. Illa autem cum ſit ſalutis efficax, materiam non habet gloriandi niſi in Domino. Hæc Bernardus epiſt. 190. ad Innocentium ſecundum Papam Romanum: quem hinc colligas in eadem fuiſſe ſententiâ: atque adeo hanc adhuc illo tempore fuiſſe doctrinam Eccleſiæ Romanæ, quod credentes juſtificentur per ſolam fidem, non autem per juſtitiam aliquam virtutum aut operum ſuorum, ſive præcedentium fidem, ſive eandem ſequentium, ſed tantummodo per Chriſti juſtitiam ipſis credentibus imputatam. Creatus eſt autem Papa Innocentius ſecundus anno Dom. milleſimo centeſimo trigeſimo, & mortuus eſt anno Domini 1143. teſte Onuphrio in ſuo Chronico Romanorum Pontificum.

*Bernard. Claravall.*

21. Eandem doctrinam de fide ſola, contra quoſdam in operibus gloriantes, tuetur, multiſque adſtruit ſacrarum literarum teſtimoniis, Ebrardus Flandrenſis Betunienſis, in ſuo libro, qui Antihæreſis inſcribitur, cap. 16. [in biblioth. Patrum, in priore parte tom. 4. edit. 4. col. 1141. & ſequent.]

*Ebrardus.*

22. Annotat ibi Gretſerus Jeſuita, loqui Ebrardum de fide viva & vivifica, non autem de fide ſolitaria. Concedimus: & nos etiam, quando cum Catholicis Patribus dicimus hominem juſtificari per ſolam fidem, non loquimur de fide ſolitaria (ſicut calumniatur Gretſerus) ſed de fide viva & vivifica; quam negare non poſſunt ipſi Pontificii eſſe in illis, quos ſine ullis operibus fidem ſequentibus, per ſolam fidem juſtificatos, & in Paradiſum translatos eſſe ſcribunt antiqui Patres. quamvis enim, qui poſt acceptam fidem ſinuntur manere in hac vita, producant bona opera, ex fide per charitatem operante, non tamen per illa opera juſtificantur in conſpectu Dei, ut ſupra ex Pſalte monebat Proſper §. 16.) ſed per fidem ſolam, licet non ſolitariam, juſtificantur, ſicut illi qui credentes diſcedunt ſtatim ex hac vita. Eſtque unus utrorumque juſtificationis modus, ſicuti ſupra docuimus, §. 2. Dicit tamen Jacobus, eos qui ex fide bene operantur, juſtificari ex operibus, quia fidem, per quam ſolam illi juſtificantur, opera oſtendunt veram & vivam eſſe, non autem mortuam & ſolitariam; Opera ſunt (inquit Primaſius) per quæ fides agnoſcitur. Primaſ. in epiſt. ad Rom. cap. 3. verſ. 28. ait etiam idem Pater, per fidem ſolam juſtificari impium, in cap. 4. ad Rom. verſ. 5. Mortua autem & ſolitaria fides neminem juſtificat: quamvis fides viva juſtificet ſine operibus, ut docet Paulus Apoſtolus: non quod opera etiam externa ſemper abſint à fide, ſed quod etiamſi abſint opera, ſolius tamen fidei actus proprius ſit credere, & credendo remiſſionem peccatorum accipere ex gratuita Dei miſericordia, per redemtionem quæ eſt in Chriſto Jeſu: ut credentes, vitam habeamus in nomine ipſius. Corde creditur ad juſtitiam; ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Auguſtini verba ſunt; Quomodo in Cœlum manum mittam, ut ibi ſedentem teneam? Fidem mitte, & tenuiſti. Parentes tui tenuerunt carne; tu tene corde. Auguſt. tractatu 50. in Evang. Joan. Vide ſupra, cap. 7. diſſertationem noſtram de merito.

*Joan. 20. 31. Rom. 10. 10.*



## CAPUT VIGESIMUM-QUINTUM.

### *De fide viva: & de certitudine propriæ ſalutis.*

NOn ita intelligendum eſt quod ait Apoſtolus Paulus, *Arbitramur enim hominem juſtificari per fidem ſine operibus*: ac ſi fides ſolitaria, & à charitate ac ſpe ſeparata juſtificaret; non enim nudus aſſenſus, ſed fiducialis aſſenſus, qui ſine vera charitate non exiſtit, eſt fides illa cui juſtificationem vindicat Apoſtolus. Quamvis autem connexæ ſint hæ virtutes, actibus tamen diſtinguuntur, & actus juſtificationis eſt fidei ſolius, qua *corde creditur ad juſtitiam*. Neque ita accipiendum eſt illud Pauli Apoſtoli dictum, ac ſi ad eum qui fidei juſtificationem acceperit, non pertineat bene operari, ſi hic diutius vixerit. Si enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini: ait idem Apoſtolus credentibus. Cui congruit illa admonitio Jacobi Apoſtoli, de juſtificatione ex operibus fidem oſtendentibus, non ex fide tantum, allato etiam Abrahami exemplo, quo in ſua diſſertatione de juſtificatione ex fide ſine operibus uſus fuerat Paulus. Neque eſt ulla inter Apoſtolos repugnantia. Sicut etiam ſupra oſtenſum eſt, capite 7. §. 8. & cap. 24. §. 13. & §. 22. Quamvis enim ſolius fidei munus ac opus ſit apprehendere juſtificationem in Chriſto, non tamen ſufficit ad hujus operis præſtationem fides mortua, ſeu nuda vel ſolitaria, quæ charitate deſtituta eſt, neque per charitatem ſeſe exerit in bonis operibus, etiam externis, ſi credens ſinatur diutius hic vivere.

2. Docemus etiam, fidem, quæ ſola juſtificat, bene operari per dilectionem, intus in cordibus omnium credentium, etiam eorum quibus deſuit tempus producendi opera illa externa, quæ poſtulat Jacobus Apoſtolus. Cum (ut loquitur Sedulius) fides per dilectionem operetur in corde, etiamſi foris non exit in opere. Sedul. in epiſt. ad Rom. capite 3. verſ. 28. Pulchrè etiam Primaſius in illa verba Apoſtoli, Cui Deus accepto fert juſtitiam ſine operibus.] Illi (inquit) accepto fert juſtitiam ſine operibus, qui per fidem, qua primum Deo credidit, & de præterito abſolvitur & de præſenti juſtificatur, & ad futura fidei opera præparatur. Hæc Primaſius in epiſt. ad Rom. capite 4. verſ. 6. Hæc ipſa cordis præparatio non eſt ſine vera & viva fide. Non tamen operum ſive internorum ſive etiam externorum meritis quiſquam juſtificatur coram Deo, ſed ſolâ fide. ſicuti prolixè docuimus ſupra, capite 7. & capite 24. Fidem autem ſolitariam & mortuam juſtificare non poſſe palàm prædicamus. Quemadmodum hominis manus ſola apprehendit, non autem ſolitaria; ſoli oculi vident, ſed non ſolitarii; ſola auris audit, ſed non ſolitaria: Quamvis enim operationes ſibi proprias unumquodque membrum exerceat in corpore; ſeparatum tamen, aut ſeorſim à reliquis membris exiſtens, operationi illi exercendæ non eſſet idoneum.

3. Quod autem fidem juſtificantem dixi non eſſe aſſenſum nudum, ſed aſſenſum fiducialem, id breviter indicavit Clemens Romanus Pauli Apoſtoli diſcipulus, in ſua ad Corinthios epiſtola, his verbis, πίστει ἐν πεποιθήσει. Et Theophilus Antiochenus, ſextus illius Eccleſiæ Epiſcopus, lib. 1. ad Autolycum, ubi veræ fidei actum eſſe dicit, πιστεύειν πεποιθέναι τῷ Θεῷ. Temetipſum Deo credere. idque illuſtrat ſimilitudinibus agricolæ credentis ſemina ſulcis; & illius qui mare trajecturus credit ſeipſum navi & gubernatori; & diſcipuli, qui ſeipſum tradit & credit præceptori. Fidelis Job dixit; Scio quod Redemtor meus vivit. Et Apoſtolus Paulus: Non confundor; ſcio enim cui credidi, & perſuaſus ſum, quod potens ſit depoſitum meum ſervare in illum diem.

*Clemens Rom. πίστει ἐν πεποιθήσει. Theoph. Antioch. actus fidei fiducialis, quo noſmetipſos Deo credimus.*

*Job 19. 25. 2. Tim. 1. 12.*

4. Ex fide juſtificati pacem habemus apud Deum per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & gloriamur in ſpe gloriæ Dei, & ſpes non pudefacit, quia charitas Dei effuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum qui datus eſt nobis. Charitas (inquam) Dei qua nos Deus dilexit, ſicut mox eodem quinto capite ad Romanos oſtendit Apoſtolus, inquiens, Commendat autem charitatem ſuam erga nos Deus, eo quod quum adhuc eſſemus peccatores, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Multo igitur magis, nunc juſtificati in ſanguine ipſius, ſervabimur per eum ab ira. Nam ſi cum inimici eſſemus, reconciliati fuimus Deo per mortem Filii ejus; multo magis reconciliati ſervabimur per vitam ipſius. Per hunc Spiritum adoptionis, quem habent omnes qui Chriſti ſunt, clamamus, Abba, Pater. Ille ipſe Spiritus teſtatur cum Spiritu noſtro, nos eſſe filios Dei. Habentes autem eundem Spiritum fidei, ſecundùm illud quod ſcriptum eſt, Credidi, ideo loquutus ſum: nos quoque credimus, quamobrem etiam loquimur. Et Chriſto unumquemque noſtrum interroganti, *Tu credis in Filium Dei?* cor uniuſcujuſque noſtrum, jam fide purificatum, reſpondet, cum illo qui cœcus fuerat, *Credo Domine*. Et quamvis veræ fidei bene nobis conſcii, memores tamen imbecillitatis noſtræ, clamamus cum Apoſtolis; *Adauge nobis fidem*. Et cum illo patre lunatici illius pueri, Credo Domine: ſuccurre incredulitati meæ. Et quiſquis Apoſtolicum ſymbolum fideliter recitat, ille profitetur ſe credere remiſſionem peccatorum; & vitam æternam dari omnibus in Chriſtum credentibus; & ſimul profitetur ſe

*Rom. 5. 1, 2, 5. Effuſa in cordibus noſtris charitas Dei, qua nos dilexit Deus. Rom. 5. 8, 9, 10.*

*Rom. 8. 9, 10, 15, 16. 2. Cor. 4. 13. Pſal. 116. 10. Joan. 9. 35, 38. Act. 15. 9. Vide infra, §. 13. Luc. 17. 5. Marc. 9. 24. Credentes applicant ſibi ipſi promiſſiones.*

credere in Chriſtum, atque adeò ſe habere remiſſionem peccatorum & vitam æternam. Juxta [*Joan. 6. 47.*] verbum Domini dicentis, *Amen, Amen, dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam.* Hanc ſententiam fide ſibi applicat quicunque fideliter dicit, Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli & terræ: & in Jeſum Chriſtum. Adjectis etiam ſequentibus in ſymbolo, quæ ſe credere confitetur. Idipſum etiam unuſquiſque ſacramenta fideliter percipiens profitetur particulariter de ſeipſo, quod nimirum credat ſe habere redemtionem in ſanguine Chriſti, & vitam æternam. Qui fideliter communionem accipit, certò perſuaſus eſt ſe ſpiritualiter manducare corpus Chriſti, & bibere ejus ſanguinem; credit enim Domino dicenti, *hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur: hoc poculum eſt novum Teſtamentum in ſanguine meo, quod pro vobis effunditur.* [*Luc. 22. 19, 20.*] Credit, inquam, & fideliter communicans applicat hæc ſibi ipſi: nec fallitur; credit etiam Domino dicenti; [*Joan. 6. 54.*] Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, habet vitam æternam: & ego reſuſcitabo eum ultimo die. Ergo qui fideliter communicat, credit ſe habere vitam æternam, & à Chriſto ſe reſuſcitatum iri ultimo die, [*Joan. 5. 29.*] εἰς ἀνάστασιν ζωῆς, id eſt, in reſurrectionem vitæ.

[*Certitudo propria ſalutis. 1. Pet. 1. 8. Rom. 15. 13. Perſuaſio triumphalis. Rom. 8. 38, 39. 1. Joan. 5. 13.*]

5. Hæc eſt illa certitudo propriæ ſalutis, quæ efficit ut in Chriſtum credentes exſultemus gaudio ineffabili & glorioſo. Deo ſpei replente nos omni gaudio & pace in credendo, ut abundemus in ſpe per virtutem [ἐν δυνάμει] Spiritus Sancti. Hinc illa perſuaſio triumphalis, ex præmiſſis ordinariis omnique per fidem juſtificato conceſſis, evidenter deducta, Rom. 8. 38, 39. Hæc ſcripſi vobis (inquit Joannes Apoſtolus) qui creditis in nomen Filii Dei, ut ſciatis quod vitam æternam habetis, & ut credatis in nomen Filii Dei. 1. Joan. 5. 13. Ex fide noſtra ſcimus nos habere vitam æternam: ergo ipſam fidem noſtram ſcimus. Dicit nobis Dominus noſter Jeſus Chriſtus; [*Marc. 11. 24.*] Omnia quæcunque orantes petitis, credite quod accepiſtis, & erit vobis. Marc. 11. 24. Petat [*Jacob. 1. 6, 7.*] autem in fide nihil hæſitans; qui enim hæſitat, non accipiet. Jac. 1. Certè hæſitet neceſſe eſt, qui ſe fidem habere neſcit. Hæc eſt fiducia (inquit [*1. Joan. 5. 14, 15.*] Johannes Apoſtolus) quam habemus apud eum, quod, ſi quid petierimus ſecundum voluntatem ejus, audit nos. Atque ſi ſcimus, eum audire nos, quicquid petierimus, ſcimus nos habere petitiones quas ab eo petiimus. 1. Joan. 5. 14, 15. Ergo ſcimus nos habere veram fidem, & ſpem, & charitatem, dona Dei quæ petiimus ab ipſo, ſecundùm voluntatem ejus. Imo ipſa oratio fructus eſt fidei, pro cujus incremento & corroboratione oramus. Non propter ſolum illum paralyticum, ſed etiam propter quemlibet verè credentem [*Matth. 9. 2.*] ſcriptum eſt, *Confide fili, remiſſa ſunt tibi peccata tua.* Ad omnem etiam verè credentem in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum pertinet illud, [*Luc. 7. 48. 50.*] quod credenti illi peccatrici dictum eſt, *Remiſſa ſunt tibi peccata. Fides tua te ſalvavit: vade in pace.* Et illa ad omnes credentes pertinent, quæ Dominus noſter, paulo ante mortem ſuam, dixit diſcipulis ſuis; [*Joan. 14. 1, 2, 3. 14. 16, 20, 21.*] *Ne turbetur cor veſtrum: creditis in Deum, & in me credite. In domo Patris mei manſiones multæ ſunt: alioqui dixiſſem vobis, Vado parare vobis locum: atque ſi abiero & præparavero vobis locum, rurſum veniam & accipiam vos ad me ipſum, ut ubi ero ego, & vos ſitis.* ——— *Si quid petieritis in nomine meo, ego faciam.* ——— *Et ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum.* ——— *In illo die vos cognoſcetis, quod ego ſum in Patre, & vos in me, & ego in vobis. Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt qui diligit me: qui autem diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum.* Sciunt igitur omnes per fidem juſtificati ſeipſos eſſe in Chriſto, & Chriſtum eſſe in ipſis. Omnis per fidem juſtificatus diligit Chriſtum: ergo omni per fidem juſtificato Chriſtus ſeipſum manifeſtat. Nempe ita ut ſciat ille juſtificatus ſe eſſe in Chriſto, & Chriſtum eſſe in ipſo. Scimus quidem gradus eſſe fidei & dilectionis, & nobis quotidie proficiendum, & cum multis tentationibus, aſperrimiſque nonnunquam tempeſtatibus conflictandum eſſe, ſed fidelis & fortis eſt Servator noſter, qui inchoavit in nobis opus bonum, & idipſum perficiet uſque ad diem Jeſu Chriſti. *Et hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides noſtra.* Nam Chriſtus habitat per fidem in cordibus noſtris, ejuſque potentia in noſtra infirmitate perficitur. *Nos ſcimus nos tranſlatos eſſe ex morte ad vitam, quia diligimus fratres.* Ergo ſcimus nos diligere fratres. Per hoc cognoſcimus nos in eo habitare, & ipſum in nobis, quoniam de Spiritu ſuo dedit nobis. Item, Per hoc ſcimus eum habitare in nobis, ex Spiritu quem nobis dedit.

6. Falſum igitur, & ſacris Scripturis manifeſtè repugnans, & fidelium conſolationi inimicum, & in Deum contumelioſum eſt illud dogma Tridentinæ ſynodi; quod nullus ſcire valeat certitudine fidei, cui non poteſt ſubeſſe falſum, ſe gratiam Dei eſſe conſecutum. Seſſ. 6. capite 9. Et, hominem renatum & juſtificatum non teneri ex fide ad credendum, ſe certò eſſe in numero prædeſtinatorum. Eadem ſeſſ. 6. can. 15.

7. Cyprianus, lib. de mortalitate; Ejus (inquit) eſt mortem timere, qui ad Chriſtum nolit ire: ejus eſt ad Chriſtum nolle ire, qui ſe non credit cum Chriſto incipere regnare. Scriptum eſt enim, juſtum fide vivere. Si juſtus es, & fide vivis, ſi verè in Deum credis, cur non, cum Chriſto futurus, & de Domini pollicitatione ſecurus, quod ad Chriſtum voceris, amplecteris, & quod Diabolo careas? ——— Deus tecum loquitur, & tu mente incredulâ perfidus fluctuas? Deus de hoc mundo recedenti tibi immortalitatem pollicetur, & tu dubitas? Hoc eſt Deum omninò non noſſe; hoc eſt Chriſtum credentium Dominum & Magiſtrum peccato incredulitatis offendere: hoc eſt in Eccleſia conſtitutum, fidem in domo Dei non habere. Hæc Cyprianus.

8. Macarius Ægyptius, homil. 5. Idcirco enim (inquit) qui reverà & ſtrenuè [ἐν ἀληθείᾳ καὶ δυνάμει] Chriſtiani ſunt, confidunt & gaudent migrantes è corpore, quia domum habent illam non manufactam: quæ quidem domus eſt virtus [ἡ δύναμις] Sancti Spiritus in illis habitans. Et homil. 17. ἀσφαλεῖς εἰσι διὰ τοῦ ἀρραβῶνος, ... ἤδη ... ἐστεφανωμένοι καὶ βασιλεύοντες, id eſt, Certiſſimi ſunt ex arrhabone, quem acceperunt; ac ſi jam coronati eſſent & regnarent. Hæc Macarius. Hunc arrhabonem accipiunt in hac vita omnes per fidem juſtificati. *Deus eſt* (inquit Apoſtolus) *qui confirmat nos vobiſcum in Chriſtum, & qui unxit nos: qui etiam obſignavit nos, indiditque arrhabonem Spiritus in cordibus noſtris.* Et alibi; *In quo* (inquit) *& credentes obſignati eſtis Spiritu promiſſionis Sancto: qui eſt arrhabo hæreditatis noſtræ.* Quamvis autem non pari gradu certitudinis omnes credentes donentur in hac vita, ſed unuſquiſque eam habeat menſuram, ἑκάστῳ ὡς ὁ Θεὸς ἐμέρισε μέτρον πίστεως, ad omnes tamen pertinet ſuaviſſima illa conſolatio, *Sufficit tibi gratia mea. Nam potentia mea in infirmitate perficitur.* Habent igitur omnes & ſinguli verè per fidem juſtificati certitudinem ſufficientem, κατὰ τὸ μέτρον τῆς δωρεᾶς τοῦ Χριστοῦ. Omnes & ſinguli habent pacem apud Deum, & gloriantur in ſpe gloriæ Dei. Et ſcuto fidei tela ignita Diaboli tandem omnia reſtingunt. Pugnante in illis & pro illis Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui fidei noſtræ eſt ἀρχηγὸς καὶ τελειωτής.

9. Baſilius magnus, in regulis brevioribus, capitib. 10. & 12. & 296. docet, fidelem Chriſtianum, peccatorum ſuorum verè pœnitentem, & ad Deum ſeriò converſum, poſſe ac debere certò ſibi perſuadere [πληροφορεῖσθαι] remiſſa ſibi eſſe omnia ſua peccata. Tales autem ſunt omnes illi, qui ex fide juſtificati, pacem habent apud Deum; ſicut loquitur Apoſtolus de omnibus per fidem juſtificatis.

10. Ambroſius ait; Non gloriabor quia juſtus ſum, ſed gloriabor quia redemtus ſum. Gloriabor, non quia vacuus peccati ſum, ſed quia mihi remiſſa ſunt peccata. Non gloriabor, quia profui, neque quia profuit mihi quiſquam, ſed quia pro me Advocatus apud Patrem Chriſtus eſt, ſed quia pro me Chriſti ſanguis effuſus eſt. ——— Hæredem te fecit, cohæredem Chriſti: Spiritum tibi adoptionis infudit. ——— Sed vereris dubios vitæ anfractus, & adverſarii inſidias, cum habeas auxilium Dei, habeas tantam ejus dignationem, *ut Filio proprio pro te non pepercerit.* ——— Nihil enim excepit, qui omnium conceſſit auctorem. Nihil eſt igitur quod negari poſſe nobis vereamur, nihil eſt in quo de munificentiæ divinæ diffidere perſeverantiâ debeamus, cujus fuit tam diuturna & jugis ubertas, ut primo prædeſtinaret, deinde vocaret: *& quos vocavit, hos & juſtificaret: & quos juſtificaret, hos & clarificaret.* Poterit deſerere quos tantis beneficiis ſuis uſque ad præmia proſecutus eſt? Inter tot beneficia Dei, num metuendæ ſunt aliquæ accuſatoris inſidiæ? Sed quis audeat accuſare quos electos Divino cernit judicio? Num Deus Pater ipſe qui contulit, poteſt dona ſua reſcindere: & quos adoptione ſuſcepit, eos à Paterni affectus gratia relegare? Sed metus eſt, ne judex ſeverior ſit. Conſidera quem judicem habeas. Nempe *Chriſto dedit Pater omne judicium.* Poterit te ergo ille damnare, quem redemit à morte, pro quo ſe obtulit, cujus vitam ſuæ mortis mercedem eſſe cognoſcit? Nonne dicit? *Quæ utilitas in ſanguine meo, ſi damno quem ipſe ſalvavi?* Deinde conſideras judicem, non conſideras advocatum? Poteſt iſte ſæviorem ferre ſententiam, qui interpellare non deſinit, ut Paternæ reconciliationis in nos conferatur gratia? Hæc Ambroſius, lib. 1. de Jacob, & vita beata, capite 6.

11. Idem, lib. 5. de ſacramentis, cap. 4. Ex malo (inquit) ſervo factus es bonus filius. ideo præſume, non de operatione tua, ſed de Chriſti gratia. *Gratiâ enim ſalvati eſtis.* Apoſtolus ait. Non ergo hic arrogantia eſt, ſed fides: prædicare quod acceperis, non eſt ſuperbia, ſed devotio. Ergo attolle oculos ad Patrem, qui te per lavacrum genuit, ad Patrem qui te per Filium



redemit, & dic; Pater noſter. Bona præſumtio, ſed moderata. Hactenus Ambroſius. [*Bona præſumtio.*]

12. Auctor Commentarii, qui ſub Ambroſii nomine circumfertur, in 2. Cor. 13. 5. exponens illa Apoſtoli verba, *An non cognoſcitis vos, quòd Chriſtus Ieſus in vobis eſt, niſi reprobi eſtis.* Hoc dicit, (inquit) quia ſi probare vos invicem neſcitis, non cognoſcitis quia Ieſus Chriſtus eſt in vobis: & hoc eſt reprobum eſſe, neſcire religionis & profeſſionis ſuæ fidem. Qui enim fidei ſuæ ſenſum in corde habet, hic ſcit Chriſtum Jeſum in ſe eſſe. Hæc ibi. [*Auctor Comment. 2. Cor. 13. 5. Verè fidelis fidei ſuæ ſenſum in corde habet, & ſcit Chriſtum in ſe eſſe.*]

13. Chryſoſtomus ait, ſerm. 2. in cap. 1. epiſt. ad Ephel. οἱ γὰρ ὄντως πνεύματος μετέχοντες, ἴσασιν ὅτι ἀρραβὼν τῆς κληρονομίας ἡμῶν ἐστί, id eſt, nam qui verè fiunt participes Spiritus, ii ſciunt eum eſſe arrhabonem hæreditatis noſtræ. Hæc ille. [*Chryſoſt.*]

14. Qui diligit fratrem, (inquit Auguſtinus,) magis novit dilectionem qua diligit, quàm fratrem quem diligit. lib. 8. de Trinitate, capite octavo. Item alibi; Ille (inquit) diligit adventum Domini, qui eum, ſive prope ſive longe ſit, ſinceritate fidei, firmitate ſpei, ardore charitatis exſpectat. Auguſtinus, epiſt. 80. ad Heſychium. [*Auguſt. Qui diligit novit ſuam dilectionem.*]

15. Fides ipſa (ait idem Pater) mente videtur, quamvis hoc fide credatur quod non videtur. Auguſt. epiſt. 112. ad Paulinam, cap. 3. Et ibidem de homine credente dicit; Videt ipſe fidem ſuam, qua ſe credere ſine cunctatione reſpondet. Videt cogitationem qua cogitat, quid ei poſſit prodeſſe quod credit. Videt voluntatem, qua acceſſit ad ſuſcipiendam religionem. Et capite 4. ejuſdem epiſtolæ; Noſtræ (inquit) mentis obtutibus adeſt fides ipſa qua credimus: menti noſtræ fides noſtra conſpicua eſt. Item lib. 13. de Trinitate, cap. 1. Fidem ipſam videt quiſque in corde ſuo eſſe, ſi credit. ——— Videtur fides in corde in quo eſt, ab eo cujus eſt: eam tenet certiſſima ſcientia, clamatque conſcientia. Cum itaque propterea credere jubeamur, quia id quod credere jubemur videre non poſſumus, ipſam tamen fidem quando ineſt in nobis videmus in nobis: quia & rerum abſentium præſens eſt fides, & rerum quæ foris ſunt intus eſt fides, & rerum quæ non videntur videtur fides. Et capite 2. ejuſdem libri. Nec eam quiſquam videt in alio, ſed unuſquiſque in ſemetipſo. Denique poteſt & ſimulatione confingi, & putari eſſe in quo non eſt. Suam igitur quiſque fidem apud ſeipſum videt. Hæc Auguſtinus. Qui etiam in ſua expoſitione Pſalmi 129. (ſeu 130.) dicit, Præſumat omnium cor de miſericordia Dei. [*Vide ſupra §. 4. Qui habet fidem, videt eam in corde ſuo.*]

16. Quod autem idem Auguſtinus, lib. de correptione & gratiâ, capite 13. & lib. de bono perſeverantiæ, capite 22. ſcribit, neminem ante hujus vitæ conſummationem poſſe eſſe ſecurum de vita æterna, aut præſumere ſe eſſe in numero prædeſtinatorum, idque occultari opus eſſe in hoc loco, ut caveatur elatio. Reſpondimus ſupra, ſub finem capitis 20. & c. 21. hujus libri; Auguſtinum controverſiæ, quæ tunc inter Pelagianos & Catholicos agitabatur, intentum de perſeverantia & glorificatione prædeſtinatorum, conceſſiſſe quorundam fidelium per fidem juſtificatorum apoſtaſiam & interitum, tanquam cauſæ illi, quam præ manibus habebat, non officientem, modo evinceret nullum prædeſtinatum perire. ideo contentus dicere tales Apoſtatas non fuiſſe unquam in numero prædeſtinatorum, conceſſit, [*Objectio ex Auguſtino. Reſponſio. Vide etiam ſupra, cap. 16. annot. in 3. & 10. Propoſit.*]

conceſſit, incautus, fuiſſe eos per fidem juſtificatos, atque adeò non omnes juſtificatos glorificari, quamvis glorificentur omnes prædeſtinati. Ac ſi aliqui per fidem in Chriſtum juſtificarentur, qui non ſint in numero prædeſtinatorum & glorificandorum. Contra quem errorem clariſſima ipſius etiam Auguſtini teſtimonia adduximus ſupra, capite 21. hoc autem errore ſublato, certitudo propriæ ſalutis confirmatur hoc argumento, ex ipſius Auguſtini verbis depromto: Qui ſcit ſe eſſe per fidem juſtificatum, ille ſcit ſe eſſe prædeſtinatum & glorificandum: at omnis per fidem juſtificatus ſcit ſe eſſe per fidem juſtificatum: ergo omnis per fidem juſtificatus ſcit ſe eſſe prædeſtinatum & glorificandum. Majorem propoſitionem probant illa Auguſtini teſtimonia, quæ ſupra recitavimus, capite 21. Minor propoſitio manifeſtè habetur in verbis Auguſtini modò allatis, hoc ipſo capite, § 14. & § 15. ubi dicitur, omnem credentem & diligentem videre ſuam fidem & dilectionem. Quicunque autem videt in corde ſuo veram fidem & dilectionem, ille ſcit ſe eſſe per fidē juſtificatum. Credit enim ſcripturæ dicenti; In Chriſto, omnis qui credit juſtificatur. Item; Si confitearis ore tuo Dominum Jeſum & credideris in corde tuo quod Deus eum ſuſcitavit ex mortuis, ſervaberis. Corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem. Dicit enim Scriptura, quiſquis credit in eum, non pudefiet.

*Argumentum ex Auguſtino, pro certitudine propriæ ſalutis.* — Actor. 13. 39. — Rom. 10. 9. 10. 11.

17. Petrus Lombardus, recitatis Auguſtini verbis, ex lib. 13. de Trinitate, capite 1. hæc ſua ſubjungit; His verbis evidenter traditur, fidem ipſam in corde hominis ab ipſo homine videri, non corporaliter, non imaginariè, ſed intellectualiter. 3. ſent. diſt. 23. Quem magiſtri textum exponens Bonaventura, dub. 4. Fides (inquit) eſſentialiter exiſtens in anima cognoſcitur per ſuam eſſentiam. Et hoc communiter omnes tenent. Hæc Bonaventura. Non ſolùm autem naturali intuitu, ſed etiam certitudine ſupernaturali novit fidem ſuam ille qui in Chriſtum credit, colluſtrata & ſublimata atque confirmata mente per Spiritum fidei. *Habentes autem eundem Spiritum fidei, ſecundùm illud quod ſcriptum eſt, Credidi, propterea loquutus ſum: & nos credimus, quamobrem etiam loquimur.*

P. Lomb. — Bonavent. — 2. Cor. 4. 13.

18. Scotus ait; Sicut credo Deum eſſe trinum & unum, & non ſcio, nec ſcire poſſum iſtud in ſtatu iſto; ſic credo me habere fidem infuſam inclinantem in illud, ſicut in verum, quod eſt in ſe verum. Hæc Scotus. in 3. ſent. diſt. 23. qu. unica, num. 17. Quibus verbis Scotus haud obſcurè aſſerit, fidelem non quidem ſcire, (ut ſcire opponitur τῷ credere) attamen fide Divina credere ſe habere fidem. id quod ibidem ejus ſcholiaſtes Hugo Cavellus, quamvis ab hac ſententia, ut videtur, ipſe alienus, inſinuat his verbis; Videtur Doctor in hac litera favere ſententiæ dicenti fidelem fide divina credere ſe habere fidem, quam tenent Cajet. 1. 2. q. 112. a. 5. Molina ibi, qu. 2. con. 3. & favet Bannes, 2. 2. qu. 6. a. 2. du. 2. & D. Thomas dicto a. 5. & 1. p. q. 77. a. 2. ad 1. expreſſè Soto in Apolog. contra Catherin. ca. 5. & l. 3. de natura, ca. 10. Vaſquez 1. 2. q. 201, c. 2. Quibus favet Doctor hic. Hæc ille Hugo Cavellus, profeſſor Lovanienſis, natione Hibernus. Quod autem ibidem citat Cavellus ex Scoti quodl. 14. a. 1. fidelem fide divinâ non percipere ſe habere fidem; id potius Doctori dedecoroſum, quam ſcholiaſtæ utile eſt. Quid enim prodeſt Scotum introducere ſibi ipſi apertè contradicentem? niſi fortè excuſando Doctori adhibeatur memorata diſtinctio inter ſcire & credere, & dicas Scotum in illo quodlibeto poſuiſſe percipere pro ſcire, ac ſi dixiſſet, fidelem fide divina non quidem ſcire, attamen credere ſe habere fidem. Quamvis Auguſtinus & alii fidem ſuam ab ipſo credente etiam videri & ſciri doceant cognitione intuitivâ.

Scotus.

19. Non ſolùm autem naturali intuitu, ſed etiam certitudine ſupernaturali novit fidem ſuam ille qui in Chriſtum credit: illuminatos habens oculos mentis ſuæ, per Spiritum ſapientiæ & revelationis, *ad ſciendum* non ſolùm quæ ſit ſpes vocationis Dei, & quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in ſanctis, ſed etiā, *quæ ſit ſupereminens illa magnitudo potentiæ ejus in nos, qui credimus ſecundùm operationem potentiæ roboris ejus. Nos autem* (ait Apoſtolus) *non ſpiritum mundi accepimus, ſed Spiritum qui ex Deo eſt: ut ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis.* Colluſtrata enim & ſublimata atque confirmata mente per Spiritum fidei, ſcimus cui credidimus. Habentes autem eundem Spiritum fidei, ſecundùm illud quod ſcriptum eſt, Credidi, propterea locutus ſum: & nos credimus, quamobrem etiam loquimur. Neque huic ſupernaturali certitudini, qua fidelis certus eſt ſe credere, poteſt ſubeſſe falſum, quia Spiritus veritatis, mentiri neſcius, hanc in omnibus per fidem in Chriſtum juſtificatis operatur: potenter nos corroborans in interiore homine: & in cordibus noſtris clamans, Abba Pater: Et teſtimonium reddens ſpiritui noſtro, nos eſſe filios Dei. Filios, inquam, per fidem in Jeſu Chriſto; *Omnes enim* (inquit Apoſtolus) *filii Dei eſtis per fidem in Chriſto Ieſu.* Quando igitur Spiritus adoptionis habitans in cordibus noſtris, teſtatur cum ſpiritu noſtro, ſeu teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, nos eſſe filios Dei, tunc teſtatur nos habere fidem in Chriſto Jeſu, per quam ſumus filii Dei.

2. Tim. 1. 12. — 2. Cor. 4. 13. — Epheſ. 3. 16. — Galat. 4. — Rom. 8. 16. — Galat. 3. 26.

## CAPUT VIGESIMUM-SEXTUM.

### *De arbitrii ſervitute in ſtatu peccati, cum deſcriptione libertatis ejuſdem in omni ſtatu.*

AUguſtinus, epiſt. 107. Qui (inquit) oppugnat gratiam, qua noſtrum ad declinandum à malo & faciendum bonum liberatur arbitrium, ipſe arbitrium ſuum adhuc vult eſſe captivum; ——— Quomodo ad declinandum à malo & faciendum bonum liberum habebamus arbitrium, quando erat ſub poteſtate tenebrarum? unde nos ſi, quemadmodum dicit Apoſtolus, Deus eruit, ipſe utique illud liberum fecit. ——— Ipſe Mediator intrat in domum fortis, & prius alligat eum, id eſt, ejus coercet & cohibet poteſtatem poteſtatis ſuæ fortioribus vinculis, & ſic eripit vaſa ejus quæcunque prædeſtinavit eripere, arbitrium eorum ab ejus poteſtate liberans. ——— Quia & liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus. Et Enchirid. cap. 106. Poſt illam ruinam major eſt miſericordia Dei, quando & ipſum liberum arbitrium liberandum eſt à ſervitute, cui dominatur cum morte peccatum. Et lib. de correptione & gratia, capite 13. Per liberum arbitrium alia [peccata] inſuper addiderunt: arbitrium, inquam, liberum, ſed non liberatum, liberum juſtitiæ, peccati autem ſervum. Et lib. 1. Retract. cap. 9. Voluntas ergo ipſa niſi Dei gratia liberetur à ſervitute, qua facta eſt ſerva peccati, & ut vitia ſuperet, adjuvetur; rectè pieque vivi à mortalibus non poteſt. Hæc Auguſtinus.

*Auguſt. Arbitrium captivum. Arbitrium ſub poteſtate tenebrarum.* — Coloſ. 1. 13. — Matth. 12. 29.





2. Proſper lib. de libero arbitrio, ad Ruffinum: Liberum (inquit) arbitrium donec ſine Deo ſolum fuit, mortuum fuit juſtitiæ, vixitque peccato. Hæc Proſper.

Proſper.

3. Fulgentius lib. de incarnatione & gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, capite 19. Ex quo primus homo naturam ſuam voluntariè vitiavit, atque oppreſſit infirmitas; niſi divinæ gratiæ medicamento præventum, in unoquoque homine ſinetur atque adjuvetur liberum indeſinenter arbitrium; eſt quidem liberum, non tamen bonum: Eſt liberum, non tamen rectum: eſt liberum, non tamen ſanum: eſt liberum, non tamen juſtum. Et quanto magis à bonitate, rectitudine, ſanitate, juſtitiaque liberum; tanto magis malitiæ, perverſitatis, infirmitatis, atque iniquitatis mortifera ſervitute captivum. Qui enim facit peccatum, ſervus eſt peccati. Et; à quo quis devictus eſt, huic & ſervus addictus eſt. Regnante igitur peccato habet liberum arbitrium: ſed liberum ſine Deo, non liberum ſub Deo: id eſt, liberum juſtitiæ, non liberum ſub gratia: & ob hoc peſſimè atque ſerviliter liberum; quia non gratuito miſerentis Dei munere liberatum. Hoc Apoſtolus evidenter inſinuat, dicens; Cum enim ſervi eſſetis peccati, liberi fuiſtis juſtitiæ. Servire igitur juſtitiæ non poteſt, qui juſtitiæ liber eſt: quia, quamdiu eſt peccati ſervus, non niſi ad ſerviendum peccato reperitur idoneus. Hæc Fulgentius, cum Coepiſcopis Afris. Hoc ſenſu Auguſtinus, epiſt. 107. ait arbitrium diaboli eſſe ad maximam malevolentiam pœna ſui ſceleris obduratum; & ſub diaboli poteſtate eſſe arbitrium hominis in ſtatu peccati.

Fulgent. — Ioan. 8. 34. — 2. Pet. 2. 19. — Rom. 6. 20.

4. Bernardus ſerm. 81. ſuper Cantica; Hanc vim à natura ſolus homo non patitur, & ideo ſolus inter animantia liber. Et tamen interveniente peccato patitur quandam vim & ipſe, ſed à voluntate, non à natura, ut ne ſic quidem ingenitâ libertate privetur. Quod enim voluntarium, & liberum. Et quidem peccato factum eſt, ut corpus quod corrumpitur, aggravet animam, ſed amore, non mole. Nam quod ſurgere anima per ſe jam non poteſt quæ per ſe cadere potuit, voluntas in cauſa eſt, quæ corrupti corporis vitiato ac vitioſo amore langueſcens & jacens, amorem pariter juſtitiæ non admittit. Ita neſcio quo pravo & miro modo ipſa ſibi voluntas, peccato quidem in deterius mutata, neceſſitatem facit, ut nec neceſſitas cum voluntaria ſit excuſare valeat voluntatem, nec voluntas cum ſit illecta excludere neceſſitatem. Eſt enim neceſſitas hæc quodammodo voluntaria. Eſt favorabilis vis quædam premendo blandiens, & blandiendo premens: unde ſeſe rea voluntas, ubi ſemel peccatori conſenſerit, nec excutere jam per ſe, nec excuſare tamen ullatenus de ratione queat. Inde querula illa vox veluti gementis ſub onere neceſſitatis hujus: *Domine, inquit, vim patior, reſponde pro me.* Sed melius ſciens quod non juſtè cauſaretur adverſus Dominum, cum voluntas ſua ipſius potius in cauſa foret, attende quid ſequutus intulerit. Quid dicam, aut quid reſpondebit mihi, cum ipſe fecerim. Premebatur jugo, non alio tamen quam voluntariæ cujuſdam ſervitutis: & erat pro ſervitute quidem miſerabilis, ſed pro voluntate inexcuſabilis. Voluntas enim eſt quæ ſe, cum eſſet libera, ſervam fecit peccati, peccato aſſentiendo: voluntas nihilominus eſt, quæ ſe ſub peccato tenet voluntariè ſerviendo. Vide quid dicas, ait aliquis mihi. Tune voluntarium dicis, quod jam neceſſarium conſtat eſſe? Verum quidem eſt quod voluntas ſeipſam addixerit, ſed non ipſa ſe retinet, magis retinetur & nolens. Bene hoc ſaltem das, quia retinetur. Sed vigilanter retine voluntatem eſſe quam retineri fateris. Itaque voluntatem nolentem dicis. Non utique voluntas retinetur non volens. Voluntas enim volentis eſt, non nolentis. Quod ſi volens retinetur, ipſa ſe retinet. Quid ergo dicet, aut quid reſpondebit ei cum ipſa fecerit? quid fecit? Servam ſe fecit: unde dicitur: qui facit peccatum, ſervus eſt peccati. Propterea cum peccavit (peccavit autem, cum peccato obedire decrevit) ſervam ſe fecit. Sed ſit libera, ſi non adhuc facit. Facit autem in eadem ſervitute ſe retinens. Neque enim non volens voluntas tenetur: voluntas enim eſt. Ergo quia volens ſervam ſeipſam fecit; non modo fecit, ſed facit. ——— Ita anima miro quodam & malo modo ſub hac voluntaria quadam & malè libera neceſſitate & ancilla tenetur, & libera: ancilla propter neceſſitatem, libera propter voluntatem: & quod magis mirum, magiſque miſerum eſt, eo rea quo libera, eoque ancilla quo rea, ac per hoc eo ancilla quo libera. Hæc & plura in eandem ſententiam, Bernardus Claravallenſis, loco citato.

Bernard. — Eſai. 38. 14. — Ib. v. 15. — *Voluntaria ſervitus.* — *Voluntas ſerva peccati.* — Ioan. 8. 34.

5. Huic obſervationi occaſionem præbuit illa aſſertio Bellarmini, libro 4. de gratia & libero arbitrio, cap. 6. Nomen (inquit) ſervi arbitrii in Eccleſia Catholica, per totos mille quingentos annos nunquam fuit auditum. Hæc ille. Nempe huic credat cui verum aut falſum nullo diſcrimine habetur. Vide D. Pareum in caſtigatione illius capitis.

*Bellarmini aſſertio falſa.*

6. In quo autem conſiſtat arbitrii perpetua in omni ſtatu libertas, docet Bernardus, lib. de gratia & libero arbitrio, poſt medium libri, his verbis, Nemo putet ideo dictum liberum arbitrium, quod æquâ inter bonum & malum poteſtate aut facultate verſetur, cum cadere per ſe quidem potuerit, non autem reſurgere niſi per Domini Spiritum. Alioqui nec Deus, nec Angeli ſancti, cum ita ſint boni, ut non poſſint eſſe & mali; nec prævaricatores item Angeli, cum ita ſint mali, ut jam non valeant eſſe boni, liberi eſſe dicuntur. Sed & nos illud poſt reſurrectionem amiſſuri ſumus: quando utique inſeparabiliter alii bonis, alii malis admixti fuerimus. Cæterum nec Deus caret libero arbitrio, nec Diabolus: quoniam quod ille eſſe non poteſt malus, non infirma facit neceſſitas, ſed firma in bono voluntas, & voluntaria firmitas: quodque is non valet in bonum reſpirare, non aliena facit violenta oppreſſio, ſed ſua ipſius in malo obſtinata voluntas, ac voluntaria obſtinatio. Nunc igitur eo potius liberum arbitrium dicitur, quod ſive in bono, ſive in malo æquè liberam facit

*Bernard. Perpetua libertas arbitrii in quo non poſita ſit.* — *In quo poſita ſit.*

voluntatem, cum nec bonus quiſpiam, nec item malus dici debeat, aut eſſe valeat, niſi volens. Tali jam ratione non incongruè dicetur ad bonum ſe & ad malum habere æqualiter, quod utrobique videlicet par ſit ei non quidem in electione facilitas, ſed in voluntate libertas. Hæc Bernardus.

*Quæ ratione æqualiter ad bonum & malum.*

7. Libertas arbitrii non eſt, niſi ad hoc, quod expedit, aut quod decet: ſicut dicit Anſelmus [lib. de libero arbitrio, cap. 1.] Unde nulla libertas eſſet, ſi diceretur; Deus poteſt facere malum: inquit Alexander Alenſis, in Summa Theologiæ part. 3 qu. 1. memb. 4. ad 3.

*Anſelmus & Alenſ.*

8. Hoc ipſum diu ante docuit Auguſtinus. Enchirid. cap. 105. Poſtea (inquit) ſic erit homo, ut malè velle non poſſit, nec ideo libero carebit arbitrio. Multo quippe liberius erit arbitrium, quod omnino non poterit ſervire peccato. Neque enim culpanda eſt voluntas, aut voluntas non eſt, aut libera dicenda non eſt, qua beati eſſe ſic volumus, ut eſſe miſeri non ſolum nolimus, ſed nequaquam prorſus velle poſſimus. Sicut ergo nunc etiam anima noſtra nolle infelicitatem, ita tunc nolle iniquitatem ſemper habitura eſt. Et libro de gratia Chriſti contra Pelagium & Cæleſtium, cap. 13. Præceptum liber facit qui libens facit. Hæc Auguſtinus.

*Auguſt. Liberum arbitrium in ſtatu gloriæ.*

*Liber facit qui libens facit.*

9. Proſper lib. contra collatorem, cap. 19. Liberum (inquit) arbitrium, id eſt, rei ſibi placitæ ſpontaneus appetitus. Adde his Proſperi verbis, *& rationalis*: ut habeas definitionem liberi arbitrii.

*Definitio liberi arbitrii.*

10. Hæc faciunt contra errorem eorum qui clamitant, non poſſe fieri ſalva arbitrii libertate, ut Deus aliquos ita ad obediendum inclinet, ut, ſuperatâ per virtutem efficaciſſimam omnipotentis gratiæ quacunque in eis reſiſtentiâ, non poſſint tandem non obedire. Nam ad conſervationem libertatis ſufficit, ut cum rationali judicio volentes ac lubentes obediant. Quem Deus vocatum ad Filium trahit, (inquit Proſper) non reſiſtentem invitumque compellit: ſed ex invito volentem facit, & quibuſlibet modis infidelitatem reſiſtentis inclinat: ut cor audientis, obediendi in ſe delectatione generata, ibi ſurgat, ubi premebatur: ibi diſcat, ubi ignorabat: inde fidat, unde diffidebat: inde velit, unde nolebat. Etenim Dominus dabit ſuavitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum. Hæc Proſper, libro contra Collatorem, cap. 6.

*Vocatio efficax, ſalvâ arbitrii libertate.*

*Proſper. Tractio Paterna.*

*Pſal. 84. (ſeu 85.) verſ. 13.*

11. Neque auſcultandum eorum cavillo qui dicunt, ad eam ſaltem arbitrii libertatem, quæ in peccante pœnamque aut vituperium merente, vel ad productionem operis boni meritorii vel laudabilis eſt neceſſaria, neceſſe eſſe ut æquâ inter bonum & malum poteſtate aut facultate verſetur, vel alterutrum ſaltem iſtorum eligere poſſit. Nam admiſſo iſtiuſmodi falſo fallacique principio, neque homo in ſtatu peccati, reus erit vel patratæ injuſtitiæ, vel omiſſæ juſtitiæ: quia ita peccato mancipatus eſt, ut non poſſit non peccare, non poſſit legi Dei ſe ſubmittere, Deoque placere, neque vituperanda erit ipſa Diaboli ab initio peccantis malitia: & laudabilior erit noſtra obedientia, quam obedientia Chriſti, quia nos peccare poſſumus: imò omne meritum & laus detrahetur obedientiæ Chriſti, qui etiam dum viator eſſet & in ſtatum merendi, non potuit eſſe Patri inobediens.

*Objectioni reſpondetur.*

*Rom. 8. 7. Joan. 8. 34.*

12. An ideo (inquit Auguſtinus, de Chriſto loquens) in illo non libera voluntas erat, ac non tanto magis erat, quanto magis peccato ſervire non poterat? Auguſt. lib. de prædeſtinatione ſanctorum, capite 15. Idem etiam alibi ait; Sunt etiam neceſſitate facta improbanda, ubi vult homo rectè facere & non poteſt. Nam unde ſunt illæ voces: Non enim quod volo facio bonum, ſed quod odi malum, hoc ago. Et illud; Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Et illud: Caro concupiſcit adverſus Spiritum; Spiritus autem adverſus carnem. Hæc enim invicem adverſantur, ut non ea quæ vultis faciatis! Sed hæc omnia hominum ſunt, ex illa mortis damnatione venientium. Nam ſi non eſt iſta pœna hominis ſed natura, nulla iſta peccata ſunt. Si enim non receditur ab eo modo quo naturaliter factus eſt, ita ut melius eſſe non poſſit, ea quæ debet facit, cum hæc facit. Hæc Auguſtinus, lib. 1. Retractationum, cap. 9. In quibus Auguſtini verbis haud obſcura ſe nobis offert diſtinctio, inter neceſſitatem ab ipſo Deo in prima naturæ conditione inditam, & neceſſitatem quam ipſa rationalis creatura voluntariâ prævaricatione contraxit. Priore illo genere neceſſitatis quicquid facit aliqua creatura, illud peccatum non eſt, nec improbandum: attamen poſteriore genere neceſſitatis, multa fiunt peccata, adeoque meritò improbanda. Illa dici poteſt neceſſitas naturalis: iſtam Bernardus vocat neceſſitatem voluntariam. Loco ſuperius citato §. 4. Unde patet, non eſſe ad rationem meriti ſemper neceſſarium, ut liberum arbitrium æqua inter bonum & malum facultate præditum ſit, vel ad utrumlibet ſe inflectere poſſit, tum ad bonum, tum ad malum.

*Auguſt.*

*Rom. 7. 19.*

*Rom. 7. 18. Gal. 5. 17.*

13. Profectò, qui ita docent, recidere videntur in illam Caſſiani Semipelagianorum magiſtri impiam aſſertionem; Chriſtum fidem quam in Centurione invenit & laudavit, non donaſſe Centurioni: nullius enim laudis fore ac meriti, ſi id in eo Dominus, quod ipſe donaverat, prætuliſſet. De qua aſſertione cum Proſper tedarguens lib. contra Collatorem, capite 36. ait cum hac exigua concluſione pæne totum Pelagianum dogma confirmare: & multis ſcripturæ teſtimoniis & rationibus eandem ibidem prolatè nervoſéque refellit.

## CAPUT VIGESIMUM-SEPTIMUM.

### *De Remonſtrantibus: quos Arminianos vocant, à Secta Conditore Iacobo Arminio, Batavo; qui mortuus eſt Lugduni Batavorum, anno Domini 1609. Seipſos autem indigitant Remonſtrantes.*

REmonſtrantes, in actis ſuis Dordracenis, in declaratione ſententiæ ſuæ circa tertium & quartum articulos, pag. 24. editionis Harderwycenſis, Semipelagianiſmi opprobrium declinant, his verbis; quare immerito quoque nos Semipelagianiſmi accuſant Contraremonſtrantes, cum ea in Semipelagianis damnemus, quæ Catholici paſſim damnarunt. Hæc illi. At minus verecundam eſſe hanc expoſtulationem & aſſertionem, facilè deprehendet quicunque adhibito judicio & ſemoto partium ſtudio, placita Remonſtrantium cum opinione Semipelagianorum, & doctrina Catholicorum, de controverſis illis articulis, quos præmiſimus, diligenter contulerit.

*Remonſtrantes Semipelagianorum errores videri volunt damnare, cum eorum erroribus adhæreant.*



2. Quod ad primum attinet articulum; Concedere quidem ſe profitentur gratiam prævenientem; at eis qui convertuntur peculiarem negant, dum non converſis parem concedunt: (Corvin. contra Molin. cap. 33. ad §. 46.) efficacem gratiam negant, dum ejus efficaciam, id eſt, eventum ajunt penes nos ſtare. In examine cenſuræ, cap. 8. fol. 95. A. Præterea fidem ac regenerationem excludunt è numero earum gratiarum ſeu donorum gratuitorum, quę nobis in fœdere gratiæ promiſſa, & Chriſti merito parta ſunt. In eodem examine cenſuræ Leidenſis, eodemque cap. 8. fol. 94. A. unde ſequitur, iſta vel non eſſe dona gratię Dei, ut docebant Pelagiani, vel alio nos tramite conſequi gratiam, quàm accipiendo ex plenitudine Chriſti, & ſecundùm menſuram donationis Chriſti; quod non minus abſurdum eſt.

*De primo articulo.*

3. De ſecundo & tertio articulis inter Catholicos & Semipelagianos agitatis, nempe, de prædeſtinatione, & merito mortis Chriſti, quantoperè Remonſtrantes contemnant doctrinam Catholicorum Patrum, & quam apertè Semipelagianis ſe adſocient, palàm clamitant eorum ſcripta publica de his articulis, in Collatione Hagienſi & in actis Dordracenis, & in Confeſſione, capite 8. & cap. 18. & in examine cenſuræ eorundem capitum.

*De ſecundo articulo.*

4. Conſidera etiam quartum & quintum articulos. Vocationem illam ſecundùm propoſitum quam Catholici Patres tantopere contra Semipelagianos defenderunt, prorſus negant Remonſtrantes: itidem gratiam illam perſeverantiæ, ex eodem prædeſtinationis propoſito manantem, per quam electi non ſolùm poſſunt perſeverare, ſed non niſi perſeverantes ſunt. Cum Semipelagianis autem contendunt, quicquidlibet donatum ſit prædeſtinatis, id poſſe vel amplecti vel reſpuere, & vel amittere vel retinere propriâ voluntate; & gratiæ efficaciam ſeu obediendi ac perſeverandi eventum non ſoli Deo acceptum ferunt, nec peculiare eſſe Dei donum ſolis omnibuſque electis miſericorditer collatum agnoſcunt, ſed ab arbitrii noſtri optione ſuſpendunt, ut patet ex collatione Hagienſi, & actis Dordracenis, in poſtremis articulis, & ex confeſſione & examine capp. 8. 11. 17. 18. Quo jure igitur Semipelagianorum contubernium detrectant?

*De quarto articulo.*

5. Sic olim ipſi Maſſilienſes ſive Semipelagiani Pelagium inſincerè damnabant, rejectis quibuſdam ejus poſitionibus durioribus, quas ad communis cauſæ tutelam judicabant non eſſe neceſſarias, ad eandem tamen concluſionem itineribus occultioribus properabant. Quos intercipiens Proſper redarguit, quod in ſuperfluę querelæ conclamationē prorumperent, & damnatos errores inſolenter foventes, ſinceriſſimis Divinę gratiæ defenſoribus obloquerentur: & pacem victricis Eccleſię, reſumtis de damnatorum ſchola quæſtionibus, inquietarent. lib. contra Collatorem, cap. 1. & cap. 39. eoſdem alibi vocat *ingratos, falsâ & virtute ſuperbos*; in Præf. in *lib. de ingratis*. & fraudulentam Pelagiani erroris inficiationem eis meritò exprobrat, *lib. de ingratis*, cap. 38. his verſibus;

*Semipelagiani Pelagium damnabant inſincerè; nam ejus erroneam doctrinam ſubtiliter fucatam retinebant.*

*Ingrati.*

> *Quid prodeſt verbis commentum Pelagianum*
> *Reſpuere, & ſola damnatos plectere voce?*
> *Cum paucis ſqualidâ ſublatis de cute nervis,*
> *Intima viperei foveantur viſcera ſenſus?*
> *O bene quod dir: erroris malus ille magiſter,*
> *Nullo prælevit letalia pocula melle:*
> *Sed non ambigua infectum feritate venenum*
> *Protulit, &c.*

6. Præclarè Ambroſius lib. 10. in Euangelium Lucæ, de negatione Petri; *Non ſatis eſt* (inquit) *involuta reſponſio confitentis Ieſum, ſed aperta confeſſio.* Accommodemus hæc verba Ambroſii ad abnegationem erroris, & confeſſionem veritatis: debet utraque eſſe aperta, non verbis ambiguis involuta. Mos autem eſt eorum qui hæreſin parturiunt, ita veritatis confeſſionem præ ſe ferre, ut nullo modo à verborum ambiguitate diſcedant, quam diſcipulis ſuis exponere poſſint ſenſu planè contrario veritati. Sicut de Pelagio etiam queruntur Hieronymus, epiſt. ad Cteſiphontem, & Auguſtinus lib. de gratia Chriſti, cap. 41. Quamvis errorem ſuum ita planè alibi detexerit Pelagius, ut latere non potuerit, ſicut in carmine monet Proſper.

*De hæreticorum duplicitate vide ſupra, lib. 3. c. 10. §. 19.*

## CAPUT VIGESIMUM-OCTAVUM.

### *Conſenſus doctrinæ Auguſtini, de prædeſtinatione & gratia Dei, cum perpetua Catholicæ Eccleſiæ doctrinâ.*

HAnc partem nobis extorſit diſſertatio illa viri clariſſimi Gerardi Joannis Voſſii, qua lib. 6. hiſtoriæ ſuæ Pelagianæ, inſinuare videtur, doctrinam hanc ab Auguſtino primum excogitatam eſſe; antiquiores autem Patres in ea planè fuiſſe ſententiâ, quam hodie tenent Remonſtrantes: qui etiam ut omnibus idipſum perſuadeant, viri hujus docti diatribam illam ad partes advocant, in ſuis ſcriptis Dordracenis, in Proſphonetico ad delegatos, ſub finem defenſionis ſententiæ ſuæ circa articulum quintum, de perſeverantia, pag. 343. edit. Harderwicenſ. anno Dom. 1620.

2. Reſpondetur igitur, prius de homine, deinde de re. Voſſium quod attinet; admodum invitus adducor, ut viri hujus undecunque doctiſſimi, & de orthodoxis Chriſti Eccleſiis tam bene meriti, mentionem ullam faciam in aliqua controverſia, in qua illi non prorſus aſſentior. Verùm huc me ducit atque adigit aliorum jactantia, & amovendi ſcandali neceſſitas. Eum libenter audiunt Remonſtrantes ea loquentem, quæ ipſorum errori conſentanea eſſe exiſtimant; At poſtea Auguſtini doctrinam ſe ſequi & probare palàm profitentem deſerunt: ſicut olim beati Cypriani errorem, de rebaptizandis hæreticis, Donatiſtæ ſuo ſchiſmati perperam prætendebant: unde exclamat Auguſt. *O quàm deteſtandus eſt error hominum, qui clarorum virorum quædam non rectè facta laudabiliter ſe imitari putant, à quorum virtutibus alieni ſunt.* Aug. lib. de unico baptiſmo cap. 13. Salvâ igitur honorificentiâ, quæ tanto viro debetur, fas mihi ſit, abſq; cujuſquam offenſione, quid ſentiam, liberè & modeſtè proloqui.

3. Fatetur eodem ſexto libro, theſi 9. agnitum eſſe à Patribus ante Auguſtinum quoddam Dei decretum ἀνεξερεύνητον καὶ ἀνεξιχνίαστον, quod verſetur circa adminiſtrationem mediorum ordinatorum ad ſalutem, quâ ad alios ſermo Euangelii mittitur, ad alios non mittitur. Hujus diverſæ adminiſtrationis cauſam dixiſſe Patres illos referri ab Apoſtolo Paulo ad Rom. 11. ad inſcrutabilia judicia, & ſapientiæ imperveſtigabilem abyſſum. Et citat in hanc ſententiam clariſſima Hieronymi verba, epiſt. ad Cteſiphontem.

4. At certè hæc ipſa agnitio pugnat cum ea de prædeſtinatione ſententia, quam Voſſius eiſdem Patribus ibidem tribuit, theſibus 8. & 10. & 11. videlicet, nihil aliud dari per prævenientem gratiam niſi poſſibilitatem credendi; cur autem vocatorum unus præ altero convertatur, id non eſſe à diſpari gratiâ, ſed à recto uſu liberi arbitrii, ſeu cooperatione humanâ, per quam gratia ſufficiens utrique oblata, redditur in uno efficax, quæ in altero non eſt efficax, hoc eſt, eventu caret. Et, præſuppoſitâ præveniente gratiâ neutri denegatâ, cauſam hujus diſcriminis, cur alter convertatur & perſeveret & ſalvetur; alter non convertatur, vel converſus relabatur & pereat; cauſam, inquam, hujus diſcriminis adæquatam adſerri poſſe ex parte hominum: adeóque cauſam prædeſtinationis ad gratiæ incrementum & ad gloriam dari ex parte hominis nempe prævisam fidem & bona opera, & in eis perſeverantiâ, ex recto uſu oblatæ gratię per cooperationem liberi arbitrii. Hoc enim ſemel admiſſo, tollitur difficultas etiã de illa adminiſtratione ordinatorum mediorum, quoad eas gentes, quibus negata eſt Euangelii prædicatio: nam in promtu erit adminiſtrationis illius ratio; nempe, prævidiſſe Deum, neminem in hac vel illa gente ſalutariter cooperaturum oblatæ gratiæ: & quoad illas quibus conceſſa eſt, prævidiſſe Deum multos in hac vel illa gente prævenienti gratię per rectum uſum liberi arbitrii cooperaturos.

5. Inutile autem effugium eſt, quod quæritur in diſtinctione operum quæ fiunt auxilio gratiæ, ab illis operibus quæ ſolis fiunt viribus liberi arbitrii: nam ſive neget aliquis, ſive concedat neceſſitatem prævenientis gratiæ, quamdiu tamen ejus efficaciam, (in quâ ſolâ inter vocatos diſcrimen cernitur) homini acceptam fert, adęquatam diſcriminationis inter vocatos cauſam ponit in homine, non minus quàm Semipelagiani, negantes prævenientem gratiam, Nam præveniens gratia, ſecundùm iſtam opinionem, nihil facit ad diſcriminationem, licet ſit cauſa ſine qua non; ſicut ſecundum Semipelagianos natura humana non erat propriè cauſa diſcretionis, licet eſſet cauſa ſine qua non. Unde quemadmodum illi diſcretionem adminiſtrationis divinæ in diſpenſandis mediis referebant ad divinam pręſcientiam fidei vel contumaciæ, prędicationem ſequuturæ, atque ita de compendio reddi poſſe putabant diſcretionis hujus rationem; ſic alicui gratiam iſtam prævenientem concedenti, cujus efficacia ſit penes hominem, parata erit ejuſdem diſcretionis ratio jam memorata. Neq; jam erit decretum illud de ea adminiſtratione ἀνεξερεύνητον καὶ ἀνεξιχνίαστον.

6. Neque ad iſtorum conciliationem quicquam adfert adjumenti, quod, pręalio quolibet, hunc rerum & circumſtantiarum ordinem & decurſum liberè elegerit Deus, ut hominem crearet, labi ſineret, & Chriſtum Redemtorem mitteret, credentibuſque in eum vitam daret. Nam ad præſentem controverſiam præſupponitur determinatus ordo: quæritur enim tantummodo de mediorum ad ſalutem jam ordinatorum adminiſtratione. Quocirca quæ de electione hujus ordinis diſſerit Voſſius, eodem lib. 6. ſuæ hiſtoriæ Pelagianæ, theſi 13. ab hoc propoſito aliena ſunt, niſi addatur, decretum etiam in ordinis hujus electione factum eſſe de danda quibuſdam hominibus converſione & perſeverantiâ.

7. Poſtquam autem proliſâ diſſertatione non ſatis æquus Auguſtino videri poſſet, tentat pacificationem: ſed impoſſibile eſt Remonſtrantium placita, quæ antiquis ante Auguſtinum Patribus tribuit, cum doctrina Auguſtini conciliare. Interim ex eo quod dicit, ſuo quidem judicio nullam eſſe ἀντιλογίαν, hinc colligas, nullum ab Auguſtino, quoad doctrinæ ſubſtantiam, additamentum excogitatum eſſe; neque fuiſſe novam illam Auguſtini doctrinam, ſed quo ad rem conformem doctrinæ veterum, judice Voſſio: etiamſi quæ à veteribus obſcurius aliquando tradita ſunt, neque adeò commodè expreſſa, ea Auguſtinus occaſione Pelagianæ hæreſeos, luculentius & felicius explicaverit.

8. Quod autem dixit Voſſius de antiquiorum Patrum doctrinâ, id ſic temperat, eo ipſo lib. 6. hiſt. Pelag. in Exegeſi theſeos decimæ, quod tamen (inquit) non ita accipi velim, quaſi ex iis nihil adduci poſſit, quod gratiam ex abſoluta convertendi voluntate collatam, inſinuare videatur. Vid. §. 17. Nam ſcio, huic probandæ ſententiæ à Petro Diacono & aliis, qui in cauſſâ fidei Romam miſſi erant, egregium Baſilii locum adferri. Et, interpoſitis Baſilii verbis, addit etiam teſtimonium Ambroſii.

9. Tandem ut videas eruditi pectoris candorem, poſt maturam multorum annorum deliberationem, doctrinam Auguſtini ipſe clariſſimus Voſſius ambabus ulnis amplectitur, ut unicam veram Apoſtolicam & Catholicam Eccleſię Chriſtianæ doctrinam. En ejus verba, lib. 2. de hiſtoricis Latinis, cap. 17. paulo poſt initium capitis: *Nempe* (inquit) *celeberrimi quique Occidentalis Eccleſiæ doctores ſequebantur Auguſtinum & Proſperum: cujus de gratia & libero arbitrio, prædeſtinationeque Divinâ, doctrinam ipſe etiam ſequor, & probo. Vt omnino ſententiam meam haud ſatis aſſequantur, ſi qui exiſtimare me arbitrentur, poſtrema Auguſtini ſententia, quâ prædeſtinationem fide & perſeverantiâ priorem facit, tanquam impia, vel etiam falſa, abduci poſſe ea, quæ ante ſeptennium in opere de controverſiis à Pelagio, & Maſſilienſibus, excitatis, de priori Auguſtini ſententia retuli; vel etiam quæ adduxi ex libris, ſeu Latinorum, ſeu Græcorum Patrum, qui ſcripſerant ante Pelagii hæreſin excitam. Nec enim judicio meo, B. Auguſtinus prioribus Patribus repugnat, ſed quod de prædeſtinatione priores fere Patres præteribant, hoc addit: atque ubi illi de gratia incautius eſſent loquuti, hoc explicat. Sed de iſto ſuſius, ſpero, alibi nobis commodior offeretur agendi locus.* Hæc Voſſius.

10. Conſtat autem ex eis quæ ſuprà commemorata ſunt, capite primo, §. 8. & §. 9. & capite tertio, paragrapho primo, & ex libro Petri Diaconi & ſociorum ejus ad Fulgentium, etiam Orientales doctrinam illam, quam docuit Aug. defendiſſe. Vid. §. 16. Nec ſolum celeberrimi in Occidente doctores, hanc doctrinam palàm profeſſi ſunt, ſed omnes etiam orthodoxę Eccleſię Occidentis, videlicet, *Africana*, ut patet ex Conciliis con-

tra



tra Pelagii errorem in Africa celebratis, & ex libro Fulgentii & coepiſcoporum Afrorum ad Petrum diaconum; & Eccleſia *Romana*, ut patet ex epiſtolis Romanorum Pontificum, Innocentii, Zoſimi, Bonifacii, Cæleſtini, Xiſti, Leonis, Gelaſii, &c. & Eccleſia *Gallicana*, ut patet ex Concilio Arauſicano ſecundo, & Eccleſia *Britannica*, ut docet Proſper, lib. contra Collatorem, cap. 41. quibus & vicinæ undiq; Eccleſiæ conſentiebant, licet interea nonnulli, etiam Epiſcopalis ordinis homines, errore caperentur. Et hinc ordiar reſponſionem de re ipſa, de qua nunc quærimus.

11. Prima pars reſponſionis de re ipſa eſt; Univerſalis Eccleſia toto orbe diffuſa, non tam ſubitò & tam conſtanter per multa deinceps ſecula, doctrinam Auguſtini ſuſcepiſſet ac defendiſſet ut ſolam Catholicam, ſi eam ipſe primus excogitaſſet. Incredibile enim videtur, unius hominis auctoritate vel eloquentiâ totum orbem, Apoſtolicis temporibus ita vicinum, tam ſubitò capi & tam diu poſtea detineri potuiſſe, ut receptam primævis ſeculis Eccleſiæ doctrinam novis ejus commentis poſtponerent.

12. Reſpondet etiam ipſe Auguſtinus, quodcunque tandem fuerit ſcriptorum antecedentium judicium, Hoc ſcio (inquit) neminem contra iſtam prædeſtinationem, quam ſecundum ſcripturas ſanctas defendimus, niſi errando diſputare potuiſſe. lib. de bono perſever. cap. 18. Ergo non eſt hoc additamentum ab Auguſtino excogitatum, ſed eſt doctrina ſanctarum ſcripturarum.

13. Alia reſponſio Auguſtini ad eandem objectionem eſt; Indoctorum eſſe & putidè contentioſorum de verbis Patrum litigare, in quæſtione aliqua ad ſolvendum difficili, quâ ipſi ſuis temporibus non ſunt pulſati: unde aliis intenti potuerunt de ea vel minus liquidò, vel etiam minus commodè fortaſſe loqui. Nam ſingulæ quæque hæreſes inferunt Eccleſiæ proprias quæſtiones, contra quas diligentius defendatur Scriptura divina, quam ſi nulla talis neceſſitas cogeret. Teſtimonia Auguſtini ad hanc reſponſionem pertinentia paulò ſuperius ſunt nobis recitata, cap. 20. hujus libri, in regula judicii theologici de auctoritate veterum.

14. Denique, ut hac etiam in parte, veritatis amantibus ſatisfiat, & ne quiſquam valeat hoc præjudicio invidiam facere veritati, ac ſi huic doctrinæ priora ſanctorum Patrum ſecula contradictura eſſent, aut eam ut novam humanituſque inventam rejectura; Auguſtinus luculenter docet, non ſolùm ex illimi ſacræ Scripturæ fonte hauſtam eſſe quam tuetur de prædeſtinatione & gratia doctrinam, ſed etiam à ſanctis Patribus prædicatam eſſe, & ab univerſa Eccleſia palàm ſemper agnitam, ut veram & haud ignobilem partem Catholicæ fidei. Idque hoc ordine oſtendit Auguſtinus.

[illegible]

15. Primò exponit, quo ſenſu accipienda ſint eorum Patrum verba, qui propoſitum & prædeſtinationem ſecundùm pręſcientiam receperunt; cui ſenſui contrarium nemo potuit niſi errando docere. Hæc (inquit) dona Dei quæ dantur electis ſecundum propoſitum Dei vocatis, in quibus donis eſt & incipere credere, & in fide uſque ad vitæ hujus terminum perſeverare; ſicut tantâ rationum atque auctoritatum conteſtatione probavimus; Hæc, inquam, Dei dona, ſi nulla eſt prędeſtinatio quam defendimus, non præſciuntur à Deo: præſciuntur autem: Hæc eſt igitur prædeſtinatio quam defendimus. Hæc Aug. lib. de bono perſev. cap. 17. Et immediatè ſubjungit, cap. 18. Unde (inquit) aliquando eadem prædeſtinatio ſignificatur etiam nomine præſcientiæ, ſicut ait Apoſtolus, *Non repulit Deus plebem ſuam, quam præſcivit.* Rom. 11. 2. Hoc quod ait, præſcivit, non rectè intelligitur niſi prædeſtinavit, quod circumſtantia ipſius loqutionis oſtendit: loquebatur enim de reliquiis Judæorum, quæ ſalvæ factæ ſunt, pereuntibus cæteris. ——— Atque ut oſtenderet Dei gratia fuiſſe relictas reliquias, non meritis operum eorum, ſequutus adjunxit, an neſcitis in Elia quid dicat Scriptura, *Reliqui mihi ſeptem millia virorum, qui non curvaverunt genu ante Baal.* Rom. 11. 4.5. Non enim ait, relicta ſunt mihi, aut, reliquerunt ſe mihi, ſed, reliqui mihi. *Et ſic ergo*, inquit, *& in hoc tempore reliquiæ per electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt: quod quærebat Iſrael, hoc non eſt conſecutus, electio autem conſecuta eſt, cæteri verò excæcati ſunt.* Ibid. verſ. 7. In hac ergo electione & in his reliquiis, quæ per electionem gratiæ factæ ſunt, voluit intelligi plebem, quam propterea Deus non repulit, quia præſcivit. Hæc eſt illa electio quâ eos, quos voluit, *elegit in Chriſto ante conſtitutionem mundi, ut eſſent ſancti & immaculati in conſpectu ejus, in charitate, prædeſtinans eos in adoptionem filiorum.* Epheſ. 1. 4.5. Nullus igitur qui hæc intelligit, negare vel dubitare permittitur, ubi ait Apoſtolus, Non repulit Deus plebem ſuam quam præſcivit, prædeſtinationem ſignificare voluiſſe. Præſcivit enim reliquias, quas ſecundùm electionem gratiæ fuerat ipſe facturus: hoc eſt ergo, prædeſtinavit, ſine dubio enim præſcivit, ſi prædeſtinavit: ſed prædeſtinaſſe eſt hoc præſciſſe quod fuerat ipſe facturus. quid ergo nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei tractatores legimus Dei præſcientiam, & agitur de vocatione electorum, eandem prædeſtinationem intelligere? Magis autem fortaſſe voluerunt hoc verbo in ea re uti, quod & facilius intelligitur, & non repugnat, imò & congruit veritati quæ de prædeſtinatione gratiæ prædicatur. Hoc ſcio, neminem contra iſtam prædeſtinationem, quam ſecundùm ſcripturas ſanctas defendimus, niſi errando diſputare potuiſſe. Hæc Aug. lib. de bono perſeverantiæ, cap. 18.

16. Adfert etiam Auguſt. (lib. de bono perſev. capp. 2. 3. 4. 13. 14. 17. 19.) celebriorum quorundam Patrum clara teſtimonia pro hac ipſa doctrina de prędeſtinatione & gratia Dei, quam tuetur. videlicet, *Cypriani*, & *Ambroſii*, & *Gregorii Nazianzeni*; adjiciunt Petrus diaconus ejuſque collegæ, Romam fidei cauſſa ex Oriente miſſi, lib. ad Fulgentium, de incarnatione & gratia, cap. 8. inſigne teſtimonium *Baſilii*. Liber iſte cum operibus Fulgentii circumfertur. adeò ut vel in his ſolis, ut alios miſſos faciamus, habeas inſignem quadrigam celeberrimorum Catholicorum Patrum in Eccleſia Græca & Latinâ, in Oriente & Occidente, in Europa, Aſia, & Africâ, idem prius docentium quod poſtea docuit ac operoſius defendit Auguſtinus, de prædeſtinatione & gratia Dei. Puto (inquit Auguſtinus, lib. de bono perſeverantiæ, cap. 19.) eis qui de hac re ſententias tractatorum requirunt, ſanctos & in fide atque doctrinâ Chriſtiana laudabiliter uſquequaque diffamatos viros, Cyprianum & Ambroſium, quorum tam clara teſtimonia poſuimus, debere ſufficere. ——— Sed his duobus, qui ſufficere debuerunt, ſanctum Gregorium addamus & tertium, &c. Et priuſquam accepiſſet Proſperi & Hilarii literas illas, per quas de iſta Maſſilienſium objectione certior factus eſt, citavit & laudavit illud Cypriani ad Cyrinum ſcribentis, Cyprian. lib. 3. ad Quirinum, cap. 4.



in

*in nullo eſſe gloriandum, quando noſtrum nihil ſit.* lib. de correptione & gratia, cap. 7. & illud Ambroſii ex 10. lib. expoſitionis Euangelii ſecundùm Lucam; Bonæ lachrymæ quę culpam lavant. Denique quos Jeſus reſpicit, plorant delictum. Negavit primò Petrus & non flevit, quia non reſpexerat Dominus; negavit ſecundò, & non flevit, quia adhuc non reſpexerat Dominus, negavit & tertiò, reſpexit Jeſus, & ille amariſſime flevit. Citat hęc Ambroſii verba Aug. lib. de grat. Chriſti, contra Pelagium & Cæleſtium, cap. 45. Et rurſum aliam ejuſdem Ambroſii ſententiam adducit, cap. 46. ejuſdem libri de gratia Chriſti, ex libro ſexto ejuſdem expoſitionis Euangelii ſecundùm Lucam; Audiat (inquit Auguſtinus) eundem antiſtitem Dei (Ambroſium) in ſexto libro ejuſdem operis dicentem; Cur autem non receperint eum, Euangeliſta ipſe memoravit dicens, quia facies ejus erat euntis in Hieruſalem, diſcipuli autem recipi intra Samariam geſtiebant. Sed Deus quos dignatur vocat, & quem vult religioſum facit. O ſenſum hominis Dei (*exclamat Auguſtinus*) ex ipſo hauſtum fonte gratiæ Dei. *Deus*, inquit, *quos dignatur vocat, & quem vult religioſum facit.* Videte ſi non Propheticum illud eſt, *miſerebor cujus miſertus ero, & miſericordiam præſtabo, cui miſericors fuero.* Et illud Apoſtolicum, *Non volentis, neque currentis; ſed miſerentis eſt Dei.* Hæc ibi. Illud autem Cypriani ad Cyrinum (ſeu Quirinum) repetit Auguſt. lib. de bono perſev. cap. 17. & cap. 19. ubi etiam repetit illud Ambroſii ex lib. 6. expoſitionis Euangelii ſecundùm Lucam, adjectis aliis eorundem Patrum luculentis teſtimoniis, & teſtimonio Greg. Nazianz. eod. lib. de bono perſev. locis ſuperius allegatis.

*Ambroſ.* *Luc. 22. 61.* *Luc. 9. 53.* *Exod. 33. 19.* *Rom. 9. 16.*

17. Petrus Diaconus, libro ad Fulgentium, capite octavo, adferens Baſilii teſtimonium, ait; Hinc etiam beatus Baſilius, Cæſarienſis Epiſcopus, in oratione ſacri altaris, quam penè univerſus frequentat Oriens, inter cætera; *Dona* (inquit) *Domine virtutem ac tutamentum: malos, quæſumus, bonos facito, bonos in bonitate conſerva: omnia enim potes, & non eſt qui contradicat tibi. Cùm enim volueris, ſalvas: & nullus reſiſtit voluntati tuæ.* Hæc ibi. Unde etiam patet, hanc non ut unius Baſilii, ſed ut univerſi penè Orientis ſententiam accipiendam eſſe. Atque ita veluti manu ducimur ad tertium membrum poſtremæ hujus reſponſionis Auguſtini, ad objectionem illam de doctrina veterum quoad hanc quæſtionem.

*Baſilius. Vide ſupra, cap. 3. §. 11.*

18. Tertiò, hanc fuiſſe, & eſſe, ſemperque futuram eſſe Catholicæ Eccleſiæ fidem, quam ille nunc contra adverſarios gratiæ defendit, demonſtrat Auguſtinus ex perpetuis Eccleſiæ precibus. Prorſus (inquit) in hac re non operoſas diſputationes exſpectet Eccleſia, ſed attendat quotidianas orationes ſuas. Orat, ut increduli credant: Deus ergo convertit eos ad fidem. Orat, ut credentes perſeverent: Deus ergo donat perſeverantiam uſque in finem. Hoc Deus futurum eſſe præſcivit. Ipſa eſt prædeſtinatio ſanctorum, *quos elegit in Chriſto ante conſtitutionem Mundi, ut eſſent ſancti & immaculati in conſpectu ejus in charitate, prædeſtinans eos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum, ſecundùm placitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificavit eos in dilecto Filio ſuo, in quo habent redemtionem per ſanguinem ipſius, remiſſionem peccatorum, ſecundùm divitias gratiæ ejus, quæ abundavit in eos in omni ſapientia & prudentiâ, ut oſtenderet eis myſterium voluntatis ſuæ ſecundùm bonam voluntatem ſuam, quam propoſuit in illa diſpoſitione plenitudinis temporum, inſtaurare omnia in Chriſto quæ in cælis ſunt, & quæ in terris, in ipſo, in quo etiam & ſortem conſequuti ſumus, prædeſtinati ſecundùm propoſitum ejus qui univerſa operatur.* Contra iſtam veritatis tam claram tubam quis homo ſobriæ vigilantiſque fidei voces ullas admittit humanas? Hæc Aug. lib. de bono perſev. cap. 7.

*Epheſ. 1. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11.* *Nota iſtam Eccleſiæ vigilantiſque fidem.*

19. Idem etiam eodem libro, cap. 22. in fine capitis; Atque utinam (inquit) tardi corde & infirmi qui non poſſunt, vel nondum poſſunt ſcripturas, vel earum expoſitiones intelligere, ſic audirent vel non audirent in hac quæſtione diſputationes noſtras, ut magis intuerentur orationes ſuas, quas ſemper habuit & habebit Eccleſia ab exordiis ſuis, donec finiatur hoc ſeculum.

20. Pergit cap. 23. De hac enim re (inquit) quam nunc adverſus novos hæreticos, non commemorare tantùm, ſed planè tueri & defenſare compellimur, nunquam tacuit in precibus ſuis, etſi aliquando in ſermonibus exſerendam nullo urgente adverſario putavit. quando enim non oratum eſt in Eccleſia pro infidelibus atque inimicis ejus ut crederent? quando fidelis quiſquam amicum, proximum, conjugem habuit infidelem, & non ei petivit à Domino mentem obedientem in Chriſtianam fidem? quis autem ſibi uſque non oravit, ut in Domino permaneret? Aut quis ſacerdotem ſuper fideles Dominum invocantem, ſi quando dixit; *Da illis Domine in te perſeverare uſque in finem;* Non ſolùm voce auſus eſt, ſed ſaltem cogitatione reprehendere, ac non potius ſuper ejus talem benedictionem, & corde credente & ore confitente reſpondit, *Amen?* cum aliud in ipſa oratione Dominicâ non orent fideles, dicentes maximè illud, *Ne nos inferas in tentationem;* niſi ut in ſanctâ obedientia perſeverent? Sicut ergo in his orationibus, ita & in hac fide nata eſt & creſcit & crevit Eccleſia, quâ fide creditur gratiam Dei non ſecundùm merita accipientium dari. quandoquidem non oraret Eccleſia, ut daretur infidelibus fides, niſi Deum crederet & averſas & adverſas hominum ad ſe convertere voluntates: nec oraret Eccleſia ut perſeveraret in fide Chriſti, non decepta vel victa tentationibus mundi, niſi crederet Dominum ſic in poteſtate habere cor noſtrum, ut bonum quod non tenemus niſi propriâ voluntate, non tamen teneamus, niſi ipſe in nobis operetur & velle. ——— Hæc igitur quæ poſcit à Domino, & ſemper ex quo eſſe cœpit poſcit Eccleſia, * iſta Deus * ... vocatis ſuis daturum ſe eſſe præſcivit, ut in ipſa prædeſtinatione jam dederit, quod Apoſtolus ſine ambiguitate declarat. Scribens quippe ad Timotheum; *Collabora*, inquit, *Euangelio ſecundùm virtutem Dei ſalvos nos facientis, & vocantis vocatione ſua ſanctâ, non ſecundùm opera noſtra, ſed ſecundùm ſuum propoſitum & gratiam, quæ data eſt nobis in Chriſto Ieſu ante ſecula æterna, manifeſtata autem nunc per adventum Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti.* Ille itaque dicat, Eccleſiam aliquando in fide ſuâ non habuiſſe veritatem prædeſtinationis hujus & gratiæ, quæ nunc contra novos hæreticos curâ diligentiori defenditur; Ille, inquam, hoc dicat, qui dicere auderat, quando eam non oráſſe, vel non veraciter oráſſe, ſive ut crederent infideles, ſive ut perſeverarent fideles. Quæ bona ſi ſemper oravit, ſemper ea Dei dona eſſe utique credidit, nec ab illo ſemper cognita unquam ei negare fas fuit. Ac per hoc prædeſtinationis hujus fidem, quæ contra novos hæreticos novâ ſolicitudine nunc defenditur, nunquam Eccleſia Chriſti non habuit. Hæc Auguſtinus, lib. de bono perſeverantiæ, cap. 23.

*Matth. 6. 13.* *2. Tim. 1. 8. 9. 10.*



## CAPUT VIGESIMUM-NONUM.

### *De commentitia hæreſi prædeſtinatianâ.*

*Fauſt. Præfat. 1. lib. 1. cap. 4.*

DOctrinam quam defendit Auguſtinus de prædeſtinatione, *Fauſtus* Semipelagianus in ſuo opere de libero arbitrio, tacito Auguſtini nomine, ſæpe vocat hæreſin, ejuſque defenſores hæreticos. Fauſti laudator *Gennadius Maſſilienſis*, addito cognomento, vocat *prædeſtinatianos*, (in appendice ad Hieronymi indiculum de hæreſibus) eas congerens in eos accuſationes, quibus Auguſtini doctrina à Pelagianis & Semipelagianis gravabatur, ſicut prolatis teſtimoniis ex Auguſtini & Proſperi ſcriptis, luculenter docuit Archiepiſcopus Armachanus *Iacobus Vſſerius*, in ſua nuper edita de *Gotteſchalco* hiſtoria, cap. 2. ubi clariſſimè oſtendit, nihil eſſe eorum quæ prædeſtinatis & prædeſtinatianis ab Arnobio, Gennadio, Hincmaro, aut Sigeberto tribuuntur, quod non à Pelagianis, & Semipelagianis, ipſi Auguſtino & ejus ſectatoribus, quo jure, quave injuriâ, attributum fuerit: & odioſum novellæ cujuſdam Prædeſtinatianæ hæreſeos nomen excogitâſſe Semipelagianos, ut hac technâ orthodoxam Auguſtini de prædeſtinatione doctrinam prægravarent. Nos igitur lectorem ad inſignem illam *Vſſerii* lucubrationem amandamus. Pauca tantummodo ſuggeremus ex *Hincmari* Epiſcopi Remenſis epiſtolâ ad *Nicolaum I.* Papâ Romanum, quæ exſtat in *Flodoardi* hiſtoriâ Rhemenſi, lib. 3. & ex ſcriptis Eccleſiæ Lugdunenſis, & ex Concilio Valentino, hoc ipſum quod aſſerebamus, de injuſta Prædeſtinatianorum, quos vocant, criminatione, liquidò confirmantia.

2. *Hincmari* ad *Nicolaum* verbâ, apud *Flodoardum*, lib. 3. cap. 14. hæc ſunt; Ordine (inquit) exponam non omnes articulos quos tuetur (*Gotteſchalcus*,) ſed tantummodo quoſdam eorum, qui tamen maximi momenti ſunt.

1. Dicit igitur id, quod antiqui etiam Prædeſtinatiani dicebant, quod ſicut Deus quoſdam prędeſtinavit ad vitam æternam; ſic etiam alios ad mortem æternam prædeſtinavit.

2. Quod Deus non vult omnes homines ſalvos fieri, ſed duntaxat eos qui ſalvantur: nam ſi hi omnes non ſalvantur, quos Deus vult ſalvos fieri; non omne fecit quod voluit. Quod ſi velit id quod non poteſt facere, non eſt omnipotens, ſed infirmus & impotens: attamen omnipotens eſt, quia fecit omne quod voluit, teſtante Scripturâ, *Omnia quæcunque voluit fecit, in Cœlo, in terra, in mari, & in omnibus abyſſis.*

*Pſal. 135. 6.*

3. Quod Jeſus Chriſtus Dominus noſter & Salvator non fuit crucifixus, neque mortuus eſt pro redemtione totius mundi, id eſt, pro redemtione & ſalute omnium hominum, ſed tantum pro his qui ſalvantur. Et hi rectè ſunt mundus, pro quo Dominus paſſus eſt.

3. His ſimilia habentur in alia illa Hincmari epiſtolâ ad Eccleſiam Lugdunenſem, de eodem Gotteſchalco ſcriptâ, de qua fit mentio paulo poſt initium libri Eccleſiæ Lugdunenſis de tribus epiſtolis, ubi de prædeſtinatione etiam hoc dicitur docuiſſe Gotteſchalcus, quod qui prædeſtinati ſunt ad interitum, non poſſunt ſalvari: & qui prædeſtinati ſunt ad regnum, perire non poſſunt. Cætera objecta conveniunt cum præcedentibus.

4. Eccleſia Lugdunenſis, eodem libro, poſtquam ad ſingula objecta prolixè reſpondiſſet, tandem breviter ita reſpondet, columna 374. & 375. tomo quarto bibliothecæ Patrum parte ſecunda, editione quarta. Ignoſcat nobis unuſquiſque lector, ignoſcat etiam reverendus ille epiſtolæ ſcriptor; quia, ſicut jam ſuperius & ex Divina & ex Paterna auctoritate ſatis oſtendimus, videtur nobis ſine dubio quod illa quæ de Divina prædeſtinatione dixit (Gotteſchalcus,) juxta regulam Catholicæ fidei vera ſint, & à veridicis Patribus manifeſtiſſimè confirmata, nec ab ullo penitus noſtrûm qui Catholicus haberi vult, reſpuenda ſive damnanda. Et ideo in hac re dolemus, non hunc miſerabilem, ſed Eccleſiaſticam veritatem eſſe damnatam. In illa autem Apoſtoli ſententiâ qua de Deo ait, *qui vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, putamus eum ſenſum beatiſſimi Patris Auguſtini, ab omni ſemper Eccleſiâ venerabiliter recepti & uſque in finem ſeculi recipiendi, ſecutum fuiſſe. Cujus omnino veridicum ſenſum non oportuit ſub perſona alicujus hominis, à Catholicis Dei ſacerdotibus condemnari: ne jam non iſte qui errare putatur, ſed ille potiùs cujus auctoritatem ſequitur, hæreticus eſſe judicetur. Jam illud de Domini ſanguinis pretio, quod pro his tantum qui credere voluerint datum ſit, manifeſta eſt, ſicut ſuprà ſatis oſtendimus, eorundem Patrum ſententia; & manifeſtè Divinâ auctoritate firmatum eſt. Hæc ibi.

*1. Tim. 2. 4.*

5. Et poſtea eodem libro, reſpondens ad tertiam epiſtolam, col. 392. Dicit ſtatim in præfatione auctor ipſius epiſtolæ ita; De hæreſi quam quidem de prædeſtinatione iniquè condunt, &c. Prorſus eſt admonendus (inquit Eccleſia Lugdunenſis) & ad pietatis revocandus conſiderationem, ne ſub iſtorum perſonâ, quos tam facilè hęreticos vocat, ſanctos potiùs & venerabiles Patres, qui ita docuerunt & definierunt, damnare videatur.

6. Eadem Eccleſia Lugdunenſis, lib. adverſus Joannem Scotum Erigenam, col. 264. & 265. in bibl. Patr. tom. 4. part. 2. edit. 4. Quarto (inquit) capitulo ponit (Scotus) definitiones quinque, hoc ordine. Tres hæreſes; unam Pelagianorum, liberi arbitrii ſine gratia commendatione. Alteram gratię ſolius. Tertiam Gotteſchalcanam prædeſtinationibus neceſſitates etiam inferentem. ——— Secunda hæreſis, quam dicit eſſe gratiæ ſolius, quæ ſit vel fuerit in Eccleſia, quæ ita prædicaverit ſola Dei gratiâ hominem ſalvari, ut liberum hominis negaret vel deſtrueret arbitrium, nobis minimè compertum eſt. ——— Quæ eſt iſta ſecunda hæreſis tam incognita, quæ libero arbitrio denegato ſolius gratiæ ſit prædicatrix? Niſi quia (ut nobis videtur) diſputator iſte vel beatum Auguſtinum latenter quaſi hæreticum accuſat, eo quod manifeſtè, juxta veritatem ſcripturarum, ſolâ Dei gratiâ oſtendat & doceat hominem poſſe ſalvari, nec ad ipſam ſalutem ęternam aliquid humanum arbitrium poſſe, niſi per eandem gratiam fuerit reformatum, ſanatum, illuminatum ac roboratum. Aut certè eos, qui ſecundum ejus venerabilē & catholicam doctrinā

*Vide ſuprà cap. 6. §. 6.*

nunc

*Monachus Adrumetinus errori suo non addidiſſe hæreticam pertinaciam, ſed ab ipſo Auguſtino monitus errorem depoſuiſſe, oſtenſum eſt c. 8. §. 4. Error ille non abiit in hæreſin, neque invenitur habuiſſe ſequaces.*

nunc de gratia Dei ſentiunt & docent, quaſi minus illius dicta intelligentes, hæreticos vocat, videlicet quaſi ille non ita de libero arbitrio ſenſerit, nec iſti rectè ejus verba intelligant: & ideo errent ex occaſione verborum ejus, dum ea aliter intelligunt quàm ille qui ſcripſit. Hac de cauſſa nobis videtur quod calidiſſimè omninò & verſutiſſimè velut hæreſim ſolius gratiæ poſuerit, nec tamen auctorem vel ſectatores ejus ullâ ſignificatione manifeſtaverit. quod ſi ita eſt, quid aliud quam Eccleſiam noſtri temporis, ſimul cum eis qui illum ad talia inſtigant, vipereâ ſubtilitate accuſat. ——— Nec poteſt inveniri toto hoc tempore, quod fuit inter Auguſtinum & nos, aliquam talem hæreſim in Eccleſia extitiſſe, niſi quod vel ipſum, ut jam diximus, beatum Auguſtinum, vel nos qui eum ſequimur, illius erroris accuſat. Hæc ibi.

7. Deinde Gotteſchalcum etiam ab hæreſeos crimine prolixè vindicat Eccleſia Lugdunenſis, eodem libro.

8. De eiſdem quæſtionibus contra criminatores Gotteſchalci, ſub ejus perſonâ, Auguſtinum ejuſque doctrinam damnantes, celebratum eſt in Gallia Concilium Valentinum, anno Domini 855. quod Binius inconſideratè inſcripſit contra Prædeſtinatianos, cum ex ipſis Concilii decretis, & ex eorum nominibus, qui illud celebrârunt, clariſſimè conſtet defenſam eſſe in eo Concilio doctrinam eorum quos adverſarii, veluti hæreticos, iniquâ quadam ſive iracundiâ ſive vafritie, appellabant Prædeſtinatianos.

## CAPUT TRIGESIMUM.

*De comprædeſtinatione Chriſti & electorum in Chriſto.*

*Epheſ. 1. 4.5.* DEus nos elegit in Chriſto ante jactum mundi fundamentum, ut eſſemus ſancti in conſpectu ejus, in charitate, qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum, in ipſum, ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ. *Eſai. 42. 1. Eſai. 49. 7. 1. Petr. 1. 18, 19, 20.* Chriſtum Deus vocat electum ſuum, in quo ſibi complacuit anima ſua. Et dicit, ſe elegiſſe eum. Redemtos nos eſſe ait Petrus pretioſo ſanguine Chriſti, utpote agni inculpati & incontaminati; præcogniti quidem ante jactum mundi fundamentum, manifeſtati autem noviſſimis temporibus propter nos. Elegit nos in Chriſto, non quia eramus ſancti in conſpectu ejus, ſed ut eſſemus; non quia credidimus, ſed ut crederemus. ut rectè monuit Auguſtinus, ſupra, cap. 13. §. 2. Electio igitur noſtri in Chriſto præparatio eſt gratiæ & gloriæ nobis per Chriſtum conferendæ. Hæc gratiæ *2 Timoth. 1. 9. Joan. 6. 37, 39. & cap. 10. verſ. 16, 28, 29.* præparatio in Chriſto appellatur Dei propoſitum, & gratia data nobis in Chriſto ante tempora ſecularia. Dicitur etiam datio noſtri, quà nos Deus dedit Chriſto adducendos ad gratiam & gloriam. Certum autem eſſe in æterna Dei prædeſtinatione & determinatum numerum eorum hominum, quibus hæc gratia data eſt, oſtenſum eſt ſuprà, capitib. 15. & 16.

2. Prædeſtinatus eſt Chriſtus in ſponſum ſuæ comprædeſtinatæ Eccleſiæ; in caput ſui comprædeſtinati corporis; in fundamentum comprædeſtinatæ domûs; in Paſtorem comprædeſtinatarum ovium; in Redemtorem comprædeſtinatorum redimendorum; in Salvatorem comprædeſtinatorum ſalvandorum. Et electa eſt Eccleſia in Chriſto ſponſo comprædeſtinato; electum eſt corpus in electione capitis, domus in ædificanda fundamento una ſimul prædeſtinatione decernitur, redimendi in & cum Redemtore ſuo, ſalvandi in & cum Salvatore ſuo comprædeſtinati ſunt. Hanc enim comprædeſtinationem natura correlatorum indicat, & ſuperiùs adducta Scripturarum teſtimonia apertè declarant. Et Chriſtus ad hanc nos comprædeſtinationem cogitandam excitare videtur, quando dicit *Patrem dilexiſſe nos, ſicut dilexit eum; & dilectionem quâ Pater dilexit eum, eſſe in nobis.*

3. Chriſtus eſt rei decretæ, id eſt, Eccleſiæ ſalvandorum fundamentum; ſed ſola Dei liberrima *eudokia* nobis proponitur ut cauſſa impulſiva ipſius decreti: adeò ut dici poſſe videatur Chriſtum in illo comprædeſtinationis decreto eſſe fundamentum, ſeu eligi & prædeſtinari in fundamentum operis faciendi, ſed non eſſe fundamentum ipſius decreti, niſi intelligatur iſta locutio reſpectu termini, ſeu ædificii extruendi, non autem reſpectu actus volitionis, ſeu liberæ electionis.

4. Dilexit nos Deus ad vitam æternam, non ſine Chriſto, ſicut nemo ſapiens decernit ædificare domum ſine fundamento, ſed nos indignos & ſanguine noſtro fœdatos, dedit Chriſto redimendos, abluendos, & ad vitam æternam adducendos. Dilexit nos in Chriſto, eligendo nos in Chriſto, quos ſibi acceptos & amabiles faceret in illo ſuo dilecto. Ex æterna illa dilectione, ſeu electione in Chriſto, dedit in tempore pro nobis Filium ſuum, & nobis dat credere in nomen Filii Dei, & per fidem in illum habere vitam æternam. Hoc ſenſu dixit Auguſtinus, eumque ſequuti Patres Synodi Arauſicanæ ſecundæ, Tales nos amat Deus, quales futuri ſumus illius dono, non quales ſumus noſtro merito. Et alibi etiam Auguſtinus, Hæc (inquit) prædeſtinatio ſanctorum nihil aliud eſt, quàm præſcientia ſcilicet & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicunque liberantur.





# INSTRUCTIONUM HISTORICO-THEOLOGICARUM LIBER NONUS, DE SACRAMENTIS in genere; ubi de natura, & efficaciâ, & numero ſacramentorum novi Teſtamenti.

## CAPUT PRIMUM.

*Inveſtigatur natura Sacramenti. & definitur novi Teſtamenti Sacramentum propriè dictum.*

DIſſeruimus, ſuperioribus libris, de Deo, & de Filii incarnatione, item de Dei cultu, ejuſdemque gratiâ. Nunc de gratiæ ſignis illis dicere inſtituimus, quæ ſacramenta vocamus, præſertim de eis, quæ in Novo Teſtamento perpetuò manſura accepimus. Et primo quidem loco de ſacramentorum Novi Teſtamenti propriè dictorum naturâ, & efficaciâ, & numero, explicabimus, libro nono: deinde de baptiſmo, lib. 10. tum de Euchariſtia, libro 11.

2. Varro ait, lib. 4. de lingua Latina; *Sacramentum* à ſacro. qui petebat, & qui inficiabatur de rebus aliis, uterque quingentos æris ad pontem deponebant: de aliis rebus item certo alio legitimo numero aſſium. qui judicio vicerat, ſuum ſacramentum à ſacro auferebat, victi ad ærarium redibat. Hæc Varro. *Sacramentum* (inquit Feſtus) æs ſignificat quod pœnæ nomine penditur, ſive eo quis interrogatur, ſive contenditur. Id in aliis rebus quinquaginta aſſium eſt, in aliis rebus quingentorum inter eos qui judicio inter ſe contenderent. Idem etiam ait; *Sacramenti* autem nomine id æs dici cœptum eſt, quod & propter ærarii inopiam, & ſacrorum publicorum multitudinem conſumebatur id in rebus divinis. Et idem Feſtus. *Sacramentum* (inquit) dicitur, quod juriſjurandi ſacratione interpoſitâ geritur. ſic legit Paulus diaconus. In editione autem Fulvi Urſini legitur, Sacramento dicitur, quod juriſjurandi ſacratione interpoſita actum eſt. Unde quis ſacramento dicitur interrogari, quia juſjurandum interponitur. Hæc Feſtus.

3. Iſidorus Hiſpalenſis, lib. 9. Originum, cap. 3. Tria (inquit) ſunt militiæ genera: Sacramentum, evocatio, conjuratio. *Sacramentum*, in quo poſt electionem jurat unuſquiſque miles ſe non recedere à militia, niſi poſt completa ſtipendia, id eſt, militiæ tempora; & hi ſunt qui habent plenam militiam. Nam viginti-quinque annis tenentur. *Evocatio*, dum ad ſubitum bellum non ſolum milites, ſed & cæteri evocantur. Unde etiam Conſul ſolebat dicere; qui Rempublicam ſalvam eſſe vult, me ſequatur. *Conjuratio*, quæ fit tumultu, quando vicinum urbis periculum ſingulos jurare non patitur, ſed repente colligitur multitudo, & tumultuoſa in ira conflatur. Hæc & tumultuatio dicitur. Hæc Iſidorus. *Evocatio. Conjuratio.*

4. Hoc ſenſu militari accipiendum videtur vocabulum Sacramenti in illis Tertulliani verbis, Vocati ſumus [nos Chriſtiani] ad militiam Dei vivi, jam tunc cum in ſacramenti verba reſpondimus. lib. ad Martyras, cap. 3. Id alibi explicans ait; adverſus pompam diaboli, in ſignaculo fidei ejeramus. lib. de ſpectaculis, cap. 24. Et alio loco, nempe lib. de corona militis, cap. 3. Ut (inquit) à baptiſmate ingrediar: aquam adituri, ibidem, ſed & aliquanto prius in Eccleſia, ſub antiſtitis manu conteſtamur, nos renunciare diabolo, & pompæ, & angeli ejus. Hæc Tertullianus. *Tertullian.*

5. Lactantius alio ſenſu dixit; Quicunque igitur ſacramentum hominis tueri, rationemque naturæ ſuæ nititur obtinere, ipſe ſe ab humo ſuſcitet, & erectâ mente oculos ſuos tendat in Cœlum, &c. Hæc Lactantius, lib. 2. divinarum Inſtitutionum, cap. 19. *Lactantius. Sacramentum hominis.*

6. Cum autem Sacramentum à ſacro dictum invenirent, & nunc pignoribus litigantium, nunc rerum divinarum ſumtibus, nunc militiæ & juriſjurando cernerent accommodatum, & ubique ſacram quandam virtutem & excellentiam hoc vocabulo latenter inſinuari animadverterent Chriſtiani veteres, illud uſurpârunt ad ſignificandum ſacra veræ religionis myſteria; tum vetera ante Chriſti adventum tradita; tum novâ à Chriſto accepta. *Quâ occaſione moti Chriſtiani hoc vocabulum uſurpaverint ad ſignificandum ſacra myſteria religionis.*

7. Religionis autem myſterium vel reale eſt, vel etiam ſymbolicum; utrumque eis ſacramentum dictum eſt. Et rectè obſervavit Lombardus, ſacramentum dici vel ſacrum ſecretum, ut ſacramentum Divinitatis, vel ſacrum ſignum rei ſacræ. *Sacramentum dicitur vel ſacrum ſecretum, vel ſacrum ſignum vel ſacra-*

ut ſacramentum ſit ſacrum ſignatum, & ſacrum ſignans.4.ſent.diſt.1.

*Exempla, in quibus ſacramentum eſt ſacrum ſignatum, ſeu ſacrum ſignificatum.*

8. Priore ſenſu Tertullianus in Apologetico adverſus gentes, cap.47. judicium Dei, & gehennam, & Paradiſum vocat ſacramenta Chriſtianorum. Et lib. adverſus Judæos, cap. 10. ait ſacramentum paſſionis Chriſti figuratum eſſe in prædicationibus. Et ſacri textus vetus interpres τὸ μυστήριον ſæpe interpretatur ſacramentum. e.g. Ut notum faceret nobis ſacramentum voluntatis ſuæ. ad Epheſ. 1. 9.] Notum mihi factum eſt ſacramentum, quod aliis generationibus non eſt agnitum, ſicut nunc, gentes eſſe cohæredes & concorporales, &c. Epheſ.3.3.&c.] *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & Eccleſiâ*, Epheſ.5.32.] *quibus voluit notas facere divitias gloriæ ſacramenti hujus in gentibus, quod eſt Chriſtus in vobis, ſpes gloriæ.* Coloſſ. 1. 27.] *Magnum eſt pietatis ſacramentum*. 1. Tim. 3. 16.] Et Hilarius myſterium incarnationis, ſive diſpenſationem aſſumti corporis, vocat occultum ſacramentum, & confeſſionis hujus ſacramentum, lib.10.de Trinitate. Et, ſalutis noſtræ ſacramentum, lib.11. Et Ambroſius, incarnationis ſacramenta, lib.de incarnatione, cap.5.

*Sacramentum, ſignum ſacrum rei ſacræ. Signi definitio.*

9. Sacramentum poſteriore ſenſu ſumtum pro ſacro ſignante, eſt ſignum ſacrum rei ſacræ.

10. Signum (definiente Auguſtino) eſt res præter ſpeciem quam ingerit ſenſibus, aliud aliquid ex ſe faciens in cogitationem venire. ſicut veſtigio viſo, tranſiſſe animal, cujus veſtigium eſt, cogitamus. Aug. lib.2. de doctrina Chriſtianâ, cap.1. ubi etiam monet attendendum in ſignis, non quod ſunt, ſed potius quod ſigna ſunt, id eſt, quod ſignificant.

*Diviſio.*

11. Signorum alia naturalia ſunt, alia data. ait ibidem Auguſtinus. Et eorum quæ data ſunt (inquit Lombardus) quædam ſunt ſacramenta, quædam non. Omne enim ſacramentum eſt ſignum, ſed non è converſo. 4.ſent.diſt.1. Signum datum vel eſt verbum tantum; vel res tantum, quale fuit olivæ folium quod Noacho per columbam allatum eſt, & qualia ſigna ſunt manus ſiblatio, nutus, &c. vel denique ſunt res accedentibus verbis. Sacramentum non eſt ſolum verbum, nec ſola res, ſed res quæ ſignum eſt accedentibus verbis. ideo ait Auguſtinus; Accedit verbum ad elementum, & fit ſacramentum, etiam ipſum tanquam viſibile verbum. tract. 80. in Evang. Joannis. Duo ſunt (inquit Lombardus) in quibus ſacramentum conſiſtit, ſcilicet: verba & res, 4.ſent.diſt.1. verba & res ſunt de eſſentia ſacramenti novæ legis. ait Thomas, in 4.ſent.diſt.1.quæſt.3.ad 2.

12. Rerum autem quæ ſigna ſunt, accedentibus verbis, aliæ ſunt in ſimilitudinem tantummodo aſſumtæ per modum parabolæ, aut metaphoræ, ut ſeminans in parabola ſeminantis; & caput, corpus, membra corporis; item ſponſus & ſponſa; item vitis & palmites, ad ſignificandum Chriſtum & Eccleſiam & fideles in Eccleſia. aliæ adhibitæ in typum tantùm ſeu umbratile hypodeigma, vel exemplum, vel ſignificationem exemplarem, aut allegoricam: ut cerimoniæ olim Leviticæ. Hebr. 8. & 9. & 10. & puerulus quem ſtatuit Dominus in medio diſcipulorum, Matth. 18.2. & alia quædam hypodeigmata. Aliæ denique datæ in ſigilla ſpiritualis & ſaluti feræ gratiæ; quale ſigillum juſtitiæ fidei fuit olim circumciſio. Rom 4.11. ſola ſigilla talia appellantur ſacramenta propriè dicta, ſeu ſtrictè ſumta. quamvis interdum apud Eccleſiaſticos ſcriptores etiam ſimilia illa & hypodeigmata appellationem ſacramentorum ſortiantur.

*Rom.4.11. Sacramenta propriè dicta, ſive ex uſu Eccleſiaſtico ſtrictè ſumta, ſigilla ſunt juſtitiæ fidei.*

13. Tertullianus enim ſignum illud, quo per Eliſæum Prophetam in aquam injecto ferrum natavit, appellat ſacramentum ligni paſſionis Chriſti, lib. adverſus Judæos cap.ult. Et nomen *Jeſus* impoſitum filio Nun ſucceſſori Moſis, futurum ſacramentum nominis, eodem lib. cap.9. Et Hieronymus in ſua Latina verſione homil.2.Origenis in Cantica Canticorum, prope finem illius homiliæ, in illa verba *botrus Cyperi in vineis Engaddi*, ait verbum Dei vitem veram dici: & paullo poſt. qui (inquit) per ſacramentum vitis & botrum Cyperi initiati, &c. Et epiſt.ad Oceanum, de unius uxoris viro. quæ incipit; *Nunquam fili Oceane*. Latus Chriſti percutitur lanceâ, & baptiſmi atque martyrii pariter ſacramenta funduntur. Hæc Hieronymus, ſanguinem de Chriſti latere fuſum appellans ſacramentum martyrii: quia Chriſtus pro nobis paſſus eſt, relinquens nobis exemplum ὑπογραμμόν, ut ſequamur ipſius veſtigia. 1.Petr.2.21. In Petro fuiſſe Eccleſiæ ſacramentum quando claves accepit, ait Auguſtinus. tract. 50. in Evang. Joan. id eſt, (explicante ibidem Auguſtino) Petrus Eccleſiam ſanctam ſignificavit, in Petri perſona ſignificati ſunt in Eccleſia boni; quomodo in Judæ perſona ſignificati ſunt in Eccleſia mali. Idem Auguſt. lib.2.de peccatorum meritis & remiſſione, cap. 26. Eulogias ſeu panem ſanctificatum, qui dari ſolebat Catechumenis, appellat ſacramentum; quod (inquit) accipiunt, quamvis non ſit corpus Chriſti, ſanctum eſt tamen, & ſanctius quam cibi quibus alimur: quoniam ſacramentum eſt. Hæc ibi. Ambroſius lib.3.de ſacramentis, cap.1. lotionem pedum connumerat myſteriis perpetuò obſervandis. Id ipſum decernunt Patres Toletani, in Concilio Toletano 17. can.3. anno Dom.694. Auctor etiam operis quod Cypriano tribuitur, de cardinalibus Chriſti operibus, ſermone de ablutione pedum, & Bernardus ſerm. 1. in cœna Domini. ablutionem pedum vocant ſacramentum remiſſionis quotidianorum peccatorum. Et Bernardus loco citato, multa quidem ait eſſe ſacramenta, de tribus autem illi tempori congruentibus ſe dicturum, nempe, de baptiſmo, de Euchariſtia, & de lotione pedum.

14. Rurſus ſigna data vel ſunt ab hominibus inſtituta; ut eulogiæ ſeu panis ſacratus Catechumenis dari ſolitus: vel à Deo ſunt inſtituta. Item vel ſignificandi tantùm gratiâ ſunt à Deo inſtituta; vel etiam ſanctificandi: ut diſtinguit Lombardus 4.ſent.diſt.1. Illa *ſpeculativa* vocant ſcholaſtici, hæc ſunt ſigna *practica*: licet practica latius pateant: nam non omne ſignum practicum ſanctificat. Sacramenta ſunt ſigna practica, inſtituta à Deo, non ſolum ſignificandi gratiâ, ſed etiam ſanctificandi. 4.ſent diſt.1.

15. *Signum autem practicum* diſtinguit Scotus in ſignum practicum incertum vel æquivocum, quod æqualiter ſecum habet ſignatum vel oppoſitum; & ſignum practicum verax vel certum. in 4.ſent.diſt.1.qu.2.num.4. ubi ſubjungit num.5. & num. 9. ſacramentum eſſe ſignum efficax, id eſt, quo adhibito ſequitur ſignatum ordine naturæ & qu.3.num.2. ait ſacramentum eſſe ſignum practicum, certum, & efficax; non quidem certitudine demonſtrativâ, ſed certitudine ut in pluribus, id eſt, ſemper, niſi indiſpoſitio ſuſcipientis impediat. Hæc Scotus. Sacramenta novæ legis (inquit Thomas) non ſolum ſunt ſigna futurorum, ſed etiam præſentium & præteritorum, in 4.ſent.diſt.1.qu.1.ad 4.& qu.3.



*Sacramentum eſt ſignum ſenſibile & materiale.*

16. Præterea ſignum datum reale practicum, vel eſt ſenſibile & materiale; vel intelligibile & immateriale, qualia ſigna in anima & conſcientia ſæpe inveniuntur. Sacramentum eſt ſignum ſenſibile & materiale. αἰσθητὸν καὶ ὑλικὸν, Dionyſius Areop.lib.de Eccleſ.Hierarchia, cap.1.

17. Hujuſmodi ſignum rurſus vel ſignati viſibilis eſt, vel inviſibilis. Signatum inviſibile vel eſt gratia ad æternam ſalutem hominis viatoris ordinata; vel aliud aliquid. Sacramentum eſt ſignum viſibile inviſibilis gratiæ ad æternam hominis viatoris ſalutem ordinatæ. Scot. in 4.ſent. diſt.1.qu.2.num.4.& 5.& 9.

18. Gratia iſta eſt ſolius Dei effectum gratuitum. In ſacramentis ſub tegumento rerum corporalium virtus divina ſecretius operatur ſalutem: inquit Iſidorus Hiſpalenſis lib.6.Originum, cap.19. Non poteſt autem dare certitudinem alicui ſigno practico, niſi in cujus poteſtate eſt, poſſe cauſſare ſignatum illius ſigni. at ſolus Deus poteſt ſe determinare ad cauſſandum effectum ſibi proprium: ergo ſolus Deus poteſt dare certitudinem ſigno practico ſui effectûs. Sic ergo patet, quòd à Deo ſolo poteſt inſtitui ſacramentum quantum ad ſignum certum, inquit Scotus, in 4.ſent.diſt.1.quæſt.3. num. 5. Thomas etiam dicit, Chriſtum omnia Novi Teſtamenti ſacramenta inſtituiſſe per ſeipſum. 1.2. quæſt. 108. art. 2. Et ſynodus Tridentina anathema denunciat, ſi quis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuiſſe omnia à Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta. ſeſſ.7.can.1.de ſacramentis.

19. Aliam ponit conditionem Auguſtinus, epiſt.23. quam repetit Lombardus, 4.ſent.diſt.1. ut ſacramenta ſimilitudinem gerant earum rerum, quarum ſacramenta ſunt. Si enim (inquit Aug. loco citato) ſacramenta quandam ſimilitudinem earum rerum, quarum ſacramenta ſunt, non haberent, omnino ſacramenta non eſſent. Hanc ſimilitudinem explicans Thomas; Inter corporalia (inquit) & ſpiritualia non attenditur ſimilitudo per participationem ejuſdem qualitatis, ſed per proportionalitatem, quæ eſt ſimilitudo proportionatorum: ut ſicut ſe habet aqua ad delendas maculas corporales; ita gratia ad abluendum ſpirituales. Hæc Thomas in 4. ſent. diſt.1.quæſt.1.art.5.ad 3. Subjicit ibidem ad 4. repræſentationem quæ eſt ex ſimilitudine naturalis proprietatis importare aptitudinem quandam, ſed determinationem & complementum ſignificationis eſſe ex inſtitutione.

20. Omnia novæ legis ſacramenta propriè dicta tribus perfici, ait Eugenius Papa quartus cum Concilio Florentino: videlicet rebus, tanquam materia; verbis tanquam forma, & perſona miniſtri conferentis ſacramentum, cum intentione faciendi quod facit Eccleſia. quorum ſi aliquod deſit, non perficitur ſacramentum. Hæc Eugenius, approbante Concilio Florentino, quod celebratum anno Dom. 1439. Neque igitur in rebus ſine verbis, neque in ſolis verbis eſt ſacramentum propriè dictum, ut ſuperius etiam monebamus.

21. Prolixè diſputat Scotus, an ſacramentum poſſit definiri? & concludit affirmativè, poſſe ſacramentum definiri, in 4. ſent. diſt. 1. quæſt. 2. His præmiſſis, accedo jam propius ad definitionem ſacramenti propriè dicti. Auguſtinus lib. 10. de Civitate Dei, cap.5. Sacrificium (inquit) viſibile inviſibilis ſacrificii ſacramentum, id eſt, ſacrum ſignum eſt. ſed iſtam definitionem accommodat ibi ſacrificiis antiquis legalibus: ideo generalior eſt. ad ea etiam extendi poteſt quæ non ſunt propriè ſacramenta. dicuntur autem ſcholaſticis ſacramentalia. Alia ex eodem definitio ſacramenti, apud ſcholaſticos receptiſſima, citatur à Gratiano, de conſecratione diſt.2.can. Sacrificium. & à Lombardo, 4. ſent. diſt. 1. Sacramentum eſt inviſibilis gratiæ viſibilis forma. Ubi forma debet intelligi pro ſigno ſenſibili, eo modo quo imago Herculis dicitur forma Herculis: inquit Scotus in 4. ſent. diſt. 1. quæſt. 2. num. 10. Viſibile accipitur (inquit Bonaventura) pro ſenſibili ſenſu exteriori; maximè quantum ad duos ſenſus diſciplinabiles: unde viſibile comprehendit audibile: ſed magis dicitur viſibile, quàm audibile; propter hoc, quod ratio ſignandi magis reſidet penes elementum; & hoc eſt perceptibile viſu: & utrumque concurrit ad ſacramentum. Hæc Bonaventura, in 4.ſent.diſt.1. in expoſitione textus, dubio ſecundo. Ponitur autem ibi gratia inviſibilis (inquit Scotus, loco ſuperiùs citato) pro effectu Dei gratuito interiori, ordinato ad ſalutem hominis viatoris. Hæc Scotus.

*Definitio Auguſtiniana.*

*Exegeſis Bonaventuræ de viſibili ſigno. Scoti expoſitio inviſibilis gratiæ. Vide §.22.*

22. Sacramentum propriè dicitur, (inquit Lombardus) quod ita ſignum eſt gratiæ Dei, & inviſibilis gratiæ forma; ut ipſius imaginem gerat, & cauſſa exiſtat. 4.ſent.1. de qua definitione Hugo Cavellus Scoti ſcholiaſtes, adnotat in margine, magiſtrum hic non teneri. Thomas tamen in 4.ſent.diſt.1.quæſt.1.art.3. ait, iſtam Magiſtri definitionem completiſſimè rationem ſacramenti deſignare, prout nunc de ſacramentis loquimur.

*P. Lomb. definitio ſacramenti. Cavellus eam rejicit. Thomas eandem laudat.*

23. Alia definitio legitur apud Iſidorum Hiſpalenſem, lib.6. Originum, cap.19. quam Auguſtino tribuunt Thomas & Durandus, in 4. ſent. diſt. 1. quæſt. 1. Sacramentum eſt, in quo ſub tegumento rerum viſibilium virtus divina ſalutem noſtram ſecretiùs operatur. quâ definitione ſacramentum veriſſimè deſcribi, ait Durandus, juxta ea quæ tenenda ſunt de ſacramentis novæ legis.

*Iſidori definitio. Eam laudat Durandus.*

24. Hugo de ſancto Victore, lib.1. de ſacram. part.9.cap.2. circa medium, hanc dat ſacramenti definitionem; Sacramentum eſt corporale vel materiale elementum, extrinſecus oculis ſuppoſitum, ex ſimilitudine repræſentans, ex inſtitutione ſignificans, & ex ſanctificatione continens inviſibilem gratiam. Hanc ex Hugone definitionem repetunt in 4.ſent.diſt.1. Thomas, Richardus de media villa, Durandus, & Gabriel Biel. Eam explicans Biel ibidem, art. 1. notabili primo; Ad hoc, (inquit,) quod aliquid ſit ſacramentum, tria requiruntur. Primò, quod ſit res ſenſibilis habens naturalem ſimilitudinem ad gratiam, ſive effectum Dei gratuitum, quam vel quem repræſentat. 2. Quòd ſit actualiter à Deo inſtitutum. 3. Quòd ſit ſignum efficax & certum, ita quod ſemper habeat effectum ſuum, quem ſignat, infallibiliter: niſi ſit impedimentum in ſuſcipiente, per poſitionem obicis gratiæ repugnantis. Hæc Biel.

*Hugonis de S. Victore definitio ſacramenti. Tres conditiones ſacramenti, quas requirit Gabriel Biel.*

25. Idem ille Hugo de ſancto Victore, lib. 1. de cerimoniis & ſacramentis Eccleſiaſticis, cap. 12. dicit ſacramentum in tribus conſiſtere, videlicet, in factis, in dictis, in rebus. *In rebus*, ut eſt aqua. *In dictis*, ut eſt invocatio Trinitatis. *In factis*, ut eſt ſubmerſio in aquam. Idipſum docet Alexander Alenſis, part.4. quæſt. 1. membro 4. ubi iſtud affirmat de ſacramentis novæ legis,

*Sacramenta conſiſtunt in factis, in dictis, in rebus.*

gis. Ejuſdem Hugonis dictum illud à Bonaventura citatur; Omne ſacramentum irritum reputatur, ſi contra inſtitutionem celebratur. Bonav. in 4. ſent. diſt. 10. part. 2. art. 1. quæſt. 4. Sacramenta (inquit Thomas) habent efficaciam ab inſtitutione Chriſti, & ideo ſi prætermittatur aliquid eorum, quæ Chriſtus inſtituit circa aliquod ſacramentum, efficaciâ caret, niſi ex ſpeciali diſpenſatione ejus, qui virtutem ſuam ſacramentis non alligavit. Hæc Thomas, part. 3. quæſt. 66. art. 6. Sacramenta omnia (exceptâ ſola Euchariſtiâ) conſiſtere in uſu & in fieri, ita ut idem ſit ſacramentum & perceptio ſacramenti; ſicut baptiſmus, & perceptio baptiſmi: nec permanere aliquid quod ſit ſacramentum, ceſſante tali uſu vel perceptione: docent Scotus, in 4. ſent. diſt. 8. quæſt. 1. num. 5. & Gabriel Biel, ibidem, quæſt. 3. art. 1. notabili tertio. Euchariſtiam autem excipiunt à communi regulâ, ex falſa hypotheſi tranſſubſtantiationis: unde putant ibi eſſe ſacramentum permanens ante uſum; ut loquitur Scotus, loco citato. At verò in Euchariſtia non fieri tranſſubſtantiationem, prolixè, ſi Deus voluerit, demonſtrabimus libro undecimo hujus operis. Adime autem ſcholaſticis doctoribus opinionem tranſſubſtantiationis; & non inviti fatebuntur, etiam ſacramentum Euch. conſiſtere in uſu, & non eſſe ibi ſacramentum ceſſante uſu.

*Celebranda ſunt ſacramenta ſecundùm Dominicam inſtitutionem.*

*Sacramenta conſiſtunt in uſu.*

*Vide lib. 11.*

26. Sacramentum ſic definit Scotus, in 4. ſent. diſtinct. 1. quæſtione 2. numero 9. Eo (inquit) modo, quo poteſt eſſe definitio Sacramenti, hæc eſt ejus definitio, ſcilicet, ſignum ſenſibile gratiam Dei vel effectum Dei gratuitum ex inſtitutione divina efficaciter ſignificans, ordinatum ad ſalutem hominis viatoris. Hæc Scotus. Durandus in 4. ſent. diſt. 1. quæſt. 3. num. 14. ad 2. ait, imagines crucifixi, beatæ Virginis, & ſanctorum, non eſſe ſacramenta novæ legis; quia non adhibentur ex divina inſtitutione, ut medicamenta curationis ſpiritualis. Hæc ille.

*Scoti definitio Sacramenti.*

*Imagines non ſunt ſacramenta.*

27. Sacramenta, quæ à Domino noſtro clarè legimus in Novo Teſtamento inſtituta, ea omnibus adminiſtrari præcipit: & eorum contemtus eſt exitialis. Si quæ igitur ſint ſigna alicui hominum ordini peculiaria, quæ Deus inſtituit; dicantur illa quidem ſigna ſacra, atque etiam ſacramentalium, ſi libet, appellationem ſortiantur: quin & ſacramenta quodam analogico, ſive ſecundario, aut etiam latiore ſenſu ſi appelles, non pugnabo; at ſacramenta eſſe primariò & propriè, non concedo: quia ſacramentum eſt ſigillum federis communis; eſt viſibile ſignum inviſibilis gratiæ pertinentis ad ſalutem cujuslibet viatoris, ſeu illius gratiæ, quam vocant gratum facientem, quæ ſalutem adfert habenti. Omne igitur ſacramentum ſimpliciter & propriè dictum, (ſumendo ſacramentum, ut accipi hic debet, pro ſignis viſibilibus inviſibilis & ſalutiferæ gratiæ) eſt commune omnibus federatis, quos neque ætas, neque exiguus in gratia progreſſus, vel aliqua phyſica incongruitas, vel nondum peractæ pœnitentia impedit. Signis autem illis particularibus appellatio ſacramenti non primariò & principaliter convenit: ſed κατ' ἀναλογίαν, ſecundùm analogiam attributionis: quemadmodum ens de ſubſtantia primariò, de accidentibus autem minus principaliter prædicatur. Idem dicendum de ſignis illis divinitus inſtitutis, gratiam tantummodò illam quam vocant gratis datam ſignantibus, ut Prophetiam, donum miraculorum, munus ſacerdotale, &c.

*Sacramenta novi Teſtamenti communia ſunt ſigilla ſalutiferæ gratiæ.*

28. In nullum autem nomen religionis (inquit Auguſtinus) ſeu verum, ſeu falſum, coagulari homines poſſunt, niſi aliquo ſignaculorum vel Sacramentorum viſibilium conſortio colligentur: quorum ſacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimùm, & ideo contemta ſacrilegos facit. Impiè quippe contemnitur, ſine qua non poteſt perfici pietas. lib. 19. contra Fauſtum Manichæum, cap. 11. Idem etiam in explicatione tituli Pſal. 73. Sacramenta (inquit) novæ legis dant ſalutem. quod ejus dictum repetitur, & laudatur, 4. ſent. diſt. 1. Ergo, quod non dat ſalutem, ſeu cujus res ſignificata perſeveranter habita non adfert ſalutem, illud non eſt ſacramentum.

29. Catechiſmus Tridentinus, ſive Romanus, ex decreto Concilii Tridentini, & juſſu Pii quinti editus, part. 2. cap. 1. quæſt. 6. loquens de ſacramentis novæ legis in genere, ait ſacræ rei nomine ſacramentis ſignificatæ, intelligi gratiam Dei quæ nos ſanctos efficit, &c. idque divinarum rerum ſcriptores tradidiſſe. quare (inquit) ut explicatius, quid ſacramentum ſit, declaretur, docendum erit; Rem eſſe ſenſibus ſubjectam, quæ ex Dei inſtitutione, ſanctitatis & juſtitiæ tum ſignificandæ tum efficiendæ vim habet. Hæc ibi. Unde infertur ibidem, imagines ſanctorum, cruces, & alia id generis, quamvis ſacrarum rerum ſigna ſint, non ideo tamen ſacramenta dicenda eſſe. Præterea omnibus novæ legis ſacramentis propriè dictis hoc dicit eſſe commune, ut non ſolùm ſanctitatem & juſtitiam noſtram ſignificent, ſed etiam Chriſti Redemtoris paſſionem, quæ ſanctitatis cauſſa eſt, & vitam æternam, ad quam ſanctitas noſtra tanquam ad finem referri debet. Hæc Catechiſmus Trident. loco citato. Unde liquet, ipſos etiam Papiſtas agnoſcere gratiam illam, quæ ſacramentis Novi Teſtamenti ſignatur eſſe gratiam juſtitiæ & ſanctitatis, omnibus verè fidelibus communem.

30. Cùm igitur de eſſentia Sacramenti propriè dicti ſit ſignum eſſe illius gratiæ, inde evidenter conſequitur, ſigna illa quæ ſignificant gratiam tantummodo, quam vocant gratis datam, id eſt, donum aliquod ſpirituale ſeparabile à charitate (quales ſunt illæ gratiarum diviſiones, ſermo ſcientiæ, gratia ſanationum, operatio virtutum, Prophetia & ſimilia) non eſſe ſacramenta propriè dicta.

31. Adhæc, cum ſacramenta federi Dei appenſa ſint, ut eſſent perpetua in Eccleſia pignora nobis gratiæ & ſalutis; & profeſſionis Chriſtianæ uſque ad Domini noſtri reditum externa quædam coagula: Duratio ſacramentorum extenditur uſque ad finem mundi: ſicut rectè ait Alexander Alenſis, loquens de ſacramentis Novi Teſtamenti, in ſua Summa, part. 4. quæſt. 1. memb. 6. art. 2. Hinc patet, ſigna particularia, & ad ſpecialem aliquam ſignificationem vel inſtructionem pro tempore adhibita, nec ut in Eccleſia adminiſtratione perpetuâ durarent data & imperata; hujuſmodi, inquam, ſigna non eſſe ſacramentis propriè dictis accenſenda: qualia ſigna fuerunt, columba illa ſuper Chriſtum baptizatum demiſſa, & ſputum Chriſti, quo tetigit linguam illius quem ſanavit, Marc. 7. 33. & halitus Chriſti in diſcipulos, Joan. 20. 22. & linguæ igneæ, quæ Apoſtolis inſederunt, Act. 2. 3. Item, lotio pedum diſcipulorum à Chriſto facta, Joan. 13. 5. Nam etiamſi imitatio moralis ibi præcipiatur in perpetuum, loquutione metaphoricâ, non tamen ſignum illud inſtituitur in ſacramentum propriè



propriè dictum: ſed tantummodo illo facto Chriſtus dedit illis ὑπόδειγμα exemplum humilitatis & mutuæ caritatis, quod imitarentur erga ſe mutuò; ut patet ex ſacro contextu. Nullum autem officium mutuum, omnibus Chriſti diſcipulis ex æquo injunctum, dici poteſt propriè ſacramentum. Nam ſacramentorum Novi Teſtamenti adminiſtratio non eſt omnibus Chriſtianis ex æquo demandata, ut agnoſcit Eugenius in Concilio Florentino, in decreto ſuper unione Jacobinorum & Armeniorum. Sic neque ſacramentum fuit puerulus ille, quem in exemplum humilitatis ſtatuit Dominus in medio diſcipulorum, Matth. 18. 2.

32. Ut igitur ſignum aliquod ſit propriè ſacramentum novi Teſtamenti, oportet ſit ſignum gratiæ ſalvificæ, ſive juſtitiæ & ſanctificationis noſtræ per Jeſum Chriſtum, qui ſuâ morte nos redemit ad æternam vitam: item neceſſe eſt ſit commune ſignum omnibus federatis: debet etiam eſſe perpetui uſus in Eccleſia. Neceſſarium etiam ut illud Deus per Chriſtum inſtituerit, id quod etiam monet Catechiſmus Romanus, part. 2. cap. 1. quæſt. 14. Sacramentum (inquit Joannes Major) à puro homine inſtitui non poteſt ad hoc ut ſuam efficaciam habeat. Hæc Major in 4. ſent. diſt. 1. qu. 2. Et ut ſit ſignum reale, corporale, viſibile, accedentibus verbis; non autem ſola res, aut ſola verba: ut ſuperius docuimus ex Auguſtino, Dionyſio, Hugone, Lombardo, Bonaventura, Thomâ, & Concilio Florentino. idcirco ſacramenta Auguſtinus dixit eſſe quaſi verba viſibilia: quid enim (inquit) ſunt aliud quæque corporalia ſacramenta, niſi quædam quaſi verba viſibilia? lib. 19. contra Fauſtum, capite 16.

33. Omnia quidem ſigna ad oculorum ſenſum pertinentia, quibus inter ſe homines ſua ſenſa communicant, ſunt quaſi quædam verba viſibilia; eodem monente Auguſtino, lib. 2. de doctrina Chriſtiana, cap. 3. ſed non omne ſignum corporale viſibile ad ſenſum oculorum pertinens, eſt ſacramentum; quamvis omne ſacramentum ſit ſignum corporale viſibile, ad oculorum ſenſum pertinens, quoad elementum ſeu rem vel partem illam, quæ Eugenio & Florentinis tanquam materia eſt, & contradiſtinguitur à verbis quaſi formam conſtituentibus: ſicut in hoc negotio res & verba, viſibile & audibile ſunt ἀχώριστα ἀλλήλων. Nec ſufficit ſignum audibile ſine viſibili, inquit Bonaventura, in 4. ſent. diſt. 24. part. 2. art. 1. qu. 4. in Reſolutione. Et hæc duo ſunt eſſentialia, & intrinſeca ſacramento, & perficientia ſacramentum. ait idem Bonaventura, ibidem. Unde liquidò patet, Gabrielem in 4. ſent. diſt. 1. qu. 1. notab. 1. elementum in deſcriptione ſacramenti perperam interpretari, etiam de ſolis verbis contrahentium matrimonium, conſenſum eorum exprimentibus. Neque feliciorem eſſe illam fugam Joannis Majoris, in 4. ſentent. diſt. 26. reſtringentis dictum illud, de acceſſione verbi ad elementum ut fiat ſacramentum, ad ſacramentum baptiſmi. Nam etiamſi loquatur Auguſt. eo loco, de ſacramento baptiſmi, attamen naturam ejus explicat per rationem & regulam communem omnibus ſacramentis propriè dictis; ſicut ingenuè agnoverunt antiquiores ſcholaſtici, cum Hugone de S. Victore. Et verba illa Lombardi, quibus ait, duo eſſe, in quibus ſacramentum conſiſtit, ſcilicet verba & rem: Verba, ut invocationem Trinitatis; rem, ut aquam, oleum, & hujuſmodi, 4. ſent. diſt. 1. verba (inquam) illa exponens Bonaventura, ait, rem hic arctari ad viſibilia. Sacramentum (inquit Hugo loco ſupra allato) eſt materiale elementum extrinſecus oculis ſuppoſitum. Quæ ipſiſſima ex Hugone verba repetunt Thomas & Durandus, in 4. ſent. diſt. 1. ubi Thomas ait, qu. 1. art. 4. materiale elementum exterius oculis ſuppoſitum, idem eſſe, quod inviſibilis gratiæ viſibilis forma: & ſic concordare definitiones ab Hugone & à Magiſtro ſententiarum poſitas.

*Vide ſupra, c. 1. §. 13.*

34. Idem Thomas, ibidem, in expoſitione textus magiſtralis, ait, In ſacramentis accedit verbum ad elementum, & fit ſacramentum; ut ſic ſit conformitas ſacramenti ad Verbum incarnatum: ſanctificatur enim creatura ſenſibilis per verbum Dei & orationem. 1. Tim. 4. Hæc ibi Thomas. Idem etiam in eandem diſtinctionem, qu. 3. in corpore reſponſionis, dicendum (inquit) quòd hoc commune in omnibus ſacramentis, quod conſiſtant in rebus ſenſibilibus, inviſibilem gratiam ſignantibus. Sed hoc eſt ſpeciale in ſacramentis novæ legis, quod rebus verba addantur: propter tres rationes; Prima eſt, quia hæc ſacramenta non ſolùm ſignant opus redemtionis, quæ per Chriſtum eſt facta, ſicut alia ſacramenta; ſed etiam ab ipſa Chriſti paſſione fluxerunt, & ideo ſicut effectus proximi habent ſuæ cauſſæ imaginem quantum poſſunt; ut ſcilicet ex rebus & verbis conſiſtant, ſicut Chriſtus ex Verbo & carne. Hæc ibi. Et paulò pòſt, ad ſecundum, verba autem & res ſunt de eſſentia ſacramenti. Hactenus Thomas. Qui igitur elementum viſibile ſeu rem ſenſibilem, à verbis diverſam, demit ſacramento, ille veræ carnis in Chriſto negationi, & eſſentiæ ſacramenti ſubverſioni, quamvis forſitan imprudens, ſuppeditat aliquod patrocinium. De verborum etiam neceſſitate Catechiſmus Romanus ait; Sacramenta novæ legis formam verborum ita præſcriptam habere, ut ſi fortè ab ea diſcedatur, ſacramenti ratio conſtare non poſſit. part. 2. cap. 1. qu. 9. ſic antea Eugenius Papa in Concilio Florentino. Debet etiam eſſe ſignum practicum, certum, & efficax.

*Conformitas ſacramenti ad Verbum incarnatum.*

35. Porrò meminiſſe oportet, omnem gratiæ plenitudinem in Chriſto eſſe repoſitam, nec niſi ex ejus plenitudine nos gratiam haurire; ideòque, ut gratiam ſalvificam conſequamur, neceſſe eſſe ut Chriſtum habeamus, quem Deus nobis in verbo & ſacramentis offert & confert; in quo gratiam & ſalutem adipiſcimur. Sacramenta Eccleſiæ (inquit Thomas) ſpecialiter habent virtutem ex paſſione Chriſti, 3. part. qu. 62. art. 5. Quando igitur ſacramentum dicitur ſignum gratiæ, hoc ita intelligere debemus, ut primò ducamur ad Chriſtum, & in Chriſto gratiam percipiamus; Eſt igitur ſacramentum ſignum Chriſti pro nobis traditi, & ſigillum gratiæ per Chriſtum nobis acquiſitæ & donatæ. Et dicitur efficax ſignum; quia eſt inſtrumentum à Deo inſtitutum, per cujus rectum uſum, revera accipimus Chriſtum, ejuſque dona gratiæ, ex pacto & operatione promittentis Dei.

*Per ſacramenta accipitur Chriſtus, & in ipſo gratia.*

*Sacramentum eſt ſignum Chriſti, & ſigillum gratiæ ejus.*

36. Hinc quodammodo definiri, vel deſcribi, poterit Novi Teſtamenti ſacramentum propriè dictum; *Sacramentum eſt, à Domino noſtro Ieſu Chriſto inſtitutum reale, accedentibus verbis, & legitimo uſu, & corporale ac viſibile practicum certum & efficax ſignum ſpiritualis & inviſibilis gratiæ, ſive effectûs Dei gratuiti, in Chriſto*

*Definitio ſacramentorum Novi Teſtamenti propriè dictorum.*

*& per Chriſtum, homini viatori (eam gratiam habenti & perſeveranter poſſidenti) ſalutem æternam ex Dei fœdere adferentis: fœderis divini ſigillum, & religionis noſtræ coagulum perpetuum: omnibus fœderatis (quos nec ætas, nec exiguus in gratia progreſſus, nec pœnitentia nondum peracta conſideratio, neque aliquis obex naturali, neque abſoluta impoſſibilitas impedit) neceſſariò præcepti videlicet neceſſitate, & ritè, ſecundum inſtitutionem, ſuſcipiendum, adminiſtrante miniſtro idoneo.*

37. Hanc definitionem ſive deſcriptionem (ex fundamentis ſuperiùs poſitis collectam) attribuimus ſacramento novi Teſtamenti; non quaſi ea ſacramentis Veteris Teſtamenti propriè dictis applicari non poſſet, ſed quia quæſtiones quas præ manibus habemus, inprimis poſtulant definitionem ſacramenti Novi Teſtamenti. Ut cui non conveniat iſta definitio, illud ſciamus non eſſe ſacramentum novi Teſtamenti propriè dictum. Quod autem Latini *ſacramentum* vocant, id Græcis *μυστήριον*, item *τελετὴ* nuncupatur.

De ſacramento & de re, vide infra, lib. 11. cap. 3.

## CAPUT SECUNDUM.

### *De efficacia Sacramentorum.*

*Vide lib. 10. cap. 5. §. 30. & ſeq.*

*Act. 2. 38.*

SAcramenta eſſe ex Dei inſtitutione efficacia conferendæ gratiæ organa Spiritûs Sancti, nos docent teſtimonia illa ſacrarum literarum; *Baptizetur unuſquiſque veſtrûm in nomine Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum.* Actor. 2. 38. *Quicunque baptizati ſumus in Chriſtum Ieſum, in mortem ejus baptizati ſumus. Conſepulti ſumus igitur ei per baptiſmum, in mortem*, &c. Rom. 6. 3, 4. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea. Vt eam ſanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo.* Epheſ. 5. 25, 26. *Conſepulti cum eo in baptiſmo, in quo etiam cum eo reſurrexiſtis per fidem operationis Dei, qui ſuſcitavit eum ex mortuis. Vosque mortuos in peccatis & præputio carnis veſtræ, cum eo vivificavit, condonatis vobis omnibus peccatis.* Coloſſ. 2. 12, 13. *Cui & nos antitypum nunc ſalvos facit baptiſma (non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum) per reſurrectionem Ieſu Chriſti.* 1. Petr. 3. 21.

*Rom. 6. 3, 4. — Epheſ. 5. 25, 26. — Coloſſ. 2. 12, 13. — 1. Petr. 3. 21.*

2. Certum eſt etiam eos qui indignè ſacramenta ſuſcipiunt, ſuſcipere ea in ſuam perniciem, non in ſalutem; niſi poſtea amotâ per pœnitentiam & veniam illa indignitate, proſit ad ſalutem quod antea non ſalubriter habebatur, ut prolixè (ſi Deus voluerit) docebimus, cum Auguſtino, libro ſequente, in diſſertatione de integritate baptiſmi: ubi oſtendetur, eos, qui in hæreſi aut hypocriſi baptiſmum accipiunt, accipere ſacramenti veritatem, ſed non ſacramenti virtutem. Virtus ſacramenti Auguſtino eſt gratia, in Pſal. 77. paulo poſt initium expoſitionis illius Pſalmi, qui in Hebræo eſt 78. & Fulgentio virtus ſacramenti eſt ſalus, lib. de fide ad Petrum. c. 3. qui liber tribui ſolet Auguſtino. Citantur hæc de re verba ex eo libro ſub nomine Auguſtini, à Lombardo, 4. ſent. diſt. 5. ubi etiam Iſidoro dicitur gratia baptiſmi. & alibi Auguſtino, effectus vel uſus ſacramenti, lib. 6. de baptiſmo, capite 1. alibi autem ſanctam vim tribuit ſacramentis, lib. 1. de baptiſmo, cap. 12. quam etiam virtutem vocat, tract. 80. in Euang. Joannis. ubi ait; unde iſta tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo? non quia dicitur, ſed quia creditur: Id quod alibi, nempe tractatu ſexto in epiſtolam Johannis, clarius explicans, Aliud eſt ergo (inquit) aqua ſacramenti; aliud aqua quæ ſignificat Spiritum Dei. Aqua ſacramenti viſibilis eſt; aqua Spiritus inviſibilis eſt: Iſta abluit corpus, & ſignificat quod fit in anima; per illum Spiritum ipſa anima mundatur & ſignatur. Hæc Auguſtinus. Qui etiam alibi, hoc ſenſu, dixit ſacramenta dare ſalutem. ut monuimus ſuprà, capitis primi paragrapho vigeſimo ſeptimo.

*Diſtinctio Virtus ſacramenti.*

3. Scholaſtici quærunt, utrùm ſit in ſacramentis ſupernaturalis aliqua virtus cauſativa gratiæ, & an ſacramenta contineant gratiam?

4. Conſentiunt omnes, gratiam eſſe quandam participationem ſeu participatam ſimilitudinem divinæ naturæ, ideóque impoſſibile eſſe, ut aliqua creatura ſit cauſa productiva gratiæ; quia nulla res poteſt agere ultra ſuam ſpeciem, & ſemper oportet cauſam eſſe effectu potiorem: ut loquitur Thomas prima ſecundæ quæſt. 112. art. 1. Conſentiunt etiam ſacramenta aliquo modo dici poſſe cauſas gratiæ inſtrumentales: & continere gratiam. Et hoc, cum Lombardo, agnoſcunt diſcrimen inter alia ſigna, quæ ſignificandi gratiâ tantùm inſtituta ſunt, & ſacramenta; quod hæc etiam ſanctificandi gratia inſtituta ſint, & ſacramentum propriè dicatur, quod ita ſignum eſt gratiæ Dei, & inviſibilis gratiæ forma, ut ipſius imaginem gerat, & cauſa exiſtat. 4. ſent. diſt. 1.

5. Sed de modo & vero ſenſu quo intelligendum eſt, ſacramentum continere gratiam, & eſſe inſtrumentalem cauſam gratiæ, inter ſe diſſentiunt. Hugo de S. Victore lib. de ſacramentis parte 9. cap. 1. in ſua definitione ſacramenti, ait, Sacramentum ex ſanctificatione continere aliquam inviſibilem & ſpiritualem gratiam. Hanc definitionem explicans Gabriel Biel, in 4. ſent. diſt. 1. quæſt. 1. Notabili primo, dicit, Sacramentum eſſe ſignum efficax & certum, ita quod ſemper habeat effectum ſuum quem ſignat, infallibiliter: niſi ſit impedimentum in ſuſcipiente, per poſitionem obicis gratiæ repugnantis. Idem etiam Hugo, eadem parte, cap. 4. dicit ſacramentum vas eſſe continens gratiam, ſicut vas ſervat medicinam. Quod dictum molliens Bonaventura, in 4. ſent. diſt. 1. art. 1. qu. 3. in Reſolutione. Sed tamen (inquit) ſicut oſtenſum eſt per plures rationes, non eſt aliquo modo dicendum quod gratia contineatur in ipſis ſacramentis eſſentialiter, tanquam aqua in vaſe, vel medicina in pyxide: imò hoc intelligere eſt erroneum. Sed dicuntur continere gratiam, quia ipſam ſignificant: & quia, niſi ibi ſit defectus ex parte ſuſcipientis, in ipſis gratia ſemper confertur: ita intelligendo, quod gratia ſit in anima, non in ſignis viſibilibus. Hæc ille.

6. Controverſia eſt de virtute illa inſtrumentali in ſacramentis cauſativâ gratiæ, adeóque an per aliquam virtutem creatam inſiſtentem ſive inhærentem in ipſo ſacramento, ut per cauſam inſtrumentalem diſpoſitivam conferatur ſuſcipienti gratia; an verò per ſolam increatam Dei virtutem ordinationi ſuæ ex pactione aſſiſtentem, anima ſuſcipientis ſacramentum, immediatè ex ipſo gratiæ æterno fonte Deo gratiam hauriat, in recto uſu ſacramenti. Hanc cum poſteriore loco poſuimus, antiquiorem fuiſſe ſententiam, ait Durandus in 4. ſent. diſt. 1. qu. 4. §. 12. & 19. Alteram ſententiam tuetur Thomas, in 4. ſent. diſt. 1. qu. 4. & in Summa 3. part. qu. 62. Cujus ſententiæ hæc ſumma eſt: 1. Effectum hic geminum eſt, videlicet, gratia, & diſpoſitio ſeu ornatus quidam in anima, ad ſuſceptionem gratiæ. 2. Cauſa vel eſt principalis, vel inſtrumentalis: item vel eſt productiva, vel diſpoſitiva. 3. Gratiam ipſam ſolus Deus immediatè producit in anima, nec ad eſſentiam gratiæ producendam pertingunt ſacramenta inſtrumentaliter. 4. Inhæret in ſacramentis virtus quædam inſtrumentalis, per quam pertingunt effectivè ad productionem diſpoſitionis illius ſive ornatus, & diſpoſitivè ad inductionem & ſuſceptionem gratiæ, in quantum hoc, ad quod inſtrumentaliter effectivè pertingunt, eſt diſpoſitio, qua poſitâ neceſſe eſt induci gratiam, niſi ſit impedimentum ex parte recipientis.

7. At oppoſitam ſententiam tenuit olim Bernardus in ſermone, in Cœna Domini, de baptiſmo, &c. & alii magiſtri, ut monet Bonaventura, in 4. ſent. diſt. 1. art. 1. quæſt. 4. ubi ſummam ejus proponens, ait, ſecundùm hanc ſententiam, ſacramenta dici habere virtutem, & eſſe inſtrumenta gratiæ, eamque efficere, propter aſſiſtentiam divinæ virtutis. Adeò ut virtus in ipſis ſacramentis non ſit aliqua virtus propriè dicta, ſeu quidquam abſolutum, ſed latè ſumto nomine virtutis ſit ad aliquid, ſeu relatio, nempe efficax ordinatio divina, quâ ordinatur eorum ſuſceptio ad conſecutionem gratiæ: ſacramenta enim eſſe talia ſigna à Deo inſtituta, ut qui ea debito modo ſuſceperit, habeat gratiam per ea ſignificatam. Et hanc efficacem ordinationem eſſe virtutem ſacramenti: & hinc dici de ſacramento, quod diſponat hominem, quod ſit cauſa gratiæ, quod efficiat gratiam, lato quodam ſignificatu.

8. Quamvis autem liberum lectori judicium relinquat ibi Bonaventura, haud obſcurè tamen huic potius ſententiæ eum favere, quæ ſolam adſiſtentem virtutem admittit, ex eo patet, quod concludat, huic poſitioni pietatem fidei non repugnare, & rationem conſentire, & hanc eſſe ad ſuſtinendum faciliorem, & ſecundum hanc viam omnia quæſita clariſſimè patere. De altera autem opinione, ponente in ſacramentis virtutem aſſiſtentem cauſativam gratiæ, ait, valde difficile eſſe intelligere, qualiter illa virtus detur ſicut qualitas abſoluta: difficilius, quando detur. Difficile etiam eſſe intelligere cui detur, verbo ſcilicet, an elemento, quæ ſunt duo nihil unum facientia. Difficile etiam eſſe ſcire, quamdiu duret. Valde etiam difficile eſſe intelligere, quomodo inſluat. Difficile etiam, cujus naturæ ſit in ſe ipſa: & multa talia. Hinc colligit, oppoſitæ poſitioni, de ſola aſſiſtente virtute divina, ſatis faciliter rationem concordare. Eandem etiam pietati fidei non repugnare, ſic docet, Cavendum eſt (inquit) ne, dum nimis damus corporalibus ſignis ad laudem, ſubtrahamus honorem gratiæ curandi, & animæ ſuſcipienti. Hæc autem opinio non nimis dat, neque ſubtrahit aliquid honoris debiti. Sicut igitur literæ regiæ annulo regis ſigillatæ, magnæ ſunt dignitatis, & virtutis, & valoris; & magna dicuntur & poſſe & facere, tamen in eis nulla virtus eſt abſoluta, ſed ſola ordinatio per aſſiſtentiam virtutis regiæ: ſic intelligendum in ſacramentis. Et ſic loquuntur ſanctorum auctoritates, ſecundùm communem uſum. Hæc Bonaventura.

9. Hanc ſententiam fuſius explicant & prolixè confirmant, illamque Thomæ opinionem ex profeſſo multis argumentis refellunt Scotus in 4. ſent. diſt. 1. quæſt. 4. & quæſt. 5. & Durandus ibidem, quæſt. 4. quos ſequitur Gabriel Biel ibidem, quæſt. 1. & alii. Reſpondetur, (ait alibi Biel) ſicut generaliter reſponſum eſt de ſacramentis, diſt. 1. qu. 1. quod in verbis nulla eſt virtus ſupernaturalis inſiſtens; ſed eſt virtus divina aſſiſtens, quæ operatur effectum ad prolationem verborum ſuper materia debita. Hæc ille, in 4. ſent. diſt. 10. quæſtione unicâ, art. 3. dubio 4. §. 8. Sed hic reſpondetur.

*Eandem ſententiam tuentur Scotus & Durandus & Biel,*

10. Bernardus ait, ſermone illo in cœna Domini, de baptiſmo, &c. Sicut canonicus inveſtitur per librum; Abbas per baculum; Epiſcopus per baculum & annulum ſimul; ſicut, inquam, in hujuſmodi rebus eſt, ita & diviſiones gratiarum diverſis ſunt traditæ ſacramentis. Quæ eſt gratia, unde per baptiſmum inveſtimur? &c.

*& Bernardus.*

11. Reſpondet Thomas, hanc à Bernardo inter ſacramenta & res illas ſimilitudinem inſtitutam eſſe tantummodo, quantum ad ſignificationem: ſed ſacramenta inſuper eſſe cauſas. in 4. ſent. diſt. 1. quæſt. 4. art. 1. ad primum. Huic reſiſtens Durandus, ibidem, qu. 4. §. 10. Nec fit ibi (inquit) comparatio ſolum quantum ad ſignificationem, ut quidam dicunt, ſed quantum ad omnem habitudinem, quam habent ſacramenta reſpectu gratiæ: ut patet diligenter intuenti verba beati Bernardi in illo ſermone. Hæc Durandus. Quem in hac defenſione facilè turbuntur ipſa Bernardi verba, quæ brevitatis ſtudio adſcribere ceſſo.

*Thomæ reſponſio de ſenſu verborum Bernardi.*

*Durandi oppoſita expoſitio & opinio.*

12. Meminiſſe oportet, controverſiam hanc eſſe de virtute ſupernaturali creatâ inhærente in ipſis ſacramentis, & diſpoſitionem quandam in anima producente abſque ſenſuum aut rationis miniſterio: quam meritò negant memorati doctores. Non autem litem eſſe de virtute ſeu efficacia objectivâ, quâ ſacramenta tanquam verba viſibilia ſignificationem illam, quam *κατ' ἐκκλησίαν* ex inſtitutione divina acceperunt, ingerunt ſenſibus, & per rerum ſignificatarum ſpecies in ſenſu conceptas penetrant ad intellectum, ipſamque viâ illa ordinariâ afficiunt voluntatem. Quam operationem ſacramenta exercent erga ſolos adultos, ſenſuum & rationis uſum habentes, & verbo audibili prius de inſtitutione edoctos.

*De qua virtute ſit hæc controverſia.*

*Non de virtute objectiva.*

13. Eſt autem alia operatio altior, ſecretior, & planè divina, quâ virtus Dei aſſiſtens ordinationi ſuæ operatur in cordibus hominum: idque bifariam: nempe, vel aperiendo cor ad intelligendum & amplectendum ea beneficia, quæ doctrinali illâ methodo offeruntur: vel gratiam conferendo etiam abſque concurſu miniſterii ſenſuum & perceptionis doctrinæ alicujus extrinſecus adhibitæ; quam operationem exercet erga parvulos, eis imprimens ſigillum fœderis, & rem etiam ſigno illo ſignificatam ex fœdere donans. Chriſtus dat ſui Spiritûs (inquit Auguſtinus) occultiſſimam fidelibus gratiam; quam latenter infundit & parvulis. Hæc Auguſtinus,

*Sed de altiore quadam virtute.*

*Spiritus Sancti gratia infunditur parvulis.*

nis,lib. 1. de peccatorum meritis, & remiſſione, cap.9.

*Non ſunt efficacia ſacramenta ex ſolo opere operato.*

14. Cogitandum etiam, fœdus Dei ad ſolos fœderatos pertinere vigore fœderis; ideòque non conferri in uſu ſacramenti ſignificatam gratiam ex ſolo opere operato, ſed neceſſariam eſſe in adultis fidem propriam, & in infantibus quod in fœdere nati ſint. Non ponimus limites immenſæ Dei indulgentiæ, quam extendit quocunque vult; ſed loquimur de ordinaria viâ nobis in fœdere revelatâ. Dixit Dominus Abrahamo, ſe fore ejus Deum & ſeminis ejus; & fœderis hujus ſigillum dedit circumciſionem: cui ſucceſſit baptiſmus: de quo ait Dominus, *qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Nuſquam autem invenitur ſcriptum, quod ſolum baptiſmi opus operatum ſalvet hominem. Ac ſi conditio fœderalis in ſuſcipiente non requireretur. Ideo, quod dixit Auguſtinus, parvulum, etiamſi fidem non habeat in cogitatione, quia tamen ei obicem contrariæ cogitationis non opponit, percipere ſalubriter ſacramentum, epiſt. 23. Indeque illud in ſcholis pervulgatum, quod ſacramentum ſemper habeat effectum ſuum quem ſignat, infallibiliter, niſi ſit impedimentum in ſuſcipiente, per poſitionem obicis gratiæ repugnantis; ita ſuſcipiendum eſt, ut fœderis ratio non negligatur. Non enim ulterius ordinariè porrigitur vis ſacramenti, quàm porrigitur fœdus, cujus ſigillum eſt ſacramentum. Nos igitur idem de efficacia ſacramentorum affirmamus, niſi obex impediat. At obicem ſtatuimus non ſolum poſitivum, ſcupravæ diſpoſitionis, qualis reperitur in adultis; ſed etiam privativum, ſive indiſpoſitionis, qui eſt abſentia ſeu carentia diſpoſitionis vel conditionis debitæ & fœdere requiſitæ: cujuſmodi obex tum in adultis non credentibus, tum etiam in parvulis à fœdere extraneis reperitur. Præterea qui finaliter fœdus deſerunt, ii ſuo vitio inutile ſibi reddunt ſacramentum, ſicuti clarius & prolixius docebimus, lib. 10. cap. 16.

*Gen.17.7. Coloſ.2.11,12. Marc.16.16.*

## CAPUT TERTIUM.

### *Doctrinæ Romanenſium, de ſeptem Novi Teſtamenti ſacramentis propriè dictis, novitas & vanitas.*

SEptem Sacramenta Novi Teſtamenti primus (quantum invenire potui) numeravit Hugo de ſancto Victore, in ſuo opere de cerimoniis, ſacramentis, officiis, & obſervationibus Eccleſiaſticis, lib. 1. cap. 12. Floruit hic Hugo anno Dominicæ incarnationis 1130. cum quo conſentit Petrus Lombardus. Jam (inquiens) ad ſacramenta novæ legis accedamus; quæ ſunt Baptiſmus, Confirmatio, Panis benedictio, id eſt, Euchariſtia, Pœnitentia, Unctio extrema, Ordo, Conjugium. lib. 4. ſent. diſt. 2. Floruit Lombardus anno Domini 1140. Hos ſequuti ſunt, anno Dom. 1230. Lucas Epiſcopus Tudenſis, in ſuo opere de altera vita, lib. 2. cap. 1. Et anno Dom. 1240. Edmundus Archiepiſcopus Cantuarienſis, in ſuo ſpeculo Eccleſiæ, cap. 14. & eodem ſeculo Vincentius Epiſcopus Bellouacenſis, in ſuo ſpeculo hiſtoriali, lib. 8. cap. 18. & Alexander Alenſis, in ſua Summa Theologiæ, part. 4. quæſt. 5. membro 7. art. 2. & qu. 9. memb. 2. art. 1. §. 1. in Reſolutione. Deinde Thomas, & alii ſcholaſtici.

*Tredecim ſacramenta.*

2. Scotus autem diviſionem illam ſacramenti in ſeptem, dicit non eſſe in ſpecies ſpecialiſſimas: Ordinem enim ulterius dividi in quædam ſpecialia contenta ſub ipſo, adeò ut in ſpeciebus ſpecialiſſimis ſint in Eccleſia tredecim ſacramenta. Hæc doctrina eſt Scoti, in 4. ſent. diſt. 24. quæſtione unicâ, num. 1. & 10. & 11.

3. Septenarium ſacramentorum numerum, Synodali auctoritate confirmavit Eugenius Papa Romanus, hujus nominis quartus, in Concilio Florentino, in decreto ſuper unione Armeniorum, anno Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo nono. Eccleſiaſticorum (inquit) ſacramentorum veritatem, pro ipſorum Armeniorum tam præſentium quam futurorum faciliori doctrinâ, ſub hac breviſſima redigimus formulâ. Novæ legis ſeptem ſunt ſacramenta, videlicet; Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, extrema unctio, ordo, & Matrimonium. Hæc ibi Eugenius, qui etiam ibidem de ſingulis illis ſeptem ſeorſum diſſerit.

4. At nondum declaratum eſt, omnia hæc ſeptem eſſe verè & propriè ſacramenta novæ legis nec eſſe plura, vel pauciora. Iſtud demum in Concilio Tridentino definitum eſt, anno Dom. milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſeptimo. Seſſione ſeptimâ, canone primo, de ſacramentis. Cujus canonis hæc ſunt verba: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuiſſe omnia à Jeſu Chriſto, Domino noſtro inſtituta, aut eſſe plura, vel pauciora quàm ſeptem videlicet, Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, extremam unctionem, Ordinem & Matrimonium; aut etiam aliquod horum ſeptem non eſſe verè, & propriè ſacramentum; anathema ſit.* Hactenus verba canonis illius Tridentini.

5. Temerarium eſſe atque injuſtum iſtud judicium, his demonſtrabitur argumentis: 1. Hoc quia de Scripturis non habet auctoritatem, eâdem facilitate contemnitur, quâ probatur; ut loquitur Hieronymus. Comment. in capite 23. Matthæi. 2. Tridentinus iſte canon repugnat doctrinæ veteris Eccleſię, neque audiri cœpta eſt ante ſeculum duodecimum, quo vixerunt Hugo de S. Victore, & Petrus Lombardus. Certè adhoc prorſus incognitam fuiſſe iſtam doctrinam ſeculo nono, patet ex Rabani Mauri libro primo, de inſtitutione clericorum, capite vigeſimo quarto; & initio capitis 31. & initio capitis 32. Expertus eſt Bellarminus, ſi quid poſſet auxilii arceſſere ex Scripturis & Patribus, in ſubſidium iſtius canonis. lib. de effectu & numero ſacramentorum, capite vigeſimo quarto, ſed irrito conatu ut mox, Deo donante, palàm faciam. 3. Neque in conſenſu ſcholaſticorum, qui poſt Petrum Lombardum vixerunt, neque in doctrina Eugenii Papæ in Concilio Florentino, manifeſtum invenitur pro iſto canone patrocinium: ſicut inferius patebit. Quamvis ſi ſuppeteret, (quod tamen non ſuppetere oſtendemus) non eſſent abſque Scripturis, & diſſentiente etiam catholica antiquitate, pondus habitura apud cordatos Chriſtianos, ea quæ à Scholaſticis, & ab Eugenio dicerentur. 4. Denique uno aliquo ex ſeptem illis ademto, id quod factu facile eſt, canon ille Tridentinus ruit. Plura autem ex eis ſeptem non eſſe verè & propriè ſacramenta novæ legis, ſequentes oſtendent diſſertationes, de Confirmatione, & Pœnitentia, & extrema unctione, & Ordine, & matrimonio.



## CAPUT QUARTUM.

### *Confirmationem non eſſe Sacramentum Novi Teſtamenti propriè dictum.*

DE Confirmatione (ait Bellarminus) habemus ritum externum, manuum impoſitionem, Actor. 8. 19. Habemus effectum gratiæ, ibidem. Nam per manus Apoſtolorum dabatur Spiritus Sanctus; eadem phraſi: qua dictum eſt. Tit. 3. de baptiſmo; Per lavacrum regenerationis ſalvos nos fecit. Inſtitutio & mandatum non habetur expreſsè in Scriptura, tamen colligitur evidenter ex locis citatis. Nunquam enim Apoſtoli ita confidenter & ordinariè impoſuiſſent manus ad gratiam Spiritus Sancti communicandam, ni ſi Dominus id præcepiſſet. Non enim ignorabant non poſſe ullum hominem inſtituere cerimoniam, ad quam ſequeretur gratia Spiritûs Sancti. Hæc Bellarminus, lib. de effectu & numero ſacramentorum, cap. 24. Ubi etiam aſſerit Dionyſium, lib. de Eccleſiaſtica Hierarchia, cap. 2. part. 3. & cap. 4. part. 3. meminiſſe apertè Chriſmatis in hoc ſacramento. Et adfert quædam loca Tertulliani, in quibus fit mentio unctionis & impoſitionis manuum, & ſigni crucis, videlicet libro de reſurrectione carnis. & lib. de præſcript. & lib. de baptiſmo. Citat etiam verba Cypriani de baptiſmo & Confirmatione; *Tunc plenè ſanctificari & eſſe filii Dei poſſunt, ſi ſacramento utroque naſcantur.* lib. 2. ep. 1. ſeu epiſt. 72. Addit etiam hæc verba Auguſtini. Sacramentum Chriſmatis in genere viſibilium ſignaculorum ſacroſanctum eſt, ſicut ipſe baptiſmus. lib. 2. contra literas Petiliani, cap. 104.

2. Reſpondeo. 1. Thomæ Aquinatis verba ſunt; ad impoſitionem manûs Apoſtolorum, & etiam ad eorum prædicationem, deſcendebat plenitudo Spiritûs Sancti ſuper fideles ſub viſibilibus ſignis. Et ideo non erat neceſſaria ſenſibilis materia ſacramentalis, ubi ſenſibilia ſigna miraculosè exhibebantur divinitus. 3. part. qu. 72. art. 2. ad primum. Idem docent Scotus in 4. ſent. diſt. 7. qu. 1. num. 3. & Durandus ibid. qu. 2. ad primum, ubi ait; Potuit eſſe quod præter legem communem Deus ex ſpeciali gratiâ dedit aliquibus effectum Confirmationis, ſine ſacramento, cum ad impoſitionem manuum Apoſtolorum dabatur Spiritus Sanctus ſub viſibilibus ſignis. Sacramentum Confirmationis ſemper dabant Apoſtoli, mediante chriſmate, ſecundum communem legem ſacramenti. Hæc Durandus. Illa igitur manuum Apoſtolicarum impoſitio non fuit ſacramentum. Et ille deſcenſus Spiritûs Sancti ſuper fideles fuit miraculoſus & temporarius, non effectum ſacramenti.

3. Deinde, non poteſt ex ſacris literis oſtendi Dominica inſtitutio materiæ & formæ hujus ſacramenti; ergo neque ipſius ſacramenti, quod ex iis conſtet. Sacramenti Confirmationis materiam Eugenius, in Concilio Florentino, ait eſſe chriſma confectum ex oleo & balſamo, per Epiſcopum benedicto; formam autem eſſe; Signo te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis, in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti. Illius materię, & illius formæ inſtitutio Dominica in ſacris Scripturis nuſquam comparet.

4. Alexander Alenſis in ſua ſumma Theologiæ, quam Innocentii IV. Papę Romani juſſu ſcriptam Alexander Papa quartus diplomate ac ſeptuaginta virorum Eccleſiaſticorum ſyngraphis comprobavit, ut refert Antonius Poſſevinus in apparatu ſacro: In ea (inquam) ſumma diſſerens de inſtitutione ſacramenti Confirmationis, ait hoc ſacramentum non fuiſſe à Domino inſtitutum, nec diſpenſatum; neque ab Apoſtolis: Apoſtolos enim in confirmatione uſos eſſe ſolâ impoſitione manuum, ſine ſacramento: ſed poſtea inſtitutum eſſe hoc ſacramentum in Concilio Meldenſi, quantum ad formam verborum, & materiam elementarem, eique Spiritum Sanctum contuliſſe virtutem ſanctificandi. Hæc Alenſis, part. 4. qu. 9. membro 1. Ibidem etiam memb. 2. art. 1. §. 1. in Reſolutione, ait; Ut igitur in hoc ſacramento eſſet aliquid materiale figurans rem illius, ſicut in aliis ſacramentis, conveniens fuit ut forma Apoſtolorum mutaretur. Et rurſum, eodem articulo, § 3. dicit, Chriſtum hoc ſacramentum non inſtituiſſe, nec ei vim dediſſe. Et Alexandri diſcipulus Bonaventura, in 4 ſent. diſt. 7. art. 1. qu. 1. & qu. 2. dicit, Chriſtum non inſtituiſſe hoc ſacramentum Confirmationis, neque viventibus adhuc Apoſtolis inſtitutum eſſe, ſed poſt obitum Apoſtolorum, materiam & formam hujus ſacramenti, ab ipſis Eccleſiæ rectoribus, dictante Spiritu Sancto, inſtituta eſſe. at verò, à Chriſto omnia novæ legis ſacramenta inſtituta eſſe, docent Tridentini, Seſſ. 7. can. 1. de Sacramentis. vide ſupra cap. 1. § 18. & cap. 3. § 4.

*Hoc ſacramentum non eſt à Chriſto inſtitutum.*

5. Adhæc, de materia hujus ſacramenti inter ipſos Papiſtas fervet controverſia; aliis contendentibus, balſamum eſſe de neceſſitate hujus ſacramenti; aliis aſſerentibus, non eſſe, ſed ſufficere oleum olivarum. Inter recentiores (inquit Faber) eſt gravis diſputatio de hac re; Ex una parte Cajetanus & multi alii tenent, balſamum non eſſe de neceſſitate ſacramenti, ſed præcepti tantum: ex altera Suarez 3. part. diſt. 33. ſect. 1. tom. 3. tenet, eſſe de eſſentia Sacramenti, pro ſe adducit multas rationes, in primis communem opinionem Theologorum. Hæc Philippus Faber Faventinus, in 4. ſent. diſput. 27. § 10. Rectius utrique dixiſſent, neque oleum neque balſamum eſſe ſacramentum, quia deeſt divina inſtitutio.

*Diſſenſio Romanenſium inter ſe, de materia hujus ſacramenti.*

6. Dionyſius quidem, locis à Bellarmino allegatis, nempe lib. de Eccleſ. Hierarch. cap. 2. part. 3. & cap. 4. part. 3. meminit unguenti & unctionis eorum qui baptizantur, & unctionis altaris, & ſymbolicæ confectionis unguenti, [illegible], & vocat unguenti ſacramentum, [illegible]. At neq; unctionem illam conjungit cum impoſitione manuum, & apertè eam conjungit cum baptiſmo; & cap. 2. part. 3. dicit Pontificem quidem ordiri unctionem, ſacerdotes autem qui ſub illo ſunt, peragere ſacram unctionis munus, eum qui baptiſmo initiatur ad ſacra certamina ſub figura evocantes. Et de eadem unctione loqui ſe profitetur, cap. 4. part. 3. ubi etiam ſcribit ſolitum eſſe Epiſcopum infundere baptiſterio partem illius unguenti. Eugenius autem cum Concilio Florentino, in decretis ſuper unio-

*Reſponſio de Dionyſio.*

ne Armeniorum, & Synodus Tridentina, Seſſ. 7. can. 3. de Confirmatione: docent, Confirmationis ordinarium miniſtrum eſſe ſolum Epiſcopum; non autem ſimplicem ſacerdotem. Præterea divinam inſtitutionem unguenti iſtius & unctionis non oſtendit Dionyſius.

*Reſponſio de Cypriano & Auguſtino.*

7. Cyprianus, epiſt. 72. ſeu lib. 2. epiſt. 1. impoſitionem manuum ad accipiendum Spiritum Sanctum, & Auguſt. chriſma, lib. 2. contra literas Petiliani, cap. 104. vocant ſacramentum, & cum baptiſmo connumerant, eodē ſenſu, quo auctor operis de cardinalibus Chriſti operibus (quod Cypriano tribuitur) ſermone de ablutione pedum; & Ambroſ. lib. 3. de ſacramentis c. 1. & Bernardus, ſermone in cœna Domini, qui incipit, Hi ſunt dies; ablutionem pedum vocant ſacramentum & myſterium, & cum baptiſmo & Euchariſtia connumerant. Neque tamen inde ſequitur vel impoſitionem manuum, vel chriſma, vel lotionem pedum eſſe verè & propriè ſacramentum. Quamvis pro lotione pedum argumenta ſuppetant longè ſpecioſiora, quàm pro chriſmate, cujus nulla fit in ſcripturis mentio. Loquimur jam de Chriſmate, quo utuntur in Confirmatione.

*Legitima manuum impoſitio, legitima quidem, at non ſacramentum propriè dictum.*

8. Puerorum autem vel rudiorum catecheticam educationem, eorumque poſt baptiſmum benedictionem cum impoſitione manuum, agnoſcimus ab Apoſtolis acceptam fuiſſe, & in Eccleſia catholica meritò retentam: ſicut docuimus in Irenico noſtro, lib. 1. cap. 7. & lib. 2. cap. 17. de qua manuum impoſitione Cyprianus ſcribens ad Jubaianum; Qui à Philippo (inquit) diacono baptizati erant, baptizari eos ultra non oportebat: ſed tantummodo quod deerat, id à Petro & Joanne factum eſt, ut oratione pro eis habitâ, & manu impoſitâ, invocaretur & infunderetur ſuper eos Spiritus Sanctus. Quod nunc quoq; apud nos geritur, ut qui in Eccleſia baptizantur, præpoſitis Eccleſiæ offerantur, & per noſtram orationem ac manûs impoſitionem Spiritum Sanctum conſequantur, & ſignaculo Dominico conſummentur. Hæc Cyprianus epiſt. 73. Hujus impoſitionis manûs meminit etiam Tertullianus lib. de reſurrectione carnis, cap. 8. & lib. de baptiſmo, cap. 8. ubi ait; Dehinc manus imponitur, per benedictionem advocans & invitans Spiritum Sanctum. Idem lib. de præſcriptionibus cap. 36. ait de Romana illorum temporum Eccleſiâ; aqua ſignat, Spiritu Sancto veſtit, Euchariſtiâ paſcit, martyrio exhortatur. Hæc ibi. ubi Spiritu Sancto veſtire, eſt impoſitione manus per benedictionem advocare & invitare Spiritum Sanctum.

*Manus impoſitio eſt oratio ſuper hominem; non autem Sacramentum.*

De hac manus impoſitione ſcribens Auguſtinus, ait; Manus autem impoſitio non ſicut baptiſmus repeti non poteſt. Quid enim eſt aliud niſi oratio ſuper hominem? Auguſt. lib. 3. de baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 16. Ex quibus Auguſtini verbis infert Gratianus manûs impoſitionem non eſſe ſacramentum, cauſ. 1. qu. 1. Arianos.

*Reſponſio de Tertulliano.*

9. Unctionis etiam meminit Tertullianus, lib. de baptiſmo cap. 7. & lib. de reſurr. carnis cap. 8. ſed non eſt illis locis intelligenda unctio illa in fronte, quæ uſurpatur in Confirmatione, tanquam de eſſentia ſacramenti, ſed eam Tertullianus intelligit unctionem baptiſmalem (fatente etiam Pamelio, in cap. 7. de baptiſmo num. 48.) quæ accenſetur illis baptiſmi ceremoniis, quæ non ad ſubſtantiam ſacramenti baptiſmi pertinent, ſed ad ejuſdem ſolemnitatem, conſuetudine quadam Eccleſiaſticâ, adhibentur: de quibus diſſerit Thomas 3. part. quæſt. 66. art. 10.

10. Hæc verba; *Signo te ſigno crucis*, non ſunt forma, nec de neceſſitate formæ, alicujus ſacramenti: nam ipſum crucis ſignaculum eſſet ſacramentum, vel de eſſentiâ ſacramenti, vel res ſacramenti, ſi verba iſta eſſent forma vel pars formæ ſacramenti: at crucem non eſſe ſacramentum diſertè aſſerit catechiſmus Romanus, part. 2. cap. 1. qu. 6. Nec eſt de eſſentia ſacramenti; nam non crux, ſed chriſma conſecratum eſt materia ſacramenti Confirmationis; ut docet Eugenius 4. Papa Rom. in Concilio Florentino: neque crux aut ejus ſignatio, ſed verba eam ſignificantia ſunt ſecundùm eos forma hujus ſacramenti: Ergo non eſt de eſſentia Sacramenti. Nec eſt res Sacramenti; nam rem Sacramenti eſſe Dei gratiam juſtificantem ac ſanctificantem, docet Catechiſmus Romanus, loco proximè citato. Cum igitur crux vel crucis ſignatio neque ſit ſacramentum, neque eſſentialis pars ſacramenti, neque res ſacramenti; addo, neque ſubjectum ſuſceptivum ſacramenti, verba eam ſignificantia non poſſunt eſſe forma, aut pars eſſentialis ſacramenti.

11. Deſideratur divina inſtitutio ſignaculi crucis, quod docent eſſe in hoc ſacramento neceſſarium, eſſentiali neceſſitate verbaque ipſum ſignificantia docent eſſe de neceſſitate formæ, ita docent Thom. 3. part. qu. 72. art. 4. & in 4. ſent. diſt. 7. qu. 1. art. 3. & ibidem Bonaventura, & Scotus, & alii. Tertullianus, lib. 3. de corona militis, cap. 3. ſignaculum crucis eis accenſet obſervationibus, quas Chriſtiani ſine ullius ſcripturæ inſtrumento, ſolius traditionis titulo, exinde conſuetudinis patrocinio vindicabant. Neque tamen exiſtimandum ab Apoſtolis tradita eſſe, quæcunque in eo ordine recenſet ibi Tertullianus; ut patet ex prægustatione concordis lactis & mellis. Certè ſignum crucis non poteſt eſſe neceſſarium neceſſitate ſacramenti, niſi ſit à Chriſto inſtitutum cum hac neceſſitate: at inſtitutio non comparet.

12. Benedictionem & conſecrationem chriſmatis per Epiſcopum eſſe neceſſariam neceſſitate ſacramenti, tenent omnes Theologi, inquit Philippus Faber Faventinus, in 4. ſent. diſt. 7. diſp. 27. §. 17. Quibus ſe adjungit ipſe Faber, qui fundamentum hujus doctrinæ ibidem veſtigans, traditione Eccleſiæ eam tuetur, neque aliud invenit fundamentum. Alenſis autem, part. 4. q. 9. memb. 2. art. 1. §. 3. & Bonaventura, in 4. ſent. diſt. 7. art. 1. qu. 2. dicunt elementum iſtud ideo per benedictionem ab Epiſcopo conſecrandum eſſe, quia non eſt à Chriſto inſtitutum, neque à Chriſto vim accepit. Cajetanus in 3. partem, qu. 72. art. 3. tenet, ſimplicem ſacerdotem poſſe benedicere & conſecrare chriſma: & dicit, conſecrationem Epiſcopi eſſe neceſſariam non de neceſſitate ſacramenti, ſed præcepti tantùm. Præcepti, inquam, Eccleſiaſtici. Hanc opinionem Faber, loco ſuperiùs citato, ait eſſe ſingularem Cajetani. Bellarminus lib. de ſcriptoribus Eccleſ. ſcribit, Cardinalem Cajetanum, obiiſſe anno Dom. milleſimo quingenteſimo trigeſimo quarto. Sed antequam inanem iſtam litem ſuſciperent, oſtendenda priùs fuerat divina inſtitutio ipſius conſecrationis chriſmatis iſtius, ſive per Epiſcopum, ſive per ſimplicem presbyterum. Hanc autem non oſtendunt, deſtituti teſtimonio ſacræ Scripturæ, ſed tantùm ſupponunt, prætexentes traditionem Eccleſiæ; ita ſumentes pro confeſſo, quod ante omnia erat per ſacras ſcripturas evidenter demonſtrandum.

CAPUT



## CAPUT QUINTUM.

### *Pœnitentiam non eſſe ſacramentum Novi Teſtamenti propriè dictum.*

JAcobus Pamelius in Tertulliani lib. de præſcriptionibus, cap. 40. num. 141. ait pœnitentiam diſertis verbis raro ſacramentum dici à Patribus: imò nullum adfert locum ex omnibus, præter unum illum Tertulliani locum, de quo ibi diſſerit; ubi tamen Tertullianus ſacramenta divina latiore ſignificatu diſertè extendit etiam ad dogma de reſurrectione, & ad martyrium pro adipiſcenda æternitatis coronâ, ad virginitatem, ad continentiam.

1. Hardingus, contra Apologiam Eccleſię Anglicanę, ut probet pœnitentiam à Patribus habitam eſſe in numero ſacramentorum propriè dictorum, citat Auguſt. Enchirid. cap. 66. & Ambroſ. lib. 1. de pœnitentia, c. 6. & 7. & lib. 2. capite 2. Quibus tamen locis apud Ambroſium fatetur, non poni diſertè ſacramenti appellationem: at ſubjicit, ſacramenti vocabulum tertiò eiuſdem libri capite manifeſtè ab Ambroſio interſeri.

3. Ipſa Patrum verba conſulamus. Dixerat Auguſtinus, Enchirid. cap. 65. rectè ab iis qui Eccleſiæ præſunt, conſtituta eſſe tempora pœnitentiæ, ut fiat etiam ſatis Eccleſiæ, in qua remittuntur ipſa peccata. & ſubjungit cap. 66. magis propter futurum judicium fieri remiſſionem peccatorum. In hac autem vitâ (inquit) uſque adeò valet quod ſcriptum eſt, Grave jugum ſuper filios Adam à die exitûs de ventre matris eorum, uſque in diem ſepulturæ in matrem omnium, ut etiam parvulos videamus poſt lavacrum regenerationis diverſorum malorum afflictione cruciari: ut intelligamus totum quod ſalutaribus agitur ſacramentis, magis ad ſpem futurorum bonorum, quàm ad retentionem vel adeptionem præſentium pertinere. Hæc ibi Auguſtinus. unde colligit Hardingus, Auguſtinum de Pœnitentia & baptiſmo verba facientem, utraque ſacramenta ſalutaria appellare.

4. Reſpondeo 1. Si ſacramenti vocabulum latè ſumas, quid inde efficies? ſtrictâ autem acceptione pœnitentiam eſſe ſacramentum, ſi judicâſſet Auguſtinus, id alicubi in tam copioſis ſuis operibus, in quibus ſacramenti vocabulum uſitatiſſimum eſt, perſpicuè dixiſſet. at nullum reperire poſſunt Papiſtæ, præter hunc unum ambiguum. Præterea; etſi præcedente capite loquebatur de pœnitentia, & ajebat, remiſſionem peccatorum in Eccleſia dari pœnitentibus; & ſubjungit, remiſſionem quæ datur reſpicere magis futurum judicium, quàm vitam hanc temporalem; idque hoc cap. 66. illuſtrat, atque confirmat argumento ſumto ab eo quod geritur in ſacramentis, allato unius ſacramenti, videlicet baptiſmi, exemplo; non tamen inde ſequitur, eum pœnitentiam ponere in numero ſacramentorum. Nam ſi de fide eiuſdemque confeſſione aut de martyrio fuiſſet illi ſermo, & dixiſſet horum fructum magis in eis quæ futura ſunt quærendum eſſe, & addidiſſet argumentum ab illo quod in baptiſmo adeóque in ſalutaribus ſacramentis geritur, non inde conſequeretur, eum exiſtimare fidem, confeſſionem fidei, & martyrium eſſe ſacramenta.

5. Neque eſt inſolens Patribus, quædam quæ propriè ſunt ſacramenta, & quædam quæ non ſunt propriè ſacramenta, unà communi ſacramentorum appellatione ſimul complecti. Latus Chriſti percutitur, & baptiſmi atque martyrii pariter ſacramenta funduntur inquit Hieronymus epiſt. ad Oceanum, de unius uxoris viro. Neque tamen hinc inferre licet, Hieronymum, exiſtimâſſe, martyrium eſſe ſacramentum propriè dictum, ſicut eſt baptiſma. Sic Tertullianus cum baptiſmo & Euchariſtia, martyrium, & pœnitentiam, & virginitatem appellat ſacramenta divina, lib. de præſcriptionibus, cap. 40. Et Auguſtinus conferens & anteferens ſacramentis veteris Teſtamenti, ſacramenta Novi Teſtamenti; Si (inquit) antiqui juſti pro illis prænunciativis ſacramentis, & rerum nondum impletarum figuris omnia dura perpeſſi ſunt; quanto magis nunc pro baptiſmo, pro Euchariſtia Chriſti, pro ſigno Chriſti, ad omnia perferenda paratior debet eſſe Chriſtianus. lib. 19. contra Fauſtum Manichæum, capite 14. ſignum tamen Chriſti crucifixi, ſeu ſignum crucis, non eſt ſacramentum propriè dictum. Vide ſuprà, capitis quarti paragraphum decimum.

*Cum ſacramentis propriè dictis, aliquid quod non eſt ſacramentum propriè dictum, Patres aliquando unâ communi ſacramentorum appellatione ſimul complectuntur.*

7. Quandoque Patres de uno aliquo ſacramento ſermonem habentes utuntur vocabulo pluralis numeri. Auguſtinus, qui non manet (inquit) in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, procul dubio nec manducat ſpiritaliter carnem ejus, nec bibit ejus ſanguinem, licet carnaliter & viſibiliter premat dentibus ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti: ſed magis tantæ rei ſacramentum ad judicium ſibi manducat & bibit; quia immundus præſumſit ad Chriſti accedere ſacramenta, quæ aliquis non dignè ſumit, niſi qui mundus eſt. Hæc Auguſtinus, loquens de Euchariſtia, tract. 26. in Evang. Joan. Ambroſius, videbas (inquit) quæ corporalia ſunt corporalibus oculis; ſed quæ ſacramentorum ſunt, cordis oculis adhuc videre non poteras. Ergo quando dediſti nomen, tulit lutum, & linivit ſuper oculos tuos. Hæc Ambroſius, loquens de ſacramento baptiſmi, lib. 3. de ſacramentis, capite ultimo. Auctor operis de cardinalibus Chriſti operibus, quod Cypriano tribuitur, ſermone de ablutione pedum, Reverſis (inquit) dat, ut iterum eis poſſint ſacramenta injuncta prodeſſe, quorum, ſi pœnitentia non ſubeſſet, nullo modo deinceps experiri poſſent effectum. Hæc ille, loquens de ſacramento baptiſmi violato per ſuccedentia peccata, quæ poſtea aufert pœnitentia. Unde patet, verba illa Auguſtini, Enchirid. capite ſexageſimo ſexto, ubi de baptiſmo ſermonem habens adhibet nomen plurale, [*ſalutaribus ſacramentis*] poſſe non abſurdè intelligi de uno baptiſmi ſacramento. At paulo ſuperius diſſerebat, inquies, de pœnitentiâ. at nunc, inquam, diſſerit de baptiſmo, ut ex eo quod in ſalutaribus agitur ſacramentis, doceat etiam eam remiſſionem peccatorum quæ per uſum clavium in Eccleſia datur pœnitentibus, (etiamſi pœnitentia non ſit ſacramentum) prodeſſe magis in futurum.

*Quarta noſtra reſponſio. Patres aliquando, de uno ſacramento loquentes, utuntur vocabulo numeri pluralis.*

*Vindicia Ambroſii.*

7. Quod attinet loca Ambroſii ab Hardingo allegata,

allegata, nil aliud invenitur apud Ambroſium, libro primo, de pœnitentia, capite ſexto, Quod huc ſpectare videatur, niſi quod reprehendit Novatianum, claves regni Cœlorum non ſuſcipientem, & donari in Eccleſia peccata poſſe negantem. At certè poteſtas clavium non eſt ſacramentum pœnitentiæ. Verum clariùs (inquies) rem explicat Ambroſius, cap. 7. ejuſdem libri; Cur baptizatis, (inquit) ſi per hominem peccata dimitti non licet? In baptiſmo utique remiſſio peccatorum omnium eſt. Quid intereſt, utrum per pœnitentiam, an per lavacrum hoc jus ſibi datum ſacerdotes vendicent? unum in utrumque myſterium eſt. Sed dices, quia in lavacro operatur myſteriorum gratia, quid in pœnitentia? nonne Dei nomen operatur? Hæc ibi Ambroſius. Ex quibus verbis promtiùs colligere eſt, pœnitentiam non eſſe ſacramentum: alioquin enim reſpondiſſet apertè, etiam in ea operari myſteriorum gratiam. Quòd autem etiam pœnitentiam videtur appellare myſterium, id ſignificatione proculdubio generaliore accipiendum eſt, alioqui Latinus ſcriptor Ambroſius, cui ſacramenti vocabulum admodum familiare eſt, qui etiam opus de ſacramentis peculiare compoſuit, pœnitentiam alicubi diſertè dixiſſet eſſe ſacramentum, quod tamen nuſquam facit.

*Hardingi objectio. Ad eandem reſponſio.*

8. At tertio capite libri ſecundi de pœnitentia, Ambroſius ſacramenti vocabulum manifeſtè interſerit: ſi creditur Hardingo. Quid ais Hardinge? Euchariſtiam invenio ibi dici ſacramentum: at pœnitentiam nuſquam. Verùm priùs inſpiciamus ſecundum caput libri ſecundi, ne aliquid abs te allegatum indiſcuſſum relinquamus: Quid ibi invenis? nempe poſſe Deum, quando vult, donare nobis peccata, etiam quæ putamus non poſſe concedi. Et deinde hæc verba; Impoſſibile videbatur per pœnitentiã peccata dimitti. Conceſſit hoc Chriſtus Apoſtolis ſuis, quod ab Apoſtolis ad ſacerdotum officia tranſmiſſum eſt. Hæc ibi Ambroſ. At non inde ſequitur, pœnitentiam eſſe ſacramentum propriè dictum: nam pœnitentiæ interior virtus neceſſaria eſt lapſo, ut per eam aſſequatur à Deo peccatorum remiſſionem; non tamen hæc virtus eſt ſacramentum. Neque externus actus pœnitentis, per quem obtinet remiſſionem & reconciliationem Eccleſiaſticam, dici poteſt ſacramentum; non enim externus omnis actus, per quem obtinetur remiſſio, ſacramentum eſt: per confeſſionem fidei Eunuchus obtinuit baptiſmum, adeoque remiſſionem; neque tamen inde ſequitur, confeſſionem fidei, quam baptizandi faciunt, eſſe ſacramentum. Neque ipſa remiſſio ſacramentalis, quæ in baptiſmo datur, eſt ſacramentum; ſed effectum vel fructus ſacramenti. Neque quia remiſſio in baptiſmo datur per ſacramentum, ſequitur remiſſionem quæ datur judicialiter per uſum clavium, dari per ſacramentum: niſi dicas, dari per ſacramentum Euchariſtiæ, quod eis qui ſolvuntur datur. Et hoc quidem ſenſu remiſſio etiam quæ pœnitentibus, poſt peractam pœnitentiam ad ſanctam denuo menſam admiſſis, datur, eſt ſacramentalis. Fit enim per ſanguinem Chriſti, qui in ſacramento ſumitur; ut monet Ambroſius libro ſecundo de pœnitentia, capite tertio, Chriſtus per uſum poteſtatis, quam habebat remittendi peccata, dixit paralytico, *remiſſa ſunt tibi peccata tua.* Matth. 9. 2. & mulieri peccatrici pœnitenti, dixit, *remiſſa ſunt peccata tua.*

*Act. 8. 37.*

Luc. 7. 48. nec tamen hæc dicendo impertivit illis eo tempore aliquod ſacramentum; ſed tantummodo ſententiam judiciariam pronunciavit verbis, ſine ſacramento. niſi dicas, ſanationem paralytici corporalem fuiſſe illi temporale quoddam & particulare ſacramentum. De quo nunc non inquirimus. Quando Davidi confitenti dixit Nathan, *Dominus quoque tranſtulit peccatum: non morieris.* 2 Sam. 12. 13. non dedit ei ſacramentum, quamvis quod dixit Nathan, ratum fuerit in Cœlo. Denique nihil aliud dicit Ambroſius, loco citato, libro ſecundo de pœnitentia, capite ſecundo, niſi per pœnitentiam dimitti peccata; & hoc ad ſacerdotum officium pertinere. Quod nos etiam docemus: nam in Eccleſia ſuâ Dominus hunc ordinem, & decorum inſtituit, ut paſtoribus diſciplinæ Eccleſiaſticæ, in ligandis contumacibus, & ſolvendis pœnitentibus, conceſſerit poteſtatem; ſicut in qualibet benè conſtitutâ republicâ regimine, auctoritate, judiciis, ac diſciplinâ opus eſt. Sed iſta non efficiunt ſacramentum. Neque reticuiſſet Ambroſius hoc nomen, ſi putâſſet pœnitentiam eſſe propriè dictum ſacramentum.

9. Nam quod aſſerit Hardingus Ambroſium capite tertio, ejuſdem libri, diſertè interſerere vocabulum *ſacramenti*, id quam incauto exciderit Hardingo, jam palàm faciam. Fateor quidem, apud Ambroſium ibi legi vocabulum ſacramenti. Quid hoc ad propoſitam quæſtionem? oſtendendum erat, pœnitentiam Ambroſio diſertè dici ſacramentum. Hoc autem apud Ambroſium non invenitur. *Sacramenti* vocabulum illo capite quater legitur de Euchariſtia; at de pœnitentia ne ſemel quidem. Verba Ambroſii ſunt: Poſtea panem Patris deſideravit, cum veſceretur ſiliquis, & meruit ſtolam, annulum, calceamentum, immolationem quoque vituli, quæ ſpeciem habet paſſionis Dominicæ, per quam cœleſte ſacramentum nobis donatur. Bene dicitur, quia peregrè profectus eſt qui erat à ſacris altaribus ſeparatus. ——— Nec mirum ſi fame peribat, qui divino alimento egebat, cujus deſiderio compulſus; *Surgam*, inquit, *& ibo ad Patrem meum: & dicam illi; Pater peccavi in Cælum, & coram te.* Nonne advertiſtis id evidenter jam nobis expoſitum, quod merendi gratia ſacramenti ad peccandum impellimur. Et hoc auferre vultis, propter quod agitur pœnitentia? Tolle gubernatori perveniendi ſpem, & in mediis fluctibus incertus errabit. Tolle luctatori coronam, lentus jacebit in ſtadio. Tolle piſcatori capiendi efficaciam, deſinet jactare retia. Quomodo ergo poteſt qui famem patitur animæ ſuæ, ſtudioſiùs Deum precari, ſi ſacrum deſperet alimentum? ——— tam cito veniam meretur, ut venienti & adhuc longè poſito occurrat Pater. ——— vitulum præcipiat occidi, quia Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Etenim quotieſcunque ſanguinem Domini ſumimus, mortem Domini annunciamus. Sicut ergo ſemel pro omnibus immolatus eſt: ita quotieſcunque peccata donantur, corporis ejus ſacramentum ſumimus; ut per ſanguinem ejus fiat peccatorum remiſſio. Ergo evidentiſſimè Domini prædicatione mandatum eſt, etiam graviſſimi criminis reis, ſi ex toto corde & manifeſtâ confeſſione peccati pœnitentiam gerant, ſacramenti cœleſtis refundendam gratiam. Unde nihil vobis [Novatiani] ad excuſationem

*Luc. 15. 18.*



cuſationem reſediſſe certum eſt. Hæc Ambroſius, libro ſecundo de pœnitentia contra Novatianos, capite 3. neque omnino interſeritur illo capite vocabulum *ſacramenti*, niſi verbis hic à me tranſcriptis. in quibus tantum abeſt, ut vocabulum ſacramenti diſertè attribuatur pœnitentiæ, ut è diverſo ſacramentum ab ea manifeſtè diſtinguatur, ut finis & fructus; cujus aſſequendi gratia agitur pœnitentia, ut pœnitentiam gerentibus, ſacramenti Euchariſtiæ, à quo ſeparati erant, gratia refundatur.

10. Hoc illud eſt ſacramentum, de quo pœnitentibus concedendo vel negando controverſia agitabatur inter Catholicos & Novatianos, utrum ſcilicet ea eſſet lapſis pœnitentibus exhibenda miſericordia, ut ad communionem, à qua peccati ſui merito ſeparati erant, denuo eſſent admittendi: affirmabant Catholici, negabant autem Novatiani.

*Cyprian.*

11. Agunt (inquit Cyprianus) pœnitentiam juſto tempore, & ſecundum diſciplinæ ordinem ad exomologeſin veniunt, & per manûs impoſitionem Epiſcopi & cleri, jus communionis accipiunt. Hæc Cyprianus, epiſt. 3.

12. Dura pro mitibus, (inquit Ambroſius) ſuperba pro humilibus ſequenda opinantur doctores Novatianorum, quid autem durius, quàm ut indicant pœnitentiam, quam non relaxent, cum utique veniam negando, incentivum auferant pœnitentiæ? Nemo enim poteſt bene agere pœnitentiam, niſi qui ſperaverit indulgentiam. Sed negant his oportere reddi communionem: ſed in perpetuum cœleſtibus abdicandos myſteriis. Ambroſ. lib. 1. de pœnitentia contra Novatianos, cap. 1. ubi pœnitentiam relaxare, Ambroſio eſt, pœnitentibus communionem reddere. Idem poſtea eodem libro, cap. 14. Venit [Apoſtolus] in virga, quia à communione ſacra convictum removit. Et bene dicitur tradi Satanæ, qui ſeparatur à Chriſti corpore. Venit etiam in charitate, ſpirituque manſuetudinis: vel quia ſic tradidit, ut ſpiritum ejus ſalvum faceret: vel quia eum, quem antea ſequeſtraverat, poſtea ſacramentis reddidit. Hæc ibi. ubi ligatum ſolvere, eſt ſacramentis reddere. Et rurſus ejuſdem libri cap. 16. fruſtra dicitis vos prædicare pœnitentiam, qui tollitis fructum pœnitentiæ. ——— Si quis igitur occulta crimina habens, propter Chriſtum tamen ſtudioſè pœnitentiam egerit; quomodo iſtic recipit, ſi ei communio non refunditur? Vide etiam ejuſdem operis lib. 2. cap. 9.

13. Idem Ambroſius alibi ait; Dominus par jus & ſolvendi eſſe voluit & ligandi, qui utrumque pari conditione permiſit, &c. lib. 1. de pœnitentia, cap. 2. ligare autem eſt communicatione aliquem abſtinere; ut loquitur Cyprianus epiſt. 59 unde ſolvere nihil eſt aliud, quam ei qui ligatus erat demere injectum vinculum, ut ei ſacramenti cœleſtis gratia refundatur, ſeu communio reddatur; & qui ſequeſtratus erat, ſacramentis reddatur: ut loquitur Ambroſius, locis ſuperiùs citatis. Hoc Cypriano, ex parte illius qui reconciliatur, eſt jus communionis accipere, epiſt. 3. admitti, epiſt. 52. Pacem accipere, communicationem accipere, epiſt. 54. Ex parte autem ſacerdotum eus ſolventium; pacem dare, communicationem dare, ad bibendum in Eccleſia poculum Domini jure communicationis admittere, epiſt. 54. Pacem concedere, epiſt. 52. Et Innocentius Papa Romanus, hujus nominis primus, epiſt. 1. ad Exuperium, cap. 2. vocat reconciliationem communionis. Et Ivo Carnotenſis, in uno brevi ſermone de cœna Domini, Euchariſtiam quater vocat ſacramentum reconciliationis: & ſemel, medicinam reconciliationis. Extat ille ſermo, in libris illis veterum de officiis & myſteriis Eccleſiæ, à Michaële Hittorpio editis, col. 529. edit. Pariſ. anno Dom. 1624.

*Privata abſolutio figmentum humanum & nuperum. Vide lib. 12. cap. 4. 5. 3. & ſeq. & lib. 16. cap. 5. propoſ. 4. Jacob. 5. 16. 1. Theſſ. 5. 14.*

14. Hæc autem, quæ citerioribus ſeculis excogitata eſt, hominum non excommunicatorum privata & ſacramentalis abſolutio à peccatis per ſacramentum Pœnitentiæ, fuit incognita Catholicæ antiquitati. tali quidem privatim confitenti debetur officium orationis, ſive ſacerdos ſit ſive diaconus, ſive laicus cui facta eſt confeſſio, Jacob. 5. 16. debetur ei etiam conſolatio, juxta illud, *Conſolamini puſillanimes*, 1. Theſſ. 5. 14. & admonitio, conſilium, directio Paſtoralis vel fraterna. At ei ſacramentalem peccati remiſſionem dare, humanum figmentum eſt. Sed neque judicialem dare talibus privatim poteſt ſacerdos, ſicut infra, ſi Deus voluerit, prolixè docebimus, lib. 12. hujus operis, ubi de natura pœnitentiæ, ejuſdemque partibus, & de poteſtate & uſu clavium ex profeſſo erit differendum.

*Publica abſolutio non eſt ſacramentum.*

15. At neque publica abſolutio eſt ſacramentum, ſed diſciplinæ publicæ exercitium; neque à publica abſolutione pœnitentium, antiquitus uſitatâ, aptè trahuntur argumenta in patrocinium hujus privatæ abſolutionis confitentium, quam fingunt eſſe ſacramentum, vel potiorem partem, puta formam ſacramenti. Id videns Melchior Canus, homo Papiſta, Epiſcopus Canarienſis, dixit, imprudentiam eſſe non mediocrem ea, quæ more majorum in pœnitentia publica præſcripta ſunt, ad hanc noſtram (inquit) ſecretam accommodare. Relectione de pœnitentia. part. 6. quæſt. de mutis & ægrotis loquelâ defectis. ad 4.

*Bellarmini argumentum ex Victore Cartennenſi.*

16. Bellarminus aliorum Patrum teſtimoniis nihil adjutus, unum tandem Patrem ſe reperiſſe exiſtimavit, cujus verba cauſſæ eorum qui pœnitentiam ſacramentis propriè dictis accenſent, apertè patrocinentur; Victorem Epiſcopum Cartennenſem, qui apertè nominat ſacramentum. verba Victoris illius hæc adfert; Denique Dominum audi in Evangelio, quibus jaculis feriat peccatorem; ut intelligas, quanti faciat pœnitentiæ ſacramentum. Hæc, velut ex Victoris Cartennenſis libro de Pœnitentia, cap. 20. recitat Bellarm. in ſuo opere de pœnitentia, lib. 1. c. 10. ubi etiam monet, floruiſſe Victorem Cartennenſem circa ann. Dom. 450. teſte Trithemio, & Gennad.

*Reſponſio de Victore Cartennenſi.*

17. Reſpondeo: Floruiſſe circa illud tempus Victorem Epiſcopum Cartennenſem, non inficior; ſcripſiſſe etiam de pœnitentia publicani librum, in quo & regulam vivendi pœnitentibus juxta ſcripturarum auctoritatem ſtatuit, teſtis eſt Gennadius, in catalogo virorum illuſtrium. Librum verò illum, cum neque in bibliotheca Patrum inveniatur, neque ullam ejus mentionem fecerit ipſe Bellarminus in ſuo libro, quem ſcripſit de ſcriptoribus Eccleſiaſticis; vehementer ſuſpicor, aut non viſum Bellarmino, aut verba inde quæ citat, conſutâ fraude ab eo interpolari. Sed fac, verba eſſe Victoris, haud dubiè vocabulum *ſacramenti* largiore ſenſu accepit, præſertim cum libro ſuo titulum fecerit Victor, de pœnitentia publicani, quam nemo unquam judicavit eſſe ſacramentum propriè dictum: & illi propoſitum fuerit non ſacramentalem propriè dictam, ſed moralem vivendi regulam pœnitentibus, juxta ſcripturarum auctoritatem, ſtatuere:

& hoc vocabulum ſacramenti largiore ſenſu apud Patres frequenter inveniri, ſuperiùs docuerimus: Et aliis Patribus de pœnitentia diſſerentibus inuſitatum ſit. quis enim credat Tertullianum in toto ſuo libro de pœnitentia, Cyprianum ſermone de lapſis, & tot ſuis epiſtolis de medicina pœnitentiæ ſcriptis, Ambroſium in ſuis duobus libris de pœnitentia, & ſex libris de ſacramentis, Hilarium, Hieronymum, Auguſtinum, Leonem, Gregorium, & alios omnes Latinos Patres, (excepto uno hoc Victore Cartenenſi) in tot tantiſque ſuis voluminibus, in quibus vocabulum *ſacramenti* de baptiſmo & cœna Domini frequentiſſimum eſt, temperaturos ſibi fuiſſe, quin alicubi pœnitentiam appellarent ſacramentum, ſi exiſtimaſſent eam revera eſſe ſacramentorum propriè dictum; qualia ſunt baptiſmus & Euchariſtia?

*Alii Patres de pœnitentia ſcribentes eam non vocant ſacramentum.*

18. A Victore Cartenenſi confeſtim delabitur Bellarminus, (loco ſuperiùs citato, §. 16.) ad teſtimonium Eccleſiæ quæ ab annis quingentis floruit, ſumto initio probationis ex Petro Lombardo. quem (inquit) Theologi omnes poſteriores ſequuti ſunt, 4. ſent. diſt. 14. adjicit decretum Lucii Papæ tertii, quod extat cap. Ad abolendam, Extra, de hæreticis, & definitionem Conciliorum Florentini & Tridentini. quibus adjungit reſponſionem Hieremiæ Epiſcopi Conſtantinopolitani ad Germanos, cap. 7. atque ex his infert, pœnitentiam eſſe ſacramentum verè & propriè dictum. Proſpiciens autem teſtimonia iſta non perſuaſura reformatis, confugit ad conſuetum devictorum Papiſtarum clamorem, de veræ Eccleſiæ infallibilitate. quaſi verò Eccleſiæ veræ ſtabilitas cautionem illam à Domino nobis commendatam excluderet, de vitando fermento Phariſæorum, quamvis in ipſa Moſis cathedra ſedentium. Sed ad propoſitum.

*Aliud Bellarmini argumentum, à teſtimoniis ſcholaſticorum, & decreto Lucii Papæ, & Concil. Florent. & Trident. & à reſp. Hieremiæ Patriarchæ Cp. & ab Eccleſiæ infallibilitate.*

*Reſp. de Eccleſiæ infallibilitate.*

19. Diſpiciamus, quid de ſacramento pœnitentiæ tradiderint P. Lombardus, & poſt eum alii, quorum auctoritate commentitium dogma de vero ac propriè dicto pœnitentiæ ſacramento ſuffultum ibat Bellarminus. quo perſpecto, facilior & clarior erit noſtra reſponſio. Lombardi doctrina eſt, pœnitentiam exteriorem eſſe ſacramentum; interiorem vero pœnitentiam eſſe virtutem mentis: & utramque eſſe cauſſam ſalutis & juſtificationis, 4. ſent. diſt. 14. In quam diſtinctionem Durandus quæſt. 3. Pœnitentia (inquit) accepta pro habitu vel actu, quo deteſtamur peccatum à nobis commiſſum, eſt virtus vel actus virtutis; nec eſt ſacramentum. alio modo accipitur pœnitentia pro actibus exterioribus, qui ſunt inter pœnitentem & abſolventem, qui actus ſunt confeſſio & abſolutio; Et pœnitentia ſic accepta eſt ſacramentum. Hoc ſacramentum magis propriè diceremus ſacramentum confeſſionis & abſolutionis, quàm pœnitentiæ: quia in confeſſione & abſolutione conſiſtit hoc ſacramentum tanquam in ſua materia & formâ. Pœnitentia autem ſi accipiatur pro habitu vel actu interiore, eſt ad hoc ſacramentum tanquam prævia diſpoſitio ſuſcipientis: ſi autem accipiatur pro executione pœnæ ſatisfactoris, ſic eſt conſequens ad hoc ſacramentum. Et ſic pœnitentia quocunque prædictorum modorum accepta, non eſt intrinſeca huic ſacramento. Hæc Durandus loco citato. Ait quidem P. Lombardus, in perfectione pœnitentiæ tria obſervanda eſſe, ſcilicet, compunctionem cordis, confeſſionem oris, ſatisfactionem operis. 4. ſent. diſt. 16. at horum trium

*Reſponſio de Petro Lombardo & aliis, quorum auctoritate fretus Bellarminus non dubitavit pœnitentiam accenſere ſacramentis propriè dictis.*

*Pœnitentia non ſacramentum, neque intrinſeca ſacramento.*

*Durand.*

quot concurrant ad conſtitutionem ſacramenti, non admonet, contentus dixiſſe, diſt. 14. interiorem pœnitentiam eſſe virtutem, & exteriorem eſſe ſacramentum. De clavibus etiam, earumque uſu, diſſerit, diſt. 18. utrum verò abſolutio per uſum clavium ſit ſacramentum, vel pars ſacramenti propriè dicti, non inquirit, nihil definit. Florebat Petrus Lombardus circa annum Domini 1150.

20. Lucius Papa tertius Pontificatum ſuſcepit anno Domini milleſimo centeſimo octogeſimo primo, ſecundum Onuphrium, & obiit anno 1185. Decreti ejus à Bellarmino allegati verba de ſacramentis hæc ſunt; Univerſos qui de ſacramento corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti, vel de baptiſmate, ſeu de peccatorum confeſſione, matrimonio, vel reliquis Eccleſiaſticis ſacramentis, aliter ſentire aut docere non metuunt, quàm Romana Eccleſia prædicat & obſervat, vinculo perpetui anathematis innodamus. Hæc Lucius. Satis quidem arroganter: ac ſi Romanæ Eccleſiæ prædicatio & obſervatio eſſet fidei Chriſtianæ divina & infallibilis regula. Id quod ſcripturæ ſacræ præſidio deſtitutum, & experimento contrario ſæpe refutatum, & antiquiorum Pontificum, aliorumq; Patrum ac Conciliorum judiciis jampridem exploſum eſt. Vide quæ diſſeruimus de Liberio, Anaſtaſio, Hormiſda, Vigilio, Honorio, & aliis Rom. Pontificibus in hoc opere. Vide etiam inferiùs, §. 28. Sed quid tandem ait Lucius Papa, quod ad præſentem de pœnitentia controverſiam ſpectet? nempe, peccatorum confeſſionem ponit in numero ſacramentorum Eccleſiaſticorum: at non aſſerit, de ſolis veris & propriè dictis ſacramentis ſe loqui; imò ſacramenta potiùs generaliore ſenſu hic accipi, inde colligere eſt; quia quàm latè patet materia circa quam exercetur hæreſis in Chriſtianis dogmatibus, tam largâ acceptione dici videntur hic ſacramenta, cum omnibus hæreticis anathema denuncians nullam aliam commemoret diſſenſionis materiam, niſi Eccleſiaſtica ſacramenta, id eſt, dogmata. Deinde ſolius meminit confeſſionis peccatorum, quam tamen Scotiſtæ negant eſſe ſacramentum, aut partem ſacramenti, ut mox patebit. Utrùm verò partes conſtitutivæ ſacramenti propriè dicti ſint contritio, abſolutio, & ſatisfactio, vel quemadmodum ad hoc ſacramentum confeſſionis reducantur, non docet Lucius.

*De Lucio 3. Papa Rom.*

21. Alexander Alenſis ait pœnitentiam, ordinem, & matrimonium, eſſe quidem novæ legis, quia in illa ſunt approbata; ſed non eſſe in nova lege inſtituta hæc tria ſacramenta. part. 4. qu. 9. memb. 2. §. 1. licet poſtea aliter doceat de pœnitentia, quæſt. 14. memb. 1. artic. 2. §. 4. & art. 3.

*Alexand. Alenſis.*

22. Thomas 3. part. quæſt. 84. art. 1. ad 3. In pœnitentia (inquit) eſt aliquid, quod eſt ſacramentum tantum; ſcilicet actus exterius exercitus tam per peccatorem pœnitentem, quàm etiam per ſacerdotem abſolventem: res autem & ſacramentum, eſt pœnitentia interior peccatoris; res autem tantum, & non ſacramentum, eſt remiſſio peccati. Idem ead. quæſt. art. 3. in corpore articuli. Ea (inquit) quæ ſunt ex parte pœnitentis, ſive ſint verba ſive facta, ſunt materia hujus ſacramenti; ea verò quæ ſunt ex parte ſacerdotis, ſe habent per modum formæ: nam hoc ſacramentum perficitur per ea quæ ſunt ex parte ſacerdotis. Hæc ibi. Idem etiam in 4. ſent. diſt. 14. qu. 1. art. 1.

*Thomas Aquinas.*



art. 1. ad 2. verba (inquit) ſacerdotis abſolventis ſunt forma hujus ſacramenti, quibus exprimitur abſolutionis actus. Et ibidem, ad 3. ait ſacerdotes exhibere hoc ſacramentum, quia abſolvunt confitentes & ſatisfactionem injungunt: requiri autem aliquod principium ex parte noſtra. Hæc Thomas.

23. Non ſatis convenit Thomæ cum magiſtro ſententiarum, dum interiorem pœnitentiam peccatoris vocat ſacramentum. Nec ſibi ipſi conſentanea dicit Thomas, dum materiam ſacramenti pœnitentiæ conſtituit in actibus exterioribus pœnitentis, & formam in verbis ſacerdotis exprimentibus abſolutionis actum; & tamen interiorem pœnitentiam & injunctionem ſatisfactionis ſacramento includit, quæ neque ſunt de materia neque forma hujus ſacramenti, adeoque huic ſacramento intrinſeca non ſunt. Nam pœnitentia interior non eſt actus exterior pœnitentis; injunctio ſatisfactionis non eſt verbum illud ſacerdotis, quo exprimitur abſolutionis actus. Et Thomas 3. parte, quæſt. 84. art. 3. diſertè docet, convenientiſſimam hujus ſacramenti formam eſſe hæc verba, *Ego te abſolvo*. Thomæ autem & Durandi diſſenſio ex ſuperioribus manifeſta eſt, ſupra, §. 19.

24. Bonaventura in 4. ſent. diſt. 17. part. 2. art. 1. quæſt. 3. ait confeſſionem, quantum eſt de ſe, eſſe opus humanum, eamque non à Chriſto inſtitutam, ſed à Domino tantum inſinuatam; ab Apoſtolis autem inſtitutam, & ab Epiſcopo Hieroſolymitano ſancto Jacobo promulgatam. Jacob. 5. illis verbis, *Confitemini alterutrum peccata veſtra*. Quæ verba de confeſſione mutuâ, non præbere patrocinium confeſſioni illi, quam Papiſtæ ſacramentalem vocant, ſuperius oſtendimus, §. 14.

*Jacob. 5. 16.*

25. Quam fuerint libera & diverſa citerioribus ſeculis de confeſſione judicia, indicat auctor gloſſæ, de pœnitentia, diſt. 5. Dicunt (inquit) quidam, inſtitutam fuiſſe in Paradiſo ſtatim poſt peccatum. Alii dicunt, quod ſub lege fuit primò inſtituta, quando Joſhua præcepit Achan crimen ſuum confiteri. Alii dicunt, quod in novo Teſtamento à Jacobo, dicente, *Confitemini alterutrum peccata, &c.* ſed melius dicitur, eam inſtitutam fuiſſe à quadam univerſalis Eccleſiæ traditione, potius quàm ex novi vel veteris Teſtamenti auctoritate. Hæc ibi auctor gloſſæ. Idem tenet Panormitanus ſuper cap. Omnis utriuſque ſexûs, Extra, de pœnitentiis & remiſſionibus. Et dicit auctor gloſſæ, loco modo citato, confeſſionem apud Græcos non eſſe neceſſariam; quia non emanavit apud illos traditio talis.

26. Scotus in 4. ſent. diſt. 14. quæſt. 4. ſacramentum pœnitentiæ definit, *abſolutionem hominis pœnitentis, factam certis verbis cum debita intentione prolatis à ſacerdote, &c.* Et paulò pòſt ibidem, *Pœnitentia* (inquit) *eſt abſolutio, id eſt, quædam ſententia definitiva judicis ſecundarii, vel commiſſarii, abſolventis reum.* Et inferiùs ibidem, ait *confeſſionem eſſe diſpoſitionem præviam ad ſacramentum pœnitentiæ.* Item; *Nihil pertinens ad ſacramentum pœnitentiæ poſſe à laico diſpenſari.* Hæc Scotus. Et hanc ſententiam tuentur hodieque illi qui Scotum ſequuntur, quos eo nomine reprehendit Bellarminus, libro 1. de pœnitentia, cap. 16. §. Atque hæc quidem. & ſeqq.

27. Floruerunt *Bonaventura* & *Thomas* circa annum Dom. milleſimum ducenteſimum ſexageſimum. *Scotus* florebat anno Dom. milleſimo treceteſimo. *Durandus* circa annum Domini milleſimum treceteſimum vigeſimum. *Nicolaus Panormitanus* florebat anno Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo nono, quo anno Eugenium quartum Papam Romanum, agentem intereà Concilium Florentiæ, Patres Baſileenſes, (in quibus erat Nicolaus Panormitanus) aliquoties citatum, cum non comparerer, Pontificatu indignum pronunciârunt, & in ejus locum elegerunt Amedeum, qui dictus eſt Felix quintus.

*Thom. Scotus, Durandus, Nicolaus Panorm. & Eugen. 4. Papa Rom. ejus oppoſitus Amedeus, qui Felix 5. dictus eſt.*

28. Eugenius ille cum Concilio illo Florentino pœnitentiam accenſuit ſacramentis novæ legis. Quartum (inquit) ſacramentum eſt pœnitentia: cujus quaſi materia ſunt actus pœnitentis, qui in tres diſtinguuntur partes. quarum prima eſt cordis contritio: ad quam pertinet, ut doleat de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero. Secunda eſt oris confeſſio, ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata quorum memoriam habet, ſuo ſacerdoti confiteatur integraliter. Tertia eſt ſatisfactio pro peccatis, ſecundùm arbitrium ſacerdotis: quæ quidem præcipuè fit per orationem, jejunium, & eleemoſynam. Forma hujus ſacramenti eſt, Ego te abſolvo, &c. Miniſter hujus ſacramenti eſt ſacerdos, habens auctoritatem abſolvendi, vel ordinariam, vel ex commiſſione ſuperioris. Effectus hujus ſacramenti eſt abſolutio à peccatis. Hæc Eugenius in Concilio Florentino, in inſtructione Armeniorum.

*Eugenii & Concilii Florentini doctrina de ſacramento pœnitentiæ.*

29. Nomen ejus ante Pontificatum erat Gabriel Condelmerius; ſuſcepto Pontificatu dictus eſt Eugenius quartus. Is anno Domini 1431. ſucceſſit Martino quinto, cujus Martini Papæ juſſu congregata eſt Synodus Baſileenſis, quæ etiam generalis dicitur. cui præſedit Martini ac ſedis Apoſtolicæ Legatus Julianus S. R. E. titulo ſancti Angeli diaconus cardinalis. quo in munere illum Eugenius Papa confirmavit, ut conſtat ex ejus literis ad Julianum ſcriptis & inſertis ſeſſioni primæ illius Concilii, datis anno Dom. 1431. ſecundo Calend. Junii, Pontificatus Eugenii anno primo. In hoc Concilio Baſileenſi declaratum eſt, Papam eſſe infra Concilium, ſeſſ. 2. Deinde ortâ inter Concilium & Papam Eugenium diſſenſione, Papa à Concilio depoſitus eſt, ſuffecto Amedeo, qui dictus eſt Felix quintus. Extat decretum illius depoſitionis in actis Concilii Baſileenſis, ſeſſione trigeſima quartâ, ubi Concilium in Gabrielem illum, dictum Eugenium Papam quartum, fert ſententiam definitivam; pronuncians, decernens, & declarans eum fuiſſe & eſſe (*verba ſunt decreti*) notorium & manifeſtum contumacem, unitatis & pacis Eccleſiæ Dei perturbatorem notorium, univerſalis Eccleſiæ ſcandalizatorem, notorium Simoniacum, perjurum, incorrigibilem, ſchiſmaticum, à fide devium, pertinacem hæreticum, &c. ac propterea eum à Papatu & Romano Pontificio deponit. Huic ſynodali decreto non paruit Eugenius, ſed gliſcente inter Concilium & illum diſcordiâ, tranſtulit ſeu transferre ſe dicebat ſynodum in alium locum. Ipſe enim cum ſuis ſequacibus, licet reclamante Concilio Baſileenſi, conventiculum coegit Ferrariam: ut patet ex Concilii Baſileenſis, ſeſſione 32. 35. 38. 39. De electione verò Amedei Ducis Sabaudiæ, qui poſtea Felix quintus dictus eſt, legere eſt in actis ejuſdem Concilii, ſeſſ. 39. & ſeſſ. 40. Poſtea Eugenius ſedem Concilii delegit Florentiam, ubi celebratum eſt Concilium,

*De Eugenio 4. Papa Rom. ejuſque depoſitione, & electione Amedei, narratio hiſtorica.*

*Eugenii crimina.*

*A fide devius, pertinax hæreticus.*

*Concil. Florent.*

lium, pro unitione Græcorum cum Latina Eccleſia, ſed abſque optato eventu. Decreverat autem Synodus Baſileenſis celebrandum cum Græcis Concilium, non illo, ſed alio in loco; ut patet ex ſeſſ. 25. & 32.

*Concilium Baſil.*

30. Si tot Patres, Cardinales, Archiepiſcopi, Epiſcopi, aliique Doctores, in Baſileenſi Concilio ſedentes audiantur, nullius habebitur auctoritatis, quicquid illo tempore decrevit aut promulgavit Eugenius. Et exſtat adhuc Panormitani (qui Concilii Baſileenſis Eugenium abdicantis pars fuit) ſententia de confeſſione, planè diſſentanea ab Eugenii declaratione de ſacramento pœnitentiæ, ut ſuperiùs monebamus, §. 25.

*Doctrinam Eugenii non recipit Panormitanus.*

31. Et poſtea Joannes Major, circa annum Dom. 1500. applaudente Sorbonâ, palàm defendit illam Scoti doctrinam de ſacramento pœnitentiæ, ſuperiùs memoratam; ſic definiens pœnitentiam ſacramentum: Pœnitentia eſt verba certa prolata à ſacerdote juriſdictionem habente, cum intentione debita, ſignificantia pœnitentem ſolvi à peccatis. Et hanc definitionem explicans, ait, verba poni loco generis, nam (inquit) omnis pœnitentia eſt verba: ſed non è converſo. Et paullò poſt; Dicitur (inquit) *certa*, quia non omnia verba ſufficiunt: & ſunt iſta; *Abſolvo te ab omnibus peccatis tuis.* [&] *Ego abſolvo te ab omnibus peccatis tuis, in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti.* Et paullò inferiùs, Ex iſta (inquit) definitione ſequitur, quòd ſacramentum pœnitentiæ non componitur ex materia & formâ. niſi velis dicere quod voces ſunt aër: ſed loquor cum vulgo loquentibus, voces ſunt accidentia in aëre. Nullum enim accidens componitur ex materia & formâ metaphyſicè. Senſibile autem verbum eſt materia: & intentio Presbyteri, quæ eſt ſpiritualis, rationem formæ participat; non tamen componit unum hoc aliquid cum verbis. Quinto ſequitur, quòd contritio non eſt pars pœnitentiæ integralis pœnitentiam componens. Contritio enim nihil aliud eſt, quàm pœnitentia virtus; quæ eſt accidens in animâ: Pœnitentia autem ſacramentum eſt accidens in aëre. Nec eſt pars ſubjectiva ſecundæ intentionaliter: ſed eſt pars pœnitentiæ ad hunc ſenſum, quod pœnitentiæ præſupponitur ad hoc, ut pœnitentia ſacramentum ſuum effectum cauſet, puta gratiam. *Et paucis interpoſitis*, Verè pœnitens ante ſacramentum pœnitentiæ acquirit remiſſionem ſuorum peccatorum: quamprimùm enim aliquis habet diſplicentiam de ſuis peccatis, paratus facere emendam de eis propter Deum, remittuntur ei peccata ſua, & infunditur gratia. Secunda concluſio; Virtute pœnitentiæ ſacramenti, confitenti per verba ſacramentalia confertur gratia pœnitentialis. Tertia concluſio: Sacramentum pœnitentiæ, nullo modo delet peccatum. Probatur ſic; vel tranſiens ad confeſſionem prius dolet quàm ſacerdos applicet ſacramentum, vel ſimul: utroque autem illorum dato peccata delentur per pœnitentiam virtutem. ſi enim non doleat de peccatis, pœnitentia ſacramentum ea non delet. *Et paulò poſt*, Pœnitentia ſacramentum non eſt ſecunda tabula poſt naufragium, quoad remiſſionem culpæ: ſed bene quoad remiſſionem totalis pœnæ vel partis ejus, & ad collationem gratiæ virtute operis operati. Dixi, *ſacramentum*, quia pœnitentia virtus eſt ſecunda tabula poſt naufragium, quoad remiſſionem culpæ. Hæc Joannes Major in 4. ſent. diſt. 14. quæſt. 2. Confidenter, & abſque hæreſeos aut pernicioſi erroris notâ, diſcedens ab illa ſententia Eugenii, quam promulgavit Florentiæ; tum quoad definitionem, & partes ſacramenti pœnitentiæ, tum quoad effectum ejuſdem.

*Joannes Major defendit ſententiam Scoti ſuperiùs memoratam, §. 21.*

*Sacramentum pœnitentiæ non componitur ex materia & forma.*

*Contritio non eſt pars ſacramenti Pœnitentiæ, ſed eſt præſuppoſita diſpoſitio ſeu virtus in animâ.*

*Verè pœnitens ante ſacramentum pœnitentiæ acquirit remiſſionem ſuorum peccatorum.*

*Sacramentum pœnitentiæ nullo modo delet peccatum.*

*Secunda tabula poſt naufragium.*

32. Poſtea Synodus Tridentina, anno Dom. 1551. ſeſſ. 14. aſſeruit, ſacramentum pœnitentiæ eſſe verè & propriè ſacramentum, & à Domino tunc præcipuè inſtitutum eſſe, cum à mortuis excitatus, inſufflavit in diſcipulos ſuos, dicens, *accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, &c.* Joan. 20. quem locum ab iſta parexegeſi, poſtea, Deo donante, vindicabim⁹, & docebimus, adſtipulante etiā Catholicâ antiquitate, verba illa Domini ad auctoritatem publicæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ & publicum uſum clavium, non autem ad aliquod verum & propriè dictum pœnitentiæ ſacramentum pertinere. Ait eadem Tridentina Synodus, eâdem ſeſſione, Sacramenti pœnitentiæ formam in illis miniſtri verbis poſitam eſſe, *Ego te abſolvo, &c.* Eſſe autem quaſi materiam hujus ſacramenti ipſius pœnitentis actus, nempe, contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem: qui (inquit) quatenus in pœnitente ad integritatem ſacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione requiruntur, hac ratione, Pœnitentiæ partes dicuntur. Hæc Synodus Tridentina, ſeſſ. 14. ubi etiam contradicentibus anathema denunciat. Sed clave errante, & injuſto furore.

33. Nam 1. inſtitutio divina deſideratur talis ſacramenti. 2. Nuſquam in ſcripturis legimus, vel Chriſtum, vel Apoſtolorum quenquam, imperâſſe vel audiviſſe privatas auriculares iſtiuſmodi confeſſiones, quales hodie exigunt Papiſtæ; vel confitenti privatam iſtiuſmodi abſolutionem, quæ ſacramenti pars formalis eſſet, impertiviſſe: vel ſatisfactionem injunxiſſe pœnalem præſtandam poſt abſolutionem. 3. Deeſt ſacramento pœnitentiæ corporale viſibile elementum. quod eſſe in omni ſacramento novi fœderis propriè dicto neceſſarium, oſtendimus ſuprà, cap. 1. in inveſtigatione definitionis ſacramenti.

34. Neque audiendus Durandus, qui ut hujus objectionis vim devitet, ait non omnia ſacramenta novæ legis conſiſtere in verbis & rebus: Sacramenta enim pœnitentiæ & matrimonii, conſiſtere in ſolis verbis, in 4. ſent. diſt. 1. q. 3. Hanc Durandi opinionem rejiciendam eſſe, ait Philippus Faber Faventinus in 4. ſent. diſt. 3. diſputatione 9. ubi cum aliis multis Theologis docet, res & verba eſſe partes eſſentiales ſacramenti, ita ut alterâ iſtarum partium ablatâ non ſit ſacramentum. Sed dum hoc axioma applicat ad pœnitentiam, pro re ponit actus pœnitentis, videlicet, contritionem, confeſſionem, ſatisfactionem: quos actus, tanquam materiam, ait ſubeſſe & ordinari ad verba formæ, à quibus perficiuntur & determinantur. At verò neque contritio eſt res ſenſibilis, neque confeſſio, exercita priùs per pœnitentem, & jam tranſacta, & non ampliùs ſenſibilis, poteſt eſſe idonea materia ſupervenienti formæ. Præterea confeſſio non eſt ſignum viſibile, quale requiri ad materiam ſacramenti oſtendimus ſuprà in definitione ſacramenti. quantùm autem ad ſatisfactionem ea ſuccedit introductioni formæ, ideo non eſt intrinſeca ſacramento: ut rectè argumentatus eſt Durandus. Quod autem attinet impoſitionem manuum, eam non requiri in ſacramento pœnitentiæ, nec eſſe ejus partem, docent Thomas, 3. part. quæſt. 84. art. 4. & Melchior Canus, Relect. de pœnitent. part. 6. pag. 940. & Bellarm. lib. 1. de pœnitentia, cap. 13.



4. Iſta forma, *Ego te abſolvo*, non eſt à Chriſto inſtituta. Sin autem dicas, dediſſe Dominum diſcipulis poteſtatem judicialem remittendi peccata, id eſt, abſolvendi. *Reſpondeo*; dedit quidem poteſtatem remittendi judicialiter, ſeu abſolvendi, per publicam reconciliationem, pœnitentes qui erant excommunicati: at non dedit poteſtatem remittendi judicialiter, non excommunicatis, per privatam ſacramenti cujuſdam propriè dicti adminiſtrationem; qualis hodie uſurpatur à ſacerdotibus Papiſticis. De hoc vide ſuprà §. decimum tertium; & §. decimum quartum; & infra, librum 12. hujus operis.

35. Cum igitur neque ex ſacris literis, neque ex antiquorum Patrum ſcriptis, neque ex citeriorum ſeculorum conſenſu, neque ratione oſtendi poſſit, pœnitentiam eſſe novi Teſtamenti ſacramentum propriè dictum: imò non eſſe, argumenta ex omnibus iſtis locis ſuperiùs depromtâ manifeſtè evincant, concludimus, pœnitentiam non eſſe novi Teſtamenti verum ac propriè dictum ſacramentum.

## CAPUT SEXTUM.

### *De Extrema unctione.*

Eugenius in Concilio Florentino ait, extremæ unctionis materiam eſſe oleum olivæ per Epiſcopum benedictum: & ſubdit; hoc Sacramentum niſi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debere: quem ungendum eſſe ait in oculis propter viſum; in auribus propter auditum; in naribus propter odoratum; in ore propter guſtum, vel loqutionem; in manibus propter tactum; in pedibus propter greſſum; in renibus propter delectationem ibidem vigentem. Formam verò hujus ſacramenti hanc eſſe; Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus quicquid peccaſti per viſum, &c. & ſimiliter in aliis membris. Effectum verò eſſe mentis ſanationem, in quantum autem expedit ipſius etiam corporis. De hoc ſacramento loqui ait Jacobum Apoſtolum. Jacob. 5. 14, 15. Hoc ſacramentum Synodus Tridentina nuncupari ait ſacramentum exeuntium; quia illis infirmis præſertim adhibetur, qui tam periculosè decumbunt, ut in exitu vitæ conſtituti videantur. Iterari etiam poſſe hoc ſacramentum, ſi convaluerint, & in aliud ſimile vitæ diſcrimen inciderint. Hoc eſſe verè & propriè ſacramentum novi Teſtamenti, à Chriſto Domino noſtro inſtitutum, & apud Marcum quidem inſinuatum; per Jacobum autem Apoſtolum ac Domini fratrem fidelibus commendatum ac promulgatum. Proprios autem hujus ſacramenti miniſtros eſſe Eccleſiæ Presbyteros, id eſt, Epiſcopos aut ſacerdotes. Effectum verò eſſe abſterſionem delictorum, ſi quæ ſint expianda adhuc, ac reliquiarum peccati, & alleviationem atque confirmationem animæ ægroti, & interdum etiam ſanitatem corporis, ubi ſaluti animæ expedierit. Materiam hujus ſacramenti eſſe oleum ab Epiſcopo benedictum. Hæc docet Synodus Tridentina de ſacramento extremæ unctionis, ſeſſione decima quarta. Similia docuit olim Petrus Lombardus, 4. ſent. diſt. 23. ubi ait; unctionem illam fieri non poſſe, niſi de oleo ab Epiſcopo conſecrato. ubi Scotus, Conſecratio, inquit, Epiſcopalis eſt neceſſaria ad hoc, ut ſit materia apta. Idipſum docet Thomas ibidem, quæſtione primâ, articulo tertio; & Bonaventura ibidem, quæſtione tertiâ; & Bellarminus conſecrationem & benedictionem Epiſcopalem in hoc ſacramento ait eſſe de eſſentia materiæ ſacramenti. lib. de extrema unctione, cap. 7.

2. De effectu inter ſe diſcrepant. Thomas ait, in 4. ſent. diſtinct. 23. quæſt. 1. art. 2. hoc ſacramentum inſtitutum eſſe ad ſanandum debilitatem & ineptitudinem, quæ in nobis relinquitur ex peccato actuali, vel originali; non autem contra ipſum peccatum originale, & mortale: & ideo principalem effectum hujus ſacramenti eſſe remiſſionem peccatorum, quoad reliquias peccati, ſive mortalis, ſive venialis, etiam quantum ad culpam, ſi eam inveniat. Et rejicit eorum ſententiam qui dicunt, ſacramentum hoc principaliter inſtitutum eſſe propter peccatum veniale. Hanc Thomæ opinionem ſequuntur Bellarminus, libro de Extrema unctione, capite octavo; & Balthaſar Paez, Commentario in epiſtoli Jacobi, 5. 15. at Bonaventura, in 4. ſent. diſtinct. 23. iſtam Thomæ doctrinam ex profeſſo oppugnat: & tuetur, ſacramentum hoc inſtitutum eſſe non contra peccatum originale, nec contra mortale; ſed principaliter contra peccatum veniale: & hanc eſſe ait communem opinionem. Idipſum docent ibidem Scotus, & Durandus, & Joannes Major. ſanitatem etiam corporis interdum, ubi ſaluti animæ expedierit, effectum eſſe ſacramenti extremæ unctionis, definiunt Concilia Florentinum & Tridentinum: quæ eſt (inquit Paes) communis ſententia cum Magiſtro in quarto, diſtinctione vigeſima tertia, ubi D. Thomas, Bonaventura, Richardus, Sotus, quæſtione primâ, articulo ſecundo, qui tamen in hac re nobis non placet, cùm putat, corporalem ſanitatem eſſe abſolutum & infallibile effectum hujus ſacramenti. Hæc Balthaſar Paes, Theologus Luſitanus, Commentario in epiſtolam Jacobi. Ubi vides etiam diſſenſionem de effectu unctionis, quantum ad ſanationem corporis. Et certè in verbis illis Jacobi Apoſtoli, [*Et oratio fidei ſalvabit infirmum, & allevabit eum Dominus: & ſi in peccatis fuerit, remittentur ei.*] non minus abſoluta nec magis conditionata videtur promiſſio de ſanitate corporali, quàm de remiſſione peccatorum. Et olim, cum adhuc vigerent in Eccleſia χαρίσματα ἰαμάτων, dona ſanationum, unctionem tunc uſitatam ſequebatur ſanitas corporalis: ſicut & ante Chriſti paſſionem fecerant Apoſtoli, qui *ungebant oleo multos ægrotos, & ſanabant.* Marc. 6. 13. Paulus etiam ſolâ prece & impoſitione manuum, ſanavit Patrem Publii in inſulâ Melitâ. Act. 28. 8. ubi unctionis nulla fit mentio. Miror (inquit Paes in caput 5. Jacobi, verſu 14. & 15.) Cajetanum hic dixiſſe, nec ex verbis, nec ex effectu verba hæc loqui de ſacramentali unctione, ſed magis de unctione, quam inſtituit Dominus Jeſus in Evangelio à diſcipulis exercendam in ægrotos. Hæc Paes.

*Jacob. 5. 15.* *Marc. 6. 13.* *Act. 28. 8.*

*Diſſenſio de ſenſu verborum Jacobi Apoſtoli.*

*Diſſenſio de inſtitutione Extremæ unctionis.*

3. De hujus ſacramenti inſtitutione etiam variant ſententiæ. Thomas probabiliorem eſſe exiſtimat eam ſententiam, qua dicitur, Chriſtum inſtituiſſe hoc ſacramentum per ſeipſum, & promulgandum reliquiſſe Jacobo Apoſtolo, in 4. ſent. diſt. 23. qu. 1. art. 1. Sic Synodus Tridentina, ſeſſione 14. à Chriſto apud Marcum quidem inſinuatum, per Jacobum autem promulgatum. At Bonaventura, in 4. ſent. diſt. 23. art. 1. quæſt. 2. hanc opinionem rejicit; quomodo enim probabile eſt, (inquit) ut omnes Evangeliſtæ ſic ſub ſilentio tam nobilia ſacramenta (Confeſſionis & unctionis) pertranſiiſſent, ſi Chriſtus inſtituiſſet? & ideo probabilius alii dicunt, & Magiſter videtur hoc ſentire, imò apertè dicit, quod Spiritus Sanctus per Apoſtolos hoc ſacramentum inſtituit; ſicut ſuprà dictum eſt de ſacramento confirmationis. Hæc Bonaventura. Petrus Lombardus ibidem; Hoc (inquit) ſacramentum unctionis infirmorum ab Apoſtolis inſtitutum legitur. ait enim Jacobus, *infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ; & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; & allevabit eum Dominus: & ſi in peccatis fuerit, dimittentur ei.*

*Jacob. 5. 14, 15.*

Et Hugo de ſancto Victore dicit à Jacobo hoc ſacramentum inſtitutum eſſe, libro ſecundo, de ſacramentis, parte decimâ quintâ, capite ſecundo. quæ verba Lombardi & Hugonis Thomas & Bellarminus debere intelligi ajunt de inſtitutione promulgatoria, non de propriè dictâ inſtitutione. At Bonaventura hanc expoſitionem verborum Lombardi rejicit, & contendit, hoc ſacramentum unctionis Apoſtolos, id eſt, totum collegium Apoſtolorum inſtituiſſe inſtitutione propriè dictâ, Jacobum autem promulgâſſe. Cajetanus (ut ſuperiore paragrapho vidimus) dicit, neque apud Marcum, neque apud Jacobum intelligendam eſſe ſacramentalem unctionem.

*Extrema unctio non eſt à Domino præcepta.*

4. Balthaſar Paës, in ſuo Commentario in epiſtolam Jacobi, exponens verbum illud, *advocet presbyteros*, capite quinto, verſu decimo quarto, quod verbum (inquit) non intelligendum eſt inducere aliquam obligationem præcepti, ut reſolvit D. Thomas in 4. ſent. diſt. 23. quæſt. 1. Bonavent. diſt. 23. in expoſitione literæ, & eſt communis ſententia. Unde infirmus omittens hoc ſacramentum, non peccat, ſecluſo contemtu, & aliorum ſcandalo. Tria namque ſola ſacramenta, Baptiſmus, pœnitentia, & Euchariſtia, ſunt de præcepto divino. Hæc Paës. At quomodo poterit dici ſacramentum propriè dictum, quod non eſt à Domino præceptum, cum promiſſione gratiæ? Chriſtus inſtituit ſacramenta, non ſub conſilio, neque ut res indifferentes permiſſa noſtro arbitrio, ſed ut eſſent nobis gratiæ ipſius ſigna, quæ accipi à nobis voluit, & præcepit. Imò ſi non ſit à Domino præceptus eorum uſus, verendum eſt ne infructuoſus, aut etiam periculoſus ſit. Nam periculoſa res eſt ἐθελοθρησκεία. Et hoc, ut grave crimen exprobrat Deus Iſraelitis, quod tanquam religioſum quendam cultum, illud ſibi faciendum exiſtimaverint, & fecerint, quod ipſe non præcepit, neque cogitavit in corde ſuo.

*Hieron. 7. 31.*

*Diſſenſio de unctione ab Apoſtolis facta, quam commemorat Marcus Evangeliſta cap. 6. 13.*

Memoratu etiam Balthaſar Paës eorum rejicit ſententiam, qui exiſtimant, unctionem illam de qua Marcus meminit, capite ſexto, eſſe ſacramentalem: Neque enim (inquit) eorum nobis placet ſententia, qui dicunt, ſacramentum Extremæ unctionis ante paſſionem fuiſſe; quia unctio illa non erat ſacramentalis, ſed inſignum quoddam: dabatur enim etiam non baptiſatis, & per Apoſtolos antequam eſſent initiati ſacerdotio. Hæc ille, in caput quintum Jacobi, verſu decimo quinto.

*Diſſenſio de miniſtro Extremæ unctionis.*

5. De miniſtro etiam ſacramenti hujus diſcordia eſt. Thomas Waldenſis, libro ſecundo de ſacramentis, capite penultimo, ait, ubi nulli adſunt ſacerdotes, tunc licere etiam laicis hoc ſacramentum miniſtrare. Huic opinioni contraria eſt communis ſententia, & canon ille Concilii Tridentini: *Si quis dixerit proprium Extremæ unctionis miniſtrum non eſſe ſolum ſacerdotem; Anathema ſit.* ſeſſione decima quarta. De Extrema unctione, canone quarto. Et Bellarminus aſſerit, hoc ſacramentum requirere eſſentialiter miniſtrum ſacerdotem. lib. de Extrema unctione, cap. 9.

*Bellarmini gloriatio de teſtimonio Innocentii I. Papæ Romani.*

6. Citat Bellarminus, libro de Extrema unctione, capite quarto, quædam veterum teſtimonia: in primis autem gloriatur teſtimonio Innocentii primi Papæ Romani, quem auctorem jactat non eſſe à Chemnitio nominatum, non quod eum Chemnitius ignoraverit, ſed quod hoc teſtimonium attingere non auſus fuerit. Innocentium enim expreſſè & clarè dicere hanc unctionem eſſe ſacramentum à Jacobo explicatum, & ideo non dari iis qui non ſunt capaces aliorum ſacramentorum. &c.

*Epiſtola Innocentii ad Decentium.*

7. Innocentii verba ſunt, epiſtola prima ad Decentium Epiſcopum Eugubinum, capite octavo. Sane quoniam de hoc, ſicuti de cæteris, conſulere voluit dilectio tua, adjecit etiam filius meus Cæleſtinus diaconus in epiſtola ſuâ, eſſe à tua dilectione poſitum illud, quod in beati Apoſtoli Jacobi epiſtola conſcriptum eſt, *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; & oratio fidei ſalvabit infirmum, & ſuſcitabit illum Dominus: & ſi in peccatis fuerit, remittentur ei.*

*Jacob. 5. 14, 15.*

quod non eſt dubium de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui ſancto oleo chriſmatis perungi poſſunt, quod ab Epiſcopo confecto, non ſolum ſacerdotibus, ſed omnibus uti Chriſtianis licet in ſua aut ſuorum neceſſitate inungendo. Cæterum illud ſuperfluum videmus adjectum, ut de Epiſcopo ambigatur, quod presbyteris licere non dubium eſt. Nam idcirco de Presbyteris dictum eſt; quia Epiſcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non poſſunt. Cæterum ſi Epiſcopus aut poteſt, aut dignum ducit, aliquem à ſe viſitandum, & benedicere & tangere chriſmate, ſine cunctatione poteſt, cujus eſt ipſum chriſma conficere. Nam pœnitentibus iſtud infundi non poteſt; quia genus eſt ſacramenti. Nam quibus reliqua ſacramenta negantur, quomodo unum genus putatur poſſe concedi? Hæc Innocentius. qui hanc unctionem genus vocat ſacramenti, eo ſenſu, quo multis aliis cærimoniis appellationem ſacramenti à Patribus ſæpe tribui, ſuperius oſtendimus, quæ tamen non ſunt ſacramenta propriè dicta. Neque ait Innocentius, hoc eſſe ſacramentum à Chriſto inſtitutum, quod tamen in ſacramentis propriè dictis requiritur; ſed verba Jacobi de permiſſione potiùs & licentiâ interpretatur, quod ſcilicet ſancto oleo perungi poſſint fideles ægrotantes, & eo Chriſtianis liceat uti in ſua aut ſuorum neceſſitate. Deinde cum morem illo ſeculo apud multos in deſuetudinem abiiſſe, (deſinentibus ſcilicet illis extraordinariis donis ſanationum, aut non ita paſſim tunc vigentibus) patet ex dubitatione Decentii, & modeſtâ reſponſione Innocentii. Ad hæc de effectibus unctionis illius ſpiritualibus nihil ſcribit Innocentius. Miniſtros etiam non ſolos ſacerdotes, ſed etiam omnes Chriſtianos admittit in ſuâ aut ſuorum neceſſitate. quod tamen à Romanenſibus hodie non recipitur. Propterea Dominicus à Soto, diſtinct. 22. quæſt. 7. intelligit Innocentium de uſu olei ſancti extra ſacramentum ad curandos morbos. quomodo Martinum Epiſcopum Turonenſem, oleo à ſe benedicto, ſanâſſe puellam paralyticam, narrat Sulpicius Severus, Epiſcopus Biturícenſis, in vita beati Martini. quæ expoſitio verbis Innocentii inprimis conſentanea eſt. Ridicula autem eſt & manifeſtè violenta illa verborum Innocentii expoſitio, quam adfert Janſenius in caput ſextum Marci; quam etiam ſequitur Bellarminus, libro de Extrema unctione, capite nono, qui dicunt, Innocentium loqui non de miniſtro, ſed de recipiente: ac velle dicere, licere omnibus Chriſtianis uti ſancto oleo in ſuis & ſuorum neceſſitatibus, nimirum advocando ſacerdotes, & accipiendo unctionem illam ſacram, non miniſtrando. Hæc, inquam, expoſitio ipſis Innocentii verbis repugnat, ex quibus conſtat non de ægrotante, ſed de miniſtro dubitatum eſſe. quemlibet enim ægrotantem Chriſtianum, cui adhiberi poſſit unctio, ſive is laicus eſſet ſive clericus, manifeſtè indicant Jacobi Apoſtoli verba; *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros, &c.* at manebat dubitatio, Num abſentibus presbyteris inungere poſſent laici: & Innocentius affirmando reſpondet poſſe. Atque hanc eſſe mentem Innocentii, inde etiam patet, quia ait non ſolum ſacerdotibus, ſed omnibus Chriſtianis uti licere hoc ſancto oleo in ſua aut ſuorum neceſſitate, inungendo. quomodo enim, quæſo, uti poterit laicus hoc oleo in neceſſitate amici ægrotantis, inungendo, niſi unctionem miniſtrando ſeu peragendo ſuper corpus ægrotantis amici? Non enim in ſuo corpore illud recipiendo proderit amico. Neque dicit Innocentius, non ſolis Presbyteris licere uti hoc oleo advocando Presbyteros; ſed disertè ait, non ſolum ſacerdotibus licere eo uti inungendo in ſua aut ſuorum neceſſitate, (ubi apertè loquitur de miniſtratione,) ſed idem quoque licitum eſſe omnibus Chriſtianis. Cùm igitur ſcholaſtici & Papiſtæ miniſterium ſacerdotale affirment eſſe de eſſentia hujus ſacramenti extremæ unctionis; manifeſtum eſt, hoc ſacramentum quod iſti tuentur, non habere patrocinium in verbis Innocentii, de quibus tantopere, ſed inani jactantiâ, gloriabatur Bellarminus.

*Beda.*

8. Beda & Sigebertus eodem ſenſu acceperunt Innocentii verba, quo à nobis expoſita ſunt. Hoc (inquit Beda) & Apoſtolos feciſſe in Evangelio legimus. & nunc Eccleſiæ conſuetudo tenet, ut infirmi oleo conſecrato ungantur à Presbyteris, & oratione comitante ſanentur. Nec ſolum Presbyteris, ſed (ut Innocentius Papa ſcribit) etiam omnibus Chriſtianis uti licet eodem oleo in ſua aut ſuorum neceſſitate ungendo. Hæc Beda, in caput quintum Jacobi. Idem etiam in caput ſextum Evangelii Marci, unctioni illi à Marco commemoratæ applicat verba Jacobi Apoſtoli, quibus hæc ſua verba ſubjungit, Unde patet (inquit) ab ipſis Apoſtolis hunc ſanctæ Eccleſiæ morem eſſe traditum, ut energumeni vel alii quilibet ægroti ungantur oleo, Pontificali benedictione conſecrato. Hactenus Beda. Poſteriora illa Bedæ verba, quæ ſcripſit in expoſitione Evangelii Marci, repetit ex Beda Amalarius, libro primo de Eccleſiaſticis officiis, capite duodecimo. Unde manifeſta eſt novitas doctrinæ Romanenſium de non danda iſta unctione, niſi illis præſertim infirmis, de quibus præſumitur quod exeant de hac vita; ut ſcilicet ſit eis ſacramentum exeuntium, & præſidium morientibus. Hoc ſacramentum (inquit Eugenius in Concilio Florentino) niſi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet. Et Synodus Tridentina ait; Redemtor noſter, Extremæ unctionis ſacramento finem vitæ, tanquam firmiſſimo quodam præſidio, munivit. Seſſione decima quarta.

*Amalarius.*

*Sigebertus.*

9. Sigebertus Gemblacenſis in ſuâ Chronographia, anno Domini 404. de Innocentio I. Papa Romano; Hic (inquit) decrevit, oleo ad uſus infirmorum ab Epiſcopo conſecrato licere uti, non ſolùm Presbyteris, ſed omnibus etiam Chriſtianis in ſuam ſuorumque neceſſitatem ungendo. Hæc Sigebertus. Non recipiendam eſſe reſponſionem Thomæ Waldenſis, contendit Bellarminus lib. de Extrema unctione, cap. 9. ubi ait; Reſpondet Thomas Waldenſis, lib. 2. de ſacramentis, cap. penult. verba Innocentii intelligenda eſſe de eo loco, & tempore, ubi nulli adſunt ſacerdotes: tunc enim licere etiam laicis hoc ſacramentum miniſtrare. Sed hæc expoſitio ab omnibus refellitur; & meritò. Nullum enim eſt ſacramentum, quod non requirat eſſentialiter miniſtrum ſacerdotem, excepto baptiſmo, ob ſummam ejus neceſſitatem, & matrimonio, quia in contractu mutuo nubentium conſiſtit. Hæc Bellarminus. qui etiam ibidem rejicit expoſitionem illam Dominici à Soto, ſuperius memoratam: atque adeò ab expoſitione etiam Bedæ & Amalarii & Sigeberti, & ab ipſius mente Innocentii diſceſſit, ad eam ſe recipiens manifeſtè abſurdam Paremeniam, quam ſuperiùs refutavimus.

*Thomas Waldenſis.*

*Bellarmini falſa aſſertio refutatur.*

10. Rationem reddere conatur Bellarminus, lib. de Extrema unctione, cap. 4. cur non exſtent de ſacramento Extremæ unctionis multa antiqua & expreſſa teſtimonia; nempe hanc, quia videlicet non habuerunt occaſionem de hac re ſcribendi. Sed hoc falſum, nam occaſionem habuerunt Niceni PP. quando proſpexerunt exeuntibus de dando illis ſacramento Euch. can. 13. Item Dionyſius lib. de Eccleſ. Hierar. & Cyrillus Hieroſol. in catecheſibus Myſtagogicis, & Ambroſius in ſuis libris de ſacramentis, ubi ex profeſſo ſcribunt de Eccleſiæ ſacramentis. Occaſionem habuerunt Athanaſius, Baſilius, Greg. Nazianz. Hieronymus, Ambroſius, Severus Paulinus, Poſſidius, & alii, in ſuis hiſtoriis & orationibus de ſanctorum virorum & mulierum vitâ & exitu.

*Argumentatio Bellarmini ex Conciliis & Patribus.*

11. Prætendit etiam quædam Concilia; & alios Patres: nempe Nicæni Concilii ex Arabico in Latinum ſermonem tranſlati canonem 69. & Concil. Cabil. 2. can. 48. Concil. Wormat. can. 72. Meldenſe apud Burchardum. lib. 4. can. 75. Aquiſgr. 2. tempore Ludovici Imp. can. 8. & Mogunt. ſub Rabano Archiep. can. 26. Patres autem in duas claſſes diſtinguit: in quarum priore ponit illos, quos ait non dicere quidem expreſſè hoc eſſe unum ex ſacramentis, tamen expreſſè dicere verba Jacobi ad nos pertinere; & debere etiam

nunc & omni tempore presbyteros id facere, quod Jacobus ſcribit. Ita dicere ait Origenem, homil. 2. in Levitic. Chryſoſt. lib. 3. de ſacerdotio: Auguſtinum, in ſpeculo, & ſerm. 215. de Tempore: & auctorem operis de viſitatione infirmorum, quod habetur tom. 9. operum Auguſtini. & Bedam in cap. 6. Marci. & 5. Jacobi: & Theophylactum in cap. 7. Marci: & Oecumenium in cap. 5. Jacobi. In poſteriore claſſe collocat Bellarminus illos quos dicit, expreſsè inter ſacramenta numerare hanc unctionem; videlicet, Alcuinum libro de divinis officiis, cap. de infirmis: Amalarium, libro de officiis Eccleſ. cap. 12. Petrum Damiani, ſerm. 1. de dedicatione templi: Hugonem, lib. 2. de ſacram. epiſt. 15. cap. 2. & 3. Bernardum in vita S. Malachiæ. Denique Petrum Lombardum 4. ſent. diſt. 23.

*Reſponſio.*

12. Ut de iſtis omnibus reſpondeamus: obſervet lector in antecceſſum, de Conciliis & de priore claſſe nihil dici à Bellarmino, quod efficiat ſacramentum propriè dictum, ac neque ex poſteriore id demonſtrari poſſe ex mero vocabulo *ſacramenti*; quamvis Hugoni & Lombardo quid viſum ſit videatur incertum, & eorum ætas infra antiquitatem Catholicam, quam quærimus, longè ſubſidat. Canon ille Nicænus ex Arabico nuper acceptus, & Catholicis Græcis Latiniſque Patribus incognitus, nec niſi Pii quarti Papæ Romani tempore poſt annum Dom. 1560. in occidente viſus, interprete Baptiſta Romano Jeſuita, admodum ſuſpectæ fidei eſt. Edidit nuper Alphonſus Piſanus, Jeſuita, quatuor libros de Nicæno Concilio, in cujus operis præfatione habetur iſta narratio de Arabico codice octoginta canonum Nicænorum per Baptiſtam Romanum Alexandria Romam allato, & ab eodem Latinè verſo: & ejuſdem operis lib. 3. ipſi illi canones exhibentur. Inſeruit Binius illud Alphonſi Piſani opus tomo primo Conciliorum. Canonis autem illius (qui in ea editione eſt canon 68.) verba, quæ cauſæ ſuæ amica eſſe putavit Bellarminus, hæc ſunt; *Debet ſacerdos benedicere aquam & oleum, non ſicut fit in baptiſmo, neque ſicut benedicitur chriſma; ſed ſicut oleum infirmorum, & ſicut aqua ad mundationē immunditia eorum, qui commiſerant maritinium. Et ſic debet benedicere eis ſacerdos, & aſpergere eis aquā iſtā. Et ipſe etiam, qui aſpergitur, debet lugere, & mundabuntur ab immunditia ſua, remittenturque eis peccatum, orando pro eis.* Hactenus verba canonis, de modo reconciliandi quoſdam lapſos, de quibus ibi agitur. At ſic (inquit Bellarminus) mentio olei infirmorum, & diſtinguitur à chriſmate, & oleo catechumenorum. quid verò hoc ad propoſitam quæſtionem de ſacramento extremæ unctionis? ſanabantur adhuc illo tempore quidam infirmi à morbis corporalibus, adhibitâ unctione cum precatione. Neque magis ex verbis iſtius canonis colligi poteſt, oleum illud fuiſſe ſacramentum propriè dictum, quàm aquam illam fuiſſe ſacramentum propriè dictum: quod tamen non dixerint Romanenſes.

*De canone Nicæno ex Arabico translato.*

13. Celebratum eſt Concilium Cabilonenſe ſecundum anno Domini 813. In illius Concilii cap. 48. dicitur, infirmos oleo, quod ab Epiſcopis benedicitur à Presbyteris ungi debere, ſecundum B. Apoſtoli Jacobi documentum: & interpoſitis Jacobi verbis de oratione & unctione, dicit illa ſynodus, non eſſe parvipendendam hujuſcemodi medicinam, quæ animæ corporiſque medetur languoribus. At non ibi dicitur, unctionem iſtam eſſe ſacramentum; aut medelam animæ provenire virtute ſacramentali unctionis; quam Apoſtolus, ejuſque verba recitans illa ſynodus, tribuit orationi fidei. Præterea ſpe convaleſcentiæ corporalis Patres Cabilonenſes medicinam illam adhibendam cenſuerunt, ut ipſorum verba declarant; contra ac hodie fit à Papiſtis; apud quos hæc unctio adhibetur (ut verbis utar Concilii Tridentini) illis præſertim, qui tam periculosè decumbunt, ut in exitu vitæ conſtituti videantur: unde & ſacramentum exeuntium nuncupatur. Seſſione 14. quantumcunque quis infirmetur, (inquit Bonaventura) non datur ei hoc ſacramentum, niſi præſumatur, quod moriatur, vel quod ſit in articulo mortis. Et ſi conſtaret nobis de aliquo, quod liberaretur ab infirmitate, non deberet dari ei hoc ſacramentum. Hæc Bonaventura, in 4. ſent. diſt. 23. art. 1. quæſt. 1.

*Reſponſio ad canonem Cabilonenſem.*

14. Canon Wormatienſis, & canon Meldenſis, quos citat Bellarminus, non faciunt pro doctrina Papiſtarum de hoc ſacramento. Nam canone Wormatienſi renovatur decretum illud Innocentii, quod hactenus vindicatum eſt. Meldenſis autem jubet parochos ab Epiſcopo accipere ampullam olei ſancti pro infirmis inungendis, juxta Apoſtolicam traditionem. Sed ex Apoſtolica ceremoniæ alicujus traditione non ſequitur, eam eſſe ſacramentum propriè dictum. quod autem ibi dicitur de feria quinta in cœna Domini, & de ampulla ſancti olei ab Epiſcopo accipienda, apud Jacobum non reperitur, neque traditionis Apoſtolicæ pars eſt.

15. Concilium Aquiſgranenſe ſecundum, quod à Bellarmino citatur, celebratum eſt ſub Ludovico Pio Imperatore, anno Domini 833. Ejus decreta in quatuor partes diſtributa ſunt, & ſingulæ partes ſua continent capitula ſeu canones. Citavit Bellarminus octavum canonem partis ſecundæ, quo inſpecto, eique adjuncto tertiæ partis canone quinto, detegitur Bellarmini fraus vel oſcitantia. Aquiſgranenſe (inquit) tempore Ludovici Imperatoris, canone octavo, monet ne hoc ſacramentum negligatur; in quo ſalvatio infirmorum continetur. Similia habet Moguntinum ſub Rabano Archiepiſcopo, canone vigeſimo ſexto. Hæc Bellarminus, libro de Extrema unctione, capite quarto. Verba illius octavi canonis partis ſecundæ Concilii Aquiſgranenſis ſunt; Statutum etiam eſt, ut ſemel in anno, id eſt, in quinta feria, quæ eſt in cœna Domini, unctio ſancti olei, in quo ſalvatio infirmorum creditur, per omnes civitates ab Epiſcopis non negligatur, ſicut nunc uſque neglecta eſt; ſed omni devotione, juxta traditionem Apoſtolicam ac ſtatuta decretalium, in quo de eadem re præcipitur, peragatur. Hactenus canon ille octavus ſecundæ partis. Conſidera etiam hæc verba quinti canonis partis tertiæ; Si autem infirmitate depreſſus aliquis fuerit, ut nec confeſſione, atque oratione ſacerdotali, nec non unctione ſanctificati olei, per Presbyteri negligentiam careat. Denique ſi finem urgentem perſpexerit, commendet animam Chriſtianam Domino Deo ſuo more ſacerdotali, cum acceptione ſacræ communionis, corpuſque ſepulturæ, non ut mos eſt gentilium, ſed ſicut Chriſtianorum. Ex his verbis quinti canonis partis tertiæ, collatis cum octavo canone partis ſecundæ, manifeſtum eſt, Patres Aquiſgranenſes ſalvationem infirmorum, canone illo octavo intellexiſſe corporalem, ſeu curationem morbi corporis, non autem



autem ſacramentum & præſidium morientium; neque aliud dari voluiſſe ſacramentum exeuntibus, niſi ſolam Euchariſtiam. In Concilio autem illo Moguntino, quod ſub Rabano Archiepiſcopo celebratum eſt anno Dom. 847. can. 26. ſtatuitur, ut infirmi in mortis periculo poſiti, orationibus & conſolationibus Eccleſiaſticis ſacrà cum unctione Dei animati, ſecundùm ſtatuta ſanctorum Patrum communione viatici reficiantur. Ubi fit quidem unctionis mentio, ſed infirmorum illorum animatio precibus cum unctione, ſpiritualis autem & ultima refectio communioni viatici tribuuntur. Unctio autem illa neque ſacramentum, neque extrema, neque ſacramentum exeuntium nuncupatur. Hinc jam manifeſtum eſt, doctrinam Romanenſium de Extrema unctione non inveniri in Conciliis illis quæ nominavit Bellarminus.

16. Accedo nunc ad Patres, quos pro ea doctrina adducit, ſicuti ſuperiùs indicatum eſt, §. 11. Origenes homil. 2. in Leviticum, enumerat ſeptem modos conſequendi remiſſionem peccatorum. 1. Baptiſmum. 2. martyrium. 3. eleemoſynam. 4. Cum nos remittimus peccata fratribus. 5. Cum converterit quis peccatorem ab errore viæ ſuæ. 6. Abundantiam charitatis. 7. Pœnitentiam. Eſt (inquit) adhuc & ſeptima, licet dura & laborioſa, per pœnitentiam remiſſio peccatorum, cùm lavat peccator in lachrymis ſtratum ſuum, & fiunt ei lachrymæ ſuæ panes die ac nocte; & cum non erubeſcit ſacerdoti Domini indicare peccatum ſuum, & quærere medicinam, ſecundum eum qui ait; *Dixi, pronunciabo adverſum me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti iniquitatem cordis mei.* In quo impletur & illud, quod Apoſtolus dicit: *Si quis autem infirmatur, vocet Presbyteros Eccleſiæ, & imponant ei manus, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum: & ſi in peccatis fuerit, remittentur ei.* Hæc ibi Origenes. quæ quantum diſtent à doctrina Romanenſium de ſacramento Extremæ unctionis, quilibet mediocris judicii lector facile perſpicere poteſt. Nam nullius ſacramenti mentionem ibi facit Origenes, niſi baptiſmi, neque meminit exitus ex hac vita, neque dicit utendum eſſe unctione, ſed illud quod Jacobus ſcripſit, dicit impleri quando pœnitens flet, & confitetur ſuum peccatum, & obtinet remiſſionem.

*Pſal. 32. 5.*

*Jacob. 5. 14. 15.*

17. Chryſoſtomus, lib. 3. de ſacerdotio, cap. 6. ex hoc loco Jacobi oſtendit, ſacerdotes poteſtatem habere per preces adjuvandi [ἀντιλαμβάνεσθαι] atque ita remittendi peccata; & recitat integram illam περικοπὴν, ex epiſtola Jacobi, cap. 5. verſib. 14. & 15. ſed nullam myſterii ſeu ſacramenti mentionem illic facit, neque de unctionis uſu differit.

18. Auguſtinus in ſpeculo, recitat hanc Jacobi ſententiam, *Infirmatur quis in vobis, &c.* tanquam unam ex eis, quæ (ut loquitur ipſe in præfatione) etiam nunc, id eſt, tempore Novi Teſtamenti, ad vitam piam exercendam moreſque pertineant. At hinc non colligit Auguſtinus, unctionem illam corporis, de qua loquitur Jacobus, eſſe Novi Teſtamenti ſacramentum propriè dictum. In ſermone autem 215. de Tempore; quotiens (inquit) aliqua infirmitas ſupervenerit, corpus & ſanguinem Chriſti ille qui ægrotat accipiat, & inde corpuſculum ſuum ungat. ut illud quod ſcriptum eſt impleatur in eo; *Infirmatur aliquis, inducat presbyteros, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo. & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei.* Videte fratres, quia qui in infirmitate ad Eccleſiam cucurrerit, & corporis ſanitatem recipere, & peccatorum indulgentiam merebitur obtinere. Cum ergo duplicia bona poſſint in Eccleſia inveniri, quare per præcantatores, per fontes & arbores & diabolica phylacteria, per characteres & aruſpices & divinos vel ſortilegos multiplicia ſibi mala miſeri homines conantur inferre? Hæc ibi. Ubi auctor ſermonis illius pollicetur per illam unctionem ſanitatem corporis, & hoc argumento dehortatur à remediis diabolicis. Animæ autem ſanitatem, ſeu peccatorum indulgentiam, currenti quidem ad Eccleſiam pollicetur, ſed virtute unctionis obventuram non ſpondet. At Romanenſes per Extremam unctionem non ſperant recuperationem valetudinis corporis. Datur (inquit Bonaventura) in ſtatu infirmitatis, non propter infirmitatem, ſed propter hoc quod appropinquat egreſſui; in quo poſſunt venialia perfectè curari, & quod illud ſit verum, patet: quia quantumcunque quis infirmetur, non datur ei hoc ſacramentum, niſi præſumatur quod moriatur, vel quod ſit in articulo mortis; & ſi conſtaret nobis de aliquo, quod liberaretur ab infirmitate, non deberet dari ei hoc ſacramentum. Hæc Bonaventura in 4. ſent. diſt. 23. art. 1. quæſt. 1. ad 1. & ideo Thomas & Durandus, & Bellarminus locis ſuperius citatis, & Synod. Trident. ſeſſ. 14 tantopere deprædicant hujus ſacramenti utilitatem exeuntibus, quamvis inaniter etiam mentionem quandam faciant ſanitatis corporis: quæ ſi rediret, non eſſet illud tunc ſacramentum exeuntis, atque adeò non perfectè curaret peccatorum reliquias, & propterea, ſi eam valetudinis recuperationem prævidiſſent Pontificii, ſacramentum illud non adminiſtraſſent, quod eſt contra mentem Jacobi Apoſtoli, & veterum de hac unctione ſcribentium.

*Jacob. 5. 14. 15.*

19. Opus de viſitatione infirmorum (quod extat tomo 9. operum Auguſtini) non eſſe Auguſtini, agnoſcit Bellarminus, lib. de Extrema unctione, cap. 4. Auctor illius operis ait: ipſam olei ſacrati delibutionem, intelligi Spiritûs Sancti typicalem unctionem. ait quidem, at non confirmat; neque enim id declarat Jacobus Apoſtolus. Continuò autem ibidem Auctor ille ſubjicit, ſuſcipiendum eſſe vivificum Dominici corporis ſupplementum, in viaticum ſaluberrimum. Hæc Auctor de viſitatione infirmorum, lib. 2. cap. 4. ubi ſumtionem Euchariſtiæ videtur facere unctione poſteriorem.

*Reſponſio de opere de viſitatione infirmorum.*

20. De Beda & de Amalario diximus ſuprà, §. 8. Alcuinus autem, lib. de divinis officiis, cap. de infirmis, repetit & approbat verba Innocentii, quæ ſuperius vindicata ſunt, §. ſeptimo. Deinde ejuſdem libri capite ſequente, de his qui in extremis ſunt, repetit canonem 13. Concilii Nicæni primi, de danda illis communione. quamvis autem neque Innocentium nominet, neque Nicænum Concilium, ibi Alcuinus, ipſa tamen eorum verba profert.

*De Alcuino.*

21. Theophylactus hanc, de qua Jacobus loquitur, unctionem eandem facit cum illa unctione, qua uſos eſſe Apoſtolos in miraculoſa curatione ægrotantium commemorat Marcus Evangeliſta, capite ſexto. Non autem eandem eſſe contendit Bellarminus, Ruardum & Janſenium & Dominicum à Soto ſequutus, libro de Extrema unctione, capite ſecundo, in qua etiam ſententia

*Vindicatur Theophylactus.*

tentia omnes illi fuerunt, quos ſupra oſtendimus inſtitutionem hujus ſacramenti retuliſſe ad Apoſtolos. & eadem videtur mens fuiſſe Eugenii, qui in Concilio Florentino citat pro hoc ſacramento ſolius Jacobi teſtimonium, non omiſſurus Marcum, ſi eandem utrobique unctionem intelligendam judicaret. Vide ſuprà, §. 4.

*Vindicatur Oecumenius.*

22. Oecumenius etiam, Commentario in caput quintum Jacobi, explicans illa verba [ungentes oleo] hoc etiam (inquit) Domino inter homines adhuc converſante faciebant Apoſtoli, ungentes ægrotos oleo & ſanantes. Hæc Oecumenius, nec plura illic de unctione. Ubi obſerva eandem Oecumenio eſſe unctionem apud Marcum & apud Jacobum, atque adeò non magis hanc eſſe nobis hoc tempore uſurpandam, quàm illam. Deinde fructum unctionis non alium ab Oecumenio inſinuari, niſi curationem ægroti: qualis præſtabatur iis, quos Apoſtoli pro depulſione morbi corporalis miraculosâ unxerunt oleo; ſicut commemoravit Marcus in Evangelio.

*Vindicatur Petrus Damiani.*

23. Petri Damiani, ſermone illo, qui Bellarmino allegatur, hæc ſunt verba: Ut breviter intelligentiolæ noſtræ propalemus indaginem, duodecim ſacramenta ſunt in Eccleſia, quæ unius fidei pietas contegit: circa quorum inſtantiam reſficitur Chriſtianæ religionis auctoritas. —— Tertium eſt Unctio infirmorum: Infirmantibus nobis, & uſque ad mortem mortali peccatorum febre languentibus, Spiritus pietatis aſſiſtit, & recordatus eſt quoniam pulvis ſumus. Ait enim divus Jacobus, Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini. Et oratio fidei ſalvabit infirmum, & allevabit eum Dominus: & ſi in peccatis eſt, dimittentur ei. Sollemnis unctio, liquor excellens, quo ſanitas redditur, peccatum dimittitur, immittitur timor Domini. Vidéſne qualiter ſacerdotalis manus infirmantis corpus alleret, & illecebroſum ſenſuum motionem, ſacratiſſimâ mitiget unctione? Unde & ſancti PP. hanc unctionem ſacramentum eſſe ſanxerunt. Hęc Petrus Damiani, Cardinalis, ſerm. 1. in dedicationem Eccl. ubi, in margine (edit. Colon. apud Laurent. Surium, tom. 7. pag. 1044. an. Dom. 1581.) ponitur hæc annotatio; 12. ſunt ſacramenta, largè vocem ſacramenti accipiendo. quid agitur animi fuit Bellarm. hoc alleganti teſtimonium, pro ſacramẽto propriè dicto. Pari certè jure hinc colligere potuit, inunctionem Regis, & Dedicationem Eccl. & ordines Monachorum, & Eremitarum, & ſanctimonialium eſſe ſacramenta propriè dicta. Hæc enim in ſuis duodecim ſacramentis connumerat ibi P. Damiani; omiſſo ſacramento Euchariſtiæ. Præterea dicit, hoc ſacramento alleviari corpus infirmantis. Florebat P. Damiani anno Domini 1060. & mortuus eſſe perhibetur, anno Domini 1072.

*12. Sacramenta.*

*Jacob. 5.*

*Detegitur Bellarmini impoſtura.*

*Vindicatur Bernardus.*

24. Bernardus, in vita S. Malachiæ Epiſcopi; Interea (inquit) jubet [Malachias] ſe ſacro oleo ungi. Exeunte conventu fratrum ut ſollemniter fieret, non ſuſtinuit ut ad ſe adſcenderent: ipſe deſcendit ad eos. Jacebat ſiquidem in ſolario, domo ſuperiori. Ungitur, & ſumto viatico fratrum ſe orationibus commendat, & fratres commendans Deo, ad lectum revertitur. Alto de ſolio deſcendebat pedibus ſuis, & rurſum nihilominus ſuis pedibus aſcendebat, & dicebat, mortem eſſe in januis. quis hunc hominem crederet moriturum? Solùm ipſe & Deus id ſcire poterant. Non vultus pallidior, &c. In hac Bernardi narratione unctio illa non appellatur ſacramentum, nedum propriè dictum ſacramentum; neque pro extremo præſidio morientium habetur: nam poſt unctionem Malachias ſumſit viaticum, quo vocabulo non unctio, ſed communio ſeu Euchariſtia apud ſcriptores Eccleſiaſticos denotatur. Et Malachias, illis qui eum ungebant, non videbatur conſtitutus in exitu vitæ. Ex tam multiplici diſcrepantia manifeſtum eſt, hodiernam Romanenſium de Extrema unctione doctrinam & praxin non habere præſidium in illa Bernardi narratione. De Hugone autem & Petro Lombardo ſufficere poſſunt, quæ diximus ſuprà, capite tertio hujus libri.

25. His adjicit Balthaſar Paes in ſuo ſuperiùs memorato Commentario, Cyrillum Alexandrinum, oratione de exitu animæ, & libro ſecundo in Leviticum. & Auguſtinum libro de rectitudine Catholicæ converſationis. Id quam inconſideratè à Paeſio factum ſit, noſtra oſtendet reſponſio. Cyrilli verba, homilia de exitu animæ, in Latina editione, hæc ſunt; Quam obliti ſunt Domini & Dei & Servatoris noſtri Jeſu Chriſti peregrinationem, ac tot tamque inveſtigata ejus beneficia, qui divinæ lotionis aquâ, ſacroque Spiritu purificati, & lætitiæ unguento delibuti, ob parvam eamque odioſam & frivolam voluptatem, talia tantaque dona irrita fecerunt, & libidinum atque adulteriorum imperio paruerunt. Væ qui relictâ adoptione ſecuti ſunt hujus vitæ voluptates. Hæc Cyrillus. Ubi non loquitur de Extrema unctione, ſed de unctione baptizatorum, unguento lætitiæ. Opus autem illud in Leviticum, quod cum Cyrilli operibus circumfertur, eſt illud ipſum opus quod non Cyrilli, ſed Origenis, eſſe docet Bellarminus, libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, in Origene, & in Cyrillo Alexandrino. neque opus fuit ut Paes unum idemque opus utrique adſcriberet. Locum autem illum libri 2. in Levit. vindicavimus ſuprà, §. 16.

*Vindicatur Cyrillus Alexandrinus.*

26. Auctor Tractatus de rectitudine Catholicæ converſationis, tom. 9. operum Auguſt. Quotiens (inquit) aliqua infirmitas occurrerit alicui, non quærantur incantatores, non divini, non ſortilegi, non caraii, neq; per fontes, aut arbores, aut bivia phylacteria exerceantur, ſed qui ægrotat in ſola Dei miſericordia confidat, & Euchariſtiam cum fide & devotione accipiat, oleumque benedictum fideliter ab Eccleſia petat, unde corpus ſuum ungatur, & ſecundùm Apoſtolum, oratio fidei ſalvabit infirmum, & allevabit eum Dominus: non ſolùm corporis, ſed & animæ ſanitatem accipiet, complebiturque in illo quod Dominus in Evangelio promiſit dicens; *Omnia quæcunque petieritis Patrem in nomine meo, in oratione, credentes accipietis.* Hæc auctor ille. qui neque Extremæ unctionis, neque ſacramenti mentionem facit: ſed pro recuperatione valetudinis corporalis monet, non eſſe quærenda remedia diabolica, verùm confugiendum eſſe ad Dei miſericordiam, & corporis animæque ſanitatem promittit eis, qui cum fide & devotione Euchariſtiam accipiunt, & oleum benedictum fideliter ab Eccleſia petunt, unde corpus ungatur, & in fide orant. Neque loquitur de exitu vitæ, ſed iſta dicit facienda eſſe, quotiens aliqua infirmitas occurrerit alicui.

*Jacob. 5. 15.*

*Marc. 11. 24. Joan. 16. 23.*

CAPUT



## CAPUT SEPTIMUM.

### *De Sacramento Ordinis.*

ORdinem Sacramentum vocat Auguſtinus, lib. 2. contra epiſtolam Parmeniani cap. 13. Nulla (inquit) oſtenditur cauſa, cur ille qui ipſum baptiſmum amittere non poteſt, jus dandi amittere poſſit. Utrumque enim ſacramentum eſt, & quâdam conſecratione utrumque homini datur: illud cum baptizatur, iſtud cum ordinatur: ideóque in Catholica utrumque non licet iterari. Sic alii quidam Patres ſacramenti Ordinis mentionem faciunt: idque largo ſenſu. Neque enim inuſitatum eſt Patribus, de ſacramento propriè dicto, & de alio non propriè dicto commune vocabulum ſacramenti uſurpare; ſicut exemplis demonſtravimus ſuprà, capite 1. §. 13. & cap. 5. §. 5.

2. Neque ratio quâ utitur Auguſtinus, aliud neceſſario importat. Non enim quicquid conſecratione datur, & inde ſacramentum Auguſtino dicitur, exiſtimandum eſt eſſe ſacramentum propriè dictum; nam panem ſanctificatum qui Catechumenis olim dabatur, hac ratione ſacramentum vocat Auguſtinus, lib. 2. de peccatorum meritis & remiſſione, cap. 26. Conſecrantur, apud Romanenſes, Eccleſiæ, altaria, eorumque linteamina, & vaſa ſacra, cæteraque inſtrumenta, & Eccleſiæ vel altaris ornamenta. item veſtimenta ſacerdotalia, & Levitica & patena, & calix & cruces, & capſæ recipiendis ſanctorum reliquiis, & ciborium, ſive, umbraculum altaris, & tintinnabula, & indumenta Monachalia, & velamina virginum, & viduarum. hæc omnia conſecrari docet liber ille qui inſcribitur, *Ordo Romanus.* Conſecrantur etiam cerei Paſchales, ut patet ex miſſa Sabbati ſancti. Conſecrantur à Romano Pontifice, ſolemni benedictionis ritu, multiſque religioſis cerimoniis, formæ illæ cereæ, quas agnos Dei, à forma impreſſa vocant: ſicut declarat Carolus Borrhomæus, Cardinalis & Archiepiſcopus Mediolanenſis, in ſuo quinto Provinciali Concilio Mediolanenſi, anno Domini 1579. cap. Quæ ad ſacramentalia & ſacramenta generatim pertinent. Tom. 9. Concil. edit. Bin. Pariſ. pagina 614.

3. Philippus Melanchthon, in Apologia confeſſionis Auguſtanæ, cap. de numero & uſu ſacramentorum; & Joannes Calvinus lib. 4. Inſtitut. cap. 19. §. 28. & 31. Ordinem, de miniſterio verbi & vero presbyterii munere intellectum, ſacramentum eſſe concedunt, licet non commune apud omnes fideles, ſed ad certam functionem ſpeciale: neque nos contentionis funem ducimus, ſed concedimus impoſitionem manuum, per quam aliquis ad ſacrum miniſterium ex divina inſtitutione ordinatur, dici poſſe quodam ſenſu ſacramentum quoddam particulare certo cuidam hominum ordini: Etſi in animum inducere nondum potuimus, ut huic ſacramento veram & propriè dictam illam ſacramenti Evangelici rationem, quæ in baptiſmo & in Euchariſtia invenitur, convenire exiſtimemus: nam inprimis Divina per Chriſtum inſtitutio cum promiſſione fœderalis gratiæ deſideratur: mallemus igitur pro quodam ſacramentali ab Apoſtolis introducto, quàm pro vero ſacramento hanc manuum impoſitionem haberi; ſine qua Chriſtus ordines contulit; & quæ extra uſum ſacramenti propriè dicti adhiberi ſolita eſt tum à Domino, tum ab Apoſtolis. Ut nobis Auguſtinus vim ſenſumque hujus ritûs, ſive ille in reconciliatione, ſive in confirmatione, ſive in ordinatione adhibeatur, optimè expreſſiſſe videatur, quando dixit; *Quid eſt enim aliud manûs impoſitio, niſi oratio ſuper hominem?* lib. 3. de baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 16. etiamſi de ordinatione ex profeſſo ibi non diſſerat. ait autem eo loco, manûs impoſitionem repeti poſſe, quamvis ordo, ut docuit Auguſtinus loco ſuperiùs citato, repeti non poſſit, §. 1.
unde conſequi videtur, manûs impoſitionem non eſſe de eſſentia Ordinis. De qua quæſtione mox *Infra, §. 7.*
plura in medium adferemus. Gratianus ex eo quod manûs impoſitio iterari poſſit, (licet non ad iterandum ordinationem) colligit, eam non eſſe ſacramentum. Cauſ. 1. quæſt. 1. can. Arianos. Quocirca ea nobis ſententia tutior & verbo Dei congruentior videtur, quæ Ordini ſacro, & impoſitioni manuum quæ in ordinis collatione adhibetur, locus inter ſacramenta Evangelica propriè dicta abjudicatur. Ritum tamen impoſitionis manuum utilem eſſe, & omnino uſurpandum concedimus: & ab Apoſtolo nobis injungi videtur, illis verbis, *Manus citò nemini impoſueris.* 1. Tim. 5. 22. Nempe quemadmodum ſuperiùs in eâdem epiſtolâ, cap. 2. viris orantibus levationem manuum, & mulieribus decentem ornatum commendavit; quæ tamen ſacramenta non ſunt.

*1. Tim. 5. 22.*

4. Doctores Romanenſes de ſacramento Ordinis tantâ opinionum diverſitate inter ſe diſſident, ut nihil ferè certi hac de re apud eos invenias. Ordo, in hac diſputatione, ita diſtinguitur à ſcholaſticis, ut vel poteſtatem ſeu gradum ſacri officii ſignificet, vel id quod exterius ſenſibiliter geritur circa aliquem, ut in aliquo tali gradu conſtituatur: vel breviùs, ſignificat vel poteſtatem ipſam, vel ordinationem qua datur poteſtas. Poteſtatem ipſam ſeu gradum Eccleſiaſticum eſſe ſacramentum Ordinis ſcribit Bonaventura, in 4. ſent. diſt. 24. part. 1. art. 2. qu. 2. & Thomas ibidem, quæſt. 1. art. 1. ad quartum. at id ipſum negant ibidem, Scotus, quæſt. unica, num. 8. & Durandus, quæſt. 1. §. 7. & Joan. Major, quæſt. 1. Qui ordinationem faciunt ſacramentum. Lombardus, 4. ſent. diſt. 24. Ordinem ſacramentum definit, ſignaculum, id eſt, ſacrum quoddam, quo ſpiritualis poteſtas traditur ordinato, & officium. Item, quod ſit character ſpiritualis, ubi fit promotio poteſtatis. Ubi Thomas quæſt. 1. art. 1. ad ſecundam, & Durandus, quæſt. 1. §. 5. Signaculum & characterem exponunt id quod exterius geritur, ſeu ordinationem exteriorem: at Bonaventura interiorem ac ſpiritualem characterem, in 4. ſentent. diſtinct. 24. parte ſecunda, artic. 1. quæſtione primâ, & ibidem in expoſitione textus magiſtralis, dubio 6. Quam expoſitionem laudat etiam Thomas ibidem quæſt. 1. art. 1. ad ſecundam, ubi adjicit, quod ipſe character interior ſit eſſentialiter & principaliter ipſum ſacramentum Ordinis.

*Diſſenſio Scholaſticorum inter ſe, quidnam illud ſit quod vocant ſacramentum Ordinis.*

5. De numero Ordinum certant Theologi & Canoniſtæ. Theologi ajunt, ſeptem eſſe ordines,

*Controverſia inter Theologos & Canoniſtas de numero Ordinum.*

nes, propter ſeptiformem gratiam Spiritûs Sancti. 4. ſent. diſt. 24. ſecluſis è numero ordinum tonſurâ & Epiſcopatu. At Canoniſtæ, iſtis etiam connumeratis, novem faciunt ordines,ad ſimilitudinem cœleſtis hierarchiæ, ſequuti Iſidorum & Gratianum diſt. 21. can. Cleros.& diſt. 25. can. Perlectis. Canoniſtis ſe adjungit Major, & quoad Epiſcopatum etiam Bellarminus, lib. de ſacramento Ordinis, cap. 5. De qua diſſenſione plura lector inveniet in Irenico noſtro, lib. 2. cap. 11. ad propoſitionem duodecimam.

*Controverſia de numero ſacramentorum. Partes poteſtativæ. Totum poteſtativum.*

6. Utrùm omnes ordines ſint ſacramenta; & utrùm, quot ſunt ordines, tot ſint ſacramenta. Bonaventura, in 4. ſent. diſt. 24. part. 1. art. 2. qu. 4. & Thomas ibidem, quæſt. 2. art. 1. ad ſecundum, ajunt, ſacramentum ordinis unum eſſe, & multas habere partes, quæ non ſunt partes integrantes, nec omnino partes ſubjectivæ, ſed ſunt partes poteſtativæ, quæ naturam habent quodammodo partium ſubjectivarum. Totius autem poteſtativi hanc eſſe rationem, ut ſecundùm completam ſui rationem ſit in aliquo uno, in aliis autem ſit quædam ejus participatio: Totam enim plenitudinem ſacramenti Ordinis eſſe in uno ordine, ſcilicet ſacerdotio: ſed in aliis eſſe quandam ordinis participationem, propter quam partes iſtæ recipiunt prædicationem totius, ut unaquæque dicatur & ſit Ordo, & ſacramentum, quemadmodum quælibet pars numeri eſt numerus. Scotus autem in 4. ſent. diſt. 24. ait, Ordinem ſacramentum unum eſſe unitate generis propinqui, ſed in ſpeciali ulterius dividi: quia in illa primariâ diviſione ſacramenti in ſeptem, Ordo, vel magis ordinatio, eſt quidem unum membrum, poteſt tamen ulterius dividi, in quædam ſpecialia contenta ſub ipſo: quia illa prima diviſio non eſt in ſpecies ſpecialiſſimas, ſed in quędam propinquiùs contenta ſub ipſo. Et ideo ait, plures eſſe characteres ſpecie differentes. Durandus in 4. ſent. diſt. 24. quæſt. 2. ait, Ordinem in generali acceptum non dividi in ſpeciales ordines ſicut in ſacramenta, ſed ſicut in ſacramentum & ſacramentalia: ita ut ſolùm ſacerdotium ſit ordo & ſacramentum; cætera verò ſint ordines, non tamen ſacramenta, ſed ſolùm quędam ſacramentalia. Bellarminus lib. de ſacramento Ordinis, cap. 6. ait, non eſſe certum ex fide, ordinationem Diaconorum eſſe ſacramentum, licet id judicet valde probabile & omnino tenendum, propter communem Theologorum ſententiam. Et capite 7. de ſubdiaconatu (inquit) non eſt tanta certitudo, quanta de Diaconatu: eſt tamen valde probabile etiam hunc ordinem eſſe ſacramentum. Et capite 8. De minoribus (inquit) ordinibus minus probabile eſt, quod ſacramenta ſint, quàm de ſubdiaconatu. Abſolutè tamen probabilior (inquit) ſententia eſt quę ordines omnes ſacramenta eſſe docet: quia id aſſerunt omnes veteres ſcholaſtici, Durando excepto: & ex recentioribus Franciſcus Victoria & Petrus à Soto, & alii: & id videtur ſenſiſſe Concilium Florentinum: ubi enim dixit, ſacramentum ordinis eſſe ſextum ſacramentum, & materiam hujus ſacramenti eſſe id quod porrigitur in ordinatione, continuò ponit exempla de ordine ſacerdotis, Diaconi, & ſubdiaconi, & addit, idem de aliis ordinibus intelligendum. Neque diſſentit Concilium Tridentinum: nam ſeſſ. 23. cap. 2. ſeptem ordines numerat; & poſtea capite 3. abſolutè ordinem ſacramentum eſſe dicit. Et infra eodem capite, una eſt (inquit) objectio in contrarium: quia ſi quot ordines ſint, tot ſacramenta ponamus; jam ſacramenta non erunt ſeptem, ſed quatuordecim. Reſpondeo (ait) omnes ordines, licet ſint per ſe ſinguli ſacramenta, tamen unum ſacramentum cenſeri: quia unum ſunt, vel genere; vel quia ad unum finem omnes referuntur. Hæc ibi. Idem Bellarminus eodem lib. cap. 5. ait: Epiſcopatum eſſe ordinem unum cum presbyteratu, ſed genere, non ſpecie. Et paulò poſt; Characterem Epiſcopalem eſſe quid compoſitum ex duplici charactere: proinde etiam duo ſacramenta requiri ad Epiſcopum conſtituendum, quia includitur etiam character ſacerdotii. Hactenus Bellarminus, qui paulò ſuperiùs, eodem capite, aſſeruit Epiſcopatum eſſe Sacramentum à presbyteratu diſtinctum. at in Recognitione mutavit ſententiam. Petrus autem Lombardus, 4. ſentent. diſtinct. 24. enumeratis ſeptem ordinibus, videlicet, Oſtiariorum, lectorum, Exorciſtarum, Acoluthorum, ſubdiaconorum, Diaconorum, presbyterorum, ſubjicit hæc verba; & dicuntur hi ordines ſacramenta: quia in eorum perceptione res ſacra, id eſt, gratia confertur, quam figurant ea quæ ibi geruntur. Hæc Lombardus.

*Controverſia de impoſitione manuum. Vide ſupra §. 3.*

7. Impoſitionem manûs Epiſcopi eſſe partem materiæ integrantem in ordinatione ſacerdotali, tenet Scotus in 4. ſent. diſt. 24. num. 9. eamque ad eſſentiam ſacramenti Ordinis pertinere contendit Bellarminus, lib. de ſacramento ordinis cap. 9. Thomas concedit, in ea dari gratiam, in 4. ſent. diſt. 25. quæſt. 1. art. 1. ad primum. dicit tamen ibidem, in ea non dari characterem ſacerdotalis Ordinis. Joannes Major in 4. ſent. diſt. 24. quæſt. 1. ait, impoſitionem manûs non eſſe de eſſentia iſtius ſacramenti ad hoc ut conferatur: quia ſine tali impoſitione quis ordinatur ſacerdos; teſte Gregorio 9. Extra, de ſacramentis non iterandis, cap. presbyter. Quamvis ibi concedat Major, impoſitionem manus eſſe quiddam materiale in ordinatione ſacerdotis. Angelus in Summa, verbo, Ordo, capite 1. art. 6. ait, manûs impoſitionem non eſſe de ſubſtantia formæ ordinationis: ſic Dominicus à Soto, diſt. 24. qu. 1. art. 4. & alii quidam (referente Bellarmino lib. de ſacram. ord. cap. 9.) exiſtimant, manus impoſitionem in ordinatione presbyteri eſſe accidentariam, & ſolam inſtrumentorum porrectionem eſſe eſſentialem. Hæc videtur fuiſſe mens Eugenii quarti, Papæ, in Concilio Florentino, ubi materiam ſacramenti Ordinis non aliam tradit in presbyteratu, niſi calicem cum vino, & patenam cum pane, per quorum porrectionem ait hunc ordinem conferri: Illud verò dicit eſſe ſacramenti ordinis materiam, per cujus traditionem confertur ordo. Hæc etiam ſententia videtur fuiſſe Bonaventuræ, qui ait; Omne ſacramentum aliquod ſignum eſſentiale habet exterius: & in omni ſacramento, in quo imprimitur character, iſtud eſt eſſentiale ſacramento, in quo, ſive per quod character imprimitur. Et paulo poſt: In omiſſione principalis debet ordo iterari, quia præſumitur, quod characterem non receperit: ſed in aliis conſequentibus ſi fiat defectus, vel negligentia, debent ſuppleri. Hæc Bonaventura, in 4. ſent. diſt. 24. part. 2. art. 1. quæſt. 4. his ſi conferas verba Gregorii noni ad Epiſcopum Londinenſem, inde effici videtur, impoſitionem manûs in ordinatione presbyteri non eſſe eſſentialem. Certè eam non eſſe principale ſignum, nec per eam imprimi Characterem, unanimiter aſſerunt Thomas, Durandus, Eugenius, & alii. Verba Gregorii noni ſunt; Presbyter & Diaconus cum ordinantur, manus impoſitionem tactu corporali (ritu ab Apoſtolis introducto) recipiunt. Quod ſi omiſſum fuerit, non eſt aliquatenus iterandum: ſed ſtatuto tempore ad hujuſmodi ordines conferendos cautè ſupplendum, quod per errorem extitit prætermiſſum. Extra, de ſacramentis non iterandis, cap. presbyter. In datione patenæ & calicis cum materia impoſita imprimitur character ſacerdotalis; inquit Durandus, in 4. ſent. diſt. 24. quæſt. 3. §. 8.



*Ordinem non eſſe ſacramentum propriè dictum.*

8. Ordinem autem non eſſe ſacramentum propriè dictum, prout tradunt Romanenſes, vel inde evincitur, quia principalis materia, per quam ajunt ordinem conferri, non eſt à Chriſto in Euangelio in ſacramentorum adhibita vel inſtituta: atque adeò abſque divinæ ſcripturæ auctoritate ab hominibus inſtitutionem habet. Eugenius in Concilio Florentino ait; Sextum ſacramentum eſt Ordinis, cujus materia eſt illud, per cujus traditionem confertur Ordo: ſicut presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem. Diaconatus verò per libri Euangeliorum dationem. Subdiaconatus per calicis vacui cum patena vacua ſuperpoſita traditionem. Et ſimiliter de aliis, per rerum ad miniſteria ſua pertinentium aſſignationem. Forma ſacerdotii talis eſt: Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium in Eccleſia pro vivis & mortuis in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Et ſic de aliorum ordinum formis. Hæc Eugenius. Quæ quia de ſcripturis non habent auctoritatem, eâdem facilitate contemnuntur qua probantur; ut loquitur Hieronymus in caput 23. Matthæi: & Auguſtinus anathema dicit annuncianti ſive de Chriſto, ſive de ejus Eccleſia, ſive de quacunque alia re quę pertinet ad fidem vitamque noſtram, præterquam quod in ſcripturis legalibus & Euangelicis accepimus, lib. 3. contra literas Petiliani capite ſexto; ubi id ipſum confirmat teſtimonio Apoſtoli Pauli ad Galatas 1. Nam ut rectè monuit Cyrillus Hieroſolymitanus, Catecheſi 4. cap. de Spiritu Sancto, Δεῖ γὰρ περὶ τῶν θείων καὶ ἁγίων τῆς πίστεως μυστηρίων, μηδὲ τὸ τυχὸν ἄνευ τῶν θείων παραδίδοσθαι γραφῶν· μηδὲ ἁπλῶς πιθανότησι καὶ λόγων κατασκευαῖς παραφέρεσθαι. id eſt, Divinorum ſanctorumque fidei ſacramentorum, nihil ne minimum quidem abſque divinis ſcripturis tradi debet; neque ſimplici probabilitate, neque verborum ornatu traduci.

*Forma ſacerdotii apud Romanenſes.*

*Sacra Scriptura perfecta.*

## CAPUT OCTAVUM.

### *De Sacramento Matrimonii.*

Eugenius in Concilio Florentino neque materiam neque formam neque miniſtrum indicat matrimonii: quorum ſi aliquid deſit, dicit non perfici ſacramentum. Et tamen matrimonium accenſet ſacramentis novæ legis.

2. Ante Eugenium, Petrus Lombardus ejuſque interpretes nonnulli, Matrimonium probabant eſſe ſacramentum, ex verbis Apoſtoli ad Epheſ. 5. Sacramentum hoc magnum eſt, &c. 4. ſent. diſt. 26. eodem teſtimonio utitur Synodus Tridentina, ſeſſione vigeſimâ quartâ, & Catechiſmus Romanus parte ſecundâ, capite octavo, quæſt. 15.

3. Quia verò ridiculum eſſet ex ſola voce ſacramenti, hoc loco poſitâ, colligere matrimonium eſſe ſacramentum propriè dictum, cùm multis aliis ſcripturæ locis, in editione Latina, vox, ſacramentum, inveniatur; ubi tamen de ſacramento propriè dicto ſermo non eſt, ut ſupra demonſtravimus cap. 1. §. 8. Idcirco Bellarminus, libro de Matrimonii ſacramento, capite ſecundo, ait illos non ex hac ſola voce probare, Matrimonium integram habere ſacramenti rationem: ſed tantum hinc probare, Matrimonium eſſe ſignum ſeu ſymbolum aliquod ſacrum: non autem contractum merè civilem, & naturalem. Deinde quærens, cui rei accommodetur ab Apoſtolo illud, *Magnum ſacramentum*. utrùm, videlicet, Conjunctioni Chriſti & Eccleſiæ, an conjugio humano viri & feminæ, adeoque utrum ſacramentum hoc loco accipi debeat pro ipſa re ſacra, an pro ſigno rei ſacræ, ait accommodari conjugio humano viri & feminæ, adeoque accipi debere pro ſigno rei ſacræ. Porrò explicandum proponit eodem cap. in quibus conjugiis conſtituatur ab Apoſtolo hoc magnum myſterium; Et reſpondens, Quamvis (inquit) ea verba Geneſeos de omni conjugio intelligi poſſint, tamen Apoſtolus non ponit in eo ſacramentum, niſi ut ad conjugium Chriſtianorum refertur. In cujus aſſertionis confirmationem ait Auguſtinum libro de bono conjugali paſſim affirmare, Matrimonium non eſſe ſacramentum niſi in Eccleſia. Et Thomam in 4. ſent. diſtinct. 26. quæſt. 2. articulo ſecundo, dicere in ſolo Teſtamento novo Matrimonium repræſentare conjunctionem Chriſti & Eccleſiæ: & idem dicere Ruardum in explicatione art. 18. & alios. De Thomæ & Ruardi opinione non laboramus: vindicandus mox Auguſtinus.

*Rurſus de verbis Apoſtoli ad Epheſ. 5. 32. Vide infra, §. 11. & §. 17.*

4. P. Lombardus 4. ſent. diſtinct. 26. explicans verba illa Apoſtoli, quæ leguntur in fine capitis quinti ad Epheſios; Ut enim (inquit) inter conjuges conjunctio eſt ſecundùm conſenſum animorum, & ſecundùm permixtionem corporum; ſic Eccleſia Chriſto copulatur voluntate & naturâ, qua idem vult cum eo: & ipſe formam ſumſit de natura hominis. Copulata eſt ergo ſponſa ſponſo ſpiritualiter & corporaliter, id eſt, charitate ac conformitate naturæ. Hujus utriuſque copulæ figura eſt in conjugio. Conſenſus enim conjugum copulam ſpiritualem Chriſti & Eccleſiæ, quæ fit per charitatem, ſignificat. Commixtio verò ſexuum illam ſignificat, quæ fit per naturæ conformitatem. Hæc ibi P. Lombardus: qui inde colligit ibidem, Matrimonium quod ſolo conſtat conſenſu, abſque permixtione ſexuum, quamvis ſit verum conjugium, & typum in ſe habeat illius conjunctionis Chriſti & Eccleſiæ, qua Eccleſia Chriſto charitate unitur; non tamen illius conjunctionis figuram tenere, qua per ſuſceptionem carnis capiti membra uniuntur: ideoque tale conjugium non tenere expreſſam & plenam figuram conjunctionis Chriſti & Eccleſiæ.

*De conſenſu, & de copula carnali, vide inferius, §. 13. & §. 32.*

5. Bonaventura in eam diſtinct. articulo ſecundo, quæſtione prima, ait, verba & nutus & copulam carnalem eſſe ſignum exterius in hoc ſacramento. Signatum autem principale eſſe conjunctionem Chriſti & Eccleſiæ: & quia iſta

*De ſigno & ſignato.*

Non con-

conjunctio eſt dupliciter, nempe per charitatem, & per naturæ conformitatem, dupliciter eam in hoc ſacramento ſignificari; primam, per conſenſum animorum; ſecundam, per commixtionem ſexuum. Et ibidem, quæſt. 3. ait in conjunctione animorum, ſine commixtione carnis, eſſe verum ſacramentum Matrimonii, quantum ad eſſe neceſſitatis; at non quantum ad eſſe plenitudinis. Ibi eſſe matrimonium ratum, hic conſummatum, ut Juriſtæ diſtinguunt.

*De re ſignata & effectu ſacramenti matrimonii.*

6. Eſt etiam (inquit P. Lombardus eadem diſt.) ſignum ſpiritualis conjunctionis & dilectionis animorum, quâ inter ſe conjuges uniri debent. Unde Apoſtolus ait; Viri diligite uxores veſtras, ut corpora veſtra. Hæc ibi.

7. Thomas, in eandem diſtinct. quæſt 2. art. 1. ad quartum, monet, in ea fuiſſe opinione P. Lombardum, ſacramentum matrimonii, non habere rem aliquam ſignificatam contentam, quam ſacramentum matrimonii efficiat: ſed tantum rem ſignificatam non contentam, quam ſignificet, non autem efficiat, puta unionem Chriſti ad Eccleſiam. Hanc magiſtri opinionem rejicit Thomas, quia eâ admiſſa, Matrimonium non eſſet ſacramentum novæ legis, cum omne ſacramentum novæ legis efficiat quod figurat. At auctor Gloſſæ in can. honorantur. Cauſ. 32. quæſt. 2. diſertè affirmat, in ſacramento Matrimonii non conferri gratiam Spiritus Sancti. Et auctor Gloſſæ, extra, de Simonia, cap. 9. Cum in Eccleſiæ. ait; Licet Matrimonium ſit ſacramentum, per ipſum tamen gratia non confertur. Hæc ibi. Hoc idem Gaufredus & Hoſtienſis adſtruunt, ut refert Johannes Major in 4. ſent. diſtinct. 26. quæſt. 1. §. Contra varias. Et ita communiter Canoniſtæ, ut monet Durandus in 4. ſent. diſt. 26. quæſt. 3. §. 6. Quibus accedit ipſe Durandus ibidem, §. 12.

8. Si quæras ex Thoma; quænam ſit illa gratia quæ continetur & efficitur ſeu confertur hoc ſacramento? Reſpondet Thomas in 4. ſent. diſt. 26. quæſt. 2. artic. 3. conferri hoc ſacramento gratiam adjuvantem ad illa operanda quæ in matrimonio requiruntur. Cum in matrimonio detur homini ex divina inſtitutione facultas utendi ſuâ uxore ad procreationem prolis; dari etiam gratiam, ſine qua id convenienter facere non poſſet. Et ibidem ad ſecundum: Actus (inquit) exteriores & verba exprimentia conſenſum directè faciunt nexum quendam, qui eſt ſacramentum Matrimonii: & hujuſmodi nexus ex virtute divinæ inſtitutionis diſpoſitivè operatur ad gratiam.

*Thomas dicit, verum eſſe ſacramentum matrimonii.*

9. De inſtitutione hujus ſacramenti ſi quæras; Reſpondet Thomas, in 4. ſent. diſtinct. 26. quæſt. 2. art. 2. Matrimonium ſecundum quod ordinatur ad procreationem prolis, inſtitutum fuit ante peccatum. At ſecundum quod remedium præbet contra vulnus peccati, inſtitutum fuit poſt peccatum tempore legis naturæ. Secundum autem determinationem perſonarum, inſtitutionem habuit in lege Moſis. Sed ſecundum quod repræſentat myſterium conjunctionis Chriſti & Eccleſiæ, inſtitutionem habuit in nova lege: & ſecundum hoc eſt ſacramentum novæ legis. Idem etiam eadem quæſt. art. 1. ad primum. Verba (inquit) quibus conſenſus matrimonialis exprimitur, ſunt forma hujus ſacramenti: non autem benedictio ſacerdotis, quæ eſt quoddam ſacramentale. Et ad ſecundum: Sacramentum matrimonii perficitur per actum ejus, qui ſacramento illo utitur. Et ideo non habet aliam materiam niſi ipſos actus ſenſui ſubjectos, qui ſunt in loco materialis elementi. Hæc Thomas.

*De inſtitutione ſacramenti Matrimonii.*

*De forma ejus ſacramenti, ejuſdem que materia, & de benedictione ſacerdotali.*

10. Alexander Alenſis, præceptor Thomæ, ait, conjugium in ſacramentum plenè inſtitutum fuiſſe in Paradiſo, part. 4. qu. 2. memb. 2. art. 1. §. 1. & expreſſè negat, ſacramentum hoc in nova lege inſtitutum eſſe, eadem part. 4. qu. 9. memb. 2. §. 1.

11. Si quæras ex eis qui Euangelicam ejus inſtitutionem tuentur; ubi inveniatur ſacramenti hujus inſtitutio in lege Euangelica? Eugenius in Concilio Florentino, & Synodus Tridentina Seſſ. 24. monſtrant tibi verba Apoſtoli ad Epheſ. 5. 32. Scotus negat ibi inveniri; attamen à Chriſto inſtitutum eſſe in Euangelio ſacramentum matrimonii, docet hoc argumento; quia de ſacramentis Eccleſiæ non eſt aliter ſentiendum quàm ſentit Eccleſia Romana. Extra, de hæreticis. Ad abolendam. Ubi autem, (inquit) non invenitur planiùs quàm Matth. 19. illis verbis. Quod Deus conjunxit, homo ne ſeparet.

12. Matrimonii benedictionem ſacerdotalem eſſe ex ſola hominum inſtitutione, ait Johannes Major, in 4. ſent. diſt. 26. quæſt. 2. §. ex dictis.

13. Supra, §. 4. & §. 5. monebamus, copulam carnalem, ſecundùm P. Lombardum & Bonaventuram, eſſe de integritate ſacramenti Matrimonii quantum ad eſſe plenitudinis, licet non quantum ad eſſe neceſſitatis. & id ipſum docet Alexander Alenſis, part. 4. qu. 2. memb. 2. art. 1. §. 2. ubi etiam monet, eandem fuiſſe ſententiam Hugonis. at Gratianus ait, non eſſe Chriſti & Eccleſiæ ſacramentum in eo Matrimonio, quod non eſt ſexuum commixtione perfectum. cauſ. 27. qu. 2. can. Inſtitutum. §. Iuxta hanc. Ubi in hunc ſenſum accipienda eſſe dicit illa verba Auguſtini, quæ ſuperius eadem quæſtione recitaverat; Non eſt dubium illam mulierem non pertinere ad Matrimonium, cum qua commixtio ſexûs non docetur fuiſſe. can. Non eſt dubium. Et illa Leonis primi Papæ, epiſt. 92. ad Ruſticum: Cum ſocietas nuptiarum ita à principio ſit inſtituta; ut præter commixtionem ſexuum non habeat in ſe Chriſti & Eccleſiæ ſacramentum; non dubium eſt illam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua docetur non fuiſſe nuptiale miniſterium. Quæ Leonis verba recitavit Gratianus, cauſ. 27. qu. 2. can. Cum ſocietas. ubi Gloſſa nuptiale myſterium interpretatur, carnis commercium. P. Lombardus eadem verba recitans, legit, nuptiale myſterium. 4. ſent. diſt. 26. ubi monet, non eſſe ita accipienda, ac ſi non eſſet Matrimonium abſque carnali copula; ſed quod talis mulier non pertineat ad matrimonium, quod expreſſam & plenam teneat figuram conjunctionis Chriſti & Eccleſiæ. ut ſuperius ipſum explicantem introduximus. At Gratianus ſimpliciter ait, illam mulierem cum qua non fuit commixtio ſexus, non pertinere ad Matrimonium perfectum, tale videlicet quod habeat in ſe Chriſti & Eccleſiæ ſacramentum. Et ita intelligenda eſſe verba Auguſtini & Leonis.

14. Durandus ait, Matrimonium non eſſe in eorum ſacramentorum numero, quæ purè & præciſè ſunt ſacramenta novæ legis, in 4. ſent. diſt. 1. qu. 1. §. 7. Idem alibi docet, Matrimonium non eſſe ſacramentum ſtrictè & propriè dictum, ſicut alia ſacramenta novæ legis; ſed eſſe largo modo ſacramentum, id eſt, ſacræ rei ſignum. in 4. ſent. diſt. 26. quæſt. 3.

15. His



15. His præmiſſis, ex quibus innoteſcit hac de re doctrina Romanenſium; 1. Scripturas quibus abutuntur vindicabimus, ſi Deus voluerit: & Patres, quorum teſtimonia in patrocinium allegant. 2. Oſtendemus diſcordias quaſdam quæ de hac quæſtione, inter doctores Romanenſes, citerioribus ſeculis extiterunt, jam inde à tempore P. Lombardi. 3. Rationes quaſdam adſeremus, quibus erronea Papiſtarum doctrina de ſacramento Matrimonii convellatur.

## *Vindiciæ ſcripturarum, & Patrum.*

*Matth. 19. 6.*

16. Illis verbis Domini, *quod Deus conjunxit, homo ne ſeparet*, Matth. 19. 6. commemoratur conjunctio ſeu matrimonii inſtitutio prima, facta à Deo in matrimonio Adami & Evæ: & inde infertur, divortia illa, Iſraëlitis à Moyſe permiſſa ſeu tolerata, non habitura locum, ſi primam matrimonii inſtitutionem retineamus, & ſtemus eo quod ἀπ' ἀρχῆς γέγονε. Deus conjunxit, id eſt, nuptias inſtituit: & unam fecit carnem viri & feminæ: ergo, &c. ſic hunc locum exponunt Auguſtinus, tractatu nono in Euang. Joannis; & Chryſoſtomus, homil. 62. in Euang. Matthæi, ubi ait Dominum inſeparabilitatem matrimonii confirmare lege antiquiore, quàm ſit lex Moyſis, quam olim ab initio tulit Deus, non autem primum introduxit Chriſtus in Euangelio. Sic etiam Theophylactus Comment. in hunc locum Matth. ait, hic indicari legiſlationem Dei à principio de matrimonio. Hieronymus ait Comment. in caput decimum nonum Matth. Deus conjunxit, unam faciendo carnem viri & feminæ: hanc homo non poteſt ſeparare. Synodus etiam Tridentina, ſeſſione vigeſimâ quartâ, ait, Dominum firmitatem perpetuam indiſſolubilis nexus matrimonii, ab Adamo inſtinctu divini Spiritus olim pronunciatam, confirmaſſe his verbis, Quod ergo Deus conjunxit, homo ne ſeparet. Ex his patet, non inſtitui novum aliquod ſacramentum à Domino illis verbis, ſed ad antiquam matrimonii atque adeò originalem inſtitutionem homines revocari.

17. Verba Apoſtoli quod attinet, Epheſ. 5. 32. non illis deſcribi ſacramentum novi Teſtamenti propriè dictum, tenent Scotus in 4. ſentent. diſtinct. 26. quæſt. 1. numero 12. & Durandus ibidem, quæſt. 3. Auguſtinus ſacramentum illud accipit pro ipſa re ſacra, puta pro ſpirituali conjugio Chriſti & Eccleſiæ; Exſulta (inquit) exulta ſponſa Eccleſia; quia te plurimum dilexit, mori voluit pro te. O magnum ſacramentum hujus conjugii! O quam magnum myſterium hujus ſponſi & hujus ſponſæ! non explicabitur dignè humanis vocibus. De ſponſo ſponſa naſcitur, &c. libro ſecundo de ſymbolo ad Catechumenos, capite ſexto. Idem alibi; Reſpondebit (inquit) connubii ſacramentum; De me ante peccatum dictum eſt in Paradiſo; Relinquet homo Patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Quod magnum ſacramentum dicit Apoſtolus in Chriſto & in Eccleſia. Quod ergo eſt in Chriſto & in Eccleſia magnum, hoc in ſingulis quibuſq; viris atque uxoribus minimum, ſed tamen conjunctionis inſeparabile ſacramentum. lib. 1. de nuptiis & concupiſcentia, capite vigeſimo primo. Item; Sacramentum hoc magnum eſt. Et ne quis iſtam magnitudinem ſacramenti in ſingulis quibuſque hominibus uxores habentibus intelligeret, Ego autem, inquit, dico in Chriſto & in Eccleſia, quod eſt hoc ſacramentum magnum, erunt duo in carne una. Auguſtinus tract. 9. in Euang. Joannis.

18. Fateor quidem Auguſtinum ponere etiam ſacramentum quoddam in conjugiis populi Dei, (nempe ſignificativum, non autem practicum) tum in polygamia ſive in nuptiis multarum uxorum ſimul viventium, tum in monogamia ſive conjugio unius viri & unius uxoris, juxta primigeniam inſtitutionem: Sicut (inquit) plures uxores antiquorum Patrum ſignificaverunt futuras noſtras ex omnibus gentibus Eccleſias uni viro ſubditas Chriſto: ita noſter antiſtes unius uxoris vir, ſignificat ex omnibus gentibus unitatem uni viro ſubditam Chriſto. Ergo ſicut ſacramentum pluralium nuptiarum illius temporis ſignificavit futuram multitudinem Deo ſubjectam in terrenis omnibus gentibus; ſic ſacramentum nuptiarum ſingularium noſtri temporis, ſignificat unitatem omnium noſtrum ſubjectam Deo futuram in una cœleſti civitate. libro de bono conjugali, capite decimo octavo. At magnum illud ſacramentum, quod ab Apoſtolo prædicatur, Epheſ. 5. Auguſtinus non ad humana conjugia, ſed ad ſpirituale conjugium refert Chriſti & Eccleſiæ. In illis quidem eſt quoddam ſacramentum, largiore ſenſu accipiendo vocabulum ſacramenti, quatenus figurant conjugium Chriſti & Eccleſiæ, de quo conjugio Chriſti & Eccleſiæ exclamat Apoſtolus, hoc magnum eſt ſacramentum, eodem ſenſu quo alibi dicit; magnum eſt ſacramentum pietatis, 1. Tim. 3. 16.

19. Propter indiſſolubilem matrimonii unius viri cum una femina nexum, jam inde à principio divinitus inſtitutum, & propter figuram conjugii Chriſti & Eccleſiæ in illo nexu humanarum nuptiarum, Auguſtinus in conjugii humani bonis ponit ſacramentum, (quamvis non rectè dixerit Auguſtinus, manere vinculum etiam poſt divortium, quod propter adulterium factum eſt:) quia autem primæ inſtitutionis lex non obſervatur apud infideles, apud quos ſuſque deque habetur conjugii nexus, ideo ſcripſit Auguſtinus, non niſi in civitate Dei noſtri in monte ſancto ejus, talem eſſe cauſam cum uxore, libro de bono conjugali, capite ſeptimo. At ſacramentum Matrimonii non ad ſola reſtringit conjugia Chriſtianorum; ſicut faciunt illi qui Matrimonium ſacramentis novæ legis propriè dictis accenſent. Semel autem initum (inquit) conjugium in civitate Dei noſtri, ubi etiam ex prima duorum hominum copula quoddam ſacramentum nuptiæ gerunt, nullo modo poteſt niſi alicujus eorum morte diſſolvi. lib. de bono conjugali, cap. 15. Item; hæc omnia bona ſunt, propter quę nuptiæ bonæ ſunt, proles, fides, ſacramentum. eodem lib. cap. 24. hoc ſacramentum fuiſſe in nuptiis Adami & Evæ, docet prolixè Auguſtinus tract. 9. in Euang. Joannis; ubi illo primo conjugio figuratum eſſe magnum illud myſterium conjunctionis Chriſti & Eccleſiæ, probat Apoſtoli Pauli teſtimonio ad Epheſios 5. Idem alibi de nuptiis loquens Joſephi & beatæ Virginis Mariæ, Omne (inquit) nuptiarum bonum impletum eſt in illis Parentibus Chriſti, proles, fides, ſacramentum. Prolem cognoſcimus ipſum Dominum Jeſum: fidem, quia nullum adulterium: ſacramentum, quia nullum divortium. li-

*Vide ſupra § 1.*

*Proles, fides, ſacramentum.*

bro primo de nuptiis & concupiſcentia, c. 11. & continuò ſubjicit initio ſequentis capitis, Solus ibi nuptialis concubitus non fuit. Unde liquidò patet, nullum ſacramentum defuiſſe nuptiis Adami & Evæ, quod in aliorum quorumcunque hominum nuptiis inveniatur, ſecundùm mentem Auguſtini; & ſolum defuiſſe concubitum in nuptiis Joſephi & beatæ Virginis. Ergo ſecundùm Auguſtinum, ſacramentum matrimonii non eſt ſacramentum novæ legis propriè dictum.

20. Ait quidem Auguſtinus, ſacramentum ſingularium nuptiarum noſtri temporis ſignificare unitatem omnium noſtrum ſubjectam Deo, lib. de bono conjugali, capite 18. ſed quo ſenſu id dicat, facile perſpicitur ex ipſa ſerie verborum ipſius Auguſtini, illo loco; Sicut (inquit) ſacramentum pluralium nuptiarum illius temporis, &c. reliqua invenies paulo ſuperius recitata, §. 18. ubi manifeſtè ſacramentum ſumit largiore ſenſu pro typo aliquo. Quemadmodum etiam Chriſtus figuratus eſt in Noe, & in illa arca orbis terrarum: & quemadmodum Iſaac unigenitus Abrahami, portans ligna ad ſacrificium quo ipſe immolandus ducebatur, typus erat Chriſti portantis crucem ſuam; ſicut mentem ſuam hac de re prolixè & apertè explicat Auguſtinus, tract. 9. in Euang. Joan. Ubi etiam ait; Quia illuminavit nos per Apoſtolum Dominus, ut oſtenderet nobis quid ibi quæreremus in ipſa una ſententia, erunt duo in carne una, ſacramentum magnum in Chriſto & in Eccleſia: jam licet nobis ubique Chriſtum quærere, & de omnibus hydriis vinum potare. Dormit Adam ut fiat Eva; moritur Chriſtus ut fiat Eccleſia. Dormienti Adæ fit Eva de latere; mortuo Chriſto lanceâ percutitur latus, ut profluant ſacramenta quibus formetur Eccleſia. Cui non apparet quia in illis tunc factis futura figurata ſunt? Chriſtus etiam figuratus eſt in Noe; &c. Hæc Auguſtinus.

*Auguſtinus de matrimonio loquens ſumit vocabulum ſacramenti largiore ſenſu.* — *Profluunt ſacramenta. Vide c. 9. §. 2.*

21. Hieronymus, Comment. in caput 5. ad Epheſ. magnum hoc ſacramentum ad Chriſtum & Eccleſiam refert, non ad humanas nuptias: præfiguratum verò ait hoc magnum myſterium in eis quæ de Adam & Eva in Geneſi ſcripta ſunt, illis verbis, Propter hoc relinquet homo Patrem ſuum, &c. quem Geneſeos locum Gregorius Nazianzenus (referente ibidem Hieronymo) dicebat plenum eſſe ineffabilibus ſacramentis, & divinum cor quærere interpretis. Nullam faciunt patres iſti mentionem novæ alicujus inſtitutionis ſacramenti alicujus propriè dicti novæ legis, quod ſacramentum matrimonii indigitetur: ſed ſacramentum ſeu myſterium ſumentes pro ipſa re ſacra, non unum tantum hujuſmodi ſacramentum, ſed plura ineffabilia ſacramenta talia in Chriſto & in Eccleſia dicunt ſignificari myſticè illis verbis Adami, Propterea relinquet homo patrem ſuum, & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Primus enim homo (inquit Hieronymus) & primus vates Adam, hoc de Chriſto & Eccleſia prophetavit: Quod reliquerit Dominus noſter atque Salvator Patrem ſuum Deum, & matrem ſuam cœleſtem Hieruſalem, & venerit ad terras propter ſuum corpus Eccleſiam, & de ſuo eam latere fabricatus ſit, & propter illam Verbum caro factum ſit. Et quia non omnia æqualia ſacramenta ſunt, ſed eſt aliud ſacramentum majus, & aliud minus, propterea nunc dicit; Sacramentum hoc magnum eſt. Hæc Hieronymus.

*Vindiciæ Hieronymi & Gregor. Naz.* — *Gen. 2. 24. Epheſ. 5. 31, 32.*

22. Auguſtinus autem matrem, quam Dominus noſter reliquit, interpretatur Synagogam Judæorum, de qua ſecundùm carnem natus eſt; & uxorem cui adhæſit, interpretatur Eccleſiam quam ex omnibus gentibus congregavit. tractatu nono in Euangelium Joannis. ubi etiam explicat, quomodo reliquerit Patrem, nempe ſe exinaniendo & in ſervi forma apparendo, non autem deſerendo aut recedendo à Patre.

23. Leo etiam epiſt. 92. ad Ruſticum, verbis ſuperius recitatis, ait ſocietatem nuptiarum ita à principio eſſe inſtitutam, ut habeat in ſe Chriſti & Eccleſiæ ſacramentum. Ergo non ab aliqua nova inſtitutione Euangelica iſtud habet, adeoque non eſt ſacramentum Novi Teſtamenti propriè dictum, ſed eſt typus quidam allegoricus à principio inſtitutus.

*Vindiciæ Leonis. Vide ſupra §. 13.*

24. Sic Ambroſius, libro ſecundo Commentariorum in Euang. Lucæ, in illa verba capitis 3. Factum eſt autem, cum baptizatus eſſet omnis populus, & Jeſu baptizato & orante, apertum eſt cœlum. Subvenit (ait) Apoſtolus æſtuanti, & quod ego non intelligebam quid eſſet, os de oſſibus meis, & caro de carne mea: &, hæc vocabitur mulier, quoniam de viro ſuo ſumta eſt. Divino mihi Spiritu revelavit, dicens, Sacramentum hoc magnum eſt. Quod ſacramentum? quia erunt duo in carne una. Et quia relinquet homo Patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ: & quoniam membra ſumus corporis ejus, de carne ejus, & de oſſibus ejus. Quis eſt ille vir, propter quem mulier parentes relinquat? Relinquit parentes Eccleſia, quæ de gentilibus populis congregata eſt: cui Prophetice dicitur; obliviſcere populum tuum, & domum Patris tui. Hæc & plura illo loco Ambroſius, exponens allegoricè hiſtoriam Moſis de Adamo & Eva.

*Vindiciæ Ambroſii. Luc. 3. 21. Gen. 2. 23. Epheſ. 5. 30. 31. 32. Pſal. 45. 11.*

25. Auctor etiam Comment. qui Ambroſio tribuitur, in caput 5. ad Epheſ. in illa verba; Myſterium hoc magnum eſt: ego autem dico, in Chriſto & in Eccleſia. Myſterii (inquit) ſacramentum grande in unitate viri ac feminæ eſſe ſignificat. Nec hoc prodit, ſed aliam cauſam quæ non diſcordet à memorato myſterio flagitat, quam ſcit ad profectum humani generis pertinere, hoc eſt, Eccleſiæ & Salvatoris: ut ſicut relictis parentibus homo uxori ſuæ adhæret, ita & relicto omni errore Eccleſia adhæreat & ſubjiciatur capiti ſuo, quod eſt Chriſtus. Hæc ille, ponens quidem myſterii ſacramentum grande in ipſa unitate viri ac feminæ, ſed non illâ tantum unitate quæ fit inter Chriſtianos, verùm in illa ab Adamo olim pronunciatâ, & quæ omnibus conjugibus communis eſt. Nam exponens verba Adami & Apoſtoli immediatè præcedentia [& erunt duo in carne una] ad unitatem (inquit) commendandam, unitatis dedit exemplum, ut ſicut vir & mulier unum ſunt per naturam, ita & Chriſtus & Eccleſia unum intelligantur eſſe per fidem. Myſterium verò ſeu myſterii ſacramentum accipit auctor ille hoc loco non pro ſacramento propriè dicto, ſed pro occulto quodam naturæ veluti miraculo, ſeu quotidiano quidem ac mirabili Dei opere, quo efficit ut conjuges relictis ſuis parentibus ſibi invicem adhæreant. Et tale quidem myſterium naturale eſt in omnium nuptiis: at myſterium ſpirituale connubii, eſt in conjugio Chriſti & Eccleſiæ. Sacramentum autem propriè dictum nec in illis eſt nuptiis, nec in hoc conjugio.

*Gen. 2. 24. Epheſ. 5. 31.*



26. Johannes Chryſoſtomus Comment. in caput quintum ad Epheſios, homilia vigeſima, myſterium illud naturæ ſeu arcanum inſtinctum explicans, qui invenitur in omni matrimonio, in quo primigenia retinetur inſtitutio, verè (inquit) myſterium eſt, & magnum myſterium, quod ſatorem, genitorem, nutritorem, genitricem, tam multas miſerias perpeſſam, eos qui tanta ei bona contulerunt, cum quibus tam diuturna ei conſuetudo fuit, relinquens, adhæreat illi quam antea non vidit, cum qua nihil ei commune fuit, [illegible], & omnibus ipſam anteponit. [illegible]. Et parentes, quando hæc fiunt, non iraſcuntur, ſed potius quando non fiunt. Et dum pecuniæ conſumuntur, & ſumtus fiunt, delectantur. [illegible]. verè magnum myſterium, ineffabilem quandam ſapientiam continens. Hoc jam olim prophetans declaravit Moſes, hoc & nunc Paulus clamat dicens, εἰς Χριστὸν καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν. Hæc Chryſoſt. in verſum ultimum illius capitis. Idem verò exponens verba illa Apoſtoli, Myſterium hoc magnum eſt; Ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia. quid (inquit) eſt hoc? magnum myſterium hoc dicit, [illegible]. quia magnum quidpiam & mirabile ænigmaticè indicavit beatus Moſes, vel potius Deus. Nunc verò in Chriſto, inquit, dico, quia & ipſe Patrem relinquens deſcendit, & venit ad ſponſam, & factus eſt in ſpiritum unum. Nam qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt. Et pulchrè dixit, magnum myſterium eſt: veluti ſi diceret; Verumtamen [illegible], hæc allegoria non evertit dilectionem. Hæc ibi Chryſoſtomus: continuo ſubjiciens verba Apoſtolica proximè ſequentia, verſ. ult. Veruntamen & vos ſinguli, unuſquiſque uxorem ſuam ſicut ſeipſum diligat.

*Vindiciæ Chryſoſtomi.* — *1. Cor. 6. 17. Epheſ. 5. 33.*

27. Nempe nuptiæ illæ ſingulares primitus inſtitutæ, ſicut etiam poſtea plurales nuptiæ Abrahami cum Sara & Hagar, monente eodem Apoſtolo, figurabant allegoricè magna myſteria ſpiritualia: &, ut loquitur Juſtinus Martyr in dialogo cum Tryphone, non ita longè ante finem dialogi, differens de Patriarcharum pluralibus nuptiis, [illegible], id eſt, diſpenſationes quædam magnorum myſteriorum, in unoquoque ejus generis facto ſunt celebratæ.

*Allegoria myſtica. Galat. 4. 24.* — *Diſpenſationes magnorum myſteriorum.*

28. Pro eo quod dixit Chryſoſtomus, allegoriam non evertere dilectionem, Oecumenius eodem ſenſu ſcribit in eundem locum capitis quinti ad Epheſios. anagogen & ſpiritualem expoſitionem non evertere τὸ ἰδίως, id eſt, ſenſum proprium, quo dilectionis officium inter conjuges præcipitur.

*Oecumen.*

29. Jam autem ex ænigmate, vel allegoriâ, vel anagoge, non ſequitur, rem aliquam eſſe ſacramentum propriè dictum vel veteris vel novi Teſtamenti. Hæc ſufficiant pro vindiciis ſcripturarum & Patrum.

*Vindiciarum concluſio.*

## *Diſſenſiones quædam, quæ de ſacramento matrimonii exſtiterunt inter Doctores Romanenſes, jam inde à tempore P. Lombardi.*

30. Petrus Lombardus ait, conjugium inſtitutum fuiſſe ante peccatum, ad ſacramentum & ad officium. 4. ſentent. diſtinct. 2. Alexander Alenſis in eandem ſententiam recitat verba Hugonis, quem ipſe ſequitur, parte 4. quæſtione 1. memb. 3. artic. 3. §. 1. Idem etiam Alenſis alibi ait, Pœnitentiam, ordinem, & matrimonium, eſſe ſacramenta novæ legis, quia in illa ſunt approbata; non autem quia in illa inſtituta. Alenſis parte 4. quæſtione 9. memb. 2. artic. 1. §. 1. vide ſupra §. 9. Thomas & Scotus, & Concilia Florentinum ac Tridentinum, locis ſupra citatis, ajunt inſtitutum eſſe ad ſacramentum à Chriſto in Euangelio. Nihilominus Alphonſus à Caſtro, libro undecimo contra hæreſes, verbo, nuptiæ, hæreſi tertiâ; & Petrus à Soto, lectione ſecunda de matrimonio, & alii quidam Romanenſes (referente Bellarmino, libro de matrimonii ſacramento, capite quinto, §. Reſpondeo, non deſunt.) ajunt, ſacramentum matrimonii fuiſſe etiam in lege veteri, & à Chriſto non tam inſtitutum quam confirmatum. Vide ſupra, §. 11.

31. Tridentina Synodus matrimonium ponit in ſacramentis novæ legis propriè dictis. id negavit Durandus, ſup. §. 14. & poſtea etiam Alphonſus à Caſtro, & Petrus à Soto, locis citatis, & alii.

32. Petrus Lombardus, 4. ſent. diſtinct. 2. ait matrimonii ſacramentum in remedium tantum eſſe, at non conferre adjutricem gratiam. quam ſententiam tuentur multi canoniſtæ, & Durandus locis à me ſuperius citatis: qui docent, per matrimonii ſacramentum non conferri gratiam. Et Bonaventura etiam aliquos ſcribit in ea fuiſſe ſententia, quod matrimonii ſacramentum nullam det gratiam. Alios autem dixiſſe, gratiam in ſacramento matrimonii dignè & devotè accipientibus dari ratione ſuperadditæ benedictionis ſacerdotalis. in 4. ſent. diſtinct. 26. artic. 2. quæſt. 2. Ipſe autem Bonaventura, ibidem, ambas iſtas opiniones rejicit, & aſſerit ratione ſacramenti dari gratiam in matrimonio. Et Thomas in eandem diſtinct. quæſt. 2. art. 3. rejectis quibuſdam aliorum opinionibus, hanc ut probabiliorem ſequitur, quod matrimonium conferat gratiam. Et ſupra ibidem, articulo primo, ad quartum: reſpondens objectioni illi, omne ſacramentum novæ legis efficit quod figurat. ait, Matrimonium habere etiam rem contentam quam efficit. In objectione autem illa, illud quod ſacramento figurari & effici dicitur, eſt gratia, ut patet ex 4. ſent. diſt. 1. Et Synodus Tridentina anathema dicit aſſerenti, matrimonium non conferre gratiam, ſeſſione vigeſima quarta, can. primo.

*Vide ſup. §. 14.*

33. Gratianus, cauſ. 27. quæſt. 2. can. Inſtitutum. §. Juxta hanc. & Gandulphus, ut ibidem refertur in gloſſa, copulam carnalem putabant eſſe ſacramento matrimonii ſimpliciter atque eſſentialiter neceſſariam, & ſine ea non eſſe ſacramentum. Petrus Lombardus & Bonaventura, 4. ſent. diſtinct. 26. ajebant, eſſe quidem verum ſacramentum matrimonii abſque copula quoad eſſe neceſſitatis, ſed non quoad eſſe plenitudinis. quæ diſtinctio ſupra explicata eſt. Thomas autem in 4. ſent. diſt. 26. quæſt. 2. art. 4. aliâ adhibita diſtinctione, integritatem quoad eſſe, ab

*De copula carnali. Vide ſupra §. 4. & §. 13.*

ea diſtinguit integritate, quæ attenditur ſecundùm perfectionem ſecundam, conſiſtentem in operatione: & ait commixtionem carnalem eſſe de ſecunda integritate matrimonii, non de prima. Carnis commixtionem (inquit Canus) novæ legis propriè ſacramentum dicere abſurdum eſt. Spiritus quippe ſanctus & ſacramenti gratia per coitum non datur. 32. quæſt. 2. can. Connubia. Hæc Melchior Canus, libro 8. locorum Theolog. cap. 5.

*Vide inferius, poſt §. 38. rat. 5.*

*Diſſenſio de matrimonio, & contractu matrimonii, & ſacramento matrimonii.*

34. Dico (inquit Scotus) quod aliud eſt matrimonium, & aliud contractus matrimonii, & aliud ſacramentum matrimonii. in 4. ſent. diſt. 26. quæſtione unica, num. 16. Et iſtorum trium diverſas ſubjicit deſcriptiones, num. 17. ubi matrimonium ait eſſe vinculum indiſſolubile, &c. At Joan. Major in eandem diſt. qu. 1. §. Quartò ſequitur. Non opinaberis (inquit) multorum more inter hæc diſcrepantiam: ſacramentum matrimonii, contractum matrimonii, & vinculum matrimonii. Et Thomas in eandem diſt. qu. 2. art. 3. ad 2. ait, nexum eſſe ſacramentum matrimonii. Idipſum docet Catechiſmus Romanus, part. 2. cap. 8. qu. 3. & qu. 4. & qu. 15.

*De materia & forma ſacramenti matrimonii.*

35. Thomas, in 4. ſent. diſt. 26. qu. 2. art. 1. ad 1. verba conſenſum matrimonialem exprimentia ait eſſe formam hujus ſacramenti. Et ad ſecundum; materiam hujus ſacramenti non aliam eſſe, niſi ipſos ſenſui ſubjectos actus illius qui ſacramento utitur. Et Bonaventura in eandem diſt. art. 2. quæſt. 1. ait, verba & nutus & copulam carnalem eſſe ſignum exterius in hoc ſacramento. quod perinde eſt ac ſi diceret, iſta eſſe ipſum materiale ſacramentum. Scotus autem ſacramentum matrimonii deſcribit, quod ſit expreſſio certorum verborum maris & fœminæ, &c. in eandem diſt. quæſt. unica, numero 17. Thomas rurſus, in eandem diſt. quæſt. 2. art. 3. ad 2. Actus (inquit) exteriores & verba exprimentia conſenſum directè faciunt nexum quendam, qui eſt ſacramentum matrimonii. Joannes Major in eandem diſt. quæſt. 1. ait, matrimonium eſſe ſenſibile ſignum, alioquin enim non fore ſacramentum, & inde infert, conſenſum etiamſi ad matrimonium requiratur, non tamen eſſe ſacramentum, cum non ſit ſignum ſenſibile. Et paulò poſt ibidem ait, non eſſe hic quærendam formam nec materiam propriè dictam, cum accidens nullam talem habeat; Poſſe autem dici, quod conſenſus ob ſpiritualem rationem formæ participet: & ſignum ſenſibile de quo loquutus eſt, ſit materia metaphoricè dicta. Hæc Major. At Eugenius Papa in Concilio Florentino, ait conſenſum mutuum per verba de præſenti expreſſum, eſſe regulariter cauſam efficientem matrimonii. Et Catechiſmus Romanus, part. 2. cap. 8. quæſt. 4. ait, conſenſum ipſum matrimonii cauſam efficientem eſſe, etenim obligationem & nexum oriri non poſſe, niſi ex conſenſu & pactione. In materia (inquit Canus) & forma hujus ſacramenti [matrimonii] ſtatuenda adeo ſunt inconſtantes & varii [Theologi] adeo incerti & ambigui, ut ineptus futurus ſit, qui in tanta illorum varietate ac diſcrepantia rem aliquam certam, conſtantem, exploratam conetur efficere. —— Concilium certè Florentinum de materia, forma, miniſtro ſacramenti matrimonii, præſtitit nihil, id quod ſine dubio faceret, ſi de eis rebus videret quippiam eſſe à Theologis in ſchola definitum. Hæc Melchior Canus, lib. 8. locorum Theolog. cap. 5.

*Vide ſupra, §. 1.*

36. Thomas, in 4. ſent. diſt. 26. quæſt. 2. art. 1. ad 1. ait benedictionem ſacerdotalem non eſſe hujus ſacramenti formam, ſed eſſe quoddam ſacramentale. Et Joannes Major ibidem, quæſtione prima, matrimonii benedictionem ſacerdotalem dicit eſſe ex ſola hominum inſtitutione. Et communior Theologorum ſcholaſticorum hæc eſt ſententia, benedictionem hanc non eſſe de neceſſitate ſacramenti, & miniſtros ſacramenti hujus eſſe ipſos marem & fœminam contrahentes matrimonium. Pro hujus ſententiæ defenſione prolixè diſputat Bellarminus, libro de matrimonio, capite ſexto, & ſequentibus. At Guilielmus Pariſienſis, libro de ſacramentis, tractatu de matrimonio, capite nono, quæſtione primâ: negat matrimonium veri nominis ſacramentum eſſe & ſacramentalem virtutem habere, niſi ſacerdotali miniſterio conſecratum fuerit. quem ſequitur Melchior Canus, libro octavo de locis Theologicis, capite quinto. Cui opinioni ſubſcribere ait juriſperitos propemodum univerſos, & in hoc probabilius loqui Canoniſtas quam Theologos. Tametſi (inquit) Theologi etiam quidam docti ſanè & graves inventi ſunt, quibus communis illa reliquorum ſententia diſpliceret. Pro ſua etiam ſententia allegat Canus antiquos Patres Calixtum, Cyricium, Nicolaum, Hormiſdam, Euariſtum, Iſidorum, & Concilium Carthaginenſe quartum, apud Grattianum 30. quæſt. 5. & 31. quæſt. 2. & Concilium Lugdunenſe, apud eundem, cauſa 35. quæſt. 3. can. Nulli. & Concilium Lateranenſe, extra; de Simonia, cap. cum in Eccleſiæ corpore. Et Concilium Conſtantienſe, in fine Concilii. Et Clementem, de privilegiis Religioſi. & Ambroſium, libro primo, epiſtola prima, ad Vigilium. Deinde de Euariſto ait: certè Euariſtus matrimonium clandeſtinum ſine ſacerdote contractum, tantum abeſt, ut ſacramentum Eccleſiæ fateatur, ut adulterinum contubernium appellet. Hæc Canus. Referuntur Euariſti verba à Gratiano, cauſ. 30. quæſt. 5. can. aliter.

*Diſſenſio de benedictione ſacerdotali.*

37. Idcirco immeritò Bellarminus, libro de matrimonio, capite ſexto, hanc Melchioris Cani vocat novam & ſingularem opinionem. Nam & ipſe Bellarminus, eodem libro, capite octavo, Cano relinquere cogitur Guilielmum Pariſienſem, & nonnullos canoniſtas, nec inficiari poteſt illud ab Euariſto pronunciatum quod retulit Canus, quamvis idipſum diſtinctione quadam conetur Cano eripere: & teſtimonia aliorum veterum ſic interpretetur, ut intelligenda eſſe aſſerat, benedictionem ſacerdotalem in matrimonio adhiberi ſolere, vel debere: non autem eam eſſe de eſſentia ſacramenti, aut matrimonium per verba de præſenti inter fideles contractum, abſque benedictione ſacerdotali non eſſe ſacramentum. In Concilio autem Lateranenſi benedictionem nubentium dici quidem ſacramentum, ſed largo ſenſu, quale ſacramentum eſt officium ſepulturæ, &c.

38. Bellarminus etiam ait, ſi vera eſſet opinio Cani, non poſſemus ex ſcripturis & Conciliis oſtendere conjugii ſacramentum: neque immeritò dicerent hæretici, hoc ſacramentum ab hominibus, idque recens, excogitatum fuiſſe. capite ſeptimo ejuſdem libri; ubi orthodoxos, per injuſtam calumniam, criminatur hæreticos. Canus autem verum matrimonium non negat ex conſenſu contrahentium, etiamſi non adſit benedictio ſacerdotalis; ſed negat eſſe ſacramentum ſine Eccleſiæ miniſtro. quæ pars ſententiæ Cani ve-



riſſima eſt: unde ſequitur, non poſſe ex ſcripturis & Conciliis oſtendi conjugii ſacramentum. Cani autem ſententiam hac in parte veram eſſe, patet tum ex ſuperioribus noſtris vindiciis ſcripturarum & Patrum, tum ex iſtis Romanenſium diſſenſionibus inter ſe. Denique ex eis rationibus, quas nunc ſubjicienus, quibus palam fiet, nec ſine benedictione, nec cum benedictione ſacerdotali matrimonium eſſe ſacramentum propriè dictum novæ legis.

### *Rationes quædam, quibus evincitur, matrimonium non eſſe novi Teſtamenti Sacramentum propriè dictum.*

Ratio 1. DEeſt inſtitutio divina per Chriſtum in novo Teſtamento, ut patet ex ſuperioribus vindiciis Scripturarum.

2. Inſtitutio matrimonii antiqua, quæ in novo Teſtamento à Chriſto confirmatur, fuit in officium naturæ, & in remedium peccati, non autem in ſacramentum propriè dictum, quod & ipſi fatentur adverſarii.

3. Ex allegorica matrimonii ſignificatione, non magis ſequitur, matrimonium eſſe ſacramentum novi Teſtamenti, quàm Saram aut Hagaram.

4. Non eſt hic ſignum reale corporale ac viſibile, quod in ſacramento propriè dicto neceſſarium eſſe oſtendimus, ſupra in definitione ſacramenti. Si regeras cum nonnullis, quos laudat Bellarminus, libro de matrimonio, capite ſexto, ipſa corpora ſeu perſonas contrahentium eſſe materiam hujus ſacramenti; Reſpondeo, 1. Hoc gratis dicitur ſine fundamento in ſcripturis, aut antiquis Patribus. 2. Thomas Aquinas in quartum ſententiarum, diſtinctione vigeſima ſexta, quæſtione ſecundâ, articulo primo ad ſecundum, ait hoc ſacramentum non habere aliam materiam, niſi ipſos ſenſui ſubjectos actus eorum qui ſacramento utuntur. 3. Sacramentum à ſacramento non ſumitur: aut igitur duo erunt ſacramenta, nempe perſona maris unum ſacramentum, & perſona feminæ aliud ſacramentum, quo poſito, mas & femina non ſumunt idem ſacramentum; aut perſonæ contrahentium non poſſunt eſſe ſacramentum. ſi dicas, copulam carnalem eſſe ſignum corporale ac viſibile, reſpondetur ab ipſis Pontificiis, copulam iſtam non eſſe de neceſſitate ſacramenti: denique ne illi quidem effugient, qui cum Gratiano copulam faciunt ſimpliciter neceſſariam, ut patebit ex proxima ratione.

5. Petrus Lombardus ait, quarto ſentent. diſt. vigeſima ſexta, inter Mariam & Joſeph tanto fuiſſe ſanctius conjugium, atque perfectius, quanto à carnali copula immunius. Quomodo autem poteſt eſſe materia ſacramenti illud, à quo ſanctius abſtinetur. Vide ſupra, §. 33.

6. Matrimonium non confert gratiam ſalviſicam vel juſtificantem.

7. Non eſt omnibus idoneis neceſſitate præcepti neceſſarium.

Non eſt federis divini ſigillum, aut religionis noſtræ coagulum. Harum rationum robur manifeſtum eſt ex definitione ſacramenti, ſuperius allata, cap. 1. 8.

Solis verbi Dei miniſtris datum eſt ut ſint ordinarii diſpenſatores myſteriorum Dei. Matth. 28. 19. & 1. Corinth. 4. 1. at ordinarium matrimonii miniſterium Pontificii concedant laicis, imò mulieribus (quibus docendi munus negatum eſt. 1. Corinth. 14. 34. & 1. Timoth. 2. 12.) Unde patet, matrimonium non eſſe ſacramentum. Rectè enim Auguſtinus ait, Detrahe verbum, & quid eſt aqua niſi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit ſacramentum. Hoc eſt verbum fidei quod prædicamus, &c. Tract. 80. in Euang. Joan. Si dicas, Concilium Tridentinum, ſeſſione vigeſima quarta, in reformatione matrimonii, capite primo, irritos facere & annullare contractus omnes matrimoniales etiam per verba de præſenti factos, non præſente ſacerdote. Reſpondet Bellarminus, libro de matrimonio, capite ſeptimo, Concilium Tridentinum eodem loco declaraſſe, matrimonia clandeſtina vera & rata fuiſſe, adeoque ſacramenta fuiſſe, antequam ab Eccleſia irritarentur. Hæc ille. Præterea reſpondeo, Synodus Tridentina ſacerdotem, non conſtituit matrimonii miniſtrum, ſed neceſſarium teſtem. 9.

Nexus ſeu vinculum matrimonii non eſt ſignum ſenſibile, ergo non eſt ſacramentum propriè dictum. atque adeo errat Catechiſmus Romanus id aſſerens, parte ſecunda, capite octavo, quæſtionibus 3. & 4. & 15. Conſequentia patet ex recepta definitione ſacramenti. Non reprehendimus quod dicitur in Catechiſmo, quæſtione tertiâ & quæſtione quartâ, vim & naturam ſeu rationem matrimonii conſiſtere propriè in obligatione illa & nexu ſeu vinculo, quod in definitione matrimonii, conjunctionis vocabulo ſignificatur. Sed quod additur, quæſtione decima quinta, conjunctionem iſtam ſeu vinculum eſſe verum Euangelicæ legis ſacramentum: quod etiam docuit Thomas in quartum ſententiarum, diſtinctione vigeſima ſexta, quæſtione ſecundâ, articulo tertio, ad ſecundum. id falſum eſſe eodem evincitur argumento, quo Joannes Major ſuperius oſtendebat, conſenſum non eſſe ſacramentum, cum non ſit ſignum ſenſibile. 10.

*Supra §. 14.*

## CAPUT NONUM.

### *De numero Sacramentorum novi Teſtamenti propriè dictorum, doctrina orthodoxa.*

SEcluſis igitur ex albo ſacramentorum propriè dictorum novi Teſtamenti, Confirmatione, Pœnitentiâ, Extrema unctione, Ordine, & Matrimonio, quæ ſcholaſtici & Pontificii ſacramentis accenſuerunt: item lotione pedum, quam Ambroſius, & Auctor operis de Cardinalibus Chriſti operibus quod Cypriano tribuitur, & Toletani Patres, & Bernardus, in ſacramentis poſuere; nec non martyrio, & crucis ſigno, & id genus aliis, quibus ſacramenti appellatio apud veteres quandoque attributa eſt: ſuperſunt ſacramenta novæ legis propriè dicta tantummodo duo, videlicet Baptiſmus & Euchariſtia.

2. De

2. De his Auguſtinus, lib. 3. de doctrina Chriſtiana, cap. 9. Hoc (inquit) tempore poſteaquam reſurrectione Domini noſtri Jeſu Chriſti manifeſtiſſimum indicium noſtræ libertatis illuxit, nec eorum quidem ſignorum quæ jam intelligimus, operatione gravi onerati ſumus: ſed quædam pauca pro multis, eademque factu facillima, & intellectu auguſtiſſima, & obſervatione caſtiſſima, ipſe Dominus & Apoſtolica tradidit diſciplina: ſicuti eſt Baptiſmi ſacramentum, & celebratio corporis & ſanguinis Domini. quæ unuſquiſque cum percipit, quo referantur imbutus agnoſcit. Item lib. 2. de ſymbolo ad Catechumenos, cap. 6. Percuſſum eſt Chriſti latus, ut Euangelium loquitur, & ſtatim manavit ſanguis & aqua, quæ ſunt Eccleſiæ gemina ſacramenta.

3. Ambroſius opus ſuum de ſacramentis ſex libris complexus eſt: in quibus Baptiſmi tantummodo & Euchariſtiæ, tanquam ſacramentorum novi Teſtamenti mentionem facit. Scribit quidem, initio libri tertii, de lotione pedum facienda in myſterio, ſed eam ibi tractat tanquam Baptiſmi appendicem, & in Baptiſmate, erga recens baptizatos, exercendam. Neque eam Eccleſia Romana ſacramentis propriè dictis accenſet. Illorum autem ſacramentorum quæ tanquam propriè dicta ſacramenta Romanenſes Baptiſmo & Euchariſtiæ aſſociant, nulla vel leviſſima fit inſinuatio in illo opere, quod ſcripſit Ambroſius de ſacramentis.

4. Cyrillus Hieroſolymitanus, in ſuis catecheſibus Myſtagogicis, ex profeſſo differens de ſacramentis, commemorat tantummodo Baptiſmum & Euchariſtiam, cum Chriſmate quo ungebantur baptizati. Et Dionyſius, libro de Eccleſiaſtica Hierarchia, ſacramenta recenſens, eorumque Hierurgias, id eſt, ſacras celebrationes exponens, ſola illa tria ponit; nempe, Baptiſmum, ſynaxin, ſive communionem, & τελετὴν μύρου, ſacramentum unguenti, quo poſt acceptum baptiſmum ungebantur fideles. Deinde, capite quinto, tranſit à ſacramentis ad ſacerdotales ordines, quos apertè diſcriminat à ſacramentis. Sic etiam Iſidorus Hiſpalenſis, libro ſexto originum ſive Etymologiarum, capite decimo nono, & Rabanus Maurus, libro primo de inſtitutione clericorum, capite vigeſimo quarto, ex profeſſo ſcribentes de ſacramentis quæ in Eccleſia celebrantur, hæc ſola recenſent, Baptiſmum, & chriſma quo ungebantur baptizati, & corpus & ſanguinem Chriſti. Et haud obſcurè profitentur ſe non plura agnoſcere. Chriſma autem illud non eſſe ſacramentum propriè dictum, oſtendimus ſupra, cap. 4.

5. Alexander Alenſis, in ſua ſumma Theologiæ, parte quarta, quæſtione quintâ, membro tertio, articulo ſecundo, §. tertio, fatetur, Chriſtum per ſeipſum duo ſolùm ſacramenta inſtituiſſe ſecundum formam ſuam, videlicet Baptiſma, & Euchariſtiam, quæ vocat principalia ſacramenta: & in iſtis ait Dominum inſtitutionem formæ voluiſſe nobis dare per ſeipſum; quia iſta totum hominem uniunt in corpore Eccleſiæ, ſecundum unitatem fidei & caritatis, cum dignè ſuſcipiuntur. Manifeſtum eſt (inquit Thomas) quod ſacramenta Eccleſiæ ſpecialiter habent virtutem ex paſſione Chriſti, cujus virtus quodammodo nobis copulatur per ſuſceptionem ſacramentorum. In cujus ſignum de latere Chriſti pendentis in cruce, fluxerunt aqua & ſanguis, quorum unum pertinet ad Baptiſmum, aliud ad Euchariſtiam, quæ ſunt potiſſima ſacramenta. Hæc Thomas, tertia parte, quæſtione ſexageſima ſecunda, articulo quinto. Etſi autem præter hæc duo, etiam alia agnoſcebant ſacramenta Alexander & Thomas, rationes tamen quibus inducti hæc duo vocabant principalia & potiſſima ſacramenta, adjunctis aliis, quæ à nobis allatæ ſunt, oſtendunt, ſola hæc duo eſſe novi Teſtamenti ſacramenta propriè dicta.

INSTRU-



# INSTRUCTIONUM HISTORICO-THEOLOGICARUM LIBER DECIMUS,

## DE BAPTISMO, contra Donatiſtarum, & Pontificiorum, & aliorum quorundam errores.

### CAPUT PRIMUM.

*De Baptiſmi integritate. ubi de cerimoniis adventitiis; & de intentione miniſtri; & de eis qui fallaciter dant vel accipiunt; & de joculari baptiſatione puerorum per puerum Athanaſium; & de illis qui nolentes tinguntur.*

JAm olim quædam introductæ ſunt, hodiéque multæ adhibentur ad hujus ſacramenti celebrationem accidentariæ cerimoniæ humanitus adinventæ, adeóque ad ſacramenti integritatem minimè pertinentes. De quibus Magiſter ſententiarum, libro quarto, diſtinctione tertiâ. In duobus (inquit) conſiſtit ſacramentum Baptiſmi, ſcilicet, in verbo & elemento. Ergo etſi alia deſint, quæ ad decorem ſacramenti inſtituta ſunt, non ideo minus eſt verum ſacramentum & ſanctum, ſi verbum ſit ibi & elementum. Nam & in hoc ſacramento & in aliis quædam ſolent fieri ad decorem & honeſtatem ſacramenti; quædam ad ſubſtantiam & cauſam ſacramenti pertinentia: De ſubſtantia hujus ſacramenti ſunt verbum & elementum; cætera ad ſollemnitatem ejus pertinent. Vide de iſtis adventitiis, cauſam trigeſimam, quæſtione prima, canone, *Pervenit.* in gloſſâ, ubi de ſeptem donis baptiſmi. Et quartum ſententiarum, diſtinctione ſexta. & Walafridum Strab. lib. de rebus Eccl. capite vigeſimo ſexto, & Rabanum Maurum, libro primo de Inſtitutione Clericorum, capite vigeſimo ſeptimo & vigeſimo octavo, & Ivonem Carnotenſem, ſermone de ſacramentis Neophytorum. Et Alcuinum, libro de officiis divinis, capite de ſabbato ſanctæ Paſchæ. Vide etiam Tertullianum libro de Corona militis, capite tertio; & libro de baptiſmo, capite ſecundo & capite ſexto. Invocatio Trinitatis (ait Petrus Lombardus, libro quarto ſententiarum, diſtinctione tertia,) verbum dicitur, quo baptiſma conſecratur: & hæc eſt forma verborum, ſub qua traditur Baptiſmus. Unde Bonifacio Epiſcopo Zacharias Papa ait; Firmiſſimè præceptum eſt in Synodo Anglorum, ut quicunque ſine invocatione Trinitatis merſus fuiſſet, quod ſacramentum regenerationis non haberet: quod omnino verum eſt: quod ſi merſus in fontem baptiſmi quis fuerit ſine invocatione Trinitatis, perfectus Chriſtianus non eſt, niſi in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti fuerit baptizatus. Legitur tamen in actibus Apoſtolorum, Apoſtolos baptizaſſe in nomine Chriſti. Sed in hoc nomine (ut exponit Ambroſius) tota Trinitas intelligitur. Intelligitur enim, cum Chriſtum dicis, & Pater, à quo unctus eſt; & ipſe, qui unctus eſt; & Spiritus Sanctus, per quem unctus eſt. ——— qui ergo baptizat in nomine Chriſti, baptizat in nomine Trinitatis; quæ ibi intelligitur. Tutius eſt tamen, tres perſonas ibi nominare, ut dicatur; In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Non in nominibus, ſed in nomine, id eſt, in invocatione, vel in confeſſione Patris & Filii & Spiritus Sancti. Invocatur enim ibi tota Trinitas, ut inviſibiliter ibi operetur per ſe, ſicut extra viſibiliter per myſterium. Si autem dicatur, in nominibus, non eſt ibi ſacramentum; quia non ſervatur forma baptiſmi. Hæc Lombardus, loco citato, ubi videre licet plura.

*Baptiſmus in nomine Chriſti. Ambroſ. lib. 1. de Spiritu Sancto, cap. 3.*

2. Ambroſius libro primo de fide, ad Gratianum, capite primo. Ipſe dicit; *Ite, baptizate in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.* In nomine utique ait, non in nominibus; ut unitas eſſentiæ oſtendatur: per tria verò quæ ſuppoſuit, tres eſſe perſonas declaravit. Hæc Ambroſius. Idem libro primo de Spiritu Sancto, capite tertio. Plenum autem eſt baptiſmatis ſacramentum, ſi Patrem & Filium Spiritumque fatearis. Si unum neges, totum ſubrues. Et quemadmodum, ſi unum in ſermone comprehendas, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum Sanctum, fide autem nec Patrem nec Filium nec Spiritum abneges; plenum eſt fidei ſacramentum: ita etiam quamvis & Patrem & Filium & Spiritum dicas, & aut Patris aut Filii aut Spiritus Sancti minuas poteſtatem, vacuum eſt omne myſterium. Hæc Ambroſius.

*In nomine, non in nominibus. Vide ſupra lib. 1. cap. 17.*

3. Auguſtinus autem ait; Prorſus fieri poteſt, ut aliqui verum habeant baptiſmum, & non habeant veram fidem. Hæc Auguſtinus, libro de unico baptiſmo, contra Petilianum, capite undecimo. cum qua ſententiâ verba Ambroſii conciliabimus infra, capite quarto. Turbatus Ambroſii verbis magiſter ſententiarum, ſenſum quendam eis affinxit, ab Ambroſii mente alienum, ex qua parexegeſi natus eſt error ille de intentione miniſtri, quem hodieque tuentur Romanenſes. Ambroſii verba ſic interpretatur Lombardus, aſſentientibus etiam ſcholaſticis Theologis, quarto ſententiarum, diſtinctione tertia. Quod verò ait, nominatis tribus, vacuum eſſe myſterium, ſi baptizans minuat poteſtatem Patris, vel Filii, vel Spiritus Sancti; id eſt, ſi malum ſentiat de potentia alicujus horum, non credens unam potentiam trium: intelligendum eſt hoc ſuper eum, qui non intendit, nec credit baptizare: qui non tantùm caret fide, ſed etiam intentionem baptizandi non habet. Hæc ibi. Docent autem ſcholaſtici intentionem miniſtri eſſe adeò neceſſariam, ut eâ deficiente non ſit verum ſacramentum, quamvis ritu Euangelico celebretur, in quartum ſententiarum, diſtinctione ſexta. Attamen non pendere ab occulta miniſtri intentione veritatem certitudinemque baptiſmi, jam docebimus.

*Error de intentione miniſtri.*

4. Auguſtinus ait; In Deum credentem non ex occultis hominum pendere volumus, ſed in Domino gloriari de quo certus eſt, admonemus. Auguſtinus libro ſecundo, contra Creſconium Grammaticum Donatiſtam, capite trigeſimo. Ergo non ex intentione baptiſantis.

*Non pendemus ex occultis hominum.*

5. Et refellens illam erroneam Petiliani Donatiſtæ aſſertionem; Conſcientia dantis [baptiſmum] attenditur, quæ abluat accipientis; Reſpondet Auguſtinus; Sæpe mihi ignota eſt humana conſcientia: ſed certus ſum de Chriſti miſericordia. Et paullò poſt; Non enim (inquit) in miniſtrum per quem baptizor credo, ſed in eum qui juſtificat impium, ut detur mihi fides ad juſtitiam. libro primo contra literas Petiliani, capite ſeptimo.

*Petiliani Donatiſtæ erronea aſſertio refutatur.*

6. Et alibi; Naſcitur credens non ex miniſtri ſterilitate, ſed ex veritatis fecunditate. libro ſecundo contra literas Petiliani, capite quinto. Et libro tertio ejuſdem operis, capite vigeſimo ſeptimo. Nunc verò cum interrogatur [Petilianus,] unde percipiat fidem qui neſciens baptizatur à perfido? reſpondes, eum diſcutere debuiſſe baptiſtam: proculdubio miſerum, nec ignorare permittit, non inveniendo unde fidem poſſit accipere, niſi ſpem ſuam in homine baptizando * poſuerit. Et capite vigeſimo octavo: Hoc eſt quod exhorremus in vobis; hoc eſt quod Divina damnat ſententia, veraciſſimè & maniſeſtiſſimè clamans: Maledictus omnis qui ſpem ſuam ponit in homine. Hoc eſt quod apertiſſimè prohibet ſancta humilitas & charitas Apoſtolica, clamante Apoſtolo Paulo, Nemo glorietur in homine. Hoc eſt quod in nos inanium calumniarum & acerrimorum maledictorum crebreſcit impetus, ut quaſi everſo homine nulla ſpes remaneat eorum, quibus verbum Dei & ſacramentum pro diſpenſatione nobis creditâ miniſtramus. Reſpondemus eis, quouſque hoc apponitis ſuper hominem? Reſpondet eis Catholica veneranda ſocietas; Nonne Deo ſubjicietur anima mea; ab ipſo enim ſalutare meum. Etenim ipſe eſt Deus meus, ſuſceptor meus: non emigrabo.

*[* Lege baptizante.]*

*Hierem. 17.5.*

*1. Corinth. 3.21.*

*Pſal. 61. (ſive 62.) verſ. 7.*

7. Idem ait; Quis enim neſcit te alienum eſſe ab illius malo, ſi conſenſione peccato ejus non communicas? Auguſtinus, libro quarto contra Creſconium Grammaticum, capite vigeſimo ſeptimo.

8. Item; Illud autem quis ferat, quod ſacrilega dicit (Petilianus) ſacramenta, etiamſi verè, ſicut calumniatur, à traditoribus haberentur, quæ in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti ritu Euangelico celebrantur? Hic fortaſſe dicat, jam non eſſe Chriſti ſacramentum quod à ſacrilegis datur. Cur ergo non dicit, non eſſe etiam nomen Chriſti quod à ſacrilegis dicitur? Auguſt. lib. de unico baptiſmo, contra Petilianum, cap. 8.

9. Item; Si quis fortè me in eo Concilio conſtitutum, ubi talium rerum quæſtio verſaretur, non præcedentibus talibus quorum ſententias ſequi mallem, urgeret ut dicerem quid ipſe ſentirem, ſi eo modo affectus eſſem, quo eram cum iſta dictarem, nequaquam dubitarem habere eos baptiſmum, qui ubicunque, & à quibuſcunque illud verbis Euangelicis conſecratum, ſine ſua ſimulatione & cum aliqua fide accepiſſent; quanquam eis ad ſalutem ſpiritalem non prodeſſet, ſi charitate caruiſſent, qua Catholicæ inſererentur Eccleſiæ. Si enim habeam, inquit, fidem ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil ſum. Sicut jam præteritis majorum ſtatutis, non dubito etiam illos habere baptiſmum, qui quamvis fallaciter id accipiant, in Eccleſia tamen accipiunt; vel ubi putatur eſſe Eccleſia ab eis, in quorum ſocietate id accipitur: de quibus dictum eſt, Ex nobis exierunt. Auguſtinus, libro ſeptimo de baptiſmo contra Donatiſtas, capite 53.

10. Ex his jam liquet, juxta mentem Auguſtini ſufficere ad baptiſmi veritatem, ſi ritu Euangelico in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, celebratus accipiatur ubicunque, & à quibuſcunque, ſine accipientis ſimulatione, & cum aliqua ejuſdem fide; vel etiam quamvis fallaciter accipiatur, ſi tamen in Eccleſia accipiatur, aut ubi putatur eſſe Eccleſia ab eis in quorum ſocietate accipitur. Neque ullo modo dependere veritatem aut certitudinem ſacramenti ab occulta aliqua diſpoſitione hominis miniſtrantis; ſed ſufficere ut poteſtatem habeat miniſtrandi, & externo ritu Euangelico utatur. qui igitur integritatem & veritatem hujus ſacramenti ſuſpendunt ab intentione baptizantis, diſcedunt à ſententia Auguſtini, & eo judice aberrant à veritate. quia ſic docent, credentes in Deum pendere ab occultis hominum: & contaminari veracem acceptorem alieno peccato, (fallaciâ videlicet miniſtrantis,) cui nullo modo conſentit: & ſpem ponendam in homine, & conſcientiam dantis attendi quæ abluat accipientis, & everſo homine, ſeu everſa miniſtrantis intentione, nullam relinqui ſpem accipienti. Hæc erant Donatiſtarum dogmata, aut ex eorum dogmatæ conſequentia, quæ ſacrilegi erroris & deteſtandi furoris plena eſſe convincit Auguſtinus, in ſuis prolixis voluminibus, quæ ſcripſit contra Donatiſtas.

11. Quid ſi in Eccleſia Catholica ita celebretur ritu Euangelico baptiſmus, ut ambo, tum dans, tum accipiens, fallaciter agant, non credentes, ſed animo ſimulato irridentes? Reſpondet Auguſtinus (libro ſeptimo de baptiſmo contra Donatiſtas, capite quinquageſimo tertio) nihil intereſſe ad integritatem ſacramenti in ipſa Catholica, utrùm id aliqui fallaciter an veraciter agant, cum tamen hoc idem utrique agant. Idem tenet Auguſtinus, ibidem de baptiſmo celebrato etiam extra Catholicam unitatem; ubi ab eis, in quorum ſocietate baptiſmus accipitur, putatur eſſe Eccleſia.



12. Proponit eodem capite & hanc quæſtionem; ſi neque in Eccleſia Catholica, neque in hæreſi, ubi res ſeriò agi conſuevit, ſed tantum ludicrè & joculariter in mimo res agatur; atque ſi accipiens, inter agendum repentinâ pietate moveatur; ſit ne verus baptiſmus quem accipit? Reſpondet Auguſtinus, ſuo quidem judicio verum videri baptiſmum, ſi verbis Euangelicis & ritu Euangelico celebratus ſit, ſine ſimulatione accipientis, & cum aliqua ejus fide.

13. Ait etiam eodem capite: Ubi autem neque ſocietas ulla eſſet ita credentium, neque ille qui ibi acciperet, ita crederet, ſed totum ludicrè & mimicè & joculariter ageretur, utrum approbandus eſſet baptiſmus qui ſic daretur? divinum judicium per alicujus revelationis oraculum, concordi oratione & impenſis ſupplici devotione gemitibus implorandum eſſe cenſerem, ita ſanè ut poſt me dicturos ſententias, ne quid jam exploratum & cognitum afferrent, humiliter exſpectarem: quanto magis ergo nunc ſine præjudicio diligentioris inquiſitionis, vel majoris auctoritatis, iſtud dixiſſe accipiendus ſum. Hæc Auguſtinus.

14. Ex his autem patet, abſurdum viſum Auguſtino, veritatem ac integritatem ſacramenti ſuſpendere ab intentione tradentis. Concilium tamen Tridentinum non dubitavit anathema dicere omni dicenti; in miniſtris, dum ſacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi quod facit Eccleſia. Seſſione ſeptimâ, canone undecimo. Et nos quidem dicimus, requiri ex debito miniſtrantis; at illi intelligunt requiri ex neceſſitate ſacramenti. Omnia ſacramenta (inquit Eugenius) tribus perficiuntur; videlicet rebus, tanquam materia; verbis, tanquam forma; & perſonâ miniſtri conferentis ſacramentum cum intentione faciendi quod facit Eccleſia: quorum ſi aliquid deſit, non perficitur ſacramentum. Hæc Eugenius quartus Papa Romanus cum Concilio Florentino, in decreto ſuper unione Armeniorum.

15. Bellarminus doctrinæ iſti adhærens, ait; qui intendit facere externum actum, ſed non ſerio, id eſt, non intendit facere quod facit Eccleſia, ſed intendit ſimulare quod facit Eccleſia. Hæc Bellarminus lib. 1. de ſacramentis, cap. 27. Attamen Auguſtinus ſenſit, etiam à tali miniſtrante verum baptiſmum accipi, ſi accipiens pietate moveatur, & ſine ſua ſimulatione & cum aliqua fide accipiat. Athanaſius adhuc puer non intendebat niſi ludicram quandam imitationem illius quod fieri videbat in Eccleſia, & tamen pueros ab illo per ludum jocumque puerilem ritu Eccleſiaſtico baptizatos Alexander Epiſcopus Alexandrinus, ex cleri ſui conſilio, pronunciavit verum accepiſſe baptiſmum, nec eſſe denuo baptizandos. ut legere eſt apud Ruffinum, libro decimo hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, capite decimo quarto, & Sozomenum, libro ſecundo, capite decimo ſexto, & Nicephorum, lib. 8. cap. 44. Puerilis reſponſio eſt Bellarmini, Pueros illos ſeriò egiſſe rem ludicram, (li. 1. de ſacramentis in genere, cap. 28. §. Dico igitur. Neq; enim ſeriò Athanaſius putabat ſe eſſe Epiſcopum, aut ſeriò putabat eſſe verè baptizatos, aut verè Presbyteros, quos baptizaverat, aut ordinaverat, ſed tantummodo [illegible] & [illegible] quandam [illegible] intendebat, non id agere intendens quod agit Eccleſia, ſed tantùm intendens id ſimulare, ſeu joco ſo ludo repræſentare ac mimicè imitari, quod agit Eccleſia. Sive autem rectè, ſive perperam judicaverit Alexander de illo baptiſmo, declarat tamen hiſtoria rei geſtæ, eum & clericos ejus non cogitaſſe de ea neceſſitate intentionis, quam hodiè prædicant Romanenſes, ſed ſolum percontatum eſſe pueros, quinam ſermones & quæ actiones adhibitæ eſſent in illo ludo, cumque comperiſſet [illegible] ab illis rite ſervatam, approbaſſe baptiſmum, cum conſenſu ſuorum clericorum. de quo Alexandri & clericorum ejus judicio quid nobis videatur, inferius indicabimus, hoc ipſo capite, §. 31.

16. Si ambo, tum tradens, tum accipiens baptiſmum, ritu Euangelico, fallaciter & irridendo rem eam egerint, ſimulatione palliati, in unitate Catholica, ſi poſtea prodatur, (inquit Auguſtinus) nemo repetit; ſed aut excommunicando punitur illa ſimulatio, aut pœnitendo ſanatur. lib. 7. de baptiſmo, cap. 53.

*Si ambo irriſores.*

17. Ex edicto Imperatoris contra Donatiſtas citat hanc ſententiam, cui nullam dari poſſe idoneam à Donatiſtis reſponſionem perpendit Auguſtinus, epiſt. 166. Attendite (inquit) quid habeant verba Principis, Nam ſi in eis qui primo initiati ſunt, idcirco religio baptiſmatis judicatur infirma, quod ii à quibus accipitur peccatores putentur, totiens renovari neceſſe erit traditum ſacramentum, quotiens indignus fuerit inventus collati baptiſmatis adminiſtrator, & fides noſtra non ex noſtræ voluntatis arbitrio, neque ex divini muneris gratia, ſed ex meritis ſacerdotum & clericorum qualitate pendebit. Faciant mille Concilia Epiſcopi veſtri, huic uni ſententiæ reſpondeant, & ad quod volueritis conſentimus vobis. Hæc Auguſtinus.

*Iſta ſententia argumenta ſuppeditat etiam contra doctrinam Romanenſium de intentione miniſtrantis.*

18. Chryſoſtomus ait; Et quid ſacerdotes dico? Neque Angelus, neque Archangelus quicquam in his quæ à Deo data ſunt, efficere poteſt; ſed Pater & Filius & Spiritus Sanctus omnia facit. Sacerdos & linguam & manus præbet: neque enim juſtum eſt, propter alterius malitiam ad ſalutem noſtram accedentes offendi. Hæc ille, homilia octogeſima quinta in Euang. Joannis. Reſpondet Bellarminus, Chryſoſtomum loqui de probitate miniſtrorum. At, inquam, non exigua probitatis pars eſt ſincera intentio; neque non nocebit accipienti malitia miniſtri, ſi ei noceat prava & malitioſa ejus intentio.

*Sacerdos linguam & manum præbens baptizat.*

19. Perpendant & hoc argumentum, ex ipſorum Romanenſium doctrina deſumtum: De quibus ignorat vel dubitat Eccleſia, utrum ſint baptizati, an non; illi ſunt baptizandi, ne pereant. Conferendum eis videtur, quod collatum eſſe neſcitur; hoc enim officium poſtulat diligentia pietatis. quarto ſententiarum, diſtinctione ſexta. D Et de conſecratione, diſtinctione quarta, canone *Parvulos.* & canone. *Si nulla.* Et extra, de baptiſmo, capite ſecundo. At poſito, quod intentio mini-

*Argumentum ex Lombardo, & ex jure Canonico ſumtum, contra doctrinam Romanenſium de neceſſitate intentionis miniſtri.*

miniſtrantis requiratur ad perfectionem veritatemque ſacramenti, ſequetur de omnibus ignorare Eccleſiam, utrum ſint baptizati nec ne, niſi de quibus habet extraordinariam revelationem: Ergo poſitâ tali intentionis neceſſitate, debebit Eccleſia omnes identidem baptizare, donec de eis conſequatur extraordinariam revelationem, quod ſint verè baptizati, adeoque extra illud pereundi periculum conſtituti, in quo ſunt non baptizati, ex defectu baptiſmi. Neque reſponderi poteſt, ſufficere Eccleſiæ, ſi teſtes habeat idoneos de celebrato externo ritu, niſi concedas externum ritum in forma Evangelica externa, à miniſtro poteſtatem habente, celebratum ſufficere ad veritatem certitudinemque ſacramenti: quod certè verum eſt, & allegatorum canonum menti congruum. Neque enim ab interitu ſervat inane ſimulacrum baptiſmi, ſed verus baptiſmus.

*Loquimur hic de neceſſitate baptiſmi ex mente Romanenſium. Noſtram autem de ea ſententiam inferius exhibemus, cap. 5. & 6. &c.*

20. Ac neque ipſius accipientis, aut baptizandum offerentis intentionem ſinit Auguſtinus haberi neceſſariam pro perfectione ſacramenti. Sicut jam (inquit) prætéritis majorum ſtatutis, non dubito etiam illos habere baptiſmum, qui quamvis fallaciter id accipiant, in Eccleſia tamen accipiunt, vel ubi putatur eſſe Eccleſia ab eis, in quorum ſocietate id accipitur. libro ſeptimo de baptiſmo, capite quinquageſimo tertio, ſeu penultimo. Et alibi de baptiſmo parvulorum loquens, Etiam neſcientibus (inquit) & fidem ſuam nondum habentibus prodeſt. epiſtolâ vigeſima octava ad Hieronymum. Idem alibi ſcribens ad Bonifacium Epiſcopum; Nec illud te moveat (inquit) quod quidam non eâ fide ad baptiſmum percipiendum parvulos ferunt, ut gratiâ ſpiritali ad vitam regenerentur æternam, ſed quod eos putant hoc remedio, temporalem retinere vel recipere ſanitatem. Non enim propterea illi non regenerantur, quia non ab iſtis hac intentione offeruntur. Celebrantur enim per eos neceſſaria miniſteria. epiſtolâ vigeſima tertia. Certum eſt indignè ſumentes Euchariſtiam, ſumere ſibi ipſis damnationem, nec pendere ab eorum intentione veritatem ſacramenti, quamvis pia eorum intentio neceſſaria ſit ad ſalubrem ejus ſumtionem.

*De intentione accipientis baptiſmum, vel offerentis baptizandum.*

*Neceſſaria miniſteria.*

21. Sed quædam adhuc reſtant dicenda de intentione miniſtrantis; Ipſi ſententiarii & Papiſtæ, quod eis ſemel excidit de neceſſitate intentionis miniſtri ad veritatem ſacramenti, ita timidè & languidè defendunt, ut eos effati ſui ſuppudere videatur.

*Romanenſes cauſam ſuam debilitant.*

22. Thomas ait, etiamſi miniſtrans in ſacramento, non attendat ad ea quæ dicit vel facit, aliud cogitans, atque adeò non habeat actualem intentionem, ſufficere tamen ad perfectionem ſacramenti, ſi habeat habitualem intentionem, id eſt, ſi accedens ad baptizandum intendebat facere circa baptizandum quod facit Eccleſia: Inde enim, etiamſi poſtea in ipſo exercitio actûs, cogitatio ejus ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perfici ſacramentum. parte 3. quæſt. 64 art. 8. ad 3. Propius etiam accedit, eod. art. ad 2. ubi ait; Si deſit miniſtri intentio, ſufficere intentionem Eccleſiæ, niſi contrariam intentionem miniſter aut accipiens expreſsè profiteatur. Miniſtrum enim ſacramenti agere in perſona totius Eccleſiæ, cujus eſt miniſter. In verbis autem quæ profert, exprimi intentionem Eccleſiæ, & hanc ſufficere ad perfectionem ſacramenti, niſi contrarium exterius exprimatur ex parte miniſtri vel recipientis ſacramentum. Hæc ille. Hoc jam planè eſt tollere neceſſitatem occultæ intentionis miniſtri, faciendi id quod facit Eccleſia, & acquieſcere in ipſius Eccleſiæ intentione: univerſa autem Eccleſia nunquam ſimul deſtituitur hac intentione: vel ſi quis de ea re litem volet inaniter intendere; nemo certè in dubium vocare poteſt conſtantiam intentionis Chriſti, qui ſacramentum inſtituit, nec ſuam inſtitutionem deſerit. At etiam Thomas, in quartum ſententiarum, diſtinct. quinta, quæſtione ſecundâ, articulo ſecundo; bonitatem miniſtri ideo non eſſe de ſubſtantia ſacramenti, quia quandoque ignoratur; ea autem quæ ſunt de ſubſtantia ſacramenti oportet eſſe certa: ideo etiam ſubtracta bonitate miniſtri adhuc eſſe ſacramentum. Hæc Thomas. quod argumentum accommodetur ad intentionem miniſtri, & tolletur ejus neceſſitas.

*Thomas.*

23. Audiamus Scotum; Diſtinguitur (inquit) communiter de intentione actuali & habituali, quaſi iſta ſufficienter intentionem dividant. Sed videtur quod rationabiliter poſſet apponi tertium membrum: & poteſt dici intentio virtualis. Ille enim dicitur actualiter intendere, qui habet actum elicitum reſpectu ejus quod intendit: Ille autem dicitur habitualiter intendere, qui habet habitum inclinantem ipſum ad talem actum: Sed aliquis eſt minus perfectè intendens quàm primo modo, & perfectiùs quàm ſecundo modo: ergo poſt medium inter iſta duo membra. Et paullo poſt; Ad propoſitum dico; quod ſola intentio habitualis non ſufficit in baptizante. Nec requiritur in baptizante ſemper intentio actualis. Sufficit in baptizante intentio virtualis, hoc eſt, quod aliquando habuerit intentionem actualem, ex qua deſcendit nunc verè actus baptizandi, ſive in illo actu habeat intentionem actualem, vel aliquam ex ea deſcendentem, ſive non. Intelligo autem, quod deſcendit iſte actus abſque omni motu voluntatis contrario interveniente. Hæc Scotus; in quartum ſententiarum, diſtinctione ſexta, quæſtione ſexta.

*Scotus.*

24. Thomas ſufficere dicebat intentionem Eccleſiæ, ſi nihil contrarium, ex parte miniſtri vel recipientis, exterius exprimeretur. Scotus negare videtur ſacramenti veritatem, ſi interveniat in miniſtro motus voluntatis contrarius, licet exteriùs non expreſſus. quamvis non requirat inter agendum actualem miniſtri intentionem, neque determinet, quàm brevi longove tempore actum baptizandi præcedere debeat illa actualis intentio, ex qua virtualiter deſcendat.

25. Si quæras cujus rei, ut objecti, intentio requiratur; Reſpondet Scotus, in 4. ſententiarum, diſtinctione 6. quæſtione 5. Dico (inquit) diſtinguendo de intentione quantum ad objectum, reſpectu cujus dicitur intentio, quod miniſter poteſt dici intendere, vel actum illum quem exercet, vel finem propter quem talis actus eſt exercendus. Oportet miniſtrum habere intentionem primo modo, ſcilicet reſpectu actus quem exercet ut ſit actus humanus, non caſualis vel fortuitus. Si autem loquamur de intentione ſecundo modo, ſcil. reſpectu finis, propter quem talis actus eſt exercendus; Dicendum, quòd talis eſt duplex; ſcil. Principalis, & remotus, utpote, quod baptizatus fiat filius regni, qualis fieri non poteſt ſi non habeat gratiam, per quam eſt dignus vitâ: alius



alius eſt proximus & minus principalis, ut ſcilicet, baptizatus fiat Chriſtianus, ſive membrum Eccleſiæ militantis. Et utrumque finem poteſt aliquis intendere in univerſali, vel particulari. Dico igitur, quod intentio finis ultimi nullo modo requiritur in baptizante: quia Paganus nullo modo intendit ordinare illum, quem baptizat, ad vitam æternam: requiritur tamen intentio reſpectu finis proximi: & hoc vel in particulari, vel in generali: in particulari, ut ſi intendat illum intrare legem Chriſtianorum ſervandam: in generali, ſi intendit facere circa illum, quod Chriſtiani ſolent facere circa ſuos. Hæc Scotus, loco citato.

26. Thomas, 3. part. quæſtione 64 articulo 8. ad primum, ait requiri, ut miniſter intendat facere quod facit Chriſtus & Eccleſia. Bonaventura, in 4. ſentent. diſtinctione ſexta, parte ſecunda, articulo ſecundo, quæſtione prima, ait neceſſariam eſſe miniſtri intentionem, qua intendit ſaltem quod facit Eccleſia facere, vel ſaltem, quod Chriſtus inſtituit diſpenſare. Concilium Tridentinum anathema denunciat dicenti, in miniſtris Eccleſiæ, dum ſacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia. Seſſ. 7. can. 11. de ſacramentis in genere.

*Thomas.*

*Bonavent.*

27. Ambroſius Catharinus Epiſcopus Minorienſis, pars illius Concilii, ſententiam ſuam in Concilio dicens palàm aſſeruit, Deum conſtituiſſe, ut illud ſit verum ſacramentum quod ritu ab ipſo inſtituto celebratur, etiamſi miniſter aliam habeat internam intentionem. Et hanc ſuam aſſertionem confirmavit, refutando adverſam ſententiam, eamque abſurdis plurimis obruendo. Poſitâ enim illa intentionis neceſſitate; Si ſit ſacerdos curam gerens quatuor aut quinque millium animarum, intus in corde infidelis, ſed ſtrenuus hypocrita, qui in baptizando infantes, abſolvendo pœnitentes, conſecrando Euchariſtiam, intentionem habeat non faciendi quod facit Eccleſia, dicere oportebit, damnari infantes illos, & non abſolvi pœnitentes, & omnes communionis manere expertes. Præterea perpetua injicitur hominum conſcientiis trepidatio, ſintne ipſi, ſintne ipſorum liberi baptizati, ſine quo tamen ſacramento infantibus nullam ſalutis ſpem ordinariè relinquit Eccleſia Romana. Si quis excipiat, rarò incidere hujuſmodi caſum: Reſpondet Catharinus, id quidem optandum, ſed his corruptis temporibus, deteriora metuenda, in re tanti momenti. Sed fac per paucos eſſe ita perfidos ſacerdotes, imò fac unum tantummodo eſſe, hic larvatus hoſtis infantem baptizat cum intentione non faciendi quod facit Eccleſia, Puer in virilem poſtea provectus ætatem ſit Epiſcopus magnæ alicujus civitatis, multoſque annos eo Epiſcopatu fungitur, adeò ut maximam partem ſacerdotum illius diœceſeos ordinaverit; dicere oportebit, eum cùm baptizatus non ſit, nec fuiſſe ordinatum: quia ordinis capax non eſt, qui non eſt baptizatus; & per conſequens, neque ab illo promotos verè eſſe ordinatos; & in ea civitate neque Euchariſtiam eſſe, neque Confeſſionem, quæ abſque ſacramento Ordinis eſſe nequeunt. Hanc ſuam opinionem, edito poſtea libro de intentione miniſtri ſacramentorum, Catharinus tueri non deſtitit, & quod magis mirere, ipſo adhuc ſedente Concilio Tridentino, librum illum emittens, palàm in eo affirmavit, in eadem ſecum illa opinione eſſe Concilium illud Tridentinum, & hanc eſſe genuinam mentem canonis ſynodici de hac re ab eo Concilio conditi. Hæc de Catharino habet hiſtoria Concilii Tridentini, libro ſecundo, in anno Domini 1547.

28. Et quamvis ob hanc canonis Tridentini expoſitionem nulla Catharinus afflatus ſit cenſura ſynodicâ, incurrit tamen offenſionem Bellarmini, qui libro primo, de ſacramentis in genere, capite vigeſimo ſeptimo, ſummatim recenſeas ex illo Catharini opuſculo, opinionem ejus de intentione miniſtri ſacramentorum, ait eum diſtinguere duplicem intentionem, unam faciendi ſimpliciter actum externum, quem facit Eccleſia: alteram faciendi actum externum, non ſimpliciter, ſed ut ſacramentalem, ſive animo celebrandi myſterium, quod Chriſtus inſtituit, & Eccleſia celebrat. Et quidem priorem intentionem requiri, ex mente Catharini, non poſteriorem. Hanc opinionem Bellarminus rejicit, ut erroneam, & re ipſa hæreticam.

*Bellarminus reprehendit Catharinum, ejuſque opinionem rejicit ut re ipſa hæreticam.*

29. Si juſta ſit hæc Bellarmini cenſura, non immunis ab errore fuit Innocentius Papa Romanus, hujus nominis quartus, cujus de hac re ſententiam & ipſa verba refert Angelus de Clavaſio, in ſua Summa Angelica, verbo, Baptiſmus: diſtinctione quintâ: ubi poſtquam propoſuit Aureoli ſententiam de miniſtro baptiſmi, quòd, inter alias conditiones in eo requiſitas, intendat in habitu facere quod facit Eccleſia; vel ſaltem quòd de eo præſumatur quod intendat. paragrapho primo: hanc deſcriptionis partem poſtea explicans Angelus, paragrapho ſeptimo, refert hæc verba Innocentii, in caput primum, de baptiſmo. Non eſt neceſſe (inquit Innocentius) quoad effectum baptiſmi, quod ſciat quid ſit baptiſmus, ſcilicet, quod infundatur gratia, vel quod ſit ſacramentum. Nec etiam oportet quod credat hoc ipſum, imò ſi contrarium credit, & reputat truffam & deceptionem; baptiſmus tamen habet effectum ſuum: non requiritur tamen quod baptizans ſciat quid ſit Eccleſia, nec quod gerat in mente facere quod facit Eccleſia: imò ſi contrarium gereret in mente, id eſt, non facere quod facit Eccleſia; ſed tamen facit, quia formam ſervat, nihilominus baptizatur, dummodo baptizare intendat. Hæc Innocentius. Clauſula iſta, *dummodo baptizare intendat*, non importat intentionem conferendi ſacramenti: nullus enim intendit fieri, quod credit non poſſe fieri; ut rectè dixit Scotus, in 4. ſent. diſtinctione ſextâ, quæſtione quintâ. Iſte autem miniſter ſupponitur credere baptiſmum non eſſe ſacramentum, ſed truffam & deceptionem; Ergo, ultra exteriorem ritum ſupponitur intendere truffam & deceptionem, non ſacramentum. Nec importat intentionem faciendi quod facit Eccleſia; nam ſupponitur iſte contrarium gerere in mente. Nec importat intentionem ullam aliam, niſi eam quæ actu externo exprimitur, puta, ſervandi formam illam externam, quam ſervant alii baptizantes. Et hæc intentio in ipſo actu externo ſe prodit ſufficienter ad hoc, ut præſumatur baptizans internam habere intentionem faciendi quod facit Eccleſia, etiamſi contrarium mente gerat. Hæc externa expreſſio, & inde nata de interna intentione præſumtio, ſufficit, ſecundùm Aureolum & Innocentium, quorum opinioni etiam accedit Angelus, loco citato.

*Refutatur cenſura Bellarminiana.*

*Thomæ ſibi contrarium contra neceſſitatem intentionis miniſtri.*

30. Sic Thomas Aquinas, in 4. ſentent. diſtinctione ſextâ, quæſtione primâ, articulo 2. eorum adſtipulatur ſententiæ, qui dicunt, non requiri in baptizante mentalem intentionem; ſed ſufficit (inquit) expreſſio intentionis per verba ab Eccleſia inſtituta: Et ideo ſi forma ſervatur, nec aliquid exterius dicitur, quod intentionem contrariam exprimat, baptizatus eſt. Hæc ibi. Bella verò Bellarmini pro Thoma apologia eſt, Thomam alias agnoſcere neceſſitatem intentionis miniſtri. Eſto, contradixerit ſibi Thomas, dum communem errorem ſequi intendit: ſed tamen in conflictu, videns ſe inevitabilis teli violentiam non poſſe aliter declinare, dat manus veritati.

*Quid in hac controverſia tenendum ſit.*

31. Sed quid tandem, inquies, in hac controverſia verum eſt, adeóque tenendum? Reſpondeo, ille haud dubiè verus eſt baptiſmus, qui juxta Chriſti inſtitutionem celebratur. Tunc autem ſervatur Chriſti inſtitutio, quando miniſtrans exterius profitetur, neque vulgarem ſe intendere lotionem, neque puerilem luſum, aut mimicam irriſionem, aut qualemcunque myſterii profanationem per jocularem & irriſoriam recitationem verborum: ſed ſeriam executionem illius quod Chriſtus inſtituit, idque reipſa quoad externum actum ritu verbiſque præſcriptis exſequitur. Nec ad ſacramenti veritatem refert, quid intus apud ſe miniſter ſentiat, aut animo volvat. Veritas enim ſacramenti non ab intentione miniſtrantis, ſed ab intentione, promiſſione, veracitate, & potentiâ inſtituentis dependet. Quocirca neque Alexandri judicio accedimus de luſu Athanaſii, neque ullam jocularem aut irriſoriam lotionem pro vero baptiſmo recipimus; Quando ſcilicet ipſe miniſtrans palam profitetur profanam iſtiuſmodi vanitatem, non veri baptiſmi celebrationem. Actionem Chriſtus inſtituit religioſam, quæ expreſſam iſtiuſmodi profanitatis profeſſionem externam prorſus excludit. Requirimus igitur, (cum Aureolo, in 4. ſentent. diſtinctione quintâ, & Angelo, verba Aureoli repetente & approbante, in ſumma Angelica, verbo, baptiſmus, diſtinctione quintâ, & Innocentio, apud Angelum, ibidem, & Thoma Aquinate, in 4. ſentent. diſtinctione ſextâ, quæſtione primâ, articulo ſecundo,) ut miniſter baptiſmi, quicquid mente gerat, profeſſione tamen vel ſpecie externâ intendat baptizare, adeò ut appareat ſeu ex lege charitatis præſumi poſſit, cum habere etiam internam eandem intentionem, licet eam revera non habeat: & verus erit baptiſmus, quia ſecundum Chriſti inſtitutionem celebratur neceſſariis miniſteriis, actione religioſâ.

*Dicemus de miniſtro baptiſmi, capp. 12. & 13. & 14.*

*Bellarmini objectio de pſittaco ſolvitur.*

32. Illa verò Bellarmini objectio, de pſittaco, prorſus à propoſito aliena eſt, & brutum ſapit ſtuporem, vel nimiam perverſitatem: Quis enim niſi inſanus poſſit unquam præſumere de bruto animanti, quod internam ſorte habeat intentionem conferendi ſacramenti; aut quod ſaltem exterius præ ſe ferre videatur propoſitum religioſæ actionis; aut quod dictum etiam ſit beſtiis, *Ite, docete, baptizate*, &c. ut per pſittaci miniſterium ſatisfieri poſſe videatur Dominicæ inſtitutioni?

33. De accipientis contrariâ expreſſione, obſerventur illa verba Optati Epiſcopi Milevitani, libro quinto, contra Parmenianum Donatiſtam. Jam illud (inquit) quam ridiculum eſt, quod quaſi ad gloriam veſtram à nobis ſemper auditur, Hoc munus baptiſmatis, eſt dantis, non accipientis: & utinam hoc de Deo diceretis, qui hujus rei dator eſt. Sed, quod ſtultum eſt, vos dicitis eſſe datores. Si ita eſt, & vos & nos teneamus ſingulos gentiles: vos, qui vos ſanctos dicitis, interrogate eum quem tenetis, an renunciet diabolo & credat Domino: & ille dicat, *Nolo*. Contra, nos peccatores (ut vultis) interrogemus alterum gentilem, an renunciet diabolo & credat Deo, &c. & dicat, *Renuncio, & credo*. Cum vos tingatis nolentem; nos volentem: dicatur, quis eorum poſſit ad Dei gratiam pertinere. Utique ſine dubio ille conſequitur qui credit; non ille, pro cujus voluntate (ut dicitis) ſanctitas veſtra ſuccedit. Operarios vos vel ſero cognoſcite. Hæc ibi. Vide etiam Thomam, in 4. ſentent. diſtinctione ſextâ, quæſtione primâ, articulo ſecundo, ad quæſtiunculam ultimam. ait ibi Thomas, Si ſit coactio ſufficiens, ſeu merè phyſica per illatam violentiam, ut cum quis reclamans immergitur violenter; tunc talis nec ſacramentum ſuſcipit, nec rem ſacramenti. Si autem ſit coactio inducens, ſicut minis aut flagellis, ſeu moralis; tunc ſuſcipit ſacramentum, ſed non rem ſacramenti. Idem docet Innocentius tertius Papa, extra de baptiſmo, cap. 3. De intentione hæc monuiſſe ſufficiat.

## CAPUT SECUNDUM.

*Plura de Baptiſmi integritate. ubi de fide & probitate baptizantis. Et de non iterando Baptiſmo in nomine Trinitatis adminiſtrato; contra errorem Novatianorum, & Donatiſtarum, & Arianorum, & Anabaptiſtarum. & de fide accipientis baptiſmum.*

*Agrippini & Cypriani, & collegarum error.*

AGitata olim ingenti contentione, & nuper ab Anabaptiſtis renovata eſt controverſia de fide & probitate baptizantis. In eo errore fuit Cyprianus, cum ſuis coepiſcopis Afris, ut exiſtimarent, non eſſe verum baptiſmum, qui ab hæreticis & ſchiſmaticis miniſtratur; ut patet ex Cypriani epiſtolis de ea quæſtione ſcriptis, ad Januarium, ad Quintum, ad Stephanum, ad Jubaianum, ad Pompeium, ad Magnum, & ex actis Concilii Carthaginenſis Cypriano præſide celebrati, quæ in operibus Cypriani adhuc extant. Ait autem Cyprianus, ſe ſententiam non novam promere, ſed jam pridem ab Anteceſſoribus ſuis ſtatutam. epiſt. 70. ad Januarium. ſeu libro primo, epiſt. 12. & alibi eadem de re loquens, ait; Quod quidem & Agrippinus bonæ memoriæ vir, cum cæteris coepiſcopis ſuis, qui illo tempore in Provincia Africa & Numidia Eccleſiam Domini gubernabant, ſtatuit, & librato conſilii communis examine firmavit. epiſt. 71. ad Quintum. In epiſtola autem 73. ad Jubaianum, ait; Apud nos autem non nova, aut repentina res



eſt, ut baptizandos cenſeamus eos qui ab hæreticis ad Eccleſiam veniunt, quando multi jam anni ſint, & longa ætas, ex quo ſub Agrippino bonæ memoriæ viro, convenientes in unum Epiſcopi plurimi hoc ſtatuerint. Et ſub ejuſdem Epiſtolæ initium, commemorat Cyprianus, hoc idem denuo ſtatutum eſſe in Concilio illo unius & ſeptuaginta Epiſcoporum, ſe præſide, celebrato.

2. Firmilianus Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus, & cum eo Epiſcopi Galatiæ, & Ciliciæ, & proximarum regionum, Iconii, qui Phrygiæ locus eſt, congregati, idem ſtatuerunt, quod Cyprianus cum ſuis Coepiſcopis in Concilio Carthaginenſi, teſte ipſo Firmiliano in ſua ad Cyprianum epiſtolâ, quæ extat in operibus Cypriani, epiſtola ſeptuageſimâ quintâ, ubi etiam ait, eam fuiſſe apud Aſiaticos antiquam conſuetudinem, jam inde ab Apoſtolorum temporibus obſervatam.

3. In eodem errore fuit Novatianus hæreticus, Romæ pſeudoepiſcopus, Cypriano contemporaneus, qui baptizatos à Catholicis (quos pro hæreticis habebat) rebaptizabat, ut legimus apud Cyprianum, epiſtola ſeptuageſimâ tertiâ, ad Jubaianum, paulò poſt initium epiſtolæ. unde in erroribus ejuſdem Novatiani ponit Dionyſius Epiſcopus Alexandrinus, quod ſanctum baptiſmatis lavacrum abrogaverit, [τὸ λουτρὸν ἀθετοῦσιν τὸ ἅγιον.] in epiſtola ad Dionyſium Romanum, apud Euſebium, lib. 7. hiſt. Eccleſ. capite 7. ε

4. Eodem errore laborabat Auxentius Arianus, rebaptizans eos qui fuerant à Catholicis baptizati: teſte Ambroſio, Concione 1. de baſilicis non tradendis, in fine concionis, ubi hanc ejus inſaniam refutat. Id ipſum factitâſſe etiam reliquos Arianos, indicat octavus Canon Concilii Arelatenſis primi, quod celebratum eſt tempore Conſtantini Magni Imperatoris, circa annum Domini 326. vide infrà, capite quarto, § 3.

5. Antiquiorem tamen fuiſſe, & magis receptam in Occidente, & in Africa, & in ipſo etiam Oriente, conſuetudinem recipiendi baptizatos ab hæreticis, ſine nova tinctione, patet, partim ex diſceptatione epiſtolari Stephani Epiſcopi Romani & Cypriani Epiſcopi Carthaginenſis, in qua Stephanus perpetuam Eccleſiæ Catholicæ urget conſuetudinem; Cyprianus autem conſuetudinis auctoritatem defugit, inquiens, Non eſt autem de conſuetudine præſcribendum, ſed ratione vincendum. epiſt. 71. ad Quintum. Nec altius ſuæ præxeos conſuetudinem repetit, niſi à tempore prædeceſſoris quondam ſui Agrippini, epiſt. 73. ad Jubaianum: ſed contendit eam niti exploratâ & perſpectâ veritate. epiſt. 74. ad Pompeium. Partim etiam ex hiſtoria Euſebii, libro ſeptimo, capite ſecundo. Cornelio (inquit) Romanæ civitatis Epiſcopatu circiter triennium perfuncto, Lucius ſuccedit: iſte vix octo continuis menſibus miniſterium obiens, morte extinctus, Stephano cleri tradit rectionem. Ad hunc Stephanum Dionyſius primam ex illis epiſtolis de baptiſmate compoſitis ſcripſit. Propterea quod erat id temporis non exigua quæſtio & controverſia concitata, εἰ δέοι τοὺς ἐξ οἱασδήποτε αἱρέσεως ἐπιστρέφοντας, διὰ λουτροῦ ἀποκαθαίρειν, utrum oporteret eos qui ex quacunque hæreſi ad Eccleſiam reverterentur, lavacro baptiſmatis repurgare. παλαιοῦ γάρ τοι κεκρατηκότος ἔθους ἐπὶ τῶν τοιούτων μόνῃ χρῆσθαι τῇ διὰ χειρῶν ἐπιθέσεως εὐχῇ. Cum ex conſuetudine ab antiquis obtinente temporibus, in ejuſmodi hominibus in Eccleſiam recipiendis, ſolæ preces cum manuum impoſitione adhiberi ſolerent. Item, ejuſdem libri, capite tertio, ait Stephanum, Cypriano in ea controverſia reſiſtentem, exiſtimâſſe, μὴ δεῖν τι νεώτερον παρὰ τὴν κρατήσασαν ἀρχῆθεν παράδοσιν ἐπικαινοτομεῖν, nihil novi aut alieni à traditione ex Apoſtolorum temporibus derivatâ moliendum.

*Firmilianus & Aſiaticorum abjuratio.*

6. Ipſe etiam Firmilianus aliique cum eo ſentientes Epiſcopi Aſiatici eandem conſuetudinem, quia ſacræ ſcripturæ veritate ſuffulta erat, illi ſuo & Novatiani errori tandem præferentes, ad pacem cum Stephano redierunt; ut colligere eſt ex Dionyſii Alexandrini ea de re ad Stephanum epiſtolâ, apud Euſeb. libro ſeptimo, hiſtor. capite quarto, δ, ε. Ipſe autem Dionyſius etſi Stephani ſententiam probabat, non tamen adverſam opinionem damnare ſuſtinuit, quia intellexit eam ab antiquorum Epiſcoporum quibuſdam ſynodis decretam eſſe; ut ipſe commemorat in epiſtola ad Philemonem, Presbyterum Romanum, apud Euſebium lib. 7. hiſt. cap. 6. ζ. Hinc colligimus, Dionyſium, & ipſum quoque Cyprianum, ſi œcumenici Nicæni Concilii, à quo error iſte exploſus eſt, tempora vidiſſent, prorſus ituros fuiſſe in tanti Concilii ſententiam, manifeſtâ veritate fundatam.

*De Dionyſio Alexandrino & Cypriano Carthaginenſi Epiſcopis.*

*Cypriani charitas & pacis unitatiſque Eccleſiaſticæ conſtans ſtudium & conſervatio.*

7. De Cypriano Auguſtinus ſcribens adverſus Donatiſtas, epiſt. 48. ait; Quod in eo ipſo in quo aliter ſapuit, collegas diverſa ſentientes, nec judicandos, nec à jure communionis amovendos eſſe decrevit. Et paulò poſt; Porrò autem Cyprianus, aut hoc, quod eum ſenſiſſe recitatis, poſtea correxit in regula veritatis: aut hunc quaſi nævum ſui candidiſſimi pectoris cooperuit ubere charitatis, dum unitatem Eccleſiæ toto orbe creſcentis, & copioſiſſimè defendit, & perſeverantiſſimè retinuit vinculum pacis. Scriptum eſt enim; *Charitas cooperit multitudinem peccatorum.* (1. Pet. 4. 8.) Acceſſit huc etiam, quod tanquam ſarmentum fructuoſiſſimum, ſi quid in eo fuerat emendandum, purgavit Pater falce paſſionis. (Joan. 15. 2.) *Sarmentum autem*, ait Dominus, *quod in me facit fructum, purgat illud Pater meus, ut majorem fructum afferat.* Unde? niſi quia hærens in diffuſione vitis, radicem non deſeruit unitatis? (1. Cor. 13. 3.) Nam etſi traderet corpus ſuum, ita ut arderet, charitatem autem non haberet, nihil ei prodeſſet. Hæc ibi. Laudat quoque Cypriani modeſtiam & pacis ſtudium Hieronymus, in dialogo adverſus Luciferianos? Verum (inquit) ſi voluerint ea proferre, quæ beatus Cyprianus ob hæreticos baptizandos in epiſtolis ſuis reliquit: ſciant, eum hæc non cum anathemate eorum qui ſe ſequi noluerant edidiſſe. Siquidem in communione eorum permanſit, qui ſententiæ ſuæ contraierant: ſed hortatum potius fuiſſe propter Novatum, & alias tunc hæreſes multas enaſcentes, ne quiſquam ab eo ſine damnatione erroris ſui reciperetur. Hæc Hieronymus.

*Cypriani verba charitatem, humilitatem, & concordiam ac pacem ſpirantia.*

8. Ipſe de ſe Cyprianus teſtatur, ſe ea quæ ſentit de hac quæſtione cum ſuis collegis promere, ita ut ſalvo inter collegas pacis & concordiæ vinculo, permittat aliis ſua retinere; neque ſe ulli vim facere, aut legem dare: in fine epiſtolæ 72. ad Stephanum. Item in fine epiſtolæ 73. ad Jubajanum, ait; Hæc tibi breviter pro noſtra medio-

mediocritate reſcripſimus, frater chariſſime, nemini præſcribentes aut præjudicantes, quo minus unuſquiſque Epiſcoporum quod putat faciat. Nos, quantum in nobis eſt, propter hæreticos cum collegis & Coepiſcopis noſtris non contendimus, cum quibus divinam concordiam & dominicam pacem tenemus: maximè cum & Apoſtolus dicat; Si quis autem putatur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei. Servatur à nobis patienter & firmiter charitas animi, collegii honor, vinculum fidei, & concordia ſacerdotii. Idem in Concilio Carthaginenſi, ſic alloquitur Coepiſcopos; Supereſt, (inquit) ut de hac ipſa re ſinguli quid cenſeamus, proferamus; neminem judicantes, aut à jure communionis aliquem, ſi diverſum ſenſerit, amoventes. &c. De Epiſcopis illis ſcribens Hieronymus in dialogo adverſus Luciferianos; Illi ipſi (inquit) Epiſcopi, qui rebaptizandos hæreticos cum Cypriano ſtatuerunt, ad antiquam conſuetudinem revoluti, novum emiſere decretum.

*1. Cor. 11. 16.*

*Collegæ Cypriani mutarunt ſententiam in melius.*

*Summa ſententia Cypriani.*

9. Summam illius ſententiæ, quæ ab Agrippino accepta, Cypriano probabatur, complectitur Cyprianus his verbis, in fine epiſtolæ ſuæ 74. ad Pompeium; Obſervatur itaque à nobis & tenetur, frater chariſſime, exploratâ & perſpectâ veritate, ut omnes qui ex quacunque hæreſi ad Eccleſiam convertuntur, Eccleſiæ unico legitimo baptiſmo baptizentur, exceptis his qui baptizati in Eccleſia prius fuerant, & ſic ad hæreticos tranſierant: hos enim oportet, cum redeunt, actâ pœnitentiâ, per manûs impoſitionem ſolam recipi, & in ovile unde erraverant à paſtore reſtitui.

*Oppoſita Stephani ſententia.*

10. Oppoſita Stephani ſententia in eadem epiſtola, ſub initium à Cypriano proponitur, his ipſius Stephani verbis; Si quis ergo à quacunque hæreſi venerit ad nos, nihil innovetur, niſi quod traditum eſt, ut manus illi imponatur in pœnitentiam.

*Nicæna deciſio controverſiæ. ubi tum de baptiſmo, tum etiam de ordine decernitur, qui hæreticorum miniſterio acceptus eſt.*

11. Sequente ſeculo, in Concilio univerſali Niceno primo, deciſa eſt hæc controverſia: ut patet ex canone octavo illius Concilii, ubi dicitur; De his qui ſe Catharos nominant, ſi venerint aliquando ad Catholicam Eccleſiam, placuit ſancto & magno Concilio, ὥστε χειροθετουμένους αὐτοὺς, μένειν οὕτως ἐν τῷ κλήρῳ, ut impoſitionem manûs accipientes, ſic in clero permaneant. Unde perſpicuum eſt, non ſolùm baptiſmum, ſed etiam ordinem clericalem, miniſterio hæreticorum acceptum, ratum habuiſſe illam magnam ſynodum. Excipiuntur quidem, can. 19. Paulianiſtæ ſive Samoſateniani; de quibus ibi ſtatuitur, ut ad Catholicam Eccleſiam venientes baptizentur, ſeu, ut ſynodus loquitur, omnimodo rebaptizentur, ἀναβαπτίζεσθαι αὐτοὺς ἐξ ἅπαντος. Et ſi qui ex eis digni officio clericali reperiantur, baptizentur ut dictum eſt, deinde ἀναβαπτισθέντες χειροτονείσθωσαν ὑπὸ τοῦ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἐπισκόπου, baptizati ordinentur ab Epiſcopo Eccleſiæ Catholicæ. Sed hujus exceptionis ratio fuit, quia Paulianiſtæ in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti minimè baptizabant: teſte *Innocentio* primo Papa Romano, epiſtolâ vigeſimâ ſecundâ, ad Epiſcopos Macedoniæ, capitulo quinto. Neque verò ad ſolos Novatianos reſtringendus eſt canon octavus, ut contendit Innocentius loco citato; Nam, teſte Hieronymo in dialogo adverſus Luciferianos, Synodus Nicæna omnes hæreticos ſuſcepit, exceptis Pauli Samoſateni diſcipulis. Et teſtatur ibidem Hieronymus, Eccleſiam Romanam ſemper recepiſſe baptizatos ab hæreticis Manichæis, Hebionitis, Cerinthianis, Praxeanis, Arianis, &c.

*De Paulo Samoſateno ejuſque hæreſi, vide ſupra lib. 1. c. 2. §. 4.*

*Ratio exceptionis Paulianiſtarum.*

12. *Luciferi* Caralitani Epiſcopi error fuit, errare Eccleſiam, quæ ab Arianis recipiebat in ſuis ordinibus Epiſcopos: & *Hilarius*, qui ejus diaconus fuit, alium addidit errorem, ut ne baptizatos quidem reciperet ab Arianis. Utrumque confutat *Hieronymus* in dialogo adverſus Luciferianos, utens contra Luciferum hoc argumento: Laicum ab Arianis baptizatum recipis ad pœnitentiam; ergo recipi etiam poſſunt ab eiſdem Epiſcopi. Propterea infert, Luciferum verbis diſſentire, non rebus; ſiquidem recipiat, qui ab Arianis baptiſma conſecuti ſunt. (vide plura de hujus argumentationis conſequentia in Irenico noſtro, libro ſecundo, capite undecimo, in exegeſi propoſitionis 11. poſt dialogum de ordinatione Britannica.) Hilarius invalidum ſe ſentiens ad refellendam argumenti conſequentiam negavit antecedens, aſſerens non eſſe recipiendos baptizatos ab Arianis; ſic errorem errore cumulans. Hunc ejus errorem prolixè refutat ibi Hieronymus.

*Luciferianorum error. Vide ſupra lib. cap. 12. §. 1. & c. 14. §. 6.*

13. Mireris verò, *Hieronymum* aſſerere, Eccleſiam recipere conſueviſſe baptizatos à Praxeanis; cum è diverſo *Optatus* Milevitanus Donatiſtis concedat, aquam eſſe mendacem, ſeu non eſſe verum baptiſmi ſacramentum apud Praxeanos. Sed revera concordant hi Patres; nam uterque agnoſcit verum eſſe baptiſmum, qui in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti, ritu Euangelico, à quocunque hæretico celebratur. Aqua igitur ſola & vera illa eſt, (inquit Optatus) quæ non de loco, non de perſona, ſed de Trinitate condita eſt. Et quia dixiſti, & aquam eſſe mendacem, etiam hoc diſce, ubi etiam poteris invenire: Apud Praxeam Patripaſſianum, qui ex toto Filium negat, & Patrem paſſum eſſe contendit. Hæc Optatus, libro quinto, contra Parmenianum. Et poſtea eodem libro; In quo baptizantur gentes, à Salvatore mundatum eſt: per quem baptizentur, nullâ exceptione diſcretum eſt. Non dixit Apoſtolis, vos facite, alii ne faciant: Quiſquis in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti baptizaverit, Apoſtolorum opus implevit. Denique lectum eſt in Euangelio, Joanne dicente; *Magiſter, vidimus quendam in nomine tuo expellentem dæmones: & prohibuimus, quia non ſequitur nobiſcum.* Sic Chriſtus ait; *Nolite prohibere, qui enim non eſt contra vos, pro vobis eſt.* Nam & ipſis mandatum eſt, ſic ut opus eſſet ipſorum, ſanctificatio Trinitatis, nec in nomine ſuo tingerent, ſed in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti; ergo nomen eſt quod ſanctificat, non opus. Intelligite vos ſerò operarios eſſe, non Dominos. ——— totum baptiſmatis ſacramentum Dei eſt, & ſibi nihil vindicet operarius. Hæc Optatus. Unde patet, quoſdam Praxeanos non tinxiſſe in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti, ideoque tinctionem illam meritò eſſe rejectam, nec pro vero ſacramento agnitam à Catholicis. Quoſdam verò ejuſdem ſectæ Praxeanæ ſervâſſe in baptizando formam Euangelicam, & eos qui ſic eſſent ab illis tincti, receptos eſſe à Catholicis, ut verè baptizatos. De his ſcribit Hieronymus, de illis Optatus. Et ſecundum hanc diſtinctionem extendendi ſunt Nicæni illi canones ad omnes hæreticos. Propterea etiam Eunomianos, & Montaniſtas, & Sabellianos, ad Eccleſiam venientes, baptizari jubet Concil. 2. œcum. can. 7. & Concil. quiniſext. can. 95.

*Concilium tur diſta Optatus & Hieronymus.*

*De Praxea ejuſque hæreſi vide ſupra lib. 1. c. 1. §. 1.*

*Marc. 9. 38. Luc. 9. 49. 50.*

*Praxeani non omnes.*

*Diſtinctio applicanda ſeculis Conciliis Nicæni.*



14. In hanc ſententiam Auguſtinus, lib. 3. de baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 14. Nec intereſt (inquit) cum de ſacramenti integritate & ſanctitate tractatur, quid credat, & quali fide imbutus ſit ille qui accipit ſacramentum. Intereſt quidem plurimum ad ſalutis viam, ſed ad ſacramenti quæſtionem nihil intereſt. Fieri enim poteſt, ut homo integrum habeat ſacramentum, & perverſam fidem: ſicut fieri poteſt, ut integra teneat verba ſymboli, & tamen non rectè credat, ſive de ipſa Trinitate, ſive de reſurrectione, vel aliquid aliud. Et infrà, eodem cap. Quapropter manifeſtum eſt fieri poſſe, ut fide non integra integrum in quoquam maneat baptiſmi ſacramentum: & ideo illa quæ de diverſorum hæreticorum varietate dicuntur, ad iſtam quæſtionem non pertinent.

15. Et cap. 15. Quamobrem (inquit) ſi Euangelicis verbis, in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti, Marcion baptiſmum conſecrabat, integrum erat ſacramentum, quamvis ejus fides ſub eiſdem verbis aliud opinantis quam Catholica veritas docet, non eſſet integra, ſed fabuloſis falſitatibus inquinata. Nam ſub eiſdem verbis, id eſt, in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti, non ſolùm Marcion, aut Valentinus, aut Arius, aut Eunomius, ſed ipſi carnales parvuli Eccleſiæ, quibus dicebat Apoſtolus, Non potui loqui vobis, quaſi ſpiritalibus, ſed quaſi carnalibus, ſi poſſent ſinguli diligenter interrogari, tot diverſitates opinionum fortaſſis, quot hominum numerarentur. Animalis enim homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei. Nunquid tamen ideo non integrum ſacramentum accipiunt? ——— Sacramenta tamen ſi eadem ſunt, ubique integra ſunt, etiamſi pravè intelliguntur, & diſcordioſè tractantur: Sicut ſcriptura ipſius Euangelii, ſi eadem ipſa eſt, ubique integra eſt, etiamſi innumerabili falſarum opinionum varietate aſſeratur. Hæc Auguſtinus.

16. Idipſum aſſerit de Photinianis, lib. 4. de baptiſmo, cap. 16. Photinus autem doctrinam Pauli Samoſateni ſecutus, in omnibus ſimiliter prædicabat, teſte Philaſtrio Epiſcopo Brixienſi, lib. de hæreſibus. Unde manifeſtum eſt, ipſos Paulianiſtas non fuiſſe rebaptizandos, ſi formam ſervaſſent Euangelicam: nec ob atrocitatem hæreſeos illius præ aliis hæreſibus, ſed ob neglectam formam Euangelicam decreviſſe Nicænum Concilium, ut Paulianiſtæ ad Eccleſiam Catholicam venientes baptizarentur. Et quia inter non habentes verum baptiſmū non poterat vera eſſe ordinatio, ideo quorum baptiſma repudiârunt, eorum etiam ordinationes irritas pronunciârunt.

*De Photino ejuſque vide ſupra lib. 1. c. 2. §. 4.*

17. Donatiſtæ tamen hæretici ſeceſſione à reliquis Chriſtianis factâ, & ſpretâ hac in parte auctoritate Nicænâ, non ſolum ab hæreticis & ſchiſmaticis, ſed etiam à Catholicis ad ſuam factionem venientes rebaptizabant, affirmantes periiſſe extra ſuam ſocietatem Eccleſiam, ob ſcelera aut ſcelerum participationem per communionem cum ſceleratis; & aſſerentes eum, qui vel à perfidis vel ab impiis ſeu peccatoribus traditur, non eſſe verum baptiſmum, ſed ejus quandam picturam, & imaginem, reum lavacrum, aquam mendacem, falſum baptiſma, &c. Quibus oppoſuit Optatus Epiſcopus Milevitanus libros ſeptem, ſcriptos contra Parmenianum Donatiſtarum Epiſcopum. Et poſtea Auguſtinus contra eoſdem copioſè in multis locis ſuorum operum diſſeruit, præſertim verò in libris illis, qui in priore parte tomi ſeptimi extant. Ex quibus ſpecimen quoddam exhibebimus, nec inutile, nec injucundum.

*De Donatiſtis plura vide ſupra lib. 14. hujus operis, cap. 4.*

## CAPUT TERTIUM.

### *Specimen diſputationis de Baptiſmo, inter Donatiſtas & Auguſtinum Epiſcopum Catholicum.*

*1. Objeſt.*

PEtilianus Donatiſta dixit; Bis baptiſma nobis objiciunt hi, qui ſub nomine baptiſmi animas ſuas reo lavacro polluerunt, quibus equidem obſcænis ſordes cunctæ mundiores ſunt, quos perverſa munditia aqua ſua contigit inquinare.

*Reſponſ.*

Auguſtinus reſpondit; Nec aquâ noſtrâ inquinamur, nec veſtrâ mundamur: ſed aqua baptiſmi, In nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti, cum datur alicui, nec noſtra nec veſtra eſt, ſed illius de quo Joanni dictum eſt, *ſuper quem videris Spiritum ſicut columbam deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu Sancto.* lib. 2. contra literas Petiliani, capite 2.

*Joan. 1. 33.*

*1. Ephes. 4. 5.*

2. Petilianus Donatiſta dixit; At enim dicit Apoſtolus Paulus, *Unus Deus, una fides, unum baptiſma*: unum nos profitemur: Nam certum eſt, eos qui duo exiſtimant, inſanire.

Auguſtinus reſpondit; in nos iſta dicitis, ſed inſaniendo neſcitis. Illi enim dicunt duo baptiſmata, qui aliud exiſtimant habere juſtos, aliud iniquos, cum neque iſtorum, neque illorum ſit, ſed ſit Chriſti in utriſque unum, quamvis ipſi non ſint unum, ſed id quod eſt unum, iſti habeant ad ſalutem, illi ad perniciem. lib. 2. contra literas Petiliani, cap. 27.

3. Petilianus dixit; Conſcientia namque dantis attenditur, qui abluat accipientis.

*3. Objeſt. De conſcientia dantis. Reſp.*

Auguſtinus reſpondit; De conſcientia ergo Chriſti ſecuri ſumus: Nam ſi quemlibet hominem ponas, incerta erit accipientis mundatio, quia incerta conſcientia eſt abluentis. lib. 2. contra literas Petiliani, cap. 3. Item; Cum ergo quærimus, unde ablutus ſit quem in veſtra communione non rebaptizatis, etiam cum eum conſtiterit ab aliquo baptizatum, qui propter occultam nequitiam jam ſanctè dantis conſcientiam non habebat: & cum reſponderitis, à Deo vel ab Angelo eum ablui atque mundari, quoniam quid reſpondeatis aliud non habetis; ſequitur vos unde confundamini; dicetur enim vobis, ſi tunc abluit homo quando manifeſtus bonus eſt, cum autem occultus homo malus eſt, quoniam non habet conſcientiam ſanctè dantis, non jam ipſe, ſed Deus aut Angelus abluit, ſanctius juſtificantur, qui baptizantur ab occultis malis, quam qui baptizantur à manifeſtis bonis. Quæ ſententia ſi vobis diſplicet, quoniam revera omnibus diſpli-

cere debet, illa tollite unde naſcitur, illa corrigite unde religatur: Illa enim non præcedant, & iſta non ſequitur. lib. 3. contra literas Petiliani, capite 48.] & capite 49. Hæc adjicit; Nolite itaque dicere, Conſcientia ſanctè dantis attenditur, quæ abluat accipientis, ne dicatur vobis, quando latet dantis conſcientia polluta, &c. Sed dicite quod dicit veritas & Catholica Eccleſia, quia non ſolum cum malus eſt miniſter baptiſmi, verum etiam cum ſanctus & bonus eſt, non eſt in homine ſpes ponenda, ſed in illo qui juſtificat impium, in quem credentibus fides ad juſtitiam deputatur. Cum enim dicimus, Chriſtus baptizat, non viſibili miniſterio dicimus, ſicut putat vel putari cupit nos dicere Petilianus, ſed occulta gratia, occulta potentia in Spiritu Sancto: ſicut dictum eſt de illo à Joanne Baptiſta, Hic eſt qui baptizat in Spiritu Sancto. Nec, ſicut Petilianus dicit, jam baptizare ceſſavit, ſed adhuc id agit, non miniſterio corporis, ſed inviſibili opere majeſtatis. Hæc ibi.

*Quomodo baptizet Christus.* — *Joan. 1. 33.*

*4. Object.* 4. Creſconius Donatiſta ſic defendere conatus eſt Petilianum; Conſcientia dantis attenditur, non ſecundum ejus ſinceritatem quæ in illa videri non poteſt, ſed ſecundum famam quæ de illa ſeu vera ſeu falſa eſt, quia videlicet ejus eſt hominis qui etſi ſceleratus occultus ſit, ſufficit accipienti, quod bonæ ſit exiſtimationis, nondum cognitus, nondum judicatus, nondum ab Eccleſia ſeparatus. Hæc Creſconius (apud Auguſtinum, libro ſecundo, contra Creſconium grammaticum, cap. 17.) aſſerens tamen hoc ſuæ ſectæ homines, non ſe dicere, ut paulo poſt monet Auguſtinus.

*Resp.* Reſpondit Auguſtinus capite decimo octavo. Cum igitur maculoſa ejus conſcientia non valeat ad abluendum, & jam ſola fama, etſi falſa, attendatur, falſum erit quod dixit Petilianus, Conſcientia ſanctè dantis attenditur quæ abluat accipientis. Dic, rogo te, cum mala conſcientia eſt, vera eſt bona fama ejus, an falſa? Proculdubio utique falſa. Proinde cum bona non eſt & occulta dantis conſcientia, quomodolibet eam tibi videaris attendere, ſecundum hanc ſententiam, non abluit accipientem, niſi dantis aut fama falſa, aut polluta conſcientia. Utrumque inſanum eſt; ſi te talia delectant, elige quid ſit inſanius. Et capite decimo nono; cum Judas ſicut Apoſtolus baptizaret, quandoquidem malus erat, quia fur erat, & ea quæ mittebantur in commiſſos ſibi loculos, auferebat, non utique conſcientia ejus attendebatur, ſed Deus & Chriſtus in quem credebatur. Neque enim & ipſius mali hominis falſò bona fama credentes & accipientes abluebat, nec generabat in homine gratiam divinæ veritatis falſitas humanæ opinionis. Et capite vigeſimo: Dic ergo quod dicimus, quia hoc eſt verum, hoc eſt ſanum, hoc eſt catholicum, quod Chriſtus mundat accipientium conſcientias, ſive per bonos miniſtros baptiſmi ſui, ſive per malos. Item; poteſtatem Dominici baptiſmi nulli ſervo dedit Dominus, ſed ſibi retinens poteſtatem, ſervis conceſſit miniſterium, & bonis & malis. Non exhorreat columba miniſterium malorum, ſed reſpiciat Domini poteſtatem, tractatu 5. in Evangelium Joan. ubi de hac quæſtione prolixè diſſerit.

*Judas.*

*5. Object.* 5. Creſconius dixit; Tu reſponde, quomodo baptizent quos damnavit Eccleſia?

*Resp.* Reſpondeo (inquit Auguſtinus) ſic eos baptizare, quomodo baptizant quos damnavit Deus, antequam de illis quicquam judicaret Eccleſia. —— Baptizant ergo quantum ad viſibile miniſterium & boni & mali, inviſibiliter autem per eos baptizat, cujus eſt & viſibile baptiſma, & inviſibilis gratia. libro ſecundo, contra Creſconium grammaticum, capite vigeſimo primo. Idem etiam contra literas Petiliani, libro tertio, capite trigeſimo quarto. Cum ergo (inquit) baptiſmus Chriſti, ſive per iniquum, ſive per juſtum miniſtratus, nihil aliud ſit quàm baptiſmus Chriſti, ab homine cauto bono fideli iniquitas hominis eſt vitanda, non Dei ſacramenta damnanda.

*6. Object.* 6. Quærit Creſconius, Cum ſine miniſtro non poſſit homo baptizari, utrumne melius injuſtus ſit miniſter, an juſtus?

*Resp.* Reſpondet Auguſtinus, melius eſſe ut ſit injuſtus miniſter propter boni exempli utilitatem, ad imitationem hominis juſti, in ſervandis Dei mandatis; at nihil intereſſe ad hominem baptizandum vel ſanctificandum, ſed per miniſtros diſpares Dei munus eſſe æquale. libro tertio, contra Creſconium grammaticum, capite ſexto. Idem Auguſtinus, libro primo ejuſdem operis, capite trigeſimo primo, ait; Circumciſionem certè præputii in figura futuri baptiſmi ab antiquis obſervatam eſſe negare, ut arbitror, non audetis. Nunquid apud Samaritanos circumciſus, ſi fieri tunc vellet Judæus, poſſet iterum circumcidi? nonne illius hominis error corrigeretur, ſignaculum autem fidei agnitum probaretur? Et nunc ſunt quidam hæretici qui ſe Nazarenos vocant, à nonnullis autem Symmachiani appellantur, & circumciſionem habent Judæorum & baptiſmum Chriſtianorum: ac per hoc quemadmodum ſi quis eorum ad Judæos venerit, non poteſt iterum circumcidi: ſic cum ad nos venerit, non debet iterum baptizari. Adhuc dicturi eſtis, Aliud eſt circumciſio Judæorum, aliud baptiſmus Chriſtianorum: ſed cum illa umbra fuerit hujus veritatis, cur illa circumciſio & apud hæreticos Judæorum eſſe potuit, iſte autem baptiſmus apud hæreticos Chriſtianorum non poteſt eſſe?

*7. Object.* 7. Donatiſta; Sceleratus non debet uſurpare jus baptiſmatis.

*Resp.* Auguſtinus: Et nos dicimus, non cuicunque licere, ſed ei pœnam eſſe qui ſanctum tractat illicitè, & eum eſſe corrigendum, non ſanctum quod illicitè tractavit reſcindendum, lib. 2. contra Creſconium, cap. 30.

*8. Object.* 8. Donatiſta: Qui baptizatur ab hæretico vel ſchiſmatico, nil ei prodeſt lavatio ejus.

*Resp.* Auguſtinus: Fatemur nihil prodeſſe homini baptiſmum Chriſti, ſi apud hæreticos vel ſchiſmaticos baptizetur, eis ipſis tribuens baptiſmum, quo baptizatur, ſed tunc ei prodeſſe incipere, cum tranſit ad corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia Dei. Tunc enim ſub eodem baptiſmo, quod & foris Chriſti erat, ſed foris poſito nihil proderat, mundato, proderit ab eo cujus membris inſertus eſt. lib. 2. contra Creſconium, capite 28. Item; quæcunque ipſius Eccleſiæ habentur, extra Eccleſiam non valent ad ſalutem. Sed aliud eſt non habere, aliud non utiliter habere. Qui non habet, eſt baptizandus ut habeat; qui autem non utiliter habet, ut utiliter habeat, corrigendus.



dus. lib. 4. de baptiſmo contra Donatiſtas, capite 17. Item; Dei ſacramenta improbare nec in ipſo ſchiſmate audemus. In quo enim nobiſcum ſentiunt, in eo etiam nobiſcum ſunt. In eo autem à nobis receſſerunt, in quo à nobis diſſentiunt. lib. 1. de baptiſmo contra Donatiſtas, capite 1. Deinde, cap. 2. ejuſdem libri; Itaque (inquit) iſti in quibuſdam rebus nobiſcum ſunt, in quibuſdam verò à nobis exierunt. Proinde illa in quibus nobiſcum ſunt, eos agere non vetamus; in quibus autem nobiſcum non ſunt, ut veniendo accipiant, vel redeundo recipiant, adhortamur, & quibus modis poſſumus uti diligant emendati atque correcti, cum charitate flagitamus. Non eis itaque dicimus, Nolite dare: ſed, Nolite in ſchiſmate dare. Nec eis quos videntur baptizaturi, dicimus, Nolite accipere: ſed, nolite in ſchiſmate accipere. Nam ſi quem forte coegerit extrema neceſſitas, ubi catholicum per quem accipiat non invenerit, & in animo pace catholica cuſtodita, per aliquem extra unitatem catholicam poſitum acceperit, quod erat in ipſa catholica unitate accepturus, ſi ſtatim etiam de hac vita migraverit, non eum niſi catholicum deputamus. Si autem fuerit à corporali morte liberatus, cum ſe catholicæ congregationi etiam corporali præſentia reddiderit, unde nunquam corde diſceſſerat, non ſolum non improbamus quod fecit, ſed etiam ſecuriſſimè veriſſiméque laudamus, quia præſentem Deum credidit cordi ſuo ubi unitatem ſervabat, & ſine ſancti baptiſmi ſacramento, quod ubicunque invenit, non hominum ſed Dei eſſe cognovit, noluit ex hac vita migrare. Si quis autem, cum poſſit in ipſa catholica accipere, per aliquam mentis perverſitatem eligit in ſchiſmate baptizari, etiamſi poſtea venire ad catholicam cogitat, quia certus eſt ibi prodeſſe ſacramentum, quod alibi accipi quidem poteſt, prodeſſe autem non poteſt, proculdubio perverſus & iniquus eſt, & tanto perniciosius quando ſcientius. Ita enim non dubitat rectè illic accipi, ſicut non dubitat illic prodeſſe etiam quod alibi acceperat. Et cap. 3. ejuſdem libri, Duo enim ſunt quæ dicimus; & eſſe in Eccleſia baptiſmum, & illic tantum rectè accipi: utrumque horum Donatiſtæ negant. Item alia duo dicimus; eſſe apud Donatiſtas baptiſmum, non autem illic rectè accipi.

*9. Object.* 9. Donatiſta, Si baptiſmum noſtrum acceptatis, quid minus habemus, ut nobis de veſtra communione conſulendum puteris?

*Resp.* Auguſtinus; Illa quæ ſchiſmatici vel hæretici ſi non aliter habent, nec aliter agunt quam vera Eccleſia, cum ad nos veniunt, non emendamus, ſed potius approbamus. In quibus enim non diſſentiunt à nobis, in eis non disjunguntur à nobis. Sed tamen, quia eis nihil proſunt quamdiu hæretici vel ſchiſmatici ſunt, propter alia in quibus à veritate diſſentiunt, & propter ipſum ſeparationis immaniſſimum ſcelus, ut ad ſalutem pacis atque unitatis veniant adhortamur, non ſolum ut aliquid habeant quod non habebant, ſed ut eis etiam illud prodeſſe incipiat quod habebant. lib. 1. de baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 13. & pergit cap. 14. Fruſtra ergo nobis dicunt, ſi baptiſmum noſtrum acceptatis, quid minus habemus ut nobis de veſtra communione conſulendum puteris? Reſpondemus enim, Non baptiſmum veſtrum acceptamus, quia non eſt baptiſmus ille hæreticorum vel ſchiſmaticorum, ſed Dei & Eccleſiæ, ubicunque fuerit inventus & quocunque tranſlatus. Veſtrum autem non eſt niſi quod pravè ſentitis, & ſacrilegè agitis, & impiè ſeparamini.

*Cujus ſit baptiſmus.*

*10. Object.* 10. Donatiſta Petilianus dixit, Venite ergo ad Eccleſiam populi, & aufugite traditores, ſi cum hiſdem perire non vultis. Nam ut facilè cognoſcatis, quod cum ipſi ſint rei, de fide noſtra optimè judicent: ego illorum infectos baptizo, illi meos, (quod abſit) recipiunt baptizatos; quæ omnino non facerent, ſi in baptiſmo noſtro culpas aliquas agnoviſſent. Videte ergo quod damus quam ſit ſanctum, quod deſtruere metuit ſacrilegus inimicus.

*Resp.* Reſpondit Auguſtinus; Sic approbamus in hæreticis baptiſmum, non hæreticorum, ſed Chriſti, ſicut in fornicatoribus, immundis, luxurioſis, idololatris, veneficis, inimicitiarum tenentibus, contentioſis, æmulis, animoſis, diſſenſionum ſtudioſis, invidis, ebrioſis, comeſſatoribus, & his ſimilibus approbamus baptiſmum, non eorum, ſed Chriſti. Omnes enim iſti, inter quos & hæretici poſiti ſunt, ſicut dicit Apoſtolus, Regnum Dei non poſſidebunt. & ideo ad ſiniſtram partem, cum Diabolo pertinebunt. Nec ideo putandi ſunt eſſe in Chriſti corpore quod eſt Eccleſia, quia ſacramentorum ejus corporaliter participes fiunt. Illa enim & in talibus ſancta ſunt, & eis indignè tractantibus & ſumentibus ad majus judicium valebunt. —— Non ergo veſtrum eſt quod deſtruere metuimus, ſed Chriſti: quod & in ſacrilegis per ſe ſanctum eſt. Nam venientes à vobis recipere non poſſumus, niſi quod veſtrum eſt deſtruamus: deſtruimus enim perfidiam deſertoris, non deſtruimus characterem Imperatoris. Proinde tu ipſe conſidera & deſtrue quod dixiſti, Ego, inquis, infectos illorum baptizo, illi meos, quod abſit, recipiunt baptizatos. Tu enim non infectos baptizas, ſed ut tui erroris fraude inficias, rebaptizas. Nos autem non tuos recipimus baptizatos, ſed deſtruimus errorem tuum unde ſunt tui, & ſuſcipimus Chriſti baptiſmum unde ſunt baptizati. lib. 2. contra literas Petiliani, cap. 108. ſeu ultimo.

*Gal. 5. 21.*

11. Item; Si Apoſtolus Cretenſis cujuſdam Prophetæ, qui inter Prophetas Dei non computabatur, teſtimonio, quia verum comperit, etiam ipſe atteſtatus eſt: Cur nos apud quemlibet invenerimus quod Chriſti eſt, & verum eſt, etiamſi ille apud quem invenitur perverſus & fallax eſt, non diſcernimus vitium quod homo habet, & veritatè quam non ſuam ſed Dei habet, & dicimus, ſacramentum hoc verum eſt: ſicut ille ait, *teſtimonium hoc verum eſt*? Numquid ideo dicimus etiam, ipſe homo verax eſt, quia dicimus, ſacramentum hoc verum eſt? Sicut & Apoſtolus, numquid ideo Prophetam illum inter Prophetas Dei computavit, quia quod in eo verum invenit, verum eſſe firmavit? Similiter idem Apoſtolus cum apud Athenas eſſet inter aras dæmonum, animadvertit aram quandam, in qua ſcriptum erat, *Ignoto Deo*. Et hoc teſtimonium ad illos in Chriſto ædificandos aſſumſit, ita ut hoc commemoraret in ſermone ſuo, atq; ſubjungeret; quem vos ignorantes colitis, hunc vobis nos annunciamus. Numquid quia vel inter idolorum aras vel à ſacrilegis erectam aram illam reperit, propterea quod in ea verum erat damnavit aut reſpuit, aut propter verum quod in ea legerat, etiam ſacrilegia Paganorum ſectanda eſſe perſuaſit? Conſequenter

*Tit. 1. 12, 13.* — *Act. 17, 23.*

etiam cum ipſum etiam Dominum illis ignotum, ſibi autem notum, etiam illorum notitiæ, ſicut congruere judicabat, inſinuare vellet, ait inter cætera; Et quidem non longè poſitum ab unoquoque noſtrûm; In illo enim vivimus & movemur & ſumus, ſicut & quidam ſecundùm vos dixerunt. Numquid etiam hic, quia invenit apud ſacrilegos teſtimonia veritatis, aut propter iſta illos adprobavit, aut propter illos iſta damnavit? Vos autem neceſſe eſt ut ſemper erretis, quamdiu propter hominum vitia, Dei ſacramenta violatis; aut nos propter Dei ſacramenta, quæ in vobis violare nolumus, etiam veſtri ſchiſmatis ſacrilegium aſſumere putatis. libro ſecundo, contra literas Petiliani, capite trigeſimo.

*Act. 17. 27. 28.*

12. Item; Sed nos reperientes Apoſtolos in quibuſlibet errantibus, vel qualibet impietate ſacrilegis, ſi quid veri cognoverunt, confirmaſſe potiùs quàm negaſſe; hominum autem errorem & impietatem, ſalvo quod in eis verum inventum eſt, emendaſſe ſive damnaſſe; Hanc regulam etiam in baptiſmi veritate ſectamur, ut apud quos eam invenerimus ita retentam atque ſervatam, ſicut in Eccleſia Catholica retinetur atque ſervatur, non eam negemus neque deſtruamus, ſed, eâ manente, quod vitioſum, quod pravum, quod falſum in unoquoque fuerit, curemus, corrigamus, emendemus: aut ſi non poſſumus, deteſtatum damnatumque vitemus. Proinde cum eos ſuſcipimus, non ſuſcipimus iniquitatem eorum, quâ ſe ab Eccleſia Chriſti diremtione ſacrilegâ diviſerunt, quâ orbem Chriſtianum, cui Deus per legem, per Prophetas, per Euangelium, per Pſalmos, per Apoſtolos, tam multa teſtimonia perhibet, calumnioſis & maledicis criminationibus inſectantur; Nec eum ipſorum errorem ſuſcipimus, quo baptiſmum Chriſti etiam apud hæreticos regulâ Eccleſiaſticâ cuſtoditum nolunt agnoſcere, audent deſtruere, non dubitant iterare, quinetiam ſi quos invenerint, non ſolùm laicos, ſed & clericos, nec quoſlibet clericos, verùm & presbyteros & Epiſcopos, etſi in illis Eccleſiis baptizati ſunt quas Apoſtoli labore proprio fundaverunt, quos aliquo modo ſeductos ad ſe transferre potuerint, catechumenos faciunt. Hæc eorum deteſtabilia mala nequaquam ſuſcipimus, quandoquidem niſi eis correctis ad nos tranſire non poſſunt. libro de unico baptiſmo contra Petilianum, capite undecimo.

*Donatiſtarum objectio ſimilis illi quæ propoſita eſt §. 10.*

13. Similis eſt illa Donatiſtarum objectio, quæ apud Auguſtinum legitur tractatu ſexto, in Euang. Joannis. Si ergo accepi baptiſmum, non eſt quod mihi des, ſecurus ſum, etiam teſtimonio tuo. Et ego quidem me dico accepiſſe, & tu me fateris accepiſſe, utriuſque lingua ſecurum me facit. Quid ergo mihi promittis? Quare me vis catholicum facere, quando non mihi aliquid daturus es amplius, & me jam accepiſſe fateris quod te habere dicis? ego autem quando dico, veni ad me; dico quia non habes tu, qui fateris quia habeo. Quare dicis, veni ad me?

*Reſp.*

Reſpondet ibi Auguſtinus; Baptiſmum habes, ſacramentum habes, charitatem non habes qui dividis unitatem. Baptiſmum habes, ſed ſine charitate nihil tibi prodeſt. Veni ergo ad columbam, id eſt, ad Eccleſiam, ut prodeſſe tibi incipiat quod habes. Foris enim habebas baptiſma ad perniciem: intus ſi habueris, incipit prodeſſe ad ſalutem. Non enim tantum tibi non proderat baptiſma, & non etiam oberat: & ſancta poſſunt obeſſe: in bonis enim ſancta ad ſalutem inſunt; in malis ad judicium. Certè enim, fratres, novimus quid accipiamus, & utique ſanctum eſt quod accipimus, & nemo dicit, non eſt ſanctum. Et quid ait Apoſtolus? qui autem manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit: non ait, quia illa res mala eſt, ſed quia ille malus malè accipiendo, ad judicium accipit bonum quod accipit. Non enim mala erat buccella, quæ tradita eſt Judæ à Domino: abſit! Medicus non daret venenum: ſalutem medicus dedit, ſed indignè accipiendo ad perniciem accepit, quia non paratus accepit. Sic ergo & qui baptizatur, habeo, inquit, mihi: Fateor habes: obſerva quod habes, eo ipſo quod habes damnaberis. Quare? quia rem columbæ præter columbam habes. Si rem columbæ in columba habeas, ſecurus habes. Puta te eſſe militarem: ſi characterem Imperatoris tui intus habeas, ſecurus militas: ſi extra habeas, tunc non ſolùm tibi ad militiam non prodeſt character ille, ſed etiam pro deſertore punieris. Veni ergo, veni. ——— Habeto humilitatem, charitatem, pacem: habeto bonum quod nondum habes, ut proſit tibi bonum quod habes: Nam quod habes, habuit & Simon Magus, &c. Hæc ibi.

*1. Cor. 11. 29.*

14. Notentur iſta diligenter etiam contra hujus temporis hæreticos & ſchiſmaticos, qui ſæpe erroribus ſuis idem aut ſimile patrocinium quærunt.

15. Donatiſta: Scriptum eſt; Unus Deus, una fides, unum baptiſma, una incorrupta & vera Catholica Eccleſia, cui dictum eſt, una eſt columba mea, una eſt matris ſuæ: appellatur etiam fons ſignatus, puteus aquæ vivæ, paradiſus cum fructu pomorum, hortus concluſus: Præter ipſam ergo columbam baptiſma non eſt; qui non ſunt in una Eccleſia, non poſſunt habere unum baptiſmum: illic tantummodo eſt verum baptiſma, ubi eſt vera fides. Hæc Donatiſtæ apud Auguſtinum, lib. 1. contra Creſconium, capp. 28. & 31. & lib. de unico baptiſmo, contra Petilianum, cap. 11. & tractatu ſexto in Euang. Joannis, & alibi.

*11. Objectio. Cant. 6. 8. Cant. 4. 12. 13.*

Reſpondet Auguſtinus iiſdem locis, negando conſequentiam iſtius argumentationis, nam ex illo antecedente, quod eſt irrefragabiliter verum, non ſequitur iſtud conſequens. Sed quid ad rem (inquit Auguſtinus,) cum omnia, ſicut dixiſti, iſta concedam? Verum quod ex his conaris efficere non efficitur; videlicet, ut qui non ſunt in una Eccleſia, non poſſint habere unum baptiſmum: quod omnino falſiſſimum eſt. ——— Ego autem dico, poſſe ſi non mutatur, ſi hoc idem obſervatur: nec ideo fieri ut non ſit idem baptiſma, quia eſt apud illos qui in una non ſunt Eccleſia. Hoc autem probo ex his quæ in eadem ſententia poſuiſti de uno Deo, & unâ fide: invenimus enim eundem Deum extra Eccleſiam ab ignorantibus coli, & nec ideo fieri ut non ipſe ſit Deus & fidem qua creditur, Chriſtum eſſe Filium Dei vivi, invenimus etiam eos, qui non pertinent ad membra Eccleſiæ, confiteri, nec ideo fieri ut non ſit una fides. Sic etiam cum invenimus eundem baptiſmum ab eis qui ſunt contra Eccleſiam in baptizandis hominibus obſervari, non ideo non eſſe ipſum baptiſmum exiſtimare debemus. lib. 1. contra Creſconium, cap. 28.

*Reſp.*

16. Item;



*Act. 17. 23.*

16. Item; Beatus Paulus Apoſtolus, cum de Deo loqueretur, quia inſcriptum in ara invenerat, ignoto Deo; Quem vos, inquit, ignorantes colitis, hunc ego annuncio vobis. quid eis prædicare cupiebat, niſi eundem Deum quem præter Eccleſiam ignoranter atque inutiliter colebant, in Eccleſia ſapienter & ſalubriter colerent? Ita vobis & nos dicimus, quem baptiſmum vos ignorantes obſervatis, ejus poteſtatem vobis nos annunciamus, non ut cum ad nos veneritis alterum accipiatis, ſed ut eum qui jam apud vos erat, utiliter habeatis. De fide etiam Jacobus Apoſtolus cum loqueretur adverſùs eos, qui ſibi quod crediderant ſufficere arbitrabantur, & bene operari nolebant, Tu credis, inquit, quoniam unus Deus eſt, bene facis: & dæmones credunt, & contremiſcunt. Nempe in unitate Eccleſiæ dæmones non ſunt, nec ideo tamen poſſumus dicere aliud eſſe quod credunt, cum & Domino Jeſu Chriſto dixerint; quid nobis & tibi eſt, Fili Dei? Unde Paulus Apoſtolus, Si habeam, inquit, omnem fidem ita ut montes transferam, charitatem non habeam; nihil ſum. Non autem exiſtimo quenquam ita deſipere, ut credat ad Eccleſiæ pertinere unitatem eum, qui non habet charitatem. Sicut ergo Deus unus colitur ignoranter etiam extra Eccleſiam, nec ideo non eſt ipſe; & fides una habetur ſine charitate etiam extra Eccleſiam, nec ideo non eſt ipſa. Unus enim Deus, una fides, unum baptiſma, una incorrupta Catholica Eccleſia, non in qua ſolus unus Deus colitur, ſed in quâ ſolâ unus Deus piè colitur: nec in qua ſolâ una fides retinetur, ſed in qua ſolâ una fides cum charitate retinetur. Nec in qua ſola unus baptiſmus habetur, ſed in qua ſola unus baptiſmus ſalubriter habetur. libro primo contra Creſconium, capite vigeſimo nono.

*Jac. 2. 19. Matth. 8. 29. 1. Corinth. 13. 2. Epheſ. 4. 5.*

17. Item; Et poteſt fieri, ut habeat aliquis baptiſmum præter columbam; ut proſit ei baptiſmus præter columbam, non poteſt. tractatu ſexto in Euangelium Joannis. Item; Non eſt baptiſmus ille hæreticorum vel ſchiſmaticorum, ſed Dei & Eccleſiæ, ubicunque fuerit inventus & quocunque translatus. lib. 1. de baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 14.

18. Item; Quid eſt ergo quod dicit, illic eſſe verum baptiſma, ubi eſt vera fides? Prorſus fieri poteſt, ut aliqui verum habeant baptiſmum, & non habeant veram fidem: ſicut fieri poteſt, ut habeant verum Euangelium, quod non rectè intelligendo, falſi aliquid credant de Deo. Numquid propter ipſam fidei falſitatem etiam Euangelium, quod verum apud eos invenitur, deteſtandum aut emendandum putabimus? libro de unico baptiſmo contra Petilianum, cap. 11.

19. Item; Demonſtravi quam non ſit conſequens, ut ſi concedimus eſſe baptiſmum in parte Donati, ſimul etiam concedamus in eadem ſocietate quenquam baptizari oportere. quia ſicut bonam legem potuit habere reprobus populus Judæorum: ſic bonum ſacramentum poteſt habere reproba ſocietas hæreticorum. quid autem propriè detur in Eccleſia, quod præter illam omnino non datur, ſuo loco ſine difficultate monſtrabitur. Neque enim rectè ageremus cum hæreticis, quos habere baptiſmum confitemur, ut omni modo ad Eccleſiam Catholicam veniant, niſi veniendo acciperent aliquid quod nec alibi poſſint accipere; & quod niſi acceperint, fruſtra & pernicioſè habeant quæcunque alia, quamvis bona & ad legem Dei pertinentia, ubilibet accipere potuerint. Hoc enim quidquid eſt, quod ſecundùm ſcripturas certiſſimamque rationem inveniri potuerit, non niſi in ſancta Eccleſia vel dari vel accipi poſſe, hoc pertinebit ad fontem ſignatum, puteum aquæ vivæ, Paradiſum cum fructu pomorum, cujus ut potuiſti mentionem feciſti. Sed quid illud ſit non te intellexiſſe oſtendiſti, quandoquidem hoc de viſibili baptiſmo dictum eſſe arbitraris: quod licet ſanctum ſit, neque ullo modo prætermittendum, quoniam ſacratiſſima ſignificatione præpollet; quàm multi eum tamen accipiant, non ſolùm boni qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt conformes imaginis Filii Dei, ſed etiam hi qui regnum Dei non poſſidebunt, in quibus, ſicut dicit Apoſtolus, ebrioſi & avari numerantur, puto quod ſi pertinacia depoſitâ cogitaveris, verum me dicere tibi ipſe facile reſpondebis; ut non quæras fontem ſignatum, & puteum aquæ vivæ, niſi quò hi qui diſplicent Deo divinitus non permittuntur accedere. libro primo contra Creſconium, capite trigeſimo quarto, ſeu ultimo.

*Cant. 4. 12. Rom. 8. 28. 29. Gal. 5. 21.*

20. Item; Non autem habet Dei charitatem, qui Eccleſiæ non diligit unitatem, ac per hoc rectè intelligitur dici, non accipi niſi in Catholica Spiritus Sanctus. ——— Cum ergo ſit aliud ſacramentum, quod habere etiam Simon Magus potuit; aliud operatio Spiritus quæ in malis hominibus etiam fieri ſolet, ſicut Saul habuit Prophetiam; aliud operatio ejuſdem Spiritus, quam niſi boni habere non poſſunt, ſicut eſt finis præcepti charitas de corde puro & conſcientiâ bonâ & fide non fictâ: quodlibet hæretici & ſchiſmatici accipiant, charitas quæ cooperit multitudinem peccatorum, proprium donum eſt Catholicæ unitatis & pacis, nec eſt in omnibus, quia nec ejus ſunt omnes, ſicut ſuo loco videbimus. Præter ipſam tamen eſſe illa charitas non poteſt, ſine qua cætera, etiam ſi agnoſci & approbari poſſint, prodeſſe tamen & liberare non poſſunt. Manus autem impoſitio non, ſicut baptiſmus, repeti non poteſt. quid eſt enim aliud niſi oratio ſuper hominem? lib. 3. de baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 16.

*Contra ſchiſmaticos. Diſt. 1. Tim. 1. 5. 1. Petr. 4. 8. Manus impoſitio.*

21. Alia Donatiſtarum objectio fuit, de regeneratione per ſacramentum baptiſmi, quod eſt lavacrum regenerationis; Sed videntur (inquit Auguſtinus) ſibi arguriſſimè quærere, utrum generet filios baptiſmus Chriſti in parte Donati, an non generet: ut ſi conſenſerimus quod generet, ſuam eſſe aſſeverent Eccleſiam matrem, quæ filios potuit de Chriſti baptiſmate generare, & quia unam oportet eſſe Eccleſiam, ex hoc jam noſtram non eſſe Eccleſiam criminentur. Si autem dixerimus, non generat; cur ergo ajunt, apud vos non renaſcuntur per baptiſmum, qui tranſeunt à nobis ad vos, cum apud nos fuerint baptizati, ſi nondum nati ſunt? Hæc eſt illorum objectio, apud Auguſtinum, libro primo de baptiſmo contra Donatiſtas, capite decimo.

*12. Objectio. De regeneratione, ſeu baptiſmali generatione.*

22. Reſpondet ibidem Auguſtinus; Quaſi verò ex hoc generet unde ſeparata eſt, & non ex hoc unde conjuncta eſt. Separata eſt enim à vinculo charitatis & pacis, ſed adjuncta eſt in

*Reſp.*



una

uno baptiſmate. Itaque una eſt Eccleſia, quæ ſola Catholica nominatur, & quicquid ſuum habet in communionibus diverſorum à ſua unitate ſeparatis, per hoc quod ſuum in eis habet, ipſa utique generat, non illæ. Neque enim ſeparatio eorum generat, ſed quod ſecum de iſta tenuerunt: quod ſi & hoc dimittant, omnino non generant. Hæc itaque in omnibus generat, cujus ſacramenta retinentur, unde poſſit tale aliquid ubicunque generari, quamvis non omnes quos generat ad ejus pertineant unitatem, quæ uſque in finem perſeverantes ſalvat. Neque enim hi ſoli ad eam non pertinent, qui ſeparationis aperto ſacrilegio manifeſti ſunt, ſed etiam illi qui in ejus unitate corporaliter mixti per vitam peſſimam ſeparantur. Etenim Simonem Magum per baptiſma ipſa pepererat: cui tamen dictum eſt, quod non haberet partem in hæreditate Chriſti. *Act. 8. 21.* Numquid ei baptiſmus, numquid Euangelium, numquid ſacramenta defuerunt? Sed quia charitas defuit, fruſtra natus eſt, & ei expediebat fortaſſe non naſci. Numquid non erant nati quibus Apoſtolus ait, Tanquam parvulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam: *1. Cor. 3. 1. 2.* eos tamen à ſacrilegio ſchiſmatis revocat, in quod ideo irruebant, quia carnales erant. ——— Illi ergo ſi in hac obſtinatione & perverſitate remanerent, certè quidem nati erant, nec tamen ad ipſam Eccleſiam de qua nati erant, per pacis atque unitatis vinculum pertinerent. Ergo ipſa generat, & per uterum ſuum, & per uteros ancillarum ex eiſdem ſacramentis, tanquam ex viri ſui ſemine. Non enim fruſtra dicit Apoſtolus, Omnia illa in figura eſſe geſta. *1. Cor. 10. 6.* Sed qui ſuperbiunt & legitimæ matri non adjunguntur, ſimiles ſunt Iſmaeli, de quo dictum eſt, Ejice ancillam & filium ejus, non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Iſaac. *Geneſ. 21. 10. Galat. 4. 30.* qui autem pacificè diligunt legitimam Patris ſui conjugem, cujus legitimo jure generati ſunt, ſimiles ſunt filiis Jacob, quamvis de ancillis natis, ſed tamen eandem hæreditatem ſumentibus. qui autem de utero ipſius matris intus in unitate nati, negligunt gratiam quam acceperunt, ſimiles ſunt Eſau filio Iſaac, qui reprobatus eſt, Deo atteſtante & dicente, Jacob dilexi, Eſau autem odio habui: *Geneſ. 25. 21. 23. 24. Mal. 1. 2. 3. Rom. 9. 12. 13.* cum ambo ex uno concubitu concepti, ex uno utero nati ſint. Hæc Aug. lib. 1. de baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 10.

*13. Objectio. De remiſſione peccatorum.*

23. Donatiſtæ quærebant etiam, utrùm peccata dimitterentur in parte Donati; & hoc dilemmate pugnabant; Aut dimittuntur, aut non dimittuntur; ſi dimittuntur, ergo in parte Donati eſt Spiritus Sanctus operans dimiſſionem peccatorum; quia cum inſufflante Domino datus eſſet diſcipulis, tunc ſecutus eſt & ait, Baptizate gentes in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti: ſi cui dimiſeritis peccata, dimittuntur ei; ſi cui tenueritis, tenebuntur. *Matth. 28. 19. Joan. 20. 22. 23.* Et ſi ita eſt, inquiebant, communio noſtra eſt Eccleſia Chriſti, Non enim præter Eccleſiam dimiſſionem peccatorum Spiritus Sanctus operatur. Et ſi noſtra communio eſt Eccleſia Chriſti, non eſt Eccleſia Chriſti veſtra communio, Una eſt enim quæcunque illa ſit, de qua dictum eſt, Una eſt columba mea, una eſt matri ſuæ. *Cant. 6. 8.* Nec poſſunt Eccleſiæ tot eſſe, quot ſchiſmata. Si non dimittuntur peccata in parte Donati, ergo non eſt illic verus baptiſmus; & propterea quos à nobis ſuſcipitis, vos baptizare debetis: quod quia non facitis, in Eccleſia Chriſti vos non eſſe fatemini. Hæc eſt Donatiſtarum objectio, apud Auguſtinum, lib. 1. de baptiſmo contra Donatiſtas, capite undecimo.

*Reſponſio prior.*

24. Reſpondet Auguſtinus ibidem, & capitibus duodecimo & decimo tertio. Non dimitti: neque tamen non eſſe illic verum baptiſmum. quemadmodum Simoni Mago & cuicunque ficto hypocritæ fallaciter intus in ipſa unitate Catholica baptiſmum accipienti, datur quidem verus baptiſmus, ſed manenti in ea fictione & amaritudine cordis non dimittuntur peccata. quæ tamen poſtea dimittentur, ſi fictionem ſuam corde concuſſo & vero dolore faſſus fuerit; nec erit denuo baptizandus, ſed baptiſma prius acceptum, incipiet tunc ei prodeſſe ad remiſſionem peccatorum. Sic etiam in communionibus ab Eccleſia ſeparatis poſſe homines baptizari, ubi Chriſti baptiſmus eâdem ſacramenti celebratione datur & ſumitur: qui tamen tunc proſit ad remiſſionem peccatorum, cum quis reconciliatus unitati, ſacrilegio diſſenſionis exuitur, quo ejus peccata tenebantur, & dimitti non ſinebantur. Hæc prior reſponſio eſt. quam etiam confirmat teſtimonio Johannis Apoſtoli, dicentis; Qui odit fratrem ſuum, in tenebris manet uſque adhuc. *1. Joan. 2. 9.* Peccata enim (inquit Auguſtinus) tenebræ animarum ſunt: Nulli autem ſchiſma facerent, ſi fraterno odio non excæcarentur. Et teſtimonio Petri Apoſtoli, dicentis Simoni Mago, non eum habere partem in ſorte ſanctorum. *Act. 8. 21.* Sed quia regerebant Donatiſtæ, hoc eſſe dictum Simoni Mago, poſt baptiſmum in vera Eccleſia acceptum, quia poſtea peccavit, pecuniâ volens emere donum Dei: idcirco & alia viâ illis occurrit Auguſtinus, capite duodecimo.

*Reſponſio poſterior.*

25. Altera Auguſtini reſponſio: Quid ſi ad ipſum baptiſmum fictus acceſſit? dimiſſa ſunt ei peccata, an non ſunt dimiſſa? eligant quod volunt, utrumlibet elegerint, ſufficiet nobis. Si non dimiſſa dixerint, ſtat reſponſio ſuperius data. Si dixerint dimiſſa; quomodo ergo Spiritus Sanctus diſciplinæ effugiet fictum, ſi in illo ficto remiſſionem operatus eſt peccatorum? *Sap. 1. 5.* Si autem dixerint, in illo qui fictus acceſſit, per ſanctam vim tanti ſacramenti dimiſſa quidem illi eſſe peccata in ipſo temporis puncto, ſed per fictionem ipſius rediiſſe continuò, ut Spiritus Sanctus & affuerit baptizato, ut peccata recederent, & perſeverantiam fictionis fugerit ut redirent. qui ergo hoc dixerint, hoc etiam in eis intelligant fieri. qui extra Eccleſiæ communionem, ſed tamen baptiſmate Eccleſiæ baptizantur; quod ubicunque fuerit, ſanctum eſt per ſeipſum. Nam redire dimiſſa peccata, ubi fraterna charitas non eſt, apertiſſimè docet in Euangelio de illo ſervo, *Matth. 18. 27. 34.* quem cum inveniſſet debitorem decem millium talentorum, deprecanti omnia dimiſit. Ille autem conſervum ſuum, qui ei debebat centum denarios, cum miſeratus non fuiſſet, juſſit eum Dominus reddere, quæ ei dimiſerat. Tempus ergo, quo accipitur indulgentia per baptiſmum, tanquam tempus eſt reddendæ rationis, ut omnia debita quæ inventa fuerint dimittantur. Nec tamen illud, quod nondum conſervo dimiſerat, impedivit Dominum ejus, quominus in illo tempore accipiendæ rationis dimitteret ei omnia quæ debebat. Sed quid profuit, quandoquidem





in caput ejus propter odiorum perſeverantiam rurſus omnia continuò replicata ſunt? Et capite decimo tertio ejuſdem libri primi de baptiſmo contra Donatiſtas; Sive ergo (inquit) dimittantur, ſive non dimittantur, neceſſaria eſt medicina poſtea, neque tamen ſi vixerit, atque id corrigendum eſſe didicerit atque correxerit, denuo baptizatur, ſive apud illos, ſive apud nos.

26. Utramque reſponſionem repetit Auguſtinus, libro tertio de baptiſmo contra Donatiſtas, capite decimo tertio. Dimitti autem fictis peccata, non aſſerendo dixiſſe Auguſtinum, ſed quærendo & aliorum opiniones referendo, obſervavit Lombardus, 4. ſent. diſt. 4.

27. Idem Auguſtinus, libro tertio de baptiſmo, capite decimo ſeptimo. Sacramenti (inquit) integritas ubique cognoſcitur, ſed ad peccatorum illam irrevocabilem remiſſionem extra unitatem Eccleſiæ non valebit, nec in hæreſi aut ſchiſmate conſtituto, ſed nec ſanctorum orationes, id eſt, illius unicæ columbæ gemitus poterunt adjuvare: ſicut nec intus poſitum poſſunt, ſi adverſum ſe ipſe per vitam peſſimam teneat debita peccatorum, non ſolum ſi per accipitrem, ſed etiam ſi per ipſius columbæ pium miniſterium baptizentur. Hæc Auguſtinus, libro tertio de baptiſmo contra Donatiſtas, capite decimo ſeptimo.

28. Et cap. 18. ejuſdem libri; Sicut miſit me, inquit, Pater, & ego mitto vos. Hoc cum dixiſſet, inſpiravit. & ait illis, Accipite Spiritum Sanctum, ſi cujus remiſeritis peccata, illi remittuntur: ſi cujus retinueritis, tenebûtur illi. Ergo ſi perſonam gerebant Eccleſiæ, & ſic eis hoc dictum eſt, tanquam ipſi Eccleſiæ diceretur, pax Eccleſiæ dimittit peccata, & ab Eccleſiæ pace alienatio tenet peccata, non ſecundùm arbitrium hominum, ſed ſecundùm arbitrium Dei & orationes ſanctorum ſpiritalium, qui omnia dijudicant, ipſi autem à nemine judicantur. Petra enim tenet, Petra dimittit: columba tenet, columba dimittit: unitas tenet, unitas dimittit. Pax autem hujus unitatis in ſolis bonis eſt, vel jam ſpiritalibus, vel ad ſpiritalia concordi obedientiâ proficientibus: In malis autem non eſt, ſive foris tumultuentur, ſive intus cum gemitu tolerentur, & baptizent, & baptizentur. —— Remiſſam tamen peccatorum non dant, quæ per orationes ſanctorum, id eſt, per columbæ gemitus datur, quicunque baptizet, ſi ad ejus pacem illi pertinent quibus datur. Non enim raptoribus & fœneratoribus diceret Dominus, Si cui dimiſeritis peccata, remittuntur illi: ſi cui tenueritis, tenebuntur. Foris quidem nec ligari aliquid poteſt nec ſolvi, ubi non ſit qui aut ligare poſſit aut ſolvere, ſed ſolvitur qui cum columba fecerit pacem, & ligatur qui cum columba non habet pacem, ſive apertè foris ſit, ſive intus eſſe videatur. Hæc ibi.

29. Præfert apertè Auguſtinus priorem ſuam reſponſionem, ut potiorem: quod ſcilicet in hæreſi aut ſchiſmate conſtituto, vel charitate fraterna deſtituto, non dimittantur in baptiſmo peccata. quæ reſponſio veriſſima & tutiſſima eſt. Altera autem non æquè tuta eſt; Nam ex ea ſequi videtur, fictum, qui in ipſo percepti baptiſmi momento exſpiraret, antequam redirent dimiſſa peccata, ſalvari ſine charitate, quod eſt prorſus abſurdum. Sin autem dicas, dimiſſa eſſe remiſſione non illa irrevocabili, quæ datur rectis corde, ſed quadam revocabili remiſſione, quæ non ſit accipienti profutura & irrevocabilis futura, niſi abjecto odio fraterno habuerit veram charitatem, priuſquam ex hac vita migraverit: & hunc eſſe ſenſum illius parabolæ Euangelicæ. Erit iſta revocabilis remiſſio non niſi conditionata, & ſacramento tenus, non autem abſoluta & per rem ſacramenti. Atque ita revolvimur ad priorem illam Auguſtini reſponſionem, quæ ſufficit: & parabolæ Euangelicæ ſatisfit per iſtam qualemcunque remiſſionem conditionatam & ſacramentalem: quamvis abſolutè & irrevocabiliter dimitti peccata fictorum non ſinat ipſorum perverſa & obſtinata malitia. Vide infra ad objectionem 16.

*Remiſſio irrevocabilis. Vide infra, cap. 16. § 9. Remiſſio conditionata & ſacramentalis.*

*14. Objectio.*

30. Si quæras, an non ſanentur per doctrinam & baptiſmum apud Donatiſtas, quos illi ab idololatria atque infidelitate venientes docent rectam fidem, & vero baptiſmo baptizant.

*Reſponſio.*

Reſpondet Auguſtinus; Illi quos baptizant, ſanant vulnere idololatriæ vel infidelitatis, ſed gravius feriunt vulnere ſchiſmatis. Idololatras enim in populo Dei gladius interemit, ſchiſmaticos autem terræ hiatus abſorbuit. *Schiſma.* quid ergo prodeſt homini vel ſana fides, vel ſanum fortaſſe ſolum fidei ſacramentum, ubi lethali vulnere ſchiſmatis perempta eſt ſanitas charitatis, per cujus ſolius peremtionem etiam illa integra trahuntur ad mortem? ſicut ex uno gravi vulnere in aliqua neceſſaria corporis parte, licet cætera membra ſana ſint, moritur homo, niſi curetur. Nec ideo ſe putent ſanos eſſe quia dicimus eos habere aliquid ſanum, nec rurſus putent ideo curandum eſſe quod ſanum eſt, quia oſtendimus aliquid vulneratum. quæ nobiſcum eadem faciunt, non ſe in eis ſeparaverunt: & ex ea parte in texturæ compage detinentur, in cætera ſciſſi ſunt. *In texturæ compage.* Proinde ſi quem ſociaverint ſibi, ex ea parte nectitur Eccleſiæ, in qua nec illi ſeparati ſunt. Et ideo ſi ad Eccleſiam venire voluerit, in eo ſanatur ubi laniatus errabat. Ubi verò ſanus connectebatur, non curatur ſed agnoſcitur, ne cum ſana curare volumus, potius vulneremus. lib. 1. de bapt. contra Donatiſtas, cap. 8.

*15. Objectio.*

31. Ad illam objectionem ex Cypriano ſumtam: Eccleſiam & Spiritum & baptiſma, non poſſe ab invicem ſeparari: & ideo qui ab Eccleſia ſeparati ſunt, & ab Spiritu Sancto, etiam à baptiſmo ſeparatos eſſe.

*Reſponſio.*

Reſpondet Auguſtinus, libro quinto de baptiſmo contra Donatiſtas, capite vigeſimo tertio, quod ſi ita eſt, cum quiſque in Eccleſia Catholica baptiſmum acceperit, tamdiu in eo manet, quamdiu in Eccleſia & ipſe manet: ſi autem inde diſceſſerit, diſceſſit à baptiſmo: quod non ita eſt, fatente ipſo Cypriano; nam ideo redeunti non redditur, quia cum diſcederet non amiſit. quemadmodum autem Spiritum Sanctum ſicut habent filii dilecti, non habent filii maligni; & tamen baptiſmum habent: ſic & Eccleſiam ſicut habent Catholici, non habent hæretici, & tamen baptiſmum habent: Nam Spiritus Sanctus diſciplinæ fugiet fictum, nec tamen eum fugiet baptiſmus. *Sap. 1. 5.* Itaque ſicut poteſt baptiſma eſſe, unde ſe aufert Spiritus Sanctus: ita poteſt eſſe baptiſma, ubi non eſt Eccleſia. Hæc ibi. quæ ſic intelligenda ſunt; Etiamſi Deus ſemper adſit ſacramentis ſuis, per quaslibet adminiſtrentur, & ſacramenta Dei ubique recta & ſancta ſint, non tamen ea proſunt hominibus perverſis (ut monet Auguſtinus,

eodem

eodem libro, capite decimo nono.) Et quamvis fieri etiam poſſit, ut habeant ejuſmodi homines Spiritum, ſive quædam Spiritus Sancti dona, ſicut Saül habuit Prophetiam: non tamen ad ſalutem habent, ſed ad perniciem; neque habent charitatem, quod eſt maximum donum Spiritus Sancti, ſine quo non valent ad ſalutem quæcunque alia ſancta in homine fuerint. Adeoque fieri poteſt, ut aliquis habeat verum & ſanctum baptiſmum, neque tamen ſit templum Spiritus Sancti. ſicut avari, qui non ſunt templum Dei: cum ſcriptum ſit; quæ ſocietas templo Dei cum idolis? Et avaritiam idololatriam
*2. Corinth. 6.16. Coloſſ. 3.5.* eſſe teſtetur Apoſtolus. ſic ſe explicat Auguſtinus, libro quinto de baptiſmo contra Donatiſtas, capitibus vigeſimo tertio, & vigeſimo quarto. Idem alibi; Sic ergo (inquit) in hæreſi baptizatus, in nomine Sanctæ Trinitatis, tamen non fit templum Dei, ſi ab hæreſi non receſſerit; quomodo neque in avaritia in eodem nomine baptizatus fit templum Dei, ſi ab avaritia non recedat: etiamſi intus ſit baptizatus apud Catholicos. libro quarto de baptiſmo contra Donatiſtas, capite quarto.

*16. Objectio. Gal. 3. 27.* 32. Objiciebatur & illud dictum Apoſtoli; Quotquot in Chriſtum baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Ex quo effici videtur, remitti eis peccata: ipſoſque fieri templum Spiritus Sancti, quicunque verum baptiſmi ſacramentum accipiunt: adeoque nihil ſupereſſe quod in Catholica unitate accipiant, qui in hæreſi aut ſchiſmate baptizantur; neque opus eſſe, ut ſe Catholicæ communioni aſſocient, ſi jam foris verum acceperint baptiſmum.

*Reſp.* Reſpondet Auguſtinus, libro quinto de baptiſmo contra Donatiſtas, capite vigeſimo quarto.
*Diſt.* Induunt homines Chriſtum aliquando uſque ad ſacramenti perceptionem, aliquando & uſque ad vitæ ſanctificationem: atque illud primum & bonis & malis poteſt eſſe commune, hoc autem alterum proprium eſt bonorum & piorum. Hæc ibi. Nempe illa omnia ſequuntur, ſi induatur Chriſtus etiam uſque ad vitę ſanctificationem; non autem, ſi tantùm ad ſacramenti perceptionem.

*17. Objectio.* 33. Tueri etiam ſe conabantur Donatiſtæ auctoritate beati Cypriani, qui venientes ab hæreticis cenſuit baptizandos: aſſentiente Concilio collegarum: quod & prius viſum eſt Agrippino, ejuſque Concilio.

*Reſp.* Ad hanc objectionem prolixè reſpondet Auguſtinus, libro 2. contra Creſconium, capitibus 31.32.33.34.35.36.37.38. & libro 3. capitibus 1. 2. 65. & libro 1. de baptiſmo contra Donatiſtas, capite 18. 19. & libro 2. capitibus 1.2.3.4. 5.&c. & lib. 3. & lib. 4. & lib. 5. & lib. 6. & lib. 7. ejuſdem operis. & lib. de unico baptiſmo contra Petilianum, capp. 13.14.15. quædam reſponſionis Auguſtinianæ capitula inſigniora ſubjiciam.

*Prima pars reſponſionis Auguſtini ad objectionem, à Cypriani & Agrippini & Conciliorum ab illis celebratorum auctoritate ſumtam.* 34. Magna quidem eſt auctoritas Cypriani, ſed non infallibilis, ut eſt auctoritas ſacrarum ſcripturarum, ſecundùm quam decrevit plenarium Concilium Catholicum orbis terrarum, etiam in hæreticis inventum Chriſti baptiſmum non eſſe improbandum. Concilia autem poſteriora prioribus, & univerſalia provincialibus pręponuntur. libro 2. contra Creſconium, capite 32. & libro 2. de baptiſmo contra Donatiſtas, capitibus 3.9. & libro 5. capite 4. & capite 17. & libro 6. capite 13. & libro 1. capite 7.

35. Deteſtandus eſt error Donatiſtarum & omnium eorum, qui clarorum virorum quædam non rectè facta laudabiliter ſe imitari putant, à quorum virtutibus alieni ſunt. ac ſi quis Chriſtum negans, aut gentes judaizare cogens, ſe Petri Apoſtoli exemplo defendat. cum hæreticis illis, qui ſe Chriſtianos Nazarenos vocant. libro de unico baptiſmo contra Petilianum, capite 13. & libro 7. de baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 1.

36. Illis temporibus, nondum erat diligenter illa baptiſmi quæſtio pertractata; Nova enim tunc quæſtio fuit, quemadmodum ſuſcipiendi eſſent hæretici, quæ nonnullos fratres, hæreticam perniciem vehementer meritò deteſtantes, ipſa novitate turbavit, ut crederent hoc etiam eſſe in eis improbandum, quod malo ſuo tenebant bonum. libro primo de baptiſmo, capite ſeptimo, & libro ſecundo de baptiſmo, capite ſeptimo, & libro de unico baptiſmo, capite decimo tertio. Satis oſtendit ipſe Cyprianus, tanto excellentior, quanto humilior, faciliimè ſe correcturum fuiſſe ſententiam ſuam, ſi quis ei demonſtraret, baptiſmum Chriſti ſic dari poſſe ab eis, qui foras exeunt, quemadmodum amitti non potuit cum foras exirent, unde multa jam diximus, nec nos ipſi (verba ſunt Auguſtini) tale aliquid auderemus aſſerere, niſi univerſæ Eccleſiæ concordiſſimâ auctoritate firmati, cui & ipſe ſine dubio cederet. ſi jam illo tempore quæſtionis hujus veritas eliquata per plenarium Concilium ſolidaretur. Si enim Petrum laudat & prædicat, ab uno poſteriore collega patienter concorditerque correctum, quanto citius ipſe cum concilio provinciæ ſuæ univerſi orbis auctoritate patefactâ veritate ceſſiſſet? quia profectò & uni verum dicenti & demonſtranti poſſet faciliimè conſentire tam ſancta anima, tam pacata: & fortaſſe factum eſt; ſed neſcimus. Neque enim omnia, quæ in illo tempore inter Epiſcopos geſta ſunt, memoriæ literiſque mandari potuerunt; aut omnia, quæ mandata ſunt, novimus. quomodo enim potuit iſta res tantis altercationum nebulis involuta, ad plenarii Concilii luculentam illuſtrationem confirmationemque perduci, niſi primò diutiùs per orbis terrarum regiones multis hinc atque hinc diſputationibus & collationibus Epiſcoporum pertractata conſtaret? libro ſecundo de baptiſmo contra Donatiſtas, capite quarto. Vir ſanctus Cyprianus, non ſolùm doctus, ſed etiam docilis, quod in laude Epiſcopi, quem deſignat Apoſtolus, ſic intellexit ipſe, ut diceret, etiam hoc in Epiſcopo eſſe diligendum, non ſolùm ut ſcienter doceat, ſed etiam patienter diſcat: non dubito quin, ſi iſtam quæſtionem in Eccleſia diu multumque verſatam cum viris ſanctiſſimis doctiſſimiſque tractaret, per quos poſtea factum eſt, ut antiqua illa conſuetudo etiam plenario concilio firmaretur, ſine dubitatione demonſtraret, non ſolùm quàm doctus eſſet in his, quæ firmiſſimâ veritate perceperat, verum etiam docilis in his, quæ minus adverterat. libro quarto de baptiſmo contra Donatiſtas, capite quinto. at Donatiſtæ nec præteritâ Eccleſiæ conſuetudine, quæ ſola Cypriano objiciebatur, nec poſteriore robore plenarii concilii, nec tot tantiſque ſanctarum ſcripturarum teſtimoniis, nec prolatis ex ipſo Cypriano multis documentis, nec perſpicuis rationibus veritatis, neque his omnibus jam ſimul concurrentibus, ſeerudiri & ab errore abduci ſinunt, ſed obſtinatâ præſumtione hæc omnia contemnunt. lib. 5. de baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 4.

37. Baptizare hæreticos (quod Agrippinus & Cyprianus feciſſe dicuntur) tunc fuit humani erroris: baptizare autem Catholicos (quod adhuc iſti Donatiſtæ faciunt.) ſemper eſt diabolicæ præſumtionis. lib. de unico baptiſmo contra Petilianum, cap. 13.

38. Cyprianus cum collegis ſuis Epiſcopis diverſa de baptiſmo ſentientibus, magnam charitatis abundantiam vigilantiſſimè cuſtodiens, in communionis unitate permanſit. libro quarto de baptiſmo contra Donatiſtas, capitibus octavo & nono, & libro tertio, capite decimo nono. Inſani Donatiſtæ, quos ad pacem atque unitatem ſanctæ Eccleſiæ remeare, atque in ea ſanari cupimus atque optamus. quid ad hæc dicitis vos? Certè nobis objicere ſoletis Cypriani literas, Cypriani ſententiam, Cypriani concilium: Cur auctoritatem Cypriani pro veſtro ſchiſmate aſſumitis, & ejus exemplum pro Eccleſiæ pace reſpuitis? libro ſecundo de baptiſmo contra Donatiſtas, capite tertio. Hoc autem facit ſanitas pacis, ut, cum diutius aliqua obſcuriora quæruntur, & propter inveniendi difficultatem diverſas pariunt in fraterna diſceptatione ſententias, donec ad verum liquidum perveniatur, vinculum permaneat unitatis, ne in parte præciſa maneat inſanabile vulnus erroris. libro ſecundo de baptiſmo contra Donatiſtas, capite quarto. Et pergit Auguſtinus, capite ſequente: Et ideo (inquit) plerumque doctioribus, minus aliquid revelatur, ut eorum patiens & humilis charitas, in qua fructus major eſt, comprobetur, vel quomodo teneant unitatem, cùm in rebus obſcurioribus diverſa ſentiunt, vel quomodo accipiant veritatem; cum contra id, quod ſentiebant, declaratum eſſe cognoſcunt. quorum duorum manifeſtatum tenemus unum in beato Cypriano: id eſt, quomodo tenuerit unitatem cum eis, à quibus diverſum ſentiebat. Ait enim, Neminem judicantes, aut à jure communionis aliquem ſi diverſum ſenſerit amoventes. Alterum autem, id eſt, quomodo accipere potuerit veritatem, contra id quod ſentiebat inventam, etſi literæ tacent, merita clamant; ſi epiſtola non invenitur, corona teſtatur; ſi concilium non indicat Epiſcoporum, conſortium indicat Angelorum. Non enim parvum documentum eſt paciſſimæ animæ in ea unitate martyrium meruiſſe, unde ſe diverſum ſentiens noluit ſeparare. Homines enim ſumus. Unde aliquid aliter ſapere, quàm ſe res habet, humana tentatio eſt; nimis autem amando ſententiam ſuam, vel invidendo melioribus, uſque ad præcidendæ communionis & condendi ſchiſmatis vel hæreſis ſacrilegium pervenire, diabolica præſumtio eſt: In nullo autem aliter ſapere, quàm res ſe habet, Angelica perfectio eſt. quia itaque homines ſumus, ſed ſpe Angeli ſumus, quibus æquales in reſurrectione futuri ſumus; quamdiu perfectionem Angeli non habemus, præſumtionem Diaboli non habeamus. Ideo dicit Apoſtolus, *Tentatio vos non apprehendat, niſi humana.* Humanum eſt ergo, aliquid, aliter quàm ſe res habet, ſapere. Propterea dicit alio loco, *Quotquot ergo perfecti hoc ſapimus, & ſi quid aliter ſapitis, hoc quoque vobis Deus revelabit.* quibus autem revelat cum voluerit, ſive in hac vita, ſive poſt hanc vitam, niſi ambulantibus in via pacis, & in nullam præciſionem deviantibus? Non quales iſti ſunt, qui viam pacis non cognoverunt, nec propter aliud unitatis vinculum diruperunt. Ideo Apoſtolus cum dixiſſet, Et ſi quid aliter ſapitis, hoc quoque vobis Deus revelabit: ne putarent præter viam pacis, quod aliter ſapiebant ſibi poſſe revelari, continuò addidit; *Verumtamen in quod pervenimus, in eo ambulemus.* *Philipp. 3. 16.*
In quo ambulans Cyprianus, perſeverantiſſimâ tolerantiâ, fuſo ſanguine, ſed in unitate fuſo; quia, ſi traderet corpus ſuum ut arderet, & non *1. Corinth. 13. 3.*
haberet charitatem, nihil ei prodeſſet, per martyrii confeſſionem venit ad Angelicam lucem, *Contra ſchiſmaticos.*
ut ſi non antea, ibi certè revelatum agnoſceret, quod cùm aliter ſaperet, ſententiam diverſæ opinionis, vinculo non præpoſuit unitatis. Hæc Auguſtinus, libro ſecundo de baptiſmo contra Donatiſtas, capite quinto. Similia his ſcribit, libro primo ejuſdem operis, capite decimo octavo, & capite decimo nono, & libro quinto, capite decimo ſeptimo, & alibi, in illo opere. & libro de unico baptiſmo, capitibus decimo quarto & decimo quinto. & libro ſecundo contra Creſconium, capite trigeſimo primo.

39. Neque tamen propterea ſe, vel quenquam ſui temporis Epiſcopum, comparabat Auguſtinus, nedum anteponebat ſancto Epiſcopo & beato martyri Cypriano, etiamſi quod ille non vidit, nunc illis revelatum ſit. *Secunda pars reſponſionis de Cypriano.* Audiamus ipſum Auguſtinum, de beato Cypriano perquam honorificè diſſerentem, lib. 2. contra Creſconium, cap. 32. Verba (inquit) ejus ex epiſtola ad Jubajanum inſeruiſti literis, quibus ei placuiſſe monſtrares, baptizandos eſſe in Eccleſia Catholica, qui fuerint in hæreſi vel ſchiſmate baptizati. Ego hujus epiſtolæ auctoritate non teneor: quia literas Cypriani non ut canonicas habeo, ſed eas ex canonicis conſidero, & quod in eis divinarum *Nota S. Scripturæ prærogativam.*
ſcripturarum auctoritati congruit, cum laude ejus accipio, quod autem non congruit, cum pace ejus reſpuo. Ac per hoc ſi ea, quæ commemoraſti, ab illo ad Jubajanum ſcripta, de aliquo Apoſtolorum vel Prophetarum canonico recitares, quod omnino contradicerem non haberem: Nunc verò, quoniam canonicum non eſt quod recitas, eâ libertate ad quam nos vocavit Dominus, ejus viri, cujus laudem conſequi non valeo, cujus multis literis mea ſcripta non comparo, cujus ingenium diligo, cujus ore delector, cujus charitatem miror, cujus martyrium veneror, hoc quod aliter ſapuit non accipio. *Sic etiam lib. 2. de bapt. contra Donatiſtas, cap. 3.* Non accipio (inquam) quod de rebaptizandis hæreticis & ſchiſmaticis B. Cyprianus ſenſit; quia hoc Eccleſia non accipit, pro qua B. Cyprianus ſanguinem fudit.——quapropter ita hoc Cypriani non accipio, quamvis inferior incomparabiliter Cypriano, ſicut illud Apoſtoli Petri, quòd gentes judaizare cogebat, nec accipio, nec facio, quamvis inferior incomparabiliter Petro. *Sic etiam lib. 5. de bapt. cap. 17.* Hæc lib. 2. contra Creſconium, cap. 32.

40. Item; Ubi ſi minus ei (*Cypriano*) aliquid revelatum eſt, ut magnitudo charitatis ejus, quâ unitatem non deſeruit, probaretur, non ideo quiſquam tantis ejus firmamentis meritiſque virtutum, & tantæ copiæ gratiarum debet ſe audere præponere: quia univerſalis Concilii admonitus firmitate, videt aliquid quod ille non vidit; quia plenarium de hac re Concilium nondum habebat Eccleſia. Sicut nec Petri Apoſtoli meritis quiſquam tam inſanus eſt, ut ſe præponat; quia Pauli

Apoſtoli edoctus literis, & ipſius jam Eccleſiæ conſuetudine roboratus, non cogit gentes judaizare, quod Petrus aliquando coegerat. lib. 4. de baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 6.

41. Item; Fieri autem poteſt, ut aliquis vigeat in radice charitatis, &, in quo Cyprianus aliter ſapuit, rectè ſapiat; & tamen in Cypriano, quàm in iſto, plura fecunda ſint, & in iſto, quàm in Cypriano, plura purganda ſint. Non ſolùm itaque malos Catholicos nullo modo comparamus, ſed nec bonos facile coæquamus B. Cypriano; quem inter raros & paucos excellentiſſimæ gratiæ viros numerat pia mater Eccleſia, quamvis iſti & apud hæreticos cognoſcant baptiſmum Chriſti; illi autem aliter viſum ſit, ut per eum minus aliquid videntem, & in unitate firmiſſimè permanentem, manifeſtiùs demonſtraretur hæreticis, quam ſacrilego ſcelere rumperetur vinculum pacis. —— quapropter reddens debitam reverentiam, dignumque honorem, quantum valeo perſolvens pacifico Epiſcopo & glorioſo martyri Cypriano; audeo tamen dicere, eum aliter ſenſiſſe de ſchiſmaticis vel hæreticis baptizandis, quàm poſtea veritas prodidit, non ex mea, ſed ex univerſæ Eccleſiæ ſententiâ, plenarii Concilii auctoritate roboratâ atque firmatâ: ſicut venerans pro ſui merito Petrum primum Apoſtolorum & eminentiſſimum martyrem, audeo tamen dicere, non eum rectè feciſſe ut gentes judaizare cogeret; etiam hoc enim dico, non ex mea, ſed ex Apoſtoli Pauli ſalutari doctrinâ, per Eccleſiam univerſam retentâ atque ſervatâ. Diſputans ergo de ſententia Cypriani, multum infra merita poſitus Cypriani, dico ſacramentum baptiſmi & bonos & malos poſſe habere, poſſe dare, poſſe accipere, & bonos quidem utiliter ac ſalubriter, malos autem perniciosè ac pœnaliter: cum illud tamen in utriſque ſit æqualiter integrum, æqualiter ſanctum. Hæc Auguſtinus, lib. 6. de baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 2.

*Cypriani laus.*

42. Atque hæc in ſpecimen attuliſſe ſufficiat conflictationis Auguſtini cum Donatiſtis de baptiſmo. antequam verò ulterius progrediamur, duæ ſe ingerunt quæſtiones ex ſuperiore ſpecimine emergentes, & tertia ex verbis Ambroſii & Auguſtini. quas breviter diſſolvemus.

## CAPUT QUARTUM.

*Reſpondetur ad tres quæſtiones, pertinentes ad controverſiam de integritate & veritate ſacramenti Baptiſmi.*

*1. Quæſtio.*

PRima quæſtio ſit: Cùm concluſionis falſitas ex alicujus principii falſitate profluat, quæritur; quo præſertim principio falſo decepti fuerint ſancti illi Patres Agrippinus & Cyprianus, & alii quidam Catholici, qui cum eis de baptizandis hæreticis & ſchiſmaticis ſentiebant, ut hoc evitato ei ſuperſtructa erronea concluſio funditùs ſubvertatur?

Reſpondeat nobis Auguſtinus; Nec ob aliud (inquit) illis temporibus, quando iſta quæſtio contra utilem conſuetudinem diſputationibus, ſalvâ charitate atque unitate, altercantibus diſcutiebatur, viſum eſt quibuſdam etiam egregiis viris, inter quos præcipuus B. Cyprianus eminebat, non eſſe poſſe apud hæreticos vel ſchiſmaticos baptiſmum Chriſti, niſi quia non diſtinguebatur ſacramentum ab effectu vel uſu ſacramenti: & quia ejus effectus atque uſus in liberatione à peccatis, & cordis rectitudine, apud hæreticos non inveniebatur; ipſum quoque ſacramentum non illic eſſe putabatur. Sed convertentibus oculos ad interioris paleæ multitudinem, &c. Hæc Auguſtinus, lib. 6. de baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 1.

*2. Quæſtio.*

2. Secunda quæſtio eſt; Quodnam intelligat Auguſtinus plenarium ſeu univerſale orbiâ terrarum concilium, in quo deciſa ſit hæc controverſia?

*Concil. Nicæn. 1. Suprà, cap. 2. §. 11. & §. 12.*

Reſpondeo: Intelligit Nicænum primum; Nam in eo factum hoc eſſe, demonſtravimus ſuprà, ex ipſius Concilii illius canonibus, & ex Hieronymi dialogo adverſus Luciferianos. Neque aliud celebratum eſt Catholicæ Eccleſiæ univerſale Concilium, in quo hæc quæſtio agitata ſit, ante natum Auguſtinum: hoc autem cujus auctoritatem toties inculcat, ait Auguſtinus, habitum eſſe, antequam ipſe natus eſſet. Poſtea tamen, (inquit) dum inter multos ex utraque parte tractatur & quæritur, non ſolum inventa eſt, ſed etiam ad plenarii Concilii auctoritatem roburque perducta, poſt Cypriani quidem paſſionem, ſed antequam nos nati eſſemus. lib. 2. de baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 9. Celebratum eſt Concilium Nicænum anno Dom. 325. poſtea natus eſt Auguſtinus anno Dom. 354. nam mortuus eſt anno Dom 430. ut ex Proſpero & Liberato colligit Cardinalis Baronius, in eo anno; Poſſidonius autem in vita Auguſtini ſcribit, eum vixiſſe annis 76. Concilium ſecundum œcumenicum Conſtantinopoli celebratum eſt an. Domini 381. vel 382. Sardicenſe autem Catholicorum Concilium, quod anno Dom. 347. celebratum eſt, Auguſtino non fuit cognitum, qui nullum aliud cognovit Concilium Sardicenſe, niſi illud quod in ſuis ſcriptis convincit fuiſſe Arianorum Concilium, quippe in quo improbati ſint Epiſcopi Catholici Athanaſius Alexandrinus, & Julius Romanus. Auguſt. epiſt. 163. & lib. 3. contra Creſconium, cap. 33. Neque in Concilio Sardicenſi Catholico quicquam actum eſt, quod ad hanc de baptiſmo controverſiam pertineret.

3. Celebratum eſt quidem etiam ante natum Auguſtinum, & ante ipſam magnam Nicænam Synodum, Concilium Arelatenſe primum, multorum Epiſcoporum, ab Imperatore Conſtantino Magno convocatum, tempore Silveſtri Papæ Romani, ut ex ejuſdem Concilii præfatione ad Silveſtrum intelligimus: de quo etiam Concilio meminit Auguſtinus, ſeu ejus clerici, epiſt. 68. & in eo Concilio conditus eſt hic canon; De Arianis, qui propriâ lege ſua utuntur ut rebaptizentur, placuit, Si ad Eccleſiam aliqui de hac hæreſi venerint, interrogent eos noſtræ fidei ſacerdotes ſymbolum. Et ſi perviderint in Patre & Filio & Spiritu Sancto eos baptizatos, manus eis tantùm imponatur ut accipiant Spiritum Sanctum. quod ſi interrogati, non reſponderint hanc Trinitatem, baptizentur. Concil. Arelat. 1. can. 8. Non tamen fuit hoc univerſale totius orbis Concilium, ſed provinciale, licet admodum celebre, & magnæ auctoritatis: ad illud enim celebrandum Conſtantinus Auguſtus πλείστους ἐκ διαφόρων καὶ ἀμυθήτων τόπων ἐπισκόπους, plurimos ex diverſis ac innumerabilibus locis Epiſcopos convenire juſſit, ut ipſe teſtatur Conſtantinus in ſua epiſtola ad Chreſtum Syracuſanorum Epiſcopum, apud Euſebium, lib. 10. hiſtor. Eccleſ. cap. 5. Neque auctoritatem ſuam diſſimulant illius Concilii Patres, in præfatione ad Silveſtrum Papam Romanum; Domino (inquiunt) & ſanctiſſimo fratri Silveſtro Epiſcopo, Marinus, vel cœtus Epiſcoporum, qui adunati fuerunt in oppido Arelatenſi. Quæ decrevimus communi conſilio charitativè ſignificamus, ut omnes ſciant quid in futurum obſervare debeant. Hæc ibi.

4. Obſerva hic in tranſcurſu; 1. Non Papæ Romani, ſed Imperatoris juſſu congregatam eſſe hanc ſynodum. 2. Etiamſi ejuſdem Auguſti juſſu miſerit illuc Sylveſter Papa Romanus ſuos legatos, Claudium & Avitum Presbyteros, Eugeniumque & Quiriacum diaconos; non tamen huic Concilio præſediſſe Papæ Romani legatos, ſed Epiſcopum civitatis in qua habitum eſt Concilium, nempe Marinum Epiſcopum Arelatenſem: neque enim alius Marinus ſeu Maurinus in Concilii actis memoratur. 3. Patres Concilii decreta ſua ſignificare Sylveſtro, non per ſubjectionem, ſed charitativè. 4. Nec eo fine, ut robur à Sylveſtri approbatione accipiant, ſed ut omnes (in quibus & ipſe Sylveſter) ſciant, quid in futurum obſervare debeant, utpote tantæ ſynodi communi conſilio decretum.

*3. Quæſtio.*

5. Tertia quæſtio eſt; quonam pacto cum hac Auguſtini & Concilii Nicæni & univerſalis Eccleſiæ doctrina, conciliari poſſint ea dicta Ambroſii & Auguſtini quæ jam exhibebo? Ambroſii verba ſuperius citavimus ſub initium hujus diſſertationis de baptiſmo; Quamvis (inquit) & Patrem & Filium & Spiritum dicas, & aut Patris aut Filii aut Spiritus Sancti minuas poteſtatem, vacuum eſt omne myſterium. Ambroſius, libro primo de Spiritu Sancto, capite tertio. Auguſtinus explicans illa verba Domini, *Jam vos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis.* Detrahe (inquit) verbum, & quid eſt aqua niſi aqua. Et paullò poſt; Non quia dicitur, ſed quia creditur. tractatu octogeſimo in Evangelium Joannis. Ambroſius etiam loco ſuperius citato, & Auguſtinus epiſtola 23. baptiſmum vocant ſacramentum fidei. Ex quibus effici videtur, non eſſe verum baptiſmum ubi non eſt recta fides: quod aſſerebant Donatiſtæ, Catholici autem negabant.

6. Reſpondeo; Præmiſſa triplici diſtinctione: Prima diſtinctio eſt illa ex Auguſtino ſuperius propoſita, inter baptiſmi veritatem, & ejuſdem virtutem, ſive inter ipſum ſacramentum, & ſacramenti effectum ac uſum. Secunda diſtinctio eſt eorum qui baptizantur: vel enim adulti ſunt, vel parvuli. Tertia diſtinctio eſt inter fidem Eccleſiæ, & fidem particularis perſonæ.

7. Ad veritatem ſeu integritatem ſacramenti, baptiſmi ſive parvulis ſive adultis miniſtrati, ſufficit inſtitutio divina ejuſdemque obſervatio: dici etiam poteſt requiri fidem Eccleſiæ, non quod hinc ſit ſacramenti veritas, ſed quia ſacramenta data ſunt Eccleſiæ, ideo ſi non eſſet Eccleſia, neque eſſent aliqua Eccleſiæ ſacramenta vel intra vel extra Eccleſiam. Ad virtutem autem ſacramenti hujus percipiendam, ſeu ut ſit accipienti ſalutiferum, neceſſaria eſt in adultis recta fides ipſius particularis perſonæ baptizatæ. Dixit enim Dominus: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvabitur; qui verò non crediderit, condemnabitur. Cui ſententiæ Dominicæ in parvulis baptizatis ſatisfit, per fidem Eccleſiæ eos offerentis, benedicentis, tingentis, ut monet Auguſtinus locis citatis, epiſtola 23. & tractatu 80. in Evangelium Johannis. Accedit etiam occulta Spiritus Sancti gratia, quam latenter infundit & parvulis, ut monet Auguſtinus, libro primo de peccatorum meritis & remiſſione, cap. 9. Nam & hos neceſſe eſt ex Spiritu renaſci, ut ingrediantur regnum Dei.

*Marc. ult. verſ. 16.* *Joan. 3. 5.*

8. Neque ait Auguſtinus, tractatu 80. in Evangelium Johannis, neceſſariam eſſe fidem ad integritatem ſacramenti, ſed ad hanc neceſſarium eſſe verbum; ad effectum verò ſeu virtutem ſacramenti neceſſariam eſſe fidem verbi, ſeu verbum creditum. En ipſius verba; quare non ait, mundi eſtis propter baptiſmum, quo loti eſtis; ſed ait, propter verbum quod loquutus ſum vobis: niſi quia & in aqua verbum mundat: detrahe verbum, & quid eſt aqua niſi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit ſacramentum, etiam ipſum tanquam viſibile verbum: nam & hoc utique dixerat, quando pedes diſcipulis lavit: qui lotus eſt, non indiget niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus. Unde iſta tanta virtus aquæ ut corpus tangat & cor abluat, niſi faciente verbo? Non quia dicitur, ſed quia creditur: nam & in ipſo verbo aliud eſt ſonus tranſiens, aliud virtus manens. Hoc eſt verbum fidei quod prædicamus, ait Apoſtolus; quia ſi confeſſus fueris in ore tuo, quia Dominus eſt Jeſus, & credideris in corde tuo, quia Deus illum ſuſcitavit à mortuis, ſalvus eris: corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Unde in actibus Apoſtolorum legimus; fide mundans corda eorum. Et in epiſtola ſua beatus Petrus, Sic & vos, inquit, baptiſma ſalvos facit; non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio, hoc eſt, verbum fidei quod prædicamus, quo ſine dubio ut mundare poſſit conſecratur & baptiſmus. Chriſtus quippe nobiſcum vitis, cum Patre Agricola, dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea. Lege Apoſtolum, & vide quid adjungat: Ut eam ſanctificaret, inquit mundans eam lavacro aquæ in verbo. Mundatio igitur nequaquam fluxo & labili tribueretur elemento, niſi adderetur, in verbo. Hoc verbum fidei tantum valet in Eccleſia Dei, ut per ipſam credentem, offerentem, benedicentem, tingentem etiam tantillum mundet infantem, quamvis nondum valentem corde credere ad juſtitiam, & ore confiteri ad ſalutem. Totum hoc fit per verbum, de quo Dominus ait; jam vos mundi eſtis propter verbum, quod loquutus ſum vobis. Hæc Auguſtinus, tractatu octogeſimo in Evangelium Johannis.

*Accedit verbum ad elementum.* *Joan. 13. 10.* *Rom. 10. 9, 10.* *Act. 15. 9.* *1. Petr. 3. 21.* *Joan. 15. 1. Epheſ. 5. 25, 26.* *Joan. 15. 3.*

9. Auguſtinum ſequutus Hugo de ſancto Victore dicit; Omnia ſacramenta virtutem habent ex fide. libro primo, parte nonâ, capite octavo. quod dictum explicans, & applicans baptiſmo, Bonaventura, ait, fidem quidem eſſe neceſſariam omnibus ſacramentis, ſed ſpecialiter appropriari baptiſmo: quoniam baptiſmus eſt primum inter ſacramenta, & janua ſacramentorum; ſicut fides janua virtutum. Attamen (inquit) ſicut baptiſmus eſt ſacramentum non ſingularis perſonæ, ſed Eccleſiæ; ſic efficaciam habet à fide Eccleſiæ: & hoc per unitatem ſponſæ & columbæ.

*Omnia ſacramenta virtutem habent ex fide.* *Bonav.*

Bonavent. in 4. ſent. diſt. 3. part. 1. art. 1. qu. 3. In reſolutione.

10. Eodem ſenſu Thomas ait, ad accipiendum characterem baptiſmi non eſſe neceſſariam rectam fidem in baptizato vel baptizante, requiri tamen ex neceſſitate rectam fidem baptizati ad hoc, ut habeat gratiam baptiſmi. In 3. parte, qu. 68. art. 8.

11. De infantibus autem plura inferius, ſi Deus voluerit. Hæc interea pro inſtituti noſtri ratione in medium attuliſſe ſufficiat, de veritate & integritate baptiſmi contra intentionarios, & contra errorem Novatianorum ac Donatiſtarum & Arianorum, quem jam olim exploſum renovarunt nuper Anabaptiſtæ, quos Calvinus Catabaptiſtas vocat, libro quarto Inſtitutionum, capite decimo quinto, §. decimo ſexto, ubi & hanc eorum inſaniam refellit. Contra eoſdem ſcripſerunt multi alii ſuperioris & hujus ſeculi ſcriptores.

## CAPUT QUINTUM.

*De baptiſmi neceſſitate. contra errores Quintillianorum, & Manichæorum, & Maſſalianorum, & Pelagianorum, & Pontificiorum. Ubi etiam de baptiſmo infantium, & de loco & tempore adminiſtrationis & acceptionis baptiſmi, & de trina vel ſimpla merſione, & de aſperſione, & de aqua, & lotione baptiſmali.*

*Argumentaria idonea contra Pelagianos.*

AUguſtinus, & alii quidam Catholici Patres, dum contra Pelagianos pugnant, pro oſtenſione originalis peccati, argumentum ducunt validum ſanè atque invictum à neceſſitate regenerationis & baptiſmi, ipſis etiam parvulis conferendi in remiſſionem peccati originalis, ſicut oſtendimus ſuprà, lib. 8. cap. 2. §. 19. at eos diſputationis fervor & bonæ cauſæ fiducia ultra metas incautos abripuerunt, & in rigorem quendam, cauſæ non neceſſarium, impulerunt. Sufficit enim contra Pelagianos neceſſitas regenerationis ſpiritualis, & remiſſionis peccatorum; & non ſupervacua aut fruſtranea inſtitutio ſacramenti baptiſmi in hunc uſum, ut eſſet ſacramentum regenerationis & remiſſionis peccatorum: ſicut & alia ſacramenta ſuos habent ſpirituales uſus; unde exſiſtit eorum accipiendorum neceſſitas; quia contemtus eorum exitialis eſt, neque ea impunè quiſquam negligit, cui eſt à Deo mandata ſuſceptio. ſecluſo tamen contemtu & profano neglectu, res ſacramenti haberi poteſt interdum ſine ſacramento. quod cum de Euchariſtia non negent illi, qui hodie ſimplicem baptiſmi neceſſitatem urgent, nulla ratio ſinit, ut Patrum auctoritate abutantur, pro rigida illa neceſſitate baptiſmi; qua aſſeritur, abſque hoc ſacramento morientes omnes æternum damnari, niſi aut voto ſeu deſiderio ſacramenti baptiſmi, aut martyrio, defectus ſacramenti ſuppleatur. Nam Auguſtinus, & alii illorum temporum Catholici Patres, non minorem urgebant neceſſitatem ſacramenti Euchariſtiæ, ex cap. 6. Euangelii Joannis, quàm baptiſmi, ex ejuſdem Euangelii cap. 3.

*Abrepti fervore diſputationis & bonæ cauſæ fiducia Auguſtinus, & alii, de baptiſmi neceſſitate durante loquuti ſunt.*

*Pontificii negantes neceſſitatem Euchariſtiæ, parem cum neceſſitate baptiſmi diſcedunt à doctrina Auguſtini & veterum Rom. Eccl. Vide infra, c. 10. §. 17.*

*Pelagianorum error.*

2. Pelagiani peccatum originale negantes, parvulos non baptizatos excludebant è regno Dei, ſalutem tamen eis & vitam æternam tanquam innocentibus in loco aliquo exteriori promittebant, adeò ut reſpectu ſalutis vitæque æternæ, omnino ſuperfluò baptizari infantes exiſtimarent: teſte Auguſtino, libro primo de peccatorum meritis & remiſſione, capite vigeſimo. & libro tertio, capite decimo tertio. quibus ſic reſiſtit Auguſtinus; Terrentur autem (inquit) iſti ſententiâ Domini dicentis; *niſi quis natus fuerit denuo, non videbit regnum Dei.* quod cum exponeret, ait, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non intrabit in regnum Cœlorum.* Et propterea conantur, parvulis non baptizatis, innocentiæ merito ſalutem ac vitam æternam tribuere; ſed quia baptizati non ſunt, eos à regno Cœlorum facere alienos, novâ quadam & mirabili præſumtione, quaſi ſalus ac æterna vita poſſit eſſe præter Chriſti hæreditatem, præter regnum cœlorum. Habent enim videlicet, quò confugiant, atque ubi deliteſcant; quia non ait Dominus, *Si quis non renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non habebit vitam*: ſed ait, *non intrabit regnum Dei.* Nam ſi illud dixiſſet, nulla hinc dubitatio poſſet oboriri. Auferatur ergo jam dubitatio. Dominum audiamus non ſuſpiciones, conjecturaſque mortalium: Dominum audiamus, inquam, non quidem hoc de ſacramento lavacri dicentem, ſed de ſacramento ſanctæ menſæ ſuæ, quo nemo ritè niſi baptizatus accedit; *Niſi manducaveritis carnem meam, & biberitis ſanguinem meum, non habebitis vitam in vobis.* quid ultra quærimus? quid ad hoc reſpondere poterunt, niſi pertinacia pugnaces nervos adverſus conſtantiam perſpicuæ veritatis intendat? An verò quiſquam etiam hoc dicere audebit, quod ad parvulos hæc ſententia non pertineat, &c. libro primo de peccatorum meritis & remiſſione, capite vigeſimo. Idem docuit Innocentius primus, Papa Romanus, teſte Auguſtino, libro primo contra Julianum, capite ſecundo, ubi ait, utriuſque partis terrarum, id eſt, Occidentis & Orientis, fidem illam unam eſſe. Idipſum tradit Auguſt. epiſt. 106. & epiſt. 107. idem habet Cyprianus, lib. de lapſis, & Dionyſius, lib. de Eccleſiaſt. Hierarchia, cap. 2. Et Gelaſius primus, Papa Romanus, epiſtola quinta, ad omnes Epiſcopos per Picenum. tom. 3. Concil. edit. Pariſ. pag. 629.

*Auguſtini reſponſio.*

*Joan. 3. 3. & verſ. 5.*

3. Si dicas, eundem Auguſtinum alibi docuiſſe, ſufficere homini ad ſalutem manducationem ſpiritalem, etiamſi, antequam illud ſacramentum edat & bibat, de hoc corpore in unitate corporis Chriſti conſtitutus abſcedat: quia illius ſacramenti beneficio non privatur, quando ille habere hoc, quod illud ſacramentum ſignat, invenitur. Hæc Auguſtini verba citantur à Gratiano, de conſecr. diſt. 2. can. *quia paſſim eſt.* Et à Lombardo, 4. ſent. diſt. 9. A. Libenter hanc regulam nos quoque ſuſcipimus, quam etiam ipſe Auguſtinus ad illos applicat, qui rem baptiſmi abſque ſacramento baptiſmi conſequuntur, lib. 4. de baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 22. ubi ait, ſufficere fidem converſionemque cordis, ſi forte ad celebrandum myſterium baptiſmi in anguſtiis temporum ſuccurri non poteſt: cum myſterium baptiſmi non contemtus religionis, ſed articulus neceſſitatis excludit. Converſio enim cordis (ut poſtea eodem libro monet Auguſtinus, cap. 25.) poteſt quidem



quidem ineſſe non percepto baptiſmo, ſed contemto baptiſmo non poteſt. Quemadmodum de re ſacramenti ſine ipſo ſacramento Euchariſtiæ ait Hugo à Sancto Victore; Spiritualis ſumtio, quæ verâ fide percipitur, ſine ſacramentali, ubi non eſt contemtus religionis, ſufficit. Hæc Hugo in Speculo de myſteriis Eccleſiæ, capite ſeptimo.

*Ambroſ.*

4. Idipſum, quoad baptiſmum, ante Auguſtinum docuit Ambroſius, concione funebri in obitu Valentiniani junioris Auguſti: qui ex Gallia in Italiam cogitans, miſſis jam ad Ambroſium nunciis, qui eum Viennam in occurſum Imperatori accerſerent, vehementer optanti ac deſideranti baptizari ab Ambroſio, ipſe morte præventus eſt, ſine baptiſmate decedens. De quo tamen Ambroſius in concione illa funebri; Sæpe (inquit) me appellabat abſentem, & à me initiandum ſe ſacris myſteriis præferebat. ——— Mora ei adventus mei prolixior videbatur. ——— additur, ut properarem ocius, ut ipſe baptizaretur in ipſo egreſſu. Jam ſuperabam Alpium juga: & ecce, nuncius amarus mihi, & omnibus, de tanti morte Imperatoris. Reflexi, & iter fletibus meis lavi. ——— Quem in Euangelio eram generaturus, amiſi: ſed ille non amiſit gratiam, quam popoſcit. ——— Vitâ jam fruitur æternâ. ——— qui habuit Spiritum tuum, ſancte Pater, quomodo non accepit gratiam tuam? Aut ſi, quia ſolemniter non ſunt celebrata myſteria, hoc movet: ergo nec martyres, ſi Catechumeni fuerint, coronentur. Non enim coronantur, ſi non initiantur. Quod ſi ſuo abluuntur ſanguine, & hunc ſua pietas abluit & voluntas. Hæc Ambroſius.

5. Cui etiam de martyribus concinit Auguſtinus; Nam (inquit) quicunque etiam non percepto regenerationis lavacro pro Chriſti confeſſione moriuntur; tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum ſi abluerentur ſacro fonte baptiſmatis. lib. 13. de civitate Dei, cap. 7. Idem olim docuit Cyprianus, epiſt. 73. ad Jubaianum; ubi ait, martyres ſanguine ſuo baptizari, & divinæ pollicitationis gratiam conſequi: de ſanguinis baptiſmo dixiſſe Dominum, habere ſe aliud baptiſma baptizari. Luc. 12. 50.

*Luc. 12. 50.*

6. Hinc trita illa apud ſcholaſticos diſtinctio baptiſmi, in baptiſmum fluminis, & baptiſmum flaminis, & baptiſmum ſanguinis. Quamvis agnoſcant ſolum fluminis ſive aquæ baptiſmum eſſe ſacramentum, reliqua duo non ſacramenta, ſed ſacramenti vicem ſupplentia, ſeu ejus defectum compenſantia, hoc eſt, ejus effectum conferentia. 4. ſentent. diſtinct. 4. Hinc etiam illud eorundem axioma, ibidem; Deus ſuam potentiam ſacramentis non alligavit. Baptiſmus autem flaminis appellatur etiam *baptiſmus pœnitentiæ*, ibidem; & in Summa Thomæ, 3. part. quæſt. 66. art. 11. item *baptiſmus ignis.* Hoc autem videtur obviare (inquit Petrus Lombardus) quod Dominus dicit; *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt intrare in regnum Cœlorum.* Quod ſi generaliter verum eſt, non videntur eſſe vera ſuperius poſita. Sed illud intelligendum eſt de illis, qui poſſunt & contemnunt baptizari. Vel ita intelligendum eſt; *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto,* id eſt, ex ea regeneratione, quę fit per aquam & Spiritum Sanctum, *non ſalvabitur.* Illa autem regeneratio fit non tantum per baptiſmum, ſed etiam per pœnitentiam, & ſanguinem. Unde auctoritas [nempe Gloſſa ordinaria in caput 6. ad Hebræos] dicit, Ideo Apoſtolum pluraliter dixiſſe fundamentum baptiſmatum; quia eſt baptiſmus in aqua, in ſanguine, in pœnitentia. Hoc autem non ideo dicit, quòd ſacramentum baptiſmi fiat niſi in aqua; ſed, quia ipſius virtus, id eſt, ſanctificatio, datur non modò per aquam, ſed per ſanguinem, vel pœnitentiam interiùs, &c. Hæc Lombardus, lib. 4. ſentent. diſtinct. 4. E. Vide Summam Thomæ, 3. part. quæſt. 66. art. 11. & art. 12. Idem docet prolixè Bernardus, epiſt. 77. quam ſcripſit ad Hugonem de Sancto Victore.

*Joan. 3. 5.*

*Auguſtini immodicus rigor erga infantes non baptizatos, nec martyrio ex hac vita ſublatos.*

7. In quo igitur (inquies) apparet Auguſtinianæ de baptiſmo doctrinæ immodicus rigor? In eo, quod parvulos non baptizatos, nec martyrio de vita hac ſublatos, adjudicet æternæ morti; hac, ſcilicet, ratione impulſus, quod neque fidem habeant, neque ejus vice ſacramentum fidei. Loca Auguſtini varia citavimus in diſſertatione noſtrâ contra Pelagianos, ſuprà, lib. 8. capite 2. controverſiâ decimâ ſeptimâ: ubi oſtendimus, idem etiam poſtea docuiſſe Gelaſium Papam Romanum; quos ſequutus Bernardus, epiſt. 77. Sanè (inquit) infantes, quia hanc prohibente ætate non poſſunt habere fidem, hoc eſt, cordis ad Deum converſionem, conſequenter nec ſalutem, ſi abſque baptiſmi perceptione moriuntur. Hæc ille. Idem docent Lombardus & ejus diſcipuli, 4. ſent. diſt. 4.

*Neceſſaria diſſenſio ab iſta rigida Auguſtini doctrina, ſalva honorificentia quæ tanto viro debetur.*

8. Qua libertate & reverentiâ nos docuit Auguſtinus, non accipere quod Cypriano viſum eſt de baptizandis hæreticis; eâdem neque hoc accipimus, quod ipſi ſancto Auguſtino aliiſque cum eo ſentientibus viſum eſt de parvulis non baptizatis. Cui ſi veriorem & ſacris literis rectęque rationi congruentiorem ſententiam, ſalvâ charitatis & pacis compage, & ſervato debitæ reverentiæ officio, anteponamus; ipſe nos Auguſtinus omni temeritatis & arrogantiæ crimine liberat: Neque enim (inquit) quorumlibet diſputationes (quamvis Catholicorum & laudatorum hominum,) velut ſcripturas canonicas habere debemus: ut nobis non liceat, ſalvâ honorificentiâ, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum ſcriptis improbare, atque reſpuere, ſi forte invenerimus, quòd aliter ſenſerint quàm veritas habet, divino adjutorio vel ab aliis intellecta, vel à nobis. Talis ego ſum in ſcriptis aliorum: tales volo eſſe intellectores meorum. Hæc beatus Auguſtinus, epiſt. centeſimâ undecimâ, quæ eſt, *de videndo Deo*, ad Fortunatianum, Epiſcopum Siccenſem.

*De limbo puerorum. Scholaſtici ab Auguſtino & aliis Patribus cum illo ſentientibus diſſentiunt de ſtatu puerorum ſine baptiſmi ſacramento defunctorum.*

9. Si fas ſcholaſticis, de puerorum ſine baptiſmo defunctorum ſtatu à Patribus illis diſſentire, propter nimiam, ut ipſis videtur, doctrinæ illorum aſperitatem; nobis etiam nefas non ſit, ab eorundem Patrum immodico, ut nobis videtur, rigore aſſenſum cohibere, ſi oſtenderimus, potioribus rationibus fulſultam eſſe oppoſitam ſententiam? Excogitarunt ſcholaſtici, carcerem quendam in inferno tenebroſum, in quo æternum detineantur pueri abſque baptiſmi ſacramento defuncti: ubi ſolam damni ſive carentiæ regni cœlorum ſeu viſionis Dei ſuſtineant pœnam, propter originale peccatum, nullâ prorſus afflicti pœnâ ſenſus, ſed ſtatu ſuo contenti: & hunc locum appellant *limbum puerorum* in quartum ſentent. diſtinct. 4. & diſtinct. 45. Alia mens fuit Auguſtini, & aliorum quorundam Patrum, infantes non baptizatos cœlo excludentium; adju-

adjudicabant enim eos æternis tormentis. Etiamſi in ipſis tormentis inferni agnoſcerent ſuppliciorum varios gradus, pro diverſitate criminum; & ideo infantes damnatos in damnatione omnium leviſſimâ futuros, cum ſolum habeant originale peccatum, nec ullis propriis aggraventur. Auguſt. lib. 5. contra Julianum, capite octavo, & libro primo de peccatorum meritis & remiſſione, cap. 16. Atamen dicebant eos ignis æterni ſempiterno ſupplicio puniendos: quia, etſi propriæ actionis peccatum nullum habuerunt, originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione & nativitate traxerunt. Hoc firmiſſimè tenendum, neque de eo ullatenus dubitandum, ſcribit Auguſtinus, ſeu potius Fulgentius, lib. de fide ad Petrum diaconum, capite 27. in operibus Auguſtini, tomo 3. Auguſtinus ait, eos ſecundæ mortis ſubire ſupplicium, libro primo, contra duas epiſtolas Pelagianorum, capite 22. adeóque eſſe in ſtagno illo ignis, quod dicitur

*Apoc. 20. 14.* *ſecunda mors*, Apocalypſ. capite 20. verſ. 14. Idem Pater ait, eos cruciari, lib. de prædeſtinatione ſanctorum, capite 12. &, habere tormenta; tractatu 49. in Euang. Joannis. Gelaſius Papa Romanus eos accenſet eis, qui in die judicii ſtabunt ad ſiniſtram; epiſt. 7. ad omnes Epiſco-

*Matth. 25. 41.* pos per Picenum. Docent autem nos ſacræ literæ, æterni ignis ſempiterno ſupplicio adjudicari omnes qui ſtant à ſiniſtris. Matth. 25. 41. Et ex hoc ipſo loco Matthæi infert Auguſtinus; infantes non baptizatos, & ſic morientes, ire cum reliquis damnatis in ambuſtionem æternam. libro tertio, de peccatorum meritis & remiſſione,

*Nazianz. Opinio de eis qui ſine baptiſmo mortui ſunt: quam alii Patres rejiciunt, & quæ ex parte etiam ipſi Romanenſibus improbatur.* capite tertio. Nazianzenus tamen [orat. 40. numero 21. edit. Pariſ. Græcol. anno Dom. 1630. pag. 653.] infantes, nec non & adultos, ſola impoſſibilitate à baptiſmi perceptione excluſos, &, quamvis ſine contemtu aut neglectu, ſacramento tamen baptiſmi non percepto, mortuos; etiamſi adulti ſerio voto cupiverint baptizari, neque eis aut infantibus illis conſequendi ſacramenti facultas conceſſa ſit, putavit neque glorificari, neque puniri: ut qui ſigillo quidem ſignati non ſint, improbitate tamen careant, atque hanc jacturam paſſi potiùs fuerint, quàm fecerint. μήτε δοξασθῆναι, μήτε κολασθῆναι παρὰ τοῦ δικαίου κριτοῦ, ὡς ἀσφραγίστους μὲν, ἀπονήρους δέ, ἀλλὰ παθόντας μᾶλλον τὴν ζημίαν, ἢ δράσαντας.

*Vide ſupra, §. 3. & lib. 8. c. 2. §. 20. 21. 22.* Hæc Gregorii Nazianzeni opinio, ab Auguſtino, & aliis contra Pelagianos pugnantibus, non eſt recepta, ſed prorſus rejecta. Quam etiam, quoad adultos, ipſi rejiciunt Romanenſes. Tertium autem locum æternum hominibus nullum eſſe à Deo conſtitutum, ſed tantummodo cœlum beatis, & ſupplicii locum damnatis; docuerunt Auguſtinus, & Gelaſius, & alii, in ſuis ſcriptis contra Pelagianos. Tametſi argumentum pro demonſtratione originalis peccati, longiùs quàm neceſſe erat, arceſſiverint. Ut monuimus in principio hujus capitis.

*Doctrina veterum, quâ parte ſana eſt de neceſſitate baptiſmi.* 10. Quod autem antiquiores Patres, & qui etiam ſequuti ſunt, ratiocinantur à neceſſitate baptiſmi, & neceſſariâ ſalutis æternæ curâ; quando, non obſtante Eccleſiaſticâ conſuetudine, de baptiſmo, ſtatis anni temporibus, & in baptiſterio publico, celebrando, jubent ſuccurri infantibus & grabatariis, & aliis in vitæ diſcrimine conſtitutis: id, intra juſtos limites, commodo ſenſu ab eis dici poterat. Nam ſenſu ſatis commodo, atque idoneo, procedit & robur habet argumentatio, abſque opinione abſolutæ iſtiuſmodi neceſſitatis, ad quam multi veterum ſine neceſſitate confugerunt. Docent veteres, baptiſmum eſſe divinitus inſtitutum gratiæ & ſalutis organum, ſeu medium, nulli certo tempori aut loco alligatum: & non patere regnum cœlorum eis, qui hoc ſanctum Dei ſigillum contemnunt aut negligunt: eſſe autem non ſolum adultis, ſed etiam infantibus fidelium, neceſſariò adminiſtrandum hoc ſacramentum; ne divinæ inſtitutionis incurioſi, & ingentes fructus ſacramenti hujus vilipendere videamur. Atque huc congerunt, ex ſacris literis collecta, multa præclara ſancti baptiſmi elogia, & ut ad ejus expetitionem atque maturam ſuſceptionem animos hominum permoveant, orationis vela pandunt, & eloquentiæ ſuæ copias explicant, propoſitis gratiæ Dei promiſſionibus, & interminationum divinarum fulminibus repræſentatis. Et ne quis exiſtimet, non poſſe baptiſmum, ne de vita quidem periclitantibus, rite ac legitimè, extra ſollemnia Paſchatis & Pentecoſtes tempora, vel alio quàm publico loco, adminiſtrari; hanc dubitationem Patres anticipant, & dicunt; Dei eſſe omne tempus, & baptiſmo aptum eſſe omne tempus, & ſatius eſſe ut in carcere, vel intra domos, & in lecto etiam, baptizetur vinctus, vel ægrotus, quàm ut baptiſmus omittatur. Non eſſe eam Eccleſiaſticæ conſuetudinis vel conſtitutionis mentem, ut cuiquam fidelium infanti, vel adulto catechumeno, ſacramentum hoc denegetur: ſed omnem adhibendam eſſe curam ad petendum, & promtam diligentiam ad conferendum eis hoc ſanctum Dei inſtitutum, ſine exceptione ætatis, vel ſexûs, vel loci, vel temporis; ubi alius locus non datur magis commodus, neque aliud tempus exſpectari ſinit caſus neceſſitatis, id eſt, perſonæ baptizandæ infirmitas, vel calamitas, & probabilis propinquitas mortis. Deo enim jubente, ut omnes credentes, & fidelium infantes baptizentur, non eſſe hominibus integrum id prohibere, vel negligere. Neque Eccleſiam velle, aut poſſe, divinam inſtitutionem iniquis humanarum reſtrictionum ſpatiis circumſcribere; nec propter hominum traditionem, irritum facere aut tranſgredi mandatum Dei; aut oblatum à Deo ſancti baptiſmi donum parvifacere. Providendum quidem, ut, quod monet Apoſtolus, *omnia decenter & ſecundum ordinem fiant*. Sed ut fiant, non autem ut, decorum & ordinem nimis anguſtis limitibus definientes, intercedamus ne fiant illa, quæ Deus fieri juſſit; & ne ſub iniquo prætextu acceſſorii, negligatur principale: non eſſe quidem Dei gratiam alligatam ſacramentis; ſed neque nobis fas eſſe in lege Dei, de ſacramentis latâ, diſpenſare: nos divinis officii noſtri legibus eſſe alligatos; neque tentandum eſſe Deum, ut nobis, aut aliis, gratiam & ſalutem pollicentes, contemnamus ut inania, vel tanquam ſuperflua negligamus gratiæ organa, & ſalutis media à Deo inſtituta & imperata. *Matth. 15. 3. 6.* *1. Cor. 14. 40.*

11. Neque illud benignam & ſanam interpretationem reſpuit, quod dicunt Patres, presbyterum, negato baptiſmo, reum eſſe amiſſi hominis: nam non abſimiles in ſacris literis reperiri videntur locutiones, quibus peccati atrocitas exaggeratur, etiamſi conſequens illud non eveniat: reus dicitur corporis & ſanguinis Domini, qui ſacramentum indignè manducavit & bibit: & interitûs fratris reus dicitur, qui eum intrepidè ſcandalizavit, adeò ut per illum non ſteterit quin frater periret, etiamſi ſubveniente Dei miſericordiâ ſalvus fiat. *1. Cor. 11. 27.* *1. Cor. 8. 11. 12.*



*Marc. 16. 16.* Profectò baptiſmum eſſe divinum ſalutis medium, docent nos verba illa Domini, *qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*. Non enim tanquam aliquid inane, vel exile, vel indifferens, vel parvipendendum, conjunxit cum fide baptiſmum, quamvis non ſit æqualis utriuſque neceſſitas; ſed ut pretioſum & efficax Dei donum: ut patet cum ex iſta Domini ſententia, tum ex aliis etiam ſacræ Scripturæ teſtimoniis, quibus cœleſtis hujus myſterii ſublimis dignitas & ſalutaris utilitas magnificè prædicatur. Officii etiam neceſſitate, ab ipſo Domino impoſitâ, obligatos teneri miniſtros verbi, ut idoneis, id eſt, adultis credentibus, & fidelium infantibus, ſanctum hoc myſterium adminiſtrare non recuſent, perſpicuum eſt ex illa Dominica

*Matth. 28. 19.* præceptione, *Euntes docete omnes gentes; baptizantes eos in nomen Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti*. Qui autem denegat alicui ſalutis medium, quod Deus inſtituit, & quod ipſe ex officio Deique mandato conferre tenetur, is haud dubiè graviter peccat: eumque veteres neglectæ ovis, vel amiſſi hominis crimine teneri aſſerebant. Quicunque etiam baptiſmum ſuſcipere aut petere, vel ſibi, ſi adultus ſit catechumenus nondum baptizatus, vel infanti ſuo, contemſerit, vel neglexerit, cum contra animam ſuam peccare nemo Catholicus inficiatur.

*Baptiſmus clinicorum in lecto.* 12. Vetuſta Eccleſiæ conſuetudine receptum eſſe ut in lecto baptizarentur, per aquæ affuſionem vel aſperſionem ii, qui tam graviter laborabant, ut mors de propinquo eis imminere putaretur, teſtes ſunt *Cornelius*, hujus nominis primus, Epiſcopus Romanus, in ſua ad Fabium Epiſcopum Antiochenum epiſtola, apud Euſebium, libro ſexto, hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capite quadrageſimo tertio, in editione Græca, & *Cyprianus*, epiſtola ſeptuageſimâ ſeptimâ, (ſeu libro quarto, epiſtola ſeptima,) ad Magnum, ubi eam conſuetudinem Cyprianus ex profeſſo laudat, & *Concilium Neocæſarienſe*, (celebratum, circiter annum Domini 315.) can. 12. & *Concilium Laodicenum* (paulo poſt celebratum) can. 47.

*Paraſynagogæ & parabaptiſmata.* 13. Quia autem hæretici quidam, vel ſchiſmatici, habere deprehendebantur quædam in privatis domibus illicita conventicula, & illegitima baptiſmata [παρασυναγωγὰς καὶ παραβαπτίσματα] qualia erant illa, quæ ab Acephalis fieri ſolita memoravimus, lib. 3. hujus operis, cap. 14. §. 5. cujuſmodi illiciti conventus erant etiam illi, quos olim Synodus Antiochena, (in Encæniis, anno Domini 341. celebrata) prohibuit, can. 2. decernens, non licere communicare cum excommunicatis, neque cum eis per domos convenire & ſimul orare, qui non orant cum Eccleſia. μὴ ἐξεῖναι κοινωνεῖν τοῖς ἀκοινωνήτοις, μηδὲ κατ' οἴκους συνελθόντας συνεύχεσθαι τοῖς μὴ τῇ ἐκκλησίᾳ συνευχομένοις. Quales etiam erant illæ paraſynagogæ, de quibus dicetur lib. 14. hujus operis, c. 1.

*Vide de baptiſmo domeſtico, lib. 3. cap. 14. §. 5.* Contra iſtiuſmodi conventicula & parabaptiſmata, conſtitutum eſt in quiniſexto Concilio, can. 59. ut non in privatis oratoriis intra domos, ſed in Catholicis Eccleſiis ſacramentum baptiſmi adminiſtraretur. verba canonis ſunt. Μηδαμῶς ἐν εὐκτηρίῳ οἴκῳ ἔνδον οἰκίας τυγχάνοντι βάπτισμα ἐπιτελείσθω· ἀλλ' οἱ μέλλοντες ἀξιοῦσθαι τοῦ ἀχράντου φωτίσματος ταῖς καθολικαῖς προσερχέσθωσαν ἐκκλησίαις, κἀκεῖσε τῆς δωρεᾶς ταύτης ἀπολαυέτωσαν. Et ſubjungitur ſanctio in immorigeros, ut, ſi clericus ſit, deponatur: ſi autem laïcus, ſegregetur. εἰ μὲν κληρικὸς εἴη, καθαιρείσθω· εἰ δὲ λαϊκὸς, ἀφοριζέσθω.

*Proſpicitur infirmis.* Proſpectum interea infirmis, in eodem Concilio quiniſexto, can. 31. cujus canonis hæc ſunt verba; τοὺς ἐν εὐκτηρίοις οἴκοις ἔνδον οἰκίας τυγχάνουσι λειτουργοῦντας ἢ βαπτίζοντας κληρικοὺς, ὑπὸ γνώμην τοῦτο πράττειν δεῖν τοῦ τόπου ἐπισκόπου ὁρίζομεν. ὥστε εἴ τις κληρικὸς μὴ τοῦτο οὕτω διαφυλάξοι, καθαιρείσθω. Clericos, qui in oratoriis, quæ ſunt intra domos, ſacra faciunt, vel baptizant, hoc ut ex ſententia Epiſcopi illius loci faciant, decernimus. Quare ſi quis clericus hoc non ſic ſervaverit, deponatur. Hæc ibi. Hoc ipſum poſtea etiam decretum in Synodo prima & ſecunda, can. 12. de qua Synodo vide librum ſeptimum, hujus operis, capite 12. §. 12. Quocirca rectè obſervatum à Joanne Zonara, in ſuo commentario in can. 59. Quiniſextæ Synodi, (quæ illi Sexta nuncupatur,) collatis inter ſe canonibus manifeſtum eſſe, quod ſacra operari & baptiſmum adminiſtrare in tali oratorio, intra domum, nec ſit omnino prohibitum, [οὔτε πάντη κεκώλυται] neque cuilibet conceſſum [οὔτε παντὶ ἐπιτέτραπται] ut quilibet id faciat ſuo arbitratu, ſeu proprio motu [ἐξουσίας ἰδίας,] ſed quod oporteat bene notos & approbatos eſſe Epiſcopis loci, qui id faciant.

*Clem. Conſtit. Apoſtol. lib. 6. cap. 15. Contra baptiſmi contemtores.* 14. In Conſtitutionibus quæ *Apoſtolicæ* dicuntur, & *Clementi* Romano tribuuntur, legimus hæc verba; ὁ δὲ καταφρονῶν μὴ βουλόμενος βαπτισθῆναι, ὡς ἄπιστος κατακριθήσεται, καὶ ὡς ἀχάριστος καὶ ἀγνώμων. λέγει γὰρ ὁ Κύριος· ἐὰν μή τις βαπτισθῇ ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος, οὐ μὴ εἰσέλθῃ εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν. καὶ πάλιν, ὁ πιστεύσας καὶ βαπτισθεὶς, σωθήσεται· ὁ δὲ ἀπιστήσας, κατακριθήσεται.

*Contra dilationem baptiſmi.* ὁ δὲ λέγων, ὅταν τελευτῶ, βαπτίζομαι, ἵνα μὴ ἁμαρτήσω καὶ ῥυπανῶ τὸ βάπτισμα, οὗτος ἀγνοῶν ἐστι Θεὸν, καὶ τῆς ἑαυτοῦ φύσεως ἐπιλελησμένος τυγχάνει, μὴ ἀναβάλλου γὰρ ἐπιστραφῆναι πρὸς Κύριον· οὐ γὰρ οἶδας τί τέξεται ἡ ἐπιοῦσα.

*Baptiſmus infantium.* βαπτίζετε δὲ ὑμῶν καὶ τὰ νήπια, καὶ ἐκτρέφετε αὐτὰ ἐν παιδείᾳ καὶ νουθεσίᾳ Θεοῦ. ἄφετε, γάρ φησι, τὰ παιδία ἔρχεσθαι πρός με, καὶ μὴ κωλύετε αὐτά. id eſt, qui per contemtum recuſaverit baptizari, tanquam infidelis condemnabitur: & tanquam ingratus & inſipiens opprobrio afficietur. Ait enim Dominus; *Niſi quis baptizatus fuerit ex aqua & Spiritu, non ingredietur in regnum cœlorum*. Et rurſum; *qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui autem non crediderit, condemnabitur*. Qui vero dicit: Cum moriar, accipiam baptiſmum, ne peccem, & baptiſmum inquinem; hic Deum ignorat, & naturæ ſuæ immemor eſt: *Ne differas enim, converti ad Dominum; non enim ſcis, quid pariat poſterus dies*. Baptizate autem veſtros etiam infantes: & educate eos in diſciplina, & monitione Dei. Ait enim. *Sinite parvulos venire ad me, & ne prohibete eos*. *Joan. 3. 5.* *Marc. 16. 16.* *Matth. 19. 14.*

*Irenæus. Baptiſmus infantium.* 15. *Irenæus* ait; Omnes venit [Dominus Jeſus Chriſtus] per ſemetipſum ſalvare. Omnes, inquam, qui per eum renaſcuntur in Deum, infantes, & parvulos, & pueros, & juvenes, & ſeniores. Ideo per omnem venit ætatem, & infantibus infans factus, ſanctificans infantes; in parvulis parvulus, &c. Hæc *Irenæus*, lib. 2. adverſus hæreſes, capite trigeſimo nono, ubi per renaſcentiam infantium, haud obſcurè ſignificat etiam infantium baptiſmum, locutione patribus familiari. *Juſtinus* Martyr, in ea Apologia quæ

quæ ſecunda nuncupatur, deſcribens adminiſtrationem baptiſmi, *Deinde* (inquit) *eò adducuntur à nobis ubi aqua eſt, atque eo regenerationis modo, quo ipſi regenerati ſumus, regenerantur. Nam in nomine rerum cunctarum Parentis ac Domini Dei, & Servatoris noſtri Ieſu Chriſti, & Spiritûs Sancti, in aqua tunc lavantur.* Ideo *Ambroſius* baptiſterium appellat *regenerationis ſacrarium.* lib. de initiandis, capite ſecundo, & ſacramentum baptiſmi *Dionyſius* Areopagita vocat τὰ θεῖα τῆς θεογενεσίας σύμβολα, *divina divinæ generationis ſymbola* lib. de Eccleſ. Hierarchia, capite ſecundo, parte prima. Item, τὴν ἱερὰν τῆς θεογενεσίας, ὡς ἐν συμβόλοις. *Sanctæ divinæ generationis ſacramentum, ut in ſymbolis.* Eodem cap. in Theoria, ſeu parte 3. in principio illius partis. Et baptiſterium vocat τὴν μητέρα τῆς υἱοθεσίας, *matrem adoptionis.* in 2. parte ejuſdem capitis. Non tamen dicit *Irenæus*, neminem ſalvum fieri, qui non fuerit aquâ baptizatus. Nam tum de infantibus, tum de adultis loquitur: quibus conſtituta eſt etiam ſacramentalis renaſcentiæ neceſſitate præcepti, licet non peremtoriâ neceſſitate medii; ut infrà demonſtrabimus.

*Tertullian.*

16. *Tertullianus* quidem ſuadet dilationem baptiſmi cum parvulorum, tum adultorum; at ſimul non obſcurè oſtendit, viguiſſe illo tempore in Eccleſia conſuetudinem baptizandi parvulos. Pro cujuſque (inquit) perſonæ conditione ac diſpoſitione, etiam ætate cunctatio baptiſmi utilior eſt. Præcipuè tamen circa parvulos. Quid enim neceſſe eſt, ſi non tam neceſſe ſponſores etiam periculo ingeri? qui & ipſi per mortalitatem deſtituere promiſſiones ſuas poſſunt, & proventu malæ indolis falli. Hæc *Tertullianus*, lib. de baptiſmo, capite 18. ex quibus Tertulliani verbis apertum eſt, in uſu tunc fuiſſe baptizationem parvulorum, & adhibitos etiam eſſe ſponſores: de quibus mox plura adferemus. *Pamelii* in hunc Tertulliani locum conjectura eſt; Fortaſſis loquitur [*Tertullianus*] de baptiſmo duntaxat illorum parvulorum differendo, quorum parentes infideles ſunt. Hoc enim per illud, quod de *ſponſorum periculo* ſubjicitur, videtur innuere. Ubi enim parentes Chriſtiani ſunt, non videntur *ſponſores periculo ingeri.* Hæc Jacobus Pamelius, in ſuis annotationibus in Tertulliani librum de baptiſmo, numero 126. Diſplicuiſſe veteri Catholicæ Eccleſiæ dilationem baptiſmi, patet ex epiſtola illa Cornelii ad Fabium; cujus ſuperiùs facta mentio eſt, §. 12. & ex Concil. Neocæſar. can. 12. eandem etiam ſequentibus ſeculis improbatam eſſe, inferiùs oſtendemus, §. 30. & ſeq. Accedit illud, quod ex Conſtitutionibus nuncupatis Apoſtolicis modò recitatum eſt, §. 14. *Nazianzenus* quidem (orat. 40.) putavit, differri poſſe parvulorum baptiſmum circiter triennium; niſi mortis periculum eſſe videretur, dilationem tamen in adultis acriter reprehendit: & ſeriò etiam hortatur, ut infantes baptizentur: eadem Orat. 40. in ſanctum baptiſma. Differendum eſſe parvulorum baptiſmum, non judicavit vetus catholica Eccleſia, ſed omnes fidelium parvulos indiſcriminatim ſemper baptizabat.

*Baptiſmus parvulorum. Sponſores. Vide §. 22.*

*De baptiſmi dilatione.*

*Origenes.*

17. *Origenes* de parvulorum baptiſmo dicit; *Eccleſia ab Apoſtolis traditionem ſuſcepit, etiam parvulis baptiſmum dare. Sciebant enim illi, quibus myſteriorum ſecreta commiſſa ſunt divinorum, quia eſſent in omnibus genuina ſordes peccati, quæ per aquam & Spiritum ablui deberent.* Hæc *Origenes*, in cap. 6. epiſtolæ ad Romanos, verſ. 5. 6. 7. Interprete *Hieronymo*.

18. *Fidus* quidam Epiſcopus in Africa, non quidem de ipſa baptizatione infantium, ſed de ejus idoneo tempore dubitans, conſuluit *Cyprianum*: qui, habito Concilio ſexaginta ſex Epiſcoporum, reſponſum reddidit ſynodale, ex unanimi omnium conſenſione: quod reſponſum exſtat in epiſtolis *Cypriani*, libro tertio, epiſtola octavâ, quæ in Pameliana editione eſt epiſtola 59. Putabat *Fidus*, infantem non ante octavum diem baptizandum eſſe, ſecundum legem circumciſionis antiquæ. Longè aliud, in illo Concilio, *Cypriano* & omnibus, qui ibi aderant, collegis ejus viſum eſt; nimirum, infantes etiam à partu novos rectè baptizari, neque exſpectari oportere octavum diem. Quod autem in Judaica circumciſione carnali octavus dies obſervabatur, ſacramentum eſſe in umbra atque imagine ante præmiſſum; ſed veniente Chriſto, veritate completum, quando die octavo, id eſt, poſt ſabbatum primo, Dominus reſurrexit, & nos vivificavit, & circumciſionem nobis ſpiritalem dedit: ceſſaviſſe illam imaginem, ſuperveniente veritate, & datâ nobis ſpiritali circumciſione: ideirco neminem à gratia conſequendâ impediendum eſſe illâ veteris circumciſionis lege, ſed ipſos etiam recens natos infantes ad baptiſmum & gratiam Chriſti admittendos eſſe. *Auguſtini* de hac *Cypriani*, & collegarum ejus, ſynodicâ determinatione judicium eſt; *Beatus Cyprianus non aliquod decretum condens novum, ſed Eccleſiæ fidem firmiſſimam ſervans, ad corrigendum eos, qui putabant, ante octavum diem nativitatis non eſſe parvulum baptizandum.* —— *mox natum ritè baptizari poſſe, cum ſuis quibuſdam coëpiſcopis cenſuit.* Hæc *Auguſtinus*, epiſt. 28. ad *Hieronymum*. Idem etiam *Cyprianus*, epiſt. 76. (ſeu lib. 4. epiſt. 7.) loquens de baptiſmo & gratia, quæ datur eis qui baptizantur, *hanc Chriſti indulgentiam & cœleſtem gratiam æqualiter omnibus dividi ſine ſexûs varietate, ſine annorum diſcrimine, ſine acceptione perſonæ, ſuper omnem Dei populum ſpiritalis gratiæ munus infundi.*

*Fidi dubitatio de infantium ætate baptizandorum.*

*Cypriani & collegarum reſponſio ſynodalis.*

*Circumciſionis figura ſpiritualis. vide §. 43.*

*Auguſtini judicium de reſponſione Cypriani & collegarum.*

*Aliud Cypriani teſtimonium pro baptiſmo infantium.*

*Gregor. Nazianz.*

19. *Gregorius Nazianzenus*, Orat. 40. quæ eſt in ſanctum baptiſma; hortatur parentes, ut infantes ſuos curent baptizandos, atque adeò hoc ſigillo quantocius muniendos. νήπιόν ἐστί σοι; μὴ λαβέτω καιρὸν ἡ κακία· ἐκ βρέφους ἁγιασθήτω, ἐξ ὀνύχων καθιερωθήτω τῷ πνεύματι. *Infans tibi eſt? ne occaſionem improbitas arripiat: ab infantia ſanctificetur; ab ipſis unguiculis Spiritui conſecretur.* Hæc Gregor. Nazianz. orat. 40. num. 16. pag. 648. edit. Pariſ. Græcolat. an. Dom. 1630. ubi etiam plura in hanc ſententiam. Et num. 27. pag. 658. ait, baptizandos eſſe infantes, *ſi quod periculum urgeat*, εἴ τις ἐπείγοι κίνδυνος. Et pro baptizatione infantium, ducit argumentum ab antiqua circumciſione infantium.

*Hieronym.*

20. *Hieronymus* (epiſt. ad *Lætam*, quæ incipit, *Apoſtolus*.) ſceleris eos coarguit, qui Chriſtianorum infantibus baptiſma dare noluerint. Et in fine libri tertii contra Pelagianos, adducto *Cypriani* teſtimonio, ex epiſtola illa ad *Fidum* Epiſcopum ſcriptâ de infantibus baptizandis, concludit baptizandos eſſe infantes, non ſolum in regnum cœlorum, ut aſſerebant Pelagiani, ſed etiam in remiſſionem peccatorum, videlicet peccati originalis. Id quod etiam diſertè docuit *Cyprianus* cum ſuis 66. collegis, in memorata epiſtola 59. ad *Fidum*.

21. In



*Concil. Milevit.*

21. In Concilio Milevitano ſecundo, can. 2. *Placuit* (inquiunt Africani illi patres) *ut quicunque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat; aut dicit, in remiſſionem quidem peccatorum eos baptizari, ſed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur*, [ſeu *mundetur*, ut dicitur eodem canone.] *unde fit conſequens, ut in eis forma baptiſmatis, in remiſſionem peccatorum, non verè, ſed falsè intelligatur: anathema ſit.* Concilii hujus, quod in Africanis vocatur univerſale, pars fuit *Auguſtinus* epiſcopus Hipponenſis: ut patet ex epiſtola ſynodali ad *Innocentium* Papam Romanum, apud *Auguſtinum*, epiſt. 92.

*Dionyſ. Areop.*

22. *Dionyſius* Areopagita, lib. de Eccleſiaſtica hierarchia, cap. 7. ſub finem capitis, Diſſerit de parvulorum ſeu infantium baptizatione: &, ſolutis quibuſdam objectionibus, contendit, omnino baptizandos eſſe infantes, idque ab Apoſtolis traditum eſſe. Scribit etiam ibidem de ſponſoribus, quos ille appellat παιδαγωγοὺς pædagogos, & ἀναδόχους ſuſceptores, & ἱεραγωγοὺς duces, puerorum illorum, quos, à naturalibus ipſorum puerorum parentibus ſibi traditos, offerunt baptizandos, eoſque abrenunciationem malorum & confeſſionem fidei facere dicunt, id eſt: (ut ibi exponit *Dionyſius*) promittunt ſe pueris illis, cum intelligere ſacra per ætatem potuerint, ſuaſuros, ut & nuncium mittant adverſariis, & divinam confeſſionem faciant, in eâque perſeverent. Sic ſponſorum reſponſionem interpretatur ibi *Dionyſius*. Qui eodem lib. cap. 2. etiam adultis baptiſmum accipientibus attribuit ἀναδόχους ſuſceptores, quos etiam vocat ἡγεμόνας Duces, & χειραγωγοὺς manuductores. Horum munus ibidem apud Dionyſium lector inveniet. Qui Tertulliano *ſponſores* [ſup. §. 14.] & Dionyſio ἀνάδοχοι dicuntur, eos Concilium Arelatenſe quartum appellat *patrinos* & *fidejuſſores*, ca. 19. cujus capituli ſeu canonis hæc ſunt verba; *Ut parentes filios ſuos, & patrini eos quos de fonte ſuſcipiunt, erudire ſummoperè ſtudeant: illi, quia eos genuerunt, & eis à Domino dati ſunt: iſti, quia pro eis fidejuſſores exiſtunt.* Celebratum eſt hoc Concilium anno Domini 813. ſub Carolo magno Imperatore.

*Sponſores.*

*Concil. Arelat. 4.*

23. In tomis Conciliorum, edit. Pariſ. [an. D. 1636.] tom. 5. pag. 361. leguntur quidam canones, ſermone latino, qui ibi ſextæ Synodo œcumenicæ tribuuntur: quarum hic ſecundus eſt quem nunc recito: *Si parvulus ægrotans, ad quemlibet presbyterum baptiſmi gratiâ de cujuſlibet parochia allatus fuerit; ei baptiſmi ſacramentum nullo modo denegetur. Si quis hoc munus petenti concedere detrectaverit, & ille parvulus abſque baptiſmi gratia mortuus fuerit; noverit ſe ille, qui eum non baptizavit, pro ejus anima rationem redditurum.* Hactenus verba illius canonis. quo autem ſano ſenſu dici poſſit, *rationem eſſe reddendam*, monuimus ſupra, §. 11. & eſt phraſis Apoſtolica, ad Hebræos, 13. 17. Cur etiam baptiſmus dicatur *gratia*, vide inferiùs, §. 39.

*Canones de baptizandis parvulis.*

*Objectio.*

*Reſponſio.*

24. Ex prolatis teſtimoniis cognoſcimus judicium catholicæ antiquitatis de baptizandis parvulis. Si objicias, hoc viſum patribus ex falſa hypotheſi peremtoriæ neceſſitatis baptiſmi; Reſpondeo: Non eſt propter unius aut plurium mediorum vitium rejicienda aut neganda illa concluſio, quæ aliis mediis idoneis, vel alio medio idoneo, evidenter & firmiter oſtenditur & conſtabilitur. Inſtantiam dedimus in principio hujus capitis. Accipe etiam alias inſtantias. 1. Baptizandi ſunt credentes adulti, qui nondum baptizati ſunt, debentque petere baptiſmum. 2. baptizandi ſunt fidelium infantes. 3. baptizati & actu credentes fide propriâ, qui ſe explorare poſſunt, debent accedere ad menſam Domini, & ſumere ſacramentum Euchariſtiæ, ſeu participes eſſe cœnæ Dominicæ. Has tres orthodoxas concluſiones probatum ibant patres his quatuor argumentis, ſumtis à neceſſitate divinitùs nobis impoſitâ: Aiebant enim ad iſta omnia homines obligari quadruplici neceſſitate: videlicet; 1. neceſſitate præcepti. 2. neceſſitate vitandi contemtum & ingratitudinem, ne ingratis illis contemtoribus accenſeamur, qui ad Regale epulum invitati & vocati, neglexerunt & recuſarunt venire. 3. neceſſitate rei ſignificatæ, putà, regenerationis & refectionis ſpiritualis: cui rei obtinendæ, vel obſignandæ & confirmandæ, hæc ſunt media à Domino inſtituta & data; atque adeò non negligenda. 4. denique peremtoriâ neceſſitate ipſius ſacramenti, ſeu ſimplici neceſſitate medii. Hoc quartum argumentum nititur falſa hypotheſi, ſicut proximè ſequentibus aliquot capitibus, σὺν θεῷ, luculenter demonſtrabimus. At priora tria argumenta ſunt idonea & valida, ſumpta à triplici neceſſitate, quam nemo catholicus inficiatur: adeóque ſtat firma & manifeſtè vera atque irrefragabilis concluſio.

*Multiplex neceſſitas accipiendi & dandi ſacramenta.*

*Matth. 22. 3.*

*Luc. 14. 18. &c.*

*Vide ſupra, §. 10. & §. 11.*

25. Diem baptiſmo (inquit *Tertullianus*) ſollenniorem *Paſcha* præſtat, cum & paſſio Domini in qua tinguimur, adimpleta eſt. Nec incongruenter ad figuram interpretabitur, quod cum ultimum Paſcha Dominus eſſet acturus, miſſis diſcipulis ad præparandum, *Invenietis*, inquit, *hominem aquam bajulantem.* Paſchæ celebrandæ locum de ſigno aquæ oſtendit. Exinde *Pentecoſte* ordinandis lavacris latiſſimum ſpatium eſt, quo & Domini reſurrectio inter diſcipulos frequentata eſt, & gratia Spiritus Sancti dedicata, & ſpes adventus Domini ſuboſtenſa, quod tunc in cœlos recuperato eo, Angeli ad Apoſtolos dixerunt, ſic venturum quemadmodum & in cœlos conſcendit, utique in Pentecoſte. Sed enim Hieremias, cum dicit; *Et congregabo illos ab extremis terræ in die feſto*, Paſchæ diem ſignificat & Pentecoſtes, qui eſt propriè dies feſtus. Cæterùm omnis dies Domini eſt, omnis hora, omne tempus habile baptiſmo: ſi de ſollemnitate intereſt, de gratia nihil refert. Hæc Tertullianus, lib. de baptiſmo, cap. 19.

*De tempore adminiſtrationis baptiſmi. Tertullianus.*

*Marc. 14. 13.*

*Act. 1. 11.*

*Hierem. 31. 8. καὶ ... ἐν ἑορτῇ φασέκ.*

26. Concilii Laodiceni canon quadrageſimus ſeptimus eſt, Ὅτι δεῖ τοὺς ἐν νόσῳ παραλαμβάνοντας φώτισμα, καὶ εἶτα ἀναστάντας, ἐκμανθάνειν τὴν πίστιν, καὶ γινώσκειν, ὅτι θείας δωρεᾶς κατηξιώθησαν. Quod oporteat eos, qui in morbo baptiſmum accipiunt, & deinde reſurgunt, fidem perdiſcere, & noſſe quod divinâ donatione dignati ſint.

*Concil. Laodic. vide ſup. §. 12.*

27. *Siricius* papa Romanus (qui Damaſo ſucceſſit anno Domini 385.) Hoc ſibi (inquit) privilegium & apud nos, & apud omnes Eccleſias, Dominicum ſpecialiter cum *Pentecoſte* ſua *Paſcha* defendit. quibus ſolis per annum diebus, ad fidem confluentibus generalia baptiſmatis tradi convenit ſacramenta. —— Sicut ſacram ergo Paſchalem reverentiam in nullo dicimus eſſe minuendam, ita infantibus,

*Siricius pp. Rom. Excepit, de infantibus, & iis qui ſunt in qualibet neceſſitate vel diſcrimine.*

fantibus, qui necdum loqui poterunt per ætatem, vel his, quibus in qualibet neceſſitate opus fuerit ſacri undâ baptiſmatis, volumus celeritate ſuccurri; ne ad noſtrarum perniciem tendat animarum, ſi negato deſiderantibus fonte ſalutari, exiens unuſquiſque de ſeculo, & regnum perdat & vitam. Quicunque etiam diſcrimen naufragii, Hoſtilitatis incurſum, obſidionis ambiguum, vel cujuſlibet corporalis ægritudinis deſperationem inciderint, & ſibi unico credulitatis auxilio popoſcerint ſubveniri, eodem, quo poſcunt, momento temporis, expetitæ regenerationis præmia conſequantur. Hæc *Siricius*, in ſua epiſtola ad *Himerium*, Tarraconenſem Epiſcopum, capitulo 2. Ubi verba illa [*Et regnum perdat & vitam*] non alio ſenſu accipienda ſunt, quàm qui concordet cum perpetua doctrina Catholicæ Eccleſiæ, quæ ſemper docuit, neque regno Dei excludi, neque vita æternâ privari quempiam ſine baptiſmi ſacramento mortuum, qui, dum viveret, verè in Chriſtum credebat, & ſalutarem baptiſmatis fontem (ut Siricius loquitur) deſiderabat, & operam dabat ut divino hoc ſacramento potiretur: hunc enim ad ſalutem pervenire per baptiſmum Flaminis, etiamſi nactus non ſit baptiſmum fluminis. Quod igitur dicit *Siricius*, ſacerdotem qui deſideranti negat ſacramentum baptiſmi, perniciosè peccare contra animam ſuam, tanquam homicidam ſpiritualem hominis pereuntis, id ab illo dicitur ad exaggerandum crimen negantis, per quem non ſtetit quin homo ille periret, negato illi hoc vitali & ſalutari lavacro, quod Deus inſtituit, & dari atque accipi juſſit, ut organum gratiæ, & medium ſalutis æternæ. Quocirca neque adultis fidem confitentibus, & baptiſmi ſacramentum deſiderantibus, neque fidelium infantibus (quos eodem loco habet *Siricius* cum deſiderantibus adultis) denegandum eſt, etiamſi neque ad tempus neque in loco ordinariæ ſollemnitatis adeſſe queant.

Vide ſupra, §. 10. & §. 11. & §. 24.

Leo I. Papa Romanus.

28. *Leo*, hujus nominis primus, Epiſcopus Romanus, Quia (inquit) manifeſtiſſimè patet, baptizandis in Eccleſia electis hæc duo tempora [*Paſchatis & Pentecoſtes*] eſſe legitima; dilectionem veſtram monemus, ut nullos alios dies huic obſervantiæ miſceatis. Quia etſi ſunt alia quoque feſta, quibus multa in honorem Dei reverentia debeatur, principalis tamen, & maximi ſacramenti cuſtodienda nobis eſt myſticæ rationis exceptio: non interdicta licentia, qua in baptiſmo tribuendo quolibet tempore periclitantibus ſubvenitur. Ita enim ad has duas feſtivitates connexas, atque ſibimet cognatas incolumium, & in pacis ſecuritate degentium, libera vota differimus; ut in mortis periculo, in obſidionis diſcrimine, in perſecutionis anguſtiis, in timore naufragii, nullo tempore, hoc veræ ſalutis ſingulare remedium cuiquam denegemus. Hæc *Leo*, epiſtolâ quartâ ad univerſos Epiſcopos per Siciliam conſtitutos. Citat etiam *Gratianus*, ex *Leone* Papa, hæc verba: *Si qui neceſſitate mortis, ægritudinis, obſidionis, perſecutionis & naufragii urgentur; omni tempore debent baptizari.* Diſt. 4. de Conſecratione. Can. *Si qui neceſſitate.*

In baptiſmo tribuendo, quolibet tempore periclitantibus ſubvenitur.

Conc. Antiſiod.

29. Concilii Antiſiodorenſis [anno Domino quingenteſimo nonageſimo,] canone decimo-octavo. Non licet abſque Paſchæ ſolennitate, ullo tempore baptizare, niſi illos quibus mors vicina eſt, quos grabatarios dicunt. Hæc ibi. Ubi intelligendum Paſcha cum ſua Pentecoſte, ſicut loquitur Siricius. Ejuſdem Paſchalis conſuetudinis meminit Ambroſius, libro de Myſterio Paſchæ, capite primo & capite quinto. Qui mos antiquus (inquit *Rhenanus*, citante *Pamelio*, Annotation. in Tertulliani librum de baptiſmo, numero primo) etiam uſque ad tempora Caroli Magni & Ludovici Auguſti ſervatus eſt. Indicant hoc leges ab illis ſancitæ, quibus cavetur ne quenquam ſacerdotes baptizent, excepto mortis articulo, præterquam in Paſcha & Pentecoſte. Hæc ille.

30. Inolevit apud quoſdam mala conſuetudo differendi baptiſmum: quam ut abolerent catholici patres, excludebant à clero eos qui non niſi metu mortis, baptizari conſenſiſſent. Hinc docet *Cornelius*, non ſine difficultate obtineri potuiſſe cleri & laicorum conſenſum, ut in clerum aſſumeretur *Novatianus*, qui in lecto, in quo decumbebat, cum jam ferè mori putaretur, aquâ circumfuſus, baptiſmum acceperat: quoniam minimè licebat, quenquam in lecto propter morbum baptizatum, ſicut huic contigerat, in clerum aſſumi. Hæc *Cornelius* Epiſcopus Romanus, in ſua epiſtolâ ad *Fabium* Epiſcopum Antiochenum: apud *Euſebium*, libro ſexto Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, capite quadrageſimo tertio, editionis Græcæ. Convenit ille duodecimus canon Concilii Neocæſarienſis, poſtea celebrati, anno Domini trecenteſimo decimo quarto, vel trecenteſimo decimo quinto. Ἐάν νοσῶν τις φωτισθῇ, εἰς πρεσβύτερον ἄγεσθαι οὐ δύναται· οὐκ ἐκ προαιρέσεως γὰρ ἡ πίστις αὐτοῦ, ἀλλ' ἐξ ἀνάγκης· εἰ μὴ τάχα διὰ τὴν μετὰ ταῦτα αὐτοῦ σπουδὴν, καὶ πίστιν, καὶ διὰ σπάνιν ἀνθρώπων. Si quis ægrotans fuerit illuminatus [id eſt, baptizatus,] non poteſt in presbyterum promoveri. Fides enim ejus non voluntaria, ſed ex neceſſitate eſt. Niſi fortè propter conſequens ejus ſtudium, & fidem, & propter raritatem [ſeu penuriam] hominum. Extant etiam vehementes Patrum exhortationes, ad baptiſmum ſine dilatione ſuſcipiendum: quod ut hominibus perſuaderent, multa magnifica baptiſmi encomia accumularunt, ejuſque præſtantiam & neceſſitatem, contemtique vel neglecti tanti doni pœnam æternam ob oculos ponebant. Hinc illud Ambroſii; *Credit catechumenus, ſed niſi baptizatus fuerit in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, remiſſionem non poteſt accipere peccatorum, nec ſpiritualis gratiæ munus haurire.* Libro de initiandis, capite quarto. Quod non eſſe accipiendum de mera carentia hujus ſacramenti, patet ex ipſius doctrina *Ambroſii*, quam ſuperiùs commemoravimus. Contemtum igitur & neglectum hujus ſacramenti ut animis hominum excutiat, clamat eum eſſe exitialem.

Vide ſupra, §. 12.

31. Et hoc ſenſu accipiendæ ſunt *Baſilii* & aliorum Patrum fulminationes contra eos, qui perpetuam moras ſibi nectebant, & baptiſmi ſuſceptionem differebant. Quamvis Nazianz. vehemens perſuadendi ardor aliquando ultra juſtos terminos provexerit, ut ſuperius monebamus, §. 9. Rectè tamen hic Pater, cum aliis orthodoxis, clamat, omne tempus baptiſmo eſſe idoneum, & baptiſmum eſſe pretioſum Dei donum, ejuſque contemtoribus interitum denunciat. En ipſius Nazianz. verba; ἀσπάσαι τὸ φιλάνθρωπον, ἀσπάσαι τὴν



ἑτοίμην τῆς ἀφέσεως. πᾶς σοι καιρὸς ἐπιτήδειος, ἐπειδὴ πᾶς ἀναλύσεως. μετὰ Παύλου βοῶ σοι τὴν μεγάλην φωνήν· ἰδοὺ νῦν καιρὸς εὐπρόσδεκτος, ἰδοὺ νῦν ἡμέρα σωτηρίας, οὐχ ἕνα καιρὸν, ἀλλὰ πάντα τὸν νῦν ὁρίζοντος. Gratuita proponitur Dei erga homines amica benignitas, contemnis promtam atque exporrectam beneficentiam. Omne tibi tempus ad ablutionem idoneum eſt, quandoquidem nullum tempus mortis periculo vacat. Cum Paulo, ad te magnâ voce clamo; *Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies ſalutis!* Ubi particula, *nunc*, non certum aliquod tempus, ſed tempus omne deſignat. ——— Quin tibi quoque & belli, & pacis tempus ſit, & matrimonii ineundi, & à matrimonii opere abſtinendi, & amicitiæ, & diſſidii, ſiquidem ita neceſſe ſit, atque omnis denique rei, ſi Solomoni auſcultandum eſt: auſcultandum eſt autem, utile enim hortamentum proponit: At verò ſalutis tuæ negotium ſemper age, atque omne tempus ad baptiſmi ſuſceptionem tibi certum ac definitum eſſe exiſtima. [ἀεὶ δὲ τὴν σωτηρίαν ἐργάζου, καὶ πάντα ἴσθι σοι καιρὸν, τοῦ βαπτίσματος ὅρον.] Et ibidem dicit Nazianzenus, dilationem de die in diem proficiſci à deluſione Satanica, dicente Satana, *Da mihi præſens, futurum Deo: mihi juventam, Deo ſenectam: mihi voluptates, Deo corpus effœtum, nulliſque uſibus aptum.* Et hortatur catechumenum, ut hoſtem in conſilium non adhibeat, neque fidelis fieri ac nominari parvi pendat.

2. Cor. 6. 2.

Eccleſ. 3. 1.

32. Objicientibus, Chriſtum trigeſimo ætatis ſuæ anno baptiſatum; Reſpondet Nazianzenus; eſſe diſparem rationem, nec utendum imitatione mala exempli boni. Multa enim de Chriſto legi quæ ſupra nos ſunt, & quæ nobis ad præcisè imitandum non proponuntur: Has adfert inſtantias; Chriſtus paulo ante tentationem jejunavit: nos ante Paſcha. Ille totos quadraginta dies à cibo abſtinuit: nos autem ad virium noſtrarum modulum jejunium attemperavimus. Ille Paſchatis myſterium tradit diſcipulis [μυσταγωγεῖ τὸ πάσχα τοῖς μαθηταῖς] in ſuperiore cœnaculo, & poſt cœnam, & unico ante paſſionem die: nos in orationis domibus, & ante cœnam, & poſt reſurrectionem. Ille tertio die reſurrexit: nos poſt multum tempus. Hæc Gregorius Nazianzenus, Oratione quadrageſima, quæ eſt, in ſanctum baptiſma.

Baſilius.

33. *Baſilius* magnus, in Exhortatione ad baptiſmum, quæ eſt homilia 13. Tempus (inquit) aliud alii accommodatum: ſomni proprium, aliud vigiliæ: belli item, & pacis: baptiſmi verò tempus vita hominis tota [καιρὸς δὲ βαπτίσματος ἅπας ὁ τοῦ ἀνθρώπου βίος.] ——— Omne igitur tempus opportunitatem habet ad ſalutem quæ per baptiſmum accipitur: ſive noctem dixeris, ſive diem, ſive horam, ſive temporis momentum etiam minutiſſimum. Hæc Baſilius, non derogans conſuetudini Paſchali: nam ait, opportunius quidem eſſe tempus Paſchatis; ſed diſputans contra differentes baptiſmum, monet, omne tempus huic rei eſſe opportunum. Atque ut eos à tanti ſacramenti neglectu deterreat, addit hanc interminationem; *Niſi Iſraël mare tranſiiſſet, nunquam à Pharaone diſceſſiſſet: ſic tu, niſi per aquam tranſieris, nequaquam à Diaboli ſævâ tyrannide liberaberis.* Quo autem ſenſu dictum illud accipiendum ſit, ſuperiùs in antecesſum monuimus, §. 31.

34. Ex animo autem deteſtamur atque anathematizamus impiam illam doctrinam *Quintillæ*, ejuſque ſequacium *Quintillianorum*, baptiſmum contemnentium & auferentium. Contra quem errorem ex profeſſo diſputat Tertullianus, lib. de baptiſmo. Et ſimilem illum furorem *Manichæorum*, quem commemorat Auguſtinus, hæreſi 46. *Baptiſmum* (inquit) *in aqua nihil cuiquam perhibent ſalutis afferre, nec quenquam eorum quos decipiunt baptizandum putant.* Nec non inſaniam *Maſſalianorum*, dicentium, Chriſtianos nullam ex baptiſmo vel Euchariſtiæ ſacramento utilitatem percipere: ut monuimus ſuprà, libro ſecundo, capite octavo, paragrapho quarto. Et amentiam *Pelagianorum*, idem de infantium baptiſmo ſentientium cum memoratis hæreticis, intuitu ſalutis vitæque æternæ: ut ſuperiùs oſtenſum, §. 2.

De baptiſmo error Quintillianorum.

Error Manichæorum.

Error Maſſalianorum.

Error Pelagianorum.

35. Refert *Tertullianus* quædam *Quintillianorum* argumenta. Unum proponit, eidemque reſpondet cap. 13. libri ſui de baptiſmo: Hic ergo (inquit) ſceleſtiſſimi illi provocant quæſtiones. *Adeò dicunt, baptiſmus non eſt neceſſarius, quibus fides ſatis eſt: nam & Abraham nullius aquæ niſi fidei ſacramento Deo placuit.* Huic argumento reſpondet Tertullianus; Legem tinguendi eſſe nunc à Domino impoſitam, & formam præſcriptam; *Ite, docete nationes, tinguentes eas in nomen Patris & Filii & Spiritus Sancti.* Et huic Legi collatam eſſe definitionem illam; *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non intrabit in regnum cœlorum*, eàque obſtringi fidem ad baptiſmi neceſſitatem. Itaque omnes exinde credentes tingui, & Paulum ubi credidit tinctum eſſe. Cave putes Tertullianum iſtâ reſponſione pugnare pro peremtoria neceſſitate baptiſmi; ac ſi exiſtimaret, regno Dei excludi credentes qui non fuerint aquâ baptizati, quamvis ſine ſuo contemtu, aut neglectu, careant baptiſmi ſacramento: nam diſertè de talibus loquens, eodem lib. de baptiſmo, cap. 18. ait; *Fides integra ſecura eſt de ſalute.* Præcepti autem tuetur neceſſitatem, conjunctam cum eximia & neutiquam negligendâ, ſed neceſſariò expetendâ ipſius ſacramenti baptiſmi utilitate. Et ſic accepta ejus reſponſio idonea eſt contra argumentum Quintillianorum. Accedit, quod Abraham, jam fide juſtificatus, inobſequens non fuit Deo imperanti circumciſionem, ſed *ſignum accepit circumciſionis, ſigillum juſtitiæ fidei, quam habuit in præputio.*

Argumentatio Quintillianorum.

Tertulliani reſponſio.

Matth. 28. 19.

Joan. 3. 5.

Act. 9. 18.

Quam neceſſitatem tueatur Tertullianus, contra Quintillianos.

Alia reſp. de Abrahamo.

Geneſ. 17. 23, 24, &c.

Rom. 4. 11.

36. Aliud Quintillianorum argumentum commemorat Tertullianus, eodem lib. de baptiſmo, cap. 14. his verbis; Sed de ipſo Apoſtolo revolvunt, quod dixerit, *Non enim me ad tinguendum Chriſtus miſit*: quaſi hoc argumento baptiſmus adimatur. Huic argumento reſpondet ibidem Tertullianus, inquiens; Cur enim tinxit Cajum & Criſpum & Stephanæ domum? quamquam etſi non eum miſerat Chriſtus ad tinguendum, tamen aliis Apoſtolis præcepit tinguere. Verùm hæc pro conditione tunc temporis ad Corinthios ſcripta ſunt, quoniam ſchiſmata & diſſenſiones inter illos movebantur, dum alius Paulo deputat, alius Apollo. Propter quod pacificus Apoſtolus, ne ſibi omnia defendere videretur, *non ad tinguendum* ait ſe miſſum, *ſed ad prædicandum*. Nam & prius eſt prædica-

Aliud arg. Quintill. ex verbis Apoſtoli.

1. Cor. 1. 17.

Tertulliani reſponſio, & expoſitio verborum Apoſtoli.

re, poſterius tinguere. Si priùs prædicatum; puto autem licuit & tinguere, cui licuit prædicare. Hæc *Tertullianus*, lib. de baptiſmo, cap. 14.

*Chryſoſtomi expoſitio.* Eandem Apoſtoli ſententiam exponens *Joannes Chryſoſtomus*, homil. 3. in priorem epiſtolam Pauli ad Corinthios, in cap. 1. verſ. 17. dicit majore opus eſſe donorum cœleſtium menſura, & graviore labore, ad prædicandum Euangelium, quàm ad baptizandum: & ideo Apoſtolum, quamvis poteſtate etiam baptizandi a Domino inſtructum, qua & uſus eſt in baptizando Criſpum, & Gajum, & Stephanæ domum, ſe magis exercuiſſe in prædicando Euangelio, & dixiſſe, *ſe non ad baptizandum* miſſum eſſe, *ſed ad Euangelizandum*. Nam Euangelium aptè, perſpicuè, ſapienter prædicare, majoris molis & moliminis opus eſſe, quàm ſacramentum adminiſtrare: illud paucorum eſſe, hoc autem æqualiter fieri poſſe ab omnibus ſacerdotalem ordinem habentibus. Et hoc diſcrimen *Chryſoſtomus* dicit ſuo etiam tempore obſervatum eſſe, ut ſi presbyteri qui uberiore ſcientia & ſapientiâ præditi erant, magis operi prædicationis adhiberentur, & propter ingentem eorum in hoc magis laborioſo exercitio laborem, exonerarentur magna ex parte adminiſtratione baptiſmi, quæ aliis presbyteris demandabatur. Et huc applicat illud ejuſdem Apoſtoli dictum, *Qui bene præſunt presbyteri, duplici honore digni habeantur: maximè qui laborant in verbo & doctrina.* Sic etiam *Auguſtinus* Perfectè (inquit) baptizare etiam minus docti poſſunt, perfectè etiam Euangelizare multo difficilioris & rarioris eſt operis. Ideo doctor gentium, plurimis excellentior, *Euangelizare* miſſus eſt, *non baptizare*: quoniam hoc per multos fieri poterat, illud per paucos inter quos eminebat. Hæc *Auguſtinus*, lib. 3. contra literas Petiliani, cap. 56. Non minuit ibi Apoſtolus baptiſmi dignitatem aut neceſſitatem, neque permittit ut eum quiſquam ſecurè omitti poſſe exiſtimet: ſed prædicationem Euangelii indicat eſſe laborioſiorem magiſque difficilem, adeóque ipſi Apoſtolo in ſe magis ſuſcipiendam, quàm adminiſtrationem baptiſmi, quæ non quidem omittebatur, ſed magis per alios, Apoſtolo ita volente, fiebat.

(Margin: *1. Cor. 1. 14. 16. ibid. verſ. 17.* — *1. Tim. 5. 17.* — *Auguſtini expoſitio.*)

37. Quintillianis aliiſque baptiſmi aſpernatoribus contemtui habebatur ipſa res quæ gerebatur ſimplicitas, neque credebant intinctionem corporis in aquam poſſe cuiquam eſſe utilem ad mundationem animæ. Cui errori opponunt Patres doctrinam orthodoxam, ex ſacris literis depromtam: videlicet; Non eſſe de divinis myſteriis judicandum κατ' ὄψιν, ſecundùm externam faciem, ſed attollendas eſſe mentes in auctorem Deum omnipotentem & veracem, qui hoc lavacrum aquæ inſtituit, & adminiſtrari ac ſuſcipi præcepit, adjectâ promiſſione ſpiritualis gratiæ: Deo autem præcipienti obediendum eſſe, & promittenti credendum: neque ex judicio carnis & ſanguinis conſilium capiendum, quando conſtat de Dei voluntate: quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſſe hominibus; & quod infirmum eſt Dei, validius eſſe hominibus. Ac propterea, Judæis ſciſcitantibus quid eos facere oporteret, reſpondiſſe Apoſtolum Petrum; *Reſipiſcite, & baptizetur unuſquiſque veſtrûm in nomine Jeſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum: & accipietis donum Spiritûs Sancti.* Et Saulo jam converſo (cui poſtea Paulo nomen fuit) Ananiam à Domino miſſum dixiſſe; *Et nunc quid cunctaris? exſurge, & baptizare, & ablue peccata tua,* [ſeu, abluere à peccatis tuis, ἀπόλουσαι τὰς ἁμαρτίας σου,] *invocato nomine Domini.* Et poſtea eundem Apoſtolum Paulum docuiſſe, *conſepulti nos cum Chriſto, per baptiſmum, in mortem: ut ſicut Chriſtus excitatus eſt ex mortuis per gloriam Patris; ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Et, *quicunque in Chriſto baptizati ſunt, eos Chriſtum induiſſe.* Item, *Chriſtum dilexiſſe Eccleſiam, & ſemetipſum tradidiſſe pro ea, ut eam ſanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo.* *Deum, ſecundum ſuam miſericordiam, ſalvos nos feciſſe per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti.* Et Petrum Apoſtolum ſcripſiſſe, quod aquæ veteris diluvii nunc correſpondens *nos ſalvos faciat baptiſmus: non depoſitio ſordium carnis, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum, per reſurrectionem Jeſu Chriſti.* Et his conſonam eſſe illam Joannis Apoſtoli doctrinam; *Hic eſt qui venit per aquam & ſanguinem, Jeſus Chriſtus: non in aqua ſolùm, ſed in aqua & ſanguine. Et Spiritus eſt qui teſtificatur, quoniam Spiritus eſt veritas. Quoniam tres ſunt qui teſtificantur in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt. Et tres ſunt qui teſtificantur in terra, Spiritus, & aqua, & ſanguis: & hi tres in unum ſunt.*

(Margin: *Non eſt contemnenda ſacramentorum externa ſimplicitas.* — *Joan. 7. 24.* — *Matth. 22. 29.* — *Marc. 12. 24.* — *Gal. 1. 16.* — *1. Cor. 1. 25.* — *Act. 2. 38.* — *Act. 22. 16.* — *Rom. 6. 4.* — *Gal. 3. 27.* — *Epheſ. 5. 25.* — *Tit. 3. 5.* — *1. Pet. 3. 21.* — *1. Joan. 5. 6. 7. 8.*)

38. Perculſum eſt Chriſti latus, ut Euangelium loquitur, & ſtatim manavit ſanguis & aqua, quæ ſunt Eccleſiæ gemina ſacramenta. inquit *Auguſtinus*, lib. 2. de ſymbolo ad catechumenos, cap. 6. ejuſdem dictum eſt, quod, aqua corpus tangat, & cor abluat, faciente verbo dum creditur. Tract. 80. in Euang. Joannis.

(Margin: *Joan. 19. 34.* — *Auguſtin.*)

39. *Tertullianus* ait; Felix ſacramentum aquæ noſtræ, quia ablutis delictis priſtinæ cæcitatis, in vitam æternam liberamur. lib. de baptiſmo, cap. 1. Deinde, eodem libro, cap. 2. redarguens inſaniam iſtum Quintillianorum errorem; Sed enim (inquit) quanta vis eſt perverſitatis ad fidem labefactandam, vel in totum non recipiendam, ut ex his eam impugnet, ex quibus conſtat! Nihil adeò eſt quod obduret mentes hominum, quàm ſimplicitas divinorum operum quæ actu videntur, & magnificentia quæ in effectu repromittitur: ut hic quoniam tantâ ſimplicitate, ſine pompa, ſine apparatu novo aliquo, denique ſine ſumtu, homo in aqua demiſſus, & inter pauca verba tinctus, non multo vel nihilo mundior reſurgit, eo incredibilis exiſtimetur conſecutio æternitatis. Mentior ſi non è contrario idolorum ſolennia vel arcana de ſuggeſtu & apparatu, deque ſumtu, fidem & auctoritatem ſibi extruunt. Proh miſera incredulitas, quæ denegas Deo proprietates ſuas, ſimplicitatem & poteſtatem. Quid ergo? Nonne mirandum & lavacro dilui mortem? Atquin eo magis credendum, ſi, quia mirandum eſt, idcirco non creditur. Qualia enim decet eſſe opera divina, niſi ſuper omnem admirationem? Nos quoque ipſi miramur, ſed quia credimus. Cæterùm incredulitas miratur, non credit. Miratur enim ſimplicia, quaſi vana; magnifica, quaſi impoſſibilia. Et ſit planè ut putas, ſatis ad utrumque divina prænunciatio præcucurrit. Stulta mundi elegit Deus, ut confundat ſapientiam ejus: & prædifficilia penes homines, facilia penes Deum. Nam ſi Deus & ſapiens & potens, quod etiam prætereuntes eum non negant; merito in adverſariis ſapientiæ potentiæque, id eſt, in ſtultitia & impoſſibilitate materias operationis ſuæ inſtituit. Quoniam

(Margin: *Tertullian.* — *De ſimplicitate & non ſolito in baptiſmo.* — *De apparatu idolorum.* — *De ſimplicitate & admirandis operibus.* — *Matth. 22. 42.* — *1. Cor. 1. 27.* — *Matth. 19. 26.*)



niam virtus omnis ex his cauſam accipit, à quibus provocatur. Hæc *Tertullianus*, lib. de baptiſmo, cap. 2. Et rurſus, proinde (inquit) ut nos faceret aquâ vocatos, ſanguine electos, hos duos baptiſmos de vulnere perfoſſi lateris emiſit. Eodem lib. de baptiſmo, cap. 16. Tunc regenerationis potentiam ſanxit, quando de latere ipſius profluxerunt ſanguis redemtionis, & aqua baptiſmatis. inquit Leo. 1. Papa Rom. epiſt. 4. ad univerſos epiſcopos per Siciliam conſtitutos cap. 6.

(Margin: *Joan. 19. 34.* — *Leo.* — *Cyprianus.*)

40. Cum in tenebris (ait *Cyprianus*) atque in nocte cæcâ jacerem, cúmque in ſalo jactantis ſeculi nutabundus ac dubius veſtigiis oberrantibus fluctuarem, vitæ meæ neſcius, veritatis ac lucis alienus; difficile prorſus ac durum pro illis tunc moribus opinabar, quod in ſalutem mihi divina indulgentia pollicebatur, ut quis renaſci denuo poſſet: utque in novam vitam lavacro aquæ ſalutaris animatus, quod priùs fuerat exponeret: corporis licet manente compage hominem animo ac mente mutaret. —— Sed poſtquam undæ genitalis auxilio ſuperioris ævi labe detersâ, in expiatum pectus ac purum deſuper ſe lumen infudit, poſtquam cœlitus ſpiritu hauſto, in novum me hominem nativitas ſecunda reparavit, mirum in modum protinus confirmare ſe dubia, patere clauſa, lucere tenebroſa; facultatem dare quod priùs difficile videbatur; geri poſſe quod impoſſibile putabatur; ut eſſet agnoſcere terrenum fuiſſe quod priùs carnaliter natum delictis obnoxium viveret; Dei eſſe cœpiſſe, quod Spiritus ſanctus animaret. Scis ipſe profectò & mecum pariter recognoſcis, quid detraxerit nobis, quid-ve contulerit mors iſta criminum, vita virtutum. Hæc Cyprianus, lib. 2. epiſt. 2. ad Donatum. quæ in Pameliana editione eſt epiſt. 2.

41. *Baſilius* Cæſarienſis, in Exhortatione ad baptiſmum, ſacramenti hujus præſtantiam his prædicat elogiis; [illegible] Baptiſmus eſt captivis liberatio, debitorum remiſſio, mors peccati, regeneratio animæ, indumentum lucidum, ſigillum inviolabile, vehiculum ad cœlum, regni conciliatio, adoptionis gratia. His enumeratis baptiſmi elogiis, ſubjungit reprehenſionem eorum qui voluptatibus ſuis addicti differebant ſuſceptionem baptiſmi: [illegible] *Tantis ac talibus bonis, miſer, potiorem ducis voluptatem?* Eadem baptiſmi encomia, eiſdem ferè verbis, leguntur in *Cyrilli Hieroſolymitani* prologo in ſuas Catecheſes.

42. Multa etiam magnifica accumulat baptiſmi elogia *Gregorius Nazianzenus*, & varias ejus appellationes commemorat, Oratione 40. quæ eſt, in ſanctum baptiſma. ubi ait; [illegible] Baptiſmus ſplendor eſt animarum, vitæ mutatio, conſcientiæ ad Deum interrogatio. [illegible] Baptiſmus, adminiculum noſtræ infirmitatis. [illegible] Baptiſmus, abjectio carnis, aſſectatio Spiritûs, Verbi communicatio, figmenti correctio, diluvium peccati, lucis participatio, tenebrarum diſpulſio. Τὸ φώτισμα ὄχημα πρὸς Θεὸν, [illegible] Baptiſmus vehiculum ad Deum, peregrinatio cum Chriſto, fulcrum fidei, mentis perfectio, clavis regni cœlorum, vitæ commutatio, ſervitutis depulſio, vinculorum ſolutio, compoſitionis in meliorem ſtatum converſio.

(Margin: *Baſilius.* — *Cyrillus Hieroſolymitanus.* — *Gregorius Nazianzenus.*)

43. Deinde, ibidem, nempe orat. 40. ſubjicit *Nazianzenus* ejuſdem ſacramenti [illegible], multa ac diverſa nomina: [illegible] Vocamus *donum*, *gratiam*, *baptiſmum*, *unctionem*, *illuminationem*, *incorruptionis indumentum*, *lavacrum regenerationis*, *ſigillum*, *ac denique excellentiſſimo quovis nomine appellamus*. Adjicit etiam horum nominum exegeſin: [illegible] *Donum* quidem, quia eis qui nihil priùs contulerunt datur: *Gratiam* autem, quia etiam debentibus: *Baptiſmum*, quia peccatum in aqua ſepelitur: *Unctionem*, quia ſacrum quid & regale; hujuſmodi enim ea erant quæ ungebantur: *Illuminationem* autem, quia ſplendor & claritas eſt: *Indumentum*, quia ignominiæ noſtræ velamen eſt: *Lavacrum*, quia ablutio eſt: *Sigillum* quia conſervatio eſt, & dominationis ſignificatio.

(Margin: *Baptiſmi diverſa nomina.* — *Eorundem nominum exegeſis.*)

44. Interea, eadem oratione quadrageſimâ, (num. 8. edit. Pariſ. ann. Dom. 1630.) monet *Nazianzenus* prudenter diſtinguendum eſſe inter baptiſmum corporalem & ſpiritualem: viſibilem, & inviſibilem: typicum, & verum. Ejus verba ſunt, [illegible] Quandoquidem autem duabus partibus, animâ & corpore, conſtamus, quarum altera in aſpectum cadit, altera naturæ eſt inaſpectabilis; duplex quoque eſt purgatio, [*ſeu baptiſmus*,] per aquam, videlicet, & Spiritum: illa viſibiliter & corporaliter acceptâ, hoc autem incorporaliter atque inviſibiliter concurrente: Et illo quidem typico, hoc autem vero & profunda purgante.

(Margin: *Ut baptiſmus viſibilis, qui fit per aquam, profit ad ſalutem, concurrit baptiſmus inviſibilis qui fit per Spiritum.*)

45. *Ambroſius*, in euang. Luc. cap. 3. verſ. 16. in illa Joannis Baptiſtæ verba, *Ego quidem vos aquâ baptiſo*, &c. Citò (inquit) probavit, non eſſe ſe Chriſtum, qui viſibili operetur officio. Nam cum ex duabus naturis homo, id eſt, ex anima ſubſiſtat & corpore; viſibile per viſibile, inviſibile per inviſibile myſterium conſecratur. Aqua enim corpus abluitur, Spiritu animæ delicta mundantur. Aliud agimus, aliud invocamus: licet etiam in ipſo fonte ſanctificatio Divinitatis adſpiret. Et lib. de initiandis, cap. 3. Aqua eſt, qua caro mergitur, ut omne abluatur peccatum. Sepelitur illic omne vitium. —— Marath fons amariſſimus erat: miſit in eum Moyſes lignum, & dulcis eſt factus. Aqua enim ſine prædicatione Dominicæ crucis ad nullos uſus futuræ ſalutis eſt. —— *Naaman* Syro mandavit *Eliſæus*, ut ſepties mergeret in Jordane.

(Margin: *Ambroſ.* — *Exod. 15. 23. 25.* — *2. Reg. 5. 10, 11, 12, 13, 14.*)

dane. Tunc ille ſecum tractare cœpit, quod meliores aquas haberet patria ſua, in quibus ſæpe merſiſſet, & nunquam à lepra eſſet mundatus: eóque revocatus non obediebat mandatis prophetæ. ſed admonitu & perſuaſionibus ſervulorum acquievit, ac merſit: mundatúſque illico intellexit, *non aquarum eſſe quod unuſquiſque mundatur, ſed gratia*. Et ejuſdem libri cap. 4. Tibi ante prædictum eſt, ut non hoc ſolum crederes quod videbas, ne forte & tu diceres; Hoc eſt illud magnum myſterium, quod *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit?* Aquas video, quas videbam quotidie: iſtæ me habent mundare, in quas ſæpe deſcendi, & nunquam mundatus ſum? Hinc cognoſce quod aqua non mundat ſine Spiritu. Ideóque legiſti quod tres teſtes in baptiſmate unum ſint, *aqua, ſanguis, & Spiritus*: quia ſi unum horum detrahas, non ſtat baptiſmatis ſacramentum. Quid enim eſt aqua ſine cruce Chriſti? Elementum commune, ſine ullo ſacramenti effectu. Nec iterum ſine aqua regenerationis myſterium eſt. Hæc *Ambroſius*.

*Non aquarum, ſed gratia.*

*1. Cor. 2. 9.*

*Non mundat aqua ſine Spiritu, nec ſine ſanguine Chriſti.*

*1. Ioan. 5. 8.*

*Conſideratio analogica congruentiæ aquæ in Baptiſmo.*

46. Auctor commentarii in Epiſtolam ad Romanos, qui ſub Ambroſii nomine circumfertur, explicans analogicam congruentiam aquæ, Ideo (inquit) per aquam celebratur, ut, ſicut aqua ſordes corporis abluit, & nos per baptiſmum ab omni peccato ſpiritualiter purgatos & innovatos credamus, ut quod incorporale eſt, inviſibiliter abluatur. Hæc ille, Comm. in epiſt. ad Rom. cap. 6. verſ. 4. Ad ſimplicem actum (ait *Tertullianus*) competit ſimilitudo, ut, quoniam vice ſordium delictis inquinamur, aquis abluamur. Hæc ille, lib. de baptiſmo cap. 4. Et *P. Lombardus* ait; Celebratur hoc ſacramentum tantum in aqua, non in alio liquore, ut ait Chriſtus, *Niſi quis renatus*, &c. Ideóque uniformiter id fieri in aqua præcipitur, ut intelligatur, quod ſicut aqua ſordes corporis ac veſtis abluit; ita baptiſmus maculas animæ ſordéſque vitiorum emundando abſtergit. Vel ideo, ut nullum inopia excuſaret; quod poſſet fieri, ſi in vino vel oleo fieret: & ut communis materia baptizandi inveniretur apud omnes. Quod aqua ſignificavit, quæ de latere Chriſti manavit: ſicut ſanguis alterius ſacramenti ſignum fuit. Non ergo in alio liquore poteſt conſecrari baptiſmus niſi in aqua. Hæc *P. Lombardus*, 4. Sent. Diſt. 3. Cur autem in aqua, probatio non eſt alia (inquit *Scotus*, ibidem, qu. 1. num. 2.) niſi quia ſic inſtitutum eſt, ut patet Joan. 3. & Math. 3. Quare autem ſit ſic inſtitutum, ſunt apertæ congruentiæ, &c.

*Ioan. 3. 5.*

*Ioan. 19. 34.*

*Idonea eſt qualibet naturalis aqua.*

47. Nulla diſtinctio eſt, (inquit *Tertullianus*,) mari quis, an ſtagno; flumine, an fonte; lacu, an alveo diluatur: nec quicquam refert inter eos quos Joannes in Jordane, & quos Petrus in Tiberi tinxit. Niſi & ille ſpado, quem Philippus inter vias fortuita aqua tinxit, plus ſalutis aut minus retulit. Hæc *Tertullianus*, lib. de baptiſmo, cap. 4. Vide Scotum in 4. Sent. Diſt. 3. quæſt. 3. Ubi docet, materiam baptiſmi eſſe aquam naturalem, non artificialem; puram aquam, non humorem aliquem mixtum per mixtionem alterantem à ſpecie. Et quæſtionem claudit his verbis; Certum eſt, quod baptiſmus non poteſt fieri niſi in aqua uſuali, quia Chriſtus hoc inſtituit. Hæc ibi Scotus.

*Act. 8. 36, 38.*

48. Sive autem in aqua merſio fiat trina ſive ſimpla, cum debita invocatione Trinitatis, verum eſt & integrum ſacramentum baptiſmi. Trinæ merſionis meminit *Tertullianus*, lib. de corona militis, cap. 3. *Dehinc ter mergitamur.* Et lib. adverſus Praxeam, cap. 26. *Nam nec ſemel, ſed ter, ad ſingula nomina in perſonas ſingulas tinguimur.* Hæ tres merſiones in canonibus, qui Apoſtolorum nuncupantur, can. 49. (ſeu, juxta aliam editionem, 50.) dicuntur [illegible], tria baptiſmata unius myſterii, ſeu initiationis. Quam locutionem *Ioannes Zonaras*, in ſuo commentario in eundem canonem, interpretatur, [illegible] tres immerſiones in uno baptiſmate, ita ut ad unamquamque immerſionem baptizans enunciet unum Sanctæ Trinitatis nomen. [illegible] (verba ſunt *Baſilii*,) [illegible] Tribus igitur demerſionibus, ac totidem invocationibus, magnum baptiſmatis myſterium peragitur. Ut & mortis figura exprimatur, & per traditionem cognitionis Dei illuminentur animæ eorum qui baptizantur. Hæc *Baſilius* Cæſarienſis, lib. de Spiritu Sancto, cap. 15. *Dionyſius* etiam, qui Areopagita dicitur, ſcribens de Myſterio baptiſmi, trinam commemorat merſionem; [illegible] id eſt, Ter quidem illum Hierarcha demergit, in tribus illius, qui initiatur, demerſionibus emerſionibuſque, altâ voce enuncians tres Divinæ beatitudinis Hypoſtaſes. Hæc *Dionyſius Areopagita*, lib. de Eccleſiaſtica Hierarchia, cap. 2. part. 2.

*De Trina vel ſimpla merſione in baptiſmo. Tertullian.*

*Can. Apoſt.*

*Zonar.*

*Dionyſ. Areop.*

49. *Cyrillus* Hieroſolymitanus triduanam ait ſignificari ſepulturam: [illegible] Poſt hæc deducebamini ad ſanctum divini baptiſmatis lavacrum, quemadmodum Chriſtus à cruce ad deſtinatum ſepulchrum: atque unuſquiſque interrogabatur, an crederet in nomen Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: & confeſſi eſtis ſalutarem confeſſionem, & demerſi ter in aqua, rurſus emerſiſtis; atque ita, per ſymbolum, ſignificaſtis triduanam Chriſti ſepulturam. Nam ut Salvator noſter tribus diebus & tribus noctibus fuit in ventre terræ: ſic & vos primâ emerſione primum Chriſti in terra imitabamini diem, & demerſione noctem. Sicut enim qui verſatur in nocte, non jam videt, ſed qui eſt in die, degit in lumine; ita in demerſione, veluti in nocte, nihil videbatis: at in emerſione rurſus tanquam



in die eratis. In eodem & mortui eſtis & geniti, & ſalutaris illa aqua vobis tum ſepulcrum, tum mater effecta eſt. Hæc *Cyrillus* Hieroſolymitanus, Catecheſi myſtagogica ſecundâ.

50. *Ambroſius*, ait: Interrogatus es, *Credis in Deum Patrem Omnipotentem?* Dixiſti, *credo*, & merſiſti, hoc eſt, ſepultus es. Iterum interrogatus es; *Credis in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & in crucem ejus?* Dixiſti, *credo*, & merſiſti: ideo & Chriſto es ſepultus. Qui enim Chriſto conſepelitur, cum Chriſto reſurgit. Tertiò interrogatus es; *Credis & in Spiritum Sanctum?* Dixiſti, *credo*, tertiò merſiſti, ut multiplicem lapſum ſuperioris ætatis abſolveret trina confeſſio. Hæc *Ambroſius*, lib. 2. de Sacramentis, cap. 7. ſeu ultimo.

51. *Auguſtinus*, apud *Gratianum*, De conſecratione, Diſt. 4. can. *Prima igitur*. In hoc (inquit) fonte antequam vos toto corpore tingeremus, interrogavimus; *Credis in Deum Patrem Omnipotentem?* Reſpondiſtis, *credo*. Rurſus interrogavimus; *Credis & in Ieſum Chriſtum Filium ejus, qui natus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine?* Reſpondiſtis ſinguli, *credo*. Item interrogavimus; *Credis & in Spiritum Sanctum?* Reſpondiſtis ſimiliter, *credo*, &c. Et canone, *Poſtquam vos*. eadem Diſtinctione. Poſtquam vos credere promiſiſtis, tertiò capita veſtra in ſacro fonte demerſimus. qui ordo baptiſmatis duplici myſterii ſignificatione celebratur. Rectè enim tertiò merſi eſtis, qui accepiſtis baptiſmum in nomine Sanctæ Trinitatis. Rectè tertiò merſi eſtis, qui accepiſtis baptiſmum in nomine Jeſu Chriſti, qui etiam die tertiâ reſurrexit à mortuis. Illa enim tertiò repetita demerſio typum Dominicæ exprimit ſepulturæ. Hæc *Auguſtinus*. Poſteriorem iſtam Auguſtini ſententiam, recitavit etiam *P. Lombardus* 4. Sent. Diſt. 3.

52. *Eunomianis* hæreticis crimini datum, quod baptizarent in unam demerſionem, [illegible]. Concil. 2. Oecumen. can. 7. ſeu ult. & Concil. Quiniſext. can. 95. quos etiam non baptizaſſe in nomen Patris & Filii & Spiritus Sancti, atque adeò non verum baptiſmum adminiſtraſſe, inde fit manifeſtum; quia in memoratis canonibus Concil. 2. Oecum. & Conc. Quiniſext. Eunomiani habentur pro non baptizatis, & qui ex eis ad Catholicam Eccleſiam ſe conferunt, jubentur baptizari. [illegible], non enim baptizati ſunt, qui in ea quæ nobis tradita non ſunt, baptizati ſunt: inquit *Baſilius*, in prima ſua epiſtola canonicâ, ad Amphilochium Iconii Epiſcopum, can. 1. loquens de hæreticis Pepuzenis, ſeu Montaniſtis, qui baptizabant in Patrem & Filium & Montanum vel Priſcillam. Neque illi baptizati ſunt, qui in ea quæ nobis tradita ſunt, non ſunt baptizati: cujuſmodi erant Paulianiſtæ ſeu Samoſateniani hæretici, ut ſupra oſtenſum cap. 2. hujus libri, § 11. cujuſmodi etiam fuiſſe Eunomianos illos, facilè colligimus ex decretis illis Synodicis de eis baptizandis: non enim propter ſimplam merſionem, irritum habuiſſent baptiſmum adminiſtratum in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.

53. Poſtea, in Hiſpania, Arianis merſiones numerantibus, ut Divinitatem dividerent, *Leander* Epiſcopus Hiſpalenſis de quæſtione trinæ vel ſimplæ merſionis conſuluit *Gregorium*, hujus nominis primum, Epiſcopum Romanum, cujus ad *Leandrum* reſponſio extat in epiſtolis Gregorii, lib. 1. epiſt. 41. Ex qua poſtea in Concilio Toletano quarto, can. 6. (vel in alia editione, can. 5.) hæc recitata ſunt *Gregorii* verba; *De trina verò merſione baptiſmatis, nihil reſponderi verius poteſt, quàm ipſi ſenſiſtis; quia in una fide nihil officit ſanctæ Eccleſiæ conſuetudo diverſa. Nos autem quod tertiò mergimus, triduanæ ſepulturæ ſacramenta ſignamus, ut, dum tertiò infans ab aquis educitur, reſurrectio triduani temporis exprimatur. Quod ſi quis forte, etiam pro ſumma Trinitatis veneratione, exiſtimet fieri, neque ad hoc aliquid obſiſtit, baptizandum ſemel in aquis mergere: quia dum in tribus ſubſiſtentiis una ſubſtantia eſt, reprehenſibile eſſe nullatenus poteſt, infantem in baptiſmate vel ter vel ſemel mergere, quando & in tribus merſionibus Perſonarum Trinitas, & in una poteſt Divinitatis ſingularitas deſignari. Sed ſi nunc uſque ab hæreticis tertiò mergebatur, faciendum apud vos eſſe non cenſeo; ne, dum merſiones numerant, Divinitatem dividant: dumque quod faciebant, faciant, morem veſtrum ſe viciſſe glorientur.* Conſiderato hoc Gregorii judicio, patres Toletani ibidem pronunciant, utrumque rectum eſſe & irreprehenſibile: attamen, pro tollendo ſchiſmate, quod inter catholicos in Hiſpania conſpiciebatur, quibuſdam ſacerdotibus trinam, quibuſdam autem ſimplam merſionem facientibus, & aliis alios non baptizatos eſſe contendentibus; & ut Ariani dogmatis uſum vitarent, decernunt tenendam apud ipſos eſſe ſimplam merſionem. *Quapropter* (inquiunt) *quia de utroque ſacramento, quod fit in ſancto Baptiſmo, à tanto viro reddita eſt ratio, quod utrumque rectum, utrumque irreprehenſibile in ſancta Dei Eccleſia habeatur: propter vitandum autem ſchiſmatis ſcandalum, vel hæretici dogmatis uſum, ſimplam teneamus baptiſmi merſionem: ne videantur apud nos, qui tertiò mergunt, hæreticorum probare aſſertionem, dum ſequuntur & morem. Et ne forte cuiquam ſit dubium hujus ſimpli myſterium Sacramenti, videat in eo mortem, & reſurrectionem Chriſti ſignificari: nam in aquis merſio, quaſi in infernum deſcenſio eſt: & rurſus ab aquis emerſio, reſurrectio eſt. Item videat in eo unitatem Divinitatis, & Trinitatem Perſonarum oſtendi: unitatem, dum ſemel immergimus: Trinitatem, dum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Baptizamus.* Hæc Patres Toletani, in Concilio Tolet. 4. can. 6 [vel 5.] Celebratum eſt hoc Concilium Tolet. 4. Æra 671. id eſt, anno Chriſti 633. præſidente *Iſidoro* Hiſpalenſi Epiſcopo, *Leandri* ſucceſſore.

*Gregorii I. Papæ Rom. judicium de trina vel ſimpla merſione in baptiſmo.*

*Decernunt Catholici in Hiſpania tenendam eſſe ſimplam merſionem.*

54. *Petrus Lombardus* & doctores ſcholaſtici, ad quæſtionem de immerſione in baptiſmo, quoties fieri debeat, reſpondent; *vel ſemel, vel ter*; pro vario more Eccleſiæ: & utrobique verum & integrum baptiſma accipi: unitatem enim vel multitudinem immerſionum non eſſe de ſubſtantia baptiſmi. 4. Sent. Diſt. 3. Ubi etiam monet *Bonaventura*, ſi in una merſione facta ſit invocatio Trinitatis, non eſſe amplius mergendum: conſummatum enim eſſe baptiſma: quando autem fit trina merſio, in prima nominandum eſſe Patrem, in ſecunda Filium, in tertia Spiritum Sanctum: ita ut immerſio cum verbo incipiat, & cum verbo deſinat. *Bonaventura*, in 4. Sent. diſt. 3. part. 2. articul. 2. quæſt. 1.

*Scholaſticorum doctrina de trina vel ſimpla merſione in baptiſmo.*

55. Cy-

*De aſperſione in baptiſmo.*

55. *Cypriani* tempore mota eſt quæſtio de baptiſmo per aſperſionem, ſeu perfuſionem, quomodo baptizabantur ii qui propter infirmitatem aut languorem immergi non poterant, an habendus eſſet pro vero baptiſmo. Reſpondet *Cyprianus*, epiſt. 76. (ſeu l. 1. epiſt. 6.) ad *Magnum*. Quæſiſti etiam, (inquit,) fili chariſſime, quid mihi de illis videatur, qui in infirmitate & languore gratiam Dei conſequuntur, an habendi ſint legitimi Chriſtiani, eo quod aquâ ſalutari non loti ſint, ſed perfuſi. Quâ in parte nemini verecundia & modeſtia noſtra præjudicat, quo minus unuſquiſque quod putat, ſentiat; & quod ſenſerit, faciat. Nos, quantum concipit mediocritas noſtra, exiſtimamus in nullo mutilari & debilitari poſſe beneficia divina, nec minus aliquid illic poſſe contingere, ubi plenâ & totâ fide & dantis & ſumentis accipitur, quod de divinis muneribus hauritur. Neque enim ſic in ſacramento ſalutari delictorum contagia, ut in lavacro carnali & ſeculari ſordes cutis & corporis abluuntur, ut aphronitris, & cæteris quoque adjumentis, & ſolio & piſcinâ opus ſit, quibus ablui & mundari corpuſculum poſſit. Aliter pectus credentis abluitur, aliter mens hominis per fidei merita mundatur. In ſacramentis ſalutaribus, neceſſitate cogente, & Deo indulgentiam ſuam largiente, totum credentibus conferunt divina compendia. Nec quenquam movere debet, quod aſpergi vel perfundi videntur ægri, cum gratiam Dominicam conſequuntur; quando Scriptura S. per *Ezechielem* prophetam loquatur & dicat; *Et aſpergam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus immunditiis veſtris, & ab omnibus ſimulacris veſtris emundabo vos: & dabo vobis cor novum, & ſpiritum novum dabo in vobis.* Item in Numeris; *Et homo qui fuerit immundus uſque ad veſperam, hic purificabitur die tertio, & die ſeptimo: & mundus erit. Si autem non fuerit purificatus die tertio, & die ſeptimo, non erit mundus; & exterminabitur anima illa de Iſraël; quoniam aqua aſperſionis non eſt ſuper eum ſparſa.* Et iterum; *Et loquutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens; Accipe Levitas de medio filiorum Iſraël, & purificabis eos. Et ita facies eis purificationem: circumſparges eos aquâ purificationis.* Et iterum; *Aqua aſperſionis purificatio eſt.* Unde apparet, aſperſionem quoque aquæ inſtar ſalutaris lavacri obtinere; & quando hæc in Eccleſia fiunt, ubi ſit & dantis & accipientis fides integra, ſtare omnia & conſummari ac perfici poſſe majeſtate Domini, & fidei veritate. Porrò autem quod quidam eos ſalutari aquâ & fide legitimâ Chriſti gratiam conſecutos, non Chriſtianos ſed *Clinicos* vocant, non invenio unde hoc nomen aſſumant; niſi forte qui plura & ſecretiora legerunt apud Hippocratem vel Soranum, κλινικοὺς iſtos deprehenderunt. Ego enim qui *Clinicum* de Euangelio novi, ſcio paralytico illi & debili per longa ætatis curricula in lecto jacenti nihil infirmitatem ſuam obfuiſſe, quo minus ad firmitatem cœleſtem pleniſſimè perveniret: nec tantum indulgentiâ Dominica excitatum de grabato eſſe, ſed ipſum grabatum ſuum, reparatis & vegetatis viribus, ſuſtuliſſe. Hæc *Cyprianus*, in illa jam memorata epiſtola, ubi etiam plura adjicit in eandem ſententiam. quibus adde quæ in novo Teſtamento ſcripta ſunt de *ſanguine aſperſionis*, Hebr. 12. 24. & *aſperſione ſanguinis Ieſu Chriſti*. 1. Pet. 1. 2. Vide etiam Hebr. 9. 13, 14. & c. 10. v. 22. 23.

*Ezech. 36. 25, 26.*
*Num. 19. 19, 20.*
*Num. 8. 5, 6, 7.*
*Num. 19. 9. LXX. ὕδωρ ῥαντισμοῦ ἁγνισμά ἐστι.*
*Joan. 5. 5, 6, 7, 8, 9. Matth. 9. 2, 6, 7. Luc. 5. 18, &c.*

56. *Bonaventura*, in 4. Sent. diſt. 3. part. 2. art. 2. quæſt. 2. *Præſumitur*, (inquit) *quod Apoſtoli baptizaverunt aſpergendo. Et mos ille ſervatur adhuc in pluribus Eccleſiis, & maximè in Eccleſia Gallicana. Servari autem poteſt propter hoc, quod eſt ibi integra ratio ſacramenti: & ſervari debet, cum neceſſitas imminet.* Quamvis ibidem *Bonaventura* magis commendet immerſionem, vel totius corporis, ſi ſit ſatis aquæ, vel, quando aquæ parum eſt, capitis & pectoris, vel capitis tantùm, vel faciei tantum: quia ibi ſunt omnes ſenſus, & ibi maximè viget operatio animæ, & ſecundùm faciem maximè attenditur ratio imaginis ſecundùm corpus; & quia ratione totalitatis ſenſuum, ſignat totalitatem mortis, & curationis. Rationem autem præſumtionis, quod Apoſtoli baptizaverint aſpergendo, hanc adfert; *Apoſtoli*, (inquit,) *baptizaverunt tria millia hominum unâ die: & conſtat, quod non mergendo, quia non haberent aquam: ergo aſpergendo: ſed aſpergi non poteſt totus homo: ergo, &c.* Hæc *Bonaventura*.

*De lotione baptiſmali.*

57. Ad ſacramentum baptiſmi, quocunque modo adminiſtretur, conſentiunt tum veteres, tum qui ſequuti ſunt, non eſſe neceſſarium, ut fiat realis ablutio ſordium carnis, ſed ut fiat quædam communiter dicta lotio, per contactum ſeu applicationem aquæ ad corpus, per alium qui ſit miniſter idoneus; & eâ applicatione legitimè factâ repræſentari ſpiritualem contactum, ſeu applicationem, ſanguinis Chriſti ad eum qui baptizatur, quo ſpirituali contactu, ſeu applicatione, homo verè abluitur & mundatur à ſuis peccatis. Hinc illud Auguſtini; Tract. 80. in Euangelium Johannis; *Unde iſta tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat?* Vide ſuprà, §. 39. Nec oportet, (inquit Scotus) quod ſit ibi ablutio, prout diſtinguitur contra lotionem, & includit amotionem ſordium à corpore per contactum aquæ: ſed ſufficit lotio in communi dicta, corporis ab aqua, alio hoc agente; quod nihil aliud eſt, niſi quòd oportet illum contactum corporis ab aqua fieri, ab alio cauſante contactum iſtum. Scot. in 4. Sent. diſt. 3. qu. 3. Contactum autem iſtum faciendum eſſe cenſuit catholica antiquitas per immerſionem, vel per adſperſionem. Sed uſitatior merſio, etiam infantium, adhuc temporibus Gregorii, & Iſidori; ut patet ex §. 53. Poſtea apud Occidentales adſperſio pro immerſione, in conſuetudinem recepta eſt. Id qua ratione cœpiſſe exiſtimet, indicat Pamelius, inquiens; Quum propter ægritudinem immergi, ſive intingi, (quod propriè baptizari eſt) ægri non poſſent, aquâ ſalutari perfundebantur, ſive aſpergebantur. Eâdem ratione ab Eccleſia Occidentali primùm obſervari cœpiſſe conſuetudinem adſperſionis, quâ nunc utimur, exiſtimo; ob teneritudinem nempe infantium, quum jam rariſſimus eſſet adultorum baptiſmus. Hæc *Iacobus Pamelius*, in ſuis annotationibus, in Cypriani epiſtolam ſeptuageſimam ſextam, numerô quadrageſimo quarto.

*De neceſſitate baptiſmi.*

58. Sive autem per immerſionem, ſive per aſperſionem, celebretur baptiſmus, fatendum eſt, magnam eſſe divini hujus ſacramenti neceſſitatem, ad conſequendum ſalutem vitamque æternam: quam conſequi nemo poteſt extra regnum cœlorum. Eſt medium ſalutis, & organum gratiæ, à Chriſto inſtitutum, & præceptum. Et cum Auguſtino dicimus, ſacramentum



mentum hoc eſſe ſanctum, neque ullo modo prætermittendum, quoniam ſacratiſſimâ ſignificatione præpollet. Sic ille lib. 1. contra Creſconium, capite ultimo. Vide multiplicem ejus neceſſitatem, ſuperiùs §. 24. Eſt medium, & eſt neceſſarium; tametſi peremtoriâ neceſſitate medii non ſit neceſſarium. Non eſt in eis mediis, quæ non niſi ſalubriter habentur, quale medium eſt *Charitas ex corde puro, & conſcientia bona, & fide non fictâ.* Nec eſt ex eorum mediorum genere, ſine quibus abſolutè impoſſibile eſt placere Deo, aut videre Deum; qualia media ſunt *fides & ſanctimonia.* Sed eſt ejuſmodi medium, quod indignè, atque adeò ad perniciem indignè accipientis, accipi poteſt: & cujus contemtus eſt exitialis, propter divinam inſtitutionem & præceptionem; non item defectus, ſeu mera carentia, ſi abſit à carente contemtus vel neglectus; & in hoc caſu ſufficit lotio ſpiritualis, neque ſacramenti beneficio privatur, qui habet hoc quod ſacramentum ſignat: ut loquitur *Auguſtinus*, apud *Lombardum*, 4. Sent. diſt. 9. & apud *Gratianum*, De Conſecr. diſt. 2. can. *Quia paſſus eſt.*

*1. Tim. 1. 5.*
*Hebr. 11. 6. & 12. 14.*

59. Ii, quorum de infantibus doctrina aſperior eſt, hoc ſacramenti beneficium concedunt multis adultis; ſed omnes inde excludunt infantes, ex lege communi, id eſt, niſi de aliquo infante per revelationem divinam extraordinariam pateſiat, indultum ei eſſe privilegium ſpeciale: talibus ſolis exceptis, reliquos omnes etiam fidelium infantes (non martyres) ſive in utero, ſive extra uterum maternum, ſine viſibili ſacramento baptiſmi, morientes, patriâ cœleſti extorres pronunciant. Contra cujus ſententiæ inclementiam ſex proximè ſequentia capita rationes totidem exhibebunt.

*Opinio illorum, qui infantes ſine baptiſmi ſacramento defunctos cœlo excludunt.*

## CAPUT SEXTUM.

### *Contra opinionem eorum qui omnes infantes, non martyres, & ſine baptiſmi ſacramento defunctos, cœlo excludunt, prima noſtra ratio, ſumta ab analogia Circumciſionis & Baptiſmi.*

PRima noſtra ratio eſt; Olim in familia Abrahami & in populo Iſraëlitico ſacramentum circumciſionis idem conferebat remedium contra peccatum, quod nunc baptiſmus: ſicut patet ex epiſtol. ad Rom. capite quarto, & ad Coloſſ. 2. Idipſum docent, & Patrum teſtimoniis confirmant ſcholaſtici doctores, 4. Sentent. diſt. 1. Idem docet *Innocentius* tertius, Papa Rom. Extra, de baptiſmo & ejus effectu. capite tertio. Atqui Iſraëlitarum infantes ante octavum diem ſine circumciſione morientes, non ideò damnabantur quod hoc ſacramento carerent, ſed fide parentum ſalvabantur: ut docent, in quartum ſententiarum diſtinctione primâ, Bonaventura & Thomas, & alij Sententiarii, magiſtrum Lombardum, aliter ſentientem, hic meritò deſerentes.

*Rom. 4. 11. Coloſſ. 2. 11, 12, 13.*

2. Idipſum manifeſtum eſt ex ſacris literis, in hiſtoria pueri, qui *Davidi ex Bethſabe* natus obiit die ſeptimo: unde ſumſit argumentum *Ambroſius*, pro aſſerenda ſalute *Valentiniani* junioris, qui ſine baptiſmo deceſſit: de quo ait; Dolendum eſt, quòd nobis citò raptus ſit: conſolandum, quòd ad meliora tranſierit. Denique *David* moriturum filium flebat, mortuum non dolebat. Flebat, ne ſibi eriperetur: ſed flere deſivit ereptum: quem ſciebat eſſe cum Chriſto. Et ut ſcias, verum eſſe quod aſſero, inceſtum Amnon filium flevit occiſum, parricidam Abeſſalon doluit interemtum: innocentem filium non putavit eſſe lugendum, quia illos ſibi periſſe ſciebat pro ſcelere, hunc pro innocentia credidit eſſe victurum. Hæc *Ambroſius*, concione in obitu Valentiniani. Probatio Ambroſiana oſtendit, non fuiſſe illud ſpeciale privilegium, de illo puero, præ aliis fidelium pueris, Davidi revelatum; ſed à communi lege, quæ omnes credentium infantes in infantia morientes complectebatur, argumentum conſolationis accepiſſe Davidem.

*2. Sam. 12. 15.*
*Vide infrà, c. 10. §. 20.*

3. Innocentes dicuntur hinc exire; quia remiſſum eſt eis peccatum originale, neque ullius facta eſt acceſſio culpæ propriæ: nec ſolum remiſſionem acceperunt peccatorum, ſed etiam ſanctificati ſunt per Spiritum Sanctum; nam *ſine ſanctificatione nemo videbit Deum.* Hebr. 12. 14. Acceperunt etiam eam fidem quæ infanti neceſſaria eſt, ut placeat Deo.

*Innocentes.*
*Hebr. 12. 14.*

4. Abſurdum autem eſt dicere, aut ſentire, cœlum jam clauſum eſſe infantibus Chriſtianorum, quod patuit infantibus veterum Iſraëlitarum. & inſuperabili neceſſitate pereundi conſtringi multa millia infantium per legem novi Teſtamenti, qui, ſi naſcerentur in veteri illo populo ſub lege veteris Teſtamenti, ſalvarentur; Quamvis par utrorumque ſit culpa, par innocentia.

## CAPUT SEPTIMUM.

### *Contra eandem opinionem, ſecunda noſtra ratio, ſumta à virtute fidei.*

SEcunda noſtra ratio eſt; Gregorius primus Papa Romanus, ait; Quod verò apud nos valet aqua baptiſmatis, hoc egit apud veteres vel pro parvulis ſola fides, vel pro majoribus virtus ſacrificii, vel pro his qui ex Abrahæ ſtirpe prodierant, myſterium Circumciſionis. Hæc Gregorius libro quarto, capite ſecundo, expoſitionis moralis in Job, in illa verba Job, *Nunc enim dormiens ſilerem, & ſomno meo requieſcerem.* Quem ſequutus Bernardus, epiſtolâ ſeptuageſima

*Gregor. Sola fides. Job 3. 13.*
*Bernard.*



ſeptimâ,

ſeptimâ. At verò (inquit) quis neſciat, & alia præter baptiſmum contra originale peccatum remedia antiquis non defuiſſe temporibus? Abrahæ quidem, & ſemini ejus, circumciſionis ſacramentum in hoc ipſum divinitus traditum eſt. In nationibus vero, quotquot inventi fideles ſunt, adultos quidem fide & ſacrificiis credimus expiatos; parvulis autem etiam ſolam profuiſſe, imò & ſuffeciſſe parentum fidem. Hæc Bernardus, epiſt. 77. quam ſcripſit ad magiſtrum Hugonem de Sancto Victore. Idem docet magiſter Lombardus, eandemque doctrinam ad feminas porrigens, quæ fuerunt ante & poſt inſtitutam circumciſionem, ait, illos qui de Abraham prodierunt, per circumciſionem fuiſſe juſtificatos; mulieres verò per fidem & operationem bonam, vel ſuam, ſi adultæ erant, vel parentum, ſi parvulæ: Eos verò, qui fuerunt ante circumciſionem, parvulos in fide parentum; parentes verò per virtutem ſacrificiorum, ſcilicet quam intelligebant ſpiritualiter in illis ſacramentis, juſtificatos. 4. ſentent. diſtinctione primâ. Et ante Lombardum Hugo de S. Victore etiam adultorum juſtificationem & ſalutem ſoli fidei tribuit; cujus auctoritatem ſequens Bonaventura ſic argumentatur: Hugo de S. Victore dicit, quòd tempore legis naturæ non fuerunt aliqua ſacramenta in præcepto; ergo ſine omnibus poterat homo ſalvari. ſed nullus poterat ſalvari ſine remiſſione originalis: ergo remiſſio originalis poterat fieri ſine aliquo ſacramento exteriori, in ſola fide. Hæc Bonaventura, qui in eadem ſe profitetur eſſe ſententiâ, ideóque & aliud ejuſdem Hugonis dictum laudat; quòd illa ſacramenta primi temporis magis ad devotionem propoſita fuerunt, quàm ad obtinendam ſalutem. Bonaventura, in 4. ſentent. diſtinctione primâ, parte ſecundâ, articulo ſecundo, quæſtione ſecundâ: & idipſum de ſacrificiis tempore legis naturæ repetit, quæſtione tertiâ, ejuſdem articuli.

*Sola parentum fides.* — *P. Lomb.* — *Hugo lib. 1. par. 11. cap. 5. Bonavent.* — *Sola fide.* — *Hugo lib. 1. par. 11. per totum.*

2. Imò eo uſque progreditur Bonaventura, in aſſerenda ſalute infantium ſub lege naturæ defunctorum, ut ſuffeciſſe illis ad ſalutem dicat fidem parentum etiam informem, ſeu fidei profeſſionem; etiamſi non fieret in charitate. eodem articulo, quæſtione primâ. Idem docent Thomas, in 4. ſentent. diſtinctione primâ, quæſtione ſextâ, & Richardus de mediâ villa, in 4. ſentent. diſtinctione primâ, articulo quinto, quæſtione ſecundâ. Parentis autem nomine Thomas, loco citato, & Bonaventura, articulo citato, quæſtione ſecundâ, & Richardus, citato articulo, quæſtione primâ, intelligi poſſe ajunt quemlibet, qui eam pueri alicujus curam gerebat, ut fidei ſuæ externam profeſſionem ad puerum illum referret. Et Richardus ait, quòd ſufficiebat interior motus fidei, per intentionem directus ad ſalutem parvuli, ſine aliquo exteriori ſigno. Richardus citato articulo, quæſtione tertiâ. Fateor equidem, omnes hos, quorum jam teſtimonia ſecundæ noſtræ rationi adhibuimus, aliter ſentire de neceſſitate baptiſmi; ſed contra aſperitatem hujus ſententiæ ex conceſſis legitimè argumentabimur.

*Sufficit parentum profeſſio fidei. Vide §. 9. & §. 11.*

3. Fides Chriſtianorum ſub Evangelio æquè eſt ad omnia bona ſpiritualia & beatificantia utilis & efficax, ac fuit olim fides veterum tempore legis naturæ, & gentilium fidelium tempore circumciſionis, & ipſorum Iſraelitarum tempore circumciſionis. Regeneratio autem & ſalus parvulorum eſt bonum ſpirituale & beatificans: Hinc exiſtit ſyllogiſmus: Ad quæcunque bona ſpiritualia & beatificantia utilis & efficax fuit fides veterum tempore legis naturæ, & gentilium tempore circumciſionis, & ipſorum Iſraelitarum tempore circumciſionis; ad eadem bona utilis & efficax eſt fides Chriſtianorum, tempore Evangelii: at veterum tempore legis naturæ, & gentilium fidelium tempore circumciſionis, utilis & efficax fuit fides ad regenerationem & ſalutem parvulorum morientium abſque ſacramento: & Iſraelitarum fides fuit efficax ad regenerationem & ſalutem parvularum, ſine ſacramento; nam puellæ non circumcidebantur: Ergo etiam Chriſtianorum fides, tempore Evangelii, utilis & efficax eſt ad regenerationem & ſalutem parvulorum (quo vocabulo & puellas comprehendimus) ſine ſacramento morientium; fides, inquam, vel ipſorum Parentum, vel eorum qui puerorum curam gerunt, vel denique Eccleſiæ.

*Syllogiſmus.*

4. Minorem propoſitionem concedunt memorati doctores: major ſuâ luce clara eſt; & ſic probatur: Quæcunque factæ ſunt fidei veterum promiſſiones divinæ ſpiritualium ejuſmodi bonorum, ſeu ſalutis ac æternæ beatitudinis, promiſſiones, inquam, toti Eccleſiæ omnibuſque credentibus communes; eædem in ſua latiſſimâ amplitudine factæ ſunt fidei Chriſtianorum ſub Evangelio degentium; ut patet ex his & ſimilibus ſacræ Scripturæ teſtimoniis: Ideo ex fide, ut ſecundùm gratiam, ut firma ſit promiſſio omni ſemini, non ſolùm ei quod eſt ex lege, ſed & ei quod eſt ex fide Abrahami, qui eſt Pater omnium noſtrum. Romanos 4. 16. Et idem Apoſtolus Paulus, poſtquam 2. Corinthios 6. magnificas commemoraſſet promiſſiones olim factas, in quibus & hanc; *Et ero vobis in Patrem; & vos eritis mihi in filios & filias: dicit Dominus omnipotens*, verſiculo ultimo illius capitis, promiſſa ſubjungit in principio ſequentis capitis; *Has igitur habentes promiſſiones, chariſſimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritûs.* Et ſcribens ad Galatas, ait; *Ut ad Gentes benedictio illa Abrahami perveniret in Chriſto Jeſu, ut promiſſionem Spiritûs accipiamus per fidem.* Et in epiſtola ad Hebræos, adductâ nube fidelium veterum, tum ante tum etiam poſt legem per Moſem latam, concludit in fine capitis undecimi, *illos non accepiſſe promiſſionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non ſine nobis conſummarentur.* Et Apoſtolus Petrus. *Omnia* (inquit) *nobis divina potentia ejus donavit, quæ ad vitam & pietatem* [pertinent] *per agnitionem ejus qui vocavit nos per gloriam & virtutem. Per quæ maxima illa nobis ac pretioſa promiſſa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ.* Ex his & ſimilibus ſacræ Scripturæ teſtimoniis manifeſta eſt aſſertionis noſtræ veritas, quâ majorem ſyllogiſmi noſtri propoſitionem confirmamus. Ideo etiam hanc propoſitionem, tanquam inconcuſſum atque irrefragabile axioma, concedunt Bonaventura & Thomas, locis ſuperiùs citatis, paragrapho ſecundo, agnoſcentes fidem antiquis illis temporibus non fuiſſe majoris efficaciæ, quàm nunc eſt; nec fidem eſſe hoc tempore deterioratam.

*Minor propoſitio ſumitur [...] Major firmatur.* — *Rom. 4. 16.* — *2. Cor. 6. 18.* — *2. Cor. 7. 1.* — *Gal. 3. 14.* — *Hebr. 11. 39. 40.* — *2. Petr. 1. 3. 4.* — *Major [...]*



5. At vide, obſecro; non ad omnia valet fides nunc, ad quæ olim, ſecundùm eorum inclementem de infantibus opinionem: ergo fides nunc minoris eſt efficaciæ. Negant conſequentiam. Sed deſerendum erat potius antecedens, & concedendum ad eadem omnia ſpiritualia beatificantia nunc valere, id quod à nobis jam apertiſſimo Scripturarum conſenſu demonſtratum eſt. At quis color (inquies) in negatione tam evidentis conſequentiæ? Accipe; Non eſt inquiunt, deteriorata nunc fides, aut minoris efficaciæ, cum omnia ſacramenta ex fide efficaciam habeant; ſed eſt ei aliquid adjunctum, quod neceſſe eſt obſervari; jam enim inſtituta ſunt ſacramenta ſub præcepto. Et hanc ſuam reſponſionem hoc illuſtrant exemplo: Lex moralis non minoris eſt efficaciæ in religioſo, quàm in ſeculari; quamvis obſervatio mandatorum ſufficiat ſeculari ad ſalutem, non autem ſufficiat religioſo, in quo etiam requiruntur conſilia, ad quæ ſe ex voto obligavit. Sic Bonavent. in 4. ſent. diſt. 1. art. 2. qu. 2. ad primum. & Thom. ibidem, quæſt. 6. art. 3. ad tertium.

6. Reſpondeo; 1. Ineptum & falſum eſt exemplum. Ineptum, quia non quæritur nunc de voto aliquo liberè nuncupato à Chriſtianis, eorumve infantibus, ſed de lege fidei. Nam etiam antiquis temporibus vota æquè obligabant ac nunc, non ſolùm monachos, ſed & ſeculares; idque ex mandato Dei: eſt igitur à propoſito aliena iſta ſimilitudo. Deinde etiam falſum eſt quod ajunt, non ſufficere religioſo ad ſalutem obſervationem mandatorum Dei: *Nam qui ſervat mandata ejus, in illo manet, & ipſe in eo*, inquit beatus ille filius tonitru, 1. Joan. 3. 24. Sicut eum ante docuerat ipſe Dominus, inquiens; *Qui habet mandata mea, & ſervat ea; ille eſt qui diligit me: qui autem diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum.* Joan. 14. 21. Item; *Si mandata mea ſervaveritis, manebitis in charitate mea.* Joan. 15. 10. Neque ullius voti redditio Deo grata eſt, niſi quæ mandato ipſius Dei imperata oſtenditur. Deut. 23. 21, &c. Eccleſ. 5. 4, &c. Quam multa quotidie cernimus non ſolum in monaſtica, ſed etiam in ſeculari vita, quæ hodie liberas habent obſervationes, cras autem per interventum voti, vel juramenti, vel promiſſionis, vel ſponſionis matrimonialis, vel contractus venditionis aut emtionis, vel cujuſlibet obligationis licitæ ultrò ſuſceptæ, evadit obſervatio eorum etiam ad ſalutem neceſſaria, non neceſſitate ipſius rei, ſed neceſſitate veracitatis? Neque propter varietatem aut ampliationem materiæ, in qua exercenda eſt mandatorum Dei obſervatio, fas dicere, quicquam accedere ad ſalutem neceſſarium ultra vel præter obſervationem mandatorum Dei. Præterea ſi exempli iſtius fiat legitima accommodatio, pro nobis facit: Sicut enim obedientia legi Dei præſtita, non fit minoris valoris apud Deum pro acquirenda mercede, propter pluralitatem rerum objectarum circa quas exercetur, ſed inde potius merces augeſcit, ita fidei efficaciæ nihil decedit, ſed potius fit acceſſio, ex pluralitate diſtinctorum articulorum explicitè credendorum & creditorum tempore Evangelii, quippe evidentius, quàm olim, revelatorum. Adhæc, aliter etiam nobis favet iſtud exemplum: Votum enim rei prorſus impoſſibilis, ubi ea impoſſibilitas non eſt per ullam voventis culpam cauſata, non obligat ad præſtationem voti, ſub pœna amittendæ ſalutis æternæ, ut ſi quis hodie commorans Aberdoniæ, voto promittat ſe cras pranſurum Mediolani: aut ſi promittat ſe Aberdoniæ pranſurum, & interea ſine ſua culpa violenter in aliam civitatem abripiatur: ſic rei alicujus, præcepto alioqui divino imperatæ, obſervatio nemini ad ſalutem eſt ſimpliciter neceſſaria, cui eſt ea obſervatio prorſus impoſſibilis, neque per ullam ipſius culpam contigit ea impoſſibilitas, ſed eſt ab ipſo Deo in ordine naturæ, abſque peccati intuitu conſtituta, adeò ut ille homo, de quo loquimur, non ſit ullo modo reprehenſibilis ob illam impoſſibilitatem; ſicut infanti per imbecillitatem naturæ irreprehenſibilem, eſt prorſus impoſſibile petere, aut optare, baptiſmum.

7. Hæc eſt prior noſtra reſponſio quadripartita, de exemplo, quod attulerunt Thomas & Bonaventura: ſequatur nunc altera reſponſio, ad ipſam pertinens redditionem ſimilitudinis. ea ſic ſe habet: Si quid ſit adjunctum, quod ſit ita neceſſarium neceſſitate medii, ut ſimpliciter abſque eo fides non proſit ad ſalutem, haud dubiè deterior facta eſt conditio fidei; ſi verò adjunctum ſit aliquid ut jam neceſſarium neceſſitate præcepti, fateor fidem nullum inde capere detrimentum. Et ab hac diſtinctione ſumemus tertiam noſtram rationem principalem, quam mox proponemus, expeditis prius quatuor quæſtiunculis, ex ſecunda ratione emergentibus.

*Altera noſtra reſponſio.* — *Diſt.*

8. Prima quæſtiuncula eſt: Cùm ſcriptura divina dicat, *Juſtum ex fide ſua victurum*; quomodo dicunt doctores, ſuperius allegati, infantibus ad ſalutem ſufficere fidem alienam, puta parentum, aut eorum qui eis curam impendunt, aut denique Eccleſiæ?

*Habak. 2. 4.* — *Quæſtio de fide aliena.*

Reſpondent; Ut poſſit regenerari parvulus per officium voluntatis alienæ, cum offertur conſecrandus, facit hoc unus Spiritus, ex quo regeneratur oblatus. inquit Auguſtinus, epiſtola 23. Dignum eſt, (inquit Bernardus) & ad Dei ſpectat benignitatem, ut quibus fidem ætas denegat propriam, gratia prodeſſe concedat alienam. Nec enim omnipotentis juſtitia propriam putat ab his exigendam fidem, quos novit propriam nullam habere culpam. Porrò alienâ opus eſt fide, cum ſine ſorde non naſcantur alienâ, quatenus nec à parvulis alienum ſit quod de omnibus generaliter dicitur, *Fide mundans corda eorum.* Nec dubium, quòd macula contracta ab aliis, aliorum quoque fide valeat, vel debeat, emundari. Hæc Bernardus, epiſt. 77. Sic Thomas, Dicendum (inquit) quod, ſicut Auguſtinus ſcribens Bonifacio dicit, In Eccleſia Salvatoris parvuli per alios credunt, ſicut ex aliis, quæ in baptiſmo remittuntur, peccata traxerunt. 3. part. quæſt. 68. art. 9. ad ſecundum. Iſta autem omnia hoc ſenſu accipienda ſunt; non quod parvuli ipſi in ſeipſis non regenerentur ex Spiritu Sancto; ſed quod jus habeant ad ſacramentum per fidem aliorum, & per eandem promiſſio fœderalis gratiæ ad eos pertineat, atque adeò, ſecundùm tenorem fœderis, conſequantur gratiam & gloriam.

*Reſp.* — *Act. 15. 9.*

9. Secunda quæſtiuncula eſt: Quid ſi parentes, aut qui offerunt parvulos ad percipiendum baptiſmum, non rectâ cordis intentione aut fide eos offerant, ſintque ſimpliciter ignorantes, vel damnabiliter indigni?

*Alia quæſtio de parentibus & offerentibus.*

*Reſponſ.* Reſpondet Auguſtinus, ſufficere parvulo fidem Eccleſiæ, quando celebrantur neceſſaria miniſteria in Catholica Eccleſia. epiſt. 23. Vide ſuprà, §. 2.

*3. Quæſtiuncula rurſum de fide alienâ.* 10. Tertia quæſtiuncula eſt: Quæ ratio diſcriminis, quòd parvulis ad ſalutem profit fides aliorum; & tamen eis non noceat aliorum ipſos dæmoniacis ſacrilegiis obligantium impietas?

*Reſp.* Reſpondet Auguſtinus; Quia cùm homo non jam in lumbis peccantis, ſed in ſeipſo eſt, ab eo qui genuit alter effectus, peccato alterius ſine ſua conſenſione non tenetur obnoxius; ſed anima quæ peccaverit, ipſa morietur. *Ezech. 18. 20.* epiſtola 23. quod autem traxit originale vitium ex Adamo, cum quo & in quo peccante unus erat, nondum propriâ animâ diſtinctus, ſolvitur in parvulis per alienam fidem, propter unitatem Spiritûs regenerantis, & unitatem matris Eccleſiæ, & peculiarem modum illius peccati; ut dictum eſt ad primam quæſtiunculam. & propter meritum paſſionis Chriſti, quâ redemit etiam parvulos; ut mox clarius dicetur ad poſtremam quæſtiunculam.

*4. Quæſtio de fide.* 11. Quarta quæſtiuncula eſt: Cùm olim fides aliorum eſſet efficax, ad curandum parvulos ab originali peccato, ſine ſacramento; utrùm id faciebat illa fides ut erat actus perſonæ credentis, an alio aliquo reſpectu?

*Reſp. fidei parentum ſolutio.* Reſpondet Thomas: Non ut erat actus perſonæ, ſed ut reſpiciebat objectum ſuum, ſcilicet Chriſtum, qui eſt naturæ noſtræ corruptæ medicina; ideo nunquam poterat remitti originale peccatum alicui, niſi facta relatione & quadam continuatione illius, qui curari debebat ad Chriſtum: quod per fidem fiebat, in illis quidem qui uſum liberi arbitrii habebant, propriam; in aliis, alienam. Hæc Thomas in 4. ſentent. diſtinct. 1. quæſt. 6. art. 1. Fides Parentum (inquit Richardus) parvulis ſubveniebat per comparationem ad objectum, quod eſt ſalutis cauſa, non ex ſui comparatione ad ſubjectum: Et ideo ad purgandum in parvulis originale peccatum fides informis Parentum ſufficiebat. Hæc Richardus de media villa, in 4. ſent. diſt. 1. art. 5. quæſt. 2. Alii etiam eodem ſenſu dicebant, quod fides Parentum erat remedium parvulo, non ratione actûs credendi principaliter, ſed ratione ipſius crediti, à quo, in quantum creditum, fluit virtus, in omnia ſacramenta. ita quidam referente Bonaventurâ, à quibus ipſe immerito diſcedit, in quartum ſententiarum, diſtinctione primâ, articulo ſecundo, quæſtione prima, in reſolutione.

## CAPUT OCTAVUM.

### *Contra eandem opinionem, tertia noſtra ratio, ſumta à neceſſitate præcepti.*

*Tertia ratio à neceſſitate præcepti. Vide ſupra, cap. 5. §. 11.* TErtia noſtra ratio principalis ſumitur ab illa ſuperius indicatâ diſtinctione neceſſitatis, in neceſſitatem medii, & neceſſitatem præcepti. Cujus ſacramenti neceſſitas omnis eſt à præcepto divino poſitivo & non naturali; illius carentia eis tantùm eſt exitialis, qui illud præceptum tranſgrediuntur: vel ſic, *Syllogiſmus.* quibuſcunque eſt exitialis carentia illius, cujus habendi neceſſitas omnis eſt à præcepto Dei poſitivo, non naturali; illi præceptum illud tranſgrediuntur: at quibuſcunque eſt exitialis carẽtia baptiſmi; eis eſt exitialis carentia illius, cujus habendi neceſſitas omnis eſt à præcepto Dei poſitivo, ſeu factitio, non naturali: ergo, quibuſcunque exitialis eſt carentia baptiſmi, illi præceptum illud tranſgrediuntur, quo ſcilicet, jubentur habere baptiſmum. *Alius ſyllogiſmus.* Jam iſta concluſio ſit nobis propoſitio major, cui hanc ſubjicimus, minorem, at infantes præceptum illud non tranſgrediuntur; ergo infantibus carentia baptiſmi non eſt exitialis.

2. Prioris ſyllogiſmi propoſitio major ſuâ luce fulget: nam hic quæſtio eſt de neceſſitate finis, ſeu ad finem aſſequendum; quicquid autem pro conſequutione alicujus finis neceſſarium eſt, illud neceſſitatem illam habet vel à præcepto naturali, etiamſi de eo poſitivè nihil præciperetur: hæc eſt neceſſitas medii, à qua nulla eximit ignorantiæ vel impoſſibilitatis cauſatio; qualis eſt neceſſitas ſanctitatis ad videndum Deum: vel à præcepto poſitivo, qualis eſt omnis earum rerum neceſſitas, ſine quibus finem conſequeremur, niſi interveniret mandatum poſitivum; hujuſmodi eſt neceſſitas baptiſmi, (ut diximus in minore) ſine quo ante datum de eo præceptum, ſalutem homines conſequebantur, & adhuc conſequerentur, ſi tolleretur præcepti obligatio: vel ab utroque, ut ſanctitas tum naturali, tum poſitivo præcepto neceſſaria eſt.

*Object.* 3. At, inquies, Deus ſacramenta præcepto poſitivo inſtituit, ut ſint ſalutis media: *Solut.* Reſpondeo; Sunt igitur media, non tamen φύσει, ſed tantummodo κατὰ συνθήκην, id eſt, media non naturalia, ſed poſitivè imperata; ideoque ſolâ præcepti neceſſitate neceſſaria. ſic circumciſio inſtituta fuit, ut eſſet medium ſalutis, & ſeverè imperata; ſolâ tamen præcepti neceſſitate fuit neceſſaria. Geneſ. 17. 14. ſic hodie Euchariſtia ex inſtitutione divinâ eſt medium ſalutis; quod tamen ſacramentum, non medii, ſed ſolâ præcepti neceſſitate eſſe neceſſarium, fatentur ſcholaſtici & Papiſtæ: loquendo de neceſſitate propriè dictâ, non de congruitate & utilitate: quæ interdum dicitur neceſſitas, non ſimpliciter, ſed ſecundum quid.

*Objectio.* 4. Si dicas, nullum aliud eſſe medium pro remiſſione obtinenda originalis peccati, ideóque hoc medio deſtitutos infantes perire, etſi non propter tranſgreſſionem præcepti, ſaltem propter reatum originalis peccati. *Solut.* Reſpondeo: Etſi durante præcepto de baptiſmo, nullum ſit aliud remedium ſacramentale, ſeu regenerationis viſibile ſacramentum: non tamen ſequitur, nullum aliud eſſe ſimpliciter: nam ſacramenta nunquam fuerunt, neq; ſunt vel ſola, vel præcipua ſalutis humanæ media: præcipua media pro parvulorum ſalute ſunt paſſio Chriſti, parentum fides vel Eccleſiæ, preces piorum, ſanctificatio ipſius parvuli per internam gratiam Spiritûs Sancti: Hæc ſunt media perpetuæ efficacitatis, ſive accedat viſibile ſignum, ſive non accedat.

*Objectio. Solut.* 5. Dices, media hæc ſpiritualia non applicari cuiquam ordinariè, niſi per ſacramentum. Reſpondeo; Sacramentum neque eſt infallibile, neque præcipuum, neque ſimpliciter neceſſarium applicationis medium. Nam omnia ſacramenta ex fide efficaciam habẽt, ut ſuprà monuerunt Hugo, *Vide ſupra, cap. 4. §. 2. …* & alii: nec ſine fide prodeſt ſacramentum, ſed ſine ſacramento olim profuit & ſemper profutura eſt fides, abſit modò contemtus ſacramenti: quanquam



*Vide ſupra, c. 5. §. …* quam (ut ait Bernardus epiſt. 77.) & fidem convincitur non habere perfectam, qui negligit. Vera enim & plena fides univerſa præcepta complectitur.

*Object. 4.* 6. Hoc, inquies, intelligendum eſt de fide propriâ, quâ ſalvantur adulti ſine ſacramento morientes, modò non contemſerint, ſed optaverint ſacramentum: ſed non tantum valet fides aliena parvulo, quantum propria adulto: parvulis enim non ſufficit fides Eccleſiæ ſine ſacramento; qui ſi abſque baptiſmo fuerint defuncti, etiam cum deferuntur ad baptiſmum, damnabuntur. ita Lombardus, 4. ſent. diſt. 4. E. *Solut.* Reſpondeo; At cum olim ſuffecerit parvulis fides Eccleſiæ ſine ſacramento, haud dubiè tantundem adhuc valet fides aliena parvulo, quantum olim tempore circumciſionis, & ante circumciſionem: ſicut evidentiſſimis rationibus ſuperius demonſtravimus. Neque eo fine amota eſt circumciſio, eique ſubſtitutus baptiſmus, ut per eum deterior fieret conditio parvulorum tempore Euangelii, quàm olim erat tempore legis naturæ, aut circumciſionis; aut ut quicquam de priſtina fidei utilitate ac efficacitate amputaretur per inſtitutionem baptiſmi; ſed tantùm, ut hoc illuſtriori ſigno virtus fidei magis clareſceret, & confirmaretur. Nam gratia novi Teſtamenti non eſt ulli non contemnenti cauſa exitii; ſed eſt ſalutifera omnibus hominibus, *Tit. 2. 11.* σωτήριος πᾶσιν ἀνθρώποις. Manifeſtata eſt nunc gratia Dei per illuſtrem adventum, *2. Tim. 1. 10.* διὰ τῆς ἐπιφανείας, Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti: qui abolevit quidem mortem, in lucem autem produxit vitam & immortalitatem per Euangelium; ut docet Apoſtolus. At ſecundum rigidam iſtorum de parvulis opinionem, Euangelium multis parvulis, alioqui ſalvandis, vitam ademit, & attulit mortem ſempiternam.

*Object. 5. Solut.* 7. Si dicas, Non Euangelium, aut legem Euangelicam de baptiſmo, eſſe illis cauſam perditionis, ſed originale peccatum. Reſpondeo; Imò lex Euangelica de baptiſmo, abſque cujus adventu foret, ſalvarentur infantes fidelium aliis efficacibus remediis: Lex igitur baptiſmi, ſi auferat illa remedia certò ſanatura vulnus originale; vel, quod perinde eſt, ſi eis efficacitatem priſtinam adimat, neque aliud infanti poſſibile ſubſtituat, erit illi cauſa interitus: ſicut ſaucium occidit ille, qui aufert pharmacum, quo ſine dubio curaretur, eoque ablato aut evacuato inevitabiliter moritur.

*Object. 6. Solut.* 8. At fidei Eccleſiæ (inquit Thomas) aggregatur parvulus per fidei ſacramentum baptiſmum, 3. part. quæſt. 68. art. 9. ad 3. Reſpondeo; Aggregatur quoad ſacramentalem ſignificationem & obſignationem, at quoad federalem fidei Eccleſiæ vel fidei fidelium participationem non aggregatur infans per baptiſmum, ſed è contra: eo propter eam participationem, ut conditionem prærequiſitam, admittitur parvulus ad ſuſceptionem baptiſmi: alioqui baptizandi eſſent omnes infantes, quorumcunque Paganorum, aut Judæorum, &c. etiam invitis parentibus; quod tamen haudquaquam eſſe faciendum, docet idem Thomas 2. 2. quæſt. 10. art. 12. & 3. part. quæſt. 68. art. 10. Et quamvis in hoc à Thoma diſſentiat Scotus, in 4. ſent. diſt. 4. quæſt. 9. Omnes tamen affirmant, infantes qui baptizantur, baptizari in fide Parentum, vel in fide Eccleſiæ; & hanc fidem alienam neceſſariam eſſe parvulo, ut diſpoſitionem antecedaneam baptiſmo: ſicut nemini adulto habenti uſum rationis datur baptiſmus, niſi profitenti; & nemini prodeſt, niſi verè habenti fidem propriam.

9. Bellarminus ait, parvulos non juſtificari fide illa alienâ, quæ præcedit eorum baptiſmum, ſed ſuâ propria habituali fide, quam accipiunt in baptiſmo, lib. 1. de baptiſmo, cap. 11. §. *Eſt autem.* *Object. 7.* Reſpondeo; Accipiendo juſtificationem pro remiſſione peccatorum, ſeu peccati originalis, ſicut *Sol.* in hac quæſtione accipitur, parvuli juſtificantur fide alienâ; ſicuti docuimus ſuprà, cap. 7. non autem fide propriâ, hanc enim non habent; quia hæc fides eſt per auditum, & eſt aſſenſus quidam. Ideo dixit Synodus Tridentina, Seſſ. 7. can. 13. parvulos non actu proprio credentes baptizari in ſola fide Eccleſiæ. Accipiendo autem juſtificationem pro ſanctificatione, fatemur, parvulos ſanctificari per infuſam gratiam. *De regeneratione parvulorum.* Neque eſt inter nos controverſia, an detur parvulis interna gratia Spiritûs Sancti? eam utrique agnoſcimus infundi ipſis parvulis quicunque ſalvantur: ſed controverſia eſt de neceſſitate baptiſmi, pro conſequenda iſta gratia. Dicunt enim Romanenſes, non dari parvulis iſtam gratiam, ſine ſacramento baptiſmi; nos autem dicimus, Baptiſmum quidem negligi non poſſe ſine peccato eorum, quibus ejus adhibendi cura incumbit: infantes tamen Eccleſiæ, ſine ſacramento morientes, aſſerimus gratiâ iſtâ regenerationis ſpiritualis non deſtitui, propter meram carentiam externi ſacramenti: neque illis fraudi eſſe aliorum culpam, qui pro officio eos non curarunt baptizari, antequam ex hac vita migrarent. Ad conſequendam hanc gratiam parvulis olim utilis & efficax erat fides veterum, ſine ſacramento: neque debilitata nunc eſt fides ſub Euangelio: ſicut præcedente capite prolixè docuimus.

10. Porrò Bellarminus, loco citato, dicit, neque juſtificari adultos per eam fidem propriam, quam adferunt ad baptiſmum, ſed per eam, quæ in baptiſmo infunditur: attamen è contrario docent Ambroſius, & Auguſtinus, & Bernardus, & *Supra cap. 5.* univerſa ſchola, ſufficere priorem illam fidem ad ſalutem credenti, etiamſi abſque baptiſmo ex hac vita migret, modò celebrationem myſterii excluſerit articulus neceſſitatis, non contemtus religionis. Abraham fide juſtificatus eſt, quam habuit ante circumciſionem. Rom. 4. 10, 11. Et Eunuchus Æthiops eâ fide, quam habuit ante baptiſmum. Act. 8. 37. *De fide adultorum quam habent nondum baptizati.* Cornelius etiam, ejuſque ſocii, baptizati ſunt Spiritu Sancto, antequam baptizarentur aquâ. Act. 11. 15. 16. 17. Sicut ergo (inquit Auguſtinus) in Abraham præceſſit fidei juſtitia, & acceſſit circumciſio ſignaculum juſtitiæ fidei: ita in Cornelio præceſſit ſanctificatio ſpiritalis in dono Spiritûs Sancti, & acceſſit ſacramentum regenerationis in lavacro baptiſmi. Hæc Auguſtinus, lib. 4. de baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 24. Innocentius Papa tertius, ab Epiſcopo Cremonenſi conſultus: quid ſentiendum de Presbytero quodam defuncto, qui non acceperat ſacramentum baptiſmi? Inquiſitioni (inquit) tuæ reſpondeo: Presbyterum, quem ſine unda baptiſmatis extremum diem clauſiſſe ſignificaſti, quia in ſanctæ matris Eccleſiæ fide, & Chriſti nominis confeſſione perſeveraverit, ab originali peccato ſolutum, & cœleſtis patriæ gaudium eſſe adeptum, aſſerimus incunctanter. Extra, *de Presbytero non baptiſato, cap. 2. Apoſtolicam.*

11. Atque ita, prolixè jam confirmatâ minore propoſitione prioris ſyllogiſmi, quem initio

 hujus

*Præceptū de baptiſmo eſt poſitivum, ſeu factitium, non autem naturale.*

hujus capitis exhibuimus, manifeſtum eſt omnem habendi baptiſmi neceſſitatem eſſe à præcepto Dei poſitivo, ſeu factitio, non naturali; adeóque eſſe duntaxat præcepti, non autem medii neceſſitatem. Idem docuit & defendit Bernardus, qui de ſacramento baptiſmi differens, ut doceret, nullam fuiſſe ejus ſuſcipiendi neceſſitatem, ante legis de eo latæ promulgationem, hoc ipſo uſus eſt medio: Neque enim (inquit) eſt tale hoc quod & abſque promulgatione naturalis lex ignorare non ſineret, quale verbi gratiâ illud eſt, *quod tibi non vis fieri, alii ne feceris*. Factitium enim magis quodammodo eſt, & non naturale mandatum. Bern. epiſt. 77. Cui conſentiens Hugo de S. Victore dixit; tempore legis naturæ non fuiſſe aliqua ſacramenta in præcepto. unde infert Bonaventura; ergo ſine omnibus poterat homo ſalvari. in 4. ſent. diſt. 1. art. 2. quæſt. 2. Idem poſtea; Tempore legis naturæ (inquit) non fuit præceptum, niſi naturale: ſed ſacramenta non ſunt naturalia; ut ſuprà patuit: ergo nullum fuit ibi ſub præcepto: nullum fuit ergo neceſſitatis. Bonaventura in 4. ſententiarum, diſtinctione prima, articulo ſecundo, quæſtione tertiâ.

*Bernard.*

*Hugo lib. 1. par. 11. cap. 3. Bonavent.*

*Parvuli non baptizati non ſunt tranſgreſſores præcepti dati de baptiſmo.*

12. Minor autem poſterioris ſyllogiſmi in principio hujus capitis poſiti, ab omnibus conceditur: puerulis enim non fit præcepti intimatio, neque per naturam adhuc capaces ſunt obedientiæ, vel tranſgreſſionis actualis, quæ, ſine rationis & liberæ voluntatis uſu, locum non habet. Ergo eis carentia baptiſmi non eſt exitialis. Et pro hac concluſione facit illud dictum Bellarmini; Cum quis ex ignorantia invincibili, aut aliâ juſta de cauſa non implet præceptum, is nihil detrimenti accipit: at ſi quis non accipiat medium neceſſarium, is magnum detrimentum capit; quia non aſſequitur finem, licet ex ignorantia invincibili id ei accidat. Bellarm. lib. 1. de ſacramentis in genere, cap. 22. §. *quantum ad ſecundum*. Et paullò poſt; Nulla (inquit) ſacramenta habent abſolutam neceſſitatem, ſed omnis eorum neceſſitas pendet ex præcepto, & inſtitutione divina, adjunctâ naturali congruentiâ. eod. cap. §. *Sit igitur*. Mox autem confundit Bellarminus neceſſitatem præcepti, & medii: aſſerens, baptiſmum eſſe omnibus neceſſarium, poſitâ inſtitutione divinâ, neceſſitate medii ſimpliciter, §. *Tertia propoſitio*. Sed quæro, cum omnis baptiſmi neceſſitas pendeat ex præcepto poſitivo, utrùm eis noceat ejus carentia, qui præcepto illo non obligantur? Si concedat, non nocere; ſequitur, non nocere parvulis. ſi dicat, nocere; cum ipſa natura, cum Dei æquitate, cum communibus principiis apertè pugnat. quod autem regerit, Etiamſi parvuli ſine ſua culpa non baptizantur, non tamen ſine ſua culpâ perire, cùm habeant originale peccatum: nec eſſe contra ipſum aliud remedium præter baptiſmum; Bellarminus, libro 1. de baptiſmo, capite 4. §. ult. Hoc ſuperius §. 7. jam exploſum eſt, & eſt manifeſta & puerilis petitio principii.

*Objectio 1.*

13. Dices: eſſe in poteſtate illius, qui ex ſua liberalitate aut benignitate aliquid donat, præſcribere & exigere quamcunque voluerit conditionem, ſine qua non ſit daturus: ita autem ſe rem habere de remiſſione originalis peccati, quam Deus ex mera ſua benignitate donaturum ſe promittit, ſed ſolis baptizatis. Reſpondeo; Quod non naturali, ſed factitio mandato præſcribitur, nemini præſcribitur, cui invincibilis ignorantiæ & inſuperabilis atque inculpabilis impoſſibilitatis ſuppetit excuſatio. quocirca cum Deus verè benignus ſit, non minus erga puerulos (nam talium eſt regnum Cœlorum) quàm erga adultos, nullam eis præſcripſit ejuſmodi neceſſitatem conditionis ſimpliciter impoſſibilis, nec naturaliter neceſſariæ.

*Solutio.*

*Marc. 10. 14.*

14. Currente circumciſione, (inquit Bonaventura) alia remedia non diſponebant parvulum, niſi cum hac conditione, quòd ipſe eſſet impoſſibilitatus ad implendum mandatum de circumciſione: & ita propter impoſſibilitatem abſolvebatur. in 4. ſentent. diſtinct. 1. artic. 3. quæſt. 2. Pari ratione parvuli, qui morte præventi non baptizantur, propter impoſſibilitatem abſolvuntur. at hanc conſequentiam negat ibidem Bonaventura; Dico (inquit) quòd non: quia baptiſmus propter ſuam generalitatem, & perfectionem, & temporis indeterminationem, alia remedia evacuaverat: non ſic autem circumciſio. Inepta profectò & doctore Seraphico proſus indigna reſponſio: nam quæſtio erat de impoſſibilitate; ille nobis reſpondet de generalitate, &c. At iſtis omnibus non obſtantibus, ſæpe contingit, ut parvulus impoſſibilitetur (ſicut ipſe loquitur) ad implendum mandatum de baptiſmo. Num impoſſibilitas rei minus generalis, minus perfectæ, & tempore minus indeterminatæ, à Deo imperatæ, excuſat; & non excuſat par & æquè irreprehenſibilis impoſſibilitas rei magis generalis, magis perfectæ, magiſque tempore indeterminatæ, cujus tamen habendi neceſſitas omnis eſt à præcepto Dei poſitivo? Num etiam fidem Parentum & Eccleſiæ & paſſionem Chriſti, & gratiam Spiritus Sancti, num, inquam, etiam hæc media evacuavit baptiſmus? Num veterum Iſraëlitarum pueros olim noluit, & Chriſtianorum pueros nunc vult Deus obligare ad impoſſibile ex ſuo præcepto? quis ita deſipiat, ut iſta vel aſſerere audeat, vel audire ſuſtineat? Rectiùs alibi idem doctor; Dicendum, (inquit) quòd baptiſmus flaminis, & baptiſmus fluminis, uterque eſt neceſſarius ad ſalutem: ſed primus eſt neceſſarius, non quia ſit in præcepto, ſed quia ſine illo nullus liberatur à peccato. Et quoniam omnes peccatores naſcimur, & nullus ſalvari poteſt niſi liberetur à peccato: ideo nullus ſine baptiſmo flaminis, neque parvus, neque magnus poteſt ſalvari. Baptiſmus autem fluminis, ſive aquæ, eſt neceſſarius, quia Deus inſtituit, & quia inſtituit ſub præcepto; & quoniam quæ præcepta ſunt, ſunt neceſſaria ad ſalutem: ideo talis baptiſmus eſt ad ſalutem neceſſarius. Sed quoniam Deus neminem obligat ad impoſſibile ex ſuo præcepto; ut dicit Hieronymus, &c. Hæc Bonaventura, in 4. ſent. diſt. 4. part. 2. art. 1. quæſt. 1. in reſolutione. Hinc exſtibit hoc argumentum; Neminem obligat Deus ad impoſſibile ex ſuo præcepto: ergo neque pueros Chriſtianorum. Huc facit & illud Thomæ; quod ad miſericordiam ejus, qui vult omnes homines ſalvos fieri, pertinet, ut in his quę ſunt de neceſſitate ſalutis, homo de facili remedium inveniat. 3. part. qu. 67. art. 3.

*Bonavent.*

15. Si cum eiſdem excipias; non damnari parvulos Chriſtianorum propter tranſgreſſionem præcepti, ſed propter culpam originalem, quæ remanet non deleta: erit inverecunda principii petitio, prolixè à nobis & luculenter ſuperius confutata, in ſolutione objectionis ſecundæ, & ſuccedentium aliquot objectionum.

*Objectio 2.*

16. At inquies; Cum Deus pro æterno ſuo beneplacito miſereatur quorum vult miſereri, & quos vult induret; hoc externo ſigillo manifeſtum



ſtum facit æternæ ſuæ prædeſtinationis conſilium, erga illos ſaltem, qui abſque ſacramento baptiſmi moriuntur; ait enim: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt intrare in regnum Dei*. quæ verba non ſonant præceptum, ſed medium, inquit Bellarminus, libro primo de baptiſmo, capite quarto. Reſpondeo; Jam oſtenſum eſt, & faſſus eſt Bellarminus, neceſſitatem omnem baptiſmi eſſe à præcepto & inſtitutione divina: quis autem ſit ſenſus illius effati Dominici, nunc inveſtigabimus, ſumto novo exordio: cùm enim hic unicus ſacræ Scripturæ locus pro ſimplice & peremtoria iſta baptiſmi neceſſitate allegetur, ducemus ab hujus loci vindiciis quartam noſtram rationem principalem.

## CAPUT NONUM.

### *Contra eandem opinionem, quarta noſtra ratio; quia non ſic inſtituit Deus. ubi vindicantur verba illa Domini;* Niſi quis fuerit genitus ex aquâ & Spiritu, non poteſt introire in regnum Cœlorum. *Iohan.* 3. 5.

Quarta noſtra ratio principalis eſt; Neque ex verbis Domini ad Nicodemum, neque ex ullo alio Sacræ Scripturæ teſtimonio, evinci poteſt ſimplex illa neceſſitas medii, quam affingunt baptiſmo: eâdem igitur facilitate negatur, quâ aſſeritur; imò temerè aſſeritur.

2. Non ſatis dilucidè loquitur Bellarminus, quando ait, Baptiſmum eſſe omnibus neceſſarium, neceſſitate medii ſimpliciter, poſitâ inſtitutione divinâ, libro 1. de ſacramentis in genere, cap. 22. §. *Tertia propoſitio*. Nam ex divinâ inſtitutione baptiſmi non ſequitur, Deum inſtituiſſe, ut baptiſmus eſſet omnibus neceſſarius neceſſitate medii ſimpliciter. Si autem ludere voluit Bellarminus ambiguitate ſermonis, ineptus fuit in re ſeria. Certè quidlibet verum erit, poſita ejus inſtitutione divina: at hypothetica iſtiuſmodi propoſitio ad controverſiam aliquam terminandam nihil habet roboris, niſi accedat evidentia inſtitutionis divinæ. Clariùs igitur & ſimpliciùs eſſet loquutus, ſi dixiſſet; Baptiſmum ex inſtitutione divina eſſe omnibus neceſſarium, neceſſitate medii ſimpliciter. quod nos negamus, & dicimus, nullam ejuſmodi de baptiſmo inveniri inſtitutionem divinam; ne in illis quidem Domini verbis ad Nicodemum, quæ ſola ut demonſtrativa arripiunt. In quibus, ut *aqua* vocabulo ſacramentum baptiſmi intelligatur, ut litem minimè neceſſariam non foveamus, dicimus tamen, & conſtanter affirmamus; non eo ſenſu conjuncta eſſe duo baptiſmata in illis verbis Domini, ac ſi utrumque eſſet ejuſdem neceſſitatis, ſeu utrumque ad ſalutem conſequendam ſimpliciter neceſſarium, neceſſitate medii: ut contendit Bellarminus, lib. 1. de baptiſmo, cap. 4. §. *Petrus Martyr*. Argumenta noſtra hæc ſunt.

3. Quorum altero abſente obtineri poteſt ſalus, eorum utrumque non eſt ad obtinendam ſalutem ſimpliciter neceſſarium, neceſſitate medii: at horum altero, nempe baptiſmo aquæ, abſente, obtineri poteſt ſalus: ergo. Major eſt ſatis perſpicua: nam illud eſt ad finem aliquem conſequendum ſimpliciter neceſſarium neceſſitate medii, ſine quo non poteſt haberi finis; ut docet Thomas, tertiâ parte, quæſtione ſexageſimâ quintâ, articulo quarto. Minorem confirmat recepta & ſuperiùs tradita doctrina de baptiſmo flaminis, & de baptiſmo ſanguinis.

4. Dicunt (inquies,) eum qui cum baptiſmo flaminis aut ſanguinis moritur, & ſalvatur ſine baptiſmo aquæ, habere baptiſmum aquæ ſaltem in voto, etiamſi in re non habeat. Reſpondeo; Dominus loquitur de re ipſa; nam votum baptiſmi Spiritus non ſufficit ad ſalutem, niſi etiam habeatur in re: ſi igitur eadem ſit utriuſque neceſſitas, non ſufficit votum baptiſmi aquæ, ſed neceſſe eſt habeatur in re. 2. Si ideo ſalvat baptiſmus flaminis abſque baptiſmo aquæ, quia baptiſmus flaminis includit votum baptiſmi aquæ, adeò ut per pietatem ſpiritaliter adſit; ut loquitur Auguſtinus, lib. 4. de baptiſmo, cap. 23. tunc non eſt vis facienda in illa copulativa, ex aqua E T Spiritu, ſed ſenſus erit disjunctivus, in hūc modum: *niſi ex aqua & Spiritu, vel ſaltem ex Spiritu quis renatus fuerit*. quæ expoſitio etiamſi vera ſit, non concordat tamen cum violentia Bellarmini contendentis, vim hic faciendam eſſe in copulativa. lib. 1. de baptiſmo, cap. 4. §. Petrus. 3. Falſum eſt etiam quod aſſerunt Tridentini, Seſſ. 7. can. 4. de ſacramentis, eoſque ſequutus Bellarminus, lib. 1. de ſacramentis, cap. 22. §. *quantum ad ſecundum*: Non ſalvari hominem ſine ſacramento baptiſmi, niſi illud deſideret, ſeu habeat, in voto: (intelligunt autem votum proprium, non alienum,) nam infantes qui propter Chriſti nomen occiduntur, nondum accepto baptiſmi ſacramento, ſalvantur, ut ipſi fatentur ſcholaſtici & Papiſtæ; & tamen non acceperunt baptiſmum aquæ in re, neque eum deſideraverunt voto proprio.

5. Dicent; Suppleri baptiſmum aquæ per martyrium. Reſpondeo; at neque habetur ab infantibus martyribus baptiſmus aquæ in re, neque in voto: manet igitur falſum quod aſſerunt, Sacramentum baptiſmi, ſeu baptiſmum aquæ, eſſe ſimpliciter ad ſalutem neceſſarium in re, vel in voto, neceſſitate medii. Ex eo autem, quòd ſuppleri poſſit per aliud medium, ducemus ſecundum argumentum, contra illorum expoſitionem dicti Dominici ad Nicodemum.

*Objectio.*

*Solutio.*

6. Secundum noſtrum argumentum eſt, Quod ſuppletur per aliud, non eſt ſimpliciter neceſſarium neceſſitate medii: at ſacramentum baptiſmi ſeu baptiſmus aquæ ſuppletur per aliud: nempe per martyrium. ut docent Patres, eoſque ſequuti ſcholaſtici, 4. ſent. diſt. 4. Ergo.

*2. Noſtrum argumentum. Vide ſupra cap. 5. §. 4. & 5. & 6.*

7. Si dicas, in illis verbis Domini ad Nicodemum, per *aquam* intelligi baptiſmum aquæ, vel ejus ſupplementum in ſanguine. Reſpondeo; quicunque hoc dicit, is apertè contradicit Concilio Tridentino, clamanti, intelligendam hic eſſe aquam veram & naturalem: & anathema denuncianti, ſi quis verba illa Domini ad metaphoram detorſerit. Seſſ. 7. can. 2. de baptiſmo.

*Objectio.*

*Solutio.*

8. Tertium noſtrum argumentum eſt: Perſpecto duorum argumentorum ſuperiùs propoſitorum robore, Petrus Lombardus fateri coactus eſt, dictum illud, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu*, &c. intelligendum eſſe de illis, qui

*3. Noſtrum argumentum.*

poſſunt

poſſunt & contemnunt baptizari; quantum ad viſibile ſacramentum: quamvis abſolutè intelligendum ſit, quantum ad regenerationem ſpiritualem. 4. ſent. diſt. 4. E. Et Bonaventura dictum illud Dominicum vocat mandatum Domini, & ait; intelligi in eo, qui facultatem habet, & non præpeditur neceſſitate: addit baptiſmum aquæ dici ſacramentum neceſſitatis, non quia ſine ipſo non poſſit homo ſalvari; ſed quia ad hoc tenetur, ſi poteſt; & hoc neglecto, non poteſt ſalvari. Bonavent. in 4. ſent. diſt. 4. part. 2. artic. 1, quæſt. 1. Ergo, iſtis fatentibus, regeneratio ex aqua non proponitur à Chriſto, ut ejuſdem neceſſitatis cum regeneratione ex Spiritu; ſed hæc ſola, ut neceſſaria, neceſſitate medii; idcirco & hanc ſolam repetit Dominus, verſibus 6. & 8. (*Joan. 3. 6, 8.*) illa verò, ut neceſſaria, tantùm neceſſitate præcepti. unde efficitur; carentiam baptiſmi aquæ in eis, qui non negligunt, non eſſe indicium reprobationis, aut damnationis.

9. Quod autem fatetur Bonaventura, loco citato, Parvulum, qui habet baptiſmum flaminis, ſeu gratiam Spiritûs Sancti abſque baptiſmo aquæ non damnari; id pro nobis facit. At dum aſſerit, Parvulum, quantum eſt de jure communi, non poſſe aliter diſponi ad gratiam niſi per baptiſmum aquæ; ideoque ſine baptiſmo aquæ morientem damnari, eo quod privatus baptiſmo aquæ, careat etiam gratia Spiritus Sancti: id merum eſt figmentum humanum, neque ex Domini verbis ad Nicodemum, vel ex alio ullo S. Scripturæ teſtimonio doceri poteſt; & ſuperioribus noſtris rationibus principalibus, earundemque vindiciis, clariſſimè refutatum & exploſum eſt. oſtendimus enim, parvulos fidelium, morte interceptos, poſſe aliter accipere, & revera aliter habere gratiam, & ſine baptiſmo aquæ ſalvari. Sed redeamus ad expoſitionem dicti illius Dominici ad Nicodemum, cujus non eum eſſe ſenſum, quem refellendum ſuſcepimus, tribus argumentis docuimus; plura ſubjiciemus eandem ϖαρερχόμενα convincentia.

*4. Noſtrum argumentum.* 10. Quartum noſtrum argumentum eſt; quod intellexit Dominus illis verbis ad Nicodemum, ſemper verum erat jam inde à prima verborum illorum prolatione: at, neminem ſine baptiſmo aquæ ſalvari, ſeu baptiſmum aquæ eſſe ad ſalutem neceſſarium ſimpliciter neceſſitate medii; non ſemper verum erat, jam inde à prima verborum illorum prolatione: Ergo illis verbis ad Nicodemum Dominus iſtud non intellexit. Minorem affirmant ac tuentur Bernardus, epiſtola 77. & ſcholaſtici Theologi, in 4. ſententiarum, diſtinctione 3. ubi docent, non ante cœpiſſe baptiſmi neceſſitatem, quàm eſſet hæc lex Euangelica de baptiſmo palàm promulgata poſt mortem Chriſti. De majore dubitare inſanum, imò blaſphemum eſt. Chriſtus eſt veritas; ejus verba ſemper vera ſunt.

*Objectio.* 11. Si dicas, verba illa protuliſſe Chriſtum de futuro tempore. *Solutio.* Reſpondeo; 1. Ipſe textus Euangelicus clarè docet, Chriſtum loqui de eo, quod in præſenti illo tempore erat neceſſarium, Nicodemo jam ſeni, & omnibus aliis volentibus intrare regnum cœlorum. Nam neceſſaria tunc erat regeneratio ſpiritualis omnibus, neceſſitate medii; regeneratio etiam ſacramentalis per baptiſmum aquæ erat neceſſitate præcepti neceſſaria illis, quibus illo tempore offerebatur, & quibus ejus acceptio præcipiebatur. Eadem utriuſque neceſſitas adhuc durat invariata. 2. Admiſsâ illa commentitia gloſsâ de tempore futuro, cùm uno eodemque verbo utraque regeneratio comprehendatur & commendetur; periculum erit, ne ipſius etiam ſpiritualis atque inviſibilis regenerationis neceſſitas etiam in futurum tempus ſuſpenſa videatur. 3. Si nondum poſuerat Chriſtus ſacramentum baptiſmi ſub neceſſitate medii, ut docent ſcholaſtici, in 4. ſent. diſt. 3. & affirmat Bellarminus, lib. 1. de baptiſmo, cap. 5. §. *Tertia propoſitio.* & tamen poſtea id fecit: Oſtendendum eſt igitur Domini aliquod ſubſequens præceptum, ex quo id liquere poſſit: at nullum oſtendi poteſt: ſed potiùs ex Chriſti verbis ad diſcipulos poſt reſurrectionem, oppoſitum colligitur. Vide etiam (inquit Bernardus) ne forte ob hoc Salvator, cùm diceret, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit*; cautè & vigilanter non repetierit, *qui verò baptizatus non fuerit*, ſed tantùm, *qui verò*, inquit, *non crediderit, condemnabitur*. (*Marc. 16. 16.*) Nimirum innuens, ſolam interdum fidem ſufficere ad ſalutem, & ſine ipſa ſufficere nihil. Hæc Bernardus, epiſt. 77. (*Sola fides.*)

12. Hujus argumenti videtur proſpexiſſe firmitatem Fulgentius, errore illo de neceſſitate baptiſmi detentus, ideo aliud non videns effugium, exſertè aſſeruit: Ex illo tempore, quo Salvator noſter dixit, *Si quis renatus non fuerit ex aqua & Spiritu S. non poteſt introire in regnum Dei*: (*Joan. 3. 5.*) abſque ſacramento baptiſmatis, præter eos, qui in Eccleſia Catholica ſine baptiſmate pro Chriſto ſanguinem fundunt, nec regnum cœlorum poteſt quiſquam accipere, nec vitam æternam. Hæc Fulgentius, libro de fide ad Petrum diaconum, cap. 3. qui liber tribui ſolet Auguſtino, & extat in operibus Auguſtini tomo 3. Iſtam Fulgentii ſententiam, ut falſam atque abſurdam, refutat Bernardus, epiſtola 77. ad Hugonem de ſancto Victore.

*5. Noſtrum argumentum.* 13. Quintum noſtrum argumentum eſt; Non poſſunt adverſarii ſe tueri patrocinio antiquorum illorum Patrum, qui hæc Domini verba ſic perperam interpretati ſunt; niſi etiam eandem cum eiſdem Patribus agnoſcant neceſſitatem Euchariſtiæ, ex cap. 6. Euangelii Joannis, & tempus neceſſitatis baptiſmi ab eodem cum eis inchoent principio: at hæc duo, ut abſurda, rejiciunt. (*Vide ſupra cap. 5. §. 5. & §. 6.*) Cum igitur nec S. Scripturæ, nec antiquorum Patrum, nec idoneæ ratiocinationis præſidio muniatur iſta interpretatio, eâdem facilitate rejici poteſt, quâ illæ Patrum opiniones de neceſſitate Euchariſtiæ, & de tempore neceſſitatis baptiſmi, à ſcholaſticis & Papiſtis rejiciuntur. Imò, quia Sacræ Scripturæ & immotis Catholicæ Eccleſiæ dogmatibus, & rectæ rationi repugnat, non ſolùm poteſt, ſed etiam debet repudiari.

*6. Noſtrum argumentum.* 14. Sextum noſtrum argumentum ſumitur ex illis verbis Domini ad Nicodemum, in eodem colloquio: *Tu es magiſter Iſraëlis, & hæc non noſti?* (*Joan. 3. 10.*) ταῦτα οὐ γινώσκεις: Jam autem ſacramentum baptiſmi eſſe, vel futurum eſſe, ad ſalutem, ex inſtitutione divina, ſimpliciter neceſſarium neceſſitate medii, non tenebantur ratione ſui muneris ſcire magiſtri illi Iſraëlis: nec mirum, ſi ex unica illa aquæ mentione, à Chriſto factâ, in illo colloquio eam ſacramenti hujus neceſſitatem non conceperit Nicodemus: cùm aquæ & lotionis in veteri Teſtamento crebra fiat mentio, quando nulla talis erat hujus ſacramenti neceſſitas. At perpetuam & ſimplicem neceſſitatem lotionis & regenerationis, ſeu renovationis ſpiritualis, à veteribus Prophetis prædicatam (Deut. 30. 6. & Pſal. 51. Jerem. 32. 39, 40. Ezech. 11. 19. & 36. 26. Zachar. 13. 1. & alibi) cognoviſſe debebant magiſtri Iſraëlis: non igitur ſimplicem neceſſitatem medii ſacramento baptiſmi, ſed lotioni ac renovationi ſpirituali attribuere voluit Dominus, in illa collatione cum Nicodemo.

Hæc pro vindicando hoc S. Scripturæ loco, in corroborationem quartæ noſtræ rationis principalis, attuliſſe ſufficiat.



## CAPUT DECIMUM.

### *Contra eandem opinionem, quinta noſtra ratio, ſumta à fœdere & promiſſione Dei factâ Abrahamo.*

*Quinta ratio à fœdere & promiſſione Dei, factâ Abrahamo. Geneſ. 17. 7.* QUinta noſtra ratio principalis ſumitur à fœdere illo Dei ſempiterno, cum Abrahamo inito; quo promiſit Deus, ſe futurum ipſius Deum & ſeminis ejus. Geneſ. 17. 7. quam promiſſionem, etiam nobis credentibus firmam eſſe, & ad nos pertinere, teſtatur Apoſtolus, ad Rom. 4. & 11. & ad Galat. 3. Unde conſequitur, credentium Chriſtianorum pueros eo ipſo, quòd eorum ſint ſemen, jam eſſe in Dei fœdere; ſicut olim filii Iſraëlitarum erant in fœdere. Ideo ſicut illis, quippe fœderatis, dabatur juſtitiæ fidei ſigillum circumciſio; ita noſtris parvulis eodem jure datur baptiſmus. Et ſicut Iſraëlitarum pueris ſine circumciſione decedentibus ſufficiebat, abſque ſacramento, ad obtinendam gratiam & ſalutem, ex pacto illo Dei fœderali, fides parentum vel Eccleſiæ; eodem privilegio nullatenus deminuto, vel anguſtiore facto, potiuntur Chriſtianorum pueri.

*Objectio.* 2. Reſiſtit Bellarminus, lib. 1. de baptiſmo, cap. 4. & ait, promiſſionem illam Abrahæ factam, quatenus remiſſionem peccatorum, & vitam importat æternam, ad nos quidem per Chriſtum pertinere; ſed ad nos deſcendere, non per carnalem generationem parentum, ſed per ſpiritualem regenerationem Chriſti: *illi enim*, docente Apoſtolo, *ſunt veri filii Abraham, non qui ſunt filii carnis, ſed qui ſunt filii fidei*; (*Gal. 3. 7.*) parvuli autem non incipiunt eſſe fideles, niſi per baptiſmum. Hæc ille.

*Solutio.* 3. Reſpondeo; Non deſcendebat remiſſio peccatorum, & jus vitæ æternæ, per carnalem generationem ad illos pueros, ex Abrahami ſtirpe carnali naſcentes; attamen ad illos deſcendebat, ex pacto fœderis Dei per Chriſtum Jeſum: qui eſt illud Abrahæ ſemen, (*Gal. 3. 16.*) in quo uno promiſſionum ſpiritualium Abrahamo factarum participes erant olim Iſraëlitæ, & nunc participes fiunt Chriſti. (*Hebr. 13. 8.*) *Jeſus Chriſtus heri & hodie; idem eſt etiam in ſecula.* Non dicimus per carnalem generationem tranſmitti gratiam Dei, ſed per Spiritum ſanctificantem ac regenerantem, ex Dei fœdere, participes fieri gratiæ Dei parvulos, qui ex fidelibus parentibus carnaliter generantur. Et quamvis parentes fideles non carnaliter ex Abrahamo oriundi ſint, eo ipſo tamen, quod per fidem filii ſint Abrahami, omni gaudere ſpirituali fœderis beneficio non minus, quàm illos fideles, qui ab Abrahamo per generationem etiam carnalem deſcendebant. Hoc autem erat inſigne fœderis beneficium ſpirituale & conſolationis ubertate refertum, quod etiam fidelium pueris, morte præventis, dabatur ex fœdere remiſſio peccatorum & vita æterna: idem igitur beneficium ſempiterni fœderis omnibus fidelium pueris conſtanter confertur: durat enim fœdus illud in Eccleſia, quoad omnem benedictionem ſpiritualem. (*Epheſ. 1. 3.*) *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui benedixit nobis omni benedictione ſpirituali in Cœleſtibus, in Chriſto.* Petrus Euangelium prædicans Judæis, eoſque hortans ad pœnitentiam & ſuſceptionem baptiſmi, in remiſſionem peccatorum, & annuncians accepturos donum Spiritus Sancti; doctrinam ſuam ita confirmat: *Vobis enim*, (inquit,) *facta eſt promiſſio, & liberis veſtris*, (*Act. 2. 38, 39.*) καὶ τοῖς τέκνοις ὑμῶν, *& omnibus qui longè ſunt, quoſcunque advocaverit Dominus Deus noſter.* At ſub Euangelio; οὐκ ἔνι Ἰουδαῖος, οὐδὲ Ἕλλην, (*Galat. 3. 28, 29.*) *Non eſt Judæus, neque Græcus; non eſt ſervus, neque liber; non eſt maſculus ac fœmina: Omnes enim vos unus eſtis in Chriſto Jeſu. Si autem vos Chriſti; ergo Abrahæ ſemen eſtis, & ſecundum promiſſionem hæredes.* inquit Paulus ad Galatas, in fine capitis tertii. *Judæo primum, tum & Græco; Non enim eſt perſonarum acceptio apud Deum.* Rom. 2. 10, 11. *Non enim qui in manifeſto, Judæus eſt; neque quæ in manifeſto, in carne, circumciſio: Sed qui in abſcondito, Judæus eſt; & circumciſio cordis, in ſpiritu, non litera: cujus laus non ex hominibus, ſed ex Deo.* (*Rom. 2. 10, 11, 28, 29.*) verſibus 28, 29. οὐ γάρ ἐστι διαστολή, *non enim eſt diſtinctio.* Rom. 3. 22. *an Judæorum Deus ſolum? annon & gentium? certè & gentium. quoniam quidem unus eſt Deus, qui juſtificabit circumciſionem ex fide, & præputium per fidem.* (*Rom. 3. 22, 29, 30.*) eodem cap. ver. 29, 30. *Non propter Abrahamum ſolum, ſed etiam propter nos.* cap. 4. 23, 24. (*Rom. 4. 23, 24.*) Ex quibus omnibus evidenter efficitur, in hæreditatem promiſſionis illius, qua Deus Abrahamo promiſit, ſe fore ei & ſemini ejus Deum: quatenus ſpiritualem aliquam benedictionem importat, ſucceſſiſſe non ſolum veteres Iſraëlitas, ſed omnes ſive ex Judæis ſive ex gentibus credentes in Chriſtum. ac propterea, quicquid inde veteres Iſraëlitæ, in Deum credentes, ſibi de parvulis ſuis morte interceptis polliceri potuerunt; idem Chriſtianis fidelibus perſuaſum eſſe debere de ſuis etiam parvulis, morte præventis. At illi ſibi polliceri potuerunt, ſuos illos parvulos eſſe cum Chriſto; ut ſupra oſtenſum eſt: ergo & hi, ſuos etiam eſſe cum Chriſto, perſuaſum habere debent. Item; Quicquid inde Judæi, tempore Euangelii Chriſtianiſmum amplexi, vendicare ſibi potuerunt benedictionis ſpiritualis; (*Supra cap. 6. §. 1. & §. 2.*) id ipſum æqualiter, ſine diſcrimine, convenit fidelibus ex gentibus; ut patet ex teſtimoniis Apoſtolicis ſuperiùs citatis: at hoc ſibi vendicare potuerunt Judæi Chriſtiani, quòd etiam ipſorum filii & filiæ, τὰ τέκνα, fœdere illo comprehenderentur; (*Act. 2. 39.*) teſte Petro Apoſtolo, act. 2. 39. Ergo & ex gentibus Chriſtiani hoc ipſum ſibi poſſunt vendicare.

4. Huc facit & illud Pauli dictum ad Corinthios, (*1. Cor. 7. 14.*) de ſanctitate prolis, vel ex altero parente fideli progenitæ; *Alioqui* (inquit) *pignora veſtra*, τὰ τέκνα ὑμῶν, *immunda eſſent: nunc autem ſancta ſunt.* Ea enim eſt Dei benignitas, & hæc promittentis mens fuit, (interprete Apoſtolo) ut promiſſionem Abrahamo factam pertinere voluerit ad unius etiam parentis fidelis filios, aut filias; etiamſi pars altera, ſive maritus, ſive uxor,

eſſet infidelis: ideoque etiam tali prognati conjugio parvuli baptizantur: quod immundis amborum infidelium puerulis non conceditur. Non, inquam, conceditur, ſed negatur, ex intuitu parentum infidelium: ſi autem in manus fidelium devenerint, & ſuſceptores fideles nanciſcantur, & hoc caſu eis conferatur baptiſmus, eo intuitu id fit, quia ſuſceptores fideles ſunt illis quaſi parentes, & parvuli ſunt ipſis filiorum loco.

*Object. 2.* 5. Abutebantur hoc Apoſtoli dicto Pelagiani, ut dicerent, infantes fidelium baptizari minimè debere; ut legimus apud Auguſtinum, lib. 2. de peccatorum meritis & remiſſione, cap. 25. *Solutio.* Reſpondet ibi Auguſtinus; Miror, (inquit) hoc dicere, qui negant, peccatum ex Adam originaliter trahi. Si enim hanc Apoſtoli ſententiam ſic accipiunt, ut credant de fidelibus ſanctificatos filios naſci, cur eos etiam ipſi baptizari oportere non dubitant? Cur denique nolunt fateri, de parente peccatore aliquod peccatum originaliter trahi, ſi de ſancto aliqua ſanctitas trahitur? Utrumque enim dixit, qui dixit; *Alioqui filii veſtri immundi eſſent: nunc autem ſancti ſunt.*

*Vide Conf. 1. Tap. Rom. dicta adverſus Pelagianam hæreſin. tom. 3. Concil. edit. Pariſ. pag. 637.*

*Auguſt. & Papiſtarum diſpar conditio; ſunt olim Cypriani & Donatiſtarum.* 6. Fateor quidem, Auguſtinum, odio hæreſeos Pelagianæ, urſiſſe ſimplicem baptiſmi neceſſitatem, non obſtante hac ſanctitate, de qua loquitur Apoſtolus: quod ut Auguſtino condonetur, non tamen ideo excuſari debet, neque ullo pacto probari, Papiſtarum pertinacia, poſt tantam veritatis manifeſtationem.

*Expoſitio textus 1. Cor. 7. 14.* 7. Interim obſerva, eam dicti illius Apoſtolici expoſitionem unicè probari Auguſtino, quâ illic intelligitur ſanctificatio, qua ſanctificabatur vir vel mulier infidelis in conjuge fideli, & quâ ſancti naſcebantur filii fidelium: hunc ſenſum verba Apoſtoli magis videntur ſonare, & quodammodo cogere, inquit Auguſtinus lib. 3. de peccatorum meritis & remiſſione, cap. 12. Hanc expoſitionem ibi præfert alii expoſitioni, quam & ipſe Auguſt. alibi, & Pelagius, cùm eandem ad Corinthios epiſtolam tractaret, attulerant, Quod, ſcilicet, exempla jam præceſſerant & virorum, *Rejicitur expoſitio incongrua.* quos uxores, & feminarum, quas mariti lucrifecerant Chriſto; & parvulorum, ad quos faciendos Chriſtianos voluntas Chriſtiana etiam unius parentis vicerat. Hanc, inquam, alteram illam anteponit, nec injuriâ. Nam etiam in oppoſitum exempla inveniuntur. Et argumentum eſt aliud, huic in textu Apoſtolico ſuccedens, ab eventûs boni ſpe, licet dubiâ, verſ. 16. at de filiorum ſanctitate, verſ. 14. non tanquam de re dubia & incertâ, ſed ut de re certâ, ſine ulla hypotheſi, abſolutè pronunciat, *Nunc autem ſancti ſunt.* Ergo hîc intelligitur quædam ſanctitas, quâ filii fidelium naſcuntur haud dubiè ſancti. Non autem eventus aliquis incertus poſtea forſitan ſequuturus, qui etiam fortaſſe non ſequetur.

*Alia expoſitio inſulſiſſima.* 8. Alia eſt quorundam expoſitio, ſanctos dici filios, id eſt, legitimos, non ſpurios. At tales ſunt etiam filii infidelium, legitimo toro nati. Non aſſequuntur Apoſtoli mentem, qui ſic ejus verba exponunt: fatemur quidem eximi fideli conjugi ſcrupulum, ne ſuſpicetur ſe jam pollui conſortio infidelis: at verò ad hunc ſcrupulum perfectè tollendum, non ſolùm à metu contaminationis ſcortatoriæ, (à qua etiam conjuges infideles immunes ſunt, dum ſervant leges conjugii) ſed etiam à metu pollutionis idololatricæ, & non ſancti conjugii, liberandæ erant Chriſtianorum conſcientiæ: ut ſcirent, liberos ſuos non ſolùm eſſe civiliter legitimos, quales eſſent, etiamſi neuter parentum eſſet Chriſtianus; ſed etiam ab idolorum inquinamentis immunes, & federaliter ſanctos, quales ſunt filii parentum fidelium: de quo maximè Corinthii dubitabant, metuentes ne non ſancta eſſet eorum cum infidelibus neceſſitudo conjugalis, adeóque filii inde naſcerentur immundi, quales infidelium. Et ideo hujuſmodi aliquam ſanctitatis aſperginem intelligendam cenſuit Auguſtinus, quæ amborum infidelium liberis non competat.

9. Quod verò eodem cap. 12. lib. 3. de peccatorum meritis & remiſſione, commemorat Auguſt. de obſervatione legum matrimonialium, quarum exemplum dat in abſtinentia tempore menſtrui, non ſufficit pro obtinenda hac ſanctitate, de qua loquitur Apoſtolus: nam & multi gentilium continenter & honeſtè uſi ſunt conjugio: & hodie defracti illi rami, infideles Judæi, hanc legem cuſtodiunt: ad quos in ſuis adverſus Chriſtum inimicitiis pereuntes non pertinere illud dictum Apoſtoli, [*Secundum electionem autem dilecti propter Patres.*] Sed illud duntaxat, [*Secundum Evangelium quidem inimici propter vos:*] Et duo epitheta inter ſe contraria, videlicet inimici & dilecti, non in eoſdem homines, ſed in eandem gentem convenire Judæorum, docet ipſe Auguſtinus, lib. de prædeſtinatione ſanctorum, cap. 16. Propterea rebellium iſtorum Judæorum parvulos non baptizamus. *Alia inſufficiens expoſitio.* *Rom. 11. 28.*

10. Huic igitur interpretationi dicti illius Apoſtolici ad Corinth. diffiſus Auguſt. lib. 2. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 12. *Sive*, (inquit,) *propter aliam quamlibet, quæ ibi apertè propoſita non eſt, ex ipſa neceſſitudine conjugiorum atque filiorum ſanctitatis aſperginem.* Hæc ibi. Et hoc quidem verum eſt, intelligendam illic eſſe quandam ſanctificationem, ſeu ſanctitatis aſperginem, quæ ſit propria filiis fidelium, cique omnibus communis. Aliquid hic, ſed non totum dixit Auguſtinus; cui, adverſus Pelagianos, peccatum originale negantes, dimicanti, durum & non ſatis tutum viſum eſt, attribuere filiis fidelium aliquam ejuſmodi ſanctitatem, quâ ſalvi fieri poſſent ſine ſacramento baptiſmi, ne ita peccati originalis exſortes naſci viderentur. Et tamen vidit, hanc eſſe optimam, & verbis Apoſtoli congruentiſſimam expoſitionem, qua intelligitur ſanctificatio, propter quandam ex ipſa neceſſitudine fidelis conjugis cum conjuge infideli, aſperginem ſanctitatis in filiis. Ulteriùs haud dubiè perrecturus, & in noſtram planè iturus ſententiam, ſi ei concederetur, naſci omnes etiam fidelium pueros obnoxios originali peccato, ideóque in ejus remiſſionem baptizari: & tamen oſtenderetur, eoſdem naſci ſanctos ex Dei federe, atque ideo ad baptiſmum admitti: & ex eodem federe ſalvari etiam abſque ſacramento baptiſmi, quando eo carent ſine ſua culpâ. Gratiæ Deo agendæ, quòd ejus dono tam multa viderit, & Eccleſiæ impertiverit beatus Auguſtinus; non ideo deſpiciendus Auguſtinus, quòd non omnia viderit, aut quòd alicubi humani aliquid paſſus ſit: neque cum ullo errandum eſt. *Expoſitio vera, ſed imperfecta.* [illegible]

11. At quomodo (inquies) iſta conſiſtunt: de peccato originali, & de ſanctitate eorundem puerorum, ab utero, vel etiam in utero. Reſpondeo: Diſtingue naturam & gratiam, & res expedita eſt: nam filii fidelium ſunt naturâ filii iræ, adeóque rei culpæ originalis; at per gratioſum Dei fedus ſunt ſancti. Peccatores *Object. 3. Solutio.* [illegible]



ſunt, quatenus per carnalem generationem in concupiſcentiali lege peccati carnaliter naſcuntur: federati tamen ſunt, quatenus, utut ſint peccato inquinati, ſunt tamen fidelium parentum filii; quibus Deus promiſit ſe fore in Deum, ideóque eis ut ſuis federatis, adeóque federaliter ſanctis, concedit etiam viſibile ſignum federis: quod extraneis non conceditur. [illegible]

12. Bellarminus, beatæ Virginis immaculatam conceptionem dum tueri ſatagit; Non negamus, inquit, B. Virginem naturâ fuiſſe filiam iræ; ſed addimus, gratiâ ſemper fuiſſe filiam miſericordiæ. lib. 4. de amiſſione gratiæ, & ſtatu peccati, cap. 16. §. Denique non negamus. Si nativitas, imò ſtatus perſonæ beatæ Virginis, jam inde à prima ejus animatione prorſus ab omni peccati labe immunis, (qualem ſomniavit cum Scotiſtis Bellarminus,) non obſtat, quo minus eadem beata Virgo naturâ fuerit filia iræ: multo minus obſtat ſanctitas illa federalis, quâ filii fidelium ſancti ſunt, quin de eiſdem veraciter dicatur, quòd ſint naturâ filii iræ. Nam ex generatione naturali trahunt naturam vitiatam; & ſimul ex Dei federe habent ſanctitatem federalem.

13. Neque dicimus, quod nos dicere fingit Bellarminus, (lib. de baptiſmo, cap. 4.) infantes fidelium naſci liberos à reatu originalis peccati, in quo ſe conceptum eſſe fatetur ipſe David, Pſalm. 51. 7. *Pſal. 51. 7.* Non enim mundiores concipiuntur, aut naſcuntur, quàm olim David: ideóque egent peccati illius remiſſione & regeneratione; abſque quâ non poſſunt intrare in regnum cœlorum. Sed hoc eſt quod dicimus; quemadmodum David natus eſt in federe Dei cum Abrahamo icto, & virtute illius federis accepiſſet remiſſionem peccati originalis & ſanctitatem regenerationis, vitamque æternam, ſi ante octavum ætatis ſuæ diem, abſque circumciſione, vitam cum morte commutaſſet; ſicut evenit filiolo ipſius Davidis, ex Bethſabe, quamvis per conjunctionem illicitam, concepto: nam infantibus in illo federe natis, ad bona illa ſpiritualia obtinenda ſufficiebat tunc fides parentum: quod ipſi fatentur ſcholaſtici, & Papiſtæ, & nos ſuprà oſtendimus: Sic etiam nunc fidelium infantes, quamvis ab ipſa etiam conceptione maculam trahant & reatum originalis peccati; comprehenduntur tamen ſempiterno illo federe, quo olim Iſraëlitarum filii, quantum ad promiſſiones ſpirituales remiſſionis peccatorum, & regenerationis, vitæque æternæ: ideóque, etiamſi ante acceptionem baptiſmi, morte intercipiantur; accipiunt tamen, virtute federis illius in Chriſto facti, hæc ſpiritualia bona. Non adferunt ſecum in mundum hæc ſpiritualia bona, ex generatione carnali; ſed adferunt peccatum & reatum: ſimul tamen ex Dei federe cum majoribus percuſſo adferunt ſecum jus federale, ad illa bona obtinenda. Et, reſpectu hujus juris federalis, dicuntur ſancti. Neque illis bonis privabuntur, propter irreprehenſibilem carentiam viſibilis ſacramenti; non enim hinc, ſed à ſtabilitate federis, & conſtantiâ promittentis, pendet eorum certitudo. [illegible]

14. Ex quibus etiam liquidò patet, non adverſari nobis effatum illud Tertulliani, *fiunt, non naſcuntur, Chriſtiani.* quod nobis objicit Bellarminus, tanquam axioma apud patres receptum. Quamvis non de infantibus Chriſtianorum loquatur ibi Tertullianus, ſed de ſeipſo aliiſque à paganiſmo ad Chriſtianiſmum converſis. Unde etiam Franciſcus Zephyrus, in ſua paraphraſi illius loci, Tertullianum introducit dicentem, *Non enim Chriſtianum dogma natura nobis conciliat: totum ab hæreſi noſtra eſt, quæ de certa potioris cognitione exoritur,* Ubi Zephyrus hæreſin, id eſt, electionem noſtram non opponit gratiæ, ſed naturæ. Hieronymus etiam idem dictum uſurpat, loquens de converſione à Paganiſmo ad Chriſtianiſmum. Epiſt. ad Lætam. quæ incipit: *Apoſtolus.* Attamen ſi extendatur illud dictum etiam ad infantes Chriſtianorum, nobis non repugnabit, qui non naturæ, ſed Dei gratiæ & federi gratiæ acceptam ferimus ſanctitatem illam federalem, cum qua naſcuntur Chriſtianorum infantes.

15. Idem etiam dicendum de iis, qui in utero moriuntur, nam, antequam è corpore migrarent, erant in federe, & virtute federis regenerationem acceperunt per operationem Spiritus Sancti. *Fidelium proles in utero moriens ſalvatur. vide infra cap. 11. §. 4. & §. 5. & §. 6.*

16. Objicitur inſtantia in Eſau, quem, fidelium licet parentum filium, nondum tamen natum, antequam aliquid egiſſet mali, Deus odiſſe dicitur. in Epiſtolâ ad Romanos capite 9. verſu 13. unde infert Bellarminus, filios ſanctorum non naſci ſanctos, libro de baptiſmo, capite quarto. Reſpondeo. I. Quid ſi ex eodem loco ab inſtantia Jacobi quis ita argumentetur; Jacobum & multos alios adhuc in utero exiſtentes dilexit Deus: ergo non omnes naſcuntur filii iræ quid reſpondebunt Papiſtæ? nempe, quamvis ſint naturâ filii iræ, eſſe tamen dilectos ex Dei miſericordiâ: & quidem eodem tempore, & eodem momento. Imperitè igitur Bellarminus ut immane abſurdum exagitat, ſi dicatur, filios fidelium eodem momento incipere ſanctos eſſe, quo incipiunt eſſe filii fidelium, id eſt, quo incipiunt eſſe ſimpliciter. ac ſi non poſſent ſimul ſancti eſſe ſanctitate federali ex Dei gratia, & eodem momento rei eſſe originalis peccati ex natura corrupta. *Object. 5. à prædeſtinatione. Rom. 9. 13. Solutio. Prima pars reſponſionis ad quintam objectionem.* *Bellarm. lib. 1. de baptiſ. cap. 4.*

17. Ex eadem inſtantiâ Jacobi ad omnes electos porrectâ, ſi ita argumentemur; qui Deo dilecti naſcuntur, non damnabuntur, ſed ſalvabuntur; ſi ſacramento, ſine ſua culpâ, carentes ex hac vitâ decedant: at omnes electi naſcuntur dilecti Deo. Ergo electi, ſi ſacramento baptiſmi ſine ſua culpa carentes ex hac vita decedant, non damnabuntur, ſed ſalvabuntur. quid aliud reſpondebunt, niſi quod olim Auguſtinus, hoc errore de baptiſmi neceſſitate deceptus, reſpondit, libro quinto contra Julianum, capite tertio, & libro tertio de origine animæ, capite decimo, Deum non permittere, ut aliquis prædeſtinatus ad vitam, ſine ſacramento Mediatoris, finiat hanc vitam: quos enim eligit ad vitam, eoſdem etiam prædeſtinâſſe ad baptiſmum; nec poſſe eos prædeſtinationi ejus eripi, & ante defungi, quàm in eis fuerit, quod omnipotens prædeſtinavit, impletum? Id ipſum etiam docuit Auguſtinus, de ſacramento Euchariſtiæ, Nullum ſcilicet electum abſque hoc ſacramento finire hanc vitam; neminem enim qui eo privatus deceſſerit, habiturum vitam æternam. lib. 1. contra Julianum, cap. 20. & epiſt. 106. & alibi. Papiſtæ autem, Auguſtini de Euchariſtiæ neceſſitate ſententiam deſerentes, arripiunt, & ambabus ulnis amplectuntur, quod non minus inconſideratè & perperam ab illo *Secunda pars reſponſionis ad quintam objectionem.* *vide ſupra cap. 1. §. 1. & §. 2.*

dictum eſt de neceſſitate baptiſmi. Auguſtinus, & alii Patres, contra Pelagianam hæreſin diſputantes, ex neceſſitate Euchariſtiæ, tanquam certiore magiſque compertâ, inferunt neceſſitatem baptiſmi, ut ignotiorem magiſque controverſam. At Papiſtæ, everſis præmiſſis, non ceſſant affirmare concluſionem, quam ſine ulla idoneâ probatione, identidem reponentes, inverecundè petunt principium.

18. Libenter quidem agnoſcimus, Deum ſuis electis media ad ſalutem neceſſitate medii ſimpliciter neceſſaria efficaciſſimè providere. at, hujuſmodi medium eſſe ſacramentum baptiſmi, falsò aſſeritur, ut eſt à nobis plurimis invictis rationibus demonſtratum. Nec eſt idonea illa Auguſtini argumentatio, quâ talem neceſſitatem conatur adſtruere ſacramento baptiſmi,
Marc. 16. 16. Marc. 16. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.* Quis autem neſciat, credere eſſe infantibus baptizari; non credere autem, non baptizari? lib. 1. de peccatorum meritis & remiſſione, cap. 27. Non eſt, inquam, idonea iſta Auguſtini ab illis Domini verbis argumentatio. Nam, 1. fides & baptiſmus toto genere differunt: & ita ſunt diſparata, (cùm fides ſit inviſibilis gratia, baptiſmus ſignum viſibile; illa ſpiritualis, hoc corporale,) ut alterum de altero non poſſit in caſu recto propriè prædicari. 2. ſigillum juſtitiæ fidei baptiſmus non datur adulto, niſi prius habenti aut profitenti fidem propriam; nec infanti, niſi prius habenti fidem ſaltem alienam; & hæc ex Dei fœdere, & veraci benignitate, ſupplet vicem fidei propriæ; non baptiſmus, qui non res, ſed ſignum eſt. 3. Locum illum Euangelii Marci Innocentius 3. Papa Rom. Extra, de baptiſmo, cap. 3. & Scotus, in 4. ſent. diſt. 4. qu. 1. dicunt, debere intelligi de adultis; per illud quod præcedit, *qui crediderit, & baptizatus fuerit.* Vel poteſt dici, (inquit Scotus,) quòd qui non crediderit nec actu, nec habitu, condemnabitur, quia ſecundùm Apoſto-
Hebr. 11. 6 lum Hebr. 11. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum.* Parvuli autem, etſi non poſſunt habere actum credendi, poſſunt tamen habere habitum. Hæc Scotus. Sed Innocentio Papæ magis probatur prior ſolutio, loco citato. Nec fas dicere, habitum infanti ad ſalutem neceſſarium non dari, niſi per ſacramentum baptiſmi: nam Deus ſalutem hominis non alligavit ſacramentis; & poteſt infans habere, multique infantes ex lege communi habent, omnem gratiam neceſſariam, abſque ſacramento; ut multis jam argumentis docuimus: quamvis contemtus ſacramenti ſit contemnenti exitialis, ejuſque acceptio etiam infanti ex Divina inſtitutione ſit valde utilis. Hæc eſt ſecunda pars reſponſionis noſtræ ad quintam objectionem, à prædeſtinatione ſumtam. ſequitur pars tertia.

*Tertia pars reſp. ad objec. 5.* 19. Ad inſtantiam, de Eſau, quod attinet, quæro; ſi Eſau in ætate infantili ex hac vitâ deceſſiſſet, ſtatim poſt acceptam circumciſionem: utrùm ſalvaretur, nec ne? Si ſalvum negent; falſum erit, omnes infantes, accepto regenerationis ſacramento, in infantia morientes, certò ſalvari; quos tamen omnes certò ſalvari, non ſolùm Auguſtinus, ſed univerſa tenuit Eccleſia, teſte Auguſtino, lib. 4. de baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 23. & 24. Si ſalutem ei concedant; quid fiet de illo divino odio, ſeu reprobatione, nondum nati? quid reſtat, niſi ut dicant, Deum non permittere, ut hæc duo in uno eodemque homine concurrant; videlicet, reprobatio, & obitus in ætate infantili, poſt acceptum ſignaculum juſtitiæ fidei?

20. Rurſum de Eſavo quæro; Si in ætate infantili ante acceptam circumciſionem mortuus eſſet; utrùm ſalvaretur, nec ne? idipſum etiam quæro de reprobis fidelium parentum filiis ſub lege naturæ ante inſtitutam circumciſionem, ſi in ætate infantili morerentur; utrùm ſalvarentur nec ne? ſi ſalutem eis abjudicent; contradicunt Ambroſio, & Gregorio primo Papæ Romano, & Bernardo, & ſcholaſticis: qui omnibus infantibus veterum fidelium ſub lege naturæ, in ætate infantili mortuis, & infantibus fidelium Abrahamidarum, circumciſione ſine ſua culpâ deſtitutis, & in ea ætate defunctis, juſtificationem tribuunt, vitamque æternam: ſicut *Supra cap. 4.* oſtendimus ſuperius, in duabus primis rationibus noſtris principalibus contra peremtoriam neceſſitatem baptiſmi. Si verò eiſdem ſalutem adjudicent; immenſa ſequetur abſurditas, videlicet, reprobos ſalvari. Neque hic aliud eſt effugium, niſi ut dicant, non potuiſſe in uno eodemque homine iſta duo temporibus illis concurrere, ut, ſcilicet, & reprobus eſſet, & fidelium parentum filius in ætate infantili ex hac vitâ decedens. Pari jure idipſum aſſerendum & credendum eſſe de pueris fidelium parentum jam tempore Euangelii, manifeſtiſſimè docuimus ſuprà, capitibus 6. & 7. in exegeſi & defenſione duarum primarum rationum noſtrarum principalium: & hæc quoque quinta ratio à Dei federe ſumta idipſum evincit.

21. Quamvis igitur reprobi fidelium parentum filii naſcantur in Dei federe, adeòque ſint federaliter ſancti; non tamen in eodem federe uſque ad hujus vitæ exitum manent, ſed violato Dei federe, ab eodem per tranſgreſſionem propriam alienantur, in hac vita. Quod ſi non alienati defungerentur, non perirent, adeòque non eſſent reprobi, ſive eis in ætate infantili mors contingeret, ſive in adulta ætate crederent, & fedus Dei perſeveranter cuſtodirent. Cur autem illos Deus noluerit ex hac vita, in ætate tenellâ, nondum fedus tranſgreſſos, transferre, nec adultis dare perſeverantem federis obſervationem, inſcrutabilia ſunt Dei judicia. Non enim ob præſtita merita bona, vel mala, alium in utero elegit, cui iſtam gratiam daret, alium odit, ſeu decrevit ei iſtam gratiam non donare: ſed, quia ipſi Deo ita viſum eſt: cur autem ei ſic viſum ſit, cum ambo pariter in eâdem peccati originalis contagione, & corruptæ naturæ maſſa eſſent; Deus ipſe novit juſtiſſimas rationes, ſed nobis inſcrutabiles.

22. Aliud eſt, naſci ſanctum ex federe; aliud, renaſci ſanctum ex Spiritu. Illâ enim ſanctitate ſancti ſunt omnes filii fidelium: hac ſoli electi. Poſſunt quidem ſacramento tenus, & quoad quandam etiam Spiritus participationem renaſci, & conditionatam quandam ac revocabilem accipere peccatorum remiſſionem, etiam reprobi; qualem ſervus ille debitor decem millium talentorum, Matth. 18. & Apoſtatæ illi, *Matth. 18. 27. 34. Hebr. 6. 4.* de quibus ad Hebr. 6. at radicatam fidem in corde puro, & abſolutam atque irrevocabilem peccatorum remiſſionem conſequuntur ſoli electi. Conditio utriſque propoſita eſt, ſi à Deo non receſſerint prævaricatione propriâ, ſaltem finaliter. Hebr. 3. 6, 14. Electis datur vel non omnino diſcedere, ut omnibus fidelium parvulis in infantia morientibus; vel reſipiſcentes mori, ut adultis: at reprobis fidelium parentum filiis neutrum datur. Non igitur pugnat ſanctitas federalis cum Divina prædeſtinatione. Docet enim ſacra Scriptura, evenire quandoque, ut filii regni, οἱ υἱοὶ τῆς βασιλείας, ejiciantur in tenebras exteriores, Matth. 8. 12. quorum tamen fuit adoptio & gloria & federa, & legiſlatio, & cultus & promiſſiones. Rom. 9. 4. ut οἱ κατὰ φύσιν κλάδοι, naturales rami quidam per infidelitatem defrangantur: quemadmodum ex altera parte evenire cernimus, ut qui non ex radice ſanctâ ſancti, ſed ex oleaſtro profani naſcuntur, inſerantur & conſortes fiant radicis ac pinguedinis oleæ. cap. 11. ad Romanos. ut qui extranei erant à pactis promiſſionis, aſſumantur per Dei gratiam in ſocietatem federis, Epheſ. 2. 12, 13. ut qui non Chriſtiani, ſed Pagani naſcuntur, fiant Chriſtiani: & qui cum federali ſanctitate nati ſunt ex parentibus Chriſtianis, Chriſtum deſerant & pereant. Poteſt igitur qui reprobus eſt, naſci in federe, & eſſe federaliter ſanctus: & poteſt qui electus eſt, naſci alienus à republica Iſraelis, & extraneus à pactis promiſſionis.



23. Notanda eſt (ut alias interim diſtinctiones mittamus) triplex ſanctitas. I. Eſt ſanctitas federalis, generationem naturalem concomitans ex Dei federe. Qua ſanctitate ſancti dicuntur liberi fidelium. II. Eſt ſanctitas regenerationis ſacramentalis & viſibilis, quæ ſanctitas intelligitur, quando de apoſtatis ait Apoſtolus, *eos ſanguine federis ſanctificatos eſſe*, ad Hebr. 10, 29. id eſt, ſacramento baptiſmi initiatos; ut colligere eſt ex loco parallelo in eadem epiſtola, cap. 6. verſ. 4. *Impoſſibile eſt,* (inquit,) τοὺς ἅπαξ φωτισθέντας, &c. *ſemel illuminatos*, id eſt, baptizatos: Syrus interpres vertit, qui ſemel ad baptiſmum [לְמַעְמוּדִיתָא *Lemaghnamuditha*.] deſcenderunt. Hinc Dionyſius lib. de Eccleſiaſtica Hierarchia, capite 3. part. 1. dicit, quòd baptiſmus homines primi Luminis participes faciat, πρώτου φωτὸς μεταδίδωσι. Et de eodem ſacramento ibidem ait, αὕτη τὸ πρῶτον ἰδεῖν ἐδωρήσατό μοι. ipſum primò cernere mihi dedit. Et infert, ideo meritò baptiſmum dictum eſſe φώτισμα, id eſt, illuminationem. Et Juſtinus martyr, apologiâ ſecundâ pro Chriſtianis, diſſerens de baptiſmo, ait; καλεῖται δὲ τοῦτο τὸ λουτρὸν φωτισμὸς, ὡς φωτιζομένων τὴν διάνοιαν τῶν ταῦτα μανθανόντων. id eſt, vocatur autem lavacrum hoc *illuminatio*, quòd eorum qui hæc diſcunt, mentes illuminentur. Hinc & Cyrillus Hieroſolymitanus conciones ſuas Catecheticas de myſterio baptiſmi, appellavit catecheſes φωτιζομένων, illuminatorum. Et Clemens Alexandrinus, l. 1. pædagogi. cap. 6. ait, baptiſmum vocari χάρισμα & φώτισμα, & τέλειον, & λουτρὸν, quæ nomina ibi prolixè exponit. Et Ambroſius ex hoc loco capitis ſexti ad Hebræos infert, non poſſe iterari baptiſmum: in Commentario in hunc locum. Idem in verba illa capitis decimi, [qui Filium Dei conculcaverit, & ſanguinem Teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, &c. Quomodo (inquit) conculcat quis Filium Dei? quando eo indignè participatur per ſacramenta. —— factus eſt per gratiam corpus Chriſti, & ſe ipſum facit corpus diaboli: & ſanguinem Chriſti polluit, in eo quod mundatus eſt, & ad vomitum revertitur priſtinum, &c. Hac baptiſmali regeneratione & ſanctitate regeneratus & ſanctus, ſeu federatus vel Chriſtianus factus eſt Simon magus, ut & multi alii reprobi. Unde ait Auguſtinus, lib. 4. de baptiſmo, cap. 10. homines ex parte diaboli, & ideo nequaquam ad columbam unicam pertinentes, poſſunt tamen accipere, & habere, & dare baptiſmi ſanctitatem, nullo modo ſuâ perverſitate violatam. Hæc ille. III. Eſt ſanctitas regenerationis ſpiritualis & inviſibilis, quæ, vel cum reliquis duabus ſpeciebus ſanctitatis, vel cum alterutra, vel etiamſi ſola ſit, eſt per ſe immediatè ſalutifera: at neque nativa illa federalis, neque ſacramentalis ſanctitas per ſe immediatè adfert ſalutem, ſed tantùm per ſanctitatem ſpiritualem ſalvant. Ideo Auguſtinus ait; Quomodo ergo & Moyſes ſanctificat, & Dominus? non enim Moyſes pro Domino, ſed Moyſes viſibilibus ſacramentis per miniſterium ſuum: Dominus autem inviſibili gratiâ per Spiritum Sanctum, ubi eſt totus fructus etiam viſibilium ſacramentorum. Nam ſine iſta ſanctificatione inviſibilis gratiæ, viſibilia ſacramenta quid proſunt? hæc Auguſtinus, quæſtione 84. ſuper Leviticum. Eis tamen, qui in illis ſanctitatibus, vel in earum alterutra, id eſt, in Dei federe, abſque perſonali, vel ſaltem abſque finali federis violatione, manent; data eſt haud dubiè etiam hæc ſanctificatio inviſibilis gratiæ. Quia Deus promiſit, ſe fore Deum fidelium, & ſeminis eorum, niſi ſemen illud Deum peccando deſeruerit.

24. Quibus abſurdum videtur, eundem hominem eſſe Deo exoſum & reprobum, & tamen *Septima pars reſp. ad objectionem 5.*
eſſe federaliter ſanctum, ac federatum Dei filium, ac Chriſtianum; reſpondeant quid ipſis videatur de Simone Mago, multiſque aliis reprobis, quos Eccleſia per lavacrum regenerationis ſacramentaliter generat Deo & ipſi Eccleſiæ filios, & federatos, atque adeò Chriſtianos? qui eodem tempore & Chriſtiani ſunt, & reprobi. *Dei filii quidam nō filii. Deut. 32. 5, 19, 20.*
Simul exoſi, & filii: ſive, ut loquitur Moſes, *filii non filii*, filii in quibus nulla eſt fides, generatio prava & perverſa. Deut. 32. verſibus 5, 19, 20. Ideo Auguſtinus, qui reprobis quibuſdam etiam rem ſacramenti ad tempus dari putabat, ſolâ eis negatâ in bono perſeverantiâ, dixit de eis; Iſti cum piè vivunt, dicuntur filii Dei; ſed quoniam victuri ſunt impiè, & eâdem impietate morituri, non eos dicit filios Dei præſcientia Dei. Sunt enim filii Dei, qui nondum ſunt nobis, & ſunt jam Deo: de quibus ait Euangeliſta Johannes, *quia Ieſus moriturus erat pro gente: nec tantùm pro gente, ſed etiam ut filios Dei diſperſos congregaret in unum*: quod utique credendo futuri erant per Euangelii prædicationem; & tamen, antequam eſſet factum, jam filii Dei erant in memoriali Patris ſui inconcuſsâ ſtabilitate conſcripti. *Ioan. 11. 51, 52.* Et ſunt rurſus quidam qui filii Dei, propter ſuſceptam vel temporalem gratiam, dicuntur à nobis; nec ſunt tamen Deo. —— *Si manſeritis in verbo meo*, ait Dominus, *verè diſcipuli mei eritis*: quia ergo non habuerunt perſeverantiam, ſicut non verè diſcipuli *Ioan. 8. 31.*
Chriſti; ita nec verè filii Dei fuerunt, etiam quando eſſe videbantur, & ita vocabantur. Hæc Auguſtinus, lib. de correptione & gratia, cap. 9. Similia ſcribit lib. 5. de baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 27.

25. Quod alibi idem Pater ſcripſit de parvulis

*Octava pars reſp. ad objectionem 5.*

vulis baptizatis, idem & nos dicimus de omnibus fidelium parvulis, etiam non baptizatis: quia omnes in fœdere generantur & ſancti ſunt. Cæterùm quis ignorat, (inquit Auguſtinus) quòd baptizatus parvulus, ſi ad rationales annos veniens non crediderit, nec ſe ab illicitis concupiſcentiis abſtinuerit, nihil ei prodiderit, quòd parvus accepit. Veruntamen, ſi percepto baptiſmate de hac vita emigraverit, ſoluto reatu cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo lumine veritatis, quod incommutabiliter manens in æternum, juſtificatos præſentia Creatoris illuminat. libro primo de peccatorum meritis & remiſſione, capite vigeſimo. Ratio Auguſtini erat; quia exiſtimabat omnes infantes baptizatos juſtificari: de quo poſtea, ſi Deus voluerit, inquiremus, cum ventum fuerit ad effectum baptiſmi. Noſtra autem ratio eſt; Quia quicunque in Dei fœdere gratioſo ſemel eſt, neque unquam ab illo fœdere ſe avertit, ille haud dubiè bona ſpiritualia fœdere promiſſa, videlicet juſtificationem vitamque æternam conſequitur: Quia Deus verax eſt; & certum eſt, illum hominem non eſſe reprobum, ſed electum. Qui verò à Dei fœdere, propriâ tranſgreſſione, ſe avertit, & in ea averſione ex hac vita decedit, ille in peccatis ſuis moritur, æternumque perit, & eſt reprobus, non electus. Neque poſſibile eſt, ut reprobus ſit qui moritur in Dei fœdere, quod nunquam ſuâ propria tranſgreſſione violavit: nam originalem culpam talium quod attinet, remiſſionis ejus promiſſio continetur illo Dei fœdere, *Ero Deus tibi, & ſemini tuo*. Nullum poſtea parvulus, de quo loquimur, admiſit peccatum, adeóque non excidit jure & beneficio fœderis. Sicut impoſſibile eſt, ut reprobus ſit quicunque adultus in vera fide vitæque novitate perſeverat. Eſt certè non ſolùm ineptum, ſed & impium eſt, velle inter ſe committere Dei decretum, ejuſdemque fœdus, aut alteri per alterum conari quippiam derogare. Nam Dei non minus immota eſt promittentis veracitas, quàm prædeſtinantis conſtantia. Ideo cuicunque ſe promiſit fore Deum, nunquam eum deſeret Deus, niſi deſerentem.

*Impiis nihil prodeſt baptiſmus, quem parvuli acceperunt.*

*Infra, cap. 16.*

*Gen. 17.7.*

*Nona pars reſp. ad objectionem 5.*

26. Etiamſi filium, aut filiam, eſſe parentum fidelium, & ante rationis uſum ex hac vita transferri; etiamſi inquam, hæc duo ſimul concurrentia dent certum indicium electionis: non tamen hinc ſequitur, omnes parentum infidelium infantes in ætate infantili morientes eſſe reprobos. Nam, ſicut quoſdam infidelium liberos in adulta ætate adducit in ſocietatem fœderis, donando eis fidem, & reliqua fœderis bona; Qui quamvis extranei à pactis promiſſionis nati ſint, ſemper tamen fuerunt in Dei præſcientia filii Dei, & quidem verè filii: Sic etiam piè credimus, Deum eâdem ſua immenſa indulgentiâ multos etiam infidelium parvulos per infuſam latenter gratiam ſanctificare, &, remiſſa originali noxâ, jam innocentes regno ſuo cœleſti inferre.

*De parvulis infidelium.*

*Decima pars reſp. ad object. 5.*

27. Quando fideles parentes dicimus, non exiſtimamus neceſſarium eſſe, ut proximi parentes ſint vivâ fide præditi, aut prædeſtinati ad vitam æternam: ſed ſufficit, ſi ſint in fœdere, ut ſunt omnes Chriſtiani, qui Chriſtianis ſacris initiati, fidem Catholicam in unitate catholicæ Eccleſiæ profitentur. Nec nocebit parvulo fœderato aliena hypocriſis; Et ſi quid amplius deſideretur, ſuppletur per fidem Eccleſiæ, & per ſanguinem fœderis, quem Chriſtus in paſſione fudit etiam pro parvulis, certò valiturum ad ſalutem omnibus fœderatis, à fœdere nunquam diſcedentibus, vel illud non finaliter deſerentibus.

*Hypocritarum filii ſunt in fœdere.*

*Undecima pars reſp. ad object. 5.*

28. Neque ab hac fœderis gratioſi ſocietate excludimus filios hæreticorum & ſchiſmaticorum. Quamvis enim extra unitatem Eccleſiæ baptiſmus ad peccatorum illam irrevocabilem remiſſionem non valeat, in hæreſi aut ſchiſmate conſtituto; ut monet Auguſtinus, libro tertio de baptiſmo contra Donatiſtas, capite decimo ſeptimo: Tria ſunt tamen Chriſtianæ doctrinæ axiomata, quæ ab eodem Patre paſſim inculcantur, quibus moveor, ut dubitare non audeam de ſalute puerorum, qui hæreticis aut ſchiſmaticis parentibus geniti migrant ex hac vita, ante annos rationales: illos intelligo hæreticos & ſchiſmaticos, à quibus baptizatos ſuſcipit Eccleſia, quorum idcirco parvulis jure fœderis debetur ſacramentum baptiſmi. ſicut olim Iſraëlitarum à Judæis avulſorum pueris debebatur circumciſio.

*Tria axiomata.*

29. Primum axioma eſt; qui intus in Catholica ſocietate flagitioſi ſunt, licet habeant ſanam fidem dogmaticam, & per ipſius columbæ miniſterium baptizentur; per malam tamen vitam, aut hypocriſim ſuam, tenent ipſi adverſum ſe debita peccatorum ſuorum irremiſſa, non minus quam hæretici, aut ſchiſmatici: nec ſanctorum preces, id eſt, illius unicæ columbæ gemitus poterunt adjuvare, donec ipſi reſipiſcant. Quamvis enim intus cum gemitu tolerentur, non tamen ad unicæ illius columbæ membra pertinent, aut ad ejus unitatem, magis quàm hæretici, & ſchiſmatici. Hoc docet Auguſtinus, lib. 3. de baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 17. & cap. 18. & lib. 5. cap. 3. & cap. 27. & alibi. Unde etiam paſſim infert, verum eſſe baptiſmum quem conferunt hæretici, aut ſchiſmatici, qui apertè foris ſunt; Quia verum eſſe baptiſmum agnoſcimus qui miniſtratur à ſceleratis, qui unitatem intus præ ſe ferunt. *Manifeſta* (inquit Apoſtolus) *ſunt opera carnis, quæ ſunt adulterium, fornicatio, &c.* inter quæ & diviſiones ponit, & hæreſes. At multi etiam intus (inquit Auguſtinus) ſecundùm opera mala carnis vivunt, quæ cum hæreſibus damnat Apoſtolus, & tamen baptizant & baptizantur: Cur ergo ſoli hæretici dicuntur baptiſmum habere non poſſe, quem habent ſocii damnationis ipſorum? Auguſtinus, lib. 6. de baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 12.

*Gal. 5.19. 20. 21.*

*Secundum axioma.*

30. Secundum axioma eſt; In quibus hæretici, aut ſchiſmatici, cum Eccleſia Catholica conſentiunt, in eis ab illa non disjunguntur: ſed ex ea parte in texturæ compage detinentur. Proinde ſi quem ſociaverint ſibi, ex ea parte nectitur Eccleſiæ, in qua nec illi ſeparati ſunt. hoc docet Auguſtinus lib. 1. de baptiſmo contra Donatiſtas, capp. 1. 2. 8. unde infert, cap. 10. Itaque una eſt Eccleſia, quę ſola Catholica nominatur, & quicquid ſuum habet in communionibus diverſorum à ſua unitate ſeparatis, per hoc quod ſuum in eis habet, ipſa utique generat, non illæ.

*Tertium axioma.*

31. Tertium axioma eſt; Omnes tum fidelium, tum infidelium infantes ſunt per naturam pariter filii iræ; *eramus* (inquit Apoſtolus) *natura filii iræ, ὡς καὶ οἱ λοιποί, ſicut & reliqui*. Eos omnes infantes in eadem maſſa pares facit, in epiſtolâ ad Rom. cap. 9. unâ Adami tranſgreſſione

*Epheſ. 2.3.*

*Rom. 9.11. 21.*

omnes



*Rom. 5.12.*

omnes peccavimus, omnes in condemnationem incidimus, Rom. 5. Omnis mali ſeminarium cum natura ipſa acceperunt ab Adamo non minus immediati ejus filii, quàm qui nunc tot interpoſitis generationibus naſcuntur. ſicuti copioſius docuimus in expoſitione ſanctionis, adjectæ ſecundo præcepto Decalogi. Nam natura primo illo lapſu ita eſt inquinata, ut nullius ſemen nequitiæ, quod per ſuccedentium parentum lapſus adjiceretur, ei deeſſet. Fieri quidem poteſt, & evenire cernimus, ut pro parentum proximorum temperamento, & gentili quadam hujus magis quàm illius actualis peccati aſſuetudine, radicalis illa, ſive originalis, perverſitas ita interdum filiis communicetur, ut etiam filii ad hunc quàm ad illum amarum fructum paratiores ſint: at quemadmodum diverſitas colorum, & complexionum, & inclinationum naturalium irreprehenſibilium, non addit, nec demit quicquam perfectioni humanæ naturæ, neque argueret in hominibus non lapſis diſparitatem valetudinis: ita diverſitas iſta, qua ad hæc magis quàm ad illa particularia peccata quidam proclives ſunt, & alii ad illa magis quàm ad hæc, non arguit diſparem participationem communis radicalis corruptionis, quæ continet ſemen omnium ſcelerum, per quod omnes infantes ex virili ſemine concepti omnimodæ pravitatis pariter rei ſunt in origine. Ideo nullum inter infantes agnoſcit diſcrimen Apoſtolus, quoad corruptionem & reatum originalem. Unde efficitur, filios non eſſe reos peccatorum illorum perſonalium, quibus interpoſiti inter eos & Adamum progenitores perſonas ſuas proprias magis contaminaverunt: non enim eſt eis magis ſordidata natura quæ communicatur filiis. Et hoc argumento paſſim utitur Auguſtinus, in ſuis ſcriptis contra Pelagianos, ut doceat à nullo diſcrimine perſonarum humanarum in ſeipſis, ſed à ſolo Dei beneplacito pendere diverſitatem prædeſtinationis aliorum ad vitam, aliorum ad interitum. Sicut ex amarulenti ſucci arbore, licet amariſſimis fructibus onuſtâ, genitus ſurculus non fructuum illorum arbori propriorum, ſed ſolam communem toti ſpeciei amaritudinem radicalem trahit: ſic in propagine peccati.

32. Cum igitur Chriſtianorum parentum infantibus non magis officiat hæreſis aut ſchiſma parentum, quàm alia eorundem ſcelera; Non obſtantibus autem aliis ſceleribus, liberi eorum naſcantur in fœdere, fœderaliter ſancti, ideóque ad baptiſmum recipiantur: idem dicendum de liberis hæreticorum illorum & ſchiſmaticorum, de quibus loquimur.

33. Item; Qui modo ſuperiùs memorato (§. 30.) conjuncti manent in compage texturæ Eccleſiæ Catholicæ, eorum infantes ſunt fœderati; Qui autem ſunt fœderati, ſeu in fœdere, neque ipſi inde diſcedunt, neque peccato aliquo proprio fœdus violant, illi haud dubiè potiuntur ſalvificis beneficiis fœdere promiſſis, ipſâque æterna ſalute: tales ſunt hæreticorum illorum & ſchiſmaticorum pueri, ante rationis uſum ex hac vita migrantes. Ergo.

34. Adhæc qui parentibus hæreticis aut ſchiſmaticis oriundi, participes ſunt fœderis gratiæ & Catholicæ unitatis, non autem ſunt participes aut rei hæreſeos, aut ſchiſmaticæ ſeparationis, qua parentes ſeipſos ſolos privant beneficiis fœderis & texturæ Catholicæ; neque unquam ab eodem fœdere & compage texturæ catholicæ per ullam tranſgreſſionem propriam ſeparantur; illi, non obſtante parentum ſuorum hæreſi aut ſchiſmate, manent ſemper in Dei fœdere, & catholicæ texturæ compage; adeóque unicæ illius columbæ membra ſunt, & permanent, certoque ſalvantur: at tales ſunt liberi hæreticorum illorum & ſchiſmaticorum: ergo.

*A ſecunda & tertia.*

*1. Cor. 7. 14.*

35. Denique, cum ex diſpari conjugio Chriſtiani cum Paganâ, vel Chriſtianæ cum Pagano, filii naſcantur non immundi, ſed ſancti, teſte Apoſtolo; non obſtante alterius parentis idololatriâ, & abſolutâ ac totali disjunctione à Catholica Eccleſiâ, & ab omni profeſſione Chriſtianiſmi; certè neque obſtabit amborum Chriſtianorum parentum, in compage texturæ catholicæ ita manentium, ut in eorum ſocietate baptizatos recipiat Eccleſia Catholica; non obſtabit, inquam, eorum error, aut impietas, quo minus eorum filii naſcantur ſancti. Certè quâ parte detinentur hæretici, aut ſchiſmatici, in compage texturæ Catholicæ, eâ ex parte fides eorum eſt orthodoxa & Catholica: quos autem huic orthodoxæ & catholicæ fidei adnectunt errores, ii ad infantes non pertinent. Quamvis enim ex Dei fœdere proſit parentum fides ad incluſionem liberorum in fœdere, non tamen valet ad eos excludendos adjuncta fidei parentum prævaricatio. Cum fide autem parentum, qua parte ea orthodoxa eſt & catholica, concurrit etiam & infantibus ſuccurrit fides Eccleſiæ Catholicæ, in cujus compage infantes iſti naſcuntur, & ſanguis fœderis quo certò ſalvantur omnes fœderati, qui fœdus nunquam deſerunt.

*Duodecima pars reſp. ad object. quintam.*

*Ubi de nothis & ſpuriis.*

*Ezech. 18. 20.*

36. Sancti fœderaliter naſcuntur omnes Chriſtianorum parentum filii, non ſolùm qui ex legitimo conjugio, ſed etiam qui ex ſtupro, adulterio, vel inceſto naſcuntur. Nam, ut ſuprà docuimus, poſt primum humani generis lapſum, peccata parentum actualia non imputantur filiis ad excluſionem eorum è regno Dei, quorum ipſi ſe non reddunt participes, ea actualiter imitando vel approbando. *Anima enim quæ peccaverit, ipſa morietur: filius non portabit iniquitatem Patris.* In fœdere nati ſunt Phares & Zara, quamvis ex inceſto; & filiolus Davidis & Bethſabes, quamvis ex adulterio! quem ſeptimo die, ſine circumciſione, defunctum Pater non putavit lugendum; quia eum pro innocentia credidit eſſe victurum: flebat, ne ſibi eriperetur; ſed flere deſivit ereptum, quem ſciebat eſſe cum Chriſto, inquit Ambroſius, concione funebri in obitum Valentiniani. Id quod puero illi non ex ſpeciali aliquo privilegio, ſed ex lege communi eveniſſe, oſtendimus ſuprà, capite ſexto, in Exegeſi primæ noſtræ rationis principalis contra rigidam illam & erroneam ſententiam de neceſſitate baptiſmi. Idcirco etiam filios excommunicatorum, vel ex ſcortatione natos, baptizat orthodoxa Eccleſia, etiamſi parentes impœnitentes ſint. De quo vide, ſi placet, Irenicum noſtrum, libro ſecundo, capite decimo quinto.

*De parvulis excommunicatorum & impœnitentium.*

CAPUT

## CAPUT UNDECIMUM.

### *Contra eandem opinionem, Sexta noſtra ratio, ſumta à martyrio infantium.*

*6. Ratio principalis, à martyrio Infantium.*

SExta noſtra ratio principalis eſt; Chriſtianorum infantes non baptizati, ſi in infantia propter Chriſti nomen interficerentur, eſſent martyres, & ſalvarentur; ergo iidem, ſi communi morte in eadem ætate abſque baptiſmo, & abſque martyrio defungantur, ſalvantur. Ratio conſequentiæ eſt; quia ad verum martyrium tria concurrunt, videlicet, pœna, & cauſa, & fides. Martyrem non facit pœna, ſed cauſa: ait Auguſtinus, epiſt. 61. qui etiam alibi martyrem deſcribit, quòd, quia credidit, paſſus ſit, lib. 4. de baptiſmo, cap. 22. Jam utar verbis Bernardi; Quapropter, (inquit,) etſi martyrium vicem baptiſmi poſſe implere conceditur, non planè hoc facit pœna, ſed ipſa fides. Nam abſque ipſa quid eſt martyrium, niſi pœna? quæ ergo martyrio præſtat, ut abſque ulla dubietate pro baptiſmate reputetur, ipſa ita infirma & imbecillis per ſe erit; ut quod dare alteri valet, ſola non valeat obtinere? Et prorſus ſanguinis pro Chriſto effuſio, magnæ cujuſdam fidei indubitata probatio, non Deo tamen, ſed hominibus. Sed quid ſi Deus, qui profectò ad probandum quod vult, nullis indiget experimentis, æquè magnam in corde cujuſdam in pace morientis inſpicit fidem, martyrio quidem non interrogatam, martyrio tamen idoneam? Hæc Bernardus epiſt. 77. ad Hugonem de S. Victore. Et Alexander Alenſis, ut martyrium ſuppleat vicem baptiſmi aquæ & Spiritûs, dicit requiri fidem cum pœna & cauſa, ut omnia concurrant. part. 4. quæſt. 8. membro 9. art. 4. §. 4.

*Ad verum martyrium tria concurrunt.*

2\. Sic igitur argumentor; Qui in ſtatu ad martyrium idoneo moriuntur, ſalvantur: at omnes Chriſtianorum pueri, ante rationis uſum morientes, ſive ſacramentum baptiſmi acceperint, ſive non acceperint, moriuntur in ſtatu ad martyrium idoneo: ergo omnes Chriſtianorum pueri, ante rationis uſum morientes, ſive ſacramentum baptiſmi acceperint, ſive non acceperint, ſalvantur.

*Syllogiſm.*

3\. Hujus ſyllogiſmi major ex prædictis manifeſta eſt. quod ſi excipias, non tantum valere fidem alienam, puta Eccleſiæ fidem parvulo, quantum valet propria adulto; eam nos exceptionem ſuprà exploſam dedimus, cap. 8. in vindiciis rationis noſtræ tertiæ principalis, in ſolutione quartæ & aliquot ſequentium objectionum. Minor ab omnibus conceditur, nam ſi in eo ipſo ſtatu in quo tranquillam mortem obeunt iſti parvuli, interficerentur pro Chriſti nomine, eſſent martyres. Effuſio autem ſanguinis propter Chriſtum vicem gerit baptiſmatis; inquit Thomas, loquens de pueris Bethleemiticis, & aliis omnibus parvulis, qui pro Chriſto occiduntur. 2. 2. quæſt. 124. art. 1. ad 1. Baptiſmus ſanguinis, (inquit, Angelus de Clavaſio) eſt communis adultis & parvulis: quia ſi parvuli interficiantur pro Chriſto, puta in deteſtationem fidei Chriſti, quam tenent parentes, ejus ſunt martyres, ſecundum Theo. & ſecundùm Petrum de Palude in 4. etiamſi eſſent in ventre, & in deſpectu Chriſti mater percuſſa abortum faceret, vel interficeretur. Hæc Angelus, in Summa, verbo, *Baptiſmus*, cap. 1.

*Confirmatio partium ſyllogiſmi.*

4\. Idipſum de parvulis in utero materno pro Chriſto interfectis, ſcribit Richardus de media villa, cum aliis, quorum ipſe ſententiam refert & laudat, inquiens: Ideo ea piè & rationabiliter videtur dicendum ad argumentum, quòd quamvis puer in utero matris baptiſmo aquæ baptizari non poſſit; quia ibi ipſum ſenſibile ſacramentum ſuſcipere non poteſt, & quia ibi Eccl. militanti ignotus eſt: tamen, quia ad ipſum effuſio ſanguinis pertingere poteſt, & Deo notus eſt, qui principaliter baptizat, per effuſionem ſanguinis illatam pro fide, ab originali peccato purgari poteſt. Hæc Richard. in 4. ſent. diſt. 4. art. 2. qu. 5.

5\. Scotus eandem tuetur ſententiam; quod ſi (inquit,) quis perſequitur matrem gravidam, eadem de cauſa perſequitur parvulum in utero ejus: ergo ſi mater occiditur pro juſtitia, ſimiliter & parvulus. Si autem parvulus occideretur extra uterum, haberet baptiſmum ſanguinis, ſi pro juſtitia vel fide occideretur etiam non baptizatus: ergo eodem modo rationabile eſt, quod Deus non contemnet eum, pro ſimili cauſa in utero matris paſſum. Hæc Scotus, in 4. ſent. diſt. 4. quæſt. 3. num. 2.

6\. Ex his efficitur, omnes Chriſtianorum parvulos & parvulas, in utero morientes, ſalvari: nam etiamſi non omnes pro Chriſto occidantur, omnes tamen in ſtatu ad martyrium idoneo moriuntur. Et virtute fœderis omnes, antequam morerentur, acceperunt baptiſmum flaminis, ut vocant, id eſt, regenerationem ſpiritualem, cum qua morientes in cœleſtem gloriam infallibiliter recipiuntur.

## CAPUT DUODECIMUM.

### *De miniſtro baptiſmi. Argumentatio Cypriani, & Firmiliani, & collegarum; item Donatiſtarum, & Hieronymi: contra miniſtrationem Laïcalem.*

NOn hic quæſtio vertitur de baptizantis hæreſi, aut ſchiſmate, aut qualitercunque flagitioſa ejus vitâ, aut occultâ intentione; num per aliquod horum impediatur ſacramenti baptiſmi veritas, ſeu integritas. Oſtenſum eſt, non impediri, ſuprà, initio hujus libri, ubi de integritate & veritate baptiſmi diſſeruimus, contra Donatiſtas, & Novatianos, & Arianos, & intentionarios.

2\. Inter argumenta autem, quibus utebantur olim Cyprianus, & Firmilianus, eorumque collegæ, & poſtea Donatiani, contra veritatem baptiſmi ab hæreticis miniſtrati, hoc ipſis non poſtremæ notæ eſſe videbatur, quod hæretici non haberent jus dandi baptiſmum, id eſt, amiſſis jam ſacris ordinibus, non eſſent verè Epiſcopi aut Presbyteri, ideóque ab illis acceptus baptiſmus non alio numero habendus, quàm qui eſſet acceptus de manu Laïci.

*Cypriani, & aliorum argumentum quem baptizavit* [illegible]

3\. De Cypriano & Firmiliano, eorumque collegis, perſpicua ſunt Baſilii verba, ad Amphilochium, epiſtolâ canonicâ 1. canone 1. ubi eorum opinionem referens, de illis, qui ab Eccleſia ad hæreſin diſceſſerant, & rationem commemorans, qua impulſi baptiſmum ab eis miniſtratum repudiabant, ait: Οἱ δὲ ἀπορραγέντες, λαϊκοὶ γενόμενοι, οὔτε τοῦ βαπτίζειν, οὔτε τοῦ χειροτονεῖν εἶχον τὴν ἐξουσίαν —— διὸ ὡς παρὰ λαϊκῶν βαπτιζομένους, τοὺς παρ' αὐτῶν ἐκέλευσαν ἐρχομένους ἐπὶ τὴν ἐκκλησίαν, τῷ ἀληθινῷ βαπτίσματι τῷ τῆς ἐκκλησίας ἀνακαθαίρεσθαι. id eſt, qui autem abrupti ſunt, laïci effecti, neque baptizandi neque ordinandi habebant poteſtatem. —— idcirco eos, qui ab ipſis ad Eccleſiam veniebant, tanquam à laïcis baptizatos, jubebant vero Eccleſiæ baptiſmo expurgari. Neque aliud reſpondet Baſilius, niſi; ἐπειδὴ δὲ ὅλως ἔδοξέ τισι τῶν κατὰ τὴν Ἀσίαν, οἰκονομίας ἕνεκα τῶν πολλῶν, δεχθῆναι αὐτῶν τὸ βάπτισμα, ἔστω δεκτόν, id eſt, Sed quoniam nonnullis Aſiaticis omnino viſum eſt, propter multorum œconomiam & diſpenſationem, baptiſma eorum ſuſcipi, ſuſcipiatur. Hæc ille. Quinam illi Aſiatici fuerint, qui Catharos (nam de illis expreſſè & ſimilibus diſſerit ibi Baſilius) ad Eccleſiam venientes non ſolum ſine nova tinctione, ſed etiam in gradu ſuo clericali receperint, patet ex octavo canone magni Nicæni Concilii: ubi Catharis redeuntibus, & per ſolam manuum impoſitionem reconciliatis, abſque ulla novâ vel tinctione vel ordinatione conceditur μένειν αὐτοὺς ἐν τῷ κλήρῳ. quod decretum imitati Catholici in Africa, Epiſcopis & Presbyteris ex parte Donati venientibus permiſerunt, ut eadem officia gererent, quæ gerebant, nec rurſus ordinabantur, teſte Auguſtino, libro ſecundo contra epiſtolam Parmeniani, capite decimo tertio.



4\. Idem argumentum, quo uſi fuerant Cyprianus & Firmilianus, uſurparunt poſtea Donatiani, referente Auguſtino, libro ſecundo contra epiſtolam Parmeniani, capite decimo tertio. Nam illud (inquit) quod quidam eorum, veritate convicti, dicere cœperant, baptiſmum quidem non amittit qui recedit ab Eccleſia, ſed jus tamen dandi amittit: multis modis apparet fruſtra & inaniter dici. Primò, quia nulla oſtenditur cauſa, cur ille qui ipſum baptiſmum amittere non poteſt, jus dandi amittere poſſit. Utrumque enim ſacramentum eſt, & quadam conſecratione utrumque homini datur: illud cum baptizatur; illud cum ordinatur: ideóque in Catholica utrumque non licet iterari. Poſtea ſubjungit ibidem aliam reſponſionem Auguſtinus, ſed cunctanter & timidè; Quanquam (inquit) etſi laïcus aliqua dederit pereuntis neceſſitate compulſus, quod cum ipſe acciperet, dandum eſſe addidicit, neſcio an piè quiſpiam dixerit eſſe repetendum. Nullâ enim cogente neceſſitate ſi fiat, alieni muneris uſurpatio eſt: ſi autem neceſſitas urgeat, aut nullum, aut veniale delictum eſt. Tertiò ſubjicit; Et hæc quidem alia quæſtio eſt, utrum & ab iis qui nunquam fuerunt Chriſtiani, poſſit baptiſmus dari: nec aliquid temerè inde affirmandum eſt ſine auctoritate tanti Concilii, quantum tantæ rei ſufficit. His autem duabus poſterioribus reſponſionibus diffiſus, ad priorem ſe recipit, ſubjungens; De iis qui ab Eccleſiæ unitate ſeparati ſunt, nulla jam quæſtio eſt, quin & habeant & dare poſſint, & quin pernicioſè habeant pernicioſéque tradant extra vinculum pacis; hoc enim jam in ipſa totius orbis unitate diſcuſſum, conſideratum, perfectum atque firmatum eſt. Sed ſi nos malè facimus, ipſi explicent, quomodo ſacramentum baptizati non poſſit amitti, & ſacramentum ordinati poſſit amitti: quoniam dicunt, recedens ab Eccleſia baptiſmum non amittit, jus dandi tamen amittit. Si enim utrumque ſacramentum eſt, quod nemo dubitat; cur illud non amittitur, & illud amittitur? Neutri ſacramento injuria facienda eſt. Si ſancta malos fugiant, utrumque fugiat: Si ſancta in malis inviolabiliter manent, utrumque maneat. Hæc Auguſt. lib. 2. contra epiſtolam Parmeniani, cap. 13.

5\. Nec abſimilis illa Hieronymi argumentatio, in dialogo adverſus Luciferianos, qui ab Epiſcopis Arianis baptizatos recipiebant, at ipſos Epiſcopos ad Eccleſiam Catholicam venientes non recipiebant in ſuo gradu ut Epiſcopos, ſed ut laïcos. Cur (inquit) non recipiat clericos, qui recipit laïcos pœnitentes? Item, quamobrem oro te, ut aut ſacrificandi ei licentiam tribuas, cujus baptiſma probas: aut reprobes ejus baptiſma, quem non exiſtimas ſacerdotem. Item; Arianus baptizat, ergo Epiſcopus eſt; non baptizat? tu refuta laïcum, & ego non recipio ſacerdotem. Item; Novam rem aſſeris, ut Chriſtianus quiſquam factus ſit ab eo, qui non fuit Chriſtianus. Item; Proba mihi, ab Arianis venientem laïcum habere baptiſmum, & tunc ei pœnitentiam non negabo. Si verò Chriſtianus non eſt, ſi non habuerit ſacerdotem qui eum faceret Chriſtianum; quomodo aget pœnitentiam homo qui necdum credit? Subdit Luciferianus; Æquumne tibi videtur, ut Arianus Epiſcopus ſit? Reſpondet Hieronymus; Tu eum Epiſcopum probas, quia ab eo recipis baptizatum. Et poſtea, de ipſo Lucifero; Unum eſt (inquit) quod etiam in præſenti conſtanter loquar, verbis eum à nobis diſſentire, non rebus; ſiquidem recipiat qui ab Arianis baptiſma conſequuti ſunt. Hæc ibi Hieronymus. quibus ſtantibus, corruat illud neceſſe eſt, quod in eodem dialogo, ex Tertulliano ſumtum, legimus, baptizare, ſi neceſſitas cogit, licere etiam laïcis. Certè parùm attentus ad propoſitæ diſputationis molem & controverſiæ cardinem fuit beatus Hieronymus, quando illud de baptiſmo laïcali interjecit, vel potius excidere ſibi paſſus eſt. quod ſi arriperet adverſarius, hoc uno ariete reliquam omnem illius dialogi ſtructuram facilè proſterneret. quam enim in promtu, ſi baptizare licet etiam laïcis, ratumque eſt quod à laïco miniſtratur baptiſma, non eo Epiſcopum probo, quia ab eo recipio baptizatum!

*De Luciferianis vide etiam ſupra, cap. 2. §. 12. & infra, lib. 12. cap. 10. §. 20.*

*Argumentatio Hieronymi, congruens cum argumentatione Cypriani, & Firmiliani, &c.*

*Vide infra cap. 14. §. 1.*

*Hieronymus ſuum ipſius argumentum* [illegible] *evertat.*

6\. Sed ut paulò diſtinctius diſſeramus, tres hic ſe offerunt quæſtiones. Prima eſt; quibus liceat baptizare? Altera; utrum baptiſma per laïcos, aut etiam per infideles aut mulieres, miniſtratum, ratum ſit ac verum baptiſma, ſive licitè ſive illicitè uſurpata ſit ejus miniſtratio; atque adeò, an qui à talibus tincti ſunt, ſint iterum tingendi, nec ne? Tertia quæſtio eſt; quid ſentiendum de eis, qui propter errorem invaleſcentem, quo cenſentur verum accepiſſe baptiſmum, non rurſum tinguntur, licet revera non acceperint verum ſacramentum baptiſmi?

*Tres quæſtiones.*

## CAPUT DECIMUM-TERTIUM.

### *Quibus liceat baptizare.*

IGnatius epiſtolâ ad Heronem diaconum; Nil ſine Epiſcopis facito, ſacerdotes enim ſunt; tu verò ſacerdotum miniſter, ἐκεῖνοι βαπτίζουσιν, ἱερουργοῦσι, χειροτονοῦσι, χειροθετοῦσι, σὺ δὲ αὐτοῖς διακονεῖς, illi baptizant, ſacrificant, ordinant, manus imponunt; tu verò illis miniſtras, ut ſanctus ille Stephanus Jacobo & Presbyteris qui erant Hieroſolymis.

2. Epiphanius, hæreſ. 79. quæ eſt Collyrid. §. 4. ὅτι διάκονοι ἐν τῷ ἐκκλησιαστικῷ τάγματι ἐπιτελεῖν μυστήριον ἐπιτέτραπται, ἀλλὰ μόνον διακονεῖν τὰ ἐπιτελούμενα. id eſt, (Dionyſio Petavio Jeſuita interprete) Neque diaconis quidem ipſis ullum in Eccleſiaſtico ordine ſacramentum perficere conceditur, ſed hoc duntaxat, ut eorum, quę perficiuntur, miniſtri ſint.

3. Gelaſius Papa Romanus, hujus nominis primus, epiſt. 9. ad Epiſcopos Lucaniæ. Diaconos quoque (inquit) propriam conſtituimus ſervare menſuram, nec ultra tenorem paternis canonibus deputatum, quippiam tentare permittimus: nihil eorum penitus, ſuo miniſterio applicare, quæ primis ordinibus propriè decrevit antiquitas. abſque Epiſcopo vel Presbytero baptizare non audeant, niſi, prædictis fortaſſe officiis longius conſtitutis, neceſſitas extrema compellat. quod & laicis Chriſtianis facere plerunque conceditur. Hæc Gelaſius.

4. Iſidorus Hiſpalenſis, libro 2. de officiis Eccleſiaſticis, capite 24. Illud verò quod nec privatis nec clericis ſine gradu baptizare liceat, niſi tantùm ſacerdotibus, in Euangelio legimus Apoſtolis tantùm permiſſum. Jeſu poſt reſurrectionem dicente illis, *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Et cum hoc dixiſſet, inſufflavit, & ait eis; *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta erunt.* Et in alio loco; *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti.* Unde conſtat, baptiſma ſolis ſacerdotibus eſſe traditum, cujuſque myſterium nec ipſis diaconibus explere eſt licitum abſque Epiſcopis vel Presbyteris, niſi illis procul abſentibus ultima languoris cogat neceſſitas. quod & laicis fidelibus plerunque permittitur, ne quiſquam ſine remedio ſalutari de ſeculo evocetur. Hæc Iſidorus.

Joan. 20. 21, 22, 23.

Matth. 28. 19.

5. Thomas ait, Sicut ad ſacerdotem pertinet conſecrare Euchariſtiam: ita ad proprium officium ſacerdotis pertinet baptizare. 3. part. qu. 67. art. 2. item; Solus ſacerdos poteſt baptizare ex officio. in 4. ſent. diſt. 7. qu. 3. art. 1. ad 3. Bellarminus, ſolis ſacerdotibus convenire, ait, jus baptizandi ex officio ordinario. lib. 1. de baptiſmo, cap. 7 & hanc dicit eſſe unanimem omnium Catholicorum ſententiam.

6. Nihilominus Scholaſticos Doctores, & Florentini Concil. an. D. 1439. celebrati, auctoritatem ſequuti, permittunt Pontificii nonſolum diacono baptizare abſente vel jubente ſacerdote, ſed etiam laicis baptizatis, imò non baptizatis, ipſiſq; adeò Judæis, & Paganis, imò etiam quibuſcunque mulieribus fas eſſe pronunciant baptizare ſine ſollemnibus cerimoniis, in caſu neceſſitatis. Hoc ſervato ordine, ut mulier, ſi vir adſit qui ritum ſciat, & hujus ſacramenti conficiendi peritus ſit, aut laicus præſente clerico, clericus coram ſacerdote, non baptizet. Catechiſm. Trident. ſive Roman. part. 2. cap. 2. quæſt. 18. & qu. 19. quamvis ibidem qu. 18. ſolis Epiſcopis & ſacerdotibus datum eſſe, ut jure ſuo, non extraordinaria aliqua poteſtate, hoc munus exerceant, confirmetur præcepto illo Dominico, *Euntes baptizate.* Matt. 28.

Error Papiſtarum.

7. Inprimis illud ridiculum, quod laicis & Paganis & mulieribus concedunt, quod in hac miniſtratione præcipuum eſt, & ſolum divino jure inſtitutum, ſoliſque injunctum ſacerdotibus, puta baptizare; eiſque accidentariarum cerimoniarum introducto per homines apparatu, quaſi per ludibrium, interdicunt. quaſi verò in talibus aſſumentis humanis, ac non potiùs in ipſo divinitus inſtituto baptiſmate ſitum eſſet opus ſacerdotale vel Apoſtolicum. Dicitur in jure canonico; Acceſſorium naturam ſequi congruit principalis. De regulis juris, in Sexto, reg. 42.

8. Deinde, quod eſt unicum hujus erroris fundamentum, extrema illa neceſſitas quam ſomniant baptiſmi, nobis ſuperiùs labefactata, convulſa, penituſque ſubverſa eſt. Nullâ autem cogente neceſſitate ſi fiat, alieni muneris uſurpatio eſt, inquit Auguſt. lib. 2. contra epiſt. Parm. cap. 13. Laicus ſacerdotale munus uſurpans ſupplicio Oziæ afficietur, inquit Clemens, lib. 3. Conſtitutionum, cap. 10. ubi in operibus ſacerdotalibus laico non faciendis ponit baptizare. Unde efficitur, nunquam licere laico baptizare.

9. Porrò nec illud animadvertunt Papiſtæ, ſe ſua vineta nec opinantes cædere, dum ſic argumentantur, licet miniſterium verbi ſit proprium Apoſtolorum & ſucceſſorum, juxta illud, *Euntes docete,* Matth. 28. omnes tamen tenentur in articulo neceſſitatis docere & inſtruere ignorantes. Ergo eodem modo, licet munus baptizandi ſit proprium ſacerdotum; tamen in neceſſitate licebit etiam laicis, & feminis baptizare. ſic Bellarminus, lib. 1. de baptiſmo, cap. 7. Nam hoc argumento non ſolùm publicæ privatæque inſtructionis, aut baptizationis diſcrimen evertunt, ſed etiam arma illa ſibi eripi videbunt, quibus pugnant contra reformatas Eccleſias, de vocatione miniſtrorum. Concedemne etiam laicis in extrema reformandæ Eccleſiæ neceſſitate, non ſolùm fas eſſe, ſed etiam ex lege charitatis neceſſe eſſe uſurpare quamlibet partem muneris Apoſtolici? Nam hujus argumenti præſidio poterunt licitè prædicare, baptizare, Euchariſtiam conſecrare, &c. imò ordinare, quamvis non ordinati: ſicut aſſeritur, non baptizatos poſſe baptizare. Rectius Thomas, paſtorale docendi munus ſive publicè ſive privatim uſurpare nulli concedit, qui non ſit ad hoc munus vocatus & ordinatus, 3. p. qu. 67. artic. 1. ad 2. fraternam inſtructionem & commonefactionem debemus alii aliis ex Dei mandato, Coloſſ. 3. 16. Hebr. 3. 13. & 10. 24, 25. Neq; exſpectandus articulus neceſſitatis, ut huic Dei mandato pareamus. At nuſquam in ſacris literis comparet diſtinctio miniſtrationis baptiſmi in fraternam, & paſtoralem, ſed ſolis imperata eſt & conceſſa paſtoribus, quibus etiam ſolis ea docendi convenit poteſtas, quam verbo illo [μαθητεύσατε] contulit Dominus. Matth. 28. 19.

10. Richardus de media villa, in 4. ſent. diſt. 5. art. 3. quæſt. 2. hanc reddit rationem, cur baptiſmus non poſſit tradi ab Angelo malo, in ſpecie





hominis apparente; Quia (inquit) nullus baptizare poteſt, niſi ſibi ſit à Deo poteſtas baptizandi conceſſa. Hinc inferre licebit, non poſſe baptiſmum tradi ab aliquo homine qui non ſit Presbyter; quia nulli alii conceſſa eſt à Deo poteſtas baptizandi. Nuſquam enim in ſacris literis invenitur, eam poteſtatem aliis eſſe conceſſam. De diaconis autem dicit Catecheſis Romana, eis ſine Epiſcopi aut ſacerdotis conceſſu, non licere hoc ſacramentum adminiſtrare. part. 2. cap. 2. qu. 18. Et Alexander Alenſis ait, ſolis ſacerdotibus baptizare licitum eſſe ex officio ſuſcepto. Aliis autem ex divina diſpenſatione, interveniente ſtatuto, cum urget periculum part. 4. qu. 8. memb. 6. art. 1. Et Thomæ verba ſunt; Non eſt diaconus proprius miniſter baptiſmi, nec alicujus ſacramenti. in 4. ſent. diſt. 5. quæſt. 2. art. 1. Caſu neceſſitatis excepto, (inquit Richardus) non debet baptizare niſi ſacerdos. Hæc Richardus de media villa, in 4. ſentent. diſtinct. 5. artic. 4. quæſt. 1. Eugenius quartus, Papa Romanus, in Concilio Florentino, in decreto ſuper unione Armeniorum; Miniſter (inquit) hujus ſacramenti eſt ſacerdos, cui ex officio competit baptizare. In cauſa autem neceſſitatis non ſolum ſacerdos, vel diaconus, ſed etiam laicus, vel mulier, imò etiam Paganus vel hæreticus baptizare poteſt, dummodo formam ſervet Eccleſiæ, & facere intendat quod facit Eccleſia. Hæc Eugenius. Hinc manifeſtum eſt, communem eſſe ipſorum Romanenſium doctrinam, quod ſoli ſacerdoti, ſeu presbyteralem ordinem habenti, competat ex officio baptizare. quod autem aliis etiam aliquando permittant baptizare, id eos facere ex concepta illa opinione ſimplicis neceſſitatis hujus ſacramenti, quam opinionem erroneam & falſam eſſe ſuprà prolixè docuimus.

11. Adferunt Pontificii ex ſacris literis exempla quædam; Primum Sephoræ, quæ Moſis & ſuum filium circumcidit, Exod. 4. at circumciſio figura erat baptiſmi. Unde inferunt, licere etiam mulieribus in caſu neceſſitatis baptizare. Ad hoc argumentum reſpondent Calvinus, libro 4. Inſtitut. cap. 15. §. 22. & Whittakerus, in ſuis prælectionibus de ſacramentis, in controverſia de baptiſmo, quæſt. 3. cap. 2. & Chamierus, Panſtratiæ tomo 4. libro 5. capite 14. §. 10. & aliquot ſequentibus paragraphis; & Ameſius, in Bellarmino enervato, tomo 3. libro 2. capite 2. §. 2. & alii. Nos duo ſeligemus, quæ nobis videntur maximè appoſita & inconcuſſa reſponſionis capita. 1. Præſente Moſe, primario Prophetâ, hoc fecit Sephora: at Papiſtæ ajunt, non licere mulieri baptizare præſente viro etiam laico, nedum ſacerdote. ergo aut relinquere oportebit hoc ſingulare & extraordinarium factum, nec ad imitationem erit trahendum; aut inde colligendum eſt, licere mulieribus etiam præſente ſacerdote baptizare. à quo tamen ipſi etiam abhorrent Papiſtæ. Regerit Bellarminus, libro primo de baptiſmo, capite ſeptimo. Moſen, ſi potuiſſet, fuiſſe circumciſurum filium ſuum, nec permiſſurum, ut eo præſente circumcideret mulier; ſed ita fuiſſe ab Angelo tunc vexatum, ut quia ipſe non poterat, ſignificaret uxori, ut illa id faceret. Reſpondeo, qui vexabat negligentem, non vexaſſet, ſed potiùs ſolatus eſſet, obedientem. Deinde, ſi juſſu Prophetiæ id fecit, ſalva res eſt. Exſpectant etiam noſtræ mulieres Prophetæ alicuius juſſionem. Hoc prius reſponſionis noſtræ capitulum. Alterum eſt; Nulli certo miniſtrorum ordini munus circumcidendi erat injunctum, adeóque non uſurpavit Sephora alienum munus: ſecus ſe habet de baptiſmo. quemadmodum nihil legitur, quod impediret laicos mactare agnum paſchalem, qui erat figura ſacramenti Euchariſtiæ; nec tamen inde ſequitur, poſſe jam laicos in caſu neceſſitatis conſecrare Euchariſtiam.

12. Exempla ex Novo Teſtamento à Papiſtis hæc adferuntur. Ipſo die Pentecoſtes, antequam ulli ordinarentur Epiſcopi, aut Presbyteri, baptizata ſunt tria hominum millia, Actor. 2. quod non poterat commodè fieri per ſolos Apoſtolos; oportuit igitur, ut etiam alii baptizarent, qui erant laici. Nam etiam ſeptuaginta diſcipuli eo tempore laici erant. Item Ananias, qui erat planè laicus, Paulum baptizavit, Actor. 9. Petrus Cornelium, & ejus familiam, baptizari juſſit à fratribus qui ſecum venerant; quos fratres probabiliſſimum eſt non fuiſſe Apoſtolos, nec diaconos, ſed ſimplices diſcipulos, Act. 10. Philippus quoque diaconus baptizavit Samaritanos, & Eunuchum Æthiopem, Act. 8.

*Exempla ex novo Teſtamento.*

*Act. 2. 41.*

*Act. 9. 18.*

*Act. 10. 48.*

*Act. 8. 12, 38.*

13. Reſpondeo. De tribus millibus commodè reſponderi poſſe, quòd non fuerit impoſſibile tot illo die ab ipſis Apoſtolis baptizari, ait Salmero Jeſuita, tractatu decimo quinto in Acta. Nam, eodem Salmerone teſte ibidem, unus Franciſcus Xavier apud Indos uno die baptizavit quindecim millia. ita occurrit Chamierus. Ut taceam abſurdum eſſe dicere, ſeptuaginta diſcipulos eo tempore fuiſſe laicos, quos jam ante Chriſtus ipſe vocaverat ad miniſterium Euangelii, quos conſtituerat publicos in meſſe operarios, quos miſerat commiſſione publicâ inſtructos, quibus dixerat, *qui vos audit, me audit.* Luc. 10. & repugnat hoc commentum judicio veteris Eccleſiæ, quæ Presbyteros aſſerit eſſe ſucceſſores ſeptuaginta diſcipulorum, ut Epiſcopos Apoſtolorum. quod autem dicit Bellarminus, Dominum ſacerdotes non ordinaviſſe, niſi in ultima cœnâ, ubi ſoli erant Apoſtoli: multis modis ineptum eſt. Nam niſi ſacerdotes ſumat pro Presbyteris, ludit inſcitè vel impudenter; ſi autem non ante fuerant Apoſtoli Presbyteri, quomodo baptizabant, ordinariè, ipſo Chriſto præſente? Joan. 4. 2. Liceat igitur laicis etiam ordinariè baptizare, præſente Epiſcopo. Deinde quod de ſacerdotum inſtitutione in ultima cœna factâ finxerunt Romanenſes, refutavimus prolixè in Irenico, in Exegeſi propoſitionis decimæ tertiæ, prope finem, ubi de ſacerdotibus & ſacrificio. Denique ipſi Romanenſes docent, neceſſitatem baptiſmi non cœpiſſe, antequam lex Euangelica de baptiſmo palam promulgata eſt, poſt Chriſti mortem & reſurrectionem; ſicut monuimus ex Bernardo & ſententiariis, ſuprà, capite 9. §. 10. & §. 11. Sic etiam Thomas in Summa, parte tertia, quæſtione ſexageſima ſexta, articulo ſecundo. Porrò iidem docent, non eſſe licitum alicui, qui non eſt Presbyter, baptizare, extra caſum neceſſitatis. At Apoſtoli ante ultimam cœnam licitè baptizabant, extra caſum neceſſitatis: unde, ex ipſorum Romanenſium principiis efficitur, Apoſtolos ante ultimam cœnam fuiſſe Presbyteros.

*De tribus millibus die Pentecoſtes baptizatis.*

*De 70. diſcipulis.*

*Luc. 10. 16.*

*Verum Apoſtoli ſacerdotes fuerunt ante ultimam cœnam, necne.*

*Joan. 4. 2.*

14. De Anania ſufficit dicere, habuiſſe eum immediatam à Chriſto revelationem & præceptionem, quâ deſtituuntur noſtri laici. addimus etiam, minus audacter dici à Bellarmino eum fuiſſe

*De Anania, qui baptizavit Paulum.*

duntaxat laïcum, quum illic fuerit Eccleſia Chriſtiana, quam non ſineret Dominus, aut Apoſtoli, deſtitutam paſtore. Sed nobis ſatis eſt, fuiſſe Prophetam cœleſti auctoratum oraculo.

*De Philippo, & de baptizatione Cornelii, & eorum qui cum illo erant.*

15. De Philippo; Eum ſacra Scriptura teſtatur fuiſſe Euangeliſtam, & immediatis revelationibus ductum. Act. 8. 21. Cornelium ejuſque familiam juſſit Petrus baptizari, id eſt, juſſit aquam adferri; ut in textu expreſſe legitur: & juſſit eos ex ipſius Petri manu ſacramentum ſuſcipere; huic contrarium nihil oſtendi poteſt. Sed fortaſſe (inquies) juſſit eos baptizari per fratres, qui cum eo venerant. Reſpondeo, neque ulla evidenti ratione demonſtrari poteſt, fratres illos fuiſſe merè laicos, neq; ab illis Cornelium ejuſq; ſocios baptizatos. Lorinus in eum locum, nihil obſtat (inquit) vel inſignem Cornelii perſonam baptizare Petrum voluiſſe, vel reliquos quoque familiares ejuſdem. Gloſſa quoque interlinearis ambiguum relinquit; à ſociis ſuis, vel à ſeipſo.

*Quinta refutatio, quæ eripitur Papiſtis auxilium Eccleſiaſticæ antiquitatis.*

16. Circumſpectant denique à veteribus Patribus auxilium. Tertullianus ait, libro de baptiſmo, adverſus Quintillam, cap. 17. Supereſt, ad concludendam materiolam, de obſervatione quoque dandi & accipiendi baptiſmum commonefacere. Dandi quidem habet jus ſummus ſacerdos, qui eſt Epiſcopus. Dehinc Presbyteri, & diaconi, non tamen ſine Epiſcopi auctoritate, propter Eccleſiæ honorem. quo ſalvo, ſalva pax eſt. Alioquin etiam laicis jus eſt. quod enim ex æquo accipitur, ex æquo dari poteſt. Et paullò inferius; Petulantia autem mulierum quæ uſurpavit docere, utiq; non etiam tinguendi jus ſibi pariet, niſi ſi quæ nova beſtia evenerit ſimilis priſtinæ: ut quemadmodum illa baptiſmum auferebat, ita aliqua per ſe eum conferat. Hæc ibi. Idem libro de præſcript. adverſus hæreticos, cap. 41. Ipſæ (inquit) mulieres hæreticæ quàm procaces, quæ audeant docere, contendere, exorciſmos agere, curationes repromittere, forſitan & tingere. Item lib. de virginibus velandis, cap. 9. Non permittitur mulieri in Eccleſia loqui, ſed nec docere, nec tinguere, nec offerre, nec ullius virilis muneris, nedum ſacerdotalis officii ſortem ſibi vendicare.

*Tertulliani error de pædobaptiſmo.*

Hæc Tertullianus. qui etiam lib. de baptiſmo, cap. 18. alienum ſe oſtendit à pædobaptiſmo; ſummis argumentis à ſponſorum periculo, & ab infantilis ætatis innocentiâ, ignorantiâ, & indocilitate; & quòd non ſit apta ea ætas, cui vel terrena ſubſtantia credatur.

*Diſſolvitur percurſio Romanenſium.*

17. Quæ autem ſcripſit Tertullianus, lib. de velandis virginibus, cap. 9. non eſſe mulieri permiſſa, exponunt Papiſtæ de publico duntaxat & ſollemni earum rerum miniſterio; quia dicit, non permitti mulieri in Eccleſia loqui, ſed nec docere, &c. ex qua perverſa interpretatione ſequetur, licere mulieri privatim etiam offerre, & ſacerdotalis officii ſortem ſibi vendicare. quod non concedent Papiſtæ. Igitur circumſtantia illa, in Eccleſia, ad loquutionem pertinet, juxta mandatum

*1. Cor. 14. 34, 35.*

Apoſtoli 1. Corinth. 14. 34. 35. docere etiam vetantur ſine adjectione illius circumſtantiæ: id eſt, Paſtorale docendi munus uſurpare, ſive publicè ſive privatim, ſive viris, ſive ſolis præſentibus mulieribus. ſicut & auctoritatem ſibi vendicare in

*1. Tim. 2. 12.*

virum, 1. Timoth. 2. 12. reliqua quæ adjungit Tertullianus, prorſus abſolutè eis interdicuntur.

18. Ratio etiam, quâ utitur Tertullianus pro

*Papiſtæ diſſident à Tertulliano.*

baptiſmo laïcali, repugnat doctrinæ Papiſtarum. Quod (inquit) ex æquo accipitur, ex æquo dari poteſt. Sic Tertullianum ſequutus Hieronymus, in dialogo adverſus Luciferianos; Si tamen (inquit) neceſſitas cogit, ſcimus etiam licere laicis. Ut enim accipit quis, ita & dare poteſt. Hæc Hieronymus. Secundum hanc rationem ſolis baptizatis permittitur baptizare, quæcunq; urgeat neceſſitas. Alias adjicit reſtrictiones Concilium Elibertinum, can. 38. Peregrè navigantes, aut ſi Eccleſia in proximo non fuerit, poſſe fidelem, qui lavacrum ſuum integrum habet, nec ſit bigamus, baptizare in neceſſitate infirmitatis poſitum catechumenum; ita ut, ſi ſupervixerit, ad Epiſcopum eum perducat, ut per manûs impoſitionem perfici poſſit. Hæc ibi. Ita Hiſpanis illis Epiſcopis tunc viſum. At poſtea eo tandem devenit audax ſuperſtitio, ut jam neque baptiſmum, neque integritatis cuſtodiam in baptizante requirant, nec Paganos, aut Judæos, aut mulieres, aut quenquam mortalium, qui externum ritum exequi ſciat, nedum bigamos ab hoc munere arceant Romanenſes.

*… & Elibertini, & Concilii Eliberitani gloſſæ …*

*Tertulliani & Hieronymi …*

19. Aliter etiam inimica eſt eis ratio illa, quâ uſi Tertull. & Hieron. Nam eâ ſtante, poterit quilibet ſollemniter baptizatus, aut quælibet ſollemniter baptizata, nõ expectato caſu neceſſitatis, etiam præſentibus clericis, publicè & ſollemniter baptizare. Item, poterit qui Euchariſtiam accepit, eandem etiam dare. Presbyter ordinare Presbyterum, (quod Papiſtis diſplicet,) & diaconus poterit ordinare diaconum. quæ proſpiciens incommoda Bellarminus, fatetur non eſſe bonum argumentum. *Hic habet baptiſmum, ergo poteſt dare.* lib. 1. de baptiſmo, cap. 7. Itaque ne prorſus excidiſſe videatur hoc præſidio antiquitatis, conatur alium ſenſum affingere Tertulliano, & Hieronymo, nempe: quia baptiſmus eſt ſacramentum omnibus neceſſarium, ideo ab omnibus poſſe accipi, & ſimiliter ab omnibus poſſe dari; non quòd oporteat eum, qui dat, prius accepiſſe. At hanc violentiam evidenter reſpuunt, & refellunt, clariſſima ipſorum Patrum verba; quod ex æquo accipitur, ex æquo dari poteſt. Ut enim accipit quis, ita & dare poteſt. Et expreſsè hanc conditionem ponunt Elibertini, ut ſit fidelis, lavacrum ſuum integrum habens. quin & iſta gloſſa Bellarminiana plus haberet incommodi: ſi enim quod quiſque accipere poteſt, eſtque omnibus neceſſarium, id quilibet dare poteſt, quamvis ipſe non acceperit; poterit quilibet aut quælibet fidelis dare Euchariſtiam; quilibet fidelis ad ſacri ordinis ſuſceptionem non inidoneus, poterit ſacrum ordinem dare, quamvis ipſe non acceperit, præſertim in caſu neceſſitatis. Sacramentum autem Euchariſtiæ non minùs eſſe omnibus neceſſarium, quàm ſacramentum baptiſmi, docebant veteres Patres, etiam Romani Pontifices: ut eſt à nobis demonſtratum ſuprà, cap. 5. §. 2. Et ſacramentum ordinis non minùs eſſe neceſſarium Eccleſiæ, quàm baptiſmum ſingulari perſonæ, docet Thomas 3. part. quæſt. 65. art. 4. Atque ita, in quaſcunque formas ſe vertant, renunciare coguntur rationi illi, quâ moti Tertullianus & Hieronymus miniſtrationem baptiſmi laicis permittendam putabant. Altera ratio à neceſſitate ſumta, ſuperiùs diſcuſſa nobis & funditùs everſa eſt. Nec valet illa Tertulliani argumentatio à communicatione verbi ad baptiſmi miniſtrationem. Multis enim argumentationem iſtam urgeri incommodis, & abſurdis obrui, paulò antè docuimus in tertia refutatione hujus erroris. Nondum igitur apud antiquos invenerunt Papiſtæ, ubi tutò pedem figant.

*… Bellarmini …*

*Sup. §. 9.*

20. Quod



20. Quod autem de Nicæno Concilio incautè & nimis inverecundè aſſerit Bellarminus, inferiùs refutabitur. De Alexandri autem judicio diximus ſuprà, cap. 1. §. 16. & §. 31. quamvis alicubi diaconis conceſſum ſit baptizare, interdum laici etiam baptizaverint, mori erroneis illis ratiunculis, quas modo refutavimus, praxis tamen hominum, falſo nixa fundamento, non poteſt, jam ſubruto fundamine, ſuâ ſe auctoritate fulcire. at ne is quidem extremæ neceſſitatis caſus, quem ſolum memorant Elibertini Patres. In neceſſitate (inquiunt) infirmitatis poſitum catechumenum. Non hic urget circumſtantia periclitantis, nam catechumenus baptiſmo idoneus, ſi abſit contemtus religionis, etiamſi ante baptiſmi acceptionem morte intercipiatur, ſalutem conſequitur: ut docent veteres Patres, & ipſi ſcholaſtici, ac Papiſtæ: credit enim, & baptiſmum exoptat, & jam ſufficit ei baptiſmus flaminis.

21. Gelaſius, qui ſedem Romanam obtinuit anno Domini 492. epiſtolâ nonâ ad Epiſcopos Lucaniæ, unde ejus verba à Gratiano tranſſcripta ſunt, nonageſimâ tertia diſtinctione, canone *Diacones.* ubi leguntur ea verba, ſub nomine Pelagii Papæ; Diacones (inquit) propriam conſtituimus obſervare menſuram. ——— Abſque Epiſcopo, vel Presbytero, baptizare non audeant: niſi prædictis ordinibus fortaſſis longiùs conſtitutis, neceſſitas extrema compellat: quod etiam laicis Chriſtianis plerunque conceditur. Hæc ille. Vides, hanc ſaltem conditionem adhuc adjici, ut ſint Chriſtiani.

22. Nec aliter Iſidorus Epiſcopus Hiſpalenſis, qui florebat ſub annum Domini 650. lib. 2. de officiis, cap. 24. Conſtat, (inquit) baptiſma à ſolis ſacerdotibus eſſe tractandum: ejuſque miniſterium nec ipſis diaconibus explere eſt licitum, abſque Epiſcopo vel Presbytero: niſi his procul abſentibus, ultima languoris neceſſitas cogat: quod & laicis fidelibus plerumque permittitur. Inſeruit hæc verba Decreto Gratianus, de Conſecratione, diſt. 4. can. *Conſtat.* Citavit etiam Lombardus, lib. 4. ſent. diſt. 6.

23. His adde canonem illum, in Concilio Carthaginenſi olim conditum ab illis ipſis Patribus, qui errore illo de abſoluta baptiſmi neceſſitate detinebantur; nam ejus Concilii pars fuit ſanctus Auguſtinus. canon eſt; *Mulier baptizare non præſumat.* Concil. Carthag. 4. can. 100. Ita in omnibus Conciliorum editionibus legitur. Lombardus autem 4. ſent. diſt. 6. & Gratianus, de Conſecrat. diſt. 4. can. *Mulier.* de ſuo adjecerunt, quaſi explicationis ergo, *niſi neceſſitate cogente* quod additamentum ſuum ita artificioſè attexuerunt, ut incauto lectori videri poſſent, hæc ipſa eſſe etiam Concilii verba. Hic deprehenſi Bellarminus & Binius, coguntur ad Lombardi & Gratiani, hunc canonem ſic citantium & exponentium, confugere auctoritatem: cum in hac cauſa nihil deferendum eſt, dum quærimus quid veteres dixerint, non quomodo eorum dicta Lombardus & Gratianus interpretati ſint. Si caſum aliquem neceſſitatis exceptum volebant, cur eum non enunciant, ſicut de laicis fidelibus fecerant in ſuo canone Patres Elibertini? cur de ſolis decernunt mulieribus? Num igitur viris laicis concedunt abſolutam baptizandi licentiam? Manifeſta vis hæc eſt. Dubitabant illi Patres Afri, quid eſſet de viris laicis, quantumvis fidelibus, ſtatuendum, ut colligere eſt ex Auguſtino, lib. 2. contra epiſtolam Parmeniani, cap. 13. & ex verbis illis, quæ Auguſtino tribuit Gratianus, can. *In neceſſitate.* De conſecr. diſt. 4. timebant caſum illius, quam animo conceperant neceſſitatis; ideò quæſtionem illam de viris, indeterminatam reliquerunt. At verò de mulieribus abſolutè & intrepidè, abſque ullius quantæcunque neceſſitatis exceptione, pronunciant; Mulier baptizare non præſumat.

*Epiphanius hæreſ. 42. & hæreſ. 79.*

24. Novimus, Auguſtinum libros Epiphanii de hæreſibus diligenter evolviſſe. unde veriſimile eſt, cum Epiphanii contra muliebrem baptizationem diſſertationibus monitum ac motum perſuaſiſſe ſymmyſtis ſuis, ut hunc canonem conderent. collatis haud dubiè etiam aliorum Patrum ea de re judiciis.

*Concluſio contra doctrinam Concilii Florentini.*

25. Ex his manifeſtum eſt, Concilio Florentino, etiam mulieribus & quibuſcunque infidelibus hoc munus concedenti, non convenire cum Catholica antiquitate.

*Clement. Conſtit. Apoſtol.*

26. In opere Conſtitutionum Apoſtolicarum, quod Clementi Romano tribuitur, habetur hæc conſtitutio; ὅτι οὐ χρὴ γυναῖκας βαπτίζειν· ἀσεβὲς γὰρ καὶ τῆς Χριστοῦ διδασκαλίας ἀλλότριον. Quòd non oportet mulieres baptizare; eſſe enim impium, & à Chriſti doctrina alienum. Hic titulus noni capitis libri tertii illarum Conſtitutionum. Et in corpore capitis dicitur eſſe παράνομον & ἀσεβὲς, illegitimum & impium, ut mulieres baptizent. Et hæc adduntur argumenta. 1. Caput mulieris eſt vir, & præter naturam eſt ut mulier ſacerdotali munere fungatur. 2. Non eſt mulieribus conceſſum munus docendi; ergo neque eis conceſſum eſt baptizare. 3. Atheiſmum iſtud reſipit Gentilium, qui feminis deabus feminas conſtituebant ſacerdotes. 4. Non convenit iſtud cum Chriſti inſtitutione. 5. Si mulierum eſſet baptizare, Chriſtus à ſua matre baptizatus eſſet; non autem à Johanne. 6. Chriſtus mittens Apoſtolos ad baptizandum, non miſit cum eis mulieres ad hoc etiam faciendum. Deinde ejuſdem libri capite ſequente, ſeu decimo, interdicitur laicis, ne baptizent aut ullum opus ſacerdotale faciant: additis etiam quibuſdam rationibus: Ἀλλ' οὐδὲ λαϊκοῖς ἐπιτρέπομεν ποιεῖν τι τῶν ἱερατικῶν ἔργων, οἷον θυσίαν, ἢ βάπτισμα, ἢ χειροθεσίαν, ἢ εὐλογίαν μικρὰν ἢ μεγάλην· οὐχ ἑαυτῷ γάρ τις λαμβάνει τὴν τιμήν, ἀλλ' ὁ καλούμενος ὑπὸ τοῦ Θεοῦ. διὰ γὰρ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ ἐπισκόπου δίδοται ἡ τοιαύτη ἀξία· ὁ δὲ μὴ ἐγχειρισθεὶς αὐτήν, ἀλλ' ἁρπάσας ἑαυτῷ, τὴν τιμωρίαν τοῦ Ὀζία ὑποστήσεται. id eſt: Sed neque laico permittimus facere opus aliquod ſacerdotale, ut ſacrificium, aut baptiſmum, aut manûs impoſitionem, aut benedictionem ſive parvam ſive magnam. *Nemo enim ſibi ſumit honorem, ſed qui vocatur à Deo:* Nam per impoſitionem manuum Epiſcopi datur hujuſmodi dignitas. qui verò hanc non accepit ſibi traditam, ſed eam ſibi rapuit, hic ſupplicio Oziæ afficietur. Et undecimo capite ejuſdem libri, aliis clericis excluſis, adminiſtratio baptiſmi ſolis adjudicatur Epiſcopis & Presbyteris, [μόνοις ἐπισκόποις & πρεσβυτέροις.] denunciata in alios, qui baptizare auſi fuerint, Coritarum pœna. Et in eodem opere, lib. 6. cap. 15. cur baptiſmus ab infamibus hæreticis adminiſtratus habendus non ſit pro vero baptiſmo, hæc adfertur ratio: [illegible] Non enim ſunt illi ſacerdotes: quare qui ab ipſis ſunt baptizati, non ſunt baptiſmo initiati. Et ejuſdem operis, lib. 8. cap. 46. [illegible] Ut unuſquiſque in ordine ſibi dato

*Hebr. 5. 4. 2. Paralip. 26. 19.*

*Vide cap. 14. hujus libri, §. 1. & §. 2.*

manеat, neque tranſgrediatur terminos, ſeu præſcriptas regulas. —— [illegible Greek]. Neque enim diacono fas eſt offerre ſacrificium, aut baptizare, aut benedictionem parvam vel magnam facere.

*Cyprianus & Firmilianus, eorumque collegæ. Supra c.12. §.1. Concil. Nicæn. c. 19. & 8. Vide c.14. §.4.*

27. Laicis etiam abſolute illicitam eſſe baptiſmi adminiſtrationem, judicarunt Cyprianus & Firmilianus, eorumque collegæ, Africani & Aſiatici. ut ſuprà oſtenſum eſt ex Baſilio. Neque eam aſſertionem quiſquam Catholicorum illis vitio vertit. Magna œcumenica Nicæna Synodus, decrevit hæreticos Paulianiſtas (ob cauſam ſuprà, cap.2.§ 11. memoratam) rebaptizandos, & qui eos prius tinxerant, illi, ejuſdem Synodi judicio, reputabantur laici, non verum habentes ordinem: quos etiam propterea jubet Synodus ab Epiſcopo Catholico ordinari, ſi ad gerendum officium clericale idonei invenirentur. can. 19. à Catharis autem hæreticis baptizatos recipiebant, quorum etiam clericos, abſque novâ ordinatione, manere ſinebant in ſuis ordinibus. can. 8.

Gratis autem abſque ulla inſtantiâ, dixit Bellarminus, Synodum Nicænam ſuſcepiſſe baptizatos ab aliquibus hæreticis, apud quos judicabat non eſſe verum ſacerdotium, lib. 1. de bapt. cap. 7. Illud Cypriani & Firmiliani argumentum converterunt orthodoxi contra Luciferianos, ut oſtenſum ex Hieronymo ſuprà cap. 12. §. 5. Sed hæc obſervatio contra aſſertionem Bellarmini magis ad ſecundam noſtram quæſtionem pertinet: de ea igitur ibi ruſus dicemus.

*Reſpondetur Bellarmino. [illegible]*

28. Omne, quòd non eſt ex fide, peccatum eſt: & quicquid fit contra conſcientiam, ædificat ad gehennam. inquit Innocentius 3. Papa Rom. Extra, de reſtitutione ſpoliatorum. cap. 13. *Literas.* Expendant Papiſtæ & hoc argumentum: Quæ ſunt ordinis Epiſcopalis, ea non poſſunt Epiſcopi demandare vel delegare aliis, qui ſunt inferioris gradûs. Extra, de conſecratione Eccleſiæ, cap. 9. *Aqua.* Ergo cum baptizare ſit ordinis ſacerdotalis, non poteſt ſacerdos munus hoc demandare diacono, aut ulli inferioris gradûs.

*Rom. 14. 23. [illegible]*

## CAPUT DECIMUM-QUARTUM.

*Utrùm baptiſma, quod à non habente jus dandi adminiſtratum eſt, ratum ſit verumque baptiſma, nec ne: atque adeò utrùm à talibus tincti, iterum tingendi ſint, nec ne?*

DOcent Scholaſtici, in 4. ſent. diſt. 5. eoſque ſequuti Pontificii, laicum præſente ſacerdote, aut citra caſum neceſſitatis, baptizantem, peccare; eſſe enim eâ vice injuſtum alieni muneris uſurpatorem: ratum tamen eſſe baptiſma, quod ab illo in forma Eccleſię adminiſtratum eſt. Multa fieri prohibentur, quæ ſi facta fuerint, obtinent firmitatem; inquit Innocentius Papa 3. Extra, de regularibus & tranſeuntibus ad religionem, cap. 16. Ad Apoſtolicam. Loquitur ibi Innocentius de eis, quæ prohibita ſunt legibus humanis. De quibus tamen Gregorius in regiſtro, & apud Gratianum cauſa 25. quæſt. 2. can. *Imperiali* ait; Imperiali conſtitutum eſt ſanctione apertè; ut ea quæ contra leges fiunt, non ſolum inutilia, ſed etiam pro infectis habenda ſint. C lib. 1. tit. de precibus Imperatori offerendis. Quam regulam de talibus intelligendam eſſe, ubi eſt perpetua cauſa prohibitionis: e. g. ne filius contrahat cum matre: monet auctor Gloſſæ, in can. *Vides.* diſt. 10. Firmitas hic accipienda eſt, non phyſica, ſed moralis, ſeu valor ex lege. Equidem (inquit Melchior Canus, Papiſta) baptiſma ſacramentum eſſe ſcio; ſed ſi formam ſacram miniſtrumve non habeat, baptiſmus erit, ſacramentum non erit. Hęc Canus Epiſcopus Canarienſis, lib. 8. locorum Theologicorum, capite 5.

*Multa fieri prohibentur, quæ facta retinent firmitatem.*

*Ea quæ contra leges fiunt, pro infectis habenda ſunt, ubi videlicet eſt perpetua cauſa prohibitionis. Vide infra, §. 10.*

2. Bellarminus ait; Verba practica non ſunt efficacia, niſi dicantur ab eo qui habet poteſtatem, & voluntatem faciendi quod verba ſignificant. Sed conſtat, verba ſacramentorum eſſe verba practica: ergo requirunt poteſtatem, & voluntatem. Si quis objiciat, verba ſacramentorum habere in ſe virtutem operativam ex Chriſti inſtitutione: proinde non pendere eorum efficaciam ab intentione vel poteſtate miniſtri. Reſponderi debet, duas eſſe Theologorum ſententias: Aliqui enim, ut Cajetanus 3. p. qu. 64. art. 1. & Sotus 4. diſt. 1. quæſt. 5. art. 1. & Ledeſmius ibidem, volunt in ipſo etiam miniſtro eſſe virtutem operativam efficienter & inſtrumentaliter, ut eſt in ſacramento. Et ſecundùm hanc ſententiam facilis eſt ſolutio. Nam in verbis ſacramentalibus eſt virtus operativa, ſed dependenter à miniſtro. Tunc enim ſolùm illa verba habent virtutem, dum conjunguntur cum virtute, quæ eſt in miniſtro. Alii tamen ſentiunt, miniſtrum non habere in ſe vim ullam efficientem, ſed ſolùm concurrere applicando ſacramenta. Ita videtur quibuſdam ſentire S. Thomas, 3. part. quæſt. 64. art. 1. ad primum. Et ſecundùm hanc ſententiam reſpondendum eſt ad objectionem poſitam, verba ſacramentalia non habere virtutem, & proinde non eſſe ſacramentalia, niſi quando moventur à Deo, ut inſtrumenta: non autem moventur à Deo, ut inſtrumenta, niſi quando pronunciantur ab eo, cui ipſe commiſit. Quare ſemper aliquo modo pendent verba ſacramentalia à miniſtri poteſtate, & voluntate. Quamvis igitur prior ſententia probabilior videatur: tamen ſecundùm utramque rectè ſolvitur argumentum. Hæc Cardinalis Bellarminus, lib. 1. de ſacramentis in genere, cap. 27. prope finem capitis. De intentione diſſeruimus ſuprà, cap. 1. Quę autem hic affirmat & tuetur Bellarminus de poteſtate miniſtri, planè evertunt doctrinam Romanæ Eccleſiæ de veritate baptiſmi à laico, vel etiam à Judæo, aut Pagano, miniſtrati. Iſtis enim Deus non commiſit hanc diſpenſationem; neque commiſſionis ſuæ tabulas proferre poſſunt: ut eſt ſuperius à nobis demonſtratum.

*Verba practica non ſunt efficacia, niſi dicantur ab eo qui habet poteſtatem. Vide ſupra, c. 13. §. 10.*

3. Nec probandum illud Alexandri judicium de baptizatis ab Athanaſio puero, ut oſtendimus etiam ſuprà, cap. 1. § 31. Neque laudandi Nicolaus primus, & Urbanus ſecundus, Pontifices Romani, quòd ille à Judæo vel Pagano (de conſecr. diſt. 4. à *quodam.*) hic à femina datum baptiſmum (cauſ. 30. quæſt. 3. *Super quibus.*) ratum habuerint. Sed rectiùs Gregorius ſecundus, ejuſdem ſedis antiſtes, ſcribens Bonifacio Epiſcopo; Quos (inquit) à Paganis baptizatos eſſe aſſeruiſti; ſi ita habetur, ut denuo baptizes in nomine

*Alexander; [illegible] Nicolaus I. & Urbanus II. Pontifices Romani.*



Trinitatis, mandamus. De conſecr. diſt. 4. can. *Quos à Paganis.* Nec audiendus gloſſator, qui fingit cauſam eſſe, quòd non fuiſſent in forma Eccleſiæ baptizati. Non enim iſtam, ſed hanc ſolam mandati ſui dat rationem Gregorius, quod eſſent à Paganis baptizati: non omiſſurus veram cauſam, ſi hanc ſolam non ſufficere judicaret. Sedebat Gregorius ſecundus, Rom. Pontifex anno Domini 720. Et poſtea Nicolaus primus, anno Domini 860. & Urbanus ſecundus, anno Domini milleſimo nonageſimo.

4. Cyprianus & Firmilianus ejuſque collegæ ſic argumentabantur referente Baſilio, epiſt. canonicâ ad Amphilochium, canone primo; Quos baptizavit laicus, ii ſunt denuo baptizandi: at quos baptizavit ſacerdos hæreticus, eos baptizavit laicus: ergo quos baptizavit ſacerdos hæreticus, ii ſunt denuo baptizandi. Controverſia hæc variis doctorum exercitationibus agitata, pervenit tandem ad cognitionem univerſalis Concilii Nicæni: quod Concilium propoſitionem minorem, adeòque concluſionem repudiavit, canone 8. Non autem negavit majorem. Tantæ auctoritati cedens Baſilius, Firmiliani prędeceſſoris ſui ſententiæ renunciat, loco citato.

5. Uſque adeò autem apud orthodoxos, etiam poſt Nicænum Concilium, major illa propoſitio firmitatem obtinuit, ut ea, tanquam indubitato principio, errorem Luciferi confutarint; ſic argumentantes: Quos baptizavit laicus, ii ſunt denuo baptizandi: At quos baptizavit ſacerdos Arianus, ii non ſunt denuo baptizandi: ergo quos baptizavit ſacerdos Arianus, eos non baptizavit laicus. Hoc uno ariete errorem illum quatit & diruit diſputator orthodoxus, apud Hieronymum, in dialogo adverſus Luciferianos. Quod argumentum adeò conturbavit Hilarium diaconum, ſchiſmatis Luciferiani continuatorem, cum aliquam ex præmiſſis videret labefactandam eſſe ei, qui everſam cuperet concluſionem, ut deſperato omni alio effugio, errorem magiſtri alio adjecto errore cumulaverit, negans aſſumtionem, quam Lucifer ipſe conceſſerat, recipiendos ſcilicet abſque nova tinctione eos, qui eſſent ab Ariano baptizati. Aſſumtionem igitur Hieronymus confirmat auctoritate Nicæni Concilii: & ipſam etiam concluſionem eadem auctoritate corroborat.

6. Cum poſtea argumentum illud Cypriani repeterent Donatiſtæ, reſiſtens eis Auguſtinus, tentavit quidem propoſitionem majorem; Sed, eâ citò miſſâ, irruit magno impetu in minorem, eamque, advocato etiam in auxilium decreto œcumenico, profligavit. lib. 2. contra epiſtolam Parmeniani, cap. 13.

7. Fateor tamen, Auguſtino viſum eſſe, non denuo eſſe baptizandum eum, qui eſſet à Laico, quamvis hoc munus illicitè uſurpante, baptizatus. eodem cap. Idipſum quoque pleriſque poſterioribus placuiſſe video. Sic enim ſtatuebant; ſi verum non eſſet baptiſma à laico miniſtratum, tunc inutiliter baptizari à laicis in extrema neceſſitate conſtitutos, adeòque multos homines perire ſine baptiſmo, qui ſalvarentur ſi verum baptiſmatis ſacramentum accepiſſent. Hæc igitur eis videbatur divinæ benignitati & hominum charitati magis conſentanea opinio, ut verum ratumque haberetur baptiſma, quod eſſet etiam à laico miniſtratum. Deme illis metum neceſſitatis, & ab hac etiam opinione eoſdem facilè dimoveris. Nos autem neceſſitatem illam, quam imaginabantur, temerè & falsò conceptam eſſe demonſtravimus, ſuprà, capite 6. & aliquot ſequentibus capitibus.

8. Chryſoſtomus, non obſtante neceſſitate, miniſterium baptiſmi ſolis vindicat ſacerdotibus, non minus quàm miniſterium Euchariſtiæ; quam non niſi à ſacerdote conſecrari poſſe, omnes fatentur. Manifeſta (inquit) dementia eſt, tantum deſpicere principatum, ſine quo neque ſalutem neque promiſſa bona conſequi poſſumus. Nam, ſi non poteſt quiſquam ingredi in regnum cœlorum, niſi per aquam & Spiritum regenitus ſit; & qui non comedit carnem Domini, ſanguinemque ejus bibit, ejectus eſt foras à vita æternâ: Omnia autem hæc per neminem quidem alium, ſed ſolum per ſanctas illas perficiuntur manus; manus, inquam, ſacerdotis, [illegible Greek] quomodo abſque his poterit aliquis vel gehennam effugere, vel repoſitas coronas adipiſci? Hi enim ſunt ii, quibus commiſſi ſunt ſpirituales labores parturitionis, & quibus conceſſum eſt parere per baptiſmum; per hos induimur Chriſtum [illegible Greek] coaptamur Filio Dei, membra ſimus beatæ illius carnis. Quocirca non ſolum timendi nobis magis quàm principes & reges, ſed parentibus honore præferendi meritò ſunt. Nam parentes noſtri ex ſanguinibus & voluntate carnis genuerunt; hi autem nativitatis quæ ex Deo eſt, ſunt nobis cauſæ, [illegible Greek] beatæ illius regenerationis, libertatis illius veræ, & gratuitæ adoptionis. Hæc Chryſoſtomus, lib. 3. de ſacerdotio, cap. 5.

*Chryſoſtomus miniſterium baptiſmi, non minus quàm miniſterium Euchariſtiæ, ſolis tribuit ſacerdotibus.*

9. Auguſtinus lib. 2. contra epiſtolam Parmeniani, capite 13. jus dandi baptiſmum & poteſtatem ordinis presbyteralis pro eodem ſumit. Et ibidem ait; Si laicus, nullâ cogente neceſſitate baptiſma dederit, eſſe uſurpationem alieni muneris. Repetit Auguſtini verba Gratianus, cauſ. 1. quæſt. 1. can. *Quod quidam.* ubi auctor Gloſſæ; Hic (inquit) apertè colligitur, quòd laici non habent jus baptizandi: niſi largè dicatur jus vel poteſtas, id eſt, permiſſio. Hæc ille. At certè verum eſt illud, & in ſcholis receptum axioma; Nullum, ne Papam quidem, poſſe mutare miniſtrum alicujus quem Chriſtus determinavit. Et ſumma eſt ſemper neceſſitas obediendi Deo, & ſervandi ejus inſtitutionem. Non minus autem baptiſmi quàm Euchariſtiæ miniſtros determinavit presbyteros doctores, quibus in Apoſtolis dictum eſt, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomen Patris & Filii & Spiritûs Sancti.* Matth. 28. 19.

*Jus baptizandi eis ſolum conceſſum eſt, quibus datus eſt ordo presbyteralis.*

*Capreol. in 4. ſent. diſt. 23. art. 3. & Paludanus, apud Capreolum, ibidem.*

*Matth. 28. 19.*

10. Dices cum Auguſtino; lib. 2. contra epiſt. Parmeniani, cap. 13. Sed etſi nullâ neceſſitate uſurpetur, & à quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit non poteſt dici non datum; quamvis rectè dici poſſit illicitè datum.

*Objectio. Quod datum eſt, non poteſt dici non datum.*

Reſpondeo; Quòd datum eſt, illud haud dubiè datum eſt: at à laico non eſt datum ſacramentum, quod non niſi à ſacerdote datur, ſed tantùm externa quædam lotio peracta eſt, cum quibuſdam externis ritibus. Quemadmodum ſi laicus ordinet, vel Euchariſtiam conſecret, iiſdem ritibus, quibus ordinant & conſecrant ſacerdotes, non poterit dici datus eſſe ab illo verus ordo, aut dari ab eo verum ſacramentum Eucha-

*Solutio. Laicus baptizans, non dat ſacramentum baptiſmi. Vide ſuprà, §. 1.*

Euchariſtiæ. Nec ſuſtinet ipſe Auguſtinus fidenter aſſerere, baptiſmum dari poſſe ab eis qui nunquam fuerunt Chriſtiani, etiamſi eiſdem verbis ritibuſque utantur; ut ipſe de ſe profitetur, eodem capite, & lib. 7. de baptiſmo contra Donatiſtas, capite 53. Et tamen inviolabiliter verum eſt, quod datum fuerit, non poſſe dici non datum.

*Perpetua eſt prohibitionis cauſa.* 11. Quod contra legem fit, inutile & pro infecto habetur, ubi eſt perpetua prohibitionis cauſa, ut ſuprà docuimus §. 1. Perpetua autem prohibitionis cauſa eſt lex Dei ſtans, non mutata ab ipſo Deo, & in qua Deus ipſe non diſpenſavit. Nam homo non poteſt diſpenſare in lege Dei. Extra de reſtitutione ſpoliatorum, cap. 13. *Literas.* Pro non dato habetur, quod ab illo datur, qui non poteſt de jure donare. Extra, de jure Patronatus, cap. 5. *Quod autem.* Et, de conſuetudine, capite quarto. *Quanto.* in Gloſſa. *Pro non dato habetur, quod datur ab illo qui non poteſt de jure dare.* Rectè ſuperius, (§. 2.) monuit Bellarminus, verba ſacramentalia non habere virtutem, ac proinde non eſſe ſacramentalia, niſi quando moventur à Deo ut inſtrumenta: non autem moveri à Deo, ut inſtrumenta, niſi quando pronunciantur ab eo, cui ipſe commiſit.

*Whitak.* 12. Hæc omnia ſi accuratiùs penſitâſſet Whitakerus noſter, non adeò timuiſſet irritum ſtatuere eum baptiſmum, quem miniſtrâſſent homines vocatione deſtituti. in Controverſia de baptiſmo, quæſt. 3. cap. 1. *Chamier.* At Chamierus fidenter aſſeverat, baptiſmum à tali collatum, non eſſe ſacramentum, ſed temerariam ludificationem, nullo modo tolerandam in Eccleſia. tom. 4. Panſtratiæ, lib. 5. cap. 14. § 8.

13. Nec dubium, quin denuò ſint baptizandi qui prius inani duntaxat lotione, non vero baptiſmi ſacramento tincti fuerunt. Et quamvis non tanta ſit, quantam imaginantur Papiſtæ; magna eſt tamen (ut ſuprà docuimus) hujus ſacramenti neceſſitas, cum inſigni utilitate conjuncta; *Cap. 5. §. 10.* Quocirca ii ſunt baptizandi, de quibus incertum eſt, an fuerint baptizati, nec ne: uti ſtatutum eſt in Concilio Carthaginenſi quinto, capite 6. *Et ſunt baptizandi de quibus incertum eſt, an fuerint baptizati, nec ne.*

& in Concilio Quiniſexto, can. 84. In quibus quod non oſtenditur geſtum, nulla ratio ſinit ut iteratum videatur: inquit Leo primus Papa Romanus, epiſt. 92. ad Ruſticum, cap. 15. & citatur 4. ſent. diſt. 6. D. &. De Conſecratione, diſtinct. 4. can. *Si nulla.* Similia etiam de hac quæſtione ſcripſit idem Leo, epiſt. 37. ad Leonem Ravennatem Epiſcopum. Idipſum poſtea ſecundùm Patrum traditiones obſervari juſſit Gregorius quartus, cujus in eam ſententiam verba citantur in Decreto, De conſecratione, 4. diſt. can. *Parvulos.* Quorum inſiſtens veſtigiis Alexander Papa tertius, De quibus (inquit) dubium eſt, an baptizati fuerint, baptizantur his verbis præmiſſis: Si baptizatus es, non te rebaptizo; ſed ſi nondum baptizatus es, ego te baptizo, &c. Extra, de baptiſmo, cap. 2. *De quibus.* Scotus, laudatâ hac Alexandri ſententiâ, occaſionem ſumit commendandi tres maximas; Et univerſaliter (inquit) in omnibus dubiis, quantum ad materiam, & formam, ſunt tres maximæ. Prima eſt iſta; *Si poſſibilitas adeſt, via tutiſſima eſt eligenda;* Secunda; *Si non adeſt poſſibilitas, via tutiſſima proxima eſt tenenda.* Tertia eſt iſta; *Ceſſante impoſſibilitate, cautè eſt ſupplendum, quod impoſſibilitas prohibebat.* Hæc Scotus, in 4. Sent. diſt. 3. quæſt. 2. num. 10. edit. Antverp. anno Domini 1620.

14. Ex eis autem quæ diſſeruimus, efficitur eos, quos baptizavit quilibet alius qui non ſit presbyter, non accepiſſe verum baptiſmi ſacramentum; neque via ordinariâ ſciri certò poſſe, eos eſſe baptizatos; ergo tutiſſimum eſt, ut tales baptizet presbyter. Omnis Epiſcopus presbyter eſt.

15. Ne quis autem diſcrepantiam aliquam ſuſpicetur hujus doctrinæ, à doctrina ſuperiùs traditâ de veritate baptiſmi etiam ab hæreticis collati in forma Eccleſiæ, meminiſſe oportet inſtitutam fuiſſe illic comparationem hæretici cum Catholico, non laici cum clerico, aut cujuſcunque alterius cum presbytero: quod hic fit.

### CAPUT DECIMUM-QUINTUM.

*Quid ſentiendum de eis, qui propter errorem invaleſcentem, quo verum cenſentur accepiſſe baptiſmi ſacramentum, licet non acceperint, non baptizantur.*

*Cypriani reſponſio.* Similem ſibi oppoſuit quæſtionem olim Cyprianus, qui baptizatos ab hæreticis pro non baptizatis habebat. Sed (inquit) dicit aliquis; Quid ergo fiet de his, qui in præteritum de hæreſi ad Eccleſiam venientes, ſine baptiſmo admiſſi ſunt? Potens eſt Dominus miſericordiâ ſuâ indulgentiam dare, & eos qui ad Eccleſiam ſimpliciter admiſſi, in Eccleſia dormierunt, ab Eccleſiæ ſuæ muneribus non ſeparare. Non tamen, quia aliquando erratum eſt, ideo ſemper errandum eſt: cum magis ſapientibus & Deum timentibus congruat, patefactæ & perſpectæ veritati libenter atque incunctanter obſequi, quàm pertinaciter atque obſtinatè reluctari. Hæc beatus Cyprianus, epiſtola ſeptuageſima tertiâ ad Jubaianum. *Non ideo ſemper errandum eſt, quia aliquando erratum eſt.*

*Auguſtinus laudat reſponſionem Cypriani.* 2. Hanc Cypriani ſententiam laudans Auguſtinus, eâque adverſus Donatiſtas ſe muniens; Nos, (inquit) ſi ad Eccleſiam ſine baptiſmo admittimus, in eo numero ſumus, quibus Cyprianus propter unitatis cuſtodiam ignoſci poſſe præſumſit. Si autem, ſicut jam, ut arbitror, ex his quæ in ſuperioribus libris diximus, manifeſtum eſt, quod etiam in hæreticorum perverſitate poteſt eſſe Chriſtiani baptiſmi integritas, ſi qui temporibus illis rebaptizaverunt, nec tamen ab unitatis compagine receſſerunt, eâdem dilectione pacis potuerunt ad veniam pertinere, quâ Cyprianus etiam ſine baptiſmo admiſſos ab Eccleſiæ muneribus non ſeparari potuiſſe teſtatur. Hæc Auguſtinus lib. 5. de baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 2.

3. His adde, quæ idem Auguſtinus ſcripſit de latrone illo, cui Chriſtus in cruce Paradiſum promiſit; In illo (inquit) latrone quod ex baptiſmi ſacramento defuerat, complevit omnipotentis benignitas; quia non ſuperbia vel contemtu, ſed neceſſitate defuerat. libro quarto, de baptiſmo contra Donatiſtas, capite vigeſimo quarto.

4. Nempe



4. Nempe qui in orthodoxæ Eccleſiæ compage manentes non verum accipiunt baptiſmi ſacramentum, eo tamen quod illud accepiſſe cenſeantur, & adulti etiam ſeipſos exiſtiment illud accepiſſe per miniſterium diaconorum, aut laicorum, aut mulierum, aut etiam infidelium: nullâ ſuperbiâ aut contemtu ſacramenti eo carent, ſed miſerandâ quadam ignorantiâ, quam error publicus fovet, & pacis Eccleſiaſticæ neceſſitate, & præſumti reverentiâ ſacramenti, quod ſciunt non eſſe violandum, ſeu iterandum. Ideo non eſt dubitandum, quin in eis quod ex baptiſmi ſacramento deeſt, compleat omnipotentis benignitas. Non tamen, quia aliquando erratum eſt, ideò ſemper errandum eſt.

### CAPUT DECIMUM-SEXTUM.

## De effectu baptiſmi in parvulis.

*Vtrùm omnes fidelium pueri in infantia baptizati, juſtificati ſint in baptiſmo, & ex Deo geniti, adeóque Dei reconciliati, peccatumque originale eis remiſſum ſit; nec ne.*

NOn obſtat obex privativus; quia nati ſunt in fœdere: neque adhuc per ætatem ponere poſſunt obicem poſitivum. Et (ut loquitur Concilium Valentinum, celebratum anno Domini 855.) in Eccleſiæ ſacramentis nihil eſt caſſum, nihil ludificatorium, ſed prorſus totum verum, & ipſâ ſui veritate ac ſinceritate ſubnixum. Unde ſequi videtur, eos omnes eſſe verè juſtificatos. Quod etiam viris quibuſdam Catholicis, non ſolùm veteribus, ſed etiam recentioribus placuiſſe comperio. Quibus quando à Pontificiis & Remonſtrantibus hæc objicitur inſtantia apoſtaſiæ juſtificatorum, ſeu fidelium, quia multi fidelium filii, in infantia baptizati, impiè poſtea vivunt & pereunt, adeóque ſunt reprobi: Reſpondent, controverſiam non eſſe de fide illa potentiali & inclinativâ infantum, neque de perſeverantia fidei infantum; eos enim nec perſeverare, nec deficere, propriè loquendo poſſe; ſed de perſeverantia fidei adultorum, quorum fides eſt habitualis & actualis fiducia promiſſionis Evangelii, nondum cadens in infantes: & perſeverare vel deficere eſſe propriè adultorum. Et inde ſtatuunt, omnes Eccleſiæ infantes per baptiſmum juſtificari, regenerari per Spiritum Sanctum, pro modulo ætatis ſuæ: ſalvo Dei conſilio, quod in adulta ætate ſe patefacere ſolet. Ita beatæ memoriæ præceptor meus *D. Pareus*, contra Bellarm. lib. 3. de juſtificatione, cap. 14. ad rationem ſecundam, pag. 883. & 884. quem ſequitur reverendus & doctiſſimus meus collega *D. Robertus Baronius*, diſputatione de originali peccato, ſect. 14.

2. Certè verum eſt quod ajunt de controverſia perſeverantiæ, quatenus ea connectitur cum quæſtione de certitudine propriæ electionis & ſalutis, quam ex fide propriâ per dilectionem operante, & ex Dei promiſſionibus colligunt fideles adulti. De infantibus autem baptizatis, novit quidem Deus, quinam ejus ſint; at nondum ipſi eam habent actualem notitiam & fidem, ex qua ſuam colligere poſſint electionem & ſalutem. Sed quinam ex eis electi ſint, qui non electi, eventus declarat: nam ſi in fœdere nati, fœdus nunquam actualiter tranſgrediantur, ut qui in ætate infantili moriuntur; vel ſi fide propriâ per charitatem operante juſtificentur jam adulti, certum eſt eos eſſe electos: ſi horum neutrum eis contingat, neque unquam aliquo modo viſibili, vel inviſibili, in participationem fœderis aſſumantur, reprobi ſunt.

3. Auguſtinus & Proſper omnes infantes baptizatos dicebant juſtificari, adeóque eis remitti peccatum originale in baptiſmo. Idem poſtea docuerunt Patres Valentini, in Concilio Valentino (anno Domini 855.) capite 5. At Auguſtinus remiſſionem tantùm revocabilem & infallibiliter revocandam concedebat infantibus reprobis. Proſper autem ajebat, eſſe irrevocabilem. *Reſponſio Auguſt. & Proſperi, & Concilii Valentini. Diſſenſio Auguſtini & Proſperi.*

4. Redire dimiſſa peccata, ubi fraterna charitas non eſt, nec prodeſſe oſori fratris & in odio perſeveranti, acceptam in baptiſmo remiſſionem peccatorum, ſed in caput ejus propter odiorum perſeverantiam rurſus omnia replicari, Auguſtinus ait, apertiſſimè doceri in Evangelio de ſervo illo debitore decem millium talentorum. libro primo, de baptiſmo contra Donatiſtas, capite 12. *Auguſt. Redeunt dimiſſa peccata. Matth. 18, 27, 34.*

5. Idem Pater, lib. 3. de baptiſmo cap. 17. ait, Sacramenti integritatem ubique cognoſci, ſed ad peccatorum illam irrevocabilem remiſſionem extra unitatem Eccleſiæ non valere, nec in hæreſi aut ſchiſmate conſtituto, nec intus poſito, ſi adverſum ſe ipſe per vitam peſſimam teneat debita peccatorum, etiamſi per ipſius columbæ miniſterium baptizetur. *Remiſſio peccatorum irrevocabilis. Vide ſuprà c. 3. §. 25. & §. 27.*

6. Et alibi; Cæterùm (inquit) quis ignorat, quòd baptizatus parvulus, ſi ad rationales annos veniens non crediderit, nec ſe ab illicitis concupiſcentiis abſtinuerit, nihil ei proderit quod parvus accepit. Verumtamen ſi percepto baptiſmate de hac vita emigraverit, ſoluto reatu cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo lumine veritatis, quod incommutabiliter manens in æternum, juſtificatos præſentiâ Creatoris illuminat. Hæc Auguſt. lib. 1. de peccatorum meritis & remiſſione, cap. 20. Si nihil ei proſit quod accepit; ergo jam neque ad originalis, neque ad alterius cujuſcunque peccati remiſſionem: imò cui nihil prodeſt, ei nocet accepiſſe Sacramentum, ſi ſuâ actuali ingratitudine, illud inutile ſibi faciat. *Adulto impio & impœnitenti nihil prodeſt baptiſmus, quem olim accepit cum eſſet parvulus.*

7. Baſil. Comm. in cap. 1. Eſai. verſ. 14. ait, οὐδὲν ὄφελος ἀδικημάτων συγκεχωρημένων τῷ ἔτι ἀδικοῦντι, καὶ ἀσελγημάτων ἀφειμένων τῷ ἔτι ἀσελγαίνοντι. id eſt, ex iniquitatibus condonatis nihil accedit utilitatis ei, qui adhuc iniquè agit; neque ex remiſſis intemperantiæ flagitiis ei, qui adhuc in eiſdem laſciviæ vitiis verſatur. Idem de peccatorum reditu, quoad reatum & debitam pœnam, docuerunt Ambroſius, & Gregorius, & Beda, & Rabanus Maurus; quorum teſtimonia citantur à Lombardo, 4. ſentent. diſtinct. 22. & à Gratiano, de pœnitentia, diſtinctione 4. Item Hilarius, & *Alii Patres idem cum Auguſtino ſentiunt.*

Chryſoſtomus, & Theophylactus, in cap. 18. Matthæi.

*Diverſa ſententia Proſperi.*

8. Aſtirt Proſper ad capitula Gallorum, capite ſecundo, ubi ait; Omnem hominem, qui credens in Patrem & Filium & Spiritum Sanctum regeneratur in baptiſmo, tam à propriis peccatis, quæ malâ voluntate & actione contraxit, quàm ab originali, quod à Parentibus traxit, abſolvi. Si autem poſt baptiſmum recedat à Chriſto, & alienus à gratiâ finiat hanc vitam, in perditionem cadere, adeóque nunquam fuiſſe electum à Deo, nunquam prædeſtinatum, nunquam ab æterna perditione diſcretum. Non tamen in peccatum quod remiſſum eſt, recidere, nec in originali peccato damnari: ſed propter poſtrema crimina eâ morte affici, quæ ei propter illa, quæ remiſſa ſunt, debebatur. Et cap. 3. de eiſdem deſertoribus loquens; Licet (inquit) fuerint renati, fuerint juſtificati, ab eo tamen qui illos tales præſcivit, non ſunt prædeſtinati. Hæc Proſper.

*Lombard.*

9. Lombardus ait, utrique parti quæſtionis probatos favere doctores; ideo lectori liberum reliquit judicium. 4. ſentent. diſtinct. 22. at Gratianus eam de peccatorum reditu affirmat eſſe favorabiliorem, eo quod pluribus roboretur auctoritatibus, & evidentiore ratione firmetur. de pœnitentia, diſtinctione quartâ, can. *qui recedit*, § *verum illa*. Certum eſt autem, peccata abſolutè dimiſſa non redire; quia hoc eſt donum Dei ſine pœnitentia, neque poteſt hominum incredulitas fidem Dei evacuare, ut rectè argumentantur ſcholaſtici ſententiarii, contra dimiſſionis abſolutæ revocabilitatem, in 4. ſentent. diſt. 22. Sed eſt dimiſſio quædam conditionalis, quæ conditione non præſtitâ ſit inutilis, & pro non datâ jure cenſetur. Hanc intellexerunt Auguſtinus, & alii Patres, quando dixerunt, redire peccata dimiſſa.

*Gratian.* *Remiſſio abſoluta.* *Remiſſio conditionalis.* *Vide ſuprà cap. 3. §. 13.*

*Auguſtini ſententia potior.*

10. Et ſanè illa Auguſtini, aliorumque, de peccatorum reditu ſententia magis concordat cum doctrina Apoſtoli de objecto prædeſtinationis ſeu electionis & reprobationis, quod, exemplo (ſive proprio, ſive ſimili) declaravit illorum geminorum; *de quibus, nondum natis, cum neque boni quippiam feciſſent, neque mali ut propoſitum Dei quod eſt ſecundum ipſius electionem, non ex operibus, ſed ex vocante, maneret, dictum eſt Rebeccæ eos in utero geſtanti*; Major ſerviet minori. *ſicut ſcriptum eſt*; Jacob dilexi; Eſau autem odio habui. Rom. 9. 11, 12, 13. & paulo poſt; *Annon habet poteſtatem ſigulus luti, ut ex eadem maſſa faciat, aliud quidem vas in honorem; aliud verò in contumeliam?* verſ. 21. in quæ verba Auguſtinus, epiſt. 105. Quia (inquit) univerſa iſta maſſa meritò damnata eſt, contumeliam debitam reddit juſtitia, honorem donat indebitum gratia. Et infra; Sed ſi vaſa ſunt iræ, quæ perfecta ſunt ad perditionem, quæ illis debita redditur, hoc ſibi imputent; quia ex ea maſſa facta ſunt, quam propter unius peccatum, in quo omnes peccaverunt, meritò Deus juſtéque damnavit. Si autem vaſa ſunt miſericordiæ, quibus ex eadem maſſa factis ſupplicium debitum reddere noluit, non ſe inſlent, ſed ipſum glorificent, qui eis miſericordiam non debitam præſtitit. *Et poſtea*; Nec de inſcrutabilibus judiciis ejus audeant judicare, cur in una eademque cauſa, ſuper alium veniat miſericordia ejus, ſuper alium maneat ira ejus. Qui enim ſunt iſti qui reſpondeant Deo? *Et paulo poſt*; Quid enim diligebat in Jacob, antequam natus feciſſet aliquid boni, niſi gratuitum miſericordiæ ſuæ donum? Et quid oderat in Eſau, antequam feciſſet aliquid mali, niſi originale peccatum? Nam neque in illo diligeret juſtitiam, quam nullam ipſe fecerat; neque in iſto odiſſet naturam, quam bonam ipſe perfecerat. Mirum autem cum his coarctantur anguſtiis [Pelagiani.] in quanta ſe abrupta præcipitent, metuentes retia veritatis. Ideo (inquiunt) nondum natorum alium oderat, alium diligebat; quia eorum futura opera prævidebat. Quis iſtum acutiſſimum ſenſum defuiſſe Apoſtolo non miretur? Hoc quippe ille non vidit, quando ſibi velut adverſantis objectâ quæſtione, &c. Hæc Auguſtinus, epiſtola 105. ad Sixtum. Eandem doctrinam paſſim inculcat in ſuis ſcriptis contra Pelagianos. Quam & illorum temporum Romani Pontifices, & Concilia contra Pelagianam hæreſin ejuſque reliquias celebrata comprobarunt, & Eccleſia deinceps retinuit: ut fuſius demonſtravimus libro octavo, hujus operis, ubi exhibuimus hiſtoriam Pelagianam.

*Rom. 9. 11, 12, 13, 21.* *Jacobum dilexi, Eſauum autem odio habui. Rom. 9. 13.*

11. Jam, ſi Eſavo in circumciſione, & Chriſtianorum infantibus reprobis in baptiſmo remiſſum ſit, remiſſione abſolutâ, originale peccatum, & ſint jam in ſanguine Chriſti juſtificati, & reconciliati Deo per mortem Filii ejus; tollitur objectum odii, & evacuatur decretum primæ diſcriminationis: cujus objectum non in ſubſequentibus operibus, ſed in communi originali maſſâ quærendum eſt. Nec eſt mobile, aut ambulatorium, illud decretum; ſed fixum, atque immotum. Sunt autem quidam, qui filii Dei, propter ſuſceptam vel temporalem gratiam, dicuntur à nobis; nec ſunt tamen Deo. ut loquitur Auguſtinus, lib. de correptione & gratia, capite nono. Proclamat vates, & repetit*Apoſtolus. *Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates*, Pſal. 32. Rom. 4. & idem Apoſtolus ait; *Commendat autem ſuam charitatem erga nos Deus, quòd cùm adhuc eſſemus peccatores, Chriſtus pro nobis mortuus ſit. Multò igitur magis nunc juſtificati in ſanguine ipſius, ſalvabimur per ipſum ab ira. Nam ſi, cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filii ejus; multo magis reconciliati ſalvabimur in vita ejus. Neque id ſolum, verùm etiam gloriamur in Deo per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem nunc reconciliationem accepimus.* Roman. 5. ubi hanc doctrinam etiam ad parvulos exporrigit. Et poſtea in eadem epiſtola; *Quos autem juſtificavit, hos & glorificavit.* Rom. 8. 30. *Nam ſine pœnitentiâ [ἀμεταμέλητα] ſunt dona & vocatio Dei.* Rom. 11. 29. Ex his & ſimilibus oraculis efficitur, eos qui non ſalvantur ab ira, qui non glorificantur, qui non ſunt beati, non eſſe ex eorum numero, quos hoc nomine beatos ſcriptura pronunciat, quod eis remiſſæ ſint iniquitates, non eſſe juſtificatos in ſanguine Chriſti, non accepiſſe reconciliationem per eum. Johannes Apoſtolus ait; *Ex nobis exierunt: ſed non erant ex nobis; nam, ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum. Sed ut manifeſti ſint, quoniam non ſunt omnes ex nobis.* 1. Joan. 2. 19. Item; *Quiſquis natus eſt ex Deo, peccatum non facit; quoniam ſemen ipſius in eo manet: & non poteſt peccare; quoniam ex Deo natus eſt.* 1. Joan. 3. 9. Qui igitur exierunt, & in peccatis ſuis moriuntur, non



non fuerunt ex Deo nati, (ſeu ex Spiritu Sancto renati) non habuerunt illud ſpirituale ſemen, non fuerunt ex filiis Dei, qui verè ejus filii ſunt.

12. His præmiſſis; ad propoſitam quæſtionem, de effectu baptiſmi in parvulis, Reſpondeo: vocatio & juſtificatio bifariam conſiderantur, vel ſecundùm propoſitum, & præſcientiam, Dei; vel ſecundùm tenorem fœderis Dei. Non pugnant iſta inter ſe, ſed variè diſtinguuntur; Nam propoſitum Dei occultum eſt; fœdus prædicatione Evangelii patefactum eſt: Propoſitum abſolutum eſt, fœdus conditionatum: propoſitum eſt infallibiliter efficax, & effectum reddit quicquid propoſuit; & præſcientia, etſi non efficiat quæ præſcit, falli tamen non poteſt: at fœdus per hominis illud reſpuentis ingratitudinem ſæpe violatur, & res fœdere promiſſa non evenit.

13. Sacramenta ſunt inſtituta, non ut ſint ſigilla propoſiti vel præſcientiæ Dei, ſed ut ſint ſigilla fœderis Dei, & mediante fœdere nos etiam ducant ad propoſitum. Neque plus ſignant ſacramenta, quàm verbo fœderis promiſſum eſt. Si dicas, fœdus novum etiam abſolutis promiſſionibus conſtare, prout apud Jeremiam proponitur, & in epiſtola ad Hebræos repetitur; ubi ipſa etiam conditionis præſtatio promittitur, crediturus ſcilicet & perſeveraturos. Reſpondeo, promiſſiones illæ abſolutæ ad ſolos pertinent electos, qui nobis in anteceſſum non innoteſcunt, ideo conditionata illa fœderis prædicatio ad totam vocatorum multitudinem uſurpata eſt ab ipſo Chriſto, ejuſque diſcipulis, nobiſque injuncta, *qui crediderit, ſalvus erit. Qui perſeveraverit uſque in finem, ſalvus erit.* Huic præconio qui auſcultant atque obediunt, illi ex abſolutis illis promiſſionibus ſciant, ſe non ſuis viribus ſed ſpeciali Dei munere obedire, & in ſolo Domino glorientur. Qui autem contemnunt, ſciant, ſuo ſe vitio privari promiſſâ beatitudine.

14. Ubicunque igitur debito modo ſuſcipitur verbum fœderis prædicatum, ibi ad ſalutem audientium exſerit ſuam efficacitatem: at auditoribus obicem ponentibus, damnationem adauget. Sic ſacramenta, ſeu ſigilla fœderis, eis ſolis ſunt ſalutifera, in quibus conditio fœdere requiſita exſiſtit: ſive illa conditio in præſenti adſit, ſive poſtmodum ſequutura ſit. Nam tunc demum prodeſt ſacramentum, quando adeſt vel acceſſit conditio fœderis. Sunt enim hæc ſigilla appenſa præconio, ſeu diplomati, fœderis conditionati. Neque rem ſignificatam pollicentur, aut exhibent, niſi ſub conditione. Ideo non omnes, qui accipiunt ſacramentum, potiuntur etiam re ſacramenti. Sed quæ vox *fœderis* ſub conditione prædicati, idem eſt ſenſus ſacramenti; nempe ſi conditionem fœderis habeas, ſi in Dei fœdere exſiſtens nunquam illud tua perſonali prævaricatione deſeras, vel ſaltem non finaliter deſeras, hoc tibi certiſſimum pignus eſt irrevocabilis remiſſionis peccatorum, vitæque æternæ: aloqui ſi conditione fœderis deſtituaris, ſi Dei fœdus finaliter deſerueris, nihil tibi proderit hoc ſacramentum, neque ad peccati ullius abſolutam remiſſionem, neque ad æternam ſalutem, ſed potiùs majori damnationi eris obnoxius, ex profano contemtu ſuſcepti ſacramenti.

15. Hanc conditionalem remiſſionem, non ſolùm memorati Patres, ſed & alii poſtea celebres Theologi tenuerunt: & videtur communis fuiſſe multorum doctrina illo tempore, quo conditum eſt illud diſtichon, quod apud Bonaventuram in 4. ſentent. diſtinct. 22. art. 1. quæſt. 1. & Thomam, 3. part. quæſt. 88. artic. 2. legitur:

*Fratres odit, apoſtata fit, ſpernitque fateri,*
*Pœnituiſſe piget, priſtina culpa redit.*

In hac etiam ſententia apertè fuit *Prepoſitivus*, quem magnum clericum vocat *Bonaventura*, loco citato. Et *D. Pareus*, Commentario in Parabolam de ſervo debitore decem millium talentorum, ait: Hoc tantùm vult parabola; Deum eis qui fratribus non remittunt, non remiſſurum: & remiſſionem divinam habere annexam conditionem remiſſionis noſtræ. Qui igitur non remittunt fratribus, reverà remiſſionem nunquam acceperunt; proinde nec habuerunt. Et *D. Robertus Baronius*, in ſua diſputatione Theologica, de vero diſcrimine peccati mortalis & venialis, parte 1. ſectione 2. § 5. & ſect. 5. aſſertione 2. affirmat, omnia reproborum peccata eſſe mortalia, non tantùm ex merito, ſed etiam ab eventu; quia videlicet æternâ morte actu puniuntur. Unde efficitur, nullum reprobi hominis peccatum eſſe abſolutâ remiſſione ſublatum. Et ita ſe ſentire, ipſe chariſſimus collega mihi coràm profeſſus eſt. Quocirca quæ de juſtificatione baptizatorum ſcripſerunt hi doctores, ea cum hac interpretatione accipienda ſunt.

*Matth. 18. 24. &c.*

16. Conditionatam & revocabilem, certóque in Dei præſcientia revocandam remiſſionem, accepit ſervus ille nequam debitor decem millium talentorum, id eſt, accepit ſigillum regium, ſeu ſacramentum, remiſſionis peccatorum. Math. 18. & temporarii illi, qui ſemen verbi ſuſceperunt in terra petroſa, vel ſenticoſa. Matthæi 13. Abſolutam & nunquam revocandam, atque adeo non ſolùm ſacramentalem aut amiſſibilem, ſed etiam realem & fixam peccatorum remiſſionem accipiunt omnes illi ſanctificati, de quibus dixit Dominus, *Peccatorum & iniquitatum eorum non recordabor ampliùs*, Hebræos 10. 14, 17. Item, *Hæc eſt autem voluntas ejus, qui miſit me, Patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo; ſed reſuſcitem illud in noviſſimo die*. Johannis 6. 39. & quos Dominus in parabola ſeminantis aſſimilat terræ bonæ.

*Servus nequam debitor decem millium talentorum.* *Matth. 18. 24. &c.* *Temporarii. Matth. 13. 21.* *Verè juſtificati. Hebr. 10. 14, 17. Joan. 6. 39. Matth. 13. 23. & Luc. 8. 5.*

17. Qui autem non acceperunt remiſſionem æternam, illi non acceperunt illud Dei ſemen inamiſſibile, de quo loquitur Apoſtolus 1. Joannis 3. 9. qui ſemen illud permanens non acceperunt, non ſunt ex Deo nati; nam, ut ibidem docet Joannes, *Quicunque ex Deo nati ſunt, in eis manet ſemen ejus; nec poſſunt peccare.* Non ſinet eos Deus totaliter, aut finaliter, Chriſtum deſerere, vel in peccatis ſuis perire. Reprobi igitur, utcunque regenerentur & Chriſto incorporentur, quoad ſacramenti ſuſceptionem, vel quoad temporalem illam petroſis & ſpinoſis cordibus communem gratiam: non tamen accipiunt cor molle, & mundum; nec ſunt ex numero illorum ſanctificatorum, quos Chriſtus unâ oblatione conſummavit in perpetuum, quorum peccata & iniquitates Deus non recordabitur ampliùs, Hebr. 10. 14, 17. Non ſunt ex Deo nati. Quamvis per ſanguinem fœderis ſint ſacramentaliter ſanctificati, & quoad tempora-

*Dei ſemen inamiſſibile. 1. Joan. 3. 9.* *Hebr. 10. 14. 17.*

rium quendam guſtum participes facti ſint Spiritus Sancti. Hebr. 6. 4, 5. & capite 10. verſ. 29. Vide ſuprà, cap. decim. paragraphum decimum nonum, & ſequent. uſque ad paragraphum vigeſimum ſextum, in vindiciis rationis quintæ, ad objectionem quintam, reſp. 3. & 4. & 5. & 6. & 7. & 8.

*Hebr. 6. 4. 5. & cap. 10. v. 29.*

18. Dices; Si reprobi infantes in eodem ſtatu morerentur, in quo ſunt poſt baptiſmum, ſalvarentur. ergo ſunt poſt baptiſmum in ſtatu plenariæ juſtificationis, & requiſitæ ſanctificationis; cum abſque hoc ſtatu nemo ſalvetur.

*Object. 1.*

Reſpondeo: Nego antecedens, de ſtatu intellectum: nam quicunque ſalvatur, eſt in ſtatu remiſſionis abſolutæ & irrevocabilis, & habet ſemen illud Dei manens in ſe, ſemperque manſurum: at in hoc ſtatu non ſunt infantes reprobi poſt baptiſmum. Antecedens autem ſupponit impoſſibile, ſi intelligatur de obitu infantium in ætate infantili; ut dicetur ad ſequentem objectionem.

*Solutio.* *1. Joan. 3. 9.*

19. Dices; Quicunque fidelium infans ſtatim poſt baptiſmum, ante uſum rationis moritur, ſalvatur; ergo ſi eorum infans reprobus ſtatim poſt baptiſmum moriatur, ante uſum rationis, ſalvatur.

*Object. 2. Omnis fidelium infans ante-pto baptiſmo ſtatim moriens, ſalvatur.*

Reſp. Conſequens ſupponit *abſurdum*. Nam impoſſibile eſt, eundem eſſe reprobum, & eſſe fidelium parentum infantem baptizatum, morientem ante uſum rationis. Sicuti ſuprà prolixè oſtenſum eſt. Perinde ac ſi quis ita argumentetur: Quicunque adultus credit & perſeverat, ſalvatur; ergo, ſi adultus reprobus credat & perſeveret, ſalvatur. Vel ſic: Qui in Domino moriuntur, ſunt beati; ergo, ſi reprobus moriatur in Domino, eſt beatus. Conſequens hypotheticè verum eſt. At hypotheſis abſurda eſt: datoque uno abſurdo, multa ſequuntur. Da mihi reprobum, qui fidelibus prognatus parentibus, & baptizatus, ſtatim in infantia decedat ex hac vita; vel qui adultus credat fide vivâ, & perſeveret; vel qui in Domino moriatur; & concedam, reprobum illum ſalvari, adeóque non eſſe reprobum. Quod equidem fateor eſſe abſurdum, ſed abſurdam præſupponit hypotheſin.

*Reſp. Vide ſupra cap. 10. §. 17. & §. 18. & §. 19. & §. 20. & §. 21.*

20. Neque fas hominibus litigare cum Deo quod verbum ſuum prædicari & ſacramenta adminiſtrari faciat hominibus reprobis, quos novit ſuâ ipſorum ingratitudine inutilia ſibi redituros illa Dei munera. *Nam inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & impervestigabiles viæ ejus. Neque eſt ulla apud Deum iniquitas.*

*Vide ſupra c. 10. §. 21. Rom. 11. 33. Pſal. 92. 16. Rom. 9. 14.*

INSTRU-



# INSTRUCTIONUM HISTORICO-THEOLOGICARUM LIBER UNDECIMUS, DE EUCHARISTIA.

## CAPUT PRIMUM.

### *De manducatione ſacramentali & ſpirituali.*

*Manducatio ſacramentalis & ſpiritualis.*

TRita & apud omnes recepta eſt diſtinctio *manducationis ſacramentalis & ſpiritualis*. Sed eam aliter interpretantur Tranſſubſtantiarii, & quidam alii; aliter veteres Patres, & noſtri doctores. Illi ajunt, ipſum Chriſti corpus & ſanguinem inviſibiliter quidem, attamen verè ac realiter propriè in ſeipſo ſumi ore corporeo, & in ventriculum tranſmitti, ab omnibus communicantibus, tum dignis tum indignis: & hanc vocant manducationem ſacramentalem; quam tamen ſine conjuncta ſpirituali manducatione inutilem & noxiam eſſe profitentur. Spiritualem verò manducationem ſolis bonis tribuunt; eamque ſemper ſalutarem eſſe fatentur, ſive ſola ſit, ſive cum ſacramentali conjuncta. ſpiritualis manducatio eſt ſecundùm eos, quâ Chriſto fide & charitate unimur, ore cordis Chriſtum recipimus. id quod fieri poteſt, vel ſeorſum extra uſum Euchariſtiæ, vel cum eſu ſacramentali. Sic docent Lombardus, ejuſque interpretes, libro quarto ſententiarum, diſtinctione nonâ. & canoniſtæ in gloſſa, de conſecratione, diſtinctione ſecundâ, canone *quid eſt.* & can. *Et ſancta.* & can. *quia paſſus.* Et Concilium Tridentinum, ſeſſ. 13. capite 8. & can. 8. & Chemnitius ibidem in Examine. *Spiritualis ſumtio (quæ verâ fide percipitur) ſine ſacramentali (ubi non eſt contemtus religionis) ſufficit*, inquit Hugo à S. Victore, in Speculo Eccleſiæ, cap. 7.

*Vide ſupra lib. 4. c. 7. & cap. 12. & cap. 13.*

2. De ſpirituali quidem manducatione, ejuſque neceſſitate, conſentimus: at manducationem ſacramentalem longè alio ſenſu intellexit Auguſtinus, qui manducationem ſacramentalem opponit manducationi veræ ac reali, viſibilem inviſibili: ſolam autem manducationem ſpiritualem vocat inviſibilem, veram, realem: qui verò non manducant ſpiritualiter, ſed tantummodo ſacramentaliter, eos negat verè ac re ipſa manducare Chriſti carnem; ſed ait, eos ſacramento tenus, & quoad viſibile ſacramentum duntaxat manducare; ſicut illi, qui olim in deſerto manducaverunt manna, & mortui ſunt.

3. Nec iſti ergo (inquit) dicendi ſunt manducare corpus Chriſti: quoniam nec in membris computandi ſunt Chriſti. Auguſtinus, libro vigeſimo primo de Civitate Dei, capite vigeſimo quinto. Et ne cavillentur adverſarii, excludi illic malos non à reali, ſed à ſpirituali manducatione; loquatur ipſe Auguſtinus, verborum ſuorum optimus interpres, qui ibidem hæc ſubjungit; Denique ipſe dicens; *qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo*, oſtendit, quid ſit non ſacramento tenus, ſed revera, corpus Chriſti manducare, & ejus ſanguinem bibere. Hæc ibi.

*Non ſacramento tenus, ſed revera.*

4. Idem etiam, tractatu vigeſimo ſexto in Evangelium Johannis; Manducaverunt manna ibi multi qui Domino placuerunt, & mortui non ſunt. quare? quia viſibilem cibum ſpiritaliter intellexerunt, ſpiritaliter eſurierunt, ſpiritaliter guſtaverunt, ut ſpiritaliter ſatiarentur. Nam & nos hodie accepimus viſibilem cibum: ſed aliud eſt ſacramentum, aliud virtus ſacramenti. —— Hunc panem ſignificavit Manna, hunc panem ſignificavit altare Dei. Sacramenta illa fuerunt in ſignis diverſa, ſed in re quæ ſignificatur paria ſunt. —— Omnes eandem eſcam ſpiritalem manducaverunt. Spiritalem utique eandem; nam corporalem alteram, quia illi manna, nos aliud, ſpiritalem verò, quam nos. —— Petra autem erat Chriſtus. inde panis, inde potus. Petra Chriſtus in ſigno; verus Chriſtus in verbo & carne. —— ut, ſi quis manducaverit ex ipſo, non moriatur. Sed quod pertinet ad virtutem ſacramenti, non quod pertinet ad viſibile ſacramentum. qui manducat intus, non foris; qui manducat in corde, non qui premit dente. —— qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in illo. Hoc eſt ergo manducare illam eſcam, & illum bibere potum, in Chriſto manere, & illum manentem in ſe habere. Ac per hoc qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, proculdubio nec manducat ſpiritaliter carnem ejus, nec bibit ejus ſanguinem; licet carnaliter & viſibiliter premat dentibus ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti: ſed magis tantæ rei ſacramentum ad judicium ſibi manducat, & bibit; quia immundus præſumſit ad Chriſti accedere ſacramenta, quæ aliquis non dignè ſumit, niſi qui mundus eſt. Hæc ibi.

*Viſibilem cibum ſpiritaliter intelligere, &c.*

*Aliud eſt ſacramentum; aliud virtus ſacramenti.*

*Petra Chriſtus in ſigno.*

*Manducare intus in corde.*

*Mali ſacramentum corporis Chriſti ſumunt ad judicium ſui.*

5. Item, tractatu vigeſimo ſeptimo in idem Evangelium: Signum, quia manducavit & bibit, eſt, ſi manet & manetur, ſi habitat & inha-

inhabitatur, ſi hæret & non deſeratur. —— Hoc ergo totum ad hoc nobis valeat, dilectiſſimi, ut carnem Chriſti & ſanguinem Chriſti, non edamus tantùm in ſacramento, quod & multi mali; ſed uſque ad ſpiritûs participationem manducemus & bibamus. Item tractatu quinquageſimo nono, in idem Euangelium; Illi [*reliqui Apoſtoli*] manducabant panem Dominum, ille [*Judas*] panem Domini contra Dominum; illi vitam, ille pœnam: *qui enim manducat indignè*, ait Apoſtolus, *judicium ſibi manducat*. Et tractatu ſexageſimo ſecundo; jam omnibus eis diſtribuerat Dominus ſacramentum corporis & ſanguinis ſui, ubi & ipſe Judas erat. Item in ſermone ſecundo de verbis Apoſtoli. Tunc vita unicuique erit corpus & ſanguis Chriſti: ſi quod in ſacramento viſibiliter ſumitur, in ipſa veritate ſpiritaliter manducetur, ſpiritaliter bibatur. Hæc Auguſtinus.

*Mali carnem Chriſti edunt tantum in ſacramento, ſeu ſacramento tenus, id eſt, manducant panem Domini, ſed non manducant panem Dominum.*

*Non in ipſa veritate.*

6. Indignos excludit Auguſtinus à manducatione Chriſti ſpirituali, & reali, & verâ, & inviſibili: à manducatione Chriſti in ſeipſo, in ipſa veritate: à manducando panem Dominum: & eis ſolam relinquit manducationem ſacramenti viſibilis, manducationem corporis Chriſti ſacramento tenus, manducare panem Domini; manducare Chriſti corpus in ſacramento, non in ſeipſo. Nam (inquit) ſemel immolatus eſt Chriſtus in ſeipſo, & tamen in ſacramento non ſolum per omnes Paſchæ ſollemnitates, ſed omni die populis immolatur: nec utique mentitur, qui interrogatus eum reſponderit immolari? Si enim ſacramenta quandam ſimilitudinem earum rerum, quarum ſacramenta ſunt, non haberent, omnino ſacramenta non eſſent. Ex hac autem ſimilitudine plerunque etiam ipſarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo ſecundum quendam modum, ſacramentum corporis Chriſti corpus Chriſti eſt; ſacramentum ſanguinis Chriſti ſanguis Chriſti eſt: ita ſacramentum fidei [*baptiſmus*] fides eſt. Auguſtinus epiſtola vigeſima tertiâ.

*Sacramentum ſimilitudinem per nomina.* *Secundum quendam modum ſacramentum corporis Chriſti.*

7. Sic Rupertus Abbas Tuitienſis, libro ſecundo de divinis officiis, capite nono. Sed in illum, in quo fides non eſt, præter viſibiles ſpecies panis & vini, nihil de ſacrificio pervenit. Hæc Rupertus.

8. Rectè igitur Calſinus, in libello de optima iocundæ concordiæ ratione. Conveniat (inquit) de hoc quoque capite; ſacramentaliter Chriſti corpus comedi ab impiis, non verè nec re ipſa, ſed ſigno tenus.

## CAPUT SECUNDUM.

### *De Sacramento, & re.*

*Vide infra, cap. 9. § 4.*

**A**Butuntur etiam Tranſſubſtantiarii vocabulo *ſacramenti*: Et in Euchariſtia ſpecies panis & vini ajunt eſſe ſacramentum, & non rem. Carnem verò Chriſti propriam, & ejus ſanguinem, eſſe ſacramentum & rem: carnem verò ejus myſticam eſſe rem, & non ſacramentum. Sic Lombardus, ejuſque interpretes, libro quarto ſententiarum, diſtinctione octavâ. Ait autem ibi Richardus de media villa, loquens de corpore Chriſti myſtico; hoc autem corpus eſt res, & non ſacramentum; niſi velles dicere, quòd corpus Chriſti myſticum Eccleſiæ militantis ſit ſacramentum corporis myſtici Eccleſiæ triumphantis. Hæc Richardus.

2. Idipſum, paullò ante Lombardum, docuit Hugo à S. Victore, in Speculo Eccleſiæ, ſive libro eruditionis Theologicæ in ſpeculum Eccleſiæ. cap. 7. ubi etiam monet, Sacramentum dupliciter dici, videlicet, vel ſacræ rei ſignum, vel ſacrum ſecretum. & ait, corpus & ſanguinem Domini in utroq. ſenſu eſſe ſacramentum: eſſe enim ſacrum ſecretum, quod per viſibilem ſpeciem ſignificatur; & eſſe etiam ſignum ſacræ rei, puta gratiæ ſpiritalis, quæ dicitur ſpiritalis caro Chriſti. Hæc Hugo. P. Lombardus dicit, corpus Chriſti proprium de virgine ſumtum, eſſe ſacramentum myſtici corporis Chriſti, quod eſt ſocietas fidelium. 4 ſent. diſt. 8.

3. Nos autem nullum ibi agnoſcimus ſacramentum, (id eſt, ſacræ rei ſignum, prout Euchariſtia & baptiſmus ſacramenta dicuntur,) niſi panem conſecratum & calicem conſecratum: Chriſti verò carnem propriam dicimus eſſe hujus ſacramenti rem principalem; ut ex verbis inſtitutionis liquet; ex eaque emanare in animas manducantium eam, donum omne ſpirituale, quo in myſtico Chriſti corpore conſervantur & vegetantur. Et hæc ita dicimus eſſe inſeparabilia, ut omnis verè ac reipſa manducans carnem Chriſti propriam, fiat etiam fructuum inde provenientium particeps in vitam æternam. Caro enim Chriſti verè cibus eſt omni eam revera manducanti. unde Auguſtinus immolationem Chriſti in ſeipſo, diſtinguit ab ejus immolatione in ſacramento. epiſt. 23. Ipſum igitur corpus Chriſti non eſt ſacramentum.

*Johan. 6.*

4. Sacramentis omnibus commune eſt, in rebus ſenſibilibus conſiſtere, gratiam inviſibilem ſignificantibus; ait, ex mente Richardi, Ludovicus Silveſtrius, apud Richardum in quart. ſententiarum, diſtinctione primâ, articulo primo, quæſtione primâ, in concluſione primâ. Vide ſuprà, libri noni caput primum, ubi de ſacramenti definitione prolixè diſſeruimus. Unde evidenter colligitur, corpus Chriſti proprium non eſſe in Euchariſtia ſacramentum. Nam, ex mente ipſorum Tranſſubſtantiariorum, corpus Chriſti in Euchariſtia ita latet ſub ſpeciebus panis & vini, ut nullo modo ſit ſenſibile. Exiſtentia corporis Chriſti videri non poteſt in ſacramento oculo corporali, naturali virtute, nec virtute gloriæ, nec etiam per miraculum: ait Richardus de media villa, in quarto ſententiarum, diſtinctione decimâ, articulo quinto, quæſtione ſecundâ. Ubi hanc reddit rationem: quia corpus Chriſti eſt in ſacramento ad ſimilitudinem ſpiritualis exiſtentiæ, quam impoſſibile eſt repræſentari expreſſè per quamcunque ſpeciem corporalem. Unde Durandus in eandem diſtinctionem, quæſt. quartâ, numero quinto. Loquendo (inquit) de oculo corporali, dicendum eſt, quòd corpus Chriſti in hoc ſacramento non videtur ab oculo, nec ſuo, nec alieno. Hæc Durandus. Sic etiam docet, neque tactu, neque alio ſenſu ſenſibile eſſe.

*Omnibus ſacramentis eſt ſenſibilis.* *Corpus Chriſti in Euchariſtia non eſt ſenſibile.*

5. Nos quidem fatemur, corpus Chriſti ſub ſpeciebus illis non eſſe ſenſibile ipſi Chriſto, non quia ſit alicubi corpus Chriſti, ubi illud ipſe non videat ſenſu corporeo, ſed quia ibi non eſt realiter,



ter, ſeu in ſeipſo ſubſtantialiter: quod falsò à Doctoribus iſtis ſupponitur. Valet interim argumentum contra ipſos: corpus Chriſti in Euchariſtia non eſt ſenſibile; ergo non eſt ſacramentum.

6. Vim hujus argumenti percipiens Gabriel Biel, fatetur corpus Chriſti in Euchariſtia non eſſe ſacramentum: in quartum ſententiarum, diſtinctione primâ, quæſtione primâ, articulo primo, notabili primo, §. ad ſecundum dicitur. ubi pluribus argumentis probat, corpus Chriſti in Euchariſtia non eſſe ſacramentum. Idcirco eodem libro, diſtinctione octava, quæſtione primâ, articulo primo. Euchariſtiam ſic definit: Euchariſtia eſt ſpecies panis vel vini, corpus Chriſti & ſanguinem virtute ſacerdotalis conſecrationis realiter continens. Et ibidem; Quòd (inquit) ſit ſacramentum, probatur ex definitione ſacramenti; quia eſt ſignum ſenſibile ex inſtitutione Divina effectum gratuitum efficaciter ſignificans. Sunt enim ſpecies panis, & vini, ſignum ſignificans, &c. Magiſtrum autem excuſat, quòd impropriè loquutus ſit, vocans corpus Chriſti ſacramentum. Ad magiſtrum (inquit) dicitur; Cum corpus Chriſti dicitur ſacramentum & res; ſacramentum accipitur largè, pro ſigno ſacræ rei, & non propriè. Hæc ille.

7. At non iſta idonea excuſatio. Nam. 1. Non debuit magiſter ludere æquivocatione. 2. Caro Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini non eſt ſacramentum, largè & impropriè ſumtum pro ſigno rei ſacræ; omne enim tale ſacramentum, ſeu ſignum, eſt res præter ſpeciem, quam ingerit ſenſibus, aliud aliquid ex ſe faciens in cogitationem venire. ſicut ex Auguſtini lib. ſecundo de doctrina Chriſtiana, capite primo, monet ipſe Lombardus, libro quarto ſententiarum, diſtinctione prima: qualia fuerunt ſacrificia carnalia, & obſervantiæ cerimoniales veteris legis; ut ibidem docet Lombardus & ante eum Auguſtinus, Sacrificium (inquit) viſibile inviſibilis ſacrificii ſacramentum; id eſt, ſacrum ſignum eſt. lib. 10. de civitate Dei, cap. 5. Caro autem Chriſti in Euchariſtia non objicitur ſenſui.

8. Abſurdè igitur & doloſè Tridentini, Seſſione decima tertia, de ſacramento Euchariſtiæ diſſerentes, decernunt latriæ cultum huic ſanctiſſimo ſacramento exhibendum: capite quinto. cum tamen fateantur, hoc eſſe ſanctiſſimæ Euchariſtiæ cum cæteris ſacramentis commune, quòd ſit inviſibilis gratiæ forma viſibilis. capite tertio. Neque eos excuſat commentum realis præſentiæ; nam etiam eâ conceſſâ, non inde ſequeretur carnem Chriſti inviſibiliter in ſacramento præſentem, eſſe ipſum ſacramentum. Alia eſt quæſtio de præſentia rei: alia verò de ipſo ſacramento, cujus res præſens dicitur. Dices, eos impropriè loquutos eſſe. at annon hic maximè opus erat terminis propriis. Præterea aliquid ſenſu improprio appellationem accipit ſacramenti, vel qua ſacrum ſignum præter ſpeciem, quam ſenſibus ingerit, aliud aliquid ex ſe faciens in cogitationem venire: vel per figuram illam, quâ rei ſignificatæ inditur vocabulum *ſigni*, quomodo de Chriſto ait Apoſtolus, *Paſcha noſtrum pro nobis ſacrificatum, eſt Chriſtus*. 1. Corinth. 5. 7. Priore ſenſu caro Chriſti in Euchariſtia non poteſt dici ſacramentum: ut ex ſuperioribus patet. Poſteriorem ſenſum non intendunt Tridentini: nam & nos fatemur, Chriſto, qui eſt ſacramenti hujus res & veritas, deberi cultum latriæ: ſed volunt illi, adorari carnem ſubſtantialiter contentam ſub ſpecie panis: nos ſedentem in Cœlo.

9. Poſteriore ſenſu Dionyſius Chriſtum compellans, utitur nomine ſacramenti, libro de Eccleſiaſtica Hierarchia, capite tertio, in parte tertiâ illius capitis. ubi poſtquam dixit, ſe penitiorem ſacramenti Euchariſtiæ contemplationem, Jeſu duce, Ἰησοῦ φωταγωγοῦντος, ingreſſurum, ſtatim ad Jeſum orationem dirigens exclamat; ἀλλ' ὦ θειοτάτη καὶ ἱερὰ τελετή, &c. Sed ô tu divinum ſanctiſſimúmque ſacramentum, &c. In quæ verba, Georgius Pachymeres, Dionyſii Paraphraſtes, ὡς ἐμψύχῳ τῷ (inquit) αὐτῇ [τῇ τελετῇ] διαλέγεται, καὶ εἰκότως, καθὰ καὶ ὁ Θεολόγος μέγας Γρηγόριος. ἀλλ' ὦ πάσχα τὸ μέγα καὶ ἱερόν. τὸ ἡμέτερον γὰρ πάσχα καὶ ἡ τοιαύτη ἱερὰ τελετὴ αὐτός ἐστιν ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστός, πρὸς ὃν τὸν λόγον ὁ ἅγιος [Διονύσιος,] ἵνα ἀποκαλύψῃ. &c. id eſt, ipſum [*ſacramentum*] alloquitur tanquam animatum, & jurè: quemadmodum & magnus Gregorius Theologus *dixit*, Cæterùm ô Paſcha magnum & ſacrum. Noſtrum enim Paſcha & hujuſmodi ſanctum ſacramentum ipſe eſt Dominus noſter Jeſus Chriſtus, ad quem ſermonem dirigit ſanctus [*Dionyſius*,] ut revelet, &c. Nempe veritatem compellat Dionyſius vocabulo *ſymboli*. Sicut vice verſâ ſolent, tropo quodam, res ſignificantes rerum illarum ſortiri vocabula, quas ſignificant: ut monet ipſe Lombardus, libro quarto ſententiarum, diſtinctione decimâ: idque confirmat teſtimonio Auguſtini, dicentis, ita panem vocari corpus Chriſti, cum verè ſit ſacramentum corporis Chriſti, quod in cruce poſitum eſt, ſicut ipſa immolatio, quæ fit manibus ſacerdotis, vocatur Chriſti paſſio, non rei veritate, ſed ſignificandi myſterio: & ſicut ſacramentum fidei dicitur fides. Hæc ibi. Dicitur etiam ſacramentum, ſacrum ſecretum, & ſacrum ſignatum; de quo nunc non agitur. Vide ſuprà, libro nono, capitè primo.

*Vindicatur Dionyſius.*

10. Gratianus, de conſecratione, diſtinctione 2. can. *Hoc eſt quod dicimus*. citat, ex Proſperi libro ſententiarum, hæc tanquam Auguſtini verba; Conficitur ſacrificium Eccleſiæ ex duobus, id eſt, ſacramento, & re ſacramenti: id eſt, corpore Chriſti. Eſt igitur ſacramentum, & res ſacramenti, corpus Chriſti. Lombardus eadem citat, inſerto pronomine *idem*, ſic; Eſt ergo ſacramentum & res ſacramenti idem corpus Chriſti. Hinc ait, confirmari quod ipſe ſuprà dixit, ſcilicet, corpus Chriſti eſſe ſacramentum & rem. Reſpondeo. 1. Sententia iſta non invenitur in libro Proſperi, quem apud me habeo, editionis Colonienſis, anno 1609. neque adhuc apud ipſum Auguſtinum comparuit. 2. In illis verbis, corpus Chriſti refertur tantummodo ad rem ſacramenti. Pronomen verò *idem*, per quod etiam ad ſacramentum retraheretur, apud Lombardum, videtur eſſe adſcititium. Neque enim legitur apud Gratianum; & veriſimile eſt, eſſe ab aliquo interjectum verbis Lombardi; neque tutò recipitur ſola ipſius Lombardi auctoritate. 3. Quod in eodem teſtimonio apud Gratianum & Lombardum dicitur, ſacrificium Eccleſiæ conſtare ſacramento & re ſacramenti, ſicut perſona Chriſti conſtat ex Deo & homine; quod omnis res illarum rerum naturam & veritatem in ſe contineat, ex quibus conſtat. Auctor gloſſæ in Decretum Gratiani, ait loquutionem illam, de conſtitutione ſacrificii, eſſe impropriam. Ex ſacramento (inquit) & re ſacra-

*Gratiani & Lombardi argumentũ, tanquam ex Auguſtino.*

*Reſponſio.*

ſacramenti nihil conficitur, ſed tenentur collectivè pro ipſo ſacramento & re ſacramenti. addit; probationem à ſimili de perſona Chriſti eſſe valde impropriam. Alio modo & magis appoſitè argumentantur Theodoretus & Gelaſius, à pane & vino ſacramentali, ad probandam conſtantem humanitatis Chriſti veritatem, ejuſque à Divinitate diſtinctionem. Eorum verba recitavimus in Irenico noſtro, lib. 2. cap. 16. numero 1. in vindiciis Theodoreti.

## CAPUT TERTIUM.

### *De Specie.*

*Species pro veritate accipitur.* *Luc. 3. 22.* LEgimus in Euangelio Lucæ, cap. 3. verſ. 22. deſcendiſſe Spiritum Sanctum corporali ſpecie [σωματικῷ εἴδει] ſicut columbam in Jeſum baptizatum. Hanc ſpeciem interpretantur verum corpus & veram columbam, Ambroſius, in Commentario in Euangelium Lucæ: & libro de initiandis, capite 4. & Auguſtinus, libro 4. de Trinitate, capite ult. & ſermone 38. de Tempore. Addit Ambroſius; Speciem autem pro veritate accipiendam legimus, & de Chriſto; *Et ſpecie inventus ut homo.* & de Patre Deo; *neque ſpeciem ejus vidiſtis.* *Philip. 2. 8.* *Johan. 5. 37.* Hæc Ambroſius, libro de initiandis, capite 4. Idem quoque eodem libro, cap. 9. ſeu ult. *Gravior eſt* (inquit) *ferri ſpecies, quàm aquarum liquor.* id eſt, ferrum gravius eſt aquâ. Et rurſus ibidem. Ante benedictionem alia ſpecies nominatur; Poſt conſecrationem corpus Chriſti ſignificatur. Et Auguſtinus, tractatu vigeſimo ſexto in Euangelium Johannis, *Omnes eundem potum ſpiritalem biberunt.* Aliud illi, aliud nos, ſed ſpecie viſibili quidem, tamen hoc idem ſignificante virtute ſpiritali. ſpeciem viſibilem vocat Auguſtinus veram aquam, verum vinum. Et hanc ſpeciem viſibilem ibidem vocat viſibile ſacramentum. Idem, lib. 4. de Trinitate, cap. 10. Corpus, ſeu rem materialem & corpoream, vocat eam ſpeciem, quæ non eſt quod Angelus. Huc pertinet illud Sedulii, libro 2. operis Paſchalis;

> *Ipſa etiam ut poſſent ſpecies oſtendere Chriſtum,*
> *Aurea naſcenti fuderunt munera Regi,*
> *Thura dedere Deo, myrrham tribuere ſepulcro.*

2. Dionyſius libro de Eccleſiaſtica Hierarchia, cap. 3. loquens de Chriſti incarnatione, ait; ἐξ ἡμῶν εἰδοποιηθεὶς, ex nobis ſpecie aſſumta. quæ verba Maximus Dionyſii Scholiaſtes ſic explicat, τὸ κατ᾽ ἡμᾶς εἶδος ἤγουν τὴν φύσιν λαβὼν, id eſt, ſpeciem noſtram ſive naturam cùm aſſumſiſſet. Hæc Maximus.

3. Bertramus, libro de corpore & ſanguine Domini. §. *Hinc etiam.* Ex his (inquit) omnibus, quæ ſunt hactenus dicta, monſtratum eſt, quod corpus & ſanguis Chriſti, quæ fidelium ore in Eccleſia percipiuntur, figuræ ſint ſecundùm ſpeciem viſibilem. At verò ſecundùm inviſibilem ſubſtantiam, id eſt, Divini potentiam verbi, corpus & ſanguis verè Chriſti exſiſtunt. Unde ſecundùm viſibilem creaturam corpus paſcunt, juxta verò potentioris virtutem ſubſtantiæ mentes fidelium & paſcunt, & ſanctificant. Item §. *Dicit ſanctum.* Nam ſecundùm creaturarum ſubſtantiam, quod fuerunt ante conſecrationem, hoc & poſtea conſiſtunt. Panis & vinum priùs exſtitere, in qua etiam ſpecie, jam conſecrata, permanere videntur. —— Intellige, quòd non in ſpecie, ſed in virtute corpus & ſanguis Chriſti exſiſtant quæ cernuntur. Item, §. *Subjungit.* Non eſt ſpecie caro, ſed ſacramento. ſiquidem in ſpecie panis, in ſacramento verum Chriſti corpus; ſicut ipſe clamat Dominus Jeſus, *Hoc eſt corpus meum.* Hæc Bertramus libro citato, quem ſcripſit juſſu Caroli Calvi Francorum Regis, qui regnabat anno Domini 850. Sic paſſim in Patrum diſſertationibus de ſacramentis, ubi ſpeciem viſibilem opponunt rei & virtuti ſacramenti & inviſibili ſubſtantiæ, ſpecies veritatem importat. e. g. ſpecies panis eſt verus panis: & ſpecies vini, verum vinum.

4. At Tranſſubſtantiarii longè alio ſenſu abutuntur hoc vocabulo, per *ſpeciem* intelligentes mera accidentia in nullo ſubjecto exſiſtentia. quod portentum ipſi contra Patrum mentem excogitârunt, Patrumque verba in alienum ſenſum nequiter detorſerunt. *Novum commentum Tranſſubſtantiariorum.*

5. Dices, ſpeciem interdum dici accidentaliter. Reſpondeo. Nunquam tamen apud idoneos auctores invenitur poſita hæc vox pro meris accidentibus, ſubſtantiali ſubjecto deſtitutis. *Objectio.* *Solutio.* Species accidentaliter intellecta, vel ſignificat verum aliquod accidens rei illius, cujus dicitur ſpecies, in ipſa re ut in ſubjecto exſiſtens, quo pertinet ſignificatio illa à Porphyrio obſervata, cap. de ſpecie, quâ ſpecies ſignificat externam rei alicujus formam,

> Πρῶτον μὲν εἶδος ἄξιον τυραννίδος.

vel ſignificat non verum ipſius rei accidens ipſi inhærens, ſed alterius rei verum accidens, in altera illa reverè, ut in ſubjecto, exſiſtens; vel etiam ipſum ſubjectum cum accidentibus, quod propter ſimilitudinem quandam cum re illâ, cujus ſpecies dicitur, hanc accipit appellationem: ſic imago rei dicitur ſpecies rei; item fallax ſimulatio rei, ſeu prætextus, dicitur ſpecies. ſi quis ſpecie amicitiæ aliquem circumveniat, non habet ille veram qualitatem hominis amici, ſed fallacem ejus imitationem: ſic orichalcum præfert auri ſpeciem. At Tranſſubſtantiarii ſpeciem panis vocant vera accidentia panis, eadem numero quæ erant in pane, tanquam in ſuo ſubjecto; nunc autem ſubtracto ſubjecto, exſiſtentia per ſe. qui certè inſolens & abſurdus eſt ſenſus, & nimis violentus vocabuli abuſus. Accidentia iſta ante conſecrationem fatentur eſſe in ſubjecto, in pane. quod verò eſt in ſubjecto, impoſſibile eſt illud ſine illo ſuo ſubjecto exſiſtere, ἀδύνατον χωρὶς εἶναι τοῦ ἐν ᾧ ἐστίν. ut rectè monet Philoſophus ſub initium libri Categoriarum, in diviſione rerum. Tueri ſe conantur, objectâ Dei omnipotentiâ. Sed priùs de ejus voluntate conſtare oportebat, quæ pro hoc commento nuſquam invenitur. Deinde non eſt ſacrilegè obtrudendum Divinæ omnipotentiæ contradictionis adeóque mendacii patrocinium, ut idem faciat eſſe ſimul accidens & non accidens; ut corpus Chriſti faciat ſimul eſſe corpus & non corpus; & ſimilia monſtra, quæ Tranſſubſtantiarii temerariâ præſumtione imaginantur. *Deus non poteſt facere, ut ſint contradictoria ſimul, quia eſt omnino infallibile.* inquit Henricus Gandavenſis, quodlibet. 15. quæſt. 1. Sic omnes ſcholaſtici.





## CAPUT QUARTUM.

### *De naturæ mutatione: & de converſione panis in ſubſtantiam corporis Chriſti. & qualis fiat mutatio & converſio in Euchariſtia.*

AMbroſius, lib. de initiandis, cap. 9. loquens de ea mutatione, quæ fit in Euchariſtia, vocat mutationem naturæ. Et autor ſermonis de Cœna Domini, qui Cypriano tribuitur, ait panem, quem Dominus diſcipulis porrigebat, non effigie ſed naturâ mutatum, omnipotentiâ Verbi factum eſſe carnem. Auctor illius homiliæ de corpore ſanguine Chriſti, quæ exſtat in tomo quarto operum Hieronymi, & incipit, *Magnitudo cœleſtium beneficiorum*; quam Euſebio Emiſſeno tribuunt Gratianus, de conſecratione, diſt. 2. *quia corpus.* Et Lombardus, lib. 4. ſent. diſt. 8. B. Alii Eucherio adſcribunt Epiſcopo Lugdunenſi: Auctor (inquam,) ille in ea homiliâ ait, viſibiles creaturas converti in ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti. His ſententiis Tranſſubſtantiarii ad ſuffulciendum ſuam tranſſubſtantiationem abutuntur.

2. Reſpondeo; Non eſt neceſſe, loco moveri ſubſtantiam illius rei, quæ dicitur mutare naturam, ſeu naturâ mutari; ſeu cujus natura dicitur mutari. Tritum eſt enim, & frequentiſſimo in uſu, ut mutatio accidentalis, manente eadem naturâ ſubſtantiali, dicatur mutatio naturæ. Ambroſius, eodem illo libro de initiandis, eodemque capite nono. Poſtquam dixit, in Euchariſtia, benedictione naturam ipſam mutari, id illuſtrat quibuſdam exemplis, in quibus priore loco adfert quædam exempla mutationis naturæ eſſentialis, quæ etiam ſenſu percipi poſſet; videlicet, virgæ in ſerpentem, & aquæ in ſanguinem in Ægypto, ut, argumento ducto à majori ad minus, inde evincat, poſſibilem eſſe hanc mutationem accidentalem, quæ fit in pane & vino; deinde ſubjungit exempla magis ad præſentem quæſtionem quadrantia; nempe, mutationum illarum, quæ factæ ſunt in mari rubro, & Jordane, quando eorum aquæ ſteterunt; de quibus Ambroſius, Nonne claret, (inquit,) naturam vel maritimorum fluctuum, vel fluvialis curſus, eſſe mutatam? Et paulò pòſt: Miſit Moyſes lignum in aquam, & amaritudinem ſuam aquarum natura depoſuit. Miſit etiam Eliſæus lignum in aquam, & ferrum natavit. utique & hoc præter naturam factum eſſe cognoſcimus. —— quod ſi tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret; quid dicimus de ipſa conſecratione divinâ, ubi verba ipſa Domini Salvatoris operantur? Nam ſacramentum iſtud quod accipis, Chriſti ſermone conficitur. quod ſi tantum valuit ſermo Eliæ, ut ignem de cœlo deponeret; non valebit Chriſti ſermo, ut ſpecies mutet elementorum? De totius mundi operibus legiſti; quia ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandavit, & creata ſunt. Sermo ergo Chriſti, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non poteſt ea quæ ſunt, in id mutare quod non erant? Non enim minus eſt novas rebus dare, quàm mutare naturas. —— quid hìc quæris naturæ ordinem in Chriſti corpore, cum præter naturam ſit ipſe Dominus Jeſus partus ex Virgine? vera utique caro Chriſti, quæ crucifixa eſt, quæ ſepulta eſt, veræ ergo illius carnis ſacramentum eſt. Ipſe clamat Dominus Jeſus: *Hoc eſt corpus meum.* ante benedictionem verborum cœleſtium alia ſpecies nominatur; poſt conſecrationem corpus Chriſti ſignificatur. Hæc ibi. Ecce mutationem naturæ ait factam eſſe in pane: qualis olim facta in mari rubro, in Jordane, in aqua edulcata, in ferro natante; nempe accidentalem, quoad uſum, officium, dignitatem, & efficacitatem: nam qui erat communis panis, accepit ex inſtitutione divinâ, per conſecrationem, ut ſit jam corpus Chriſti, id eſt, ut ſit veræ carnis Chriſti ſacramentum, eamque jam ſacramentaliter ſignificet. ſic liquor calicis poſt conſecrationem eſt ſanguis Chriſti. Hanc autem dignitatem, officium, & efficaciam elementis iſtis ſolus dare poteſt omnipotens Deus, qui ſolus & naturæ conditor, & gratiæ largitor, & ſacramentorum auctor eſt. De virtute, ſeu efficaci ſignificatione, ſacramentorum vide ſuprà libro nono, capite ſecundo.

3. Idem Ambroſius, lib. 4. de ſacramentis, cap. 4. Ubi (inquit,) acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti. quomodo poteſt qui panis eſt, corpus eſſe Chriſti? Conſecratione. *De pane fit caro Chriſti. vide infra, cap. 8. §. 1.* —— Si ergo tanta vis eſt in ſermone Domini Jeſu, ut inciperent eſſe quæ non erant; quanto magis operatorius eſt, ut ſint quæ erant, & in aliud commutentur? Eadem verba invenies citata à Gratiano, de Conſecratione, diſt. 2. *Panis eſt.* Adnectit autem ibidem Ambroſius eadem mutationum exempla, quæ contigerant in mari rubro, in aquis edulcatis, & in ferro natante: & exemplum nativitatis Chriſti de Virgine. quibus hoc inſuper ſimile adjicit; Ergo, ut tibi reſpondeam, non erat corpus Chriſti ante conſecrationem, ſed poſt conſecrationem; dico tibi, quod jam corpus eſt Chriſti. Ipſe dixit, & factum eſt; ipſe mandavit & creatum eſt. Tu ipſe eras, ſed eras vetus creatura: poſtea quam conſecratus es, nova creatura eſſe cœpiſti. Accipe ergo quemadmodum ſermo Chriſti creaturam omnem mutare conſueverit, & mutat, quando vult, inſtituta naturæ. Hæc Ambroſius. Nempe ſicut homo regeneratione mutat naturam: ſic panis conſecratione mutat naturam, mutatione non ſubſtantiali, ſed accidentali. *Natura mutatio accidentalis.* Ideo eodem libro cap. 5. quod appellat poſt conſecrationem corpus Chriſti, idipſum vocat figuram corporis Chriſti.

4. Eodem regenerati hominis exemplo utitur Euſebius Emiſſenus, ſeu potiùs Eucherius Lugdunenſis, in homilia illa de corpore & ſanguine Chriſti; ut hac ſimilitudine doceat, quo ſenſu dicat creaturas viſibiles in ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti converti. *Vindicatur Euſebius Emiſſenus, ſeu potius Eucherius Lugdunenſis.* Quanta itaque (inquit,) & quam celebranda vis divinæ benedictionis operetur; & quomodo tibi novum & impoſſibile videri non debeat, quòd in Chriſti ſubſtantiam terrena & mortalia commutantur, te ipſum qui jam in Chriſto es regeneratus, interroga. Dudum alienus à vita, peregrinus à miſericordia, à ſalutis via intrinſecus

mortuus exſulabas: ſubitò initiatus Chriſti legibus, & ſalutaribus myſteriis innovatus, in corpus Eccleſiæ non videndo, ſed credendo tranſiiſti: & de filio perditionis, adoptivus Dei fieri occulta puritate meruiſti: in menſura viſibili permanens, major factus es te ipſe viſibiliter*, ſine quantitatis augmento: cum ipſo atque idem eſſes, multo aliter fidei proceſſibus extitiſti. In exteriore nihil additum eſt, & totum in interiore mutatum eſt: ac ſic homo Chriſti filius effectus, & Chriſtus in hominis mente formatus eſt. Sicut ergo ſine corporali ſenſu præteritâ vilitate depoſitâ, ſubitò novâ indutus es dignitate; & ſicut hæc, quæ in te Deus læſa curavit, infecta diluit, maculata deterſit, non ſunt oculis nec ſenſibus tuis credita: ita cùm reverendo altari cœleſtibus cibis ſatiandus accedis, ſacrum Dei tui corpus & ſanguinem reſpice, honora, mirare, mente continge, cordis manu ſuſcipe, & maximè hauſtu interiore aſſume. Et poſtea in eadem homilia: Nec (inquit,) dubitet quiſquam primarias creaturas, nutu Divinæ potentiæ, præſentiâ ſummæ majeſtatis, in Domini corporis tranſire poſſe naturam; cum ipſum hominem videat artificio cœleſtis miſericordiæ Chriſti corpus effectum. Sicut autem, quicunque ad fidem Chriſti veniens ante verba baptiſmi adhuc in vinculo eſt veteris debiti; his verò memoratis, mox exuitur omni fæce peccati: ita quando benedicendæ verbis cœleſtibus creaturæ ſacris altaribus imponuntur, &c.

*leg. inviſibiliter.

*Corde manu ſuſcipe.*

*Abſurda doctrina Tranſſubſtantiatorum.*

5. Plura ibi hujuſmodi ſunt exempla: quorum tamen nullum ſimile eſt tranſſubſtantiationi, neque ex eis evinci poteſt monſtri hujus poſſibilitas: ut ſcilicet unum idemque corpus ſit ſimul in cœlo circumſcriptivè, & in terrâ ſub ſpecie panis, & intra ambitum loci ſpeciei contineatur, ſit in multis diſtantibus & diſtinctis locis eodem momento; ſit in loco ſpeciei definitivè per modum ſpiritualis eſſentiæ, totum ſub tota ſpecie, & totum ſub ſingulis partibus ſpeciei, cum ſua propria quantitate, ſed indiviſibiliter, abſque poſitione partis extra partem, & reliqua hujus ſomnii abſurdiſſima figmenta. quid enim his ſimile vel in rerum creatione, vel in hominis lapſi reparatione, vel in mortuorum reſuſcitatione, vel in hominis exaltatione & glorificatione? hæc autem ſunt exempla, quibus utitur Euſebius Emiſſenus vel Eucherius, ſeu quiſquis homiliæ illius auctor eſt, ut probet, poſſibilem eſſe converſionem panis in corpus Chriſti. Unde patet, ignotum ei fuiſſe Tranſſubſtantiatorum commentum, & ſolam agnoviſſe converſionem accidentalem panis in corpus Chriſti: ſicut accidentali mutatione homo per regenerationem fit corpus Chriſti, & particeps divinæ naturæ, ut loquitur Petrus Apoſtolus, 2. Petr. 1. 4. Non enim putabat ſcriptor ille, fieri in Euchariſtia creationem non entis, aut reparationem mortui, ſed iſta exempla adhibuit, ut inde inferret poſſibilitatem converſionis illius accidentalis, qua panis mirabiliter fit corpus Chriſti & pabulum animarum: ſicut homo mirabiliter ex filio iræ fit filius Dei, & particeps Divinæ naturæ, efficaci operatione omnipotentis Dei, cui omnia ſunt poſſibilia; quamvis non poſſit mentiri, aut ſeipſum negare, adeóque nec facere, ut contradictoria ſint ſimul.

*Converſio accidentalis.*

2. Pet. 1. 4.

6. Porrò, quid ſibi velit exemplum hominis regenerati, etſi cuilibet obvium eſſe videatur; non gravabor tamen Irenæi verbis explicare: Qui infructuoſi ſunt injuſtitiâ, & velut ſentibus obvoluti homines, ſi diligentiam percipiant, & velut inſertionem accipientes verbum Dei, in priſtinam veniunt hominis naturam eam, quâ ſecundùm imaginem & ſimilitudinem factus eſt Dei. Sed quemadmodum oleaſter inſerta, ſubſtantiam quidem ligni non amittit, qualitatem autem fructus immutat, & aliud percipit vocabulum, jam non oleaſter, ſed fructifera olea exiſtens & dicitur: ſic & homo per fidem inſertus, & aſſumens Spiritum Dei, ſubſtantiam quidem carnis non amittit, qualitatem autem fructus operum immutat, & aliud accipit vocabulum, ſignificans illam quæ in melius eſt tranſmutationem, jam non caro & ſanguis, ſed homo ſpiritualis exiſtens & dicitur. Hæc Irenæus, libro quinto adverſus hæreſes, pagina 453. editionis Pariſienſis, anno Domini 1545.

*Irenæus.*

7. Auctor libri de cardinalibus operibus Chriſti, in ſermone de Cœna Domini, quando ait panem iſtum, quem diſcipulis Dominus porrigebat, non effigie, ſed naturâ mutatum, omnipotentiâ Verbi factum eſſe carnem: nihil aliud intelligit, niſi factam eſſe, haud quidem foris ſenſibilem, ſed interius intelligibilem mutationem naturæ panis, qualem oſtendimus intelligi ab Ambroſio, & Euſebio Emiſſeno, vel Eucherio: ut qui fuit communis panis, jam ſit corpus Chriſti, id eſt, ſacramentaliter ſignificet corpus Chriſti. hanc verè eſſe auctoris illius mentem, declarant ipſius verba; nam in eodem ſermone, de hoc ſacramento, ſeu corpore Chriſti in ſacramento, loquens, ait illud uſque hodie à Domino creari, & ſanctificari, & benedici, & piè ſumentibus dividi: uſque hodie (inquit,) hoc veraciſſimum & ſanctiſſimum corpus ſuum creat, & ſanctificat, & benedicit, & piè ſumentibus dividit. Hæc certè non conveniunt vero & proprio Chriſti corpori. ſacramentum autem appellat corpus Chriſti veraciſſimum, id eſt, ſignum non fallax & inane, ſed verax, & (ut loquitur Gelaſius) veraciter repræſentans verum corpus Chriſti, cujus eſt ſignum. Propterea accipit appellationem rei ſignificatæ. Poſtea etiam auctor libri illius de cardinalibus operibus Chriſti, in eodem ſermone de Cœna Domini, prope finem; Hæc (inquit,) quoties agimus, non dentes ad mordendum acuimus, ſed fide ſincerâ panem ſanctum frangimus, & partimur. Et in ſermone de unctione chriſmatis, idem auctor ait; Dedit itaque Dominus noſter in menſa, in qua ultimum cum Apoſtolis participavit convivium, propriis manibus panem & vinum; in cruce verò manibus militum corpus tradidit vulnerandum: ut in Apoſtolis ſecretiùs impreſſa ſincera veritas & vera ſinceritas exponeret gentibus, quomodo vinum & panis caro eſſet & ſanguis: & quibus rationibus cauſæ effectibus convenirent: & diverſa nomina, vel ſpecies, ad unam reducerentur eſſentiam, & ſignificantia & ſignificata eiſdem vocabulis cenſerentur. His gratiæ ſupernæ privilegiis, eſu ſanctificati panis refecti, &c. Ecce apertè diſtinguit panem ſanctificatum, quem frangimus & partimur, à corpore Chriſti, & ait, hæc duo ad unam reduci eſſentiam: idque ſic explicat, quòd panis & vinum ſint ſignificantia corpus & ſanguinem Chriſti,



Chriſti, & utraque eiſdem vocabulis cenſeantur. Nempe ſecundùm quendam modum ſacramentum corporis Chriſti corpus Chriſti eſt, ſacramentum ſanguis Chriſti ſanguis Chriſti eſt, ut docet Auguſtinus epiſt. 23.

*Gelaſius.*

8. Gelaſius, in opere ſuo contra Eutychen & Neſtorium, Sacramenta, (inquit,) quæ ſumimus, corporis & ſanguinis Chriſti, divina res eſt, propter quod & per eadem divinæ efficimur conſortes naturæ: & tamen eſſe non deſinit ſubſtantia vel natura panis & vini. Et certè imago & ſimilitudo corporis & ſanguinis Chriſti in actione myſteriorum celebrantur. ——— in divinam tranſeunt, Sancto Spiritu perficiente, ſubſtantiam, permanentia tamen in ſuæ proprietate naturæ. Hæc Gelaſius.

*Bertramus.*

9. Eodem ſenſu Bertramus [qui & Ratrannus dicitur,] in ſuo libro de corpore & ſanguine Domini, ad Carolum Calvum Francorum regem, §. *Hic etiam*, ait, panem & vinum per myſterium in corporis & ſanguinis Chriſti converti ſubſtantiam, & à credentibus ſumi. Et tamen paſſim in eo libro luculenter veritatem defendit, quod maneat ſubſtantia panis & vini, & quod ea quæ ore fidelium corporaliter ſumuntur, non ſint verum corpus Chriſti & verus ſanguis, nec in ea corporaliter convertantur, ſed tantùm ſint imago, figura, myſterium.

*Florus.*

10. Sic Florus Magiſter (qui ſub eodem Carolo Calvo floruit) in ſua exegeſi ſive expoſitione Miſſæ, in illa verba Miſſæ [*quam oblationem tu Deus in omnibus*, &c.] ait, de ſimplicibus terræ frugibus ſumta, divinæ benedictionis ineffabili potentiâ effici fidelibus corpus & ſanguinem unigeniti Filii Dei, ſicut ipſe teſtatur, *caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus*. Deinde idipſum clarius explicans; Hæc eſt (inquit Florus,) rationabilis hoſtia, plena videlicet rationis, plena myſterii. Hoc corpus & hic ſanguinis non in ſpicis & ſarmentis colligitur, ſed certâ conſecratione myſticus fit nobis, non naſcitur. Cum panis & vini creatura in ſacramentum carnis & ſanguinis ejus, ineffabili Spiritus ſanctificatione, transfertur, manducatur Chriſtus. Per partes enim manducatur in ſacramento, & manet integer totus in cœlo, manet integer totus in corde tuo. Hæc Florus, in illa ſua exegeſi, quæ extat in bibliotheca Patrum, tomo ſexto, editionis quartæ. transferri ait panis & vini creaturam in ſacramentum carnis & ſanguinis Domini: & fidelibus effici corpus & ſanguinem ejus; quia videlicet fideles ſpiritualiter intelligentes ſacramentum, etiam rem ipſam certò accipiunt. Non ita infideles, qui ſolum accipiunt ſacramentum, non etiam rem.

*Circa annum Domini 851.*

*Ioh. 6, 55.*

*Creatura transfertur in ſacramentum carnis & ſanguinis Chriſti.*

## CAPUT QUINTUM.

### *Quænam ſimilitudo ſit in ſacramentis.*

LOmbardus, Auguſtinum in hoc ſequutus, ait; Sacramentum ejus rei ſimilitudinem gerit, cujus ſignum eſt. Si enim ſacramenta non haberent ſimilitudinem rerum, quarum ſacramenta ſunt: propriè ſacramenta non dicerentur. libro quarto ſententiar. diſt. 1. quæ verba explicans Bonaventura ibidem, dubio literali tertio, monet ſimilitudinem hanc eſſe *proportionalitatis*, & eſſe in quatuor terminis: ſicut abluit carnem; ita gratia mundat animam. Aliam verò ſimilitudinem, quam *proportionis* vocat, quæ attenditur ſecundùm unius rationis proprietatem, ſive naturæ participationem, qualis invenitur in duobus ovis, dicit non requiri in ſacramentis. Hæc rectè monet Bonaventura. Eam autem proportionalitatis ſimilitudinem applicat ad Euchariſtiam Lombardus, quarto ſententiar. diſt. 8. D. vide ſuprà, libro 9. capite 1. §. 19. & hoc libro 11. capite 4. §. 8. & capite 10. §. 37.

## CAPUT SEXTUM.

### *De præſentia; & de vocibus modum præſentiæ denotantibus, videlicet*, realiter, ſubſtantialiter, corporaliter, localiter, *&c.*

PRæſentia Chriſti in Euchariſtia intelligi poteſt bifariam, videlicet, vel ſecundùm Divinitatem & gratiam; quomodo Chriſtus Deus ſemper præſens eſt omnibus eum diligentibus, Joan. 14. 23. vel ſecundùm humanitatem.

*Joan. 14. 23.*

2. Hoc immotum eſt axioma; Quicquid manducatur, eo ipſo quod manducatur, evincitur eſſe præſens. Nam quod nullo modo præſens eſt, non poteſt dici ullo modo manducari. Pro duplici igitur manducatione carnis Chriſti, quam ab omnibus agnoſci docuimus ſuprà, capite primo, duplicem neceſſe eſt ſtatuamus ejuſdem carnis præſentiam, videlicet, *ſpiritualem*, & *ſacramentalem*. Et ſicut utraque manducatio realis eſt; ſic utraque præſentia. Ineptiſſimè igitur clamitant Transſubſtantiarii, (ut & Conſubſtantiarii) non fore niſi imaginariam & fictitiam, haud veram, præſentiam carnis Chriſti in celebratione Euchariſtiæ, niſi ſit corporaliter & ſubſtantialiter in illo loco, ubi externum cernitur ſacramentum. Nos dicimus, Chriſtum ejuſque carnem eſſe realiter præſentem, in quantum eſt ſpiritualiter præſens. Illi doloſè, realiter & corporaliter tanquam æquipollentia confundunt.

*Error Romanenſium & Lutheranorum.*

3. Sacramentalem præſentiam utrique fatemur, ſicut ſacramentalem manducationem, ſed diverſo ſenſu. Præſentia ſacramentalis eſt præſentia in ſacramento, ſeu per ſacramentum, ſeu (ut Auguſtini verbis utar) ſacramento tenus. Romanenſes, excogitato commento, ipſam veram Chriſti carnem ajunt hic eſſe ſacramentum; nos eam dicimus rem eſſe ſacramenti, non ſacramentum. Hanc noſtram aſſertionem evidenter confirmatam dedimus, ſuprà, capite ſecundo. Rurſum igitur ut incautis fucum faciant, abutuntur dictione ſa-

*Controverſia de ſacramentali præſentia.*

cramentalis præſentiæ, quam perperam confundunt cum ſubſtantiali præſentia rei ſacramenti in ſeipſa. Res hujus ſacramenti eſt caro Chriſti propria; hæc in ſeipſa realiter præſens eſt in Cœlo; at in ſacramento ſacramentaliter eſt præſens hic in terra, quantum ad locum in quo celebratur hoc ſacramentum. Semel immolatus eſt Chriſtus in ſeipſo, & tamen in ſacramento omni die populis immolatur. inquit Auguſtinus epiſtolâ vigeſima tertiâ. Hæc quæ Auguſtinus bene diſtinguit, Tranſſubſtantiarii malè confundunt: pro eodem accipientes præſentiam corporis Chriſti in ſeipſo, & ejuſdem præſentiam in ſacramento. Quamvis ultrò fateamur corpus Chriſti in ſeipſo præſens eſſe ſpiritualiter, id eſt, per vinculum Spiritus, quo fit ut fideliter ſumens ſacramentum, conjungatur cum ipſo Chriſti corpore ſubſtantiali, licet locis longè diſterminentur.

*Utrùm ſacramentalis præſentia dici poſſit realis.*

4. Si quæras; utrùm præſentia Chriſti ſacramentalis dici poſſit realis, necne? Reſpondeo. Non poteſt eo ſenſu, quem intendunt Tranſſubſtantiarii, & conſubſtantiarii; alio tamen ſano ſenſu dici poteſt realis. Res vel opponitur ſacramento ſignificanti illam rem; vel opponitur non enti & figmento. Priore modo conſideratur relativè, ut aliquid ſignificatum, naturaliter vel politicè; prout ſignorum alia ſunt naturalia, alia politica. Poſteriore modo Res conſideratur abſolutè & metaphyſice. Et hoc poſteriore ſenſu non ſolum res ſignificata, ſed etiam ipſum ſignum eſt res. Eſt enim ens reale, & ipſa ſignificatio quæ inter ſignum reale & ſignatum reale intercedit, eſt reſpectus quidam realis. At, juxta priorem ſenſum, ſacramentum eſt ſignum, ſeu ſymbolum & imago & figura; non res. Propterea Auguſtinus manducationem rei diſtinguit paſſim à manducatione ſacramenti, ſicut docuimus ſupra, capite primo. ubi oſtendimus eam ſolam carnis Chriſti manducationem ab Auguſtino veram agnoſci & realem quæ ſpiritualis eſt; alteram verò, quæ fit ſacramento tenus, non agnoſci ab eo pro vera & reali. quia ſcilicet eſt manducatio ſolius ſacramenti, non etiam rei ſacramenti. Hinc jam patet, quid reſpondendum ſit ad propoſitam quæſtionem, quâ quæritur, an præſentia ſacramentalis dici poſſit realis? Diſtinguo enim; ſenſu abſoluto & metaphyſico eſt realis, non fictitia: ſenſu autem politico non eſt realis, ſed tantùm ſymbolica. Nec tamen eſt falſa aut fallax iſta præſentia; nam ſunt iſta ſymbola in hunc finem ab ipſo Chriſto inſtituta, ut ejus corpus & ſanguinem veraciter *repræſentent*. ut verbo utar Hieronymiano, in Matth. 26.

*Diſtinctio.*

*Pontificia doctrina detecta.*

5. At hujus orthodoxæ doctrinæ adverſarii, quando pro reali præſentia pugnant; utcunque ſophiſticè præ ſe ferant ſtudium excludendi tantummodo fictitiam præſentiam, revera tamen realem præſentiam intelligunt non metaphyſicè, ſed politicè, pro ſubſtantiali & corporali ipſius rei ſignificatæ præſentia in eo loco, ubi eſt rei illius ſacramentum. Hæc eſt illa realis præſentia, quam nos ſymbolis conceſſam negamus. Hanc præſentiam Tridentini ſic definiunt; In almo ſanctæ Euchariſtiæ ſacramento, poſt panis & vini conſecrationem, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum verum Deum atque hominem, verè, realiter, ac ſubſtantialiter, ſub ſpecie illarum rerum ſenſibilium contineri. & quamvis ipſe Salvator noſter ſemper ad dextram Patris in cœlis aſſideat, juxta modum exiſtendi naturalem; multis nihilominus aliis in locis ſacramentaliter præſentem ſua ſubſtantia nobis adeſſe. Seſſione decima tertiâ, capite primo, & adhuc clarius eadem Seſſione, capite tertio, ſtatim poſt conſecrationem, verum Domini noſtri corpus, verumque ejus ſanguinem, ſub panis & vini ſpecie, unà cum ipſius anima & Divinitate exiſtere, &c.

*Verba Concilii Tridentini, de reali præſentia.*

6. Hugo de Sancto Victore, in Speculo Eccleſiæ, capite ſeptimo, & Bonaventura in quartum ſententiar. diſt. 10. part. 1. qu. 1. & quæſt. 4. hanc vocant præſentiam corporalem, & ajunt, Chriſtum ibi eſſe corporaliter præſentem, id eſt, in carne: ut exponit Bonaventura, quæſtione 1. Rationem hujus præſentiæ reddit Hugo; Sicut enim, (inquit,) neceſſaria fuit illa nobis Chriſti præſentia in carne olim, quâ mori poſſet: ita neceſſaria eſt, uſque ad finem mundi, ejus præſentia eo modo, quo panis vivus, qui de cœlo deſcendit, manducari poſſit. Igitur, qui tunc ex ſola dilectione exhibuit ſe talem, ut lanceâ perforari poſſet; & nunc uſque ad finem ſeculi ſe talem exhibet, qui in ſacramento manducari poſſit. Hæc Hugo. At eodem capite idem Hugo affirmat promiſſionem illam Chriſti, *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi*. (Matth. 28.) intelligendam non de corporali, ſed de ſpirituali præſentiâ. Proferat nobis aliquis ſimilem promiſſionem de præſentia corporali. Nam ad hoc, ut ſalutariter manducetur panis ille vivus qui de cœlo deſcendit, non eſt neceſſaria præſentia corporalis; ſufficit enim ſpiritualis: ut ipſe Hugo ibidem fatetur; Spiritualis (inquit,) ſumtio, quæ verâ fide percipitur, ſine ſacramentali, ubi non eſt contemtus religionis, ſufficit. qui ergo manducat dignè, habet ſacramentum & rem ſacramenti. qui credit & diligit, etſi manducare ſub ſacramento non poſſit, rem tamen ſacramenti habet, & ſpiritualiter manducat, & veraciter Chriſto incorporatur. Hæc ille.

*Matth. 28. 20.*

7. At (inquies,) inſtituit Chriſtus etiam manducationem ſui ſacramentalem, quæ poſtulat præſentiam corporalem: ideo ait Hugo, eodem illo capite; quando in manibus tenes ejus ſacramentum, corporaliter tecum eſt. quando ore ſuſcipis, & quando ore manducas, corporaliter tecum eſt. Denique in viſu, in tactu, in ſapore corporaliter tecum eſt. Et quamdiu ſenſus tuus corporaliter afficitur, ejus præſentia non aufertur corporalis. Reſpondeo. Ipſe Hugo, ibidem, ait, corporalem iſtam præſentiam citò deſinere, nec eſſe per ſe utilem; ſolumque ejus uſum eſſe, ut excitet, & juvet ad inveniendum præſentiam ſpiritualem, quæ ſola permanet. Completâ autem ſacramenti manducatione præſentiam Chriſti corporalem non, niſi in cœlo, quærendam eſſe: ejus verba ſunt; Sed dicit forſan cor tuum: ubi eſt corpus Domini, poſtquam ſumſi illud, & manducavi? Audi ergo: Corporalem præſentiam Chriſti quæris? in cœlo quære. Tecum per corporalem præſentiam ad tempus eſſe voluit, quando & quamdiu neceſſe fuit. Exhibuit ad tempus corporalem præſentiam, ut per illam ad ſpiritualem inveniendam excitaret, & juvaret. Ideo ad te corporaliter venit. ut per corporalem præ-



ſentiam ſpiritualis inveniatur, quæ non auferatur. Venit ad te corporaliter, non ut hic tecum permaneat corporaliter, ſed ſpiritualiter. ——— Quamdiu ſenſus tuus corporaliter afficitur, ejus præſentia non aufertur corporalis. Poſtquam autem ſenſus corporalis in perficiendo deficit, deinceps corporalis Chriſti præſentia non eſt quærenda, ſed ſpiritualis retinenda. Diſpenſatio completa eſt. ——— Completâ ergo ſacramentali diſpenſatione, ſi corporalem præſentiam Chriſti quæris, in Cœlo quære: ibi quære, ubi prius fuit, quàm per ſacramentum corporaliter tecum eſſe inciperet; & unde non diſceſſit, quando ad te venit. Hæc Hugo.

8. In eo erravit Hugo, quod veram Chriſti carnem dixerit eſſe & ſacramentum & rem: quem errorem refutavimus ſuprà, cap. 2. unde ſacramentalem ſumtionem cum corporali perperam etiam confudit. Hunc etiam errorem profligavimus ſuprà, cap. 1. Juxta ſumtionis modum ſic eſt præſentia. Corporalem imaginatus eſt Hugo præſentiam, ex falſa hypotheſi tranſmutationis ſubſtantialis elementorum in corpus & ſanguinem Chriſti, & corporalis manducationis.

9. Certè panis ille vivus, qui de Cœlo deſcendit, manducatur ſacramentaliter, ſine corporali præſentia ipſius Chriſti: ſufficit enim præſentia in ſacramento, ut manducetur Chriſtus ſacramentaliter, id eſt, ſufficit corporalis præſentia ſacramenti, Chriſtum ex Divina inſtitutione veraciter repræſentantis, & exhibentis, ut manducetur ſacramentum corporis & ſanguinis Domini. Per quam corporalem ſacramenti præſentiam & manducationem, tanquam per medium externum à Domino inſtitutum, admonemur, & adjuvamur ad quærendum & inveniendum ſpiritualem præſentiam ipſius rei, id eſt, Chriſti, exiſtentis corporaliter duntaxat in Cœlo. quo locali intervallo non obſtante ipſe Chriſtus intimè & realiter præſens eſt dignis communicantibus; præſentiâ tamen non corporali, ſed ſpirituali; & ſic habitat per fidem in ipſorum cordibus, & ipſi ei incorporantur, fiuntque membra corporis ejus, ex carne ejus, & ex oſſibus ejus. Quocirca quod de corporali præſentiâ tantummodo in cœlo poſt ſacramentalem diſpenſationem quærenda, rectè dixit Hugo, id ipſum nos cum ſanctis Patribus monemus faciendum etiam tempore diſpenſationis ſacramentalis, ut ſcilicet per Dei gratiam *ſurſum corda* attollamus ad Dominum in cœlo corporaliter præſentem, eumque manu cordis apprehendamus, & ore interioris hominis manducemus ſpiritualiter, adeóque ſalutariter.

10. Euſebius Emiſſenus, vel Eucherius Lugdunenſis, in homilia de corpore & ſanguine Chriſti; Sacrum (inquit) Dei tui corpus & ſanguinem reſpice, honora, mirare, mente continge, cordis manu ſuſcipe, & maximè hauſtu interiori aſſume.

11. Baſilius magnus, in Pſal. 33. (ſeu 34.) verſ. 2. Eſt (inquit) quoddam intellectuale interni hominis os, [νοητὸν στόμα τοῦ ἔσω ἀνθρώπου] quo paſcitur recipiens verbum vitæ, qui eſt panis qui de cœlo deſcendit. Item in ejuſdem Pſalmi verſum 9. Multis (inquit) in locis obſervavimus, quod animæ vires eiſdem appellantur nominibus, quibus membra externa vocantur. Quoniam verò Dominus noſter verus eſt panis, & ejus caro verus cibus, neceſſe eſt, ut voluptas lætitiæ panis, per guſtum ſpiritualem [διὰ γεύσεως νοητῆς] in nobis gignatur.

*Τῆς νοητῆς.*

*Ambroſ.*

12. Ambroſius, in cap. 24. Lucæ, ait; Non enim corporali tactu Chriſtum, ſed fide tangimus. Idem ſerm. 56. de tempore. Beatus Paulus nos docuit, quemadmodum Salvatorem in cœleſtibus quæreremus, dicens; *quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens*. Et, ut nos ab hac humili vel terrena inquiſitione Mariæ [*Magdalena, Ioan.* 20.] penitus ſubmoveret, addidit dicens; *quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram*. Ergo jam non ſuper terram, nec in terra, nec ſecundum carnem, debemus quærere Salvatorem, ſi volumus eum invenire atque contingere, &c. *Et paulò pòſt*; Intelligite ergo, quanta devotionis eſt gloria. Maria, juxta Dominum conſtituta, eum tangere non meretur; Stephanus, in terris poſitus, Chriſtum tangit in cœlo. Illa inter angelos præſentem non videt Salvatorem; Stephanus inter Judæos Dominum cernit abſentem. Hæc *Ambroſius*. vide ibi plura. Obſerva ex Ambroſio, *Chriſtum à nobis tam longè abſentem corporaliter, quantum diſtat cœlum à terra, tangi nihilominus fide ab eis, qui eum mentis devotione quærunt*, adeóque eſſe eis ſpiritualiter præſentem.

*Coloſſ. 3. 1. 2.*

*Non ſuper terram nec in terra.*

*Ioan. 20. 17.*

*Act. 7. 55. Chriſtum tangit in cœlo.*

*Cernit abſentem. vide infra, cap. 12. §. 21.*

13. Auguſtinus, tract. 50. in Evangelium Joannis. Quomodo in cœlum manum mittam, ut ibi ſedentem teneam? fidem mitte, & tenuiſti. Parentes tui [*Iudæi qui Chriſtum occiderunt*] tenuerunt carne; tu tene corde. *Et poſtea, in eodem tractatu*. Habuit illum Eccleſia ſecundum præſentiam carnis paucis diebus, modò fide tenet, oculis non videt.

*Auguſtin. fidem mitte, & tenuiſti.*

*Vide cap. 12. §. 15. & §. 16. & §. 17.*

14. Idcirco Chryſoſtomus in 1. Corinth. 10. ſerm. 24. ait eos, qui dignè volunt accedere ad hoc corpus Domini, oportere aquilis eſſe ſimiles, & in ipſum cœlum ſubvolare. [πρὸς αὐτὸν ἵπτασθαι τὸν οὐρανόν.] Nihil terrenum ſapere, ſed ſurſum perpetuò volare, & ipſum juſtitiæ Solem intueri, & acutam oculorum mentis aciem habere, [ὀξυδερκὲς τὸ ὄμμα τῆς διανοίας ἔχειν.] Quod autem ibidem ſubjungit Chryſoſtomus de præſentia corporis Chriſti ſuper altare in terra, ubi ait illud à communicantibus conſpici, ſicut à Magis olim cernebatur recubans in præſepi, & quod non modò conſpiciatur, ſed & tangatur: illud totum ad præſentiam pertinet ſacramentalem & ſymbolicam, quâ per corporalem & ſenſibilem præſentiam ſymboli ab ipſo Chriſto inſtituti, verum ipſum corpus (quod ipſi Tranſſubſtantiarii fatentur in ſacramento nec ſenſu viſus conſpici, nec tangi corporaliter) præſens eſt ſacramentaliter ſive ſymbolicè, id eſt, non in ſeipſo corporaliter, ſed in ſigno relativè. Neque eſt hæc fallax aut fictitia præſentia; nam cum ſigno rem ipſam verè accipiunt, quicunque ritè diſpoſiti accedunt. ſignum quidem corporaliter, rem verò accipiunt ſpiritualiter. Ut autem literam ſequi, (ait Auguſtinus) & ſigna pro rebus, quæ eis ſignificantur, accipere, ſervilis infirmitatis eſt: ita inutiliter ſigna interpretari, male vagantis erroris eſt. lib. 3. de doctrina Chriſtiana, cap. 9.

*Chryſoſtom. Oportet aquilis eſſe ſimiles.*

*Vindicatur Chryſoſtomus.*

*Suprà, cap. 2. §. 4. & infra, cap. 11. §. 12.*

15. Dominus ſuæ inſtitutioni nunquam deeſt, ſed qui indignè accedit, ipſe ſibi deeſt, & ſeipſum fraudat re ſacramenti; quia non attulit mentis oculum, cordis manum, intellectuale interioris hominis os, quibus cerneret, acciperet, manducaret ipſam rem ſacramenti: ſed ſola attulit organa corporea, quibus accipi non poteſt res ſacramenti, ſed ſolum ſacramentum, quod indi-

gnus convivâ ſibi manducat ad judicium, quia immundus præſumpſit ad Chriſti accedere ſacramenta. ut loquitur Auguſtinus, tract. 26. in Evangelium Joannis.

*De præſentia locali.* 16. Quærunt etiam de præſentia Chriſti in ſacramento Altaris; Utrum ſit localis, nec ne? Dicendum, (inquit Bonaventura) quòd aliquid dicitur ibi eſſe *localiter*, aut quia eſt ſecundùm corporalem præſentiam, aut quia ſecundùm commenſurationem corpori debitam. Primo modo eſt ibi *localiter*; ſecundo modo non, imò tantùm in cœlo: unde Innocentius diſtinguit *eſſe localiter, contra eſſe ſacramentaliter.* Hæc Bonaventura, in 4. ſent. diſt. 10. part. 1. quæſt. 4. in reſponſione ad tertium argumentum. Thom. *quaſi localiter.* in 4. ſent. diſt. 9. qu. 2. art. 1. ad 2. Nos præſentiam illam, quam tuentur Tranſſubſtantiarii & Conſubſtantiarii, vocamus *localem*, eodem ſenſu, quo explicat Bonaventura. Quamvis diſtinctionem iſtam repudiemus; nam ubicunque eſt aliquod corpus corporaliter, & quidem cum tota ſua quantitate dimenſivâ, ibi eſt dimenſivè, & ſecundum commenſurationem corpori debitam. *Localis præſentia, quam affirmant Tranſſubſtantiarii.* Ajunt autem Tranſſubſtantiarii, corpus Chriſti eſſe in hoc ſacramento cum tota ſua propriâ quantitate dimenſivâ, & ibi cum corpore eſſe totam ejus propriam quantitatem dimenſivam, non tamen ſecundùm proprium modum quantitatis, non localiter, non quantitativè, non dimenſivè, ſed indiviſibiliter ſecundùm modum ſubſtantiæ, totam ſub tota ſpecie panis, & totam in qualibet parte. quemadmodum anima eſt in corpore, tota in toto, & tota in qualibet parte. *Thom.* in 4. ſent. diſt. 10. qu. 2. & qu. 3. & in Summa, part. 3. qu. 76. art. 3. & 4. *Bonaventura*, in 4. ſent. diſt. 10. part. 1. qu. 2. & qu. 4. & qu. 5. *Richardus*, in eandem diſt. art. 1. qu. 2. *Durandus*, ibidem, qu. 2. *Biel*, ibidem, art. 2.

17. Oppono argumenta, quæ contra iſtam opinionem adfert Durandus, in 4. ſent. diſt. 10. qu. 2.

1. *Tria argumenta ex Durando, contra localem iſtam præſentiam.* Quantitas, cùm de ratione ſua intrinſecâ habeat partes poſitione diſtinctas, & per hoc ſit diviſibilis, nullo modo poteſt ei competere ratione cujuſcunque alterius [ *puta ſubſtantiæ, in qua eſt* ] indiviſibiliter ſe habere. Propter quod non poteſt comparari ad locum modo ſubſtantiæ, ut tota ſit ſub ſpeciebus, & ſub qualibet parte.

2. Ubicunque eſt ſubſtantia in ſe realiter, ibidem eſt ſubſtantialiter, [*quocunque alio modo ibi ſit.*] Quia iſte modus eſt ab ea inſeparabilis. Ergo ſimiliter, ubicunque eſt quantitas in ſe realiter, ibi eſt quantitativè; quia iſte modus eſt ipſi eſſentialis, & inſeparabilis. Sed illud, quod eſt quantitativè alicubi, non poteſt comparari ad totum, vel ejus partem, conſimiliter: ergo idem quod prius.

3. Nihil poteſt comparari ad aliud modo incompoſſibili ſuæ naturæ: ſed indiviſibilitas eſt modus incompoſſibilis naturæ quantitatis, cùm ipſa ſua natura intrinſeca ſit diviſibilis: Ergo quantitas non poteſt comparari ad aliquod aliud quantum, niſi diviſibiliter: ergo non conſimiliter ſe habebit ad totum & ad partem. Et ſic, ſi quantitas corporis Chriſti eſt in hoc ſacramento, non poterit totum corpus Chriſti eſſe æqualiter ſub ſpeciebus panis, & ſub qualibet parte ſpecierum. cujus oppoſitum (*inquit Durandus*) tenet Eccleſia.

Has objectiones Durandus ait valde eſſe difficile evitare.

18. Adde illud Bielis, in 4. ſent. diſt. 10. quæſtione unicâ, art. 1. Notabili 1. Omnes (inquit Gabriel Biel) loquentes de quantitate continua ſeu extenſivâ, in hoc concordant, quòd quantitas eſt illud, per quod res aliqua diviſibilis eſt extenſa, id eſt, habet partem extra partem localiter, ſeu deſcriptivè; ita, quòd una pars determinat ſibi aliquem præciſum locum & adæquatum, & alia alium: ita, quòd duæ partes extenſivè non ſint ſimul in eodem loco adæquato. Hæc Biel.

19. Ne autem ſe tueantur miraculi obtentu, oppono fundamentum illud apud Bonaventuram, *Per miraculum nunquam ſeparatur definitio à definito.* in 4. ſent. diſt. 10. part. 1. qu. 4. cujus rationem reddit Thomas; *Quia ſeparare definitionem à definito, eſt ponere duo contradictoria eſſe ſimul.* Thom. in 4. ſent. diſt. 44. qu. 2. art. 2. quæſtiuncula 2. Evadere etiam conantur per diſtinctionem poſitionis partium, quam ibidem adfert Bonaventura; Sciendum (inquit) quòd poſitio eſt ordinatio partium in toto, & ab hac non abſtrahitur corpus Chriſti in hoſtia; & partium in loco; & ab hac abſtrahitur, propter ſacramenti veritatem. Eadem diſtinctione utitur Scotus, in 4. ſent. diſt. 10. qu. 1. num. 14. & 15. Oppono illud Thomæ; Si duæ quantitates dimenſivæ juxta ſe ponantur, major extenditur ultra minorem, part. 3. qu. 76. art. 4. arg. 3. Non eſt quidem intrinſecè & eſſentialiter neceſſarium uni quantitati, ut ponatur juxta aliam minorem, & ultra eam extendatur. Nihilominus ex intrinſeca extenſione neceſſariò ſequitur, ut aliam minorem excedat, poſitâ juxta eam aliâ minore. Inanis autem eſt illa Scoti argutia, quòd poſitio in loco ſit alterius categoriæ à poſitione illa partium in toto, quæ eſt differentia quantitatis, ideóque abſtrahi poſſit ab ea quantitas. Nam, etiamſi extra omnem locum ambientem ſupponeres eſſe corpus quantum & ſolitarium, habens ſolam poſitionem partium in toto, neque magis minuſve extenſum alia quantitate: Ex ipſa tamen intrinſecâ poſitione partis extra partem in toto, ſequetur neceſſariò earundem partium poſitio in loco, ſi corpori illi circumponatur locus, vel ſi corpus illud ſtatuatur in aliquo loco: indidem etiam ſequetur, ſi juxta corpus illud quantum ponatur alia quantitas minor, extendi majorem quantitatem, in eo ſpacio, vel loco, ultra minorem. Neque evadit ipſe Thomas, dum ad argumentum à ſe propoſitum reſpondet, verum eſſe quidem de quantitate exiſtente alicubi ſecundum modum ſuum, id eſt, quantitativè quod major excedat minorem; at non eſſe verum de quantitate exiſtente alicubi non modo ſuo, ſed per modum ſubſtantiæ. Eadem reſponſione eludere conatur & alterum illud axioma, quod ibidem ſibi objicit ex Ariſtotele, lib. 3. Metaphyſ. text. 9. Impoſſibile duas quantitates dimenſivas eſſe ſimul, etiamſi una ſit ſeparata, & alia in corpore naturali. Ergo cum in ſacramento remaneat quantitas dimenſiva panis, impoſſibile eſt, ibi ſimul eſſe quantitatem dimenſivam Chriſti. Reſpondet per petitionem principii; Quantitatem corporis Chriſti ibi eſſe cum corpore Chriſti concomitanter, non ſecundùm proprium ſuum modum, ſed ſecundùm modum ſubſtantiæ. unde etiam infert, eam eſſe totam in toto, ſeu ſub tota hoſtiâ, totam in qualibet parte; quamvis modus quantitatis proprius, per ſe ei conveniens, ſit, ut ſit tota in toto, & ſingulæ partes in ſingulis



ſingulis partibus. Huic audaciſſimæ vanitati oppone argumenta illa Durandi, ſuperius à nobis allata; quæ Durandus meritò dixit eſſe evitatu difficilia: dixiſſet inſolubilia.

20. Præterea ſic argumentor; Impoſſibile eſt corpus Chriſti eſſe in uno loco ſecundùm modum ſuæ naturæ, & ſimul in alio loco corporaliter ſecundùm modum non naturalem & naturali oppoſitum. Ergo corruit tota defenſio Thomæ. Tridentini quidem ajunt, hæc inter ſe non pugnare; Neque enim (inquiunt) hæc inter ſe pugnant, ut ipſe Salvator noſter ſemper ad dextram Patris in cœlis aſſideat, juxta modum exiſtendi naturalem; & ut multis nihilominus aliis in locis ſacramentaliter præſens ſua ſubſtantia nobis adſit, eâ exiſtendi ratione; quam etſi verbis exprimere vix poſſumus, poſſibilem tamen eſſe Deo, cogitatione per fidem illuſtratâ, aſſequi poſſumus, & conſtantiſſimè credere debemus. *Concilii Tridentini Seſſione decimâ tertiâ, capite primo.* Quibus verbis haud obſcurè innuunt, ſe pedibus ire in ſententiam eorum doctorum, qui ajunt, non eſſe per Divinam omnipotentiam poſſibile, ut unum corpus ſit ſimul in duobus locis localiter ſeu circumſcriptivè, qui eſt naturalis modus exiſtentiæ corporis in loco: & hoc tantummodo intendere, ut corpus, quod juxta modum exiſtendi naturalem non poteſt ſimul niſi uno duntaxat eſſe in loco, credatur poſſe eſſe ſimul in alio loco; imò multis aliis in locis, modo exiſtendi non naturali, nempe ſacramentaliter. Hoc tenent *Bonaventura*, in 4. ſent. diſt. 10. qu. 4. *Thomas*, quodlibet 3. art. 2. & in 4. ſent. diſt. 44. quæſt. 2. art. 2. quæſtiuncula ſecundâ, & *Henricus Gandavenſis*, quodlibet 9. qu. 32. & *Durandus*, in 4. ſent. diſt. 44. quæſt. 6. & *Ioannes Capreolus*, ibidem, quæſtione primâ, articulo tertio, & alii; diſertè affirmantes, non poſſe per miraculum fieri, ut unum corpus ſit localiter, ſeu dimenſionaliter, ſeu circumſcriptivè ſimul in diverſis locis. Hoc enim includere contradictionem.

21. Quod etſi merito ab eis dicatur: non defuerunt tamen, qui hoc veriſſimum eorum axioma convellere conati ſint; quos aſſerere non puduit, poſſibile eſſe ut unum corpus ſit circumſcriptivè in pluribus locis ſimul. ſic *Richardus de media villa*, in 4. ſent. diſt. 10. art. 2. qu. 2. *Scotus*, ibidem, qu. 2. & qu. 3. *Gabriel Biel*, ibidem, art. 2. concluſione ſeptimâ, vaniſſimis nixi argutiis, niſi quòd uno utuntur argumento haud contemnendo, in quo non parum fiduciæ collocant. Hoc palmarium argumentum ſic format Scotus; Ubicunque poteſt Deus facere ſubſtantiam naturalem non ſub modo ſuo naturali, vel ſub modo ſibi oppoſito, poteſt eam facere ſub modo ſuo naturali ſeu convenienti ſuæ naturæ: Sed Deus poteſt facere corpus Chriſti ſacratum, & de facto facit ſacramentaliter, id eſt, non ſub modo ſuo naturali ſimul in diverſis locis: ergo poteſt idem facere in eiſdem ſub modo naturali, ſcilicet localiter & dimenſivè. Minorem hujus ſyllogiſmi ſumit pro confeſſo. Majoris autem hanc adfert probationem; Non ſolùm æquè facile, ſed etiam facilius eſt facere, corpus eſſe in diverſis ſimul locis cum ſuo modo naturali, quàm ſine eo: quia in faciendo, ut ſit ſine ſuo modo naturali, ſunt duo miracula, unum ſcilicet in cauſando præſentiam unius corporis ſimul in pluribus locis, & aliud in ſeparando ipſum à ſuo modo naturali; at in faciendo, ut ſit ibi cum ſuo modo naturali, eſt tantum unum miraculum, videlicet, in cauſando unius corporis præſentiam ſimul in pluribus locis. Ergo, ubicunque poteſt corpus eſſe non quantitativè, vel non dimenſivè, non localiter, non circumſcriptivè; ibi poteſt eſſe quantitativè, dimenſivè, localiter, circumſcriptivè.

22. Majorem hanc ut certam & invictam, admittimus. ſed, antequam aſſentiamur concluſioni, poſtulamus probationem minoris. *Scoti propoſitio major vera eſt, ſed minor falſa eſt.* fides (inquiunt) hoc dicit. Nego, hoc inveniri in literis fidei. Urgent verba Chriſti, *hoc eſt corpus meum:* quæ nos reverenter amplectimur, ſed pravam eorum gloſſam rejicimus. Rectè Durandus, Non oportet (inquit) difficultates fidei difficultatibus ſuperaddere, ſed potius juxta documentum ſcripturæ conandum eſt obſcuritates elucidare. *Non ſunt multiplicanda difficultates, nec miracula.* Durandus, in 4. ſent. diſt. 11. qu. 3. Ponenda ſunt pauciora miracula, quantum poſſibile eſt. Inquit Scotus, in 4. ſent. diſt. 11. qu. 3. num. 3. Nec ſunt verba arctanda ad intellectum difficilem, ſine neceſſitate; ut ibidem etiam docet Scotus, num. 4. & 15. Nulla autem neceſſitas cogit nos tam difficile dogma in verbis Domini quærere, quæ ſenſum faciliorem & veritati ſacramenti magis conſentaneum, & cum Sacræ Scripturæ documentis magis congruentem, & catholicis Patribus per multa ſecula jam inde ab ipſis Apoſtolis probatum, ſuppeditant. fatemur quidem, corpus Chriſti eſſe ſimul in multis locis ſacramentaliter, id eſt, ſacramento tenus, at iſti volunt, eſſe ibi in ſua propria ſubſtantia corporaliter, non tamen circumſcriptivè. Hic ſenſus eſt minoris illius propoſitionis. Et ex ea minore inferunt concluſionem, quod corpus Chriſti poſſit eſſe circumſcriptivè in pluribus locis ſimul. Ex abſurda minore, abſurdam concluſionem.

23. Procedet autem argumentum negativè, ſi facias quandam tranſpoſitionem; ſic: *Ubicunque poteſt corpus Chriſti eſſe corporaliter, & non dimenſivè, ibi poteſt eſſe dimenſivè: At corpus Chriſti non poteſt eſſe ſimul in pluribus locis dimenſivè: Ergo non poteſt eſſe ſimul in pluribus locis corporaliter, non dimenſivè.* *Convertitur argumentum contra Dogma corporalis præſentiæ.* Item; *Ergo non poteſt ita eſſe ſubſtantialiter, ac corporaliter, in pluribus locis ſimul, ut ſit in uno loco dimenſivè, in altero non dimenſivè.* Idem argumentum ad propoſitum noſtrum clarius ſic formabis; *Ubicunque poteſt corpus Chriſti eſſe ſubſtantialiter & corporaliter, ibi poteſt eſſe localiter, ſeu dimenſivè: at non poteſt per miraculum, eſſe in pluribus locis ſimul localiter, ſeu dimenſivè: ergo non poteſt per miraculum eſſe in pluribus ſimul locis ſubſtantialiter & corporaliter.* *Syllogiſmus noſter contra commune dogma Romanenſium de præſentia corporali.*

24. Majorem hujus ſyllogiſmi firmiſſimo argumento demonſtravit Scotus, ſuprà, paragrapho vigeſimo primo. *Probatur major. Probatur minor.* Minorem invictis rationibus probant Bonaventura, & Thomas, & Henricus, & Durandus, & Capreolus, & alii. Impoſſibile eſt, (inquit Henricus) etiam per miraculum, idem corpus eſſe dimenſionaliter in diverſis locis. *Henricus.* Nec ſuper hoc plus cadit potentia, quàm ſuper facere duo contradictoria ſimul. Et ſic *non poſſe hoc*, non eſt impotentiæ, ſed conditio naturæ. Hæc Henricus Gandavenſis, quodlibet nono, quæſtione trigeſimâ ſecundâ. Sed reſiſtit Scotus, & ait, hoc non implicare. *Scotus.* Quia plura ubi nihil aliud ſunt, niſi reſpectus quidam extrinſecùs advenientes, fundati in uno quanto ad aliud quantum: quemadmodum

τὸ λαλεῖσθαι διὰ τῶν προφητῶν. Item ex Patrum illorum libello ſynodico ad Damaſum, Ambroſium, aliosque Epiſcopos, ad celebrandum Concilium Romam convocatos miſſo; qui exſtat apud Theodoretum lib. 5. hiſt. Eccleſ. cap. 9. In illo autem libello Patres illi Conſtantinopolitani declarant unam eſſe Deitatem θεότητα, potentiam δύναμιν, eſſentiam οὐσίαν Patris & Filii & Spiritûs Sancti, æqualemque dignitatem, & coæternum regnum, ἐν τρισὶ τελείαις ὑποστάσεσιν ἤγουν τρισὶ τελείοις προσώποις, &c. quę infrà prolixiùs cum verſione Latina invenies, c. 4. hujus libri.

Concil. Romanum. 11. In eandem ſententiam Epiſcopi illi in Concilio Romano congregati confeſſionem fidei ſynodicam ediderunt, quam Damaſus Papa miſit ad Paulinum Theſſalonicæ (vel, ut aliis videtur, Antiochiæ) Epiſcopum; quam etiam hiſtoriæ ſuæ inſeruit Theodoretus lib. 5. cap. 11. In illa autem confeſſione Patres illi anathema dicunt Sabellianis, Arianis, & Eunomianis, Macedonianis, & omnibus Pneumatomachis, Photinianis, & Apollinariſtis; & commendatur ac prædicatur Trinitatis, hoc eſt, Patris & Filii & Spiritûs Sancti una Deitas, una poteſtas, una voluntas, una divinitas, una ſubſtantia, &c. μία θεότης, δύναμις, θέλησις, θειότης, οὐσία, &c. Eandem confeſſionem inſeruit ſuæ etiam hiſtoriæ Nicephorus Calliſti, lib. 12. cap. 18.

12. Ex illo tempore, jam inde à Concilio Conſtantinopolitano & Romano, prævaluit veritas: noſtriſque etiamnum temporibus, per Dei gratiam, paſſim obtinet, non obſtante paucorum quorundam amentiâ, qui antiquas & exoletas, ac jam pridem exploſas hæreſes ex orco revocare ſatagunt.

13. Vide etiam contra Pneumatomachos Athanaſ. lib. ſeu epiſt. ad Serapionem, contra eos, qui dicunt Spiritum Sanctum eſſe creaturam. Et Baſil. magn. lib. de Spiritu Sancto, ad Amphilochium, cap. 9. & ſequentibus. Et Gregor. Nazianz. orat. 37. & Ambroſ. de Spiritu Sancto, ad Gratianum Auguſtinum. Et Epiphan. hæreſ. 74. Et Auguſtin. lib. 3. contra Maximinum, capit. 3. 17. 21. Et Dydimi Alexandrini libros tres de Spiritu Sancto, interprete Hieronymo, tom. 9. bibl. patr. edit. 4. Item Paſchaſii diaconi Romani libros duos de Spiritu Sancto, eodem tom. 9. bibl. Patrum.

## CAPUT TERTIUM

### *Specimen doctrinæ antiquiſſimorum Patrum, ex Ignatio, Iuſtino, Athenagorâ, & Irenao.*

*Ignatii doctrina de Deo, & myſterio incarnationis.* IGnatius epiſt. ad Trallianos; Sunt (inquit) nonnulli vaniloqui & ſeductores, non Chriſtiani, ſed Chriſti inſtitores [Χριστέμποροι,] --- partum Virginis calumniantur, paſſionem negant, nec reſurrectionem credunt. Deum ignotum introducunt. Chriſtum ingenitum eſſe cenſent [τὸν Χριστὸν ἀγέννητον νομίζουσι.] Spiritum Sanctum verò nec eſſe confitentur [τὸ δὲ πνεῦμα οὐδὲ ὅτι ἐστιν ὁμολογοῦσι.] quidam verò eorum Filium merum hominem eſſe dicunt [τὸν μὲν υἱὸν, ψιλὸν ἄνθρωπον εἶναι λέγουσι.] Et eundem eſſe Patrem & Filium & Spiritum Sanctum [τὸν αὐτὸν δὲ εἶναι πατέρα καὶ υἱὸν, καὶ πνεῦμα ἅγιον.] Et omnia creata à Deo, non per Chriſtum, ſed per alienam quandam poteſtatem. Adverſus hujuſmodi itaque munite vos, [ἀσφαλίζεσθε οὖν πρὸς τὰς τοιούτους] ne laqueus injiciatur animis veſtris. --- Obturate aures veſtras, quando vobis quiſpiam loquitur excludens Chriſtum Jeſum Filium Dei, qui natus eſt ex David, qui ex Maria, qui verè genitus eſt, tum ex Deo, tum ex Virgine: verùm non ſimili modo. Nec enim id ipſum eſt Deus & homo. [ὃς ἀληθῶς ἐγέννησε, καὶ ἐκ Θεοῦ, καὶ ἐκ παρθένου, ἀλλ᾽ οὐχ ὡσαύτως. οὐδὲ γὰρ ταὐτὸν, Θεὸς καὶ ἄνθρωπος.] Verè aſſumſit corpus; nam *Verbum caro factum eſt*: Et vixit inter homines ſine peccato. *quis enim*, inquit, *ex vobis arguit me de peccato?* Verè edit & bibit, crucifixus & mortuus eſt ſub Pontio Pilato. Verè (inquam,) non hominum opinione [ἀληθῶς δὲ, καὶ οὐ δοκήσει] crucifixus & mortuus eſt, videntibus cœleſtibus, terrenis, & ſubterraneis. Cœleſtibus quidem [ἐπουρανίων μὲν] nimirum incorporeis naturis: terrenis verò [ἐπιγείων δὲ] Judæis & Romanis, & cæteris, qui tunc aderant cum Dominus crucifigeretur: ſubterraneis autem, [καταχθονίων δὲ] iis videlicet qui plurimi cum Domino reſurrexerunt, [ὡς τὸ πλῆθος τὸ συνανέστη τῷ κυρίῳ.] *Multa enim*, inquit, *corpora ſanctorum, qui dormierunt, reſurrexerunt, monumentis apertis.* Et deſcendit ad inferum [εἰς ᾅδην] ſolus, regreſſus autem eſt cum multitudine, & ſeptum illud quod à ſeculo erat, rupit, & medium parietem ejus deſtruxit, & intra triduum reſurrexit, ſuſcitante eum Patre. Et quadraginta dies converſatus cum Apoſtolis, aſſumtus eſt ad Patrem: & ſedit à dextris ipſius, exſpectans donec inimici ejus ſubjiciantur pedibus ejus. --- Verè natus eſt Deus Verbum ex Virgine, veſtitus corpore eiſdem nobiſcum paſſionibus obnoxio [ἀληθῶς ἐγεννήθη ὁ Θεὸς Λόγος ἐκ τῆς παρθένου, σῶμα ἐνδυσάμενος ὁμοιοπαθὲς ἡμῖν.] Verè conceptus eſt in matrice, qui omnes homines in matrice fingit, & corpus ſibi fecit ex ſanguine Virginis [καὶ ἐποίησεν ἑαυτῷ σῶμα, ἐκ τῶν τῆς παρθένου αἱμάτων.] hoc ſolùm excepto, quòd nulla viri conſuetudo interceſſerit. In utero geſtatus eſt [ἐκυοφορήθη,] ſicut & nos, temporum periodis: & verè natus eſt [ἐτέχθη] ſicut & nos, & verè lacte paſtus eſt [καὶ ἀληθῶς ἐγαλακτοτροφήθη,] & cibo potuque communi uſus eſt [μετέσχε] ſicut & nos: & expletis tribus annorum decadibus baptizatus eſt à Joanne verè, non autem opinione. Et ubi triennium [τρεῖς ἐνιαυτοὺς] prædicavit Euangelium, ſignaque & prodigia patravit, à falſis Judæis & Præſide Pilato Judex judicatus eſt [ὁ κριτὴς ἐκρίθη,] flagellatus eſt, & alapis cæſus, & conſputus eſt, ſpineam coronam & purpureum veſtimentum portavit: condemnatus eſt, & crucifixus eſt verè, non opinione, non phantaſiâ, non impoſturâ, [ἀληθῶς, οὐ δοκήσει, οὐ φαντασίᾳ, οὐκ ἀπάτῃ.] verè mortuus eſt, & ſepultus, & reſurrexit ex mortuis. --- Fugite itaque impias hæreſes, ſunt enim Diaboli inventa, ſerpentis illius qui omnis mali primus autor eſt [τοῦ ἀρχεκάκου ὄφεως,] qui per mulierem genus noſtrum decepit! Fugite autem & malam illius propaginem [φεύγετε δὲ αὐτοῦ καὶ τὰς κακὰς παραφυάδας] Simonem, primogenitum illius filium; & Menandrum, & Baſilidem, & totam illam ipſius malitiæ colluviem, hominum cultores [τοὺς ἀνθρωπολάτρας] quos & Jeremias Propheta maledictos appellat. Fugite quoque impuros Nicolaitas [ἀκαθάρτους Νικολαΐτας] falſum nomen ſibi ſumentes [τοὺς ψευδωνύμους,] voluptatum amatores [τοὺς φιληδόνους,] ſycophantas [τοὺς συκοφάντας.] Fugite præterea maligni germina [τὰ τοῦ πονηροῦ

*Ioan. 1. 14.*

*Matth. 27. 52.*



τοῦ πονηροῦ ἔγγονα] Theodorum & Cleobulum, qui gignunt fructum mortiferum, quem ſi quis guſtaverit, continuò moritur, non temporaneâ hac, verùm æternâ morte. Hi non ſunt plantatio Patris, ſed maledicta germina. --- Vos autem Chriſtus invitat ad ſuam incorruptionem [εἰς τὴν αὐτοῦ ἀφθαρσίαν] per ſuam paſſionem & reſurrectionem, cùm ſitis membra ipſius [ὄντας μέλη αὐτοῦ.]

2. Idem epiſt. ad Magneſios: Unus Deus eſt Omnipotens, qui ſeipſum manifeſtavit per Jeſum Chriſtum Filium ſuum, qui eſt ipſius Verbum, non pronunciatum, ſed ſubſtantiale [ὅς ἐστιν αὐτοῦ λόγος, οὐ ῥητὸς, ἀλλ᾽ οὐσιώδης]: non enim eſt articulati ſermonis vox, ſed efficaciæ divinæ genita ſubſtantia [οὐ γάρ ἐστι λαλιᾶς ἐνάρθρου φώνημα, ἀλλ᾽ ἐνεργείας θεϊκῆς οὐσία γεννητή.] --- plenam de Chriſto cognitionem habeatis, qui ante omnia ſecula natus ex Deo Patre, poſt verò natus eſt ex Maria Virgine, ſine viri commercio [πληροφορεῖσθε ἐν Χριστῷ, τῷ πρὸ πάντων μὲν αἰώνων γεννηθέντι παρὰ τοῦ πατρὸς, γενομένῳ δὲ ὕστερον ἐκ Μαρίας τῆς παρθένου, δίχα ὁμιλίας ἀνδρός:] quique ſanctè vixit, omnemque morbum & ægritudinem curavit in populo, ſigna & prodigia patravit ad benefaciendum hominibus, & iis qui in ſuperſtitionem plurium deorum impegerant, unum verum Deum Patrem ſuum annunciavit [τὸν ἕνα καὶ μόνον ἀληθινὸν Θεὸν γνωρίσαντα, τὸν ἑαυτοῦ πατέρα:] qui etiam paſſus eſt, & à Chriſticidis Judæis ſub Pontio Pilato præſide, & Rege Herode crucem ſuſtinuit, & mortuus eſt, & reſurrexit, & aſcendit in cœlos ad eum à quo miſſus erat, & ſedit ad dextram ipſius: & venturus eſt in fine ſeculorum cum gloria paternâ, ut judicet vivos & mortuos, reddatque unicuique ſecundùm opera ſua. Hæc qui plenè cognovit & crediderit, beatus eſt [ταῦτα ὁ γνοὺς ἐν πληροφορίᾳ, καὶ πιστεύσας, μακάριος.]

*Admonitio de hac loquutione, οὐσία γεννητή.* 3. Quod autem Filium dicit Ignatius eſſe οὐσίαν γεννητὴν, eſſentiam vel ſubſtantiam genitam, ſciendum eſt, occurrere aliquando apud orthodoxos Patres ejuſmodi loquutionem, quâ non diverſam aut aliam Filio tribuunt eſſentiam, quem Patri conſubſtantialem & unum cum Patre Deum confitentur; ſed indicare volunt Filium eſſe Verbum Dei ſubſtantiale, λόγον οὐσιώδη, ut loquitur hic Ignatius, & alii Patres paſſim: non autem inſitum aut prolativum, οὐκ ἐνδιάθετον ἢ προφορικὸν, ſeu ut loquitur Ignatius, οὐ ῥητόν. Vocabulum igitur οὐσία hoc loco uſurpatur, non abſolutè, prout eſſentiam à modo ſubſiſtentiæ diſtinguimus, ſed cum connotatione relationis, ſignificat perſonam ſubſtantialem, ſeu divinæ naturæ individuam ſubſtantiam; ut loquitur Severinus Boethius, definiens hypoſtaſin, lib. de duabus naturis Chriſti. Eſſentia certo modo, nempe υἱικῶς ſeu γεννητῶς ſubſiſtens, Ignatio dicitur οὐσία γεννητὴ, ac ſi diceret perſonam ſubſtantialiter genitam in unitate paternæ eſſentiæ. Et hoc ſenſu accipienda ſunt aliorum etiam orthodoxorum Patrum ſimilia dicta. Cujuſmodi eſt illud Hilarii Pictavienſis, lib. de ſynodis adverſus Arianos, in expoſitione ſymboli Sardicenſis. (pag. 301. edit. Froben. an. 1522.) Non poteſt (inquit) ambigi in his natus eſſe quæ Dei ſunt; quia neque de non exſtantibus, neque alia quàm de innaſcibili Patris & æterna ſubſtantiâ, unigenita Filii generatur eſſentia. Et pag. 302. Sollicitâ itaque multúmque diligenti cautelâ Epiſcoporum fides munit naturæ genitæ & gignentis indifferentiam. Hæc ibi Hilarius. Et illud Auguſtini; Filium quippe ipſum genuit utique Patris natura, non fecit. lib. 3. contra Maximinum Arianum, cap. 12. in fine capitis. Iſtiuſmodi tamen loquutiones non eſſe imitandas, haud immeritò monuerunt Scholaſtici, 1. ſent. diſt. 5. Vide infrà, cap. 35. hujus libri, theſ. 9. Redeo interea ad Ignatium.

4. Idem Ignatius Ep. ad Philadelphenſes: εἷς ἀγέννητος, ὁ Θεὸς ὁ πατήρ. καὶ εἷς μονογενὴς υἱὸς, Θεὸς λόγος καὶ ἄνθρωπος, καὶ εἷς ὁ παράκλητος, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας. Unus eſt ingenitus, Deus & Pater; & unus unigenitus, Filius Deus, Verbum & homo; Et unus Paracletus, Spiritus veritatis. — Prophetas etiam diligo, utpote qui Chriſtum annunciârint, & ejuſdem Spiritûs participes fuerint, cujus & Apoſtoli. Quemadmodum enim Pſeudo-prophetæ & Pſeudo-apoſtoli unum & eundem ſpiritum malum fallacemque & populi ſeductorem [λαοπλάνον] acceperunt: ſic & Prophetæ atque Apoſtoli unum & eundem Spiritum Sanctum, bonum, eximium [ἡγεμονικὸν,] & verum, & Doctorem rectum acceperunt à Deo per Jeſum Chriſtum. Unus enim Deus Veteris & novi Teſtamenti [εἷς γὰρ ὁ Θεὸς παλαιᾶς καὶ καινῆς διαθήκης:] Unus Mediator Dei & hominum, cùm ad opificium intelligibilis & ſenſibilis creaturæ, tum ad providentiam utilem rebuſque accommodam: & unus Paracletus, qui operatus eſt in Moſe, & Prophetis, & Apoſtolis. Omnes igitur Sancti in Chriſto ſalvati ſunt, ſperantes in eum, & illum exſpectantes, & per illum ſalutem conſequuti ſunt.

5. Item epiſt. ad Smyrnenſes, quid enim prodeſt, ſi quis me laudet, & Dominum meum blaſphemet, non confitens ipſum Deum eſſe carne veſtitum? [μὴ ὁμολογῶν αὐτὸν σαρκοφόρον Θεόν;] Et epiſt. ad Romanos; Permitte mihi, ut imitator ſim paſſionis Chriſti Dei mei [ἐπιτρέψατέ μοι μιμητὴν εἶναι τοῦ πάθους Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ μου.] Hæc Ignatius.

*Iuſtini doctrina.* 6. Juſtinus martyr in Apologia 1. ad Senatum: Univerſarum rerum Pater, ingenitus, Deus & Creator, & Dominus, & herus dicitur, ſumtis appellationibus à beneficiis & operibus ejus. Filius autem illius, qui ſolus propriè dicitur Filius, Verbum ſimul cum eo ante creaturam & exiſtens, & naſcens [ὁ δὲ υἱὸς ἐκείνου, ὁ μόνος λεγόμενος κυρίως υἱὸς, ὁ λόγος πρὸ τῶν ποιημάτων καὶ συνὼν καὶ γεννώμενος.] Idem in Apologia 2. ad Antoninum Pium: Et profitemur quidem, nos talium, qui habentur, Deorum eſſe expertes; ſed non veriſſimi illius, Dei Patris videlicet juſtitiæ & temperantiæ, aliarumque virtutum, & ab omni vitioſitatis mixtione alieni: Sed & illum, & qui ab eo venit, atque iſta nos, & aliorum obſequentium atque imitantium bonorum Angelorum exercitum docuit, Filium, & Spiritum Propheticum, colimus & adoramus, [ἀλλ᾽ ἐκεῖνόν τε, καὶ τὸν παρ᾽ αὐτοῦ υἱὸν ἐλθόντα καὶ διδάξαντα ἡμᾶς ταῦτα, καὶ τὸν τῶν ἄλλων ἑπομένων καὶ ἐξομοιουμένων ἀγαθῶν ἀγγέλων στρατὸν, πνεῦμά τε τὸ προφητικὸν σεβόμεθα, καὶ προσκυνοῦμεν] cum ratione & veritate honorem exhibentes [λόγῳ καὶ ἀληθείᾳ τιμῶντες.] Et unicuique diſcere volenti, ſicut edocti ſumus, candidè [hæc] tradentes. — Athei non ſumus, qui conditorem hujus univerſi religiosè colimus [τὸν δημιουργὸν τοῦδε τοῦ παντὸς σεβόμενοι.] --- Jeſum Chriſtum, quòd eum ipſius Dei veri Filium [υἱὸν αὐτοῦ τοῦ ὄντως Θεοῦ] eſſe didicerimus, ac ſecundo loco habeamus [καὶ ἐν δευτέρᾳ χώρᾳ ἔχοντες,] ac Spiritum Propheticum tertio ordine [πνεῦμά τε προφητικὸν ἐν τρίτῃ τάξει] nos cum ratione honorare demonſtrabimus. (Cave putes, his Juſtini verbis gradus dignitatis intelligi, ſed tantùm diſtinctio-

diſtinctionem perſonarum divinarum ſecundùm ordinem originis, ſalvâ trium ἰσοτιμίᾳ.]

7. Poſtea in eadem Apologiâ: Et Jeſus Chriſtus ſolus propriè Filius Deo genitus eſt, qui Verbum ipſius eſt, & primo-genitus, & potentia (καὶ Ἰησοῦς Χριστὸς μόνος ἰδίως υἱὸς τῷ Θεῷ γεγέννηται, λόγος αὐτοῦ ὑπάρχων καὶ πρωτότοκος, καὶ δύναμις:) atq; de conſilio voluntateque ejus homo factus; inſtaurandi reſtituendique humani generis ergo, nos iſta docuit. --- In nomine rerum omnium Parentis ac Domini, & Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, & Spiritûs Sancti, in aqua lavantur.

8. Idem in eadem Apologiâ docet, Chriſtum noſtrum cum Moſe loquutum fuiſſe è medio ignis in rubo, & dixiſſe de ſeipſo: Ego ſum Jehovah Deus Abraham, Deus Iſaaci, & Deus Jacobi. Exod. 3. Judæos autem inobedientes ac dicentes intelligi ibi ſolùm ingenitum Patrem, evidenti argumento ex ſacro textu petito validè refellit; nam idem ille Jehovah Deus, dicitur Angelus Domini, quæ indigitatio non convenit Patri: ſed bene convenit Filio, ὡς καὶ λόγος πρωτότοκος ὢν τοῦ Θεοῦ, καὶ Θεὸς ὑπάρχει, ut loquitur illic Juſtinus. atque ut alibi idem Juſtinus contra Tryphonem argumentatur; ὅτι ὁ ὀφθεὶς τοῖς πατριάρχαις, λεγόμενος Θεὸς, καὶ ἄγγελος καὶ κύριος λέγεται. --- Θεὸς καλεῖται, καὶ Θεὸς ἐστι, καὶ ἔσται. --- ὅστις καὶ ἄγγελος, καὶ Θεὸς καὶ κύριος, καὶ ἐν ἰδέᾳ ἀνδρὸς τῷ Ἀβραὰμ φανεὶς, καὶ ἐν ἰδέᾳ ἀνθρώπου αὐτῷ τῷ Ἰακὼβ παλαίσας. id eſt: Hic, qui Patriarchis conſpectus eſt, & Deus dicitur, etiam Angelus & Dominus dicitur. --- Deus vocatur, & Deus eſt, & erit. --- Iſte & Angelus, & Deus & Dominus, qui & Abrahæ in forma viri apparuit, & in ſpecie hominis cum Jacobo luctatus eſt. Et poſtea in eodem Dialogo cum Tryphone Judæo, αὐτὸς ὢν καὶ Θεὸς, καὶ ἄγγελος παρὰ τοῦ πατρὸς πεμπόμενος, qui & ipſe Deus, & Angelus à Patre miſſus.

9. Idem, prope finem orationis parænecticæ ad Græcos, diſertè confitetur & docet, ἕνα καὶ μόνον εἶναι μόνον Θεὸν, unum eundemque ſolum eſſe Deum. Et ſubjicit, hoc eſſe primum veræ pietatis documentum, ὁ πρῶτον ὅρον τῆς ἀληθοῦς θεοσεβείας γνώρισμα. Et in Apologia ad Antoninum ſcribit, Chriſti hanc eſſe doctrinam, quòd ſolus Deus adorandus ſit, ὡς Θεὸν μόνον δεῖ προσκυνεῖν, & adfert Chriſti verba de ſolo Deo adorando ex cap. 4. Matthæi. Et paucis interjectis in eadem Apologiâ, ante medium, Juſtinus Imperatorem Antoninum ſic alloquitur: Chriſtus dixit *Reddite quæ Cæſaris ſunt, Cæſari: & quæ Dei, Deo.* Proinde nos ſolum Deum adoramus, & vobis in rebus aliis læti inſervimus [ὅθεν Θεὸν μὲν μόνον προσκυνοῦμεν, ὑμῖν δὲ πρὸς τὰ ἄλλα χαίροντες ὑπηρετοῦμεν.] Et ſuprà de ſe aliiſque Chriſtianis in eadem Apologia dixit, ſe colere & adorare [σεβόμεθα καὶ προσκυνοῦμεν] Patrem & Filium & Spiritum Sanctum. Et hos tres manifeſtè diſtinxit, quando dixit Filium honorari ſecundo loco, & Spiritum in tertio ordine, ut ſuprà monuimus. Et Verbum dicit eſſe πρωτότοκον ὄντα, Θεὸν ὑπάρχοντα, καὶ λόγον ὑπάρχοντα. Ex quibus omnibus efficitur ſecundùm doctrinam Juſtini, Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, eſſe verè tres, quoad modos ὑπάρξεως & hos tres eſſe, quoad eſſentiam, unum verum Deum. Hanc ipſam doctrinam copioſè & luculenter explicat Autor expoſitionis fidei, quæ Juſtino tribuitur.

*Athenagoræ doctrina.* 10. Athenagoras lib. qui inſcribitur, πρεσβεία περὶ Χριστιανῶν, legatio pro Chriſtianis; Prædicamus (inquit) unum Deum ingenitum, ἕνα Θεὸν τὸν ἀγένητον, καὶ ἀΐδιον, καὶ ἀόρατον, καὶ ἀπαθῆ, καὶ ἀκατάληπτον, καὶ ἀχώρητον, νῷ μόνῳ καὶ λόγῳ καταλαμβανόμενον, φωτὶ καὶ κάλλει καὶ πνεύματι καὶ δυνάμει ἀνεκδιηγήτῳ περιεχόμενον, ὑφ' οὗ γεγένηται τὸ πᾶν διὰ τοῦ αὐτοῦ λόγου καὶ διακεκόσμηται, καὶ συγκρατεῖται. Nam & Dei Filium mente complectimur [νοοῦμεν καὶ υἱὸν τοῦ Θεοῦ] --- Filius Dei eſt verbum Patris, in idea & efficaciâ. [λόγος τοῦ πατρὸς, ἐν ἰδέᾳ καὶ ἐνεργείᾳ.] Ab ipſo enim & per ipſum [πρὸς αὐτοῦ γὰρ καὶ δι' αὐτοῦ] facta ſunt omnia: Cùm Pater & Filius unum ſint, Filius autem ſit in Patre, & Pater in Filio, unitate & potentiâ Spiritûs, [ἑνότητι καὶ δυνάμει πνεύματος,] mens & Verbum Patris Filius Dei eſt [νοῦς καὶ λόγος τοῦ πατρὸς, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ.] Primigenia hic eſt Patris progenies, non ut facta; à principio enim Deus, qui eſt mens æterna, habuit ipſe in ſeipſo Verbum ſeu Rationem, cum rationalis ipſe æternum ſit: [πρῶτον γέννημα τῷ πατρί, οὐχ ὡς γενόμενον, ἐξ ἀρχῆς γὰρ ὁ Θεὸς, νοῦς ἀΐδιος ὤν, εἶχεν αὐτὸς ἐν ἑαυτῷ τὸν λόγον, ἀϊδίως λογικὸς ὤν] ſed, *πρῶτον γέννημα.* ut rerum cunctarum idea & perfectio foret, progreſſa eſt. Quin & ipſum in Prophetis agentem Spiritum Sanctum dicimus à Deo emanare, ad ipſumque reflecti, veluti Solis radium. [καίτοι καὶ αὐτὸ τὸ ἐνεργοῦν τοῖς ἐκφωνοῦσι προφητικῶς ἅγιον πνεῦμα, ἀπόρροιαν εἶναί φαμεν τοῦ Θεοῦ, ἀπορρέον καὶ ἐπαναφερόμενον, ὡς ἀκτῖνα ἡλίου.] Quis igitur non miretur, audiens nos dici atheos? qui prædicamus Deum Patrem, & Deum Filium, & Spiritum Sanctum [λέγοντας Θεὸν πατέρα, καὶ υἱὸν Θεὸν καὶ πνεῦμα ἅγιον,] ita ut & in unione potentiam, & in ordine diſtinctionem eorum monſtremus. [δεικνύντας αὐτῶν καὶ τὴν ἐν τῇ ἑνώσει δύναμιν, καὶ τὴν ἐν τῇ τάξει διαίρεσιν.] --- Nos præſentem hanc vitam minime magnifacimus, & illum duntaxat ducem pertranſeuntes ſequimur, quem æqualiter Deum cùm Verbo quod ab ipſo eſt cognoſcere, quænam Filii ad Patrem ſit unio; quid Pater Filio communicet; quid ſit Spiritus; quæ ſit tantorum unio, & unitorum diſtinctio: videlicet Spiritûs, & Filii, & Patris: [ὡς ἐστι Θεὸς καὶ ὁ παρ' αὐτοῦ λόγος εἰδέναι, τίς ἡ τοῦ παιδὸς πρὸς τὸν πατέρα ἑνότης, τίς ἡ τοῦ πατρὸς πρὸς τὸν υἱὸν κοινωνία, τί τὸ πνεῦμα, τίς ἡ τῶν τοσούτων ἕνωσις, καὶ διαίρεσις ἑνουμένων, τοῦ πνεύματος, τοῦ παιδὸς, τοῦ πατρός.] Scimus eſſe vitam præſtantiorem, quàm verbis quiſquam exprimere poſſit, quæ nos excipiet, ſi puri ab omni crimine ad ipſam tranſmiſſi fuerimus! Hæc Athenagoras.

11. Etſi non ſpernimus Athenagoram dicentem, τὸ ἅγιον πνεῦμα ἀπόρροιαν εἶναι τοῦ Θεοῦ. Nam *Athenagoras de vocabulo ἀπόρροια.* Athenagoræ quidem hoc dicentis mens ſana fuit; ut patet ex reliquo contextu illius libri, ex quo hæc ejus verba depromſimus: & autor libri Sapientiæ dicit, Sapientiam eſſe ἀπόρροιαν τῆς τοῦ παντοκράτορος δόξης εἰλικρινῆ, ſincerum effluxum gloriæ Omnipotentis: cap. 7. verſ. 25. Sic tamen nos loqui prohibet Athanaſius, propter perverſum ſenſum hæreticorum. quemadmodum (inquit) non eodem modo creant homines, quo creat Deus; neque ſic ſunt homines, uti eſt Deus: ita quoque aliter ſe habet hominum generatio, aliter Filii ex Patre generatio. Hominum enim progenies partes ſunt quodammodo gignentium, cùm eis corporum natura non ſimplex, ſed fluxa ſit, & ex particulis coaleſcat; Effluuntque homines cùm gignunt, & rurſus in eos influunt alimenta, ac proinde decurſu temporis multorum liberorum parentes efficiuntur: Deus verò, cùm partes non habeat, ſine ullâ partium diviſione & impatibiliter, Filii ſui Pater exiſtit. Non enim effluxio eſt ab re incorporeâ, aut in eam ulla influxio (οὔτε γὰρ ἀπόρροιά ἐστι τοῦ ἀσωμάτου, οὔτε ἐπιρροή τι εἰς



αὐτὸ γίνεται,] ut hominibus contingit; ſed quia ſecundùm naturam ſimplex eſt, unius duntaxat Filii Pater eſt. Hæc Athanaſius, lib. de Synodi Nicænæ decretis contra Hæreſin Arianam. [tom. 1. oper. Athanaſ. edit. Pariſ. Græcol. an. Dom. 1627. pag. 259. C.] Idem etiam Athanaſius, in principio libri, qui inſcribitur, Expoſitio fidei, [eodem tom. 1. pag. 240.] loquens de Filio, ait: λόγος δὲ ὢν οὐ προφορικὸς, οὐκ ἐνδιάθετος, οὐκ ἀπόρροια τοῦ τελείου, οὐ τμῆσις τῆς ἀπαθοῦς φύσεως. Vide inferiùs, cap. 4. §. ult.

*Irenæi doctrina, ſeu confeſſio fidei Catholicæ.* 12. Irenæus, lib. 1. adverſus hæreſes, cap. 2. & cap. 3. Eccleſia (inquit) per univerſum orbem uſque ad fines terræ ſeminata, & ab Apoſtolis & à diſcipulis eorum accepit eam fidem, quæ eſt in unum Deum, Patrem omnipotentem, qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt: & in unum Jeſum Chriſtum, Filium Dei, incarnatum pro noſtra ſalute: & in Spiritum Sanctum, qui per prophetas prædicavit diſpoſitiones Dei & adventum, & eam, quæ eſt ex virgine, generationem, & paſſionem, & reſurrectionem à mortuis, & in carne in cœlos aſcenſionem dilecti Jeſu Chriſti Domini noſtri, & de cœlis in gloria Patris adventum ejus, ad recapitulanda univerſa, & reſuſcitandam omnem carnem humani generis: ut Chriſto Jeſu Domino noſtro, & Deo, & Salvatori, & Regi, ſecundùm placitum Patris inviſibilis omne genu curvetur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur ei, & judicium juſtum in omnibus faciat. Spiritualia quidem nequitiæ, & angelos tranſgreſſos, atque apoſtatas factos, & impios, & injuſtos, & iniquos, & blaſphemos homines in æternum ignem mittat: Juſtis autem & æquis, & præcepta ejus ſervantibus, & in dilectione ejus perſeverantibus, quibuſdam quidem ab initio, quibuſdam autem ex pœnitentia, vitam donans, incorruptelam loco muneris conferat, & claritatem æternam circundet.

*Cap. 3.* Hanc prædicationem cùm acceperit, & hanc fidem, (quemadmodum prædiximus,) Eccleſia, & quidem in univerſum Mundum diſſeminata, diligenter cuſtodit, quaſi unam domum inhabitans: & ſimiliter credit his, videlicet quaſi unam animam habens & unum cor, & conſonanter hæc prædicat & docet, & tradit quaſi unum poſſidens os. Nam etſi in mundo loquelæ diſſimiles ſunt, ſed tamen virtus traditionis una & eadem eſt. Et neque hæ, quæ in Germania ſunt fundatæ, Eccleſiæ aliter credunt, aut aliter tradunt; neque hæ, quæ in Hiberis ſunt; neque hæ, quæ in Celtis; neque hæ, quæ in Oriente; neque hæ, quæ in Ægypto; neque hæ quæ in Libya; neque hæ quæ in medio mundi ſunt conſtitutæ: ſed ſicut Sol creatura Dei in univerſo mundo unus & idem eſt; ſic & lumen, prædicatio veritatis, ubique lucet, & illuminat omnes homines qui volunt ad cognitionem veritatis venire. Et neque qui valde prævalet in ſermone, ex his qui præſunt Eccleſiis, alia, quàm hæc ſunt, dicet. Nemo enim ſuper magiſtrum eſt: neque infimus in dicendo deminoravit traditionem. Cùm enim una & eadem fides ſit, neque is qui multum de ea poteſt dicere ampliat; neque is qui minus, deminorat. Hæc Irenæus.

*Apoſtolici hiſtoria. De Ignatio.* 13. Johannis Apoſtoli auditores inſignes fuerunt Papias Hieropolitanus Epiſcopus, & Polycarpus Smyrnæus & Ignatius Antiochenus: inquit Euſebius in Chronicis, lib. 2. ad annum tertium Trajani imperatoris. Exſtat in hunc Ignatium homilia Chryſoſtomi, quæ eſt ſeptuageſima oratio tomi quinti operum Chryſoſtomi editionis græcæ Savilianæ, ubi Chryſoſtomus ait, Ignatium converſatum eſſe cum Apoſtolis, & ab ipſis Apoſtolis ordinatum eſſe Epiſcopum Eccleſiæ Antiochenæ. Romam vinctus ducitur & martyrio coronatur Ignatius, imperante Trajano; ut legimus in hiſtoria Eccleſiaſticâ Euſebii, lib. 3. κεφ. λϛ. Paſſum eſſe anno undecimo Trajani, ſcribit Hieronymus, in catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum, cap. 26. annum autem undecimum Trajani, & martyrium Ignatii refert Baronius ad annum Chriſti centeſimum decimum: Calviſius autem ad annum Chriſti centeſimum ſeptimum.

14. Juſtinus in ſua Apologiâ ad Antoninum Pium, ait: πρὸ ἐτῶν ἑκατὸν πεντήκοντα γεγεννῆσθαι τὸν Χριστὸν, ἐπὶ Κυρηνίου, ante annos centum quinquaginta Chriſtum ſub Cyrenio natum eſſe. *De Juſtino.* Nempe Apologiam illam ſcripſit, eamque Imperatori Antonino Pio obtulit, anno Chriſti centeſimo quinquageſimo. Et in ea genus & nomen ſuum, religionemque Chriſtianam profitetur, Juſtinum ſe eſſe dicens, Priſci Batti filium, Flaviæ (quæ nova civitas eſt Syriæ Paleſtinæ) ortum. Epiphanius refert, hunc Juſtinum fuiſſe genere Samaritanum, hæreſ. 46. contra Tatianos. Antequam verò Chriſtianus fieret, ſectator fuit diſciplinæ Platonis, (τοῖς Πλάτωνος χαίρων διδάγμασι) ut ipſe de ſe teſtatur, in altera Apologiâ, ad Senatum Romanum. Vbi etiam, quâ occaſione adductus fuerit, ut de Chriſtianis benigniùs ſentire inciperet, tandemque iis ſe adjungeret, commemorat his verbis: Nam & ego ipſe (inquit) Platonis diſciplinæ ſectator, cùm calumnioſè deferri Chriſtianos audirem, intrepidè autem ad mortem & alia, quæ terribilia eſſe cenſentur, omnia adire conſpicerem; ſtatui ipſe mecum, fieri haud quaquam poſſe, ut illi in vitiorum pravitate & voluptatum amore viverent. Quis etenim voluptatis conſectator, aut intemperans, & humanarum carnium dapes pro bono ducens, mortem libenter complecti queat, ut bonis ſuis ſe ipſum privet: ac non potiùs modis omnibus, ut hanc ſibi continenter vitam agere, & celando Principes & Magiſtratus fallere liceat, operam navet, nedum per denunciationem & indicium ſeipſum cædi offerat? Hæc ibi Juſtinus. Crimina autem illa, quæ ait fuiſſe calumnioſè conficta in Chriſtianos, complectitur Athenagoras hoc brevi verborum compendio, paullò poſt initium ſuæ legationis pro Chriſtianis: Τρία ἐπιφημίζουσιν ἡμῖν ἐγκλήματα, ἀθεότητα, Θυέστεια δεῖπνα, Οἰδιποδείους μίξεις. id eſt: Tribus nos infamant accuſationibus, objicientes nobis Atheiſmum, epulas Thyeſtæas, concubitus inceſtos. De exitu Juſtini ſcribit Hieronymus in catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum: Hic, (inquit) quum in urbe Româ haberet τὰς διατριβὰς, & Creſcentem Cynicum, quia multa adverſum Chriſtianos blaſphemabat, redargueret guloſum, & mortis timidum, luxuriæque & libidinum ſectatorem, ad extremum ſtudio ejus & inſidiis accuſatus quòd Chriſtianus eſſet, pro Chriſto ſanguinem fudit. Hæc Hieronymus. Similia de eodem Juſtini martyrio ſcripſit Euſebius, lib. 4. hiſt. Eccleſ. κεφ. ιϛ. ubi ait, Juſtinum ſecundum Libellum ſeu Apologiam ſecundam (quæ vulgo prior dici ſolet,) obtuliſſe Antonini Pii ſucceſſoribus Marco Aurelio Antonino Philoſopho, & Lucio Vero, Imperatoribus, & mox ſub iiſdem palmam martyrii adeptum eſſe. Apologiæ hujus oblationem & Juſtini obitum ad unum eundemque annum referunt

Chronologi quidam: nam Baronius utrumque contigiſſe ſcribit anno Chriſti 165. at Calviſius Apologiæ hujus ſcriptionem ponit in anno Chriſti 162. Et Juſtini martyrium refert ad annum ſequentem, videlicet annum Chriſti 163.

De Athenagora. 15. Athenagoras Philoſophus Chriſtianus legationem ſuam pro Chriſtianis iiſdem Imperatoribus, Marco Aurelio Antonino Philoſopho, & Lucio Vero (quem Lucium Aurelium Commodum vocat,) inſcripſit. Unde patet Athenagoram fuiſſe Juſtino σύγχρονον. Obiit autem Lucius Imp. anno Chriſti 171. ut ſupputat Baronius.

De Irenæo. 16. Irenæus ſcribit ſe vidiſſe Polycarpum, inquiens, Et Polycarpus autem non ſolum ab Apoſtolis edoctus, & converſatus cum multis ex eis qui Dominum viderunt, ſed etiam ab Apoſtolis in Aſia, in ea, quæ eſt Smyrnis, Eccleſiâ conſtitutus Epiſcopus, quem & nos vidimus in prima noſtra ætate: multum enim perſeveraverat, & valde ſenex glorioſiſſimè & nobiliſſimè martyrium faciens exivit de hac vitâ. Hæc Irenæus, lib. 3. adverſus hæreſes, cap. 3. Sub eiſdem autem Imperatoribus, ſub quibus Juſtinum martyrio coronatum eſſe oſtendimus, etiam Polycarpus μαρτυρίῳ τελειωθέντα, id eſt, martyrio conſummatur ut ſcribit Euſebius lib. 4. hiſt. Eccleſ. κεφ. ιε. Floruiſſe autem Irenæum, & primo quidem Presbyterum, poſtea autem defuncto Pothino Lugdunenſis Eccleſiæ in Gallia Epiſcopo & martyri ſucceſſiſſe in illius Eccleſiæ Epiſcopatu, regnante eodem Imperatore, Marco Aurelio Antonino Philoſopho, refert Euſebius hiſt. Eccleſ. lib. 4. κεφ. κγ. & lib. 5. capitib. 4. & 5. quo poſtremo loco adjicit; hunc Irenæum Polycarpi auditorem [illegible] fuiſſe in juvenili ætate. Regnavit Marcus Aurelius Antoninus Philoſophus annos novemdecim, eique in Imperio Romano ſucceſſit Commodus; ut legimus apud Euſebium, lib. 5. hiſt. Eccleſ. cap. 9. Id verò contigiſſe ſcribit Calviſius, anno Chriſti centeſimo octogeſimo: Baronius autem, anno Chriſti centeſimo octogeſimo ſecundo. Floruiſſe maximè ſub Commodo Principe Irenæum Lugdunenſis Eccleſiæ Epiſcopum, ſcribit Hieronymus, in catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum, cap. 45. ubi etiam ait; Conſtat autem Polycarpi ſacerdotis & martyris hunc fuiſſe diſcipulum. Hæc Hieronymus, de Irenæo. de quo etiam Theodoretus, dialogo. 1. qui Immutabilis inſcribitur: Et Irenæum (inquit,) cui, ut Polycarpi doctrinâ frueretur, contigit: Occidentalium autem Gallorum lumen fuit. Et lib. 1. hæreticarum fabularum, cap. de Carpocrate. Irenæum vocat virum Apoſtolicum, eumque ait illuminâſſe Occidentem. vide plura de Irenæo, cap. 37. hujus libri, §. 6.

## CAPUT QUARTUM.

*Quatuor Symbola; videlicet Antiochenum, Nicænum, Conſtantinopolitanum, & Athanaſii: unà cum excerptis quibuſdam ad doctrinæ hujus illuſtrationem ſpectantibus, ex Athanaſii Epiſtolâ de fide ad Iovinianum Imp. ejuſdemque libro, cui titulus eſt,* ἔκθεσις πίστεως: *& ex Synodali epiſtola Patrum Concilii Conſtantinopolitani.*

Περὶ τῆς ἐνανθρωπήσεως τοῦ Θεοῦ λόγου, τοῦ υἱοῦ τοῦ πατρός. ὅρος ἐπισκόπων, τῶν ἐν Ἀντιοχείᾳ συναχθέντων ἐν τῇ συνόδῳ. καὶ ἔκθεσις τῆς αὐτῆς συνόδου πρὸς Παῦλον Σαμοσατέα. Anno Dom. 272.

Symbolum Antiochenum. Ὁμολογοῦμεν τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν ἐκ τοῦ πατρὸς κατὰ πνεῦμα πρὸ αἰώνων γεννηθέντα, ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν ἐκ παρθένου κατὰ σάρκα τεχθέντα, ἓν πρόσωπον σύνθετον ἐκ θεότητος οὐρανίου, καὶ ἀνθρωπίνης σαρκὸς καὶ κατὰ τὸ ἄνθρωπος, ἓν, καὶ ὅλον Θεὸν, καὶ ὅλον ἄνθρωπον· ὅλον Θεὸν καὶ μετὰ τοῦ σώματος, ἀλλ' οὐχὶ κατὰ* σῶμα Θεόν· καὶ ὅλον ἄνθρωπον μετὰ τῆς θεότητος, ἀλλ' οὐχὶ κατὰ τὴν θεότητα ἄνθρωπον· οὕτως ὅλον προσκυνητὸν καὶ μετὰ τοῦ σώματος, ἀλλ' οὐχὶ κατὰ τὸ σῶμα προσκυνητόν· ὅλον προσκυνοῦντα καὶ μετὰ τῆς θεότητος, ἀλλ' οὐχὶ κατὰ τὴν θεότητα προσκυνοῦντα· ὅλον ἄκτιστον καὶ μετὰ τοῦ σώματος, ἀλλ' οὐχὶ κατὰ τὸ σῶμα ἄκτιστον· ὅλον πλαστὸν καὶ μετὰ τῆς θεότητος, ἀλλ' οὐχὶ κατὰ τὴν θεότητα πλαστόν· ὅλον ὁμοούσιον Θεῷ καὶ μετὰ τοῦ σώματος, ἀλλ' οὐχὶ κατὰ* σῶμα ὁμοούσιον τῷ Θεῷ· ὥσπερ οὐδὲ κατὰ τὴν θεότητα ὁμοούσιον ἀνθρώποις, ἀλλὰ κατὰ σάρκα ἡμῖν ὁμοούσιος ὢν καὶ κατὰ τὴν θεότητα ὁμοούσιος τῷ πατρί. Καὶ γὰρ ὅταν λέγωμεν αὐτὸν κατὰ πνεῦμα Θεῷ ὁμοούσιον, οὐ λέγομεν κατὰ πνεῦμα ἀνθρώποις ὁμοούσιον· καὶ πάλιν, ὅταν κηρύττωμεν αὐτὸν κατὰ σάρκα ἀνθρώποις ὁμοούσιον, οὐ κηρύττομεν αὐτὸν κατὰ σάρκα ὁμοούσιον Θεῷ· ὥσπερ γὰρ κατὰ πνεῦμα ἡμῖν οὐκ ἔστιν ὁμοούσιος, ἐπειδὴ Θεῷ ἐστι κατὰ τοῦτο ὁμοούσιος, οὕτως οὐδὲ κατὰ σάρκα ἐστὶ Θεῷ ὁμοούσιος, ἐπειδὴ ἡμῖν ἐστι κατὰ ταύτην ὁμοούσιος. ὥσπερ δὲ ταῦτα διαστέλλομεν, καὶ σαφηνίζομεν, οὐκ εἰς διαίρεσιν τοῦ ἑνὸς ἀδιαιρέτου προσώπου, ἀλλ' εἰς δήλωσιν τοῦ ἀσυγχύτου τῶν ἰδιωμάτων τῆς σαρκὸς, καὶ τοῦ λόγου, οὕτω καὶ τὰ τῆς ἀδιαιρέτου συνθέσεως ἀσπαζόμεθα. id eſt:

* κατὰ τό.

* κατὰ τό.

*De incarnatione Verbi Dei, & Filii Patris, definitio Epiſcoporum qui Antiochiæ in Synodo convenerunt, & expoſitio ejuſdem Synodi adverſus Paulum Samoſatenum.*
Anno Dom. 272.

Confitemur Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ex Patre quidem ſecundum Spiritum ante ſecula genitum, noviſſimis verò diebus ex Virgine ſecundùm carnem natum; unam perſonam compoſitam ex cœleſti divinitate & humanâ carne; ſecundùm quod homo eſt, unum. Et totum Deum & totum hominem: totum Deum etiam cum corpore, ſed non ſecundùm corpus, Deum. totum etiam hominem cum divinitate, ſed non ſecundùm divinitatem, hominem. Sic totum adorabilem etiam cum corpore, ſed non ſecundùm corpus adorabilem. Totum adorantem etiam cum divinitate, ſed non ſecundùm divinitatem adorantem. Totum increatum etiam cum corpore, ſed non ſecundùm corpus increatum. Totum formatum etiam cum divinitate, ſed non ſecundùm divinitatem formatum. Totum Deo conſubſtantialem etiam cum corpore, ſed non ſecundùm corpus conſubſtantialem Deo: quemadmodum neque ſecundùm divinitatem hominibus coëſſentialis eſt; quamvis nobis ſecundùm carnem coëſſentialis, etiam cum divinitate exſiſtens. Etenim cùm illum ſecundùm Spiritum Deo conſubſtantialem dicimus, non dicimus hominibus ſecundùm Spiritum coëſſentialem. Contra autem, cùm illum ſecundùm carnem hominibus coëſſentialem prædicamus, non prædicamus illum ſecundùm carnem Deo conſubſtantialem. Sicut enim ſecundùm Spiritum nobis coëſſentialis non eſt; quia ſecundùm hunc Deo conſubſtantialis eſt: ita neque Deo ſecundùm carnem conſubſtantialis eſt; quia ſecundùm hanc nobis eſt coëſſentialis. Quemadmodum autem hæc diſtincta & declarata ſunt non ad inducendam unius indiviſæ perſonæ diviſionem, ſed ad denotandam proprietatum Verbi & carnis minimè confuſam diſtinctionem: ita & illa, quæ ad indiviſam unionem compoſitionemve pertinent, prædicamus.



*Confeſſio fidei edita à tercentum & octodecim Patribus in Concilio Nicæno primo œcumenico contra Arium & alios Hæreticos, anno Dom. 325. Imperat. Conſtantino Magno: prout exſtat in Epiſtola ſancti Athanaſii de fide, ad Iovianum Imperatorem.*

Symbolum Nicænum. 2. Πιστεύομεν εἰς ἕνα Θεὸν πατέρα παντοκράτορα, πάντων ὁρατῶν τε καὶ ἀοράτων ποιητήν. καὶ εἰς ἕνα κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, γεννηθέντα ἐκ τοῦ πατρὸς μονογενῆ, τουτέστιν, ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς, Θεὸν ἐκ Θεοῦ, φῶς ἐκ φωτὸς, Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ, γεννηθέντα, οὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ πατρί. δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο, τά τε ἐν τῷ οὐρανῷ καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς. τὸν δι' ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν κατελθόντα, σαρκωθέντα, ἐνανθρωπήσαντα, παθόντα, καὶ ἀναστάντα τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανοὺς, ἐρχόμενον κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς. καὶ εἰς τὸ ἅγιον πνεῦμα. τοὺς δὲ λέγοντας, ἦν ποτε ὅτε οὐκ ἦν, καὶ πρὶν γεννηθῆναι οὐκ ἦν, καὶ ὅτι ἐξ οὐκ ὄντων ἐγένετο, ἢ ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως ἢ οὐσίας φάσκοντας εἶναι, ἢ κτιστὸν, ἢ τρεπτὸν, ἢ ἀλλοιωτὸν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, τούτους ἀναθεματίζει ἡ καθολικὴ καὶ ἀποστολικὴ ἐκκλησία. id eſt.

Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium viſibilium & inviſibilium effectorem. Et in unum Dominum Ieſum Chriſtum, Filium Dei, genitum à Patre unigenitum, hoc eſt, ex Patris ſubſtantia, Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, conſubſtantialem Patri: per quem omnia facta ſunt, quæ in Cœlo & quæ in terra: qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlo, incarnatus eſt, homo factus eſt, paſſus eſt, reſurrexit tertiâ die, aſcendit ad Cœlos, venturus eſt judicare vivos & mortuos. Et in Spiritum Sanctum. Illis autem qui dicunt, tempus fuiſſe cùm Filius Dei non erat, & non antè fuiſſe quàm naſceretur, & ex nihilo ortum eſſe, aut ex alia ſubſiſtentiâ vel ſubſtantiâ quàm Patris conſtare, vel creatum eſſe, vel poſſe converti mutarive; Catholica, & Apoſtolica Eccleſia indicit anathema.

Exegeſis Athanaſiana. 3. Recitato hoc Symbolo, ſubjungit in illa ſuâ ad Jovinianum Imperatorem epiſtolâ Athanaſius hanc brevem exegeſin: οὐ γὰρ ἁπλῶς ὅμοιον εἴρηκεν τὸν υἱὸν τῷ πατρί, ἵνα μὴ ἁπλῶς ὅμοιος Θεῷ, ἀλλ' ἐκ Θεοῦ Θεὸς ἀληθινὸς πιστεύηται· ἀλλ' ὁμοούσιον ἔγραψαν, ὅπερ ἴδιον ἦν γνησίου καὶ ἀληθινοῦ υἱοῦ, ἀληθινοῦ καὶ φύσει τοῦ πατρός. ἀλλ' οὐδὲ ἀπηλλοτρίωσαν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἀπὸ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ, ἀλλὰ μᾶλλον συνεδόξασαν αὐτὸ τῷ πατρὶ καὶ τῷ υἱῷ, ἐν τῇ μιᾷ τῆς ἁγίας τριάδος πίστει, διὰ τὸ καὶ μίαν εἶναι ἐν τῇ ἁγίᾳ τριάδι θεότητα. id eſt,

Neque levi aut ſimplici ratione Filium Patri ſimilem eſſe aſſeveravit Synodus, aſt eum, ne ex levi re Deo ſimilis, ſed verus ex Deo Deus haberetur, conſubſtantialem eſſe ſcripto tradidit, quod proprium eſt genuini & veri Filii, veri & naturalis Patris: ſed nec alienavit Spiritum Sanctum à Patre & Filio; ſed eum unà glorificavit cum Patre & Filio, in una Sanctæ Trinitatis fide, eò quòd una ſit in ſancta Trinitate Deitas.

*Symbolum Concilii Conſtantinopolitani, quod fuit œcumenicum ſecundum, imperante Theodoſio ſeniore, contra hæreſin Macedonii Pneumatomachi, Epiſcopi Conſtantinopolitani, aliaſque hæreſes. Anno Dom. 381.*

Symbolum Conſtantinopolitanum. 4. Πιστεύομεν εἰς ἕνα Θεὸν πατέρα παντοκράτορα, ποιητὴν οὐρανοῦ καὶ γῆς, ὁρατῶν τε πάντων καὶ ἀοράτων. καὶ εἰς ἕνα κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ τὸν μονογενῆ, τὸν ἐκ τοῦ πατρὸς γεννηθέντα πρὸ πάντων τῶν αἰώνων, φῶς ἐκ φωτὸς, Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ, γεννηθέντα οὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ πατρί. δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο· τὸν δι' ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν κατελθόντα ἐκ τῶν οὐρανῶν, καὶ σαρκωθέντα ἐκ πνεύματος ἁγίου, καὶ Μαρίας τῆς παρθένου, καὶ ἐνανθρωπήσαντα. σταυρωθέντα τε ὑπὲρ ἡμῶν ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου, καὶ παθόντα, καὶ ταφέντα, καὶ ἀναστάντα τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ κατὰ τὰς γραφάς. καὶ ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανοὺς, καὶ καθεζόμενον ἐκ δεξιῶν τοῦ πατρὸς, καὶ πάλιν ἐρχόμενον μετὰ δόξης κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς. οὗ τῆς βασιλείας οὐκ ἔσται τέλος. καὶ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ κύριον, τὸ ζωοποιὸν, τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον, τὸ σὺν πατρὶ καὶ υἱῷ συμπροσκυνούμενον, καὶ συνδοξαζόμενον, τὸ λαλῆσαν διὰ τῶν προφητῶν. εἰς μίαν ἁγίαν καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν ἐκκλησίαν. ὁμολογοῦμεν ἓν βάπτισμα εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. προσδοκῶμεν ἀνάστασιν νεκρῶν, καὶ ζωὴν τοῦ μέλλοντος αἰῶνος. Ἀμήν. id eſt.

Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli ac terræ, viſibiliumque omnium & inviſibilium. Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum, Filium Dei unigenitum, ex Patre genitum ante omnia ſecula: lumen ex lumine; Deum verum ex Deo vero, genitum, non factum, conſubſtantialem Patri: per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt ex Spiritu Sancto & Mariâ Virgine, & homo factus eſt. qui pro nobis crucifixus eſt ſub Pontio Pilato, & paſſus eſt, & ſepultus, & reſurrexit tertiâ die ſecundum ſcripturas: & aſcendit in cœlos, & ſedet à dextris Patris, & rurſum venturus eſt cum gloria ad judicandum vivos & mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum, vivificatorem, ex Patre procedentem, qui cum Patre & Filio ſimul adoratur & ſimul glorificatur, qui loquutus eſt per Prophetas. In unam ſanctam catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam. Confitemur unum baptiſma, in remiſſionem peccatorum. Exſpectamus re-

ſurrectionem mortuorum, & vitam futuri ſeculi. Amen.

5. Patres Concilii hujus œcumenici ſecundi, cùm canones pro recta Eccleſiæ adminiſtratione conſcripſiſſent, ſtatuiſſentque ut fidei formula in Concilio Nicæno edita, firma ac ſtabilis maneret; & Nectarium Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, Flavianum verò Antiochenæ, Epiſcopos canonicè conſtituiſſent; reverterunt ſinguli in ſuam quiſque Patriam. Sequenti autem æſtate plurimi eorum ad eandem urbem denuò regreſſi (neceſſaria enim Eccleſiæ negotia eos illò revocaverunt,) epiſtolam à Concilio Epiſcoporum in Occidente coactorum accepere: quæ illos hortabatur, ut Romam, ubi jam maximus Epiſcoporum cœtus congregatus erat, accederent. At tam longum iter ſuſcipere, cùm nihil inde lucri ſe facturos putarent, omnino recuſarunt illi quidem, ſed tamen ſcripſerunt epiſtolam, quà tum tempeſtatem contra Eccleſias excitatam eis ſignificabant, tum illorum ſubnotabant in ea re negligentiam, tum denique doctrinam Apoſtolicam ſummatim proponebant. Hæc refert Theodoretus, lib. 5. hiſt. Eccleſ. cap. 8. qui eandem Patrum illorum epiſtolam ſubnectit cap. 9. ex qua epiſtola hæc, quæ ſequuntur, depromſimus.

*Nectarius Conſtantinop. Flavianus Antioch. Epiſcopi.*

*Ex libello Synodico à Patribus Concilii Conſtantinopolitani ad Damaſum, Ambroſium, alioſque Epiſcopos in urbe Româ convocatos miſſo. prout exſtat apud Theodoretum, Hiſt. Eccleſ. lib. 5. cap. 9.*

6 [illegible] (1) [illegible] (2) [illegible] (3) [illegible] id eſt:

*[illegible]*

Nos enim perſecutionum procellas, cruciatus, minas Imperatorias, crudelem Magiſtratuum violentiam, aliarumque rerum incommodarum tentationes, quas ab hæreticis ſuſtinuimus pro fide Euangelica, à 318. ſanctis Patribus Nicææ urbis Bithyniæ confirmatâ, ſuſtinuimus. Etenim iſta fides cùm à vobis, tum à nobis, tum ab omnibus qui verbum veræ fidei non pervertunt, approbari debet: quippe cùm & antiquiſſima ſit, & lavacro baptiſmatis, quo tincti ſumus, conſentanea: & nos doceat credere in nomen Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, hoc eſt, in divinitatem, potentiam & ſubſtantiam unam Patris & Filii & Spiritûs Sancti, æqualem dignitatem, & coæternum regnum in tribus perfectis hypoſtaſibus, id eſt, in tribus perfectis perſonis: adeò ut neque quicquam loci detur peſtiferæ Sabellii hæreſi, quâ confunduntur perſonæ, hoc eſt, proprietates earum tolluntur: neque blaſphemia Eunomianorum, Arianorum, aut eorum, qui Spiritum Sanctum oppugnant, quicquam habeat ponderis: quæ quidem eſſentiam, naturam & divinitatem Trinitatis diſcindit; & ei, quæ nec creata eſt, & conſubſtantialis eſt, & coæterna eſt, naturam poſteriùs genitam, aut creatam, aut quæ ſit alterius eſſentiæ, tribuit. Nos autem doctrinam etiam Dominicæ Incarnat. integram & perfectam tenemus: & neque œconomiam carnis Chriſti vel Animæ vel mentis expertem, vel imperfectam eſſe aſſerimus. Sed agnoſcimus verbum Dei ante ſecula omnino perfectum eſſe, & perfectum Hominem in noviſſimis diebus pro noſtra ſalute factum eſſe. Atque iſta de fide à nobis liberè ingenuèque prædicatâ ſummatim diſſeruimus. de quibus pleniorem cognitionem animis poteritis percipere, ſi libellum à Concilio Antiochiæ convocato de fidei deciſione editum, & eum etiam, qui ſuperiore anno Conſtantinopoli à Concilio generali compoſitus eſt, legere placuerit: in quibus tum fidem noſtram uberiùs expoſuimus, tum hæreſibus nuper excogitatis anathema ſcriptis proditum denunciavimus.

De hac epiſtola Synodicâ ſic loquitur Theodoretus, loco citato: [illegible] id eſt:

*Hæreticorum [illegible]*

Hæc contra Arii, Aetii & Eunomii inſaniam, quin etiam contra Sabellii, Photini, Marcelli, Pauli Samoſateni & Macedonii amentiam ſcripſerunt. Simili ratione & novæ Apollinaris doctrinæ palàm anathema indixerunt.

*Symbolum ſancti Athanaſii de fide Catholica, vulgo in Eccleſia receptum.*

*Symbolum Athanaſ.*

7. [illegible]

Quicumque vult ſalvus eſſe, ante omnia opus eſt ipſi, ut teneat Catholicam fidem: quam niſi quiſque integram inviolatamque ſervaverit, abſque dubio in æternum peribit. Fides autem Catholica hæc eſt: Ut unum Deum in Trinitate, & Trini-



tatem in unitate veneremur: neque confundentes perſonas, neq; ſubſtantiam ſeparantes. Alia enim eſt perſona Patris; alia Filii; alia Spiritûs Sancti: ſed Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti una eſt divinitas, æqualis gloria, & coæterna majeſtas. Qualis Pater; talis Filius: talis Spiritus Sanctus. Increatus Pater; increatus Filius; increatus Spiritus Sanctus. Immenſus Pater; immenſus Filius; immenſus Spiritus Sanctus: æternus Pater, æternus Filius; æternus Spiritus Sanctus. Et tamen non tres æterni; ſed unus æternus: ſicuti non tres increati, nec tres immenſi; ſed unus increatus, & unus immenſus. Similiter, Omnipotens Pater; omnipotens Filius; omnipotens Spiritus Sanctus: & tamen non tres omnipotentes; ſed unus omnipotens. Ita Deus Pater; Deus Filius; Deus Spiritus Sanctus: & tamen non tres Dei; ſed unus eſt Deus. Ita Dominus Pater; Dominus Filius; Dominus Spiritus Sanctus: & tamen non tres Domini; ſed unus eſt Dominus. Quia ſicut ſigillatim unamquamque perſonam Deum aut Dominum confiteri, Chriſtianâ veritate compellimur: ita tres Deos aut Dominos dicere, Catholicâ religione prohibemur. Pater à nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus: Filius à Patre ſolo eſt, non factus, nec creatus; ſed genitus ex Patre: Spiritus Sanctus à Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus eſt; ſed procedens. Unus ergo Pater; non tres Patres: unus Filius; non tres Filii: unus Spiritus Sanctus; non tres Spiritus Sancti. Et in hac Trinitate nihil prius aut poſterius; nihil majus aut minus: ſed totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales. Ita ut per omnia (ſicut jam ſuprà dictum eſt,) & unitas in Trinitate; & Trinitas in unitate veneranda ſit. Qui vult ergo ſalvus eſſe, ita de Trinitate ſentiat. Sed neceſſarium eſt ad æternam ſalutem, ut incarnationem quoque Domini noſtri Ieſu Chriſti fideliter credat. Eſt ergo fides recta: ut credamus & confiteamur, quia Dominus noſter Jeſus Chriſtus Dei Filius, Deus & Homo eſt. Deus eſt ex ſubſtantiâ Patris ante ſecula genitus: Homo ex ſubſtantia matris in ſeculo natus. Perfectus Deus, perfectus homo ex Anima rationali & humanâ carne ſubſiſtens. Æqualis Patri, ſecundùm divinitatem: minor Patre, ſecundùm humanitatem. Qui licet Deus ſit & homo: non duo tamen, ſed unus eſt Chriſtus. Unus autem: non converſione divinitatis in carnem; ſed aſſumtione humanitatis in Deum. Unus omnino: non confuſione ſubſtantiæ; ſed unitate perſonæ. nam ſicut Anima rationalis & caro unus eſt homo: ita Deus & homo unus eſt Chriſtus. Qui paſſus eſt pro ſalute noſtra: deſcendit ad Inferos: tertiâ die reſurrexit à mortuis: aſcendit ad Cœlos: ſedet ad dextram Dei Patris Omnipotentis; inde venturus eſt judicare vivos & mortuos. Ad cujus adventum omnes homines reſurgere habent cum corporibus ſuis, & reddituri ſunt de factis propriis rationem. Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam; qui verò mala, in ignem æternum. Hæc eſt fides Catholica! Quam niſi quiſque fideliter, firméque crediderit, ſalvus eſſe non poterit.

[illegible] id eſt:

*Ex libro ſancti Athanaſii Epiſcopi Alexandrini; qui inſcribitur* ἔκθεσις πίστεως, id eſt, *expoſitio fidei.*

*Alia confeſſio Athanaſi.*

8. [illegible]

Credimus in unum ingenitum Deum Patrem omnipotentem, omnium Creatorem, viſibilium pariter & inviſibilium, qui ex ſe habet quod eſt. Et in unum unigenitum Verbum, ſapientiam,

[illegible] id eſt:

Filium ex Patre initialiter & perpetuò genitum. Verbum porrò non elocutione pronunciatum, aut cogitatione in animo conceptum; non derivatum à perfecto, neque item ſegmentum aut partem impatibilis illius naturæ, neque quod inde productum ſit, aut emanaverit: ſed Filium perfectum, viventem, vi agendi præditum, veram imaginem Patris, honore parem, & gloria æqualem, hæc enim eſt, inquit, voluntas Patris, ut quemadmodum venerantur Patrem, ita quoque venerentur & Filium; Deum verum, ex Deo vero; ut inquit in ſua Catholicâ Joannes: *& ſumus in vero Filio ejus Ieſu Chriſto; hic eſt verus Deus, & vita æterna.* omnipotentem ex omnipotente: omnibus enim, quibus imperat & dominatur Pater, imperat & dominatur quoque Filius. Totus ex toto, ſimilis Patri; ut & Dominus teſtatur: *Qui videt me, videt & Patrem meum.* Genitus autem eſt ineffabiliter & incomprehenſibiliter. *Generationem enim ejus quis enarrabit?* quod idem eſt, ac ſi diceret, *Nullus.* Qui in conſummatione ſeculorum deſcendens è ſinu Patris, ex impolluta Maria Virgine noſtrum aſſumſit hominem Jeſum Chriſtum, quem pro nobis paſſioni tradidit, ſponte ac ſuâ ipſius voluntate, ut ait Dominus: *Nemo tollit animam meam à me: poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo ſumendi illam ipſam.* In quo homine cruci affixus, & mortuus pro nobis, reſurrexit à mortuis, aſſumtuſque eſt in Cœlum. ------ Quò præcurſor introiit pro nobis homo Dominicus: in quo homine judicaturus eſt vivos & mortuos. Credimus itidem in Spiritum Sanctum, omnia ſcrutantem, etiam profunda Dei. Anathematizantes omnia huic doctrinæ adverſantia dogmata. Neque enim *Filio-patrem* eum eſſe ſentimus, ut Sabelliani, qui dicunt eum unius ſubſtantiæ, non conſubſtantialem: eo ipſo tollentes Filium. Neque patibile corpus, quod Filius geſtavit pro univerſi mundi ſalute, Patri attribuimus: neque tres ſubſtantias ſeorſum diſtinctas, ut corporaliter in hominibus fit, cogitamus, ne Deorum pluralitatem ad inſtar gentium ſapere videamur.

Ioan. 5. 23. — 1. Ioan. 5. 20. — Ioan. 14. 9. — Eſai. 53. 8. — Ioan. 10. 18.

## CAPUT QUINTUM.

### *Unus Deus Trinitas.*

PAter ingenitus, & Filius unigenitus, & Spiritus Sanctus ex Patre Filioque procedens; Hæc ſancta & individua & conſubſtantialis Trinitas, eſt unus & ſolus verus Deus. Deut. 6, 4. Eſai. 45, 5. Matth. 3, 16. 17. & 4, 10. & 28, 19. 1. Joan. 5, 7. &c.

2. [illegible] id eſt: Unus igitur revera eſt Deus, qui in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto cognoſcitur. ---- Ingenitum & genitum & procedens, non eſſentiæ nomina ſunt, ſed exſiſtentiæ modi: moduſque exſiſtentiæ nominibus hiſce denotatur. Eſſentiæ autem ſignificatio, nomine Dei deſignatur. Ita ut ſit differentia Patri ad Filium & Spiritum, juxta exſiſtentiæ modum: unitas autem ſive identitas, juxta eſſentiæ rationem. Hæc antiquus ille ſcriptor *Expoſitionis fidei*, quæ Juſtino Martyri tribuitur. [illegible] inquit Epiphanius in Ancorato, § 2. Idem etiam eodem lib. § 6. docet ita loquendum eſſe de conſubſtantialitate, ut Filius dicatur, [illegible], quaſi extra Patrem genitus, (ut quidam cavillabantur,) [illegible].

3. Athanaſius de recto ſenſu vocabuli [illegible] nos admonet, lib. de Synodi Nicænæ decretis contra hæreſin Arianam, poſt medium: [illegible] id eſt: Quando audimus conſubſtantialem, nequaquam delabentes ad humanos ſenſus, partitiones & diviſiones Deitatis cogitemus: ſed tanquam de incorporalibus agitantes, unitatem naturæ & identitatem lucis non dividamus.

*De recto ſenſu vocabuli* [illegible]

4. Gregorius Nazianzenus, Orat. 29. quæ eſt prima oratio de dogmate: [illegible] id eſt: Audis generationem; de modo ne ſis curioſus: Audis Spiritum ex Patre procedere; quomodo id fiat, ne curioſè indages! Utitur ibidem Gregorius ſimilitudine oculorum, qui nimis audacter & curioſè Solem intuentes, ab ejuſdem radiis occæcantur. Ambroſius; abſque ullo (inquit) principio & fine credenda eſt ſanctæ Trinitatis Divinitas, licet humanæ ſit menti ipſa comprehenſione difficilis. Unde non incongruè dicitur, quòd hoc ſolum ex ea comprehendimus; quia comprehendi non poteſt. Hæc Ambroſ. in ſymb. Apoſt. cap. 2. & poſtea ejuſdem tractatûs cap. 10. ait: Fides non ſit in hominum ſapientia; & hæreſis non erit. Et Zeno Epiſcopus Veronenſis: Nec intelligunt (inquit) miſeri, quoniam curioſitas reum efficit, non peritum. Hæc Zeno, Serm. 2. de æterna Filii generatione. [illegible] inquit Baſilius Magnus, Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus, homil. 25. quæ eſt, *de humana Chriſti generatione.* Et Autor *Expoſitionis fidei*, quæ Juſtino tribuitur, ait: [illegible] id eſt: Manifeſtum eſt argumentum incredulitatis, dicere de Deo, *quomodo?* Humanæ infirmitatis (inquit Hilarius) religioſa confeſſio eſt, ex Deo hoc ſolum nôſſe, quod Deus eſt. Cæterùm ſecreta illa & profunda imperſpicabilis judicii decreta mens terrena non penetrat. Inveſtigare quidem ea perſcrutarique pium eſt; ſed inſcrutabilia eſſe & inveſtigabilia confitenda ſunt: quorum eſt alterum religioſæ voluntatis, alterum imperſpicabilis naturæ. Hæc Hilarius Epiſcopus Pictavienſis, in Pſal. 129. (ſeu juxta Ebr. 130.) Greg. Nazianzenus ait, orat. 39. in ſancta Lumina: [illegible] id eſt: Pater eſt Pater, & ſine principio: non enim ex aliquo. Filius eſt Filius, & non ſine principio: ex Patre enim. Si verò quod à tempore eſt ſumis principium; & ſine principio eſt Filius: factor enim temporum non ſubjacet tempori. Spiritus Sanctus verè eſt Spiritus ille, procedens quidem ex Patre, non autem filialiter; neque enim per generationem, ſed proceſſionaliter ſive per proceſſionem. Si oporteat nova adhibere vocabula, perſpicuitatis cauſâ.

*Sit reliquum ſanctiſſimæ Trinitatis imperſcrutabile myſterium*

Non [illegible], ſed [illegible].



5. Idem Nazianzenus, orat. 32. quam habuit coram centum & quinquaginta Epiſcopis, in Concilio Conſtantinopolitano, œcumenico ſecundo, anno Domini, 381. [illegible] id eſt:

Credimus in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, ejuſdem eſſentiæ & ejuſdem gloriæ: in quibus & baptiſma perfectionem habet, quod tum in nominibus, tum in rebus (nôſti qui initiatus es) abnegatio eſt Atheiſmi, & confeſſio Deitatis. & ſic perficimur: cognoſcentes unum quidem eſſentiâ & impartibilitate adorationis; tria autem ſubſiſtentiis, ſive perſonis, (ut quidam loqui amant:) neque enim qui circa hæc digladiantur, ſe indecorè gerant, ac ſi in nominibus ſita eſſet noſtra religio; non autem in rebus. Quid enim? dicite, vos qui tres ſubſiſtentias infertis; numquid tres ſubſtantias exiſtimantes, hoc dicitis? omnino autem novi exclamaturos vos, contra eos qui ſic exiſtimarent: unam enim eandemque trium docetis. Quid autem, qui tres perſonas? num unum, quaſi compoſitum quid, effingitis, & tres habens facies, vel omnino formam humanam? apage! Et vos ex adverſo clamabitis: neque faciem Dei, quæcunque illa ſit, videat unquam, qui ſic ſentit! quid igitur vobis volunt hypoſtaſes, ſive ſubſiſtentiæ, vel vobis proſopa ſive perſonæ? Interrogabo enim inſuper. Tria eſſe diſtincta, non naturis, ſed proprietatibus. egregiè! Quomodo ulli magis conſonent & idipſum dicant, quàm qui ſic ſentiunt, etiamſi in ſyllabis diſcrepent? videte, qualis ego vobis conciliator exſtiterim, ad intellectum ducens à litera, tanquam Vetus & Novum Teſtamentum componens! Sed redeundum mihi eſt ad eundem ſermonem. Ingenitus, igitur, & genitus, & procedens dicantur & intelligantur, ſi cui placet fabricare vocabula. Non enim metuemus, ne quando intelligantur corporaliter, quæ ſunt incorporea: quod videtur Calumniatoribus Deitatis. Idem etiam Nazianzenus, oratione 29. ait: [illegible] id eſt: Oportet & unum Deum tenere, & tres hypoſtaſes confiteri, ſive tres perſonas: & quidem unamquamque cum ſua proprietate. Item, orat. 35. quæ eſt prima de Filio, & tertia de Theologia: [illegible] id eſt: Unitas à principio in binarium mota, in trinitate conſtitit. Atque hoc nobis eſt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Pater quidem genitor, & productor, citra tamen ullam paſſionem, atque intemporaliter, & incorporaliter: horum autem, alter ſoboles; alter ſpiratione productus. Aut quibus verbis hæc quiſpiam vocare queat, neſcio, ab eis quæ ſub oculorum ſenſum cadunt, prorſus abſtracta. Idem, orat. 24. in Ægyptiorum adventum: [illegible] id eſt: Quidquid Pater habet, idem, exceptâ cauſâ ſeu principio, Filii eſt: quidquid item Filius habet, idem quoque Spiritûs Sancti eſt; ſi filietatem, eaque omnia exceperis, quæ corporeâ ratione de eo prædicantur,

[illegible] vide cap. 10. § 1. — vide ſupra cap. 2. § 8. — *Ingenitus, & Genitus, & procedens.*

cantur, propter me hominem, meamque ſalutem.

6. Ambroſius in ſymbolum Apoſtolorum, cap. 1. Deus Pater coæternum ſibi & coomnipotens genuit Verbum, cum quo Spiritum Sanctum produxit. Et cap. 2. Ita ergo rectum & Catholicum eſt, ut & unum Deum ſecundùm unitatem ſubſtantiæ fateamur; & Patrem & Filium & Spiritum Sanctum in ſua quemque ſubſiſtentiâ ſentiamus. Et Auguſtinus ait: In Trinitate quæ Deus eſt, & Pater Deus eſt; & Filius Deus eſt; & Spiritus Sanctus eſt: & ſimul hi tres unus Deus. Nec hujus Trinitatis tertia pars eſt unus, nec major pars duo quàm unus eſt ibi, nec majus aliquid ſunt omnes quàm ſinguli. ---- Pater & Filius & Spiritus Sanctus, & propter individuam Deitatem unus Deus eſt, & propter uniuscujuſque proprietatem tres perſonæ ſunt, & propter ſingulorum perfectionem partes unius Dei non ſunt. Hæc Auguſtinus, lib. 3. contra Maximinum Arianorum Epiſcopum, cap. 10. Idem etiam, eodem libr. cap. 12. Abſit autem, (inquit) ut, quomodo putas, ideo ſit potentior Pater Filio; quia Creatorem genuit Pater, Filius autem non genuit Creatorem: neque enim non potuit, ſed non oportuit. Immoderata enim eſſet divina generatio, ſi genitus Filius nepotem gigneret Patri: quia & ipſe nepos, niſi avo ſuo pronepotem gigneret, ſecundum veſtram mirabilem ſapientiam, impotens diceretur. Nec impleretur generationis ſeries, ſi ſemper alter ex altero naſceretur: nec eam perficeret ullus, ſi non ſufficeret unus omnipotens. Itaque omnipotentem genuit Filium; quoniam quæcunque Pater facit, hæc & Filius facit ſimiliter. Hæc ibi. Idem quoque, lib. 15. de Trinitate, cap. 23. Verùm in illa ſumma Trinitate, quæ incomparabiliter rebus omnibus antecellit, tanta eſt inſeparabilitas, ut cùm Trinitas hominum non poſſit dici unus homo, in illa unus Deus & dicatur, & ſit: nec in uno Deo ſit illa trinitas; ſed unus Deus. Hæc Auguſtinus. vide cap. 33. hujus libri.

*Subſiſtentia.* — *Individua Deitas.* — *Tres perſonæ partes unius Dei non ſunt.* — *Refellitur cavillatio Ariana.* — *Trinitas unus Deus.*

## CAPUT SEXTUM,

### *De Spiritûs Sancti proceſſione à Patre & Filio.*

Quicunque Spiritum Sanctum agnoſcunt eſſe verum Deum, Patri & Filio conſubſtantialem, ſicut revera eſt; ii omnes confitentur Spiritum Sanctum procedere à Patre, & quidem ἀμέσως: quia Filius eum deſcribit, quod procedat à Patre. Joan. 15. 26. Procedere verò illum etiam à Filio, tanquam principio & origine hypoſtaſeos Spiritûs Sancti, negat Theophylactus in cap. 3. Euang. Joan. Theophylactum hunc Cardinalis Baronius docet floruiſſe circa annum Domini milleſimum ſeptuageſimum primum. Ab illo tempore manſit diſſenſio inter Græcos Theophylacti ſententiam ſequentes, & Latinos omneſque occidentales verè antiquorum Patrum doctrinæ adhærentes; præeunte ipsâ divina Scripturâ, eodem illo loco Euangelii Joannis, cap. 15. verſ. 26. ubi ait Salvator: Cùm autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre; Spiritus ille veritatis, qui à Patre procedit. Et cap. 16. 13. 14. 15. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, ducet vos in omnem veritatem. Non enim loquetur à ſemetipſo: ſed quæcunque audierit, loquetur; & quæ ventura ſunt, annunciabit vobis. Ille me glorificabit; quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Omnia quæcunque habet Pater, mea ſunt: propterea dixi, illum de meo accepturum, & annunciaturum vobis. Hinc patet Spiritum Sanctum mitti, audire, accipere à Filio. Audit autem atque accipit Spiritus Sanctus Deus de Deo, non niſi procedendo proceſſione quoad originem: non enim naturam creatam aſſumſit, ſicut ὁ λόγος, in quâ acciperet temporaliter. Mitti autem perſona divina dicitur ſecundùm modum originis: nempe Filius à Patre; & Spiritus Sanctus à Patre & Filio. Vide infrà, cap. 26. hujus libri; ubi de Dei adventu & miſſione. Subjiciam nunc quædam antiquorum Patrum teſtimonia, de proceſſione Spiritus Sancti à Patre & Filio.

2. Athanaſius in ſymbolo: ὁ υἱὸς ἀπὸ μόνου τοῦ πατρός ἐστιν, οὐ ποιηθεὶς, οὐδὲ δημιουργηθεὶς, ἀλλὰ γεννηθεὶς ἐκ τοῦ πατρός, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἀπὸ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ, οὐ ποιηθὲν, οὐτε δημιουργηθὲν, οὔτε γεννηθὲν, ἀλλ' ἐκπορευτόν. Filius à ſolo Patre eſt, non factus, nec creatus; ſed genitus ex Patre: Spiritus Sanctus à Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus eſt; ſed procedens.

*Theophylactus.* — *Argumenta ex Sacra Scriptura.* — *Teſtimonia antiquorum Patrum.*

3. Epiphanius, hæreſ. 62. contra Sabellianos, §. 4. Semper cum Patre & Filio eſt Spiritus; non Patris veluti frater, non genitus, non creatus, non frater Filii, non nepos Patris: ſed à Patre procedens, & Filii accipiens [ἐκ πατρὸς δὲ ἐκπορευόμενον, ἐκ τοῦ υἱοῦ λαμβάνον.] Non alienus à Patre & Filio, verùm ex eadem ſubſtantiâ, ex eadem Deitate, ex Patre & Filio, [ἀλλ' ἐκ τῆς αὐτῆς οὐσίας, ἐκ τῆς αὐτῆς θεότητος, ἐκ πατρὸς καὶ υἱοῦ,] cum Patre & Filio ſubſiſtens ſemper Spiritus Sanctus, Spiritus Divinus, Spiritus gloriæ, Spiritus Chriſti, Spiritus Patris. Et rurſus ibidem, §. 7. Revera non ſunt plures dii; ſed unus Deus: primus ac poſterior, Pater & Filius & Spiritus Sanctus. Non ut confuſio quædam Trinitatis illa ſit, aut ab identitate ſuâ diviſa; ſed Pater verè genuit Filium: & Filius verè ex Patre genitus, in perſona ſua ſubſiſtens, initii expers ac temporis: & Spiritus Sanctus verè ex Patre & Filio, ejuſdem divinitatis, à Patre procedens, & à Filio accipiens ſemper. [καὶ πνεῦμα ἅγιον ἀληθῶς ἐκ πατρὸς καὶ υἱοῦ, τῆς αὐτῆς θεότητος, ἐκ πατρὸς ἐκπορευόμενον, καὶ τοῦ υἱοῦ λαμβάνον ἀεί.] Idem etiam in Ancorato, cap. 7. ἐκ τῆς αὐτῆς οὐσίας πατρὸς, καὶ υἱοῦ, πνεῦμα ἅγιον. Ex eadem Patris Filiique ſubſtantiâ Spiritus Sanctus. Et cap. 9. Θεὸς ἐκ πατρὸς καὶ υἱοῦ τὸ πνεῦμα. Deus eſt à Patre Filioque Spiritus. Et cap. 10. Spiritum Sanctum conſequutus es: obtinuiſti virtutem Patris, & Filii Dei. ἔχεις πνεῦμα ἅγιον, κεκτήσαι τῆς δυνάμεως τοῦ πατρός, καὶ τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ. Hæc Epiphanius. Vide verba Baſilii, quæ ex ejus lib. 5. contra Eunomium, citantur infrà, cap. 13. §. 9. Vide etiam eodem cap. 13. §. 3. argumentationem Gregorii Nyſſeni, ex qua evidenter ſequitur, Spiritum Sanctum ita procedere à Patre, ut etiam procedat ſimul à Filio, cujus ſunt omnia Patris.

4. Ambroſius in Symbolum Apoſtol. cap. 1. Deus Pater coæternum ſibi & coomnipotens genuit Verbum; cum quo Spiritum Sanctum produxit. Et cap. 3. Spiritus autem Sanctus verè Spiritus eſt, procedens quidem à Patre & Filio, ſed non eſt ipſe Filius; quia non generatur: neque Pater; quia procedit ab utroque, non genitus, non ingenitus, non factus. ---- Spiritus Sanctus eſt, qui à Patre & Filio procedit. Et cap. 4. Spiritus verò Sanctus, qui ab utroque procedit, nec ipſe cœpit; quia proceſſio ejus continua eſt, & ab eo eſt qui non cœpit. ---- Deus eſt, neque initium neque ullum finem habens; utpote qui Patri ac Filio conſubſtantialis & coæternus eſt.



*Proceſſio continua.*

5. Auguſtinus, lib. 4. de Trinitate, cap. 20. Nec poſſumus dicere, quòd Spiritus Sanctus & à Filio non procedat: neque enim fruſtra idem Spiritus & Patris & Filii Spiritus dicitur. Nec video, quid aliud ſignificare voluerit, cùm ſufflans in faciem diſcipulorum, ait: Accipite Spiritum Sanctum. Neque enim flatus ille corporeus, cum ſenſu corporaliter tangendi procedens ex corpore, ſubſtantia Spiritûs Sancti fuit; ſed demonſtratio per congruam ſignificationem, non tantùm à Patre, ſed & à Filio procedere Spiritum Sanctum. ---- quòd ergo ait Dominus, Quem ego mittam vobis à Patre: oſtendit Spiritum & Patris & Filii; quia etiam cùm dixiſſet, quem mittet Pater: addidit, in nomine meo: non tamen dixit, quem mittet Pater à me: quemadmodum dixit, quem ego mittam vobis à Patre: videlicet oſtendens, quòd totius divinitatis, vel (ſi melius dicitur) Deitatis, principium Pater eſt. Qui ergo à Patre procedit & Filio, ad eum refertur, à quo natus eſt Filius. Idem Serm. 38. de tempore: Spiritus Sanctus autem hoc habet proprium, quòd ex Patre & Filio æqualiter procedit, & eſt amborum Spiritus, ejuſdemque ſubſtantiæ & æternitatis cum Patre & Filio. ---- Spiritus ſiquidem Sanctus nec ingenitus nec genitus alicubi dicitur; ne, ſi ingenitus diceretur ſicut Pater, duo Patres in ſanctâ Trinitate intelligerentur: Aut ſi genitus diceretur ſicut Filius, duo itidem Filii in eadem æſtimarentur eſſe ſanctâ Trinitate: Sed tantummodò procedere de Patre & Filio, ſalvâ fide dicendum eſt. Qui tamen non de Patre procedit in Filium, & de Filio procedit ad ſanctificandam creaturam, ſicut quidam malè intelligentes credendum eſſe putabant: ſed ſimul de utroque procedit. quia Pater talem genuit Filium, ut, quemadmodum de ſe, ita & de illo quoque procedat Spiritus Sanctus. Et lib. 3. contra Maximinum Arianum, cap. 14. quæris (inquit) à me: Si de ſubſtantia Patris eſt Filius, de ſubſtantia Patris eſt etiam Spiritus Sanctus; cur unus Filius ſit, & alius non ſit Filius? Ecce reſpondeo, ſive capias, ſive non capias: De Patre eſt Filius, de Patre eſt Spiritus Sanctus: ſed ille genitus eſt, iſte procedens: ideo ille Filius eſt Patris, de quo eſt genitus: iſte autem Spiritus utriuſque; quoniam de utroque procedit. Sed ideo cùm de illo Filius loqueretur, ait, De Patre procedit: quoniam Pater proceſſionis ejus eſt autor, qui talem Filium genuit, & gignendo ei dedit, ut etiam de ipſo procederet Spiritus Sanctus. ---- Non omne quod procedit naſcitur; quamvis omne procedat quod naſcitur. Hæc ſcio. Diſtinguere autem inter illam generationem & hanc proceſſionem neſcio, non valeo, non ſufficio: ac per hoc quia & illa & iſta eſt ineffabilis, ſicut Propheta de Filio loquens, ait: Generationem ejus quis enarrabit? ita de Spiritu Sancto veriſſimè dicitur: proceſſionem ejus quis enarrabit? ---- De utroque procedit, ſicut jam oſtendimus. Et tract. 99. in Euangel. Joan. Multa ſunt teſtimonia, quibus hoc evidenter oſtenditur, & Patris & Filii ipſum eſſe Spiritum, qui in Trinitate dicitur Spiritus Sanctus. Nec ob aliud exiſtimo ipſum vocari propriè ſpiritum, cùm etiam, ſi de ſingulis interrogemur, non poſſimus non Patrem & Filium ſpiritum dicere; quoniam ſpiritus eſt Deus, id eſt, non corpus eſt Deus, ſed ſpiritus: quod ergo communiter vocantur & ſinguli, hoc propriè vocari oportuit eum, qui non eſt unus eorum; ſed in quo communitas apparet amborum. ---- Spiritus autem Sanctus non de Patre procedit in Filium; & de Filio procedit ad ſanctificandam creaturam: ſed ſimul de utroque procedit, quamvis hoc Filio Pater dederit, ut quemadmodum de ſe, ita de illo quoque procedat. Hæc Auguſtinus, qui his conſona ſcribit, lib. 15. de Trinitate, cap. 27. Idipſum diſertè profitetur Ferrandus Diaconus Carthag. in ſua epiſt. ad Severum ſcholaſticum. C.P. Et Conc. Tolet. 4. cap. 1. Spiritum Sanctum procedentem ex Patre & Filio profitemur.

*Joan. 20, 22.* — *Joan. 15, 26.* — *Joan. 14, 26.* — *Pater Principium totius Deitatis. vide infra, cap. 22.* — *Simul de utroque.* — *Quæſtio Ariani.* — *Reſponſio Auguſtini.* — *Vide cap. 22.* — *Eſai. 53, 8.*

6. Interea, cùm Græci diſſentientes, fateantur atque agnoſcant, Spiritum Sanctum eſſe unum illum verum Deum, conſubſtantialem & coæqualem Patri & Filio, eumque à Patre procedere proceſſione originis; Item à Patre & Filio ſimul, ſive à Patre per Filium mitti, ſive procedere proceſſione (ut loquuntur) diſpenſatoriâ, ſeu ad extra, tanquam ab uno principio conſubſtantiali; & ſolam negent proceſſionem originis Spiritûs Sancti à Filio: (ut cernere eſt in Maximi Margunii Epiſcopi Græci animadverſionibus in diſputationem Jacobi Gretſeri de S. Trinitate, apud Gretſerum, tom. 2. defenſionis Bellarm. ad finem libri 2. de Chriſto) ab errore quidem illorum cavendum, & damnanda eſt eorum confidens pertinacia; Meminiſſe tamen debemus præcepti illius & exempli Apoſtolici, Philip. 3, 15. 16. 17. Quotquot (inquit) perfecti ſumus, hoc ſentiamus! Quod ſi quid aliter ſentitis, hoc quoque Deus vobis revelabit. Attamen in eo ad quod pervenimus, eâdem incedamus regulâ; idem ſapiamus. Et quantum in nobis eſt, pacem colamus, illæſâ tamen veritate, & ſalvâ charitate!

*Explicatio ſententiæ Græcorum.*

## CAPUT SEPTIMUM.

### *Contra Anonymi cujuſdam Socinianorum Patroni diſſertationem de pace & concordia Eccleſiæ, editam per Irenæum Philalethen, ſic falsò dictum; cùm ſit Acataſtaſius Miſalethes.*

### Præfatio ad Johannem Leſlæum Epiſcopum Sodorenſem.

Memorabile eſt illud Johannis, cognomento Chryſoſtomi Epiſcopi Conſtantinopolitani (Reverendiſſime ac diſertiſſime Præſul Joannes) πολλῆς ζάλης πεπλήρωται ἡμῶν ὁ ζωὴ, καὶ θορύβου μεστὸς ὁ παρὼν βίος ἐστίν. quotidiana hoc inculcant experimenta: præſertim ſi eorum intuëamur

*Concione 5. [illegible]*



BIBLIOTECA CENTRALĂ UNIVERSITARĂ BUCUREŞTI

eamur conditionem, quibus publicæ in civitate Dei excubiæ demandatæ ſunt. Quibus irrequieta Satanæ protervitas aut tendiculas neſtit, aut moleſtias indeſinenter ſuſcitat. Sic in nobis cernitur illud Sophoclis, [illegible]. Cùm nuper hàc tranſiens tua reverentia me viſere dignata eſſet, libelli cujuſdam peſtilentiſſimi legendi copiam mihi feciſti, ubi eximiam eloquentiam in impium deteſtandæ cauſſæ patrocinium adhiberi, prodigi, perdi vehementer indolui. Et oppidò rectè tu rem putâſti, quando operis illius frontiſpicio hanc præſcripſiſti ſapientiſſimam cenſuram: *Specioſa* (inquis) *& venuſta meretrix eſt hic liber: & infernus Dæmon mutuatus Rhetoricum lumen. Nemo eſt, hoc autore melius qui dicat mala. Suaviſſimo ſub eloquentiæ melle propinat toxica.* Hinc à me, licet aliis jam tum curis occupatiſſimo ſtatio hæc mea improviſum quendam laborem flagitare viſa eſt. Libellum, quantâ poſſum, veloci oculorum acie perluſtro, & venerandæ tuæ pietati profectionem maturanti quantociùs reſtituo. Hæret tamen fixus animo dolor, adverſus infernales offucias, & Thraſonicam clamoſæ impudentiæ garrulitatem. Cœleſtis etiam illa vox auribus inſonabat, τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν. Item; οὓς δεῖ ἐπιστομίζειν. Et proſpiciendum incautioribus cogitabam, eorumque animos adverſus inſidioſam præſtigiatoris hujus [illegible] muniendos. Tuæ etiam prudentiæ prævia invitabant veſtigia, pia trahebat indignatio. Prodiit ſubitò hæc animadverſio, brevis ea quidem, at, (niſi me animus fallit,) haud inutilis, ex qua, adverſus adverſariorum verſutias, tela penetrabilia depromantur. Mendacium enim, detractâ larvâ, citò confunditur, & fugam capeſſit. Apud tuam verò prudentiam opellam hanc depono, ut ſit meæ erga reverentiam tuam obſervantiæ pignus. Vale! noſtri in ſanctis tuis precibus memor. Dat. Aberdoniæ, die 15. Septembris, 1631.

Soph. in Ajace Lorario.

Tit. 1. 9. 10.

## Ad Caput primum.

2. *Res* (inquis) *divinæ in præſentia denſa ſunt involutæ caligine.* Falſum hoc: ſive ipſum conſideres Euangelium, in quo Chriſti facies ſplendet ut Sol; ſive præſentem ejus explicandi modum in Eccleſiis reformatis, per ipſas ſcripturas apertas & claras. Neque præ futurâ in altero ſeculo evidentiæ perfectione denſa caligo eſt præſens diſpenſatio: cernere enim per ſpeculum Euangelii in ænigmate, non eſt in denſa caligine palpitare, ſed eſt retectâ facie gloriam Domini κατοπτρίζεσθαι. Quòd ſi obtectum eſt Euangelium, eis qui pereunt obtectum eſt. Inhoneſta igitur & inverecunda eſt iſta tua [illegible] de denſa caligine, ut perſpicuæ veritati offuſis hàc arte nebulis ſpem ejus inveniendæ lectori adimas, atque adeò ab ejus inveſtigatione, tanquam ab infructuoſa quadam curioſitate, deterreas: & diſſolutam quidlibet credendi licentiam, ſeu potiùs in multis graviſſimis fidei articulis ἐποχὴν Pyrrhoniam & irreligioſam quandam ἀδιαφορίαν introducas. Propterea ſanctis Eccleſiæ luminaribus ſuccenſes, quorum in refellendis olim damnandiſque hæreſibus & aſſerendâ veritate virtus θεοειδῶς emicuit. *Nam unde* (inquis) *tam cæca atque præceps alios damnandi libido, niſi à temeritate definiendi? unde tanta decernendi audacia, niſi ab infallibilis ſententiæ præſumtione, promanat?* Ubi dum alios temeritatis & audacis præſumtionis

2. Cor. 4. Apocal. 1. & 10.

1. Cor. 13. 12.

2. Cor. 3. 18. & cap. 4. verſ. 3.

audacter inſimulas, temerarius ipſe & petulanter arrogans deprehenderis. Quin & fidei orthodoxæ confeſſionem, tanquam aliam à rectâ in Cœlum viam, inſidioſo ſanctimoniæ obtentu, contemtui exponis. Et ſuperioris calumniæ, de caligine, tam brevi intervallo immemor, viam fidei & confeſſionis facilem vocas & expeditam. Adeò in tua caligine tibi greſſus nutant! Illiberali etiam calumniâ perſtringis orthodoxas Dei Eccleſias, ac ſi fide mortuâ, aut ejuſdem externo habitu, officium Chriſtianum circumſcriberent. Ea enim, quæ Deus nexu adeò indiviſo conjunxit, docent non eſſe diſſocianda: fidem ſcilicet & pœnitentiâ dignos fructus. Ut-ut neceſſariæ hujus conjugationis quoſdam invenias incurioſos: nullâ utique Eccleſiaſtici dogmatis, ſed immorigeri cordis pravitate.

## Ad Caput ſecundum, & ſequentia.

3 Socinianorum, de SS. Trinitate & redemtione, (rebus inprimis à Deo nobis ad credendum propoſitis in ſacra ſcripturâ, cum mandato credendi, & inprimis creditu neceſſariis) errores horrendos, & ſanis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſermonibus manifeſtè repugnantes, & pertinaci obſtinatione ſuffultos, quos olim Apoſtolicis temporibus pro nefandis atque anathematizandis ſceleribus jure habitos eſſe fateris, nunc in Eccleſia tolerandos eſſe, ineptè admodum ac falsò aſſeris. Zelo fortaſſe pacis, at certè inconſiderato, duceris: dum Chriſti Dei noſtri abnegatores cum ejuſdem confeſſoribus promiſcuè habendos autumas; aut immundos à mundis non ſeparandos; aut à Filii abnegatoribus haberi Deum Patrem; aut ſalutari fide poſſideri ab eis Filium, qui ejus negant æternam Deitatem, Redemtoris munus ei abrogant, meritum paſſionis denigrant, ſe ipſius ſanguine tanquam juſto λύτρῳ redemtos inficiantur; aut leves eſſe hos putas nec pernicioſos errores: cùm è contrario Chriſtus ipſe nos doceat, vitam noſtram æternam Dei & Chriſti cognitione niti. Fruſtra etiam negas, hæreticos eſſe illos & αὐτοκατακρίτους, qui ex ipſis ſacris Scripturis tam peſtiferæ vanitatis ac pravitatis centies convicti, non ceſſant perſpicuæ veritati contumaciter obſtrepere. Nec ſapienter negas, aliud docere Euangelium eos, qui pro Deo in carne manifeſtato & in gloriam aſſumto ſubſtituunt nobis nudum hominem, in quem fides noſtra recumbat, Redemtorem nobis eripiunt, & vim mortis Chriſti enervant. Apoſtolo etiam in os contradicis, quando iſtiuſmodi [illegible], veritate deſtitutos homines, nec accedentes ſanis ſermonibus Domini noſtri Jeſu Chriſti, eximis numero ſuperborum. Poſito autem ab Apoſtolis fundamento inædificare eos, qui ipſum fundamentum Immanuelem convellunt, inverecundè nimis abs te aſſeritur. Neque id tolerabile, quòd cultu divino proſequuntur eum, quem naturâ Deum adeoque verum Deum eſſe inficiantur, [illegible]. Nequicquam verò accenſes eos Chriſtum diligentibus, quibus negatus eſt promiſſus dilectionis fructus; diligentibus enim ſe Chriſtus promiſit perſpicuam ſui revelationem. Ludis etiam; quando inter viſionis beatificæ in Patria perfectionem, & apertæ de Deo veritatis obſtinatam inficiationem, medium ſanæ, licet imperfectæ, in via cognitionis & confeſſionis neceſſarium nequiter diſſimulas.

Joan. 17. 3.

1. Tim. 6. 3. 4.

Joan. 14. 21.

4. Ficul-



4. Ficulneo portenta hæc velas ludibrio, quando rejecto legitimæ interpretationis per ipſas ſcripturas neceſſario, & à Deo ad Eccleſiæ ædificationem inſtituto adminiculo, expreſſis ſcripturarum & ſymboli Apoſtolici verbis eos ſubſcribere inſulsè jactas. Certè expreſſa ſacrarum ſcripturarum & ſymboli Apoſtolici verba, confitebuntur Priſcillianiſtæ, & Papiſtarum deterrimi Jeſuitæ, & ipſe Antichriſtus, & ſatanica illa Carpocratis ſecta, quæ dilectionis audit familia, multique alii nefarii hæretici, palàm [illegible] & αὐτοκατάκριτοι: quos oportet eliminare. Satis verò præcipitanter veniam apud Deum ſpondes indocili inſipientiæ, & inſanienti ſapientiæ indoctorum & inſtabilium hominum, qui Sacras Scripturas, quarum expreſſa verba corticetenus, deluſoriâ quadam confeſſionis ſpecie, admittunt; ad ſuum ipſorum detorquent exitium: ſicut de eis ſcripſit Apoſtolus Petrus.

2. Petr. 3. 16.

5. Mitto ſcurriles tuas affanias, & mendaces oblatrationes contra orthodoxas Dei Eccleſias, ac ſi, non tam quòd ſacris literis repugnantia doceant, quàm quòd ab Eccleſiarum placitis diſſentiant, Socinianos proſcriberent. Atque ut eas turpiùs infames, ais non convenire reformatis arma Antichriſti, ut Eccleſiæ autoritati toties extra veritatis orbitam deprehenſæ conſcientias hominum in dogmatibus fidei mancipemus. Tu hîc cum umbrâ dimicas: noſtræ enim Theologicæ demonſtrationis potiſſimæ (quâ & uſa contra Paulum Samoſatenum & Photinum orthodoxa antiquitas,) medium pro veri dogmatis confirmatione, non eſt propria Eccleſiæ demonſtrantis ac definientis autoritas; ſed verbum Dei per Prophetas, Euangeliſtas & Apoſtolos ſacris tabulis conſignatum. Ex hoc erroris & contumaciæ manifeſtos hæreticos Eccleſia rejicit, & anathemate percellit. Eccleſiæ autem rectum de dogmate judicium hanc cenſuram neceſſariò importat, in hunc modum: Quoſcunque Eccleſia per ſacras literas deprehendit in pernicioſo errore contumaces; eos rejicere debet ut Ethnicos & Publicanos: at Samoſatenianos, Photinianos, Socinianos Eccleſia per ſacras literas, &c. Ergo. Judicium quidem Eccleſiaſticum aliquando à recto tramite devium reperitur; nempe quando, neglectâ regulâ, Eccleſia ſibi nimium tribuit, & clave errante procedit: at Judex ſecundùm legem; Eccleſia ſecundùm divinitus datam regulam pronuncians, de facto non errat. Et, ſe non errare, ex ipſis ſcripturis divinis orthodoxa Eccleſia potenter demonſtrat: quamvis homines ἄλογοι, ἀνυπότακτοι, ματαιολόγοι, φρεναπάται, animoſitate ſacrilegâ litigare non deſinant. Vinci tales poſſunt faciliùs, quàm perſuaderi; ut rectè monuit Hieronymus. Non nos; vos ii iſtis, qui armis Antichriſtianis cauſſam malam protegere conamini; dum ſacrarum ſcripturarum obſcuritatem & ambiguitatem, tetrâ cum Papiſtis conteſſeratione, ſuggillatis: non eò quidem, ut cum illis Papæ Romano infallibilitatis ſolium erigatis, ſed ut de veſtris controverſiis omne prorſus judiciũ defugiatis, & vobis ſecurè veſtris liceat indormire blaſphemiis.

Hieronym. Dialogo contra Luciferianos.

6. Quàm verò & illud abſurdum, quòd ejus erroris pertinaciam, quam Apoſtolicis temporibus excommunicationis ſententiâ excepiſſet, nunc eadem animadverſione Eccleſiaſticâ coërcendam negare non erubeſcis? cum perpetua Chriſtus per Apoſtolos reliquerit præcepta, de proſcribendis contumacibus & hæreticis, ligandiſque eorum peccatis, donec reſipiſcant. Verùm hæc præcepta eſſe dicis de ſceleribus manifeſtis. At, inquam, hujuſmodi eſt veſtra hæreſis & contumacia; ſicuti ſacrarum literarum auctoritate multoties demonſtratum eſt.

7. Quod autem Calvino & reformatis Eccleſiis quædam etiam deteſtanda dogmata, de fatali delinquendi neceſſitate, & auctoritatis peccati in ipſum Deum tranſſcriptione, calumnioſâ dicacitate exprobras; neque ad tuam hoc cauſſam ullum adfert adjumentum: (quicunque enim vel ea dogmata quæ tu Calvino noſtriſque Eccleſiis affingis, vel ea quæ Sociniani palàm profitentur, docere & pertinaciter defendere præſumpſerit, haud dubiè anathemate feriendus eſt,) falſa etiam eſt, & non ſolùm nuper in Concilio Dordrechtano; ſed jam olim ab ipſo etiam Calvino in ſuis de prædeſt. & providentiâ opuſculis, luculenter confutata, & proſtrata, iſta criminatio.

8. Porrò, præter horrorem blaſphemi dogmatis, has etiam tibi cogitandas propono, contra Socinianos, diſtinctiones, non humanitus adinventas, ſed ex ſacra ſcripturâ ſponte promanantes, adſtipulante etiam communi ratione. Aliud eſt neſcire dogma aliquod; aliud nolle illud ſcire. Item, aliud eſt quadamtenus & μερικῶς ſcire; aliud prorſus ignorare; aliud etiam exactè ſcire. Errore ſimplice deterior eſt in errore contumacia. Diverſa quæſtio eſt, quid Euangelii Præcones docere oporteat, ab ea quâ quæritur, quid quiſque audientium exactè ſcire teneatur. Quorundam etiam dogmatum non ſemper fuit neceſſaria clara ac diſerta affirmatio; quia nondum ita planè revelata erant: quorum tamen ſemper nefaria erat, eſt & erit, negatio. His omnibus maturè perpenſis, invenies Socinianos tuos peſtilenti hæreſi languere, & oblatam medicinam contumaciter aſpernari: adeóque ultronei exitii ſui reos eſſe, & αὐτοκατακρίτους; quales ex præſcripto Apoſtolico rejicere neceſſe habet Eccleſia. Neque eos vel Judaicus, id eſt, à ſalutari veritate pernicioſè aberrans Dei Zelus, & inculpata apud homines (quæ & multis etiam aliis hæreticis, ipſiſque Chriſtiani nominis juratis hoſtibus contigit) vita tueri; vel falsò concepta certitudo, & obſtinata deceptæ mentis perſuaſio, à teterrimis & deploratis hæreticis ſecernere poteſt.

Tit. 3. 10. 11.

9. Provocant (inquis) ad ſacras literas. At in hoc ipſo foro auditi cauſâ jam ſæpiſſimè ceciderunt, ſemperque cadent; quamvis centies convicti, obloqui judicio non deſinant. Quid hîc faciet Eccleſia? Hæreticum hominem, poſt unam aut alteram admonitionem, rejice: ſciens, quòd everſus ſit qui hujuſmodi eſt, & peccet; ut qui ſuopte judicio ſit condemnatus.

Tit. 3. 10. 11.

10. Vadimonium deſerit Miſalethes, in mantiſſa; ubi omnem de doctrina judicandi poteſtatem videtur abjudicare Eccleſiæ, abutens præcepto illo Dominico, de *non judicando*, Matth. 7, 1. ac ſi illic non ſolùm aſpera de incertis ſententiæ præcipitatio; ſed etiam omnis de manifeſtis criminibus judiciaria poteſtas, & imperatus clavium uſus, vetaretur.

11. Chriſti tribunal proponit ultimo die dijudicaturi. Illi judicio non repugnat præſens Eccleſiæ à Chriſto accepta & non negligenda poteſtas. Siſtentur ibi Anonymus & Miſalethes, cum infelicibus ſuis clientibus haud feliciores Patroni, redarguendi cum illis (niſi maturè, quod opto, reſipiſcant,) de omnibus duris, quæ contra Chriſtum loquuti ſunt.

Jude 15.

## CAPUT OCTAVUM.

### *De ſanctiſſimæ Trinitatis inſeparabilitate, & indiviſâ operatione ad extra.*

PAter eſt in Filio, & Filius in Patre. Joan. 14. 10. 11. Et quæcunque facit Pater, hæc etiam Filius ſimiliter facit. Joan. 5. 19. Et ſic de Spiritu Sancto: nam hi tres unum ſunt. 1. Joan. 5. 7.

*Joan. 10. 30. 1. Joan. 5. 7.* 2. Cyprianus, lib. *de unitate Eccleſiæ*: Dicit Dominus; Ego & Pater unum ſumus. Et iterum de Patre & Filio & Spiritu Sancto ſcriptum eſt: Et hi tres unum ſunt. Hæc Cyprianus.

3. Fulgentius, lib. *contra objectiones Arianorum*, ſub finem libri: In Patre ergo, (inquit) & Filio & Spiritu Sancto unitatem ſubſtantiæ accipimus; perſonas confundere non audemus. Beatus enim Joannes Apoſtolus teſtatur, dicens: Tres ſunt qui teſtimonium perhibent in cœlo; *1. Joan. 5. 7.* Pater, Verbum, & Spiritus: & hi tres unum ſunt. Quod etiam beatiſſimus Martyr Cyprianus, in epiſtola *de unitate Eccleſiæ* confitetur, dicens: Qui pacem Chriſti & concordiam rumpit, adverſus Chriſtum facit: qui alibi præter Eccleſiam colligit, Chriſti Eccleſiam ſpargit. Atque ut unam Eccleſiam unius Dei eſſe monſtraret, hæc confeſtim teſtimonia de ſcripturis inſeruit: Dicit Dominus; Ego & Pater unum ſumus. Et iterum, de Patre & Filio & Spiritu Sancto ſcriptum eſt; Et tres unum ſunt. Hæc Fulgentius.

4. Gregorius Neocæſarienſis Epiſcopus, cognomento Thaumaturgus, ſerm. in ſancta Theophania, exponens illa verba Johannis Baptiſtæ *Matth. 3. 14.* ad Dominum Jeſum: Mihi opus eſt, ut à te baptizer; & tu venis ad me? Alios (inquit) dum baptizo, in tuo nomine baptizo; ut credant in te venientem cum gloria: Te verò baptizans, cujus mentionem faciam? In cujus te nomine baptizabo? An in nomine Patris? at totum habes Patrem in te ipſo, & totus in Patre es. [ὅλον τὸν πατέρα ἔχεις ἐν σεαυτῷ, καὶ ὅλος ὑπάρχεις ἐν τῷ πατρί.] An in nomine Filii? at non eſt præter te alius naturâ Filius Dei. An in nomine Spiritus Sancti? at ſemper unà tecum eſt, ut conſubſtantialis tibi, & ejuſdem voluntatis atque ſententiæ, & æqualis poteſtatis, ac paris honoris, & tecum ſuſcipit ab omnibus adorationem. [σύνεστι γὰρ πάντοτε, ὡς ὁμοούσιόν σοι καὶ ὁμοθέλημον, καὶ ὁμογνώμων, καὶ ὁμοδύναμος, καὶ ὁμότιμος, καὶ σὺν σοὶ δέχεται τὴν παρὰ πάντων προσκύνησιν.]

*Joannes baptizavit in nomine Domini Jeſu Chriſti. Vide Act. 19. 4.*

*Metangiſmonitæ hæretici.* 5. Non eſt autem Filius in Patre, quomodo vas in vaſe; ut delirabant impii hæretici, qui ab hoc errore dicti ſunt μεταγγισμονῖται, Metangiſmonitæ, referente Auguſtino, lib. *ad Quodvultdeum*, hæreſ. 58. ſed propter ſimpliciſſimam indiviſæ eſſentiæ identitatem tres perſonæ inconfuſæ, Pater & Filius & Spiritus Sanctus dicuntur eſſe, & ſunt, in ſe mutuò. Hæc eſt illa Dionyſio dicta, ἡ ἐν ἀλλήλαις, εἰ οὕτω χρὴ φάναι, τῶν ἑναρχικῶν ὑποστάσεων μονὴ καὶ ἵδρυσις, ὁλικῶς ὑπερηνωμένη, καὶ οὐδενὶ μέρει συγκεχυμένη. Perſonarum excellentiſſimè unarum (ſi ita dicendum eſt,) in ſe invicem manſio, & conſtitutio, omnino ſupra modum unita, & nullâ ex parte confuſa. Dionyſ. Areopag. lib. de Divinis nominibus, cap. 2. Scholaſtici circumince ſſionem vocant. Bonavent. & Scot. in 1. ſent. diſt. 19. Pulchrè dixit autor Expoſitionis fidei, quæ Juſtino tribuitur: καὶ διὰ τοῦτο ἁπλῶς βιβάζει ἡμᾶς ἡ θεία γραφὴ τὴν διάγνωσιν, ἀρχὴν αὐτοῦ πατρὸς καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος ἀχώριστον τὴν ἔννοιαν. *id eſt*: Et ubique prorſus mentes noſtras divinæ confirmant literæ, ut indiviſam ſeu inſeparabilem de Patre & Filio & Spiritu Sancto poſſideamus cogitationem ſeu notionem. Vide Damaſcenum, lib. 1. de orthodoxa fide, cap. 11.

6. Baſilius Magnus, Epiſcopus Cæſarienſis, homil. 17. in ſanctum baptiſma: μίαν ἐνέργειαν ὁρῶμεν πατρὸς καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος. Videmus unam eſſe operationem Patris & Filii & Spiritûs Sancti. Et lib. 4. adverſus Eunomium: ὧν αἱ αὐταὶ ἐνέργειαι, τούτων καὶ ἡ οὐσία μία. ἐνέργεια δὲ υἱοῦ καὶ πατρὸς μία ὡς τὸ, ποιήσωμεν ἄνθρωπον. καὶ πάλιν ἃ γὰρ ἂν ὁ πατὴρ ποιῇ, ταῦτα καὶ ὁ υἱὸς ὁμοίως ποιεῖ. οὐσία καὶ ἄρα μία πατρὸς καὶ υἱοῦ. *id eſt*: Quorum eædem ſunt operationes, eorum eſt ſubſtantia (ſeu eſſentia) una: operatio verò Patris & Filii una eſt: ut illud; *Faciamus hominem.* Et rurſum: *quæcunque enim Pater facit, hæc & Filius ſimiliter facit.* Una ergo eſt ſubſtantia (ſive eſſentia) Patris & Filii. Et lib. 5. adverſus Eunomium, cap. quod eadem ſit poteſtas [ἡ αὐτεξουσία] Patris & Filii & Spiritûs Sancti: πῶς ἑτερότης οὐσίας ἐν τῇ Τριάδι, ἐν ᾗ ταυτότης ἐνεργείας ἀνευρίσκεται; *id eſt*: Quomodo diverſitas ſubſtantiæ eſt in Trinitate, in qua operationis identitas invenitur? Et poſtea, eodem lib. cap. quòd Spiritus ſit naturæ divinæ, cùm opera Dei perficiat: μία καὶ ἡ αὐτὴ σαφῶς ἐνέργεια θεοῦ δι' υἱοῦ ἐν πνεύματι φαίνεται, καὶ χωρισμὸν ἡ Τριὰς οὐ προσδέχεται. Una & eadem planè operatio Dei per Filium in Spiritu conſpicua eſt, & Trinitas ſeparationem non ſuſcipit. Et cap. ſeq. quòd Spiritus cum Deo glorificetur, &c. τὸ δὲ ἐπὶ τῶν αὐτῶν θείων ἔργων τὴν ἁγίαν Τριάδα δοξάζεσθαι, τῆς μιᾶς θεότητος μαρτύριον, ὅτι μήτε χωρὶς υἱοῦ ποιεῖ πατὴρ, μήτε υἱὸς χωρὶς πνεύματος. *id eſt*: In eiſdem autem divinis operibus ſanctam Trinitatem glorificari, unius Deitatis teſtimonium eſt; quoniam neque ſine Filio facit Pater, neque Filius ſine Spiritu.

*Identitas operationis oſtendit identitatem naturæ. vide infra lib. 5. cap. 9. §. 4. & §. 5. & §. 6.*

7. Ambroſ. in ſymbol. Apoſt. cap. 3. Non naturam ſecamus; ſed unitatem naturæ & voluntatis & operationis confitemur. Et cap. 9. Loquens de operibus Dei externis: Quicquid autem (inquit) de Spiritu Sancto diximus, hoc ſimiliter & de Patre & Filio communiter & indiviſè volumus intelligi: quia ſancta & inſeparabilis Trinitas nunquam aliquid extra ſe ſingillatim operari noverit. Et lib. 4. de fide, ad Gratianum Auguſtum, cap. 3. quæcunque ille facit, eadem & Filius facit ſimiliter. Cur ergo ſcriptum eſt: *Eadem facit Filius*; & non, *talia*: niſi ut in Filio unitatem; non imitationem paterni operis, æſtimares? *Joan. 5. 19.*

8. Auguſtinus, lib. 1. *de Trinitate*, cap. 8. Propter ipſam inſeparabilitatem, ſufficienter aliquando nominatur, vel Pater vel Filius ſolus, adimpleturus nos lætitiâ cum vultu ſuo. Nec inde ſeparatur utriuſque Spiritus, id eſt, Patris & Filii Spiritus. qui Spiritus propriè dicitur Spiritus veritatis, quem hic Mundus accipere non poteſt. Hoc eſt enim plenum gaudium noſtrum, quo amplius non eſt: frui ſcilicet Trinitate Deo, ad cujus imaginem facti ſumus. Propter hoc aliquando ita loquitur de Spiritu Sancto, tanquam ſolus ipſe ſufficiat ad beatitudinem noſtram: & ideo



ideo ſolus ſufficit, quia ſeparari à Patre & Filio non poteſt: ſicut Pater ſolus ſufficit, quia ſeparari à Filio & Spiritu Sancto non poteſt: Et Filius ideo ſufficit ſolus, quia ſeparari à Patre & Spiritu Sancto non poteſt. Et lib. 2. *de Trinitate*, cap. 5. Una voluntas eſt Patris & Filii, & inſeparabilis operatio. Et cap. 10. Trinitas quippe inſeparabiliter operatur. Item, lib. contra ſermonem *Joan. 5. 27.* Arianorum, cap. 11. Poteſtatem dedit ei & judicium facere, quia filius hominis eſt: non ergo, quia filius Dei eſt, nam ſecundum hoc coæterna illi cum Patre & una eademque poteſtas eſt: ſed, quia filius hominis eſt; quod eſſe cœpit ex tempore, ut poteſtas daretur ei in tempore. Quod non ita dicitur, tanquam eam ſibi & ipſe non dederit, id eſt, naturæ in ſe humanæ non dederit poteſtatem, illa quæ in eo natura divina eſt: abſit hoc credere. Quomodo enim aliquid faceret Pater, niſi per unigenitum Filium? nec ſine Spiritu Sancto, quia inſeparabilia ſunt opera Trinitatis. Ac per hoc quod poteſtatem Filio dedit, quoniam filius hominis eſt, per eundem ipſum ipſi dedit, quoniam Filius Dei eſt. Omnia enim per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Sed honorificè & competenter tribuit Patri, quod etiam ipſe facit ut Deus: quia de Patre eſt Deus. Ipſe namque Deus eſt de Deo: Pater autem Deus; ſed non, de Deo.

*Inſeparabilia ſunt opera Trinitatis.*

9. Fulgentius, lib. contra ſermonem Faſtidioſi Ariani, cap. 2. Ipſe Chriſtus dicit: *Si autem ego in Spiritu Dei ejicio dæmonia, ergo pervenit in vos regnum Dei.* Quomodo ergo Faſtidioſus Trinitatem inſeparabilem negat; cùm opera Trinitatis eadem, atque inſeparabilia eſſe in creaturis omnibus, nemo negare audeat Chriſtianus? Inſeparabiliter quippe operatur unus Deus; videlicet, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. *Matth. 12. 28.* Eadem namque opera ſua eſſe quæ Patris ſui, Dei unigenitus proteſtatur, dicens: *quæcunque enim Pater facit, hæc eadem Filius ſimiliter facit.* Et *Joan. 5. 19.* tamen quæ Filius facit, in Spiritu Sancto facit, in quo dæmonia ejicit. Et cap. 6. ejuſdem libri: Ex hoc utique Trinitas indiviſibilis, atque inſeparabilis agnoſcitur. Apparet igitur magnam fuiſſe Faſtidioſi impietatem, quâ nos putavit in eo omnino culpandos, quia fatemur inſeparabilem, atque individuam Trinitatem. Hæc Fulgentius. Vide infra, capitib. 21. & 23. & 24. & 25. & cap. 33. §. 13.

*Inſeparabilis atque individua Trinitas.*

## CAPUT NONUM.

### *De operationibus Theandricis, ſeu Deivirilibus.*

*Dionyſ. Areopag. epiſt. 4. ad Gajum Melitum. Joan. Damaſc. lib. 3. orthod. fidei, cap. 19.*

NUlla eſt una Chriſti operatio Deivirilis: ſed, quæ Dionyſio & Damaſceno θεανδρικὴ ἐνέργεια dicitur, eſt duplex operatio, ſeu duæ operationes; nempe divina & humana, cohærenter unitæ: ſicut docuerunt Catholici Patres in Concilio Lateranenſi, Præſide Martino primo Epiſcopo Romano, contra Monothelitas celebrato, an. Dom. 649. quorum verba exhibebimus lib. 5. cap. 2. anath. 15. Et Sophronius Patriarcha Hieroſolymitanus, in ſuis ad Sergium Patriarcham Conſtantinopolitanum Synodicis literis, quæ extant in actis Sextæ ſynodi œcumenicæ, actione undecimâ. Prout etiam invenies infrà, lib. 5. hujus operis. cap. 9. §. 7.

2. Πενθήσεται ἀνθρωπίνως, τὸν Λάζαρον κείμενον: ἐγείρει δὲ τοῦτον θεϊκῶς, inquit Athanaſius, oratione ad Maximum Philoſophum, *de Divinitate Chriſti.* Idem etiam, orat. 4. contra Arianos, circa medium: quando (inquit) neceſſitas requirebat, ut ſocrum Petri febrientem excitaret, humano quidem more manum extendit; divinitus autem morbum compeſcebat. [ἀνθρωπίνως μὲν γὰρ ἐξέτεινε χεῖρα, θεϊκῶς δὲ ἔπαυσε τὴν νόσον.] Et in cæco à nativitate, humanum è carne emittebat ſputum: divinitus autem oculos aperiebat per lutum. [ἀνθρώπινον διὰ τῆς σαρκὸς ἠφίει τὸ πτύσμα· θεϊκῶς δὲ τοὺς ὀφθαλμοὺς ἀνέῳγε διὰ τοῦ πηλοῦ.] In Lazaro autem, vocem quidem humanam, ut homo, edebat: divinitus tamen, ut Deus, eum è mortuis excitabat. [φωνὴν μὲν ὡς ἄνθρωπος ἀνθρωπίνην ἠφίει· θεϊκῶς δὲ ὡς Θεὸς, τὸν Λάζαρον ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν.] *Hæc Athanaſius.*

3. In operationibus theandricis divina Chriſti operatio eſt operatio Trinitatis. Non poteſt Filius à ſemetipſo facere quicquam, niſi quod viderit Patrem facientem: quæcunque enim ille facit, hæc & Filius ſimiliter facit. Joan. 5, 19. Et alibi Chriſtus ait: Pater qui in me manet, ipſe facit opera. Joan. 14, 10. Pater meus uſque adhuc operatur: & ego operor. Joan. 5, 17. & alibi eadem opera tribuit Spiritui Sancto, dicens: Se per Spiritum Dei ejicere dæmonia, Matth. 12, 28. Huc ſpectant ea, quæ cap. 8. dicta ſunt de inſeparabilitate operationis Trinitatis.

## CAPUT DECIMUM.

### *Inſeparabilitati non officit ordo, neque appropriatio, neque vocum aut ſymbolorum ſeparatio.*

*Gregor. Nyſſen. ad Ablabium, quòd non ſunt tres Dii.*

ORdo operationis vel perſonarum indiviſè operantium [συνημμένως καὶ ἀδιακρίτως δι' ἀλλήλων ἐφ' ἡμῶν τε καὶ πάσης τῆς κτίσεως τὴν θεϊκὴν ἐνέργειαν ἐνεργούντων, ut loquitur Gregorius Nyſſen.] Ordo (inquam) ſecundum proprietates internas & proceſſionem originis, quo Pater per Filium, & Spiritum Sanctum, & cum eis, ſive (ut loquuntur Græci) ὁ πατὴρ διὰ τοῦ υἱοῦ ἐν πνεύματι ἁγίῳ: Filius autem à Patre & cum Patre per Spiritum: Spiritus à Patre Filioque & cum eis operari dicitur; nullam facit operationis ſeparabilitatem: quia inſeparabilitas, atque adeò indiviſibilis unitas operationis Trinitatis fundatur in unitate atque indiviſibilitate eſſentiæ divinæ: Dei enim una voluntas & potentia eſt ſimpliciſſima ejus eſſentia.

2. Huc pertinet illud Athanaſii ad Serapionem, contra eos qui dicunt Spiritum Sanctum eſſe creaturam: Τριὰς ἁγία ἀδιαίρετός ἐστι τῇ φύσει, καὶ μία ταύτης ἡ ἐνέργεια· ὁ γὰρ πατὴρ διὰ τοῦ Λόγου ἐν πνεύματι ἁγίῳ τὰ πάντα ποιεῖ· καὶ οὕτως ἡ ἑνότης τῆς ἁγίας Τριάδος σώζεται, καὶ οὕτως εἷς Θεὸς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ κηρύττεται, *id eſt*; Sancta Trinitas individua eſt naturâ, & una ejus eſt operatio: Pater enim per Verbum in Spiritu Sancto omnia facit: & ſic Sanctæ Trinitatis uni-

tas ſervatur: & ſic unus Deus in Eccleſia prædicatur.

3. Similia ſcripſit Baſilius Magnus, lib. 5. contra Eunomium; quæ inferiùs invenies, cap. 28. hujus libri, §. 3.

4. Item Gregorius Nyſſenus, lib. ad Ablabium, quòd non putandum ſit, tres dici Deos. πᾶσα ἐνέργεια ἡ θεόθεν ἐπὶ τὴν κτίσιν διήκουσα, καὶ κατὰ τὰς πολυτρόπους ἐννοίας ὀνομαζομένη ἐκ πατρὸς ἀφορμᾶται, καὶ διὰ τοῦ υἱοῦ πρόεισι, καὶ ἐν τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ τελειοῦται· διὰ τοῦτο εἰς πλῆθος τῶν ἐνεργούντων τὸ ὄνομα τῆς ἐνεργείας οὐ διασχίζεται, ὅτι οὐκ ἀποτεταγμένη ἑκάστου καὶ ἰδιάζουσά ἐστιν ἡ περί τι σπουδή· ἀλλ' ὅπερ ἂν γένηται τῶν εἰς τὴν ἡμετέραν προνοίαν φθανόντων, ἢ τῶν πρὸς τὴν τοῦ παντὸς οἰκονομίαν καὶ σύστασιν, διὰ τῶν τριῶν μὲν γίνεται, οὐ μὴν τρία ἐστὶ τὰ γινόμενα. *id eſt*: Omnis operatio ad creaturam à Deo proveniens, quæ ſecundùm varias notiones atque conſiderationes nomen accipit; à Patre proficiſcitur, & per Filium progreditur, & in Spiritu Sancto perficitur. Idcirco in multitudinem operantium nomen efficaciæ & operationis non ſcinditur; quoniam non ſeparatum cujuſque atque peculiare circa aliquam rem ſtudium eſt: ſed quicquid fit, quod vel ad noſtri providentiam, vel ad ſummæ rerum adminiſtrationem & conſtitutionem pertineat, per Tres quidem fit; non tamen tria ſunt, quæ fiunt. *Hæc ille.*

*Explic. Catech. Heidelb. qu. 24.* 5. Non eſt igitur recipienda illa nuper excogitata diſtinctio, licet ea doctis quibuſdam viris exciderit, quâ dicunt; Patrem operari opera externa mediatè per Filium & Spiritum Sanctum: Filium autem mediatè operari per Spiritum Sanctum: & Spiritum Sanctum operari immediatè *vide ſupra, cap. 6. §. 1. & §. 5.* per ſe. Nam per Filium agit Pater non minùs immediatè, quàm agit ipſe Filius. Item, Pater & Filius agunt per Spiritum Sanctum non minus immediatè, quàm agit ipſe Spiritus Sanctus. Iſta diſtinctio in una ſimpliciſſimâ & prorſus indiviſâ operatione non habet locum: ſed tantummodò ubi ſunt plures operationes; uti ſunt operatio *Omnis perſona divina operatur immediatè, etiam ad extra. vide cap. 13. §. 4. & §. 8.* cauſſæ principalis, & operatio inſtrumenti. item cauſſæ remotæ, & propinquæ; quæ differunt eſſentiis (ſaltem numero differentibus,) & operationibus. Non ita in perſonis divinis, quæ omnes ſimul operantur, ἀμερίστως & ἀδιαιρέτως, ubi omnis operatio ad extra eſt indiviſa, & ſummè ſimplex, ſicut eſſentia; & unaquæque perſona eſt cauſſa principalis: nulla autem perſona eſt cauſſa inſtrumentalis, niſi ſolus Filius in aſſumta humanâ naturâ, quæ ipſi ſoli propria eſt; non autem ſecundùm Deitatem. Manet quidem internus ordo perſonarum operantium: nulla eſt tamen diverſitas modi operandi ad extra. Tota Trinitas eſt una indiviſa cauſſa principalis, & unaquæque perſona perfectè principalis, indiviſè ab aliis perſonis. Neque eſt una perſona in operando remotior aut propinquior, quàm alia: ſed unâ ſimpliciſſimâ & ἀτμήτῳ operatione operatur ſancta Trinitas. Quæcunque facit Pater, hæc etiam Filius ſimiliter facit, Joan. 5. 19. ὁμοίως: non autem alter mediatè, alter immediatè.

*Non eſt dicendum: Filium operari ſucceſſivè.* 6. Scripſit, ac typis nuper evulgavit Anonymus quidam, tractatum quendam linguâ noſtra vernaculâ, quem inſcripſit: *A mirrour of preſence*, id eſt: *Speculum præſentiæ*. in quo, (pag. 38.) perquam abſurdè, ait: Patrem in nobis gratiam operari *originaliter*; Filium autem gratiam in nobis operari *ſucceſſivè*; & Spiritum Sanctum operari à Patre & Filio immediatè. Nam quis unquam orthodoxus auſus eſt ſucceſſionem in operatione perſonarum Trinitatis aſſerere? aut quis iſtud ſalvâ veritate dicere poterit? Certè operatur ſancta Trinitas unâ ſimplici atque indiviſâ operatione, ἀμερίστως & ἀδιαιρέτως, ſimul Pater & Filius & Spiritus Sanctus: neque una perſona ſuccedit alteri in operando. Ut illa non repetam, quæ monuimus de altera diſtinctione, in operationem mediatè & immediatè.

7. Scitè Auguſtinus: Eadem (inquit,) ſunt opera Patris & Filii: non quòd Filius ſit idem ipſe qui Pater eſt; ſed quia nullum opus eſt Filii, quod non per eum Pater facit: nec ullum Patris, quod non per Filium ſimul facientem facit. quæcunque enim Pater facit, hæc eadem Filius ſimiliter facit. Euangelica eſt & iſta ſententia, Filii ipſius conſequenter ore prolata: Non ſunt ergo alia Filii, & alia Patris opera; ſed hæc eadem: nec diſſimiliter fiunt à Filio; ſed ſimiliter. ------ Nec operantium eſt diverſa potentia, nec utique ſine Spiritu Sancto. Neque enim à faciendis amborum operibus ullo modo amborum ſeparabitur Spiritus. Miro itaque, eodemque utique divino, modo ab omnibus fiunt opera omnium: ab omnibus etiam ſingulorum. ------ Non quòd invalidus ſit unuſquiſque eorum, ſine aliis quod operatur implere: ſed non poteſt operatio eſſe diviſa, ubi non ſolum æqualis eſt; verum-etiam indiſcreta natura. Hæc Auguſtinus, lib. contra ſermonem Arianorum, cap. 15. *Simul faciunt.* *Ioan. 5. 19.* *Non poteſt operatio eſſe diviſa, ubi eſt indiſcreta natura.*

8. Neque operationis divinæ inſeparabilitati officit quorundam externorum operum vel donorum appropriatio quibuſdam perſonis, propter ſublimes quaſdam rationes, à ſimilitudine operum illorum ad internas proprietates, & ab ordine diſpenſationis myſterii ſalutis noſtræ ſumtas; ut appropriatio creationis & dilectionis Patri, & gratiæ ac reconciliationis Filio, & illuminationis ac ſanctificationis Spiritui Sancto. Nam omnia iſta opera & dona ſunt Trinitatis, nec eſt aliquod eorum uni alicui perſonæ proprium, quod una aliqua perſona ἰδιαζόντως ſeorſim operetur, quamvis quadam loquendi ratione ſit appropriatum: & quæ uni perſonæ alicubi appropriantur, eadem alibi in ſacris ſcripturis perſonis aliis tribuuntur vel Deo abſolutè, ad oſtendendam perpetuam operationis divinæ ad extra inſeparabilitatem. *Appropriatio.*

9. Secundùm has rationes ordinis & appropriationis, Gregorius Nazianzenus, orat. 24. Patrem vocat αἴτιον, Filium autem δημιουργόν, & Spiritum Sanctum τελειωτικόν. Et Baſilius Magnus, lib. de Spiritu Sancto, cap. 16. differens de creatione Angelorum, ait: ἐν δὲ τῇ τούτων κτίσει, ἐννόησόν μοι τὴν προκαταρκτικὴν αἰτίαν τῶν γινομένων τὸν Πατέρα, τὴν δημιουργικὴν τὸν Υἱόν, τὴν τελειωτικὴν τὸ Πνεῦμα. Ejuſmodi appropriationes non impediunt operationis Trinitatis inſeparabilitatem. Nam (ut loquitur Aug.) ad creaturam Pater & Filius & Spiritus Sanctus unum principium; ſicut unus Creator, & unus Dominus. lib. 5. de Trinitate, cap. 14. εἷς Θεὸς πάντων αἴτιος. Juſtin. expoſ. fidei. Et hanc inſeparabilitatem etiam Baſilius ac Nazianzenus locis citatis & alibi paſſim prædicant, & clariſſimis ſacræ Scripturæ teſtimoniis luculenter demonſtrant. Vide etiam infrà, cap. 12. & 27. & 28. & 33. *Nazianz. orat. 24. in Ægyptiorum adventum.* *Unum principium.* *Unus Deus omnium ſumma cauſſa.*

10. Neque individuæ Trinitatis inſeparabili operationi



operationi repugnat vocum aut viſibilium ſymbolorum, quæ demonſtrandæ huic Trinitati adhibentur, neceſſaria ſeparatio, propter imperfectionem creaturæ.

*Nunquam ſigillatim, ad extra.* 11. Ambroſius, in ſymbol. Apoſtol. cap. 9. Sancta & inſeparabilis Trinitas nunquam aliquid extra ſe ſigillatim operari noverit. Et quò hæc magis perſpicua ſint, breviter intimabo. Incarnationem Verbi Trinitas fecit: & tamen non pertinet incarnatio, niſi ad Verbum. Vocem de Cœlo ſuper Filium poſt baptiſmum Trinitas fecit: & tamen non pertinet, niſi ad Patrem. In- *Luc. 3. 22.* quit enim: *Tu es Filius meus dilectus.* Deſcenſum itidem Spiritûs Sancti ſupra Filium in columbæ ſpecie Trinitas fecit: & tamen non pertinet, niſi ad Spiritum Sanctum. Et deſcendit (inquit) Spiritus Sanctus corporali ſpecie ſicut columba, in ipſum. —— Quia non ex alia atque aliâ ſubſtantiâ ſunt ſanctæ inſeparabilis Trinitatis perſonæ, nec alias operationis. Cum ergo ſigillatim Pater & Filius & Spiritus Sanctus ali- *Omnia pariter.* qua operari dicuntur, omnia pariter tres perſonæ operantur. *Hæc Ambroſius.*

12. Auguſtinus, lib. 4. de Trinitate, cap. 21. *Trinitas operatur inſeparabiliter.* ſeu ultimo: Planè (inquit) fidenter dixerim, Patrem & Filium & Spiritum Sanctum unius ejuſdemque ſubſtantiæ, Deum Creatorem, Trinitatem omnipotentem inſeparabiliter operari: ſed ita non poſſe per longè imparem, maximéque corpoream creaturam inſeparabiliter demonſtrari; ſicut per voces noſtras, quæ utique corporaliter ſonant, non poſſunt Pater & Filius & Spiritus Sanctus, niſi ſuis & propriis intervallis temporum certâ ſeparatione diſtinctis, quæ ſuæ cujuſque vocabuli ſyllabæ occupant, nominari. In ſua quippe ſubſtantiâ, quâ ſunt tria, unum ſunt Pater & Filius & Spiritus Sanctus, nullo temporali motu ſuper omnem creaturam: idipſum ſine ullis intervallis temporum vel locorum: & ſimul unum atque idem ab æternitate in æternitatem, tanquam ipſa æternitas, quæ ſine veritate & charitate non eſt. In meis autem vocibus ſeparati ſunt Pater & Filius & Spiritus Sanctus, nec ſimul dici potuerunt, & in literis viſibilibus ſua ſeparatim locorum ſpatia tenuerunt. Et quemadmodum, cùm memoriam meam & intellectum & voluntatem nomino, ſingula quidem nomina ad res ſingulas referuntur; ſed tamen ab omnibus tribus ſingula facta ſunt: nullum enim horum trium nominum eſt, quod non & memoria, & intellectus, & voluntas mea ſimul operata ſint: Ita Trinitas ſimul operata eſt, & vocem Patris, & carnem Filii, & columbam Spiritûs Sancti, cùm ad ſingulas perſonas hæc ſingula referantur. Quâ ſimilitudine utcunque cognoſcitur, inſeparabilem in ſeipſa Trinitatem per viſibilis creaturæ ſpeciem ſeparabiliter demonſtrari: & inſeparabilem Trinitatis operationem, etiam in ſingulis eſſe rebus, quæ vel ad Patrem, vel ad Filium, vel ad Spiritum Sanct. demonſtrandum propriè pertinere dicuntur. *Inſeparabilis operatio.*

13. Similia de illâ voce Patris, & de carne Filii, & de columba Spiritûs Sancti, linguiſque igneis, ſcripſit Fulgentius, lib. de fide ad Petrum Diac. cap. 9. qui liber invenitur etiam tom. 3. operum Auguſtini.

## CAPUT UNDECIMUM.

### *De relationibus non exeuntibus. Item, de loquutionibus de perſona aliquâ Divinâ ad ſeipſam.*

RElationes perſonarum Divinarum inter ſe, ſeu ad ſe invicem non exeunt ad creaturas. Nam perſona Paterna perſonali ſuâ Paternitate Pater eſt ſolius Filii conſubſtantialis & unigeniti; quem ideo μόνον ἴδιον αὐτοῦ καὶ φύσει γέννημα vocat Athanaſius, lib. de Synodi Nicenæ decretis contra Arianos, poſt medium. Et Filius Divinâ ſua filiatione eſt ſolius Patris Filius unigenitus, filiatione nobis incommunicabili. Pater & Filius ſpiratione internâ ſolius Spiritûs Sancti Spirator. Spiritus Sanctus internâ proceſſione originis eſt Patris Filiique duntaxat Spiritus. Etſi, quatenus donatione divinâ à nobis accipitur, dici etiam noſtrum Spiritum, docet Auguſtinus, lib. 5. de Trinitate, cap. 14. ex Num. 11, 17. & Luc. 1, 17. adde 2. Reg. 2. 9. 15.

2. Quicquid ad ſeipſam ſive ſubſtantialiter dicitur aliqua perſona in Trinitate, non dicitur ſine aliis perſonis; ſed id omnes ſimul dicuntur, ſeu eſſe intelliguntur: nec pluraliter; ſed ſingulariter. Non enim tres Dii; ſed unus Deus, unus *Unus Deus.* Dominus, unus omnipotens, &c. Hæc eſt obſervatio Auguſtini, lib. 5. de Trinitate, cap. 8. *Tres perſonæ.* & lib. 6. cap. 2. Excipe perſonam, quod vocabulum pluraliter dicitur, quamvis ad ſe dicatur, & ſecundùm ſubſtantiam; non autem relativè ad alium. Aug. lib. 7. de Trinitate, capitib. 4. 5. 6. Thomas in 1. ſent. diſt. 23. qu. 3. ait: Perſona in divinis ſignificat relationem per modum ſubſtantiæ, non quæ eſt eſſentia; ſed quæ eſt ſuppoſitum habens eſſentiam.

3. Huc pertinent illa verba ſymboli Athanaſii: Increatus Pater; increatus Filius; increatus Spiritus Sanctus: immenſus Pater; immenſus Filius; immenſus Spiritus Sanctus: æternus Pater; æternus Filius; æternus Spiritus Sanctus. Et tamen non tres æterni; ſed unus æternus: Si- *Vide cap. 35. Theſ. 10.* cuti non tres increati, nec tres immenſi; ſed unus increatus, unus immenſus. Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus: & tamen non tres omnipotentes; ſed unus omnipotens. Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus: & tamen non tres Dii, ſed unus eſt Deus: ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus: & tamen non tres Domini, ſed unus eſt Dominus. quia ſicut ſingulatim unamquamque perſonam Deum & Dominum confiteri Chriſtianâ veritate compellimur: ita tres Deos aut tres Dominos dicere, Catholicâ religione prohibemur.

4. Omnia quæ habet Pater ſunt Filii, πλὴν *Ioan. 16. 15.* τῆς ἀγεννησίας. Nazianz. orat. 44. πλὴν τοῦ εἶναι πατήρ. Oecum in cap. 1. epiſt. ad Hebræos. Et omnia quæ habet Filius, ſunt Spiritûs Sancti, πλὴν τῆς γεννήσεως, ſi generationem excipias. Nazianz. loco citato. Oecumenius autem in Commentario illo exponens verba ſacri Textûs: character perſonæ ipſius χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ. Hebr. 1. 3. ἵνα (inquit) δείξῃ ἐν ἑαυτῷ δεικνύει τὴν οὐσίαν καὶ τὴν ὑπόστασιν. Θεός ἐστι, ἐξουσιαστής ἐστι, παντοδύναμος, δημιουργός, καὶ τὰ ἄλλα τὴν πατρικὴν ὑπόστασιν χαρακτηρίζει· πλὴν τοῦ εἶναι πατήρ, τουτέστι ὁ υἱός. διὸ καὶ [illegible] τὸ ῥῆμα τῆς δυνάμεως αὐτοῦ καὶ σοφίας καὶ παντοκρατορίας. *id eſt*:

Hoc

Hoc eſt totam in ſe ipſo complexus eſſentiam & exſiſtentiam. Deus eſt, infinitæ autoritatis eſt, omnipotens Creator, & ſi quid aliud eſt quod Paternam exprimit exſiſtentiam, præterquam eſſe Patrem, ea omnia eſt Filius. Ideo quoque omnia verbo potentiæ verſat, & continet, ac gubernat.

*Matth. 19, 17.* 5. Eodem ſenſu Dionyſius, exponens verba Domini, *Nemo bonus, niſi ſolus Deus*; ea de tota Trinitate intelligenda eſſe docet. & in genere de ſimilibus loquutionibus diſſerens, ait: [illegible] *id eſt*, Omnia divina nomina quæ Deo digna ſunt, ſemper, non ſigillatim per partes, ſed in tota & perfectâ & integrâ plenaque Deitate à divinis oraculis laudari: eaque omnia ſine partitione, abſolutè, ſine diſcriminis obſervatione, totaliter ſeu integrè, omni totalitati ſeu integritati totaliter perfectæ & totius Deitatis tribui. [illegible] *id eſt*; Etenim, ſi quis hoc in tota Deitate dici negaverit, is blaſphemat, & iniquè audet dividere eam unitatem quæ pluſquam unita eſt. Hæc Dionyſius Areopag. lib. de divinis nominibus, cap. 2. Vide infrà, cap. 32. ubi exponuntur verba illa Chriſti, ad Patrem; *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* *Ioan. 17, 3.*

*Quæſtio.* 6. Verùm dicet rurſus quiſpiam, (inquit Damaſcenus) qui fit, ut cùm perſonam & perſonam & perſonam dicimus, tres perſonas dicamus: ac & Deum & Deum & Deum dicimus, non item tres Deos dicamus? Cui quidem argumento ſic reſpondemus: *Reſponſio.* Quæ particularia ſunt, minimè communicantur: quæ autem communia, etiamſi unicuique particularium impertiantur, at coniunctim tamen & communiter. Atque unaquæque perſona privatim conſideratur; non autem ipſis communis eſt una perſona. Hæc & plura huc ſpectantia ſcripſit Joannes Damaſcenus, epiſt. de ter-ſancto hymno, ad Jordanem Cœnobiarcham.

7. Vide Auguſtinum, lib. 7. de Trinitate, capitib. 4. 5. 6. & ſerm. 38. de tempore. & Petr. Lombardum ejuſque interpretes, 1. ſent. diſt. 23. & diſt. 25. & Alex. Alenſ. in ſumma Theologiæ, part. 1. qu. 56. & Thom. in Summa, part. 1. qu. 29. art. 4. & qu. 30. art. 4.

## CAPUT DUODECIMUM.

### *De nominibus, quæ de Deo dicuntur reſpectu creaturæ.*

*Regula.* *OMne nomen dictum de Deo reſpectu creaturæ indicat eſſentiam; adeòque prædicatur de tribus perſonis ſimul: exceptis quæ pertinent ad unionem ſeu diſpenſationem, id eſt, ad incarnationem ſive aſſumtam carnem.* Hanc regulam ex verbis Auguſtini elicit Bonaventura in 1. ſent. diſt. 22. dub. 3. Ejuſque veritas manifeſta eſt ex cap. 8. Atque adeò his nominibus, Deus noſter, Pater noſter, Dominus noſter, Prædeſtinator, Creator, Reconciliator, Adoptator, Sanctificator, Exauditor precum, &c. ſive nominetur, Pater, ſive Filius, ſive Spiritus Sanctus, intelligenda ſemper eſt ſancta Trinitas, Deus noſter, Pater noſter, Dominus noſter, qui nos prædeſtinavit, creavit, reconciliavit, adoptavit, exaudit, &c. Pater ille Luminum, à quo deſcendit omnis donatio bona, & omne donum perfectum. Jacob. 1, 17.

2. In Liturgia S. Baſilii, propè finem; ſacerdos orans, ait: Domine, ſanctifica eos qui confidunt in te, ſerva populum tuum, &c. *Trinitas Pater luminum. Iacob. 1, 17.* [illegible] *id eſt*: quia omne datum bonum & omne donum perfectum, deſuper eſt, deſcendens à te Patre luminum: & tibi gloriam, gratiarumque actionem, & adorationem offerimus, Patri & Filio & Spiritui Sancto, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum.

*Chriſtiani ſunt Filii Chriſti, & Spiritus Sancti. vide cap. 21. §. 2.* 3. Macarius Ægyptius, homil. 16. Chriſtianos vocat [illegible] idest, filios Adæ cœleſtis, filios Spiritus Sancti, fratres Chriſti ſimiles Patri ſuo Adæ ſpirituali.

*Spiritus Sanctus cum Patre & Filio nos adoptat.* 4. Baſilius Magnus, homil. 15. quæ eſt de fide, ait Spiritum Sanctum [illegible], adoptare eos qui abalienati fuerant. Et alibi ex hac adoptione demonſtrat [illegible], unitatem naturæ quæ eſt Spiritui Sancto cum Patre & Filio. homil. 27. contra Sabellianos.

5. Gregorius Nyſſenus, lib. de S. Trinitate ad Euſtathium: [illegible] *id eſt*: Sanctificat & vivificat, & illuminat, & conſolatur, & omnia talia ſimiliter ſeu pariter Pater & Filius & Spiritus Sanctus: Nec quiſquam Spiritûs Sancti efficaciæ peculiariter tribuat ſanctificatricem poteſtatem, cùm audiverit Servatorem in Euangelio de diſcipulis ad Patrem dicentem: Pater ſanctifica eos in nomine tuo. *Ioan. 17, 11, 17.* Item cætera quoque omnia eodem modo pariter & ex æquo iis qui digni ſunt, præſtantur à Patre & Filio & Spiritu Sancto, omnis gratia & virtus, & ductio, & vita, & conſolatio, in immortalitatem commutatio, in libertatem tranſlatio, & ſi quod aliud bonum eſt ad nos uſque deſcendens. *Nomen individuæ Trinitatis. vide cap. 17. Iacob. 1, 17.*

6. Auguſtinus, lib. 3. contra Maximinum, cap. 23. Trinitas quippe ſecundum veram fidem, id eſt, Pater & Filius & Spiritus Sanctus, in cujus nomine baptizamur, & unus Dominus Deus noſter eſt, & præter ipſum alius non eſt. Ipſe enim eſt Deus, de quo dicit Apoſtolus, *Nullus eſt Deus, niſi unus.* *Trinitas Dominus Deus & Pater noſter eſt. 1. Cor. 8, 4.*

7. Fulgentius, lib. 2. ad Monimum, cap. 11. Sancta naturalis unitas & æqualitas & charitas Trinitatis, quæ unus, ſolus, & verus eſt Deus, unanimitate ſanctificat quos adoptat. *Trinitas nos ſibi reconciliat, adoptat, & ſanctificat.* Et lib. de fide ad Petrum Diaconum, in fine cap. 2. Reconciliati ſumus per ſolum Filium ſecundùm carnem, ſed non ſoli Filio ſecundùm Divinitatem. Trinitas enim nos ſibi reconciliavit, per hoc quod ſolum Verbum Carnem ipſa Trinitas fecit.



*Omnia nomina divina cauſam aut munificentiam erga creaturas ſignificantia, communia ſunt tribus perſonis.* 8. Rectè Dionyſius, (qui Areopagita dicitur,) libro de Divinis nominibus, cap. 2. Communia omnibus perſonis Divinis eſſe monet ea nomina omnia, quæ cauſſæ rationem includunt vel munificentiæ erga creaturas, [illegible]. Et in fine ejuſdem capitis, eandem doctrinam inculcans, ait; [illegible] *id eſt*; omnem Dei appellationem quæ ejus beneficentiam importat, cuicunque perſonarum Divinarum tribuatur, accipiendam eſſe promiſcuè de tota divinâ totalitate.

*Regula.* 9. Ex verbis Auguſtini elicit etiam hanc regulam Bonaventura, in 1. ſent. diſt. 22. dub. 3. *Omne nomen quod dicitur de Deo ex tempore, & non dicitur de perſonis ſingulis, prædicat notionem, vel quaſi.* Et hoc dicitur (inquit Bonaventura) propter hoc nomen *miſſus*, quod dicit eſſe ab alio. De hoc nomine plura inferiùs, cap. 26. & 27. Notionem intellige diſtinctivam perſonarum inter ſe per proprietatem vel relationem internam.

10. Ex iis quæ ſuperiùs explicata ſunt, apparet veritas illius axiomatis Theologici apud Andream & Aretham, Cæſariæ Cappadociæ Epiſcopos, cap. 1. Commentarii in Apocalypſin: *Axioma.* [illegible] *id eſt*: Omnia quæ Divino modo dicuntur de ſuperſubſtantiali Trinitate, unicuique trium perſonarum appropriantur & conveniunt: præter illa quæ productionem ſeu perſonalem harum cognitionem inducunt.

11. Hoc axioma opponunt hæreticæ eorum amentiæ, qui audent [illegible] *id eſt*: Nugaciter aſſerere, ſingulas trium perſonarum ſeorſim operari operationem Divinam ſibi appropriatam.

## CAPUT DECIMUM-TERTIUM.

### *De creatione hominis ad imaginem Trinitatis. Et de illo Dei ad Deum alloquio:* faciamus hominem ad imaginem noſtram.

SEcundùm ineffabile conſilium voluntatis ſuæ ſanctiſſima Trinitas ad imaginem ſuam creavit hominem, qui commune trium perſonarum opus exſtitit, ut tres cultu indiviſo pariter adoret.

*Geneſ. 1, 26.* 2. Gregorius Nyſſenus, oratione 1. in illa verba, *faciamus hominem ad imaginem noſtram.* Duas (inquit) adverte perſonas: unam, quæ loquitur; alteram, ad quam dirigitur oratio. Cur autem non dixit, *facito*, ſed *faciamus*? Ut dominatum intelligeres, ne Patre cognito Filium ignorares: ut ſcires Patrem feciſſe per Filium, & Filium Paternâ creaſſe voluntate, laudareſque Patrem in Filio, & Filium in Spiritu Sancto. Commune eorum opus exſtitiſti, ut ipſos pariter adores & colas: non adorationem dividas, ſed unam eſſe agnoſcas Deitatem. *Miſterium ubi tangimus.* [illegible] ſcriptum eſt [illegible] *faciamus*, [illegible], ut cognoſcas Patrem & Filium & Spiritum Sanctum. *Prohibetur diviſio cultus, ne multitudo inferatur Deorum.* [illegible], & fecit Deus hominem. [illegible] *id eſt*; ut unam agnoſcas Deitatem: unam, inquam, non unitate perſonarum, ſed poteſtate; ut unâ cogitatione defixus, non dividas adorationem, nec in Deorum multitudinem diſtrahatis. [illegible] [Propria eſt hypoſtaſis ſeu perſona Patris, & propria Filii, & propria Spiritûs Sancti.] [illegible] [& principium à Patre in Filio idem eſt.] [illegible] [Idcirco una eſt apud nos adoratio, & eadem collaudatio.] [illegible] Noſtræ procreationis exordium veram continet Theologiam. Hæc ibi Gregorius Nyſſenus.

*Diſſertatio de illo Dei ad Deum alloquio, Geneſ. 1. 26.* 3. Nemini autem fas ita inſanire, ut exiſtimet eſſe aliquem articulatum diſcurſivum ſermonem, [illegible] quo intermedio Pater loquutus ſit ad Filium, voluntatemque ei ſuam notam fecerit. Nam (ut rectè argumentatur Gregorius Nyſſenus, orat. 12. contra Eunomium) cùm in principio ante omnem creaturam Filius Deus Verbum fuerit, & per ipſum omnia facta ſint, nec ſine eo quicquam factum ſit quod factum eſt, Verbum illud intermedium non potuit eſſe quid creatum: tunc enim per Filium fieret, per quem omnia facta ſunt, & qui quæcunque facit Pater, eadem facit ſimiliter: atque adeò præſupponeret Paternæ voluntatis notitiam in Filio, & eſſet inutile. Præterea ſcriptura dicens, *ipſe dixit & facta ſunt*, ponit verbum illud Patris ante omnem creaturam: [illegible]. *Pſal. 33, 9.* Adhæc Filius non eget tali vehiculo intermedio, per quod ei intimetur Patris voluntas, qui in eo Pater eſt, & ejus ſunt omnia quæ Patris ſunt, ipſe eſt Sapientia & Verbum Patris. [illegible] *id eſt*: Non eget igitur Patris voluntatem per ſermonem diſcere: ipſe cùm ſit Patris Sermo, ſublimiore ſermonis ſignificatione. Quis igitur ille ſermo, qui fit ad eum qui verè eſt Sermo? & quomodo qui verè eſt ſermo, rurſus alio ſermone ad doctrinam indiget? (Similiter

etiam ibidem probat Nyſſenus, Patrem non uti [illegible] ad Spiritum Sanctum; quippe eis non egentem, quia ipſe Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei.) Nec poteſt eſſe aliquod medium Verbum increatum inter Patrem & Filium. Nam neque poterit illud eſſe [illegible], hujuſmodi enim eſt ſolus Pater, & ipſa verbi cujuſcunque ratio intrinſeca importat eſſe ab alio: neque erit genitum à Patre; nam Filius eſt Verbum Patris unigenitum: neque erit alio modo procedens à Patre; tunc enim etiam procederet à Filio, cujus ſunt omnia Patris. [illegible] id eſt: Neceſſariò igitur nihil inter Patrem & Filium medium eſſe, cogitare ſermo veritatis cogit. Ubi verò diſtantia non intelligitur, hoc adunatum prorſus conceditur. Quod autem per omnia adunatum eſt, mediâ voce & ſermone non utitur. Adunatum autem dico, quod in omnibus inſeparabile.

*Vide ſuprà cap. 4.*

4. Et ibidem; [illegible], non eſt differentia Filii & Patris in voluntate. [illegible] Dicimus imaginem Dei inviſibilis, Dominum, ad omnem voluntatis motionem immediatè & abſque intervallo cum Patre ſimul affici.

*Eadem voluntas.*

*[illegible]*

5. Idem etiam Gregorius Nyſſenus, eâdem orat. 12. contra Eunomium, ait: [illegible] id eſt: Voluit aliquid Pater, & qui in Patre eſt Filius novit voluntatem Patris: imò verò ipſe Patris voluntas eſt. Qui enim omnia quę ſunt Patris in ſe ipſo habet, nihil quæ ſunt Patris, quod non habeat. Si jam omnia eſt eorum habet in ſe ipſo quę Paterna ſunt, imò verò & ipſum Patrem: omnino cum Patre totam voluntatem Paternam in ſe habet.

6. Ambroſius, libro 5. de fide cap. 5. Haud verò (inquit) in hanc humilitatem Dei Filium deducemus, ut niſi quæ audierit, facere aut loqui neſciat, & præſcriptam agendi loquendique ei putemus eſſe menſuram, quia ſcriptum eſt; *ex me ipſo non ſum loquutus*. Et infrà; *Sicut dixit mihi Pater, ita loquor*. Sed ad obedientiam carnis, aut ad fidem unitatis iſta referantur. Plerique enim doctiores & audire Filium & dicere aliquid Filio Patrem, accipiunt per unitatem naturæ. Quod enim per unitatem voluntatis novit Filius, Patrem velle videtur audiſſe. Unde non officium corporale, ſed arbitrium indiſſociabile cooperationis declaratur. Neq; enim verborum hic aliquem ſignificat auditum; ſed unitatem voluntatis atque virtutis, quæ & in Patre eſt & in Filio. Quam etiam & in Spiritu Sancto eſſe memoravit alio loco, dicens; *Non enim loquetur à ſemetipſo; ſed quæ audierit, loquetur*. Ut adverteremus, quod quicquid Spiritus loquitur, loquitur & Filius: & quicquid loquitur Filius, loquitur & Pater; quia una ſententia & operatio Trinitatis eſt. Sicut enim Pater videtur in Filio, non utique ſpecie corporali, ſed unitate Divinitatis: ita etiam Pater loquitur in Filio, non temporali voce, nec corporali ſono, ſed operis unitate. Denique cùm dixiſſet; *Sicut dixit mihi Pater, ſic loquor*. Et, *Pater qui in me manet, ipſe facit opera*. Addidit; *Credite mihi, quia ego in Patre, & Pater in me eſt, alioqui propter opera ipſa credite*. Hic intellectus eſt noſter ſecundum Divinarum ſeriem ſcripturarum. [Et paullò inferius ibidem.] Satis probatum eſt ſcripturarum exemplis ad unitatem majeſtatis pertinere Divinæ, quòd & Pater maneat in Filio, & ea quæ loquitur Filius, à Patre videatur audiſſe. Hæc Ambroſius.

*Joan. 12, 49. 50.*

*Joan. 16. 13. Una ſententia & operatio Trinitatis eſt.*

*Joan. 10. & 14. & 14.*

7. In eandem ſententiam Auguſtinus, Tract. 47. in Euang. Joan. exponens illa Domini verba, [*hoc mandatum accepi à Patre meo.*] Verbum non à Verbo accepit mandatum, ſed in Verbo unigenito Patris eſt omne mandatum: cùm autem dicitur Filius à Patre accipere quod ſubſtantialiter habet, quomodo dictum eſt; *Sicut habet Pater vitam in ſe ipſo, ſic dedit Filio vitam habere in ſe ipſo*: cùm Filius ipſe ſit vita, non poteſtas minuitur, ſed generatio ejus oſtenditur; quoniam Pater non quaſi ei Filio qui imperfectus eſt natus, aliquid addidit, ſed ei quem perfectum genuit, omnia gignendo dedit: ita illi dedit ſuam æqualitatem, quem non genuit inæqualem. Item Tract. 54. in idem Euang. in illa Domini verba: [*quæ ego loquor, ſicut dixit mihi Pater, ſic loquor;*] non accipiamus (inquit) *dixit mihi*, quaſi Pater verba loquutus ſit *unico Verbo*, aut egeat Dei verbis Dei Verbum. Dixit ergo Pater Filio, *ſicut dedit vitam Filio*, non quod neſciebat vel non habebat, ſed quo ipſe Filius erat. Quid eſt autem, *ſicut dixit mihi Pater, ſic loquor*: niſi Verbum loquor? ita ille dixit ut verax: ita iſte loquitur ut veritas. Verax autem genuit Veritatem: quid ergo jam diceret Veritati? non enim imperfecta erat Veritas, cui verum aliquid adderetur. Dixit ergo Veritati, quia genuit Veritatem. Hæc Auguſtinus.

*Joan. 10, 18.*

*Joan. 5, 26.*

*Joan. 12, 50.*

8. Hac interpoſitâ moneâ de Divino illo colloquio, *faciamus hominem*, &c. ſubjiciemus nunc alia Patrum teſtimonia de creatione hominis indiviſâ, à tribus perſonis, ad unius Dei ſeu Trinitatis imaginem; ad imaginem (inquam) eſſentiæ Divinæ.

9. Baſilius Magnus, libro 9. Hexaëmeron. *Faciamus hominem*. [illegible] id eſt: Audis, ò tu qui adverſus Chriſtum pugnas! Deum ipſum ſuum in creandis rebus ſocium alloqui; per quem & ſecula fecit, qui portat omnia Verbo potentiæ ſuæ? Idem Baſilius alibi verbum potentiæ Filii, quo Filius omnia portat, interpretatur Spiritum Sanctum, inquiens. [illegible] Hæc ille, libro 5. contra Eunomium, cap. quod ſicut Filius ad Patrem ſe habet, ita & Spiritus ad Filium. Quamvis (ut proximo ſtatim capite ibidem docet,) Spiritus non ſit Filius Filii. Sed redeo ad Baſilianam expoſitionem Divini illius colloquii de creando homine: *Faciamus hominem ad imaginem noſtram*; quam legimus, libro 9. Hexaëmeron, ubi ait Baſilius: [illegible] Cui dicit, *ad imaginem noſtram?* [illegible] Cui, quæſo, alii quàm ei, qui eſt eſfulgentia gloriæ & character ſubſiſtentiæ ipſius;

*Verbum potentiæ Filii. Heb. 1. 3.*



ipſius; ei, qui eſt imago Dei inviſibilis? [illegible] Suæ igitur imagini propriæ, quæ vivit, & quæ dixit, Ego & Pater unum ſumus: item; qui me vidit, vidit Patrem: huic dicit, faciamus hominem ad imaginem noſtram. [illegible] Ubi una eſt imago, quis ibi locus diſſimilitudini? [illegible] *Et fecit Deus hominem*: non dixit, *fecerunt*. Evitavit hoc loco perſonarum multitudinem. Per illa namque Judæum erudiebat: per hæc verò gentilium excludens errorem, ſecurè admodùm ad unitatem recurrit: ut & Filium cum Patre intelligas, & multitudinem Deorum periculoſiſſimam effugias. Ibidem etiam Baſilius ſolidè refellit Judæorum commentum, dicentium, Deum alloquutum eſſe Angelos, quando dixit: *faciamus hominem ad imaginem noſtram*. Neque enim conſervis ea conſultationis dignitas competit: neque Angeli crearunt hominem; neque poteſt creatura adæquari unquam ſuo Creatori; homines autem perfecti æquales erunt Angelis: neque una eſt imago Dei & Angelorum. Hactenus Baſilius Magnus, Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus.

*Joan. 10. & 14.*

*Baſilius commentum Judæorum.*

10. Epiphanius, hæreſ. 46. quæ fuit Tatiani, §. 3. [illegible] id eſt: Adam nullis propagatus nuptiis, Patris & Filii & Spiritus Sancti manu eſt effictus, quemadmodum ſcriptura teſtatur, cùm ita Pater Filium alloquens introducitur: *faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.*

11. Idem Epiphanius, in Ancorato, §. 28. Pater in hunc modum loquutus eſt: *faciamus hominem ad imaginem noſtram & ad ſimilitudinem*. non dixit: faciam hominem ad imaginem meam. Vel hæc ipſa verba te redarguere debent, quicunque obduratum cor habes. Diſce illinc, Filium apud Patrem ſemper extitiſſe. Nam hoc verbum, *faciamus*, non unum duntaxat ſignificat: ſed Patrem cum Filio colloquentem exprimit. Eadem te vox illa convincat, quiſquis Patri diſſimilem eſſe Filium exiſtimas. Hoc enim ipſo quòd dicit; *ad imaginem noſtram*, Filii ſimilitudinem à Patre non disjunxit vel diſcrevit, [ἀδιαστάτως,] nec ullâ re diviſit identitatem Patris cum Filio. Non enim dixit, *ad imaginem meam*, vel, *ad imaginem tuam*: [illegible] id eſt: Sed Patris & Filii Spiritûs Sancti unam monſtravit eſſentiam & Deitatem; dicit enim, *ad imaginem noſtram & ſimilitudinem*: ut eadem intelligatur eſſe Patris & Filii & Spiritus Sancti Deitas, & hominem noverimus factum eſſe ad imaginem unius Deitatis Patris & Filii & Spiritûs Sancti.

*Contra Arianos & Anomæos.*

12. Baſilius Epiſcopus Seleucienſis, orat. 1. in illud; *In principio creavit Deus Cœlum & Terram*. Verba illa exponens, *faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, ait, [illegible] id eſt: Una quidem eſt quæ fit imago, ſed non unius perſonæ monumentum, verùm trium hypoſtaſeon. Commune namque quod fabricatum eſt opus Deitatis, Trinitatem quidem oſtendit effectricem ſeu fictricem, unam autem eſſe Trinitatis imaginem. Quòd ſi una Trinitatis imago, una utique trium hypoſtaſeon eſt natura. Siquidem eſſentiæ identitatem unitas imaginis loquitur.

*Trinitatis natura una, & imago una.*

13. Anaſtaſius Sinaita, lib. de creatione hominis à Deo ad imaginem Dei: paullo poſt initium illius libri. Rurſus (inquit) ait ſcriptura: *fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit eum.* [illegible] id eſt: Deum verò nempe intelligit Patrem & Filium & Spiritum Sanctum.

*Ad imaginem Dei, id eſt, ad imaginem Patris & Filii & Spiritûs Sancti.*

14. Hilarius Pictavienſis, lib. 5. de Trinitate: Homo (inquit) ad communem fit, ſecundùm veritatem ſermonis, imaginem. Deus qui loquitur, ad Deum loquitur. Ad Patris & Filii imaginem homo conditur. Nomen non diſcrepat: natura non differt. Imago communis eſt; Deus ad imaginem Dei hominem fecit. ----- Si igitur ad imaginem Dei Patris per Filium Deum homo conditur, conditur quoque ad imaginem Filii; quia nemo Filio dictum denegat, *ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*. Hæc Hilarius.

*Ad communem imaginem.*

15. Auguſtinus, lib. 12. de Trinitate, cap. 6. Dixit Deus: *Faciamus hominem ad imaginem noſtram*: paullò poſt autem dictum eſt, *Et fecit Deus hominem ad imaginem Dei*. Noſtram certè; quia pluralis eſt numerus: non rectè diceretur, ſi homo ad unius perſonæ imaginem fieret, ſive Patris, ſive Filii, ſive Spiritûs Sancti. Sed, quia fiebat ad imaginem Trinitatis, propterea dictum eſt, *ad imaginem noſtram*. Rurſus autem, ne in Trinitate credendos arbitraremur tres Deos, cùm ſit eadem Trinitas unus Deus, *Et fecit*, (inquit,) *Deus hominem ad imaginem Dei*: pro eo ac ſi diceret, ad imaginem ſuam. --------- Cur ait, *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, niſi quia Trinitatis imago fiebat in homine: ut hoc modo eſſet homo imago unius veri Dei, quia ipſa Trinitas unus verus Deus eſt. Hæc Auguſtinus. Vide etiam ejuſdem verba ſuprà commemorata, cap. 8. hujus libri, §. 8.

*Ad imaginem Trinitatis.*

*Quia Trinitatis imago fiebat in homine, ut homo eſſet imago Dei.*

16. Fulgentius, lib. de fide ad Petrum Diaconum, cap. 1. Una (inquit) & Patris & Filii & Spiritus Sancti eſſentia, quam Græci οὐσίαν vocant; in qua non eſt aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus Sanctus, quamvis perſonaliter ſit alius Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus. Quod nobis maximè in ipſo ſanctarum ſcripturarum initio demonſtratur, ubi Deus dicit: *faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*. Cùm enim in ſingulari numero dicit, *imaginem*, oſtendit unam naturam eſſe, ad cujus imaginem homo fieret. Cùm verò dicit pluraliter, *noſtram*, oſtendit, eundem Deum, ad cujus imaginem homo fiebat, non unam eſſe perſonam. Si enim in illa natura una Patris & Filii

*Non aliud Pater, aliud Filius, ſed alius.*

*Gen. 1.*

*Unius natura una imago.*

& Spiritûs Sancti una eſſet perſona, non diceretur, *ad imaginem noſtram*; ſed ad imaginem meam: nec dixiſſet, *faciamus*; ſed faciam. Si verò in illis tribus perſonis tres eſſent intelligendæ vel credendæ ſubſtantiæ, non diceretur, *ad imaginem noſtram*, ſed ad imagines noſtras. Una enim imago trium naturarum inæqualium eſſe non poſſet, ſed dum ad unam imaginem unius Dei homo factus dicitur, una ſanctæ Trinitatis eſſentialiter Divinitas intimatur. Denique & paullò pòſt, pro eo quòd ſuperiùs dixerat, *faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, ſic hominem factum ſcriptura narravit, ut diceret: *Et fecit Deus hominem: ad imaginem Dei fecit eum.* Hæc Fulgentius.

*Unus Deus Trinitas, cujus una Deitas, & una imago.*

17. Imago autem Dei in homine, in quo præcipuè conſiſtat, docet Apoſtolus, 2. ad Cor. 3, 18. & ad Epheſ. 4, 24. & ad Coloſſ. 3, 16. quâ de re etiam vide Anaſtaſii Sinaitæ librum, de creatione hominis ad Dei imaginem. & Aug. lib. 7. de Trinit. cap. 6. & diſſertationem noſtram de ſtatu primi hominis ante lapſum.

## CAPUT DECIMUM-QUARTUM.

### *De tribus hoſpitio exceptis ab Abrahamo.*

QUamvis tres illos ab Abrahamo exceptos hoſpitio (Geneſ. 18.) Deum cum duobus Angelis interpretentur, Juſtinus Martyr, dialog. cum Tryphone, & Chryſoſtomus, Comment. in illum locum, & Hilarius Pictavienſis, lib. 4. de Trinitate, & alii: cui etiam interpretationi favere videtur textus Apoſtolicus, dicens; Angelos hoſpitio exceptos à non opinantibus, Heb. 13, 2. Rationibus tamen haud contemnendis Auguſtinus contendit, eam fuiſſe manifeſtationem Trinitatis Dei. In quâ etiam opinione fuit Ambroſius. quos & alii quidam ſequuti ſunt.

*Unitas honoris.*

2. Ambroſius ait: Sed nec Abraham ignorabat Spiritum Sanctum. Denique tres vidit, & unum adoravit: quia unus Deus, unus Dominus, & unus Spiritus. Et ideò unitas honoris, quia unitas poteſtatis. Hæc ille, Prooemio in lib. 2. de Spiritu Sancto.

3. Auguſtinus, lib. 2. de Trinitate, cap. 11. Cùm (inquit) tres Viri viſi ſunt, nec quiſquam in eis vel formâ, vel ætate, vel poteſtate major cæteris dictus eſt; cur non hîc accipiamus viſibiliter inſinuatam per creaturam viſibilem Trinitatis æqualitatem, atque in tribus perſonis unam eandemque ſubſtantiam? Nam ne quiſquam putaret ſic intimatum unum in tribus fuiſſe majorem, & eum Dominum Dei Filium intelligendum, duos autem alios Angelos ejus, quia cùm tres viſi ſint, uni Domino illic loquitur Abraham: ſancta ſcriptura futuris talibus cogitationibus atque opinionibus contradicendo non prætermiſit occurrere. quando paullò poſtea duos Angelos dicit veniſſe ad *Loth*, in quibus & ille vir juſtus ad unum Dominum loquitur. Et cap. 12. Fortè, (inquiet aliquis,) unum ex tribus Abraham agnoſcebat Dominum; alios autem duos, Angelos ejus. Quid ſibi ergo vult, quod conſequenter dicit ſcriptura: *Abiit autem Dominus, poſtquam ceſſavit loquens ad Abraham: & venerunt duo Angeli in Sodomis veſperè?* Et poſtea, *Dixit autem Loth ad eos: Rogo Domine, quoniam invenit puer tuus ante te miſericordiam*, &c. Quid eſt hoc, quod dixit ad eos, *rogo Domine*: ſi jam ille diſceſſerat, qui Dominus erat, & Angelos miſerat; cur dicitur, *rogo Domine*, & non, *rogo Domini*? aut, ſi unum ex eis voluit appellare; cur ait ſcriptura, *Dixit autem Loth ad eos, rogo Domine, quoniam invenit puer tuus ante te miſericordiam?* An & hîc intelligimus in plurali numero duas perſonas? cùm autem iidem duo tanquam unus compellantur, unius ſubſtantiæ unum Dominum Deum? Sed quas duas perſonas hîc intelligimus? an Patris & Filii; an Patris & Spiritûs Sancti; an Filii & Spiritûs Sancti? Hoc fortaſſe congruentius, quod ultimum dixi. Miſſos enim ſe dixerunt; quod de Filio & Spiritu Sancto dicimus. Nam Patrem miſſum, nuſquam ſcripturarum nobis notitiâ occurrit. Et cap. 13. Quanquam Spiritum Sanctum alicubi Angelum dictum non recolam, ſed ex opere poſſit intelligi. Dictum enim de illo eſt: Quæ ventura ſunt, *annunciabit* vobis. Et utique Angelus Græcè, Latinè nuncius, interpretatur. De Domino autem Jeſu Chriſto evidentiſſimè legimus apud Prophetam, quòd magni conſilii Angelus dictus ſit. cùm & Spiritus Sanctus & Dei Filius ſit Deus & Dominus Angelorum. (Epiphanius in Ancorato, §. 70. εἰ γὰρ ὁ υἱὸς μεγάλης βουλῆς ἄγγελος, οὕτω καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον.)

*Spiritus Sanctus Angelus. Joan. 16, 13. Chriſtus Angelus. Eſai. 9, 6. Græc. LXX.*

4. Id ipſum de tribus illis hoſpitio exceptis ab Abrahamo, docet Auguſtinus, lib. 3. contra Maximinum cap. 26. ubi prolixè explicat ſenſum hiſtoriæ illius, quâ refert Moſes, Deum Abrahamo viſum eſſe ad quercum Mamræ: & de hoſpitibus Lot.

5. Paſchaſius Diaconus Rom. Cùm (inquit) Abrahæ in oſtio tabernaculi apparuiſſet Deus, & ex uno tres ejus ſe oculis mirabiliter obtuliſſent, in tribus unum conſcius Majeſtatis adoravit. Hæc Paſchaſius, lib. 1. de Spiritu Sancto, cap. 3. [tom. 9. bibl. Patrum, edit. 4.]

*In tribus unum.*

6. Hanc Ambroſii & Auguſtini doctrinam ſequuntur etiam Alexander Alenſis in ſua Summa Theologicâ, part. 3. qu. 30. membro 1. art. 3. §. 1. in Reſolutione. Et Thomas Aquinas in ſua Summa, 2. 2. quæſt. 24. art. 1. ad 3.

## CAPUT DECIMUM-QUINTUM.

### *Explicatio quorundam SS. Scripturæ dictorum de uno Deo.*

*Deut. 6, 4. Eſai. 45, 5. & ſeqq.*

SAnctiſſima Trinitas intelligitur his & ſimilibus ſacrarum literarum ſententiis: *Audi Iſrael, Iehova Deus noſter, Iehova unus eſt.* Item, *Ego Iehova, & non eſt ampliùs: præter me non eſt Deus. Ego Iehova, & nullus eſt ultra: formans lucem, & creans tenebras; faciens pacem & creans malum: Ego Iehova faciens omnia hæc. Ego feci terram, & hominem ſuper eam creavi: Ego, manus meæ tetenderunt Cœlos, & omni exercitui eorum præcepi. Deus Iſrael Salvator. Ego Iehova, & nullus præterea. Reſpicite ad me, & ſalvi eritis omnes fines terræ, quoniam ego Deus, & non eſt alius. Per me juravi, egreſſum eſt de ore meo in juſtitia Verbum, & non revertetur, quòd*



*Rom. 14, 11. Matth. 19, 17. Joan. 17, 3. 1. Tim. 1, 17. 1. Tim. 6, 15. 16.*

*mihi curvabitur omne genu, & jurabit omnis lingua.* Item; *Nullus eſt bonus, niſi unus, Deus.* Item; *ut cognoſcant te ſolum verum Deum*, &c. Item; *Regi autem ſeculorum immortali, inviſibili, ſoli ſapienti Deo, honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen!* Item; *Ille beatus & ſolus Princeps, Rex regum, & Dominus dominantium, qui ſolus habet immortalitatem, lucem habitans inacceſſam; quem vidit nemo hominum, neque videre poteſt. Cui honor & robur æternum: Amen!* Item: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.*

*Matth. 4, 10.*

2. Athanaſius, orat. 4. contra Arianos, dicta illa Deut. 4, 6. & Eſai. 45. & Joan. 17, 3. de unitate ſolius veri Dei prolata eſſe ait, οὐκ εἰς ἀθέτησιν τοῦ λέγοντος, ἐγώ εἰμι ἡ ἀλήθεια, ἀλλ' εἰς ἀναίρεσιν τῶν μὴ πεφυκότων εἶναι ἀληθινῶν, ὥσπερ ἐστὶν ὁ πατὴρ, καὶ ὁ τούτου λόγος. id eſt: Non ad exauctorationem ejus qui dicit, *Ego ſum Veritas*; ſed ad demolitionem eorum, quibus naturalis non eſt Deitas vera, ſicut eſt Patri ejuſque Verbo.

*Joan. 14, 6.*

3. Auguſtinus, lib. 5. de Trinitate cap. 11. Quod (inquit) ſcriptum eſt: *Audi Iſrael! Dominus Deus tuus, Deus unus eſt*: non utique excepto Filio, aut excepto Spiritu Sancto oportet intelligi. quem unum Dominum Deum noſtrum rectè dicimus, etiam Patrem noſtrum per gratiam ſuam nos regenerantem.

4. Gregorius Nazianzenus, orat. 36. quæ eſt ſecunda de Filio, & quarta de Theologia. Arianis dicta illa ſacrarum literarum ſuperius citata ex Matth. 19. & Joan. 17. & 1. Timoth. 1. & 6. ad ſolum Patrem trahentibus, fortiter reſiſtit, & luculenter docet, ea omnia Filio pariter cum Patre convenire.

5. Id ipſum docet etiam Gregorius Nyſſenus, orat. 10. contra Eunomium.

6. Ambroſius, lib. 2. de fide cap. 3. Ea (inquit) quæ habet Pater, id eſt, æternitatem, majeſtatem, Divinitatemque, naſcendo poſſidet Filius. Nec vereor ne, quia ſcriptum eſt de Deo; *Beatus & ſolus potens*, ab eo Dei Filius ſeparetur. Idem quoque, lib. 5. de fide cap. 1. Docet Chriſtum à ſolius veri Dei jure non poſſe ſeparari, ſed hoc eſſe ei cum Patre commune, quòd ſecundùm Divinitatis unitatem ſit ſolus verus Deus, qui ſolus nobis adorandus, & cui ſoli ſervire jubemur.

*Solus Deus adorandus.*

*Joan. 17, 3.*

7. Explicationem uberiorem verborum illorum Domini, *ut cognoſcant te ſolum verum Deum*: invenies inferiùs cap. 32.

8. Cyrillus Alexandrinus, epiſt. ad Monachos Ægyptios, cap. 7. in parte prima Concilii Epheſini, Tom. 2. Conciliorum edit. Pariſ. pag. 9. diſputans contra adverſarios Deitatis Filii; Cùm (inquit) Divinitatis ſedibus, (quod ad ſe quidem attinet,) illum deturbent, Dei tamen Filium & Deum nominant, & adorari oportere exiſtimant, [ὅτι καὶ Θεὸν ὀνομάζουσι, καὶ προσκυνεῖν δεῖν οἴονται:] cùm tamen lex apertè clamet, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies*. Quin & Deus quoque Davidis ore ejuſmodi oratione Iſraelitas compellat: *non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum.*

*Adorandus eſt is, qui eſt verus Deus.*

*Pſal. 81, 10.*

9. Fulgentius, lib. contra Arianos, reſponſione ad objectionem decimam, Nullis (inquit) fraudibus aut propriis aut alienis decipitur, qui Deum unum ſic colit, ut in Trinitate noverit, nec perſonas confundere, nec ſubſtantiam ſeparare: & illam unam naturam unum Deum intelligit, in quâ æternitatem veræ Divinitatis agnoſcit. Dicitur enim nobis: Audi Iſrael Dominus Deus tuus, Dominus unus eſt. Item: Dominum Deum adorabis, & illi ſoli ſervies. Et dicitur nobis per Prophetam: Ego Deus, & non eſt alius præter me, juſtus & ſalvans, non eſt alius præter me. Convertimini ad me, & ſalvi eritis, quia ab extremo terræ ego ſum Deus, & non eſt alius. Per me ipſum juro, quoniam exivit ex ore meo juſtitia, & verba mea non avertentur: mihi enim inclinavit univerſitas genu, & juravit omnis lingua per Deum. Ecce! Deus in hoc loco ſe tantùm dicens Deum, præter ſe alium non eſſe teſtatur. Quòd ſi quiſquam omnem hîc noluerit Trinitatem accipere, cogetur hanc vocem ſoli Filio deputare. ------ Ipſe enim per ſemet ipſum jurat, neminem habens majorem. Ipſe populum ſuum ſalvat. Ipſe juſtè judicat. Ipſi flectitur omne genu cœleſtium, terreſtrium & infernorum. Ipſi omnis lingua confitetur, à quo eſt retributio reddenda factorum. Ipſe ergo, de quo hæc omnia dicuntur, per Prophetam dicit: *Ego Deus, & non eſt alius præter me.* Numquid nam Deum iſtum, præter quem alius non eſt, ita ſolum Filium accipiamus, ut ab eo Patrem & Spiritum ſeparemus? abſit! Hoc enim impoſſibile eſt. Nam præter Deum Patrem Deus Filius non eſt; quia de Patre eſt, & in Patre eſt: Præter Patrem & Filium Spiritus Sanctus non eſt; quia Patris & Filii Spiritus eſt, & in Patre & in Filio eſt. Unde cognovimus, quoniam iſta Trinitas unus Dominus Deus eſt, de quo dicitur; *Audi Iſrael, Dominus Deus tuus, Dominus unus eſt*: &, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Hæc Fulgentius, loco citato; ubi etiam plura in eandem ſententiam Lector inveniet.

*Deut. 6, 4. Matth. 4, 10. Eſai 45, 5. 21. 23. Hebr. 6, 13. Matth. 1, 21. Pſal. 45, 7. 8. Rom. 14, 11. Philip. 2, 10.*

*Trinitas unus Dominus Deus eſt.*

## CAPUT DECIMUM-SEXTUM.

### *De Hymno Triſagio.*

*Eſai. 6. & Apocal. 4. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus, &c.*

HYmno illo Seraphico (quem Patres & Liturgiæ veteres τὸν ἐπινίκιον καὶ τρισάγιον ὕμνον, item τὸν τρισάγιον appellant.) *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth:* Sanctæ Trinitatis una Deitas inſeparabiliter celebratur.

2. Athanaſius, in illud Domini dictum, *Omnia mihi tradita ſunt à Patre*, &c. Tom. 1. Oper. Athan. edit. Pariſ. an. 1627. pag. 154. & 155. Cherubim (inquit) & Seraphim, obvelatâ facie, gloriam majeſtatemque Dei labiis nunquam ceſſantibus extollunt, nihil aliud quàm Divinam & ineffabilem naturam ter ſanctitate glorificantes, [οὐδὲν ἕτερον ἢ τὴν θείαν καὶ ἄρρητον φύσιν τῷ τρισαγίῳ δοξάζοντα.] ——— Trinitas enim undecunque laudabilis, & religiosè colenda atque adoranda una eſt, & indiviſibilis, & quæ ullâ figurâ exprimi nequeat. [ἡ γὰρ πανύμνητος καὶ σεβάσμιος καὶ προσκυνητὴ Τριὰς, μία καὶ ἀδιαίρετος

καὶ ἀχωρίστως.] Conjungitur autem inconfuſè, ſicut & unitas diſtinguitur indiviſè [συνάπτεται δὲ ἀσυγχύτως, ὥσπερ καὶ ἀτμήτως ἡ μονὰς χωρίζεται.] In eo enim ipſo, quòd præciara illa animantia tertiò proferunt glorificationem, dum ajunt, *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*, tres hypoſtaſes ſive perſonas perfectas oſtendunt: quemadmodum ſub una voce, *Dominus*, unam ſubſtantiam declarant, τὸ γὰρ τρίτον τὰ τίμια ζῶα ταῦτα ἀναφέρειν τὴν δοξολογίαν, ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος λέγοντα, τὰς τρεῖς ὑποστάσεις τελείας δηλοῦσιν εἶναι, ὡς ἐν τῷ λέγειν, Κύριος, τὴν μίαν οὐσίαν δηλοῦσι.

*τρεῖς ὑποστάσεις, μία οὐσία.*

3. Epiphanius de eodem hymno differens, in Ancorato, § 10. Non duabus (inquit) vocibus gloriæ prædicatio in Cœlo perficitur: neque quartò ſancta illa animalia, aut ſemel duntaxat, exclamant; ſed tres ac ſingulares voces [τρεῖς φωνὰς ἑνικὰς] edunt: *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*. Non dicunt, *ſancti*, *ſancti*, ut ei quod unum eſt oſtendant competere appellationem multiplicem, & numerum trium non diſſimulent. [οὐ λέγοντα, ἅγιοι, ἅγιοι, ἵνα τὸ ἑνικὸν πληθυντικῶς ἀποφήνωσι, μηδὲ τῶν Τριῶν τὸ ἀριθμὸν ἀποκρύψωσι.] Sed ter quidem tribuunt ſanctitatem, unimodè tamen & uniter pronunciant ſermonem; ne multos Deos nominare videamur. [ἀλλὰ τρὶς μὲν διδόασι τὴν ἁγιωσύνην, μοναδικῶς δὲ καὶ ἑνικῶς ἀποφθέγγονται τὸν λόγον, ἵνα μὴ πολυθεΐαν ἐργάσωνται.] Unus enim eſt Deus Pater in Filio, Filius in Patre, cum Spiritu Sancto. Propterea Sanctus unus eſt in ſanctis conquieſcens. Pater verus & ſubſiſtens: Filius verus & ſubſiſtens: & Spiritus Sanctus verus & ſubſiſtens, tres ſunt, ſed una Deitas, una eſſentia, una glorificatio, unus Deus. [Πατὴρ ἀληθῶς ἐνυπόστατος, καὶ Υἱὸς ἀληθῶς ἐνυπόστατος, καὶ πνεῦμα ἅγιον ἀληθῶς ἐνυπόστατον, τρία ὄντα, μία θεότης, μία οὐσία, μία δοξολογία, εἷς Θεός.] Deum cùm nominâſti, ſimul mente complexus es Trinitatem: Spiritum Sanctum conſequutus es: unà & Patris & Filii Dei virtutem obtinuiſti.

*ἐνυπόστατος.*

4. Idem, eodem lib. §. 26. Χαρμονῇ δὲ ἄγγελοι ἐν οὐρανῷ τὸν ἐπινίκιον ὕμνον ᾄδουσι, σὺν Σεραφὶμ καὶ Χερουβὶμ τὴν Τριάδα ὑμνοῦντες, καὶ ὁμοτίμως, καὶ ὁμοβαθμίως δοξάζοντες, καὶ λέγοντες τό, ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος, τρεῖς φωνὰς ἀποδιδόντες, ἐν ἑνότητι δὲ λέγοντες, καὶ οὐ πολυωνύμως. οὐ γὰρ λέγουσιν ἅγιος τετράκις, ἵνα μὴ προσθῶσι τῇ τῆς Τριάδος ὀνομασίᾳ. οὐ λέγουσι δὶς τὸ ἅγιος, ἵνα μὴ ἐλλιπὴς ᾖ ἡ δόξα τῆς τελειότητος. ἀλλὰ τρίς. ἵνα Πατέρα, καὶ Υἱόν, καὶ ἅγιον πνεῦμα ἐν τῇ αὐτῇ τιμῇ ἁγιάσωσι. καὶ οὐ λέγουσιν. ἅγιος καὶ ἡμιάγιος, ἀλλ᾽ ἴσως λέγουσι τό, ἅγιος, μιᾷ φωνῇ, καὶ ἑνὶ λόγῳ, καὶ μιᾷ τελειώσει, Τριάδα δοξάζοντες ὁμοῦ ἐν ἑνότητι, καὶ ἑνότητα ἐν Τριάδι. id eſt: Venerabiles autem Angeli in Cœlo triumphalem hymnum cantant, cum Seraphim & Cherubim glorificantes Trinitatem, eâdem gloriâ, eodemque gradu, & in unitate ſubſtantiæ, & dicentes, *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*. Ac tres quidem voces proferunt; ſed in unitate: non autem multiplici appellatione dicunt, non enim dicunt, Sanctus, quartò; ne addant ad appellationem Trinitatis. Neque bis tantùm dicunt Sanctus, ne deficiens eſſet gloria perfectionis. Sed ter, ut Patrem & Filium & Spiritum Sanctum eodem honore ſanctificarent. Neque dicunt; Sanctus & ſemiſanctus; verùm æqualiter dicunt, *Sanctus*, unâ voce, & uno ſermone, atque unâ perfectione ſimul Trinitatem celebrantes in unitate, & unitatem in Trinitate.

*Eodem honore.*

5. Cæſarius, Gregorii Nazianzeni frater, dialogo primo, reſponſione ad interrogationem decimam tertiam: καὶ τῆς φωνῆς τῶν Χερουβὶμ καὶ Σεραφὶμ ἀκούσωμεν, ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος, ἀσιγήτως βοώντων. οὐ γὰρ δὶς ἢ τετράκις τοῦτο φασὶ τὰ πνευματικὰ ἐκεῖνα καὶ θεοφόρα ζῶα, οὐδ᾽ αὖ πάλιν μονοφωνοῦσιν, ὁ ἅγιοι, ἅγιοι φασίν, ἵνα μὴ τὸ ἑνικὸν πληθυντικῶς ἀποφαίνωσιν. ἀλλὰ τρισὶ μὲν τὸν ἁγιασμὸν ἀπονέμουσιν ἀδιαφορήτως, ἑνικῶς δὲ ἀποφαίνονται ἵνα μὴ πολυθεΐαν ταῖς τῶν ἀφρόνων ὑποσπείρωσιν. id eſt: Etiam vocem illam audiamus Cheruborum & Seraphorum, ſine intermiſſione clamantium, *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*. Non enim bis aut quater hoc efferunt ſpiritualia illa Deoque plena animalia; neque rurſum ſemel tantùm efferunt, vel ſancti, ſancti, dicunt; ne quod unum eſt, multas habere appellationes declarent: ſed tribus ſanctitatem perpetuò tribuunt, & ſingulari nihilominus utuntur numero, ne deorum multitudinem animis imperitorum inſerant.

6. Ambroſius, lib. 2. de fide, cap. 4. Trina repetitio cur, niſi quia Pater & Filius & Spiritus Sanctus ſanctitate unum ſunt? non dixit ſemel, ne Filium ſequeſtraret: non bis, ne Spiritum præteriret: non quater, ne creaturas conjungeret. Et ut oſtenderet Trinitatis unam eſſe Deitatem, cùm tertiò dixiſſet, *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*, addidit ſingulariter, *Dominus Deus Sabaoth*. Hæc Ambroſius.

7. Fulgentius, lib. de fide ad Petrum Diaconum, cap. 1. Hanc Trinitatem perſonarum atque unitatem naturæ Propheta Eſaias revelatam eſſe ſibi non tacuit, cùm ſe dicit Seraphin vidiſſe clamantia: *Sanctus Sanctus Sanctus Dominus Deus Sabaoth*. Ubi prorſus in eò quòd dicitur tertiò *ſanctus*, perſonarum Trinitatem; in eo verò, quòd dicitur ſemel, *Dominus Deus Sabaoth*, divinæ naturæ cognoſcimus unitatem. Hæc Fulgentius.

*Eſaiæ 6.*

8. Atque hic ter-ſanctus hymnus in hunc modum cantur in liturgiis Baſilii, & Chryſoſtomi, & Gregorii. Introducta eſt autem in Eccleſiam Conſtantinopolitanam, & alias Orientis Eccleſias, conſuetudo recitandi τὸ τρισάγιον, in hunc modum cum precatione: ἅγιος ὁ Θεός, ἅγιος ἰσχυρός, ἅγιος ἀθάνατος, ἐλέησον ἡμᾶς. id eſt: Sanctus Deus, ſanctus fortis, ſanctus immortalis, miſerere noſtri. Quâ etiam formulâ per unam adorationem trium perſonarum, eadem doctrinæ veritas conſtanter aſſeritur. Conſuetudinis autem illius hanc refert originem Ioannes Damaſcenus, lib. 3. orthodoxæ fidei cap. 10. & Epiſt. de ter-ſancto hymno ad Iordanem Cœnobiarcham: Narrant (inquit) ii, qui Eccleſiaſticam hiſtoriam literarum monumentis prodiderunt, cùm plebs Conſtantinopolitana ob minas quaſdam, Proclo Archiepiſcopatum obtinente, divinitus intentatas, ſupplex Deo preces adhiberet, puerum quendam è plebe in ſublime raptum fuiſſe, atque Angelis quibuſdam magiſtris terſanctum hunc hymnum didiciſſe, *Sanctus Deus*, *Sanctus fortis*, *ſanctus immortalis*, *miſerere nobis*. Cumque ad ſe rediiſſet, atque id quod didicerat retuliſſet, multitudinem univerſam hunc hymnum eccîniſſe, atque hoc pacto impendens periculum conquieviſſe. Quin in ſancto & magno ac univerſali quarto illo Concilio, quod Chalcedone coactum eſt, ita cantatus fuiſſe hic hymnus perhibetur. Sic enim inter hujuſce ſancti Concilii acta refertur. Hæc Damaſcenus, interprete Iacobo Billio. Eandem narrationem legimus etiam in Epiſtola Felicis tertii Papæ Roma-

*Novus modus recitandi hymnum triſagium inter ipſos etiam orthodoxos receptus, & de modo hujus origine.*

ni



ni ſcripta ad Petrum Gnapheum. Et in Epiſtola Contiani Herculianorum Epiſcopi, ad Petrum Gnapheum. item in Epiſtola Acacii Patriarchæ Conſtantinopolitani, ad eundem Petrum, contra additionem à Petro factam, quæ extant in appendice Concilii Mennæ. item in Hiſtoria Eccleſ. Nicephori Calliſti, lib. 14. cap. 46. Proclus autem ſedem Epiſcopalem Conſtantinopoli obtinuit proximè poſt Maximianum, Neſtorii Hereſiarchæ proximum in ea ſede ſucceſſorem; ut patet ex Socratis hiſtoria, lib. 7. cap. 35. & 40. & ex Nicephori Conſtantinopolitani Chronologia, in catalogo Epiſcoporum Bizantii. vide lib. 3. hujus operis, cap. 12.

9. Poſtea Maximo Antiochiæ Epiſcopo, qui Concilio Chalcedonenſi interfuerat, Baſilius ſucceſſor datus eſt, quem excepit Acacius, cui ſucceſſit Martyrius, quo propter neceſſitatem quandam abſente, Petrus Presbyter Chalcedonenſis cognomento Gnapheus (γναφεύς: id eſt, fullo) hæreticus per fraudem ſedem Antiochenam occupavit, & Chalcedonenſem Synodum proſcidit, & in omnes eos qui Deum crucifixum & paſſum eſſe non agnoſcerent, nempe ſecundùm ipſam Deitatem, adeóque qui in Servatore naturam divinam impaſſibilem ab humana paſſibili diſtinguerent, anathematis fulmen jecit. ſuoſque aſſeclas coëgit hymno triſagio addere hæc verba, ὁ σταυρωθεὶς δι᾽ ἡμᾶς, qui crucifixus eſt propter nos; ut hoc modo paſſibiliter prædicarent in Chriſto Deitatem, & hymnum ter-ſanctum ſoli Chriſto dicerent: unde ſequebatur vel Divinitatis Chriſti à Paterna divulſio, vel Patris etiam paſſio. Unde ejus ſectatores dicti ſunt Theopaſchitæ & Fulloniani. Hoc hæreticum additamentum Petri Gnaphei Felix tertius Papa Romanus perſpicuè refutavit, ſcriptis eâ de re ad eundem Petrum duabus Epiſtolis, quæ extant tom. 3. Concil. edit. Pariſ. pag. 600. & 601. & 602.

*Petri Gnaphei hæretici additio hymno triſagio. Vide lib. 5. cap. 12.*

10. Vide etiam Niceph. Calliſt. lib. 15. hiſtoriæ cap. 28. & lib. 18. cap. 51. & Conſtantinum Harmenopulum, in catalogo de opinionibus hæreticorum, ubi de Fullonianis. Et Ioannem Damaſcenum, lib. 3. orthodoxæ fidei cap. 10. & epiſt. de ter-ſancto hymno ad Iordanem Cœnobiarcham: quibus locis Damaſcenus prolixè refellit additamentum illud Gnaphei, & hymnum ter-ſanctum non de *ſolo* Filio; ſed de ſancta Trinitate dictum eſſe, teſtari ait Athanaſium, Baſilium, & Gregorium Theologum, & totum ſanctorum Patrum chorum. Et concludit, has voces, *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*, tres perſonas, non autem unam demonſtrare: has autem, *Dominus Sabaoth*, divinitatem unam ac dominationem indicare. Et ter-ſanctam prædicari non unam aliquam perſonam, ſed τρισυπόστατον οὐσίαν, id eſt, eſſentiam divinam tres complectentem perſonas. Nec unam aliquam perſonam dici poſſe ter-ſanctam; quia una perſona non eſt Trinitas. Nec niſi ter in decantando hoc hymno dicendum eſſe, *Sanctus*, non autem ſemel aut bis duntaxat, nec quater aut pluries; adeóque neque ſingulas perſonas ter-ſanctæ Trinitatis dici debere ter-ſanctas, neque in celebratione ter-ſanctæ Trinitatis dicendum eſſe novies *ſanctus*: quia certum ac definitum in infinita Deitate numerum dicere non poſſumus, niſi ſubſtantiæ unitatem, ac perſonarum trinitatem. Idcóque etiam in baptiſmo fas ter mergere, ſed non novies. Hæc Damaſcenus.

*τρισυπόστατος οὐσία.*

11. Non igitur Damaſceno probaretur formula illa in liturgia ſive canone univerſali Æthiopum; Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Pater omnipotens: Sanctus, Sanctus, Sanctus, unicus Jeſus Chriſtus Filius Verbum Patris: Sanctus, Sanctus, Sanctus Spiritus Sanctus ſciens omnia. Attamen ibi Æthiopes non niſi unam ſubjiciunt invocationem, quâ ſimul ſanctam invocant Trinitatem, ſemel dicentes: *Domine miſerere nobis*. Et poſtea in eodem canone ſeu liturgia repetentes carmen illud Seraphicum, vocem *Sanctus* quater pronunciant, ſubjectâ hac compellatione: Adoramus te Chriſte, cum Patre tuo optimo & miſericorde & Spiritu Sancto vitali: tu veniſti & liberâſti nos. Quæ verba licet ſanum ſenſum ferre poſſint & orthodoxum, apparet tamen ex fidei Æthiopum declaratione factâ per Zaga Zabo Epiſcopum & legatum Æthiopicum, in latinum ſermonem tranſlata per Damianum à Goes, non ita plenè ſuſcipi ab Æthiopibus, atque à nobis, Concilium Chalcedonenſe: ex eo enim Concilio propter errores Eutychis coacto, variis diſceptationibus habitis, & nihil ad concordiam Eccleſiæ conſtituto, atque re infectâ, omnes diſceſſiſſe, unoquoque ſuam retinente opinionem, ait ibi Zaga Zabo. Cùm nobis contrarium conſtet.

*Modus recitandi hymnum triſagium apud Æthiopes.*

*Æthiopum hiſtoricus error de Concilio Chalcedonenſi.*

12. Hymnum autem illum ter-ſanctum, quem puer in aërem ſublatus, ab Angelis didiciſſe memoratur, ſic explicat Ioannes Damaſcenus, lib. 3. orthodoxæ fidei, cap. 10. Nos (inquit) illud, *Sanctus Deus*, de Patre accipimus: non quòd ipſi ſoli divinitatis nomen aſſignemus; nam & Filium Deum & Spiritum Sanctum agnoſcimus. Itidem illud, *Sanctus fortis*, Filio tribuimus: non quòd Patrem ac Spiritum Sanctum robore ſpoliemus. ac denique illud, *Sanctus immortalis*, Spiritui Sancto adſcribimus; non quòd hac ratione Patrem & Filium ab immortalitate excludamus, ſed quòd in unaquaque perſonâ omnia divinitatis vocabula ſimpliciter & abſolute ſumamus. Et caput illud ſic concludit: Nos verò (inquit) ita dicimus, Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis miſerere nobis. Et Iodocus Clichtoveus in ſuo Commentario in illum locum Damaſceni: Ideò (inquit) in ſingulari numero ſubnectitur verbum deprecatorium, *Miſerere nobis*; ad denotandum divinæ naturæ (cui Deitas, fortitudo, & immortalitas inprimis convenit) individuam & ſimplicem unitatem.

*Formula Conſtantinopolitana explicatio.*

13. In officio autem Divino ſive Miſſa Muſarabum, tom. 6. Bibliothecæ Patrum, triſagium ſic pronunciatur: *Agios*, *Agios*, *Agios*, *Domine Deus Rex æterne*, *tibi laudes & gratias*. Qui modus orandi eandem nobis commendat doctrinam de celebratione & invocatione Trinitatis in Unitate, & Unitatis in Trinitate.

*Modus apud Muſarabes.*

14. Et in ordine baptiſmi ſecundum uſum Æthiopum: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus fortis & immortalis: miſerere noſtri Domine. Et rurſus ibidem: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Pater & Filius & Spiritus Sanctus, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

*Æthiopica recitatio ſimilis Græcæ.*

15. Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus, in Contemplatione rerum Eccleſiaſticarum, in Bibl. Patr. tom. 2. græcolat. pag. 155. editionis quartæ: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Sabaoth; τοῦτ᾽ ἔστιν, ὁ τρισάγιος καὶ εἷς Θεὸς τῶν δυνάμεων. hoc eſt, ter-ſanctus & unus Deus virtutum.

*Ter-ſanctus Deus.*

CAPUT

## CAPUT DECIMUM-SEPTIMUM.

*Oſtenditur unitas eſſentiæ Divinæ in Trinitate perſonarum, per doctrinam Baptiſmi, & unitatem nominis.*

Matth. 28, 19. DOminus noſter Ieſus Chriſtus præcipiens Apoſtolis *baptizare omnes gentes* εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, *in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti*, per unitatem nominis unam indicavit eſſentiam Patris & Filii & Spiritûs Sancti, atque adeò indiviſam trium invocationem.

2. Autor expoſitionis fidei quæ Iuſtino tribuitur: ἐν τῇ τοῦ βαπτίσματος διδαχῇ, συνημμένως ἡμῖν τὸ πατρὸς, καὶ υἱοῦ, καὶ ἁγίου πνεύματος ἓν ὄνομα παραδέδοται, τίς ἀμφισβητήσιμος λόγος τὸν υἱὸν, καὶ τὸ πνεῦμα μὴ τῆς θείας οὐσίας καὶ μακαριότητος ὑπάρχειν. *id eſt*: In doctrina baptiſmatis unitè nobis Patris & Filii & Spiritûs Sancti unum nomen traditum eſt: quænam ratio & oratio inficiando aſſerere poterit, Filium & Spiritum divinæ beatæque eſſentiæ non eſſe?

3. Athanaſius, lib. 1. de unita Deitate Trinitatis ad Theophilum. Audi (inquit) in hoc admirabile ac regale decretum, in quo omne Sacramentum in Deitate Trinitatis uniter continetur. Quia dixit, *in nomine*, evidenter unam Deitatem in Trinitate conſiſtere declaravit. Et quod proſequutus eſt, *Patris & Filii & Spiritûs Sancti*, per ſingula nomina ſingulas perſonas ineſſe diſtinxit.

4. Patres Concilii ſecundi Oecumenici, quod Conſtantinopoli ſub Theodoſio primo Imperatore celebratum eſt, in ſua epiſtolâ ad Epiſcopos Occidentis, quam hiſtoriæ ſuæ Eccleſiaſticæ inſeruit Theodoretus, lib. 5. cap. 9. Hanc (inquiunt) Euangelicam fidem approbare debetis, quippe cùm & antiquiſſima, & baptiſmati conſentanea, & eos doceat πιστεύειν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, δηλαδὴ, θεότητός τε καὶ δυνάμεως καὶ οὐσίας μιᾶς τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος πιστευομένης, ὁμοτίμου τε τῆς ἀξίας, καὶ συναϊδίου τῆς βασιλείας, ἐν τρισὶ τελειοτάταις ὑποστάσεσιν, ἤγουν τρισὶ τελείοις προσώποις. *id eſt*: credere in nomen Patris, & Filii & Spiritûs Sancti. Quippe cùm & Deitas & potentia & ſubſtantia una credenda ſit Patris & Filii & Spiritûs Sancti, & æqualis dignitas, & coæternum regnum, in tribus perfectis hypoſtaſibus, ſive in tribus perfectis perſonis.

5. Gregorius Nazianzenus, orat. 40. Quæ eſt, In ſanctum baptiſma, paullò ante finem: βαπτίζω σε μαθητεύσας εἰς ὄνομα πατρὸς, καὶ υἱοῦ, καὶ ἁγίου πνεύματος. ὄνομα δὲ κοινὸν τῶν τριῶν ἕν, ἡ θεότης. *id eſt*: Baptizo te, docens, in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti. Nomen autem commune trium unum, Deitas.

6. Epiphanius, hæreſi 62. quæ eſt Sabellii, §. 4. Dixit Filius: ἀπελθόντες βαπτίσατε εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς, καὶ τοῦ Υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος. μόνον δὲ τῇ θέσει τοῦ ἄρθρου τοῦ συναφοῦς τοῦ, τοῦ, καὶ τοῦ. (τοῦ, τοῦ, τοῦ.) καὶ ἐλέγχει τὸν Σαβέλλιον Ματθαῖος, τὸν συναλοιφὴν παρεισφέροντα. οὕτω γὰρ καὶ σημαίνει ἀληθῶς Πατέρα, ἀληθῶς Υἱὸν, ἀληθῶς ἅγιον Πνεῦμα. ὅταν δὲ ὁμότιμος ἡ Τριάς, καὶ ἐν ἑνὶ ὀνόματι Τριὰς κληθεῖσα, ἐλέγχει τὸν Ἄρειον, ὑποβάθμισιν τινα δοξάζοντα ἐν τῇ Τριάδι, ἢ ἀλλοίωσιν, ἢ παραλλαγήν. (ἐν ἑνὶ ὀνόματι.) *id eſt*: *Euntes baptizate in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti.* Ubi dum articulus ille, τοῦ, ter repetitus & interjectus eſt, Sabellium redarguit Matthæus, tres in unam perſonas confundentem, quandoquidem verè Patrem, verèque Filium, ac verè Spiritum Sanctum exprimit: quando autem ejuſdem ordinis ſeu dignitatis Trinitas, & uno nomine Trinitas vocatur, refellit Arium, qui inferiorem quendam in Trinitate gradum, ac varietatem, mutationemve commentus eſt.

7. Item Pater de eodem myſterio diſſerens in Ancorato §. 22. exclamat: ὦ Τριὰς ἁγία ἀριθμουμένη, Τριὰς ἐν ἑνὶ ὀνόματι ἀριθμουμένη, οὐ γὰρ λέγεται ἑνὰς, καὶ δυὰς, οὐδὲ μονὰς, καὶ μονάς· ἀλλὰ μονὰς ἐν Τριάδι, καὶ Τριὰς ἐν μονάδι, μονοειδῶς, μονοπροσώπως, εἷς Θεὸς Πατὴρ ἐν Υἱῷ, Υἱὸς ἐν Πατρὶ σὺν ἁγίῳ Πνεύματι. (μονοειδῶς.) *id eſt*: O ſancta Trinitas numerata, Trinitas in uno nomine numerata. Non enim dicitur unitas, & binarius; neque unitas, & unitas: ſed unitas in Trinitate, & Trinitas in unitate, formâ unâ, nomine uno, unus Deus Pater in Filio, Filius in Patre cum Spiritu Sancto. *(Unitas in Trinitate, & Trinitas in unitate.)*

8. Baſilius magnus, lib. 5. contra Eunomium, cap. 15. Quod non ab æquivocatione identitas, &c. Ἐν υἱῷ γνώρισον πατέρα, ἐν πατρὶ δόξασον υἱόν. μὴ μερίσῃς τὰ ἀμέριστα, μὴ σχίσῃς τὰ ἄσχιστα· κἂν γὰρ θέλῃς οὐ σχίζεται. κἂν διαρρηγνύωσιν οἱ αἱρετικοί, οὐ διαρρήγνυται ἡ Τριάς· καὶ σεβάσμιος ἐστὶν ἐν μιᾷ καὶ ἀϊδίῳ δόξῃ, τὴν αὐτὴν καὶ μίαν μόνην θεότητα πανταχοῦ περιφέρουσα, ἄρρηκτος, ἄσχιστος, ἀδιαίρετος, ---- ἀχώριστον ὁρῶ τὴν ἐνέργειαν τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. καὶ διὰ τοῦτο ναοὶ Θεοῦ καὶ υἱοῦ καὶ Πνεύματος ἁγίου εἰσὶ πάντες οἱ ἅγιοι. ἐν οἷς ἐνοικεῖ ἡ μία θεότης, καὶ μία κυριότης, καὶ ἁγιότης μία πατρὸς καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος, διὰ τοῦ ἑνὸς τοῦ βαπτίσματος ἁγιασμοῦ. *id eſt*: In Filio Patrem cognoſce, in Patre glorifica Filium. Ne partiaris quæ impartibilia ſunt, ne ſcindas quæ non ſcinduntur. Nam etſi ſcindere volueris, non tamen ſcinditur: etſi dirumpuntur hæretici, Trinitas tamen non dirumpitur: & eſt colenda in una & æterna gloriâ: eandem & unam ſolam Deitatem ubique circumferens, irrupta, haud ſciſſibilis, indiviſibilis. ----- Inſeparabilem eſſe video Patris & Filii & Spiritûs Sancti operationem. Propterea templa Dei & Filii & Spiritûs Sancti omnes ſancti ſunt, in quibus una Deitas, una dominatio, una ſanctitas Patris & Filii, & Spiritûs Sancti, per unam habitat ſanctificationem baptiſmi. *(Ne partiaris individua, ne ſcindas inſciſſibilia. ἐν μιᾷ δόξῃ. ἀχώριστος ἐνέργεια. Templa Trinitatis.)*

9. Gregorius Nyſſenus, orat. 1. contra Eunomium [in editione Pariſienſi operum Gregorii Nyſſeni, ann. Dom. 1615.] φαμὲν συνημμένον ἅμα καὶ διακεκριμένον παραδεδόσθαι τοῖς ἁγίοις μαθηταῖς τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον· τὸ δεῖν πιστεύειν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος. ἡ μὲν γὰρ τῶν ὑποστάσεων ἰδιότης, τρανήν τε καὶ ἀσύγχυτον ποιεῖται τὴν τῶν προσώπων διαστολήν· τὸ δὲ ὄνομα προκείμενον, τῆς κατὰ τὴν πίστιν ἐκθέσεως, σαφῶς ἡμῖν τὴν ἑνότητα τῆς οὐσίας τῶν ἐν τῇ πίστει προσώπων διερμηνεύει, Πατρός τε λέγω, καὶ Υἱοῦ, καὶ Πνεύματος Ἁγίου. διὰ γὰρ τῶν κλήσεων τούτων, οὐ φύσεως διαφορὰν διδασκόμεθα, ἀλλὰ μόνας τὰς τῶν ὑποστάσεων γνωριστικὰς ἰδιότητας· ὥστε γινώσκειν ἡμᾶς, μήτε Υἱὸν τὸν Πατέρα εἶναι, μήτε Πατέρα τὸν Υἱόν, μήτε Υἱὸν ἢ τὸν Πατέρα, τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον· ἀλλ᾽ ἕκαστον ἐν τῷ ἰδιάζοντι χαρακτῆρι γνωρίζεσθαι, ἐν ἀορίστῳ τελειότητι, ἐφ᾽ ἑαυτοῦ θεωρούμενον, καὶ ἀπὸ τοῦ συνημμένου μὴ διαιρούμενον. *(τὰς τῶν ὑποστάσεων γνωριστικὰς ἰδιότητας. ἕκαστον ἐν τῷ ἰδιάζοντι χαρακτῆρι γνωρίζεσθαι.)* id eſt: Aſſerimus adunatum ſimul ac diſcretum ſeu diſtinctum ſanctis diſcipulis traditum fuiſſe pietatis myſterium, nempe oportere credere in nomen Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Nam hypoſtaſeon proprietas claram & inconfuſam hanc efficit perſonarum diſtinctionem. Unum autem nomen propoſitum expoſitionis quæ eſt ſecundùm fidem, manifeſtò nobis unitatem eſſentiæ perſonarum quæ ſunt in fide interpretatur, dico Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Siquidem per has appellationes non naturæ differentiam docemur, ſed ſolas perſonarum notificas proprietates. Ita ut nos cognoſcamus neque Patrem eſſe Filium, neque Filium Patrem, neque Spiritum Sanctum eſſe Filium aut Patrem; ſed unumquemque in proprio charactere intelligamus, in illimitatâ perfectione, & in ſeipſo conſiderari, & à conjuncto ſive unito non dividi.

10. Gaudentius, Epiſcopus Brixienſis, tract. ſeu ſerm. 14. qui eſt de promiſſione paracleti, ait: *(Ioan. 14, 26. In nomine Filii.)* Denique ibi Chriſtus, de Spiritu Sancto; *quem mittit Pater in nomine meo*: id eſt, in Dei nomine, Deum ſcilicet ſicut Filium, profitendum: & *(Ioan. 5, 43. In nomine Patris.)* ideo Filius Dei de ſe quidem dicit, *ego veni in nomine Patris mei.* quod & Propheta de illo prædixerat, & pueri in Euangelio laudantes probaverant, dum clamarent, *(Matt. 21, 9. In nomine Domini.)* *benedictus qui venit in nomine Domini.* Rectè in nomine Domini; non in nomine ſervi, quia Deus: non in ſuo, quia Filius; nomen enim Patris in Filio. De ſe ergo (inquam) dicit Filius; *Ego veni in nomine Patris.* De ſancto autem Spiritu dicit; *quem mittit Pater meus in nomine meo.* *(Non in nominibus, ſed in nomine.)* Et cùm baptiſmi opus in Trinitate decerneret celebrandum, non ait *in nominibus*, ſed *in nomine.* Pater enim Deus eſt, & Filius Deus eſt, & Spiritus Sanctus Deus eſt, ſicut ſanctarum ſcripturarum teſtimoniis dilectioni veſtræ ſæpius approbavi; ac propterea u- *(Unum Trinitatis eſt nomen.)* num Trinitatis eſt nomen, cujus una virtus atque divinitas permanet in omnia ſecula. Amen. Hæc Gaudentius.

11. *(Exod. 23, 21.)* Iſta ſacræ Scripturæ teſtimonia eodem modo etiam exponit Ambroſius, lib. 1. de Spiritu Sancto, cap. 14. vide Exod. 23, 21.

12. Ambroſius, lib. 1. de Spiritu Sancto, cap. 14. Quis igitur unitatem ſeparare audeat nominis, cùm videat operationis unitatem? ſed quid ego unitatem nominis argumentis adſtruo, cùm Divinæ vocis evidens teſtimonium ſit, unum nomen eſſe Patris & Filii & Spiritûs Sancti? ſcriptum eſt enim: *ite, baptizate gentes in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti.* In nomine, dixit; non, in nominibus. Non ergo aliud nomen Patris, aliud nomen Filii, aliud nomen *(Non plura nomina.)* Spiritus Sancti; quia unus Deus: non plura nomina; quia non duo Dii, non tres Dii. Edoctum eſt igitur ex his non eſſe in Patre & Filio & Spi- *(Non diverſitas nominis.)* ritu Paracleto nominis diverſitatem. Et quod nomen eſt Patris, id eſſe Filii nomen: ſimiliter quod nomen eſt Filii, eſſe id etiam Spiritûs Sancti. Hæc Ambroſius.

13. Auguſtinus, lib. 3. contra Maximinum cap. 13. Ideo per Jeſum Chriſtum ipſe præcepit baptizare gentes in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti: ubi præcipuè commendata eſt hujus individuæ gloria Trinitatis. Et cap. 22. ut baptizarentur gentes in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti: in nomine, non, in nominibus. Hi enim tres unum ſunt: & hi tres unus eſt Deus. *(Hi tres unus eſt Deus.)* Et cap. 23. Trinitas quippe ſecundùm veram fidem, id eſt; Pater & Filius & Spiritus Sanctus, in cujus nomine baptizamur, & unus Dominus Deus noſter eſt, & præter ipſum alius non eſt. Ipſe eſt enim Deus, de quo dicit Apo- *(1. Cor. 8, 4.)* ſtolus: *Nullus eſt Deus, niſi unus.* Hæc Auguſtinus.

14. Fulgentius, lib. contra objectiones Arianorum, in epilogo reſponſionis decimæ: Huic Domino etiam Eſaias Propheta dicit: Domine, præter te alium non novimus, nomen tu- *(Eſai. 26, 13.)* um nominamus. Hoc autem nomen Salvator noſter oſtendit dicens diſcipulis ſuis: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine *(Matt. 28, 19.)* Patris & Filii & Spiritûs Sancti. Illud enim nomen Domini, præter quem alium non novimus, & cujus nomine nominato, à morte liberamur, de poteſtate tenebrarum eruimur, ut in regnum Filii transferamur. In Patre ergo, & Filio & Spiritu Sancto unitatem ſubſtantiæ accipimus: perſonas confundere non audemus.

15. Idem, lib. de Trinitate ad Felicem Notarium, cap. 2. Accipe fidem, in qua jam olim renatus es credens in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Pater Filius non eſt, Filius Pater non eſt. Spiritus Sanctus nec Pater nec Filius. Et cùm tres ſint, quod eſt, rogo, nomen unum Patris & Filii & Spiritûs Sancti, in quo nos oportet baptizari, niſi illud ſcilicet nomen Deitatis, quod triplicari non poteſt? *(Nomen unum Patris & Filii & Spiritûs Sancti.)* quamvis enim dicamus Patrem Deum, Filium Deum, Spiritum Sanctum Deum; tamen non dicimus tres Deos, quia ſcriptum eſt: *Audi Iſrael, Dominus Deus* *(Deut. 6, 4.)* *tuus unus eſt.* Unus eſt igitur Deus in natura, non in perſona: quia alia eſt perſona Patris, alia Filii, alia Spiritûs Sancti. *(Unus Deus in natura, non in perſona.)* Pater à nullo eſt genitus, Filius à Patre eſt genitus, Spiritus Sanctus à Patre Filioque procedens eſt. Pater non ſibi eſt, ſed Filio: Filius non ſibi eſt, ſed Patri: Spiritus alicujus eſt adſpirantis; ergo ad Patrem Filiumque refertur. Iſta itaque relativa nomina Trinitatem faciunt, eſſentialia verò nullo modo triplicantur. *(Eſſentialia non triplicantur.)* Hæc Fulgentius.

16. Gennadius Maſſilienſis, lib. de Eccleſiaſticis dogmatibus, cap. 52. baptiſma in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti apud hæreticos datum, ait ideò agnoſcendum eſſe & non iterandum, ne ſanctæ Trinitatis invocatio vel confeſſio annulletur. Et Petrus Lombardus, lib. 4. ſent. diſt. 3. non in nominibus, (inquit) ſed in nomine, id eſt, invocatione vel confeſſione Patris & Filii & Spiritûs Sancti. *(Invocatio vel confeſſio.)*

17. Cyrillus Alexandrinus, lib. de recta fide ad Theodoſium Imperatorem, cap. 32. εἷς κύριος, μία πίστις, ἓν βάπτισμα, κατὰ τὰ γεγραμμένα. ὥσπερ οὖν ἐστι μία πίστις ἡ ἐν Χριστῷ, καὶ ἓν ἀληθῶς βάπτισμα, κἂν βαπτιζώμεθα καὶ πιστεύωμεν εἰς πατέρα, καὶ υἱὸν, καὶ ἅγιον πνεῦμα· κατὰ τὸν αὐτόν, οἶμαι, τρόπον τε καὶ λόγον, μία προσκύνησις ἡ πατρὸς, καὶ ἐνανθρωπήσαντος υἱοῦ, καὶ ἁγίου πνεύματος. *(μία προσκύνησις.)* *id eſt*: unus Dominus, una fides, unum baptiſma, ſecundùm ſcripturas. *(Epheſ. 4, 5.)* Quemadmodum igitur eſt una fides in Chriſtum, & unum verè baptiſma, etiamſi baptizemur & credamus in Patrem & Filium & Spiritum Sanctum: ita planè, ut ego arbitror, una quoque Patris & incarnati Filii, & Spiritûs Sancti eſt adoratio. Hæc Cyrillus, cujus liber ille de recta fide ad Theodoſium inſeritur primæ parti Concilii Oecumenici Epheſini.

*Tria nomina perſonalia. Unum nomen eſſentiale.* 18. Thomas Aquinas, 3. part. qu. 66. art. 5. ad 6. Etſi (inquit) ſunt tria nomina perſonalia trium perſonarum: eſt tamen nomen unum eſſentiale. Virtus autem Divina quæ operatur in baptiſmo, ad eſſentiam pertinet, & ideo dicitur, in nomine; & non, in nominibus.

*Nomen Dei in ſacris Scripturis accipitur eſſentialiter.* 19. Quamvis autem ſermonis penuriâ & loquendi neceſſitate, utantur Theologi diſtinctione Divinorum nominum in perſonalia & eſſentialia; in ſacris tamen ſcripturis quotieſcunque Deo tribuitur *Schem* שם, ὄνομα, *nomen*, (niſi ubi particularis ratio habetur myſterii incarnationis) ſemper ſumitur *nomen* eſſentialiter: & quamvis per varia attributa & opera Divina multipliciter deſcribatur; unum tamen ubique nomen & una eſſentia unius Dei Patris & Filii & Spiritûs Sancti intelligitur. Hoc eſt illud nomen Domini, quod à Patriarchis invocatum eſt. Geneſ. 4, 26. & 18. & quod invocantibus ſalus promittitur, Joel. 2, 32. Rom. 10, 13. Quod timendum, Deut. 28, 58. Pſal. 86, 11. per quod jurandum, Deut. 10, 20. Quod glorificandum, Pſal. 86, 12. laudandum, Pſal. 99, 3. & 148, 13. benedicendum, Pſal. 100. & 103, 1. per quod Deus nos ſalvat, Pſal. 54. 2. In quo fiducia collocanda, Pſal. 20, 8. & 25. ultimo. Prov. 18, 10. Eſai. 50, 10. In quo gaudendum, Pſal. 89, 19. In quo gloriandum, Pſal. 105, 3. Quod ſolum exaltatum eſt, Pſal. 148, 13. Quod prædicitur magnum inter gentes futurum, & cui oblatio facienda, Malach. 1, 11. de quo etiam dicitur per alium Prophetam: Dominus erit Rex ſuper univerſam terram: in illo die erit unus Dominus, *Nomen ejus unum.* & nomen ejus unum, Zach. 14, 9. In hoc uno nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti baptizamur.

20. Huc pertinent illa verba Liturgiæ S. Jacobi, ὅτι ἡγίασται καὶ δεδόξασται τὸ πάντιμον καὶ μεγαλοπρεπὲς ὄνομά σου τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. [illegible] *id eſt:* Quoniam ſanctificatum eſt ac glorificatum, honorandum omni honore & magnificum nomen tuum Patris & Filii & Spiritûs Sancti, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Quæ verba etiam leguntur in Liturgiis Baſilii & Chryſoſtomi. In quibus & hæc legitur oratio, καὶ δὸς ἡμῖν ἐν ἑνὶ στόματι καὶ μιᾷ καρδίᾳ δοξάζειν καὶ ἀνυμνεῖν τὸ πάντιμον καὶ μεγαλοπρεπὲς ὄνομά σου τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. *id eſt:* Et da nobis uno ore & uno corde glorificare & laudare pretioſiſſimum & magnificum nomen tuum Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum.

21. Primaſius Commentario in cap. 22. Apocalypſeos, verſ. 4. in illa verba, [*& nomen ejus in frontibus eorum.*] Per fidem (*inquit*) juſtificari hoc templum, per quam vitæ etiam æternæ conſerri declarat meritum, cùm in frontibus eorum nomen Dei & Agni ibi quoque ſic geſtari facit ſcriptum, tanquam pro titulo cognoſcatur præferri gloriarum. Hanc ſanè fidem in uno complectitur nomine. Neque enim dixit, & nomina Dei & Agni ſcripta in frontibus eorum, cum geminam videatur ſignificâſſe perſonam, ut illius dogmatis regulam cuſtodiret loquens de regnantibus ſanctis, quam pridem Dominus ſervandam Diſcipulis tradiderat peregrinis: *Ite*, inquiens, *baptizate omnes gentes*, tingentes eos *in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti.* Solicitè enim fuerat commendandum hoc ſanctos viſuros & habituros in ſpecie, quod credebant viventes ex fide. Hæc Primaſius in loco citato.

## CAPUT DECIMUM-OCTAVUM.

### *De Patre noſtro, quem oratione Dominica invocamus.*

*Sancta Trinitas eſt Pater noſter.* IN oratione Dominica *Pater noſter*, eſt ſancta Trinitas, Pater & Filius & Spiritus Sanctus, cujus nomen ſanctificari, & regnum advenire, & voluntatem fieri petimus: & à quo Patre noſtro cœleſti concedi nobis precamur panem noſtrum quotidianum, & remiſſionem peccatorum, & conſervationem à tentatione, ac liberationem à malo: cujus etiam regnum & potentiam & gloriam prædicamus.

2. Hujus Theorematis veritas perſpicuè elucet ex cap. 8. & cap. 12. & ex eis quæ de una voluntate dicta ſunt, cap. 13. Et de unitate nominis, cap. 17.

3. Huc pertinent illa verba, quæ legimus in antiquis Græcorum liturgiis, quæ ſanctis Jacobo, & Baſilio & Chryſoſtomo tribuuntur: Καταξίωσον ἡμᾶς, δέσποτα, μετὰ παρρησίας ἀκατακρίτως τολμᾶν ἐπικαλεῖσθαί σε τὸν ἐπουράνιον Θεὸν πατέρα, καὶ λέγειν· Πάτερ ἡμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, ἁγιασθήτω τὸ ὄνομά σου καὶ τὰ ἑξῆς. ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ βασιλεία καὶ ἡ δύναμις καὶ ἡ δόξα, τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν. *id eſt:* Præſta nobis Domine ut cum libertate citra condemnationem audeamus invocare te Cœleſtem Deum Patrem, & dicere: Pater noſter qui es in Cœlis, ſanctificetur nomen tuum, &c. Quoniam tuum eſt regnum & potentia & gloria Patris & Filii & Spiritûs Sancti, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen. Item in liturgia Chryſoſtomi; Εὐλογημένη ἡ βασιλεία τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν. *id eſt:* Benedictum regnum Patris & Filii & Spiritûs Sancti, nunc & ſemper & in ſecula ſeculorum. Amen.

4. Extat Juſtini Martyris liber περὶ Θεοῦ μοναρχίας. Et Gregorius Nazianzenus regnum Trinitatis vocat μοναρχίαν. orat. 40. Et negat πολυαρχίαν. orat. 37. Et Patres Conſtantinopolitani in ſua epiſtola ad Occidentales, apud Theodoretum lib. 5. hiſt. Eccleſ. cap. 9. De fide Catholica eſſe ajunt ut Patris & Filii & Spiritûs Sancti unam credamus Deitatem & potentiam & eſſentiam, ὁμότιμόν τε τὴν ἀξίαν καὶ συναΐδιον τὴν βασιλείαν, æqualem dignitatem & coæternum regnum.

5. Athanaſius ait; ὥσπερ γὰρ εἰσάγειν τὴν πολυθεΐαν ἀθεότητα εἶναι, οὕτως ἀνάγκη τὴν πολυαρχίαν ἀναρχίαν εἶναι. *id eſt:* Quemadmodum enim diximus multitudinem numinum, eſſe negationem Numinis: ita neceſſe eſt multitudinem Principum id efficere, ut nullus eſſe Princeps videatur. Hæc Athanaſius orat. contra Gentes. Idem, lib. de communi eſſentia Patris & Filii & Spiritûs Sancti, cap. Quòd non tres Dii ſint, ὅπου δὲ ἀμέριστος ἡ ἀξία, μία βασιλεία, μία δύναμις καὶ βουλὴ καὶ ἐνέργεια, ἰδιάζουσα τῆς Τριάδος ὑπὲρ τὴν κτίσιν, ἵνα λέγω Θεόν. *id eſt:* Ubi verò indiviſa dignitas, unum regnum, una potentia & voluntas & efficacia, in ſuam proprietatem vindicans Trinitatem eamque diſtinguens à creatura, ibi unum dico Deum.

6. Epiphanius, hæreſi 62. §. 3. οὐ πολυθεΐαν εἰσηγούμεθα· ἀλλὰ μοναρχίαν κηρύττομεν. μοναρχίαν δὲ κηρύττοντες, οὐ σφαλλόμεθα, ἀλλὰ ὁμολογοῦμεν τὴν Τριάδα, μονάδα ἐν Τριάδι, καὶ Τριάδα ἐν μονάδι, μίαν θεότητα Πατρὸς, καὶ Υἱοῦ, καὶ ἁγίου Πνεύματος. *id eſt:* Non invehimus Deorum multitudinem, ſed Monarchiam prædicamus, Monarchiam autem prædicantes, non aberramus, ſed confitemur Trinitatem, unitatem in Trinitate, & Trinitatem in unitate, unam Deitatem Patris & Filii & Spiritûs Sancti.

7. Gregorius Nyſſenus, lib. 2. de Oratione Dominicâ, ait primis illis verbis *Pater noſter*, compellari à nobis τὴν ἑστῶσαν φύσιν, τὴν ἀμετακίνητον δύναμιν, conſtantem naturam, immobilem potentiam, autorem rerum omnium creatarum, eaſque ducentem & ferentem, τὸν Θεόν.

8. Ambroſius, lib. 5. de fide cap. 5. in Filii regno & Pater regnat, & in regno Patris Filius regnat: quia Pater in Filio, & in Patre Filius: & in quo habitat Filius, habitat & Pater: & in quo habitat Pater, habitat & Filius: ſicut ipſe *Joan. 14, 23. 2. Cor. 13, 14.* ait; Ego & Pater veniemus, & apud eum manſionem faciemus. Ergo ſicut una domus, ita & unum regnum. Eo uſque autem unum Patris *Pater non amittit, quod Filius tradit.* & Filii regnum eſt, ut quod Filius tradit accipiat: & quod Pater accipit, Filius non amittat. Ergo in uno regno unitas poteſtatis eſt.

*Una operatio ubique, una atque eadem voluntas, &c.* 9. Idem lib. 2. de Spiritu Sancto cap. 11. Nec ſolum una operatio eſt ubique Patris & Filii & Spiritûs Sancti, ſed etiam una atque eadem voluntas, una vocatio, una præceptio: quod licet in illo magno ac ſalutari Eccleſiæ ſpectare myſterio. Hæc Ambroſius.

10. Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus, in ſua expoſitione Orationis Dominicæ, Tom. 1. Bibliothecæ Patrum, edit. 4. Quia *Tuum eſt regnum.* tuum eſt regnum, & virtus, & gloria Patris & Filii & Spiritûs Sancti: Amen. Nam in tua *In tua manu.* manu & poteſtate ſunt miſericordia & ſalus, mors & vita, Patris & Filii & Spiritûs Sancti, nunc & ſemper & in ſecula.

11. Alexander Alenſis, in ſua ſumma Theologicâ, part. 4. qu. 10. in tractatu de officio Miſſæ, part. 2. §. 4. in expoſitione Orationis Dominicæ, docet illis verbis Orationis Dominicæ, *Pater noſter*, *Pater ſumitur eſſentialiter.* Patrem ſumi eſſentialiter, prout convenit toti Trinitati; non autem perſonaliter, qui modus Paternitatis convenit perſonæ Paternæ, reſpectu ſolius Filii unigeniti. Trinitatem enim eſſe, quæ nos creat, & adoptat, & regenerat. Nihilominus (inquit) perſonæ quæ eſt Pater, conveniunt hi modi Paternitatis per quandam appropriationem, ratione primæ auctoritatis. *Pater* igitur ſumitur eſſentialiter. Nihilominus ratione, quâ primæ perſonæ convenit prima auctoritas creationis & adoptionis, inſinuat Ambroſ. & Auguſt. hanc orationem fieri ad Patrem, cùm *De appropriatione vide ſuprà, cap. 11. §. 8. & 9.* dicitur *Pater noſter*, ſit tamen ad totam Trinitatem, unde eſſentialiter tenetur. —— In oratione quam docuit Chriſtus, inſinuatur petitionem debere fieri à Deo eſſentialiter, per hoc quod dicitur, *Pater noſter*; ut oſtendatur petendum eſſe *Indiſtinctè ab ipſa Trinitate.* aſſequendum indiſtinctè ab ipſa Trinitate. Hæc Alenſis. In cujus verbis cautè ac dextrè intelligendum illud, quod dicit de prima auctoritate creationis & adoptionis: neque enim ea Alenſi mens eſt, ut diviſio aliqua aut ſucceſſio in operatione Trinitatis cogitetur; ſed quia ſecundum *Interpretatio primæ auctoritatis in verbis Alenſis.* internum ordinem originis Filii à Patre, & Spiritûs Sancti à Patre Filioque Pater auctor dicitur Filii, & Pater cum Filio auctor ſeu principium Spiritûs Sancti, ideo in operatione externa Pater per Filium & Spiritum, & Filius à Patre per Spiritum, & Spiritus à Patre Filioque operari dicitur. Qui tamen ordo nullam facit operationis Divinæ ſeparabilitatem; ſicut oſtendimus ſuprà, cap. 10. vide etiam cap. 20.

## CAPUT DECIMUM-NONUM.

### *Cui per Mediatorem reconciliemur.*

*1. Tim. 2, 5.* APoſtolus ait; *Unus enim Deus, unus etiam Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus.* Quæ verba exponentes in ſuis commentariis Chryſoſtomus & Theodoretus, & auctor commentarii qui Ambroſio tribuitur, docent huic Mediationi nullum fuiſſe idoneum, niſi qui in una eademque perſonâ eſſet & Deus & homo. Idipſum prolixè docet Athanaſius, orat. 2. contra Arianos & Cyrillus Alexand. lib. 1. ad Reginas, cap. 7. & lib. 2. ad eaſdem, cap. 7. & cap. 22. in primâ parte Concilii Epheſini. Idcirco Dionyſius Areop. lib. de divinis nominibus, cap. 2. Chriſti obedientiam vocat ἀνθρωπικὴν αὐτοῦ θεουργίαν. Vide infrà, lib. 2. cap. 6. anathem. 10. & cap. 7. & cap. 13 §. 6.

2. Per hunc Mediatorem reconciliamur Deo Trinitati. Uni illi Deo, de quo ibi loquitur Apo- *1. Tim. 2, 5.* ſtolus. Ubi Chryſoſtomus in commentario ait, dici unum Deum, πρὸς ἀντιδιαστολὴν τῶν εἰδώλων, οὐ πρὸς τὸν υἱόν. *id eſt:* ad excludendum idola; non ad excludendum Filium. & Oecumenius ibidem; τὸ δὲ, εἷς Θεὸς, οὐ πρὸς ἀντιδιαστολὴν κεῖται τοῦ υἱοῦ ἢ τοῦ πνεύματος, ἄπαγε, ἀλλὰ πρὸς τοὺς οὐκ ὄντας, λεγομένους δὲ θεούς. *id eſt:* Quod autem dicitur, *unus Deus*, non ad excluſionem [ſeu contradiſtinctionem] Filii ponitur aut Spiritûs; Abſit! ſed propter illos qui non ſunt, & tamen dicuntur dii. Et Primaſius comment. in eundem locum Apoſtoli, *unum Deum*, interpretatur, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum. Hoc pertinet & illud ejuſdem Apoſtoli; *Hæc autem omnia ex Deo, qui reconciliavit* *2. Cor. 5, 18. 19.* *nos ſibi per Ieſum Chriſtum, deditque nobis miniſterium reconciliationis. Nempe quia Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi.*

3. Auguſtinus, præfatione in ſecundam expoſitionem Pſal. 29. Quid eſt (inquit) eſſe Mediatorem inter Deum & homines? non inter Patrem & homines. Quid eſt Deus? Pater & Filius & Spiritus Sanctus. Quid ſunt homines? peccatores impii mortales. Inter illam Trinitatem, & hominum infirmitatem & iniquitatem, Mediator factus eſt homo: atque ut inter hominem & Deum Mediator exiſteret, Verbum caro factum eſt, id eſt, Verbum homo factum eſt. Et lib. 9. de Civitate Dei, cap. 15. Quærendus eſt medius, qui non ſolùm homo, verùm etiam Deus ſit. —— Ad illud unum beatificum bonum ut perduceremur, non multis, ſed uno Mediatore opus erat: & hoc eo ipſo, cujus participatione ſumus beati, hoc eſt,

Verbo Dei. . . . Beatus & beatificus Deus, factus particeps humanitatis noſtræ, compendium præbuit participandæ Divinitatis ſuæ. Neque enim nos à mortalitate & miſeriâ liberans, ad angelos immortales beatoſque ita perducit, ut eorum participatione etiam nos immortales & beati ſimus, ſed ad illam Trinitatem, cujus & angeli participatione beati ſunt. Hæc Auguſtinus.

4. Fulgentius, lib. de fide, ad Petrum Diaconum (qui etiam reperitur in operibus Auguſtini, tom. 3.) cap. 2. ad finem capitis, de Chriſto diſſerens ait: Iſte eſt igitur, qui in ſe uno totum exhibuit, quod eſſe neceſſarium ad redemtionis noſtræ ſciebat effectum: idem ſcilicet & ſacerdos & ſacrificium, idem Deus & Templum. Sacerdos, per quem ſumus reconciliati: ſacrificium, quo reconciliati: Templum, in quo reconciliati: Deus, cui reconciliati: Solus tamen ſacerdos, ſacrificium, & templum, & hæc omnia Deus ſecundùm formam ſervi. Non autem ſolus Deus, quia hoc eſt cum Patre & Spiritu Sancto ſecundùm formam Dei. Reconciliati igitur ſumus per ſolum Filium ſecundùm carnem; ſed non ſoli Filio ſecundum Divinitatem. Trinitas enim nos ſibi reconciliavit, per hoc quod ſolum Verbum carnem ipſa Trinitas fecit. Hæc Fulgentius.

## CAPUT VIGESIMUM.

*Cur Patri approprietur quod toti convenit Trinitati in negotio reconciliationis per Mediatorem.*

Auctor. PAter Filii ſui unigeniti Auctor eſt, idemque proceſſionis Spiritûs Sancti Auctor eſt, qui talem Filium genuit, & gignendo ei dedit, ut etiam de ipſo procederet Spiritus Sanctus: ſicut loquitur Auguſtinus, lib. 3. contra Maximinum, cap. 14. Pater principium eſt non de principio; Filius autem & Spiritus Sanctus de principio: quamvis hi tres ſint ad creaturas unum principium, ſicut unus Creator & unus Dominus: ut idem docet Auguſtinus, eodem lib. cap. 17. & lib. 5. de Trinitate, cap. 14. Propterea dixit Gregorius Nazianzenus, orat. 24. in Ægyptiorum adventum: [illegible] id eſt: Omnia quæcunque habet Pater, ſunt Filii, excepta cauſâ. Cauſa.

2. Athanaſius orat. 2. contra Arianos, Patrem vocat πηγὴν καὶ ἀρχὴν τοῦ υἱοῦ, fontem & principium Filii. Et Baſilius Cæſarienſis, prope finem libri, 1. adverſus Eunomium, ait de Patre in relatione ad Filium, quod Pater ſit [illegible]. Et Gregor. Nazianzenus, orat. 29. Patrem reſpectu Filii vocat ἀρχὴν, ὡς αἴτιον καὶ πηγὴν. Dionyſius ait: [illegible] lib. de divinis nominibus, cap. 2. & Zacharias Mitylenenſis, lib. de mundi opificio, Patrem vocat [illegible]. Et Germanus, Patriarcha Conſtantinopolitanus, in Contemplatione rerum Eccleſiaſticarum, (tom. 2. Græcolat. Biblioth. Patrum, edit. 4. pag. 155.) Deum Patrem vocat πηγὴν καὶ αἴτιον [illegible], fontem & cauſſam Filii & Spiritûs Sancti. loquutionem iſtam quâ Pater fons dicitur, Athanaſius deſumtam eſſe monet ex Jerem. cap. 2. verſ. 13. ubi Dominus dicitur fons aquæ vivæ. & cap. 17. verſ. 13. ubi in tranſlatione Græca LXX, dicitur πηγὴ ζωῆς, fons vitæ. & ex Baruch 3, 12. ubi appellatur πηγὴ τῆς σοφίας, fons ſapientiæ & Pſal. 36. (ſeu 35.) Apud te eſt fons vitæ. Inveniuntur hæc apud Athanaſium, Epiſt. ad Serapionem de Deitate Spiritûs Sancti; & lib. de Synodi Nicænæ decretis contra hæreſin Arianam; & Orat. 2. contra Arianos. Princi-pium. Fons.

3. Hilarius Pictavienſis, lib. 2. de Trinitate, ait, Spiritum Sanctum confitendum eſſe de Patre & Filio auctoribus. Quamvis tutius Auguſtinus Patrem & Filium, relative ad Spiritum Sanctum, vocet unum principium, lib. 5. de Trinitate, cap. 14. Quo autem ſano ſenſu intelligendum ſit illud Hilarii dictum, monet Thomas, part. 1. qu. 36. art. 4. ad 7.) Item Hilarius lib. 4. & lib. 6. ejuſdem operis de Trinitate, loquens de Patre & Filio & Spiritu Sancto, Patrem vocat fontem & cauſſam. Et lib. 4. & lib. 9. & lib. 12. Patrem vocat auctorem Filii. Et Ambroſii verba ſunt, in ſymbol. Apoſtol. cap. 2. Pater ergo, qui origo eſt Deitatis & bonitatis. Idem alibi ait, ab ipſo Deo Patre eſſe omnem auctoritatem. Ambroſ. in 1. Tim. 2, 5. Auguſtinus Patrem vocat principium Filii. lib. 4. de Trinit. cap. 20. & totius Deitatis principium. ibidem. Vide c. 23. theſ. 10. Origo.

4. Propter hanc auctoritatem originis, & quia Filius eſt qui in aſſumta ſervi formâ factus eſt obediens uſq; ad mortem Crucis, Philip. 2, 8. reconciliatio & acceſſus noſter per Mediatorem ad ſanctam & individuam Trinitatem, dicitur quandoque in Scripturis, per modum appropriationis, fieri ad Patrem. Unde Apoſtolus de Chriſto Mediatore loquens; Per ipſum (inquit) habemus acceſſum utrique in uno Spiritu ad Patrem, Epheſ. 2, 18. & alibi; ſi enim, cùm eſſemus inimici, reconciliati ſumus Deo per mortem Filii ipſius. Rom. 5, 10. Et ipſe Servator ait. Sic enim dilexit Deus mundum, ut Filium ſuum unigenitum dederit: ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam, Joan. 3, 16. ubi nominatur Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti; intelligenda eſt autem ſancta & individua Trinitas, cujus dilectione & decreto & operatione hæc nobis beneficia collata ſunt, & cui per Mediatorem reconciliamur, & ad quam acceſſum habemus. In fide (inquit Apoſtolus) vivo Filii Dei, qui dilexit me & tradidit ſeipſum pro me. Non abjiciam gratiam Dei, Galat. 2, 20. 21. & alibi. Condonantes vobis mutuò, ſicut & Chriſtus condonavit vobis. Coloſſ. 3, 13. Cui ſimile eſt illud dictum ad Epheſios 4, 32. ſicut Deus in Chriſto condonavit vobis. Quæcumque facit Pater, hæc etiam Filius ſimiliter facit: Ioan. 5, 19. Sicut Pater ſuſcitat mortuos, & vivificat, ita & Filius quos vult, vivificat. verſ 21. Et quod petierimus in nomine ejus, id ſe facturum pollicetur, Ioan. 14, 13. 14. Ipſe igitur invocatur cum Patre in nomine Mediatoris, & petita donat. Ipſe promittit ſe miſſurum Paracletum à Patre, Ioan. 15, 26. Et fœdus illud de remittendis noſtris peccatis, Jerem. 31, v. 31. &c. Apoſtolus tribuit Spiritui Sancto. Hebr. 10, 15. 16. 17. de quo etiam alibi ait, quòd dona nobis ſpiritualia largiatur, diſtribuens privatim ſingulis, prout vult. 1. Cor. 12, 11. Vide plura huc ſpectantia, cap. 12. Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, 2. Cor. 5, 19. id eſt, Trinitati, Patri & Filio & Spiritui Sancto: in cujus nomine baptizamur in remiſſionem peccatorum.

5. Quam-



5. Quamvis autem ratione originis ſive proceſſionis ſolus Pater ſit ἄναρχος, principium non de principio: attamen ratione æternitatis ſeu intemporalis infinitatis (ut loquitur Hilar. lib. 9. de Trinitate,) Filius eſt συνάναρχος [illegible] id eſt: Æque principii expers quoad tempus, & coæternus cum ſuo genitore, ut rectè ait Cyrillus Alexandrinus libro Proſphonetico priore ad religioſiſſimas Reginas, cap. 3. in parte 1. Concilii Epheſini.

6. Græci (inquit Thomas Aquinas) utuntur in Divinis indifferenter nomine cauſſæ, ſicut & nomine principii: ſed Latini Doctores non utuntur nomine cauſſæ, ſed ſolum nomine principii. part. 1. queſt. 33. art. 1. ubi etiam rationem adfert, quam ibi lector inveniet. Quamvis Hilarius utatur etiam nomine cauſſæ; ut jam monui, §. 5.

## CAPUT VIGESIMUM-PRIMUM.

*Regula utilis ad intelligendas loquutiones de Trinitate Deo. Quando unus trium in aliquo opere nominatur, univerſa operari Trinitatis intelligitur.*

REtinenda eſt illa orthodoxorum Patrum obſervatio & regula de Trinitate Deo, ex ſacris ſcripturis evidenter deſumta, quam breviter inſinuat Auguſtinus, his verbis: *Quando unus trium in aliquo opere nominatur, univerſa operari Trinitas intelligitur.* Enchirid. cap. 38.

2. Athanaſius, epiſt. ad Serapionem contra eos, qui dicunt Spiritum Sanctum creaturam eſſe: [illegible] id eſt: Sancta & beata Trinitas indiviſa eſt & unita in ſe: & ubicunque Pater dicitur, adeſt & ipſius Verbum, & in Filio Spiritus. Si autem Filius nominetur, in Filio eſt Pater, nec Spiritus eſt extra Verbum. Una enim eſt ex Patre gratia per Filium, in Spiritu Sancto, conſummata: & una Deitas eſt, & unus Deus qui eſt ſuper omnia, & per omnia, & in omni-
2.Tim.4,1. bus. Ita enim Paulus dicens, *Teſtificor ego coram Deo & Ieſu Chriſto*, noverat, quòd non ſeparetur Spiritus à Filio; ſed in Chriſto erat Spiritus, quemadmodum Filius in Patre.

3. Baſilius Magnus, lib. 5. contra Eunomium: [illegible] id eſt: Unitatem Deitatis cognoſcentes [Prophetæ & Apoſtoli] in una perſonâ tres prædicant: Et eodem libro, luculenta memoratæ regulæ exempla adfert, in verbis illis Domini: *Nemo novit Filium, niſi Pater: neque Patrem novit quiſquam, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Matth. 11, 27. & verbis illis Apoſtoli: *Ea, quæ Dei ſunt, nullus novit, niſi Spiritus Dei.* 2. Cor. 2, 11.

4. Gregorius Nyſſenus, lib. de differentia eſſentiæ & hypoſtaſeos, ad Petrum fratrem ſuum: [illegible] id eſt: Per quas cogitationes & conſiderationes aliquis majeſtatem unius earum, quæ in ſancta Trinitate creditæ ſunt, perſonarum contemplatus fuerit, & animadverterit, per eaſdem progredietur, indifferentem & non variantem gloriam cernens in Patre, Filio, & Spiritu Sancto; nullo inter Patrem & Filium, vel Filium & Spiritum Sanctum intercedente ſpatio, per quod mentis agitatio per vacua vagetur: quippe cùm nihil ſit, quod per medium horum ſeſe inſerat & inſinuet: neque alia res eſt ulla ſubſiſtens præter Divinam naturam, quæ per interjectionem alieni poſſit eam inter ſeſe dividere ac diſpertiri: neque alicujus imaginarii ac non ſubſiſtentis intervalli vacuitas, quæ diducat & quaſi hiare faciat Divinæ eſſentiæ inter ſe harmoniam & aptam congruentemque cohærentiam, interpoſitione vacui dirimens continuum: ſed qui Patrem mente atque animi cogitatione percipit, & ipſum in ſe cognovit, & Filium ſimul eademque contemplatione animi aſſumſit. Qui autem hunc accepit, à Filio Spiritum non ſeparavit: ſed conſequenter quidem juxta ordinem, conjunctim verò juxta naturam omnium trium ſimul in ipſo contemperatam fidem mente concipit, & imaginatus eſt. Ac qui Spiritum ſolum dixit, unà cum hac confeſſione comprehendit & id cujus ſpiritus eſt; & quoniam Chriſti eſt Spiritus, & ex Deo eſt, ut inquit Apoſtolus. Quemadmodum ex catena qui unam extremitatem apprehendit, alteram quoque ſummitatem ſimul attrahit: eodem modo, qui Spiritum traxit, ut inquit Propheta,

pheta, per eum Filium quoque & Patrem ſimul traxit: atque ſi quis Filium severa acceperit, habebit eum utrinque, hinc quidem ſuum Patrem, illinc verò ſuum Spiritum ſimul adducentem. Neque enim à Patre qui ſemper in Patre eſt, abſcindi atque ſeparari poterit; neque unquam à Spiritu ſuo disjungetur, quippe cùm per eum omnia operetur. Fieri ergo non poteſt, ut aliqua ſectio vel diviſio ullo modo excogitetur, ut vel Filius abſque Patre intelligatur, vel Spiritus à Filio disjungatur, ſed quædam ineffabilis & quam mente aſſequi non poſſumus, in his deprehenditur, tum communicatio, tum diſtinctio: ita ut neque hypoſtaſeωn differentia continuitatem naturæ divellat, neque communio quæ ſecundum eſſentiam eſt, proprietatem notionum confundat. *Notionum*

5. Auguſtinus, lib. 1. de Trinitate, cap. 10. Unde (inquit) ſe ab iſto quod dixit; *Ipſe enim Pater amat vos*: utique ipſe non ſeparat: ſed ſecundùm ea facit intelligi quæ ſuprà commemoravi, ſatiſque inſinuavi, plerumque ita nominari in Trinitate unamquamque perſonam, ut & aliæ illic intelligantur. Sic itaque dictum eſt, *Ipſe enim Pater amat vos*, ut conſequenter intelligatur & Filius & Spiritus Sanctus. Et rurſus eodem lib. cap. 12. Jam (inquit) oſtendimus in hac Trinitate per multos Divinarum loquutionum modos etiam de ſingulis dici quod omnium eſt, propter inſeparabilem operationem unius ejuſdemque ſubſtantiæ. Hæc ibi Auguſtinus. *Joan. 16. 27.* *De ſingulis dicitur quod omnium eſt, propter inſeparabilem operationem unius ejuſdemque ſubſtantiæ.*

## CAPUT VIGESIMUM-SECUNDUM.

### De hymno glorificationis: *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto, ſicut erat in principio, &c.*

QUò clariùs Deitatis unitatem in Trinitate perſonarum, & unam Trinitatis gloriam, atque æqualem Patris & Filii & Spiritus Sancti honorem, eandemque glorificationem palam profiterentur, uſurpabant veteres in fine hymnorum & Pſalmorum hunc hymnum glorificationis: *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto: ſicut erat in principio, & nunc, & ſemper & in ſecula ſeculorum.* Amen.

2. Baſilius Magnus, lib. de Spiritu Sancto, ad Amphilochium, cap. 27. [illegible] δόξα πατρὶ καὶ υἱῷ, σὺν τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ καὶ, δόξα πατρὶ, καὶ υἱῷ, καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι. *id eſt*: Dictum eſt igitur idem eſſe quoad ſenſum; ſive dicas, Gloria Patri, & Filio, cum Spiritu Sancto: ſive dicas, Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto. Idem, eodem lib. cap. 29. docet, antiquiſſimos Patres uſos eſſe hac formâ, Gloria Patri, & Filio, cum Spiritu Sancto, σὺν τῷ ἁγίῳ πνεύματι. Et eodem capite ſcribit, antiquâ conſuetudine populum Chriſtianum pro veſpertino lumine gratias agere ſolitum hac formulâ: αἰνοῦμεν πατέρα, καὶ υἱὸν, καὶ ἅγιον πνεῦμα Θεοῦ. *id eſt*: Laudamus Patrem, & Filium, & Sanctum Spiritum Dei. Monuit etiam, cap. 27. ſyllabam καὶ *Et*, (quâ dicimus, *& Spiritui Sancto*) non eſſe fas cuiquam rejicere, cùm accepta ſit ex ipſius Domini ore, jubentis baptizare in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti [καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος.] Neque eſſe quidquam, quod vetet recipere in Doxologiâ etiam æquipollentem ei [τὴν ἰσοδυναμοῦσαν αὐτῇ] Præpoſitionem *cum*, σύν. Conſuetæ autem gratiarum actioni pro veſpertino lumine, ſimilis eſt hymnus iſte glorificationis: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.* Qui hymnus in Eccleſia diligenter retentus eſt, pro cuſtodia Doctrinæ Nicænæ contra Arianos. Æqualem autem atque eandem Filio & Spiritui Sancto gloriam cum Patre tribuere recuſantes Ariani, utebantur hac formulâ doxologiæ; (teſte Baſilio, lib. de Spiritu Sancto, cap. 25.) σοὶ τῷ πατρὶ, ἡ τιμὴ καὶ ἡ δόξα, διὰ τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, ἐν τῷ ἁγίῳ πνεύματι. *id eſt*: Tibi Patri honor & gloria, per unigenitū tuum Filium, in Spiritu Sancto. Et ibidem monet Baſilius, non de ſyllabis & vocibus, ſed de rebus ipſis fuiſſe certamen cum Arianis; qui ſyllabas quaſdam fugiebant, quia rem ipſam ſyllabis intimatam (licet in Scripturis Divinis luculenter traditam) agnoſcere pertinaciter renuebant. *Matth. 28, 19.*

3. Theodoretus, lib. 2. hiſtoriæ Eccleſ. cap. 24. Athanaſium introducit deſcribentem vafritiem Leontii Ariani Epiſcopi Antiochæni in recitanda glorificatione; Cum enim diviſum cerneret clerum & populum, aliis canentibus; *Gloria Patri & Filio*: Aliis autem; *Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto*: ipſe Leontius totam glorificationem tacitè recitabat, ita ut audiretur ex ore ejus ab eis qui prope erant, tantùm, *In ſecula ſeculorum.*

4. Sozomenus, lib. 3. hiſtor. Eccleſ. cap. 19. refert, tempore Conſtantii Imperatoris, & magni Athanaſii Epiſcopi Alexandrini, & Leontii Ariani Epiſcopi Antiocheni, Catholicos & Arianos qui Antiochiæ degebant, in recitatione glorificationis diſcrepaſſe in hunc modum. Catholici Patrem & Filium ut honore æqualem glorificabant, [πατέρα καὶ υἱὸν ὡς ὁμότιμον δοξάζοντες] ſecundùm traditionem Nicænæ Synodi Deum hymnis celebrantes [κατὰ τὴν παράδοσιν τῆς ἐν Νικαίᾳ συνόδου τὸ θεῖον ὑμνοῦντες.] Ariani autem glorificabant Patrem in Filio [πατέρα ἐν υἱῷ] per hanc interpoſitam præpoſitionem, *In*, volentes oſtendere Filium eſſe Patre inferiorem [τὸ παραβάτην τῆς συνθέσεως δευτερεύοντα τὸν υἱὸν ἀποφαίνοντες.]

5. Nicephorus Caliſt. lib. 9. hiſtor. Eccleſ. cap. 24. ejuſdem temporis & urbis hiſtoriam repetens; Sententiam, (inquit,) quam quiſque de Deo obtineret, in choro ſtantes, ad finem Pſalmodiæ declarabant. Quidam enim Patrem & Filium eodem honore celebrantes: nonnulli Patrem in Filio (præpoſitione interjectâ obſcuriùs ſecundas partes Filio tribuentes:) Alii, *Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto*: quidam etiam, *Gloria Patri & Filio in Spiritu Sancto*, canebant. Primum omnium ferunt Antiochenum Flavianum, Monachorum coactâ catervâ, clarè accinuiſſe, *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto.* Quod quidem ut nihil habens ſuſpicionis, in Eccleſiis Dei obtinuit. Id verò Leontius videns, inhibere eos, qui juxta Nicænæ fidei traditionem Deum laudibus proſequebantur, non audebat, ſeditionem timens. Hæc Nicephorus.

6. Macarius Ægyptius, ſic claudit homiliam ſuam 12. δόξα καὶ προσκύνησις τῷ πατρὶ, καὶ τῷ υἱῷ, καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι, εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν. *id eſt*: Gloria & adoratio Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, in ſecula. Amen. Et homil. 16. δόξα πατρὶ, καὶ υἱῷ, καὶ ἁγίῳ πνεύματι. Et homil. 17. δόξα τῇ ὁμοουσίῳ



ὁμοουσίῳ Τριάδι. Fertur hic Macarius floruiſſe ſub magno Conſtantino & Conſtantio Imperatorib^.

7. Extat Epiſtola ſub Hieronymi nomine ad Damaſum Epiſcopum Romanum ſcripta, (tom. 1. Conciliorum pag. 625. col. 1. edit. Pariſ.) in qua Damaſum hortatur Hieronymus, his verbis: Precatur ergo cliens tuus, ut vox iſta pſallentiū in ſede tua Romanâ, die noctuque canatur, & in fine Pſalmi cujuslibet ſive matutinis vel veſpertinis horis conjungi præcipiat Apoſtolatûs tui ordo, *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto: Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.* Iſtud carmen laudis, omni Pſalmo conjungi præcipias, ut fides 318. Epiſcoporum Nicæni Concilii, veſtro ore pari conſortio declaretur. Hæc ille. Tametſi autem hæc epiſtola Baronio & Binio adulterina videatur, eam tamen pro Hieronymi epiſtolâ, ſuâ ætate agnitam eſſe indicare videtur Remigius Antiſſiodorenſis, qui claruit ante annum Chriſti 900. Quamvis Hieronymo & Damaſo, quoad hujus hymni originem, plus tribuat, quàm ex illa epiſtolâ colligi poſſe videatur; vel quàm per aliorum Veterum prolata nobis teſtimonia admitti poſſit, ſi primam hujus hymni originem intelligat ibi Remigius: cujus hæc ſunt verba; Deinde imponitur: Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto. Quæ verba, ad diviſionem Pſalmorum, qui prius indifferenter canebantur, beatus Hieronymus, Damaſo petente, compoſuit: ſed cùm nequaquam id ſufficeret, prædicto Apoſtolico iterum ſuggerente, addidit adhuc: Sicut erat in principio &c. Hæc Remigius Antiſſiodorenſis, in Expoſitione de celebratione Miſſæ, ſub initium. [Tom. 6. Bibl. Patr. col. 442. edit. 4.] Eandem epiſtolam agnovit Garſias Loayſa in ſuis notis in Concilium Toletanum quartum, cap. 14. ubi ait: De verſu illo; Gloria Patri & Filio &c. ſuprà diximus. Verùm ſunt qui dicant à Flaviano Antiocheno, adjutore Chryſoſtomo, compoſitum; ut Nicephor. lib. 9. cap. 24. & 18. cap. 51. Poſtea conſilio Hieronymi in Eccleſia Latinâ additum finibus Pſalmorum à Damaſo, ipſe refert in epiſtola ad Damaſum. Hæc Garſias Loayſa. Qui hiſtoriam Nicephoro tribuit, quæ apud Nicephorum non ita certò aut evidenter comparet; nam Flavianum compoſuiſſe hunc hymnum non ait Nicephorus, ſed in tanta varietate apud Antiochenos illo tempore primū clarè accinuiſſe, Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto: & ſic canentes laudâſſe Deum juxta Nicænæ fidei traditionem. Laudatur quidem Flaviani zelus, & fortis conſtantia, qua ſub Leontio Ariano Epiſcopo gregem in diverſa diſperſum, hac apertâ veritatis profeſſione ad veritatem atque unitatem reducere primus aggreſſus eſt: at verò hunc hymnum non priùs apud Chriſtianos auditum eſſe, neque diſertè aſſerit Nicephorus, neque congruere videtur cum eis quæ commemorata ſunt ex Baſilio & Theodoreto & Sozomeno. Conſentiunt omnes; receptam in Eccleſiis orthodoxis fuiſſe hanc formulam, ut conſonam doctrinæ Nicæni Concilii, contra Arianos.

8. Ado Epiſcopus Viennenſis, in ſuo Chronico, ætate ſextâ, anno Domini 337. Meminit Concilii Vaſenſis in Gallia habiti, tempore Conſtantii Imperatoris: Florebat (inquit) & tunc temporis Nectarius Viennenſis Epiſcopus, in doctrina fidei eximius: qui in Vaſenſi illâ Synodo venerabili primus interfuit, & Patris & Filii & Spiritûs Sancti unam eſſe naturam, & poteſtatem, & Deitatem, & virtutem, in Eccleſia publicè prædicavit, & docuit. Hæc Ado. Hujus Concilii videtur eſſe canon ille Vaſenſis, qui extat de hoc hymno glorificationis (tom. 1. Concil. pag. 575. col. 1. edit. Pariſ.) cujus canonis hæc ſunt verba: Et, quia non ſolùm in ſede Apoſtolicâ, ſed etiam per totum Orientem, & totam Africam; vel Italiam, propter hæreticorum aſtutiam, quâ Dei Filium non ſemper cū Patre fuiſſe, ſed à tempore fuiſſe blaſphemant, in omnibus clauſulis poſt *gloria Patri &c. ſicut erat in principio &c.* dicitur: etiam & nos hoc ita dicendum eſſe decrevimus.

9. De eodem hymno glorificationis dicitur in Concilio quarto Toletano, can. 12. Quotidie publico privatoque officio, in fine omnium Pſalmorum dicimus: Gloria & honor Patri & Filio & Spiritui Sancto, in ſecula ſeculorum, Amen. Celebratum eſt hoc Concilium, Præſidente Iſidoro Epiſcopo Hiſpalenſi, anno Dom. 633. Utuntur ibi Toletani Patres hoc exemplo, & argumentantur etiam à precibus Eccleſiaſticis, quas Apoſtolus fieri præcipit, (1. Tim. 2.) ut doceant non eſſe rejiciendos eos hymnos, qui humano ſtudio in laudem Dei compoſiti ſunt: eoſque rejicientibus excommunicationis pœnam denunciant. Quod autem in eodem Concilio, can. 14. ſtatuitur, ut non ampliùs, *Gloria Patri*; ſed, *Gloria & honor Patri* dicatur: illud conſuetudine Eccleſiaſticâ non eſt roboratum: & ita non *Gloria & honor*; ſed *Gloria Patri* dicitur in Eccleſia. Ut annotat in illum canonem Garſias Loayſa.

10. Senſum & mentem hujus glorificationis feliciter expreſſerunt Patres Toletani, Concil. Tolet. 14. cap. 12. ſeu ult. his verbis: Dantes in his gloriam ſoli Deo Omnipotenti, vivo & vero, in Trinitate regnanti, Patri & Filio & Spiritui Sancto: cujus dono, &c.

## CAPUT VIGESIMUM-TERTIUM.

### *De una indiviſa adoratione, & invocatione, & collaudatione Sanctiſſimæ Trinitatis.*

*Theorema.* QUando officia noſtra Deo fideliter offerimus, ſive dicamus Patrem, ſive pronunciemus tantummodo vocabulum Filii, (ſicut Stephanus moriens, Act. 7.) vel Spiritûs Sancti, (ut in hymno illo Ambroſiano, Veni Creator Spiritus. Et in illa precatione Gregorii Nazianzeni, orat. 37. [illegible] τὸ πνεῦμα, &c.) ſive Patrem & Filium; ſive Patrem & Filium & Spiritum Sanctum ſimul dicamus: ſive Deum, aut Dominum aut Trinitatem; aut quodlibet eorum nominum Divinorum, quæ de perſona aliqua Divinâ quovis modo dicuntur, ſive relativè ad aliam perſonam, ſive ſubſtantialiter & ad ſeipſam, vel reſpectu creaturæ; quodcunque exprimatur nomen, unus eſt ſemper indiviſus cultus, qui exhibetur inſeparabili Trinitati Domino Deo noſtro: quem jubemur adorare, & illi ſoli ſervire. Et inſeparabiliter exaudit Trinitas.

2. Ex hoc veriſſimo theoremate conſequitur; non eſſe idoneum adorationis & invocationis modum, ſi tribus diſtinctis adorationibus & invocationibus tres perſonæ, continuatâ ſerie veluti ſeorſim adorentur & invocentur: ita ut una eademque petitio, primò offeratur Patri, & deinde ſtatim iteretur Filio, & tertiò repetatur ad Spiritum Sanctum; ſecundâ primam, & tertiâ ſecundam immediatè excipiente. *Conſectarium.*

excipiente. Supplicatio enim facta uni perſonæ, non eſt iteranda immediatè ad aliam perſonam; ne in unum ſimpliciſſimum religioſi noſtri cultûs objectum aliquam diviſionis vel ſeparationis aut ſeparabilitatis ſpeciem inducere videamur. Neque huic incommodo ſufficienter medetur ſuccedens adoratio & invocatio quarta, quaſi collectoria, in hunc modum: Deus Pater miſerere mei, Deus Fili miſerere mei, Deus Spiritus Sancte miſerere mei: Sancta Trinitas miſerere mei. Hac enim formulâ periculosè diſperguntur prius cogitationes & conceptiones precantis, veluti ad diverſa objecta, quas poſtea recolligere conatur, cum collectione objectorum in unum. At verò, quæ in divinis dicuntur nomina collectiva, ea non ſunt propriè collectiva; quia collectio diſperſionem præſupponit & diverſitatem, quæ in Deo non eſt. Vide Thom. 1. part. 1. quæſt. 31. art. 1. ad 2.

3. Conſectarium iſtud ex propoſito theoremate evidenter deducitur. Quocirca, ut Conſectarii veritas clarius eluceſcat, confirmatum imus theorema illud quod propoſuimus, §. 1. de indiviſo cultu, & indiviſâ exauditione. Ea autem precandi formula, quam diximus non eſſe idoneam, nullo nititur præcepto vel exemplo ſacræ Scripturæ, vel catholicæ antiquitatis: imò ab eiſdem, & à doctrina etiam ſaniorum ſcholaſticorum, & ab ipſa ratione theologicâ diſcrepat. Sicut manifeſtum eſt ex ſacrarum literarum & doctorum Eccleſiaſticorum teſtimoniis, ſuprà allatis, capitib. 17. & 18. & 19. & 20. &c. & ex eis quæ hic ſubjiciam. Neque huic formulæ, quæ nobis haud immeritò improbatur, favent verba Domini de baptiſmo, Matth. 28, 19. ubi non plures invocationes; ſed una Patris & Filii & Spiritûs Sancti invocatio præcipitur. Quemadmodum & Apoſtoli verba, 2. Cor. 13. verſ. ult. & in ſalutationibus, in Epiſtolarum principiis, non niſi unam continent invocationem. Vide cap. 17. & cap. 28. & cap. 32.

*Plura argumenta, quæ idoneam eſſe oſtendunt ipſam precandi formulam in conſiliatoris improbandam.*

4. Filius ait: Quicquid petieritis in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio. Ioan. 14. 13. Ergo cum Patre, in ſuo Mediatoris nomine invocatur, & cum Patre exaudit. Nec ſeparatus eſt Spiritus Sanctus, qui (ut loquitur Auguſtinus, lib. 5. de Trinitate cap. 11.) eſt ineffabilis quædam Patris Filiique communio. Vide verba Gregorii Thaumaturgi, ſuprà, cap. 8. §. 4. & verba quæ adferuntur ex ea expoſitione fidei, quæ Juſtino tribuitur, eod. cap. §. 5. & verba Nyſſeni, cap. 21. §. 4.

*Confirmatio Theorematis.*

5. Athanaſius, ſuprà, cap. 18. §. 5. dixit; Patris & Filii & Spiritûs Sancti eſſe impartibilem dignitatem. Idem, orat. 2. contra Arianos, ait; Chriſtianorum fidem ſervantem indiviſibilem unitatem Deitatis adorare. Et in fine epiſtolæ ad Serapionem, de Spiritu Sancto: Veri adoratores adorant Patrem in Spiritu & veritate, id eſt, inſeparabiliter cum Filio & Spiritu Sancto. Huc redit ſumma illius expoſitionis Athanaſii, in fine illius epiſtolæ. Vide ejuſdem verba de hymno triſagio, ſuprà, cap. 16. §. 2.

*Ioan. 4. 23. 24. In Spiritu & veritate.*

6. Patres Concilii Conſtantinopolitani œcumenici ſecundi, in ſymbolo illius Concilii, profitentur ſe credere in Spiritum ſanctum, τὸ σὺν πατρὶ καὶ υἱῷ συμπροσκυνούμενον, καὶ συνδοξαζόμενον. Iidem Patres, epiſt. ad Damaſum & alios occidentales (apud Theodoretum, lib. 5. Hiſt. Eccleſ. cap. 9.) ajunt Patris & Filii & Spiritûs Sancti eſſe ὁμότιμον τὴν ἀξίαν.

*συμπροσκυνούμενον.*

7. Baſilius magnus Cæſarienſis, dixit ſuprà, cap. 17. §. 8. Ne partiaris quæ impartibilia ſunt; ne ſcindas quæ non ſcinduntur: Trinitas non dirumpitur; colenda eſt in una & æternâ gloriâ. Vide ibi plura. Idem, lib. 5. contra Eunomium, cap. 12. Deum & Verbum & Spiritum dicit eſſe unam Deitatem, quæ ſola adoranda eſt. εἷς Θεὸς καὶ Λόγος καὶ Πνεῦμα, μίαν οὖσαν θεότητα, τὴν καὶ μόνην προσκυνητήν. Idem lib. de Spiritu Sancto, ad Amphilochium, cap. 18. ὡς γὰρ ἡ κυριότης ἡμῶν ἀρχὴ καὶ ἐξουσία μία, οὕτω καὶ ἡ παρ' ἡμῶν δοξολογία μία, καὶ οὐ πολλαί. Et poſtea, eodem lib. cap. 26. ait: ἐν τῷ προσκυνητῷ ἀχώριστον [αὐτὸ] πατρὸς καὶ υἱοῦ τὸ πνεῦμα ἅγιον. Hæc Baſilius Cæſariæ Cappadociæ Epiſcopus.

*Una & æterna gloria.*

*Una Deitas, quæ ſola adoranda eſt. Doxologia una, & non multæ.*

8. Gregorius Nyſſenus, ſuprà cap. 13. §. 2. prohibet ſciſſionem & partitionem cultûs, ne multitudo cogitetur Deorum. Et propter unitatem Deitatis in Patre & Filio & Spiritu Sancto, icciro (ait) una eſt apud nos adoratio, & collaudatio una. Vide etiam ejuſdem verba, ſuprà, cap. 21. §. 4. & infra, cap. 31. §. 4.

*Una adoratio & collaudatio una.*

9. Baſilius Epiſcopus Seleucienſis, orat. 32. ait, de Patre & Filio & Spiritu Sancto, quòd trium ſit impartibilis honor, ἀμέριστος ἡ τιμή.

*Honor impartibilis.*

10. Gregorius Nazianzenus, orat. 24. προσκυνοῦμεν τὴν μίαν ἐν τοῖς τρισὶ θεότητα. id eſt: Adoremus unam in tribus Deitatem. Et orat. 32. Patrem & Filium & Spiritum Sanctum ait eſſe tria ὁμόδοξα. Unum autem eſſe eſſentiâ, & impartibilitate adorationis, τῷ ἀμερίστῳ τῆς προσκυνήσεως. Et eâdem oratione Chriſtianos vocat Trinitatis adoratores. Et orat. 37. ait; ἡ δὲ ἑνὸς προσκύνησις, τῶν τριῶν ἐστι προσκύνησις, διὰ τὸ ἐν τοῖς τρισὶν ὁμότιμον τῆς ἀξίας καὶ τῆς θεότητος. id eſt: unius adoratio trium eſt adoratio, propter æqualem eandemq; trium perſonarum dignitatem ac divinitatem. Et poſtea, eadem orat. σέβωμεν Θεὸν τὸν πατέρα, Θεὸν τὸν υἱόν, Θεὸν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τρεῖς ἰδιότητας, θεότητα μίαν, δόξῃ καὶ τιμῇ καὶ οὐσίᾳ καὶ βασιλείᾳ μὴ μεριζομένην. id eſt: Ut colamus Deum Patrem, Deum Filium, Deum Sp. Sanctum; tres proprietates, unam Deitatem, nec gloriâ nec honore, nec eſſentiâ, nec regno diviſam. Idem orat. 44. de æqualitate & unitate cultûs & adorationis, & potentiæ, & perfectionis, & ſanctitatis Patris & Filii & Spiritûs Sancti, ait: μία σύνταξις, λατρεία μία, προσκύνησις, δύναμις, τελειότης, ἁγιασμός. Idem, in arcanis, carmine tertio, (tom. 2. oper. Nazianz. pag. 164. edit. Pariſ. græcol. an. Dom. 1630.) Trinitatem dicit eſſe ὁμόσεπτον: quod vocabulum, cum vocabulo ὁμόθρονος collatum, denotat unitatem indiviſibilem adorationis naturæ illius unius & indiviſibilis. Et ibidem, κράτος οὐ πλάνητον, id eſt, potentiam non cultu diviſam. Item, ibidem;

*τῷ ἀμερίστῳ τῆς προσκυνήσεως.*

*Adoremus unam in tribus Deitatem.*

*Unius adoratio trium eſt adoratio.*

*μὴ μεριζομένην.*

*ὁμόσεπτον.*

Οὔτε Τριὰς πλάνητος, ἐπεὶ φύσις ἐστ' ἀδιαίρετος.
*Id eſt*, Neque Trinitas cultu diviſa eſt; quia natura eſt indiviſibilis. Idem Nazianz. in Iambicis, carm. 3. [tom. 2. pag. 193. ejuſdem edit. græcol. Pariſ. ann. Dom. 1630.] *

| | | |
|---|---|---|
| * Πατὴρ σὺν υἱῷ καὶ πανάγνῳ πνεύματι,<br>Τριὰς προσώποις ἀσυγχύτοις, οὐσίας φύσει,<br>Μήτ' οὖν ἀριθμῷ συγχέῃς ὑποστάσεις,<br>Μήτ' αὖ θεὸν σὺ προσκυνῶν τέμνῃς φύσιν.<br>Μία Τριὰς γάρ, εἷς θεὸς παντοκράτωρ. | id eſt: | *Pater cum Filio & Sanctiſſimo Spiritu,*<br>*Trinitas perſonis diſcreta, unitas naturâ.*<br>*Neque igitur numero confundas hypoſtaſes,*<br>*Neque rurſus Deum tu adorans ſcindas naturam.*<br>*Una enim Trinitas, unus Deus omnipotens.* |

11. Epiphanius, in Ancorato, paragrapho ſeu capite 24. Dicit eandem Deitatem eſſe in Trinitate, & hanc ipſam Trinitatem eſſe in una Deitate. Et celebrandum ac glorificandum eſſe Patrem in Filio, & Filium in Patre, cum Spiritu Sancto, ſanctitatem unam, cultum unum, unam Deitatem, unam glorificationem. [μίαν ἁγιωσύνην, μίαν λατρείαν, μίαν θεότητα, μίαν δοξολογίαν.] Et hæreſ. 65. §. 8. ἓν ἀξίωμα.

*Una Deitas, unus cultus.*

12. Cyrillus Alexandrinus dixit, ſuprà, cap. 17. §. 17. Sicut eſt una fides, unum baptiſma; ita unam eſſe Patris & Filii & Spiritûs Sancti adorationem.

13. Dionyſius Areopagita, lib. de divinis nominibus, cap. 3. initio capitis: Invocantes (inquit) benigniſſimam & bonitate eminentiſſimam Trinitatem. Oportet enim nos orationibus ſeu precibus primum ad ipſam, ut bonorum fontem vel primam bonitatem, ſurſum ferri. χρὴ γὰρ ἡμᾶς ταῖς εὐχαῖς πρῶτον ἐπ' αὐτήν, ὡς ἀγαθαρχίαν, προσαναγάγεσθαι. Et eodem lib. cap. 13. ait; nos debere ἑνιαίως ὑμνεῖν τὴν ὅλην καὶ μίαν θεότητα, τὸ πάντων αἴτιον ἕν, καὶ ἑνιαίως αἴτιον. καὶ ὑπὲρ αὐτὸ τὸ ἕν, &c. unitè ſeu uniter celebrare integram & unam Deitatem, quæ omnium cauſſa eſt una, & unicè cauſſa, & eſt pluſquam una, &c. Vide infrà, cap. 33. §. 7.

*ὑμνεῖν. ἑνιαίως.*

14. Ambroſius ſuprà, cap. 14. §. 2. Ideo (inquit) unitas honoris, quia unitas poteſtatis. Idem tract. in ſymbol. Apoſtol. cap. 5. Unus cultus, una veneratio, una ſanctificatio ſemper Patris & Filii & Spiritûs Sancti eſt. Neque enim dignum eſt aut Filium defuiſſe Patri, aut Spiritum Sanctum defuiſſe Filio; ſicut impii hæretici mentiuntur. Nos verò hoc præcaventes, ſervemus bonum propoſitum, quod à ſanctis Patribus ſuſcepimus: adoremus Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, in Filio Patrem, in Spiritu autem Sancto Patrem & Filium intelligentes: diſtinguentes, antequam conjungamus; & jungentes, antequam dividamus: Unitatem in Trinitate venerantes, & Trinitatem in Unitate confitentes. Tota ergo à nobis ſancta Trinitas adoranda eſt: quia tota regalis eſt; quia unius poteſtatis & unius gloriæ eſt. Hæc ibi Ambroſ. Idem, lib. 3. de Spiritu Sancto, cap. 12. probat Spiritum Sanctum cum Patre & Filio adorare.

*Ideo unitas honoris, quia unitas poteſtatis, &c.*

15. Auguſtinus, lib. contra ſermonem Arianorum, cap. 15. Trinitas ergo unus Deus ſolus magnus & bonus, cui uni & ſoli, ſicut præcepit lex ejus, illâ, quæ *latria* dicitur, ſervitute ſervimus. Idem Epiſt. 66. ad Maximum medicum: Ac per hoc, ſi Patri & Filio & Spiritui Sancto latria debetur & exhibetur à nobis, de qua dictum eſt: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies: procul dubio Dominus Deus noſter, cui ſoli per latriam ſervire debemus, non eſt Pater ſolus, nec Filius ſolus, nec ſolus Spiritus Sanctus; ſed ipſa Trinitas unus Deus ſolus, Pater & Filius & Spiritus Sanctus. Hæc Auguſt.

*λατρεία.*

*Matth. 4. 10.*

*Ipſa Trinitas unus ſolus Deus, cui ſoli ſerviendum.*

16. Neceſſe quidem non eſt, ut ſemper in orationibus noſtris vel omnia tria vocabula perſonalia, vel commune aliquod eſſentiale, vel vocabulum Trinitatis expreſſè proferamus; ſed quamvis unius tantùm, vel duarum perſonarum vocabula ore proferamus, neceſſe eſt tamen animo ſemper poſſidere ἀμέριστον τὴν ἕνωσιν de Patre & Filio & Spiritu Sancto, ut ex divina ſcriptura monet auctor expoſitionis fidei, quæ Juſtino tribuitur: Ut non imaginemur ſectionem aut diviſionem ullo modo, quaſi mente cogitari poſſit Filius ſine Patre, vel Spiritus ſeorſim à Filio; ut monuit Gregor. Nyſſenus, ſuprà c. 21. §. 4.

17. His ſacrarum literarum, & Catholicæ antiquitatis, ſacrarum literarum doctrinam cuſtodientis, præceptis atque inſtitutis conſentanea eſt perpetua Veterum praxis, ipſorumque adeò Prophetarum & Apoſtolorum, in quorum ſcriptis exempla cultûs & invocationis & laudationis omnia indiviſam ſpirant unitatem. Neque uſquam in ſacris literis una eademque petitio ſemel ad unam aliquam, vel ad duas perſonas divinas, perfectè propoſita, repetitur immediatè ad perſonam in prima propoſitione non nominatam. Non enim omiſſa eſt iſta perſona: ſed in & cum perſonis nominatis intelligitur συνεπινοουμένη: ut docuimus cap. 21. & hoc cap. & infra etiam docebimus cap. 31.

*Praxis prophetarum & Apoſtolorum.*

18. Idem temere eſt in praxi veteris Eccleſiæ, & Catholicorum Patrum; in quorum ſcriptis ſæpe occurrit invocatio Trinitatis, expreſſo vocabulo Trinitatis. Paſſim autem contra Arianos aliosq; hæreticos profitentur, quocunq; vocabulo ſive perſonali ſive eſſentiali uſurpato, ſe ſemper colere indiviſo cultu inſeparabilem Trinitatem. Unde quandoque uſu venit, ut oratio inchoata ad perſonam aliquam, claudatur, quaſi disertis verbis expreſſa fuiſſet ad Trinitatem; & oratio inchoata ad Trinitatem, ita claudatur, ac ſi directa eſſet ad perſonam Patris: ſic, *in nomine Filii tui*, &c. & ſæpe oratio inchoata ad aliquam perſonam, claudatur celebratione Trinitatis, tanquam unius Dei & Patris luminum, à quo deſcendit omnis donatio bona. De quo Epiphanius, in Ancorato, cap. 73. οὗτος ὁ Θεὸς δοξαζόμενος ἐν Ἐκκλησίᾳ, Πατὴρ ἀεί, Υἱὸς ἀεί, Πνεῦμα ἅγιον ἀεί. Hic eſt Deus qui in Eccleſia celebratur, Pater ſemper, Filius ſemper, Spiritus Sanctus ſemper. Et paullò pòſt ibidem: Patrem in Filio, & Filium in Patre, cum Spiritu Sancto; Cui gloria [ᾧ ἡ δόξα] & imperium, in ſecula ſeculorum, Amen.

*Praxis veteris Eccleſiæ & catholicorum Patrum.*

19. Nam unitas Deitatis eſt, quæ à Chriſtianis adoratur. Unitas, inquam, in Trinitate; & Trinitas adoratur in unitate: ideò una eſt & inſeparabilis adoratio. Unde fit, ut indifferenter pro eodem adorationis objecto habeatur ſemper ab orthodoxis, ſive nominent Patrem, ſive Filium, ſive Spiritum Sanctum: ſive Patrem & Filium, ut in ſalutationibus Apoſtolicis: ſive Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, ut in baptiſmo: ſive commune nomen *Patrem noſtrum*, ut in oratione Dominicâ; vel Dominum aut Deum, ut in Pſalmis & alibi in ſcripturis; ſive Trinitatem, ut in ſcriptis veterum Patrum frequenter. Et quodcunque horum vocabulorum protulerint, non dubitant claudere orationem, *in nomine Filii tui unigeniti*. Non, quod Filius vel ſibi, vel Spiritui Sancto, vel Trinitati ſit Filius: ſed, quia Filius eſt Mediator inter Deum Trinitatem & homines, ut oſtenſum cap. 19. & quia unus ille Deus, quem in nomine Mediatoris invocamus, eſt veluti ſui ipſius Filius; quia Pater & Filius, licet diſtinctæ perſonæ, unus eſt Deus, cum utriuſque Spiritu: & hi tres unus Deus. Hinc Syneſius, hymno tertio, Deum ſic alloquitur:

*Perpetuum adorationis objectum, ſancta & individua Trinitas.*

*In nomine Filii tui unigeniti.*


Πατὴ-

*αὐτοπάτωρ.* *υἱὲ σεαυτοῦ.*

| | | |
|---|---|---|
| Πατέρων πάντων<br>Πάτερ, αὐτοπάτωρ,<br>Προπάτωρ, ἀπάτωρ,<br>Υἱὲ σεαυτοῦ. | id eſt: | *Patrum omnium*<br>*Pater, Pater tui ipſius.*<br>*Ante-Pater, ſine Patre,*<br>*Fili tui ipſius.* |

Et infrà, eodem hymno:

| | | |
|---|---|---|
| Σὺ τὸ τίκτον ἔφυς,<br>Σὺ τὸ τικτόμενον. | id eſt: | *Tu es quod parit,*<br>*Tu es quod paritur.* |

Et paullò pòſt, ibidem:

| | | |
|---|---|---|
| Ὑμνῶ σε μονάς.<br>Ὑμνῶ σε τριάς.<br>Μονὰς εἶ Τριὰς ὤν.<br>Τριὰς εἶ μονὰς ὤν. | id eſt: | *Cano te Vnitas:*<br>*Cano te Trinitas.*<br>*Vnitas es, Trinitas quum ſis:*<br>*Trinitas es, Vnitas quum ſis.* |

*Vnitas. Trinitas.*

*Alterum ſe.* Et eodem ſenſu Auguſtinus dixit, Patrem genuiſſe de ſe alterum ſe, Epiſt. 66. ad Maximum medicum: Et Gregorius Nazianzenus in carmine, quod inſcribitur, *Ad ſuam animam*, (tom. 2. operum Nazianz. edit. Pariſ. græcol. an. Dom. 1630. pag. 176.) ſupplicans Chriſto, ſic eum compellat: ἄναξ, σοφῶν μέλημα, καὶ τρισσὸν φάος. *id eſt*; O Rex, ſapientum carmen, & trina lux! Memor ſcilicet, quando Chriſto ſupplicat, ſe invocare Trinitatem, in nomine Mediatoris.

20. Idem ſenſus orationis illius in Liturgia S. Marci: Domine Deus noſter, qui duodecim Apoſtolos elegiſti, & inſufflâſti in facies eorum, & dixiſti eis, *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata*, &c. libera nos Domine ab execratione, &c. gratiâ & miſerationibus, & benignitate unigeniti Filii tui. Per quem & cum quo tibi gloria & imperium cum ſanctiſſimo & bono & vivifico Spiritu, nunc & ſemper. Ubi oratio ad Chriſtum inchoata, clauditur quaſi directa ad Patrem: propter indiviſibilitatem objecti, & operationis divinæ, & adorationis Trinitatis.

21. Sic in liturgia Chryſoſtomi; *Chorus ait*: Dignum & juſtum eſt adorare Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, Trinitatem conſubſtantialem & inſeparabilem. *Sacerdos ſubjicit*: Dignum & juſtum eſt te canere, te benedicere, te laudare, tibi gratias agere, te adorare in omni loco dominationis tuæ. Tu es enim Deus ineffabilis, &c. *Chorus*: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Sabaoth. *Sacerdos rurſum*: Cum his etiam nos beatis virtutibus, benigne ac clemens Domine, clamamus, & dicimus; Sanctus es, & omni ex parte Sanctus: Tu & unigenitus tuus Filius & Spiritus tuus Sanctus, Sanctus es, &c. dimitte Spiritum Sanctum in nos, & in hæc dona propoſita. &c. *Et poſtea*: Et da nobis uno ore & uno corde glorificare & laudare pretioſiſſimum & magnificum nomen tuum, Patris & Filii & Spiritûs Sancti, nunc & ſemper. *Et poſtea in eadem liturgiâ*: Credo Domine & confiteor, quòd tu es Chriſtus Filius Dei viventis, qui veniſti in mundum ad ſervandos peccatores, quorum primus ego ſum! Et cœnæ tuæ myſticæ hodie, Fili Dei, me adſume participem. —— Domine Deus meus, ne à me etiam peccatore abhorrueris. Sed tanquam bonus & benignus, dignare me effici participem ſanctiſſimi tui corporis & ſanguinis. Deus noſter, relaxa ac dimitte mihi delicta mea, &c. quoniam tuum eſt regnum & potentia & gloria, Patris & Filii & Spiritûs Sancti; ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ βασιλεία καὶ ἡ δύναμις καὶ ἡ δόξα, τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, νῦν καὶ ἀεί.

22. Et in liturgia Baſilii, ex Arabico converſa (Tom. 6. Bibliothecæ Patrum. col. 79. edit. 4.) Domine Deus Jeſu Chriſte, conſubſtantialis Patri & Spiritui Sancto, Verbum Dei Patris immaculatum: tu es panis vivus, &c. reſpice hanc oblationem Panis & vini, &c. ut fiat hic panis ipſum corpus tuum ſanctum, & hujus calicis commiſtio, ipſe ſanguis tuus pretioſus; ut ſit nobis omnibus medicina, ſanitas, & ſalus animabus, corporibus, & ſpiritibus noſtris: quia tu es Deus noſter, teque decet gloria & magnificentia, & Filium tuum juſtum, & Spiritum Sanctum vivificantem, æqualem tibi, &c. Ubi oratio ad Filium directa, clauditur quaſi directa ad Patrem. Nam ſemper inſeparabiliter adoratur Deus Trinitas. *Semper inſeparabiliter adoratur Deus Trinitas.* Item, in græca liturgia Baſilii, in ipſo principio: Deus Deus noſter, qui cœleſtem panem, univerſi Mundi nutrimentum, Dominum noſtrum & Deum Jeſum Chriſtum miſiſti; nos à damnatione immunes conſerva in ſacrificio, ἐν τῇ ἱερουργίᾳ ſanctorum tuorum Sacramentorum. Quia ſanctificatum & glorificatum eſt undequaque pretioſum & magnificum nomen tuum Patris & Filii & Spiritûs Sancti.

23. Et in precatione S. Baſilii, quæ ad finem anaphoræ legitur, (Tom. 6. Bibl. Patr. col. 22.) in proœmio dicitur: Adoretur divina Trinitas. Et ipſa precatio incipit: Sacerdos magne, & religioſorum Domine Chriſte Deus noſter, qui te ipſum obtuliſti Genitori tuo, &c. & ſic clauditur: Pro cunctis autem gratiis beneficiiſque tuis, quæ nobis exhibita ſunt, laudem & gloriam efferimus tibi, & Patri tuo, qui te miſit nobis Redemtorem, ſanctoque tuo Spiritui.

24. Sic in Miſſa S. Gregorii; Diaconus ait: Adorate Deum. Sacerdos invocat Chriſtum. Et in fine adminiſtrationis confirmationis, apud Æthiopes (Tom. 6. Bibl. Patr. col. 75.) legitur hæc oratio: O Trinitas ſancta, theſaurus benedictionum, Benedic nobis, &c. Da nobis gaudium per reſurrectionem tuam: cuſtodi animam ſervi tui Claudii Regis noſtri, & fiat in tempore ejus gratia, pax, charitas, & humilitas! Per unicum Filium tuum Dominum & Redemtorem noſtrum Jeſum Chriſtum, cum quo, tibi, & Spiritui Sancto eſt gloria & poteſtas, in ſecula ſeculorum, Amen.

*Cur in doxologiis mentio interdum fiat tantùm unius perſonæ.* 25. Ob hanc rationem etiam in concluſionibus precationum laudatoriis, interdum fit mentio ſolius Patris, interdum ſolius Filii; quia tantundem id valet, atque ſi mentio trium fieret perſonarum ſanctiſſimæ Trinitatis, cujus eſt una gloria & una glorificatio. Quam etiam ſanctam & individuam Trinitatem ſingulari numero compellamus, propter unitatem Deitatis, etiamſi diſerta



ſerta fiat mentio Patris & Filii & Spiritûs Sancti; vel etiam, quando vocabulum Trinitatis uſurpamus, & unâ petitione inſeparabiliter invocamus: neque unam eandemque petitionem repetimus ad ſingulas perſonas; quia individua Trinitas ſimul colitur.

*Invocatio Trinitatis.* 26. Zacharias Mitylenenſis, diſputationem ſuam de mundi opificio, claudit hac precatione: Ὦ δέσποτα καὶ δημιουργὲ [illegible] &c. *id eſt*: O Domine & opifex hujus univerſi, O Pater & Verbum & Spiritus Sancte, O divina Trinitas, & trina ac ſancta unitas, Pater ſine principio & ingenite, Fili ſine principio genite, Spiritus Divine procedens ſine principio ex Patre, Trinitas inexplicabili modo in Unitatem relata: Unitas ſupra quam dici poteſt, in Trinitate adorata, nec comprehenſa: Trinitas increata, æterna & conſubſtantialis, prima & beata natura, & rerum principium, copioſa & ſine invidia bonitas, & ipſum verè Ens: Da nobis mentem expurgare, &c. Ubi unâ petitione in ſingulari numero ſemel propoſitâ Pater & Filius & Spiritus Sanctus, una in Tribus natura, & in unitate Trinitas conſubſtantialis invocatur. Neque cultus inſeparabilitati officit vocabulorum Patris & Filii & Spiritûs Sancti ſeparata pronunciatio ac neceſſaria ſeparatio propter imperfectionem creaturæ: ſicut neque unius vocabuli plures ſyllabæ per ſucceſſionem temporalem prolatæ, quicquam ejuſmodi denotant in Deo; neque trina merſio unitatem tollit baptiſmi & unius invocationis Trinitatis in baptiſmo. Vide ſuprà, cap. 10. §. 10. 11. & 12.

*Vide infrà cap. 31. §. 7.* 27. Dionyſius Areopagita, lib. de myſtica Theologiâ, initio capitis primi: Τριὰς ὑπερούσιε καὶ ὑπέρθεε καὶ ὑπεράγαθε, τῆς χριστιανῶν ἔφορε θεοσοφίας, ἴθυνον ἡμᾶς ἐπὶ τὴν τῶν μυστικῶν λογίων ὑπεράγνωστον καὶ ὑπερφαῆ καὶ ἀκροτάτην κορυφήν. *id eſt*: Trinitas ſuperſtantialis & ſumme Deus, & ſumme bonus, Chriſtianorum de Deo ſapientiæ magiſter: dirige nos ad pluſquam ignotum & pluſquam lucidum & ſummum myſticorum oraculorum faſtigium. Vide etiam lib. de divinis nominibus, cap. 3. initio capitis.

28. Autor operis de unita Deitate Trinitatis ad Theophilum, quod Anathaſio tribuitur, lib. 1. ſic compellat & invocat Trinitatem Deum: Tu une Deus, Pater & Fili & ſancte Spiritus, qui unitam Deitatem nobis declarâſti, ſacroſanctæ ſolius Divinitatis indiviſam gloriam revelâſti, & perfectam Trinitatis tuæ ſempiternitatem demonſtrâſti. *Indiviſa gloria.* —— Impenſiſſimè obſecro tuæ tranquillitatis gloriam, ut perducas me ad ſtatum perfectum fidei, confeſſionis meæ verba promentem.

29. Sic Prudentius, lib. Cathemerinon, initio hymni ſexti, unâ petitione ſemel propoſitâ implorat præſentiam Patris & Filii & Spiritûs Sancti:

*Ades Pater ſupreme,*
*Quem nemo vidit unquam;*
*Patriſque ſermo Chriſte:*
*Et Spiritus benigne:*
*O Trinitatis hujus*
*Vis una, lumen unum,*
*Deus ex Deo perennis,*
*Deus ex utroque miſſus!*

Hæc Prudentius, hym. 6. Cathemerinon.

30. In officio, quod Græcis λειτουργία τῶν προηγιασμένων, id eſt, liturgia myſteriorum antè conſecratorum dicitur, in Bibliotheca Patrum, tom. 2. græcolat. occurrit ſæpe τριαδικὸν, id eſt, verſus de Trinitate, verbis quidem diverſis; at ſenſu ubique eodem. *Τριαδικά.* Exempla quædam ſubjiciam: Tom. 2. græcol. Bibl. Patr. pag. 109. (edit. Pariſ. ann. Dom. 1624.) Ut Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, uno animo omnes fideles glorificemus dignè, obſecremus unitatem Divinitatis in tribus ſubſiſtentem hypoſtaſibus [illegible] inconfuſam manentem, ſimplicem, individuam [ἀδιαίρετον] & inacceſſam, per quam redimimur à ſupplicio ignis.

Et pag. 110. Τριὰς ἀμέριστε μονάς, [illegible] *id eſt*: Trinitas indiviſa unitas, omnium opifex & omnipotens, Pater Filius & Spiritus Sanctus: Tu Deus meus, & lumen, teque celebrans adoro. *Τριὰς ἀμέριστος μονάς.* Et rurſus, eâdem pag. Patrem & Filium glorificamus, & Spiritum Sanctum, dicentes; Trinitas ſancta, ſalva animas noſtras.

Et pag. 111. Unus Deus in tribus perſonis, una natura, & principium inſecabile [μία φύσις καὶ ἀρχὴ ἄτμητος] inconfuſum manens ante ſecula [ἀσύγχυτος μένων προαιώνιος.] *ἀρχὴ ἄτμητος.*

Et pag. 112. [illegible] *id eſt*: Expers principii Trinitas, impartibilis eſſentia, eodem inſidens throno unitas, ejuſdem honoris naturâ, principatibus ſuperior gloria, & regnum: ſerva nos, qui te fide canimus & celebramus. *σύνθρονος μονάς.* Item aliud Triadicum, eâdem pag. τὸ τρίλαμπες τῆς μιᾶς Θεότητος [illegible] *id eſt*: Trinum fulgorem unius Deitatis piè celebremus, clamantes: Sanctus Pater expers principii, Filius ſimul principio carens, & Divine Spiritus, illumina nos qui fide tibi ſervimus, & de igne æterno eripe. *τὸ τρίλαμπες τῆς μιᾶς Θεότητος.*

31. Similiter in doxologia: Auguſtinus, Beati (inquit) mundi corde, quoniam ipſi Deum videbunt: Cui Deo, id eſt, Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, quæ Trinitas unus eſt Deus, honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen! lib. 3. contra Maximinum, cap. 12. *Trinitati Dei gloria.* Et Epiphanius hæreſ. 62. in fine: Pater & Filius & Spiritus Sanctus, ipſa Trinitas, Deitas una, una doxologia, una dominatio. Cui gloria [ἡ δόξα] honor, imperium, Patri in Filio, Filio in Patre, cum Spiritu Sancto, in ſecula ſeculorum, Amen! & Macarius Ægyptius, in fine homiliæ 12. δόξα καὶ προσκύνησις τῷ πατρὶ, καὶ τῷ υἱῷ, καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν. Sic in aliis multis homiliis. Et eodem ſenſu, in fine homiliæ 42. & quibuſdam aliis, dicit gloriam Chriſto: quia videlicet unius adoratio eſt trium adoratio, ut monuit ſuperiùs Gregorius Nazianzenus, §. 10. Sic Baſilius Seleucienſis, uno eodemque ſenſu gloriam tribuit Patri & Filio & Spiritui Sancto,

Sancto, in fine homil. 10. & gloriam tribuit Chriſto, in aliarum quarumdam homiliarum clauſulis. Similiter Gregorius Neocæſarienſis Thaumaturgus, ſerm. primo in annunciationem Beatæ Mariæ Virginis diſſertationem ſuam de Chriſto claudit hac doxologiâ: Cui gloria, honor & imperium, cum immaculato Patre, & ſanctiſſimo ac vivifico Spiritu! Et poſtea in fine ſermonis tertii in eandem annunciationem, loquutus de Chriſto, ſubjicit hanc doxologiam: Cui gloria, decus & imperium, nunc & ſemper! Ubi non minùs intelligenda eſt inſeparabilis Trinitatis indiviſa glorificatio.

32. Sic in celebratione Euchariſtiæ, diriguntur orationes quandoque ad Chriſtum, & quandoque ad Patrem; ſed in omnibus intelligitur ſancta & individua Trinitas, cujus una gloria & una adoratio. Ideo una eademque oratio ad aliquam perſonam directa & conſummata, non repetitur immediatè ad aliam perſonam. Nam unius adoratio eſt trium perſonarum adoratio.

*Unius perſonæ invocatione invocatur Trinitas.*

33. Dicimus (inquit Fulgentius) ſacrificium non ſoli Patri, ſed ſimul unum Patri Filioque offerri. Illi autem (hæretici Ariani) Patri ſoli exiſtimant immolari. lib. 2. ad Monimum cap. 3. Ubi ſermo illi eſt de ſacrificio corporis & ſanguinis Domini. Et poſtea eodem libro, cap. 4. Ecce! (inquit) amicorum Dei ſacrificio prorſus Eccleſiæ Catholicæ concordat oblatio; quæ ſic ſacrificat Patri, ut ſimul omni ſacrificet Trinitati. Quoniam ut ſancti Patriarchæ ſacrificium quod Filio jubebantur offerre, ſciebant ſe Patri ſimul & Filio, placitis obſequiis exhibere. Et cap. 5. Sacrificium illud acceptabile Deo, quod communiter Patri & Filio ſupplex offert fidelium puraque devotio. Item eodem capite: Scire debent omne cujuſlibet honorificentiæ & ſacrificii ſalutaris obſequium & Patri & Filio & Spiritui Sancto, hoc eſt, ſanctæ Trinitati, ab Eccleſia Catholicâ pariter exhiberi. In cujus utique uno nomine manifeſtum eſt, ſanctum quoque baptiſmum celebrari. Neque enim præjudicium Filio vel Sancto Spiritui comparatur, dum ad Patris perſonam precatio ab offerente dirigitur, cujus conſummatio, dum Filii, & Spiritûs Sancti complectitur nomen, oſtenditur nullum eſſe in Trinitate diſcrimen. Quia, dum ad ſolius Patris perſonam honoris ſermo dirigitur, bene credentis fide tota Trinitas honoratur. Et cùm ad Patrem litantis deſtinatur intentio, ſacrificii munus omni Trinitati uno eodemq; offertur litantis officio. Nos itaque, dum Trinitati, quæ unus & verus eſt Deus, unum ſacrificium offerimus, vanis hæreticorum non moveamur objectis; cùm ad hoc faciendum ac robuſtiſſimè retinendum, & divinitus promulgatis inſtruamur oraculis, & præcedentium ſanctorum firmemur exemplis. Hæc ibi Fulgentius.

*Omne obſequium Sanctæ Trinitati pariter exhibetur.*

*Uno eodemque offertur.*

34. Id ipſum docuerunt ſequuti Catholicam antiquitatem Doctores ſcholaſtici. Alexander Alenſis in ſua ſumma Theologicâ, part. 3. qu. 30. membro 1. art. 3 prolixè docet, unam ſemper eſſe adorationem Patris & Filii & Spiritûs Sancti: unam, inquam numero, ſimpliciter unam & indiviſam. Id ipſum docet Thomas Aquinas, ſecundâ ſecundæ. qu. 81. art. 3 ad primum, & qu. 84. art. 1. ad tertium. Doctores communiter (inquit Franciſcus à S. Clara) ipſis perſonis Divinis præcisè ſumtis, id eſt, ſub ratione formali conſtitutivâ perſonarum, quæ eſt relatio, negant ſubeſſe terminum formalem adorationis latriæ: ſed hoc Deitati ſolùm primò competit; relationibus autem prout identificantur cum eſſentia. Hæc Franciſcus à S. Clara, in expoſitione Confeſſionis Anglicanæ, orat. 28.

*Id ipſum docent doctores ſcholaſtici.*

35. Suffragatur & ratio Theologica, ſecundùm quam, ἐκ τῶν κοινῶν ὁμολογουμένων τὰ ἀμφιβαλλόμενα δέχεται τὴν λύσιν. Ex eis quæ communi omnium conſenſu approbantur, ſolutionem recipiunt ea, quæ in controverſiam vocantur. Ut monet Gregorius Nyſſenus, Tract. de communibus notionibus.

*Sequuntur deinde rationes, præcedentis doctrinæ.*

Has rationes adfert Alenſis, loco citato:

1. Adorare reſpicit illud quod eſt commune tribus perſonis, nempe majeſtatem. (Thomas vocat excellentiam.)

2. Uno amore amamus bonitatem divinam unam in tribus perſonis: ergo ſimiliter, cùm eadem ſit majeſtas in tribus perſonis, quæ eſt ratio adorationis, unum eſt debitum adorationis: & ita unâ adoratione adorantur tres perſonæ.

3. Una eſt potentia, quâ Pater poteſt generare Filium, & quâ Filius poteſt generari à Patre: ſed adoratio ſequitur potentiam; quia ratione potentiæ debetur Deo adoratio: cum igitur eadem ſit poteſtas eſſentialis generationis activæ & paſſivæ, licet differant ſecundum rationem intelligendi vel modum: ergo & eadem adoratio debita Patri, & Filio, & pari ratione Spiritui Sancto, qui procedit ab his. Nec dici poteſt, eſſe aliam & aliam hujuſmodi potentiam: poſitâ enim in Deo diverſitate potentiarum, ſequeretur diverſitas eſſentiarum.

4. Adoratio convenit Deo ſecundùm cauſſalitatem, reſpectu creaturæ: ergo convenit toti Trinitati una & eadem indiviſa adoratio.

5. Relativa ſunt generans, genitum, & procedens, pari ratione. Sicut ergo circumincedunt ſe relativa, & unum in alio intelligitur; nec unum ab alio per intellectum poteſt ſeparari; & honor geniti eſt in honore gignentis, & è converſo; & ſic etiam de Spiritu Sancto, unde honor eſt in honore, & dignitas in dignitate: ergo non erit ſeparare honorem ſequentem ad proprietatem, quâ Pater, ut Pater; & ad proprietatem, quâ Filius, ut Filius, adoratur: imò unus in alio intelligitur: ergo una eſt ſemper adoratio, ſive comprehendat intellectus eſſentiam; ſive perſonam: & maximè ſecundùm quod una eſt ab alia, quia ſic ſe habent ſecundum relationem.

Ex his rationibus concludit in reſolutione Alenſis, dicendum, quòd ſimpliciter una eſt adoratio trium perſonarum in Trinitate, quâ adoratur Pater & Filius & Spiritus Sanctus. Et tum reſpiciendo diſcretionem trium perſonarum, unus & idem honor & eadem adoratio debetur toti Trinitati: tum reſpiciendo eſſentiam, ſimiliter unus & idem honor numero debetur ei, & eadem adoratio. Hæc Alenſis.

His adjici poſſunt, ex præcedentibus capitibus & hoc ipſo capite, etiam aliæ rationes:

6. Relationes perſonarum divinarum inter ſe, ſeu ad invicem, non exeunt ad creaturas. cap 11. Omne autem nomen dictum de Deo, reſpectu creaturæ, prædicatur de tribus perſonis ſimul. cap. 12. Relatio igitur creaturæ ad Deum reſpicit Trinitatem.

7. Terminus formalis, ſeu objectum primum divini cultûs, eſt una Deitas in tribus; ut fusè oſtenſum ſuprà, hoc ipſo capite: hinc ſequitur inſeparabilitas adorationis, & impoſſibilitas ſeparationis.

8. Crea-



8. Creatura colit Creatorem; & homo colit eum, à quo & ad cujus imaginem factus eſt: factus eſt autem à Trinitate ad imaginem Trinitatis: ergo colit Trinitatem. Non eſt factus ad imaginem unius perſonæ ſeorſim, nec ab una perſonâ ſeorſim factus; cap. 13. Ergo non colit unam perſonam ſeorſim; ſed indiviſo cultu adorat inſeparabilem Trinitatem factorem ſuum.

9. Illum colimus, illum oramus, illi gratias agimus, qui nobis omnia bona donat: qui eſt Pater luminum, à quo deſcendit omnis donatio bona & omne donum perfectum. Hic autem non eſt una aliqua perſona ſeorſim, ſed ſancta & individua Trinitas: cap. 12. §. 2. ergo.

10. Omnis operatio Dei erga nos eſt indiviſa operatio Trinitatis: cap. 8. & ſequentibus, & cap. 21. Et omnis relatio creaturæ ad Deum reſpicit Trinitatem indiviſè: ergo omnis noſter cultus indiviſè fertur ad Trinitatem, & à Trinitate ſuſcipitur indiviſè. Hinc Dominus noſter nos docuit orare *Patrem noſtrum, qui eſt in Cœlis, &c.* *id eſt:* Sanctam & individuam Trinitatem. cap. 18. & paſſim in ſcripturis jubemur invocare nomen Domini, hoc eſt, unum nomen unius Dei noſtri, ſanctæ & individuæ Trinitatis; in cujus etiam nomine baptizati ſumus. capitib. 15. & 17. (De relationibus loquimur inter Deum & nos, exceptis eis quæ fundantur in myſterio incarnationis, quo tamen myſterio non impeditur unitas adorationis; ut patet ex verbis Cyrilli & aliorum Patrum, cap. 17. & cap. 21. & hoc ipſo cap. & ex verbis ipſius Domini incarnati, quibus eundem ſibi honorem depoſcit cum Patre, in Euangelio Joannis paſſim; quippe unus immutabiliter atque inſeparabiliter cum Patre & Spiritu Sancto æternus Deus. Huc pertinet oratio Stephani ad Chriſtum, Act. 7. 59. & comprecationes illæ Apoſtolicæ à Deo Patre & Domino Jeſu Chriſto, de quibus vide cap. 32.)

11. Trinitatem Deum colunt Angeli cultu indiviſo: quorum nobis imitandum exemplum proponitur. de quo vide cap. 16.

12. Denique qui Filium videt, videt & Patrem, videt Spiritum Sanctum: & unius perſonæ adoratio eſt omnium adoratio: Ergo, non poteſt in diverſas adorationes diſtrahi debita adoratio Trinitatis. Sicut non poteſt vera fides in Trinitatem Deum, in multiplicem fidem dividi.

*Concluſio.* Ergo Pater & Filius & Spiritus Sanctus, unus Deus, unâ adoratione, invocatione, laudatione, à nobis ſemper adorandus, invocandus, laudandus eſt; quippe unus verus Deus, ſancta & inſeparabilis Trinitas, quæ cultum noſtrum ſuſcipit & orationes exaudit inſeparabiliter.

## CAPUT VIGESIMUM-QUARTUM.

### *Id ipſum oſtenditur in Chriſto orante & exaudiente.*

Atque hoc uſque adeò certum eſt & perpetuæ veritatis, ut ipſo etiam Chriſto orante exaudiat inſeparabiliter individua Trinitas: quæ etiam à Chriſto orante invocatur unâ inſeparabili invocatione. Adeóque rogando Patrem, eâdem oratione ſimul inſeparabiliter ſupplicat Chriſtus ſibi ipſi (qui ſimiliter atque adeò inſeparabiliter facit eadem, quæcunque facit Pater) & Spiritui Sancto; qui à Patre Filioque ita procedit, ut in Patre Filioque maneat indiviſibiliter & inſeparabiliter. Teſtatur Scriptura, Deum in Chriſto reconciliare Mundum ſibi (2. Corinth. 5, 19. Coloſſ. 1, 20.) id eſt: non ſoli Patri, nec ſoli Filio; ſed inſeparabiliter Patri & Filio & Spiritui Sancto. Vide ſupra capitib. 12. & 19. & 20. & infra capitib. 25. & 26. & 27.

2. Secundùm hominem rogat; Divinitate imperat. ait de Chriſto loquens Ambroſius, lib. 4. de fide cap. 3. Et poſtea lib. 5. cap. 2. Non poteſt (inquit) per eandem naturam adorare quaſi ſervus, & adorari quaſi Dominus.

3. Et Auguſtinus de Chriſto ait: Quomodo non Patrem rogat ut homo, qui cum Patre exaudit ut Deus? lib. 3. contra Maximinum cap. 14. Item: Ex hoc enim rogat, quo minor eſt Patre: quo verò æqualis eſt, exaudit cum Patre. lib. 1. de Trinitate cap. 10.

*Regula.*

4. Oportet enim lectorem Sacræ Scripturæ διακρίνειν καὶ διαλαμβάνειν, πότε μὲν περὶ τῆς θεότητος τοῦ Λόγου λέγει, πότε δὲ περὶ τῶν ἀνθρωπίνων αὐτοῦ· ἵνα μὴ ἕτερα ἀνθ' ἑτέρων νοοῦντες παραπλανηθῶμεν, οἷα πεπόνθασιν οἱ Ἀρειανοί. *id eſt:* Explorare & diſcernere, quando de Verbi Deitate loquatur, & quando de ejus humanis: ne altera pro alteris intelligentes offendamus, ſicut contigit hæreticis. ut rectè monet Athanaſius, epiſt. ad Serapionem, contra eos qui dicunt Filium eſſe creaturam.

5. Huc pertinent verba illa Cyrilli Alexandrini, lib. de recta fide ad Theodoſium Imperatorem cap. 32. ὁ εἷς καὶ μόνος κύριος Ἰησοῦς Χριστός, ἐκ τῆς προσκυνούσης ἀνθρωπότητος, καὶ ἐκ τῆς προσκυνουμένης θεότητος, τὸ εἶναί τε καὶ ὀνομάζεσθαι θεός τε ὁμοῦ καὶ ἄνθρωπος, ἀληθῶς ἔχει ἐν ἑαυτῷ. *id eſt:* Unus & ſolus Dominus Jeſus Chriſtus, ex humanitate adorante & Divinitate adoratâ, verè in ſe habet unde & eſt & nominatur Deus ſimul & homo.

*Humanitate adorante, & Deitate adorata.*

6. Et quæ idem Pater ſcripſit, orat. 2. de recta fide ad religioſiſſimas Reginas, cap. 11. αὐτὸς ἂν ἄρα γέγονεν ἀρχιερεὺς κατὰ τὸ ἀνθρώπινον, καὶ τὰ θύματα πάντων τοῖς θείοις ἀναφέροιτο θυσίαις. αὐτὸς τὸ θῦμα κατὰ τὴν σάρκα. αὐτὸς ὁ ταῖς ἁμαρτίαις ἡμῶν ἱλασκόμενος, κατά γε τὴν θεϊκὴν δύναμιν. *id eſt:* Ipſe proinde ſecundùm humanam naturam factus eſt Pontifex; quanquam, ut Deus eſt, ab omnibus illi ſacrificetur. Ipſe eſt, qui ſecundùm carnem factus eſt victima. Idem ipſe rurſum eſt, qui ſecundùm Divinitatis autoritatem peccatis noſtris propitius ac clemens eſt.

## CAPUT VIGESIMUM-QUINTUM.

### *De Chriſti ſubjectione & minoritate.*

*Filius minor eſt ſecundum aſſumtam humanitatem.*

Secundùm formam Dei eſt æqualis Patri Filius. Idemque ſecundùm formam ſervi eſt minor Patre: minor eſt ſeipſo, nam exinanivit ſeipſum, non amittendo Divinitatem, ſed aſſumendo humanitatem: minor eſt Spiritu Sancto, de quo conceptus eſt, & de quo ipſe ex Eſaia lectionem

 recitavit,

recitavit, eamque in ſe completam eſſe docuit: *Eſai.61,1.* Spiritus Domini ſuper me, propter quod unxit me, Evangelizare pauperibus miſit me: &c. *Luc.4,17.18.* Hoc ſapienter obſervavit Auguſtinus, lib. 1. de Trinitate cap. 7. & cap. 11. & epiſt. 66. & lib. contra ſerm. Arian. cap. 14. & lib. 3. contra Maximin. cap. 14. qui etiam alibi ait (lib. 83. quæſtionum, quæſt. 69.) Regula Catholicæ fidei ſic ſe habet, ut cùm aliqua in ſcripturis dicuntur de Filio, quod ſit minor Patre, ſecundum ſuſceptionem hominis intelligatur. Cùm verò ea dicuntur, quibus demonſtratur æqualis, ſecundùm id quod Deus eſt accipiantur. Hæc ibi.

2 Atque huc pertinent verba illa Athanaſii, dialog. 1. contra Macedonianos: Υἱὸς Πατρὶ τὴν αὐτὴν ἔχει φύσιν, ὑποτεταγμένος οὐχὶ φύσει τῆς θεότητος, ἀλλὰ τῇ οἰκονομίᾳ τῆς ἀνθρωπότητος, [illegible] Πατρὸς δὲ καὶ Υἱοῦ ἓν τὸ θέλημα τῷ λόγῳ τῆς θεότητος. *id eſt*: Filius eandem cum Patre habet naturam, ſubjectus, non naturâ Deitatis, ſed diſpenſatione humanitatis. Qui enim ſubjicitur, voluntatem aliquam habet quam comprimit; Ut voluntatem præcipientis exſequatur. At Patris & Filii una eſt voluntas ratione Deitatis. Et paullo pòſt, [illegible] *id eſt*: Subjectionem ſervilis formæ aſſumens ſubjicitur pro nobis ſuo ipſius Patri, non naturâ Deitatis, ſed unione formæ ſervilis quam aſſumſit.

3. Et ejuſdem Athanaſii verba, in fine libri, περὶ τῆς ἐνσάρκου ἐπιφανείας τοῦ Θεοῦ Λόγου. De humana naturâ ſuſceptâ à Deo Verbo: Ubi ait: *Ioan.14.28.* καὶ ὅτε λέγει, ὁ πατὴρ μου ὁ πέμψας με, μείζων μου ἐστι, [illegible] *Philip.2,6.* [illegible] *id eſt*: Et quando [ *Chriſtus* ] dicit, Pater qui miſit me, major me eſt: quatenus homo factus eſt, eatenus Patrem ſe ipſo majorem dicit: quatenus autem eſt Verbum Patris, ipſi æqualis eſt. Ego enim, *Ioan.10.30. & 14.9.* inquit, & Pater unum ſumus. Et, qui vidit me, vidit & Patrem. Neque ex raptu habet quod ſit æqualis Patri, ſed per naturam æqualis eſt & conſubſtantialis Patri, quia ex Paterna ſubſtantia genitus eſt.

*Philip.2,6.* 4. His conformia ſunt illa Auguſtini verba: Ideò in formâ Dei æqualem eſſe Deo, non ei rapina fuerat, ſed natura: quoniam id naſcendo ſumſit, non ſuperbiendo præſumſit. Propterea verò Patrem dicit eſſe majorem, quia ſeipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, non amittens Dei: propter quam formam ſervi, non tantùm Patre, verum etiam ſeipſo & Spiritu Sancto minor factus eſt. Nec tantùm hac excellentiſſimâ Trinitate; ſed etiam minoratus eſt paullò minus *Hebr.2,9. Luc.2,51.* ab Angelis: hominibus quoque minor fuit, quando parentibus ſubditus fuit. Hæc Aug. epiſt. 66. ad Maximum medicum.

5. Athanaſius, orat. 2. contra Arianos, poſt medium: τί δὲ θαυμαστόν, ἢ τί ἄπιστον, εἰ ὁ τὸ πνεῦμα διδοὺς Κύριος λέγεται καὶ αὐτὸς τῷ πνεύματι χρίεσθαι, [illegible] *id eſt*: Quid autem miri aut quid incredibile, ſi Dominus qui Spiritum dat, dicitur & ipſe Spiritu ungi? Qui ubi uſus requirebat, non recuſavit ratione humanitatis ſuæ ſeipſum etiam inferiorem Spiritu pronunciare. Hæc ibi Athanaſius, qui hoc confirmat ex verbis Chriſti dicentis; ſe in Spiritu ejicere dæmonia, Matth. 12, 28. Et illud Eſaiæ vaticinium ſibi applicantis, Spiritus Domini ſuper me, propter quod unxit me. Eſai. 61, 1. Luc. 4. 18. 21.

6. Ideò autem nuſquam ſcriptum eſt, (inquit Auguſtinus,) quòd Deus Pater major ſit Spiritu Sancto, vel Spiritus Sanctus minor Deo Patre: quia non ſic aſſumta eſt creatura, in qua appareret Spiritus Sanctus, ſicut aſſumtus eſt Filius hominis, in qua formâ ipſius Verbi Dei perſona præſentaretur. lib 2. de Trinitate cap. 6. Item: Propter has ergo corporales formas, quæ ad eum ſignificandum, & ſicut humanis ſenſibus oportebat demonſtrandum temporaliter extiterunt, miſſus dicitur etiam Spiritus Sanctus: non tamen minor Patre dictus eſt, ſicut Filius propter formam ſervi: quia illa forma ſervi inhæſit ad unitatem perſonæ: illæ verò corporales ſpecies, [ *videlicet, columba, flatus, & linguæ igneæ* ] ad demonſtrandum, quod opus fuit, ad tempus apparuerunt, & eſſe poſtea deſtiterunt. Aug. lib. 2. de Trinitate cap 7. *Rejicitur quorundam Patrum ſententia.* Iſta Auguſtini obſervatio docet deſtitutam eſſe idoneo fundamento eam, quæ apud quoſdam Patres invenitur, expoſitionem, quâ interpretantur verba Domini dicentis, *Pater meus major me eſt*, ac ſi dicta eſſent *Ioan.14.28.* διὰ τὴν ἐκ τοῦ πατρὸς γέννησιν, propter autoritatem originis, quaſi major eſſet Pater quia Pater. Nam hac admiſſâ interpretatione, etiam Spiritus Sanctus pari ratione dici poſſet minor Patre & Filio, à quibus procedit. Quod tamen de Spiritu Sancto nuſquam ſcriptum invenitur, neque valida eſt argumentatio ex eo, quòd Filius dicatur minor Patre, non enim par ratio eſt, quia invenitur in Filio natura creata aſſumta perſonaliter, ita ut Deus Filius ſit verè homo, & qua homo ſit verè minor Patre, atque adeò minor ſeipſo, & Spiritu Sancto. Proceſſio autem unius perſonæ Divinæ ab alia in unitate ejuſdem Deitatis inæqualitatem non admittit. Ideo ait Leo primus, Epiſcopus Romanus, epiſt. 83. ad Palæſtinos, *Sine veritate carnis non diceret Dominus, Patrem ſe eſſe majorem.*

*Regula.* 7. Obſervatu digna eſt illa tripartita canonica regula, quam proponit Auguſtinus, inquiens; *Quædam ita ponuntur in Scripturis de Patre & Filio, ut indicent unitatem æqualitatemque ſubſtantiæ*; ſicuti eſt: Ego & Pater unum ſumus. *Ioan.10.30.* Et, Cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe æqualis Deo. *Philip.2,6.* & quæcunque talia ſunt. *Quædam verò ita ut minorem oſtendant Filium, propter formam ſervi, id eſt, propter aſſumtam creaturam mutabilis humanæque ſubſtantiæ*; ſicuti eſt quod ait: Quoniam Pater major me *Ioan.14.28.* eſt. Et, Pater non judicat quenquam: ſed o- *Ioan.5,22.* mne judicium dedit Filio. Nam paullò pòſt conſequenter ait, Et poteſtatem dedit ei judicium facere; quoniam Filius hominis eſt. *Quædam porrò ita, ut nec minor nec æqualis oſtendatur, ſed tantùm, quòd de Patre ſit, intimetur*; ut eſt il- *Ioan.5,26.* lud: Sicut habet Pater vitam in ſemet ipſo, ſic dedit Filio vitam habere in ſemet-ipſo. Et illud, *Ioan.5,19.* Neque enim poteſt Filius à ſe facere quicquam, niſi quod viderit Patrem facientem. —— quibus verbis non inæqualitas, ſed nativitas ejus oſtenditur. Hæc Auguſtinus, lib. 2. de Trinitate, cap. 1.

8. Am-



*Phil.2,6.* 8. Ambroſius ait: Sed ut verbo utar ſcripturæ, non minor natus, ſed minoratus, hoc eſt, minor factus eſt. Quomodo autem minor factus; niſi quia, cùm in formâ Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemet-ipſum exinanivit? Non amittens utique quod erat; ſed aſſumens quod non erat, quia formam ſervi accepit. —— Non quaſi rapinam habebat æqualitatem cum Patre, quam in natura ſui tanquam Deus & Dominus poſſidebat. Unde addidit: *formam ſervi accepit*. Contrarium utique ſervus, & æqualis. Æqualis ergo in Dei formâ; minor in ſuſceptione carnis, & hominis paſſione. Nam quomodo eadem poſſet minor eſſe æqualiſque natura? Quomodo autem, ſi minor eſt, eadem ſimiliter facit quæ Pater facit? Nam, quemadmodum eadem operatio diverſæ eſſet poteſtatis: Numquid ſic poteſt minor, quemadmodum major, operari? aut una operatio poteſt eſſe, ubi diverſa ſubſtantia eſt? Itaque accipe Chriſtum, ſecundùm Divinitatem, minorem non poſſe dici. Hæc Ambroſ. lib. 2. de fide, cap. 4.

9. Cyrillus Alexandrinus, libro proſphonetico, ad Theodoſium Imperatorem, de recta fide in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, cap. 26. εἷς υἱὸς, καὶ εἷς κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς, καὶ πρὸ σαρκώσεως, καὶ ὅτε πέφηνεν ἄνθρωπος. *id eſt*: Unus eſt Filius, & unus Dominus Jeſus Chriſtus, & ante carnem, & quando ſuſceptâ carne homo apparuit. Et ejuſdem libri cap. 28. ποτὲ μὲν ἔφασκεν, ὁ ἑωρακὼς ἐμὲ, ἑώρακε τὸν πατέρα· ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν. ποτὲ δὲ αὖ πάλιν, ὁ πατήρ μου μείζων μου ἐστί. [illegible] Et c. 29 [illegible] *Ioh.14,9. & 10,30. & 14,28.* *id eſt*: Quandoque dixit: qui vidit me, vidit & Patrem. Ego & Pater unum ſumus. Quandoque rurſus: Pater meus major me eſt. Quamvis enim, ſive ſubſtantiæ identitatem, ſive aliud quodcunque, in quo cum Patre conferri queat, ſpectes; Patre nequaquam minor ſit: tamen propter aſſumtam humanitatem, Patre minorem ſe vocat. Et cap. 29. Quin ſacræ quoque literæ diſpenſatoriâ quadam ratione, Divinitate ejus ſuppreſſâ, totum interdum prædicant ut hominem: contra nonnunquam humanitate ejuſdem tacitâ, totum quandoque inſinuant, ut Deum. Attamen propter utriuſque in unitatem [ *id eſt, duarum naturarum in unam eandemque perſonam* ] coitionem, nullâ hac quidem in re afficitur injuriâ. Et ejuſdem libri cap. 30. ait; τὴν ἀνθρωπότητα ἑνῶσθαι τῷ Λόγῳ κατὰ συμβάσιν οἰκονομικήν. *id eſt*: Humanitatem unitam eſſe Verbo ſecundùm coitionem œconomicam ſeu diſpenſatoriam. Item eodem lib. cap. 31. [illegible] *id eſt*: Enimverò Verbi natura, humanitate ſuſceptâ, non eſt nuda humanitas: exſuperans autem magis propriâ gloriâ id quod aſſumtum eſt, in immotâ atque inconcuſſâ perſiſtit divinæ excellentiæ conſtantiâ.

10. Similiter Leo, hujus nominis primus, Epiſcopus Romanus, ſerm. 3. in ſollemnitate nativitatis Domini: Quamvis (inquit) alia ſit [ natura ] quæ ſuſcipitur; alia verò quæ ſuſcipit: in tantam tamen unitatem convenit utriuſque diverſitas, ut unus idemque ſit Filius, qui ſe, & ſecundùm quod verus eſt homo, Patre dicit minorem: & ſecundùm quod verus eſt Deus, Patri profitetur æqualem. —— Sacramentum itaque unitæ cum infirmitate virtutis, propter eandem hominis naturam, minorem Patre dici Filium ſinit. Deitas autem quæ una eſt in Trinitate Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, omnem opinionem inæqualitatis excludit. Hæc ibi Leo. Apud quem ſimilia lector inveniet, ſerm. 7. in eadem ſollemnitate. vide lib. 2. cap. 11. §. 4.

11. Fulgentius, lib. de fide orthodoxa, ad Donatum, cap. 6. Æqualis eſt Filius Patri, & minor eſt Filius Patre: æqualis verâ Divinitate; minor verâ humanitate. Æqualis, quia in principio erat Verbum, & erat apud Deum, & Deus *Ioan.1,1.* erat Verbum. Minor autem, quia Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis. Et lib. contra ſermonem Faſtidioſi Ariani, cap. 6. Hæretici incorpoream Divinitatem non niſi corporaliter cogitantes, cùm ſecundùm naturam dicunt Filium minorem, ſub imagine Chriſtiani nominis, quam fallaciter prætendunt, idololatriæ nefando crimine ſemet-ipſos involvunt. Quid enim eſt Deum majorem, & Deum minorem in ſingulis perſonis dicere, niſi diverſi generis diverſæque virtutis idola, non in parietibus; ſed, quod deterius eſt, in cordibus collocare? Hinc enim ſe duos Deos colere Arriani evidenter oſtendunt, dum æqualem Patri Filium negant; & cùm minorem non aſſumtione carnis, (quod fidei veritas habet;) ſed naturâ immenſæ divinitatis aſſeverant. Hæc Fulgentius. Et Patres Concilii Hiſpalenſis ſecundi, cap. 13. Humanæ (inquiunt) naturæ inſinuatio; Pater major me eſt. *Ioh.14,28.*

## CAPUT VIGESIMUM-SEXTUM.

### *De Dei adventu, & miſſione perſonæ Divinæ.*

PAter & Filius & Spiritus Sanctus Deus Trinitas inſeparabilis ubique ſemper in rebus omnibus eſt eſſentiâ, præſentiâ, potentiâ, ſive, ut loqui amant ſcholaſtici, eſſentialiter, præſentialiter, potentialiter. *Act.17,28.* In ipſo vivimus, & movemur, & ſumus. *Coloſſ.1,17.* καὶ τὰ πάντα ἐν αὐτῷ συνέστηκε. Neque de loco in locum venit aut mittitur perſona *Ioan.1,17.* aliqua divina, ſecundùm formam Dei, per motum localem, aut loci mutationem: nam Deus *Ierem.23. Epheſ.4. 1.Reg.8.* immenſus eſt & prorſus immutabilis, παρ' ᾧ οὐκ ἔνι παραλλαγὴ, ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα. implet omnia, excedit omnia, nullo loco contineri poteſt. *Eſai.42. & 66. Ioh. 11. Act.7. & 17. Hilar. lib. 1. de Trinitate. Vide Fulgent. lib. 2. ad Monimum, cap. 6. & lib. 2. ad Traſimundum, cap. 11.* Nullus (inquit Hilarius) ſine Deo, neque ullus non in Deo locus eſt. In cœlis eſt, in inferno eſt, ultra maria eſt. Ineſt interior, excedit exterior. Ita cùm habet atque habetur, neque in aliquo ipſe, neque non in omnibus eſt.

2. Venire autem dicitur Deus, quando novo modo ſe exhibet præſentem, ubi prius non fuit illo modo præſens. Sic Filius venit in carne: Deus venit olim ad Abrahamum, in ſpecie hominis: ad Moſen per ſpeciem ignis in rubo: & quoti-

dic

die venit in corda electorum per opus gratiæ. Et ceſſantibus aut non comparentibus illis modis, dicitur Deus diſcedere & ab eſſe, nempe quoad illum modum præſentiæ.

3. Modi, quibus venire dicitur Deus, ſunt liberæ manifeſtationes præſentiæ divinæ per opus aliquod ad extra, viſibile aut inviſibile. Unde diſtinguitur adventus Dei. Alius enim eſt *viſibilis* adventus, quo Deus viſibiliter venit per creaturam corpoream & viſibilem ad quem modum reducitur omnis modus ſenſibilis, qui ſenſu aliquo percipitur corporali, ut quando ſe præſentem exhibet per vocem audibilem, ſicut factum legimus. Geneſ. 22. Exod. 20. & 1 Sam. 3. & 1. Reg. 19. Matth. 3. ſic per prædicationem Euangelii venit ad nos: & quando amovet candelabrum, diſcedere dicitur Deus. Alius eſt adventus *inviſibilis*, quando Deus venit inviſibiliter in corda hominum, & eſſe illic incipit per operationem gratiæ.

4. Quandoque venit & adeſt una perſona divina aliquo certo modo, quo non venit aut adeſt alia perſona: ſicut eveniſſe novimus, quando baptizatus eſt Dominus noſter Jeſus Chriſtus, ubi exhibita eſt præſentia Patris quidem per vocem è Cœlo ſonantem; Filii autem in carne; & Spiritûs Sancti per ſpeciem columbæ (ne incarnationem illam putes fuiſſe, ſed ſpeciem; inquit Ambroſius, lib. 5. de Spiritu Sancto cap. 1.) Opus tamen illud, per quod una aliqua perſona venit aut præſens eſt, operatur inſeparabiliter ſanctiſſima Trinitas Pater & Filius & Spiritus Sanctus. Et ubicunque eſt una aliqua perſona divina, ibi eſt tota Trinitas: ideò, quamvis ſolus Filius caro factus ſit, tamen etiam in Filio incarnato eſt Pater, & ipſe in Patre, & Spiritus Sanctus in Patre & in Filio, & Pater & Filius in Spiritu Sancto, ſicut ante incarnationem. Neque adeſt una perſona ſine aliis perſonis, ſed ſancta & inſeparabilis Trinitas [ἡ ἁγία ἡ ἀδιαίρετος Τριάς] inſeparabiliter adeſt, ubicunque adeſt una aliqua perſona divina. Neque inſeparabilitati officit iſta modorum quorundam præſentiæ diverſitas; ut oſtenſum ſuprà cap. 10.

5. Quemadmodum originaliter Pater eſt & operatur à nullo, Filius autem eſt & operatur à Patre, & Spiritus Sanctus à Patre Filioque, neque

*Joan. 1, 11. & 14. 23. 26. & 15. 26. & 16, 7. 8. 13. 27, 28. & 17, 3. 8.* inſeparabilitati officit hic ordo; ſicuti palàm fecimus ſuprà cap. 10. Ita etiam quando advenit Trinitas, (ſive diverſis adhibitis præſentiæ modis; ſive uno modo, ut per opus ſpirituale gratiæ in corde hominis) Pater venire quidem dicitur, at non dicitur mitti; non enim habet de quo miſſus ſit, aut ex quo procedat; ut rectè loquitur Auguſtinus, lib. 4. de Trinitate, cap. 20. Filius autem & Spiritus Sanctus mitti dicuntur à quo procedunt ſecundùm originem: videlicet, Filius à Patre; & Spiritus Sanctus à Patre & Filio. Attamen miſſus à mittente nullatenus ſeparatur; ut rectè monet Gaudentius Epiſcopus Brixienſis, ſerm. 14. de promiſſione Paracleti. Et hoc non eſt inæqualitas ſubſtantiæ, ſed ordo naturæ: non quod alter prior eſſet altero, ſed quòd alter eſſet ex altero. ut loquitur Auguſtinus ſcribens de hac miſſione, lib. 3. contra Maximinum cap. 14. Vide ejuſdem Auguſt. verba, lib. 4. de Trinitate, initio capitis vigeſimi, & in fine cap. 21.

6. Filius ſecundùm formam Dei à ſolo Patre mittitur. at ſecundùm aſſumtam ſervi formam, mittitur à Trinitate Deo; quia hæc forma aſſumta opus eſt commune Trinitatis, & ſecundum hanc formam minor eſt Patre, & ſeipſo, & Spiritu Sancto. Auguſtinus dicit; miſſum eſſe Filium ut homo fieret, & hanc miſſionem intelligendam eſſe ſecundùm formam Dei, à ſolo Patre: eundemque Filium miſſum eſſe; quia Verbum caro factum eſt: & ſecundùm hanc formam ſervi miſſum eſſe à Patre, & à ſe ipſo, & à Spiritu Sancto. Lib. 2. de Trin. cap. 5. & lib. 4. cap. 20. & lib. 3. contra Maximinum, cap. 20. Ubi etiam verba illa Eſaiæ, cap. 48. verſ. 16. *Et nunc Dominus miſit me, & Spiritus ejus*: Chriſto tribuit, ſic de ſeipſo loquenti ſecundùm aſſumtam humanitatem. Quomodo etiam ea verba interpretati ſunt, Baſilius lib. 3. contra Eunomium. Ambroſius in ſymbol. Apoſtol. cap. 6. & lib. 3. de Spiritu Sancto, cap. 1. Hieronymus comment. in Eſaiam. & Fulgentius lib. 2. ad Monimum, cap. 6. addunt etiam aliud teſtimonium ex Eſai. 61, 1. quod Chriſtus in ſe completum eſſe dicit, Luc. 4, 18. 21. Athanaſius, eundem Dominum Jeſum Chriſtum & dare Spiritum Sanctum, & accipere Spiritum Sanctum: dare quidem, quatenus eſt Deus; accipere autem, quatenus eſt homo: atque ita ipſum ſibi ipſi dare, & à ſeipſo accipere, docet prolixè, orat. 2. contra Arianos, poſt medium. Ipſe ſibi regnum dedit, conferens ſuſcepto corpori, quod ſemper ſuâ Divinitate poſſederat: ait Petrus Chryſologus, Ravennæ Epiſcopus, ſerm. 144. Et in Liturgia Sancti Jacobi, ſacerdos, in oratione quam dicit adferens ſancta dona, ait; Deum Patrem & Filium & Spiritum Sanctum miſiſſe Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Servatorem & Redemtorem.

*Diſtinctio de Filii miſſione.*

*Eſai. 48, 16.*

*Eſai. 61, 1. Luc. 4. Dat ſibi Spiritum, & à ſeipſo accipit.*

## CAPUT VIGESIMUM-SEPTIMUM.

### *A quo petamus & accipiamus Spiritum Sanctum.*

*A Trinitate petimus & accipimus Spiritum Sanctum, cum quo inſeparabiliter venit ad nos, & in nobis manet Pater & Filius.*

QUando à Deo petuntur dona illa gratuita, quæ, quamvis inſeparabilia ſint opera Trinitatis, in ſacris tamen ſcripturis Spiritui Sancto plerumque appropriantur; oramus Trinitatem, ut det nobis Spiritum Sanctum, qui Patris Filiique miſſu in nobis habitet inſeparabiliter cum Patre & Filio: adeòque ut in corda noſtra veniat Deus Trinitas, opus illud gratiæ in nobis operatione inſeparabili efficiens, per quod Spiritus Sanctus, qui à Patre Filioque procedit, præſens ſit in nobis, ut in templo ſuo; certò perſuaſi, Patrem etiam & Filium in nobis manere, ſi Spiritum Dei in nobis, ut in templo ſuo, habitantem ſentiamus: per hoc enim ſcimus illum manere in nobis, ex Spiritu quem dedit nobis. 1. Joan. 3. ult. & 4. 13. Rom. 8. &c.

2. Unde Athanaſius, epiſt. ad Serapionem, contra eos qui dicunt Spiritum Sanctum eſſe creaturam, paullò ante finem illius epiſtolæ: Id (inquit) cùm ſciret beatus Paulus, non diviſit Trinitatem [οὐ διαιρεῖ τὴν Τριάδα] quemadmodum vos [Pneumatomachi,] ſed unitatem ejus docens, ad Corinthios de ſpiritualibus ſcripſit, & omnia in unum Deum Patrem conſummat, inquiens: *Diviſiones gratiarum ſunt; idem autem Spiritus: & diviſiones miniſteriorum ſunt; ſed idem Dominus: & diviſiones operationum ſunt; idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus.* [illegible]

*1. Cor. 12, 4. 5. 6.*



[illegible] *id eſt*: Quæ enim Spiritus ſingulis dividit, ea à Patre per Verbum ſuppeditantur. Omnia enim quæ Patris ſunt, Filii ſunt, ideóque quæ à Filio in Spiritu dantur, Patris donaria ſunt: & quando Spiritus eſt in nobis, in eo ipſo eſt Pater: atque ita ſe habet illud dictum; *Veniemus ego & Pater, & manſionem apud eum faciemus*, quemadmodum dictum eſt. Et paullò pòſt ait idem Athanaſius: *Juſtificati ſumus* (ut inquit Apoſtolus) *in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri.* [illegible] *id eſt*: Nam indiviſibilis eſt à Verbo Spiritus: certè loquente Chriſto, *veniemus ego & Pater*, unà intrat & Spiritus, & non aliter quàm Filius in nobis habitaturus, ſcribente ad Epheſios Paulo, *ut det vobis ſecundùm divitias gloriæ ſuæ, virtute corroborari per Spiritum in interiore homine ut habitet Chriſtus.* Jam cùm Filius eſt in nobis, ineſt & Pater; Filio ita loquente, *ego in Patre, & Pater in me.*

*Joan. 14, 23.*

*1. Cor. 6, 11.*

*Epheſ. 3, 16. 17.*

*Joan. 14, 11.*

3. Baſilius magnus, libro de Spiritu Sancto ad Amphilochium, cap. 16. [illegible] *id eſt*: In omnibus inſeparabilis eſt, & prorſus indiſtans à Patre & Filio Spiritus Sanctus. Et ibidem prolixè prædicat ac demonſtrat [illegible] *id eſt*, arctiſſimam ſocietatem atque indiviſibilitatem Spiritûs Sancti à Patre & Filio in omni operatione.

4. Ambroſius, libro 1. de Spiritu Sancto, cap. 10. ait: Sic igitur venit Spiritus, quemadmodum venit Pater: quia ubi Pater eſt, ibi eſt & Filius: & ubi Filius eſt, ibi eſt & Spiritus Sanctus. Item eod. cap. Sic ergo Spiritus venit, in quo cùm venit, & Patris & Filii plena præſentia eſt. Hæc Ambroſ.

5. Fulgentius, libro 2. ad Monimum, miſſionem Spiritûs Sancti in precibus noſtris poſtulari docet à Trinitate: non quòd Spiritus Sanctus perſonaliter procedat à Trinitate, aut mittatur à ſeipſo; ſed quia (ut ille cum Auguſtino exponit) nomine Spiritûs ibi donum ſpiritualis gratiæ deſignatur. Cum Patre autem & Filio Spiritus Sanctus dona ſua diſtribuit unicuique prout vult. 1. Cor. 12, 11.

6. Conſonat illa Eccleſiæ Æthiopicæ precatio: O ſancta Trinitas; Pater, Fili, & Spiritus Sancte, benedic ſuper populum tuum Chriſtianum, electum benedictione Cœleſti; & mitte ſuper nos gratiam Spiritûs Sancti. In Liturgia ſeu canone Univerſali Æthiopum, in Bibliotheca Patrum, tom. VI. edit. 4. col. 51.

7. Certè petimus à Sancta Trinitate adventum ipſius Spiritûs Sancti: qui adventus, reſpectu proceſſionis perſonalis quoad originem, miſſio dicitur & donatio Spiritûs à Patre Filioque; at reſpectu temporalis operis gratiæ ſpiritualis (per quod ipſe Spiritus donatur nobis, venit ad nos, & manet in nobis) eſt beneficium nobis collatum inſeparabiliter à ſancta Trinitate, Patre noſtro Cœleſti, qui dat Spiritum Sanctum petentibus ab ipſo. Luc. 11, 2. 13. Deo noſtro qui nos confirmat in Chriſtum, & ungit nos, & obſignat nos, & dat arrabonem Spiritûs in cordibus noſtris, 2. Cor. 1, 21. 22.

8. De hac Spiritûs Sancti miſſione, ejuſdemque operatione, Baſilius Magnus ait: [illegible] *id eſt*: mittitur quidem diſpenſatoriè, operatur autem ſuâ auctoritate. Baſilius homiliâ 15. quæ eſt, de fide. Et Macarius Ægyptius ait, Deum [illegible], dare ſeipſum totum orantibus. homil. 19. & 34. Item: [illegible] *id eſt*: dono gratuito ſeipſum largiri credentibus, homilia 49. & Auguſtinus; Nec (inquit) quia illi dant, ipſe datur, ideò minor eſt Patre & Filio Spiritus Sanctus. Ita enim datur ſicut donum Dei, ut etiam ſeipſum det ſicut Deus, libro 15. de Trinitate, capite decimo nono.

*Mittitur œconomicè; operatur autem ſuâ auctoritate.*

*Deus dat ſeipſum.*

9. Unde in ordine myſteriorum, ſive in celebratione Confirmationis, ſecundum uſum Æthiopum, in Biblioth. Patrum, tom. 6. edit. 4. col. 75. ſacerdos imponit manum ſuper eos qui baptizati ſunt, & dicit: Benedicat vobis Dominus Jeſus Chriſtus. Accipite Spiritum Sanctum per virtutem Dei Patris, per virtutem Filii Jeſu Chriſti, & per virtutem Spiritûs Sancti. Hæc ibi.

10. Sic etiam, quando oramus, ut Chriſtus habitet in cordibus noſtris per fidem, petimus à ſancta & inſeparabili Trinitate, ut in cordibus noſtris opus illud ſuum, nempe fidem, operetur, per quam fidem præſentem habeamus, & manentem in cordibus verè poſſideamus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Dei Filium, certi etiam cum eo nos Patrem & Spiritum habere propter inſeparabilitatem. Atque hanc Ambroſius vocat unam præſentiam, unam gratiam Patris & Filii & Spiritûs Sancti. De qua parvulis conceſſâ agit gratias Patri Filius. Matth. 11, 25. 26. Ambroſius libro primo de Spiritu Sancto, capite decimo.

*A Trinitate petimus, ut Chriſtus habitet in cordibus noſtris per fidem. Epheſ. 3, 17.*

*Una præſentia, una gratia Patris & Filii & Spiritûs Sancti.*

## CAPUT VIGESIMUM-OCTAVUM.

### *Explicatio precationis Apoſtolicæ, quæ exſtat in Epiſtolâ II. ad Corinthios cap. 13. verſ. ultimo.*

*2. Cor. 13, verſ. ult.*

IN illa comprecatione Apoſtolicâ [*Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, charitas Dei, & communicatio Spiritûs Sancti ſit cum vobis omnibus*] non multiplicat Apoſtolus invocationes, neque perſonas

ſonas divinas ſigillatim compellat; ſed unâ eademque ſimplice precatione petit à Sanctâ & inſeparabili Trinitate beneficia illa, quæ, licet per modum appropriationis denominentur à diſtinctis perſonis, ſunt tamen inſeparabilia dona individuæ Trinitatis. Neque ea ſingulatim à ſingulis perſonis, ſed ſingula dona ab omnibus perſonis ſimul, id eſt, à ſanctiſſima Trinitate petuntur: ut ſcilicet, Deus noſter ſancta & inſeparabilis Trinitas largiatur nobis gratiam, quam propoſuit ac promiſit in Chriſto Jeſu Mediatore ac Servatore noſtro, ex mera ſuâ charitate, eamque charitatem & gratiam percipere ac ſentire nos faciat per communicationem Spiritûs Sancti, quem nobis promiſit Conſolatorem.

2. Ideò Athanaſius, epiſtola ad Serapionem contra eos, qui dicunt Spiritum Sanctum eſſe creaturam, paullò ante finem illius epiſtolæ, hæc ipſa Apoſtoli verba adducit pro inſeparabilitate Patris & Filii & Spiritûs Sancti: ἡ γὰρ διδομένη χάρις καὶ δωρεὰ, ἐν Τριάδι δίδοται παρὰ τοῦ Πατρὸς δι' Υἱοῦ ἐν Πνεύματι ἁγίῳ. *id eſt*: gratia enim & donum quod datur, in Trinitate datur à Patre per Filium in Spiritu Sancto. μία ἄρα καὶ ἐν τούτοις ἡ τῆς Τριάδος ἐνέργεια δείκνυται· οὐ γὰρ ὡς παρ' ἑκάστου διάφορα καὶ διῃρημένα τὰ διδόμενα σημαίνει ὁ Ἀπόστολος· ἀλλ' ὅτι τὰ διδόμενα, ἐν Τριάδι δίδοται, καὶ τὰ πάντα ἐξ ἑνός Θεοῦ ἐστι. *id eſt*: una igitur ex iſtis operatio Trinitatis declaratur: non enim, quaſi ab unoquoque diverſa & diviſa munera darentur, ſignificat Apoſtolus; ſed quòd ea quę dantur, in Trinitate dentur, & quòd omnia ex uno Deo ſint.

3. Sic etiam Baſilius magnus, lib. 5. contra Eunomium, cap. 15. quòd non ab æquivocatione identitas, &c. in fine capitis, hæc ipſa adfert Apoſtoli verba in confirmationem doctrinæ de inſeparabilitate Trinitatis, & inſeparabili operatione Patris & Filii & Spiritûs Sancti, & propoſitis his Apoſtoli verbis; de quorum ſenſu diſſerimus, ex eis colligit omnia effici à Deo per Chriſtum in Spiritu inſeparabiliter. ὅπου γὰρ (inquit) τὰ πάντα ἐνεργεῖται ὑπὸ τοῦ Θεοῦ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐν Πνεύματι, ἀχώριστον ὁρῶ τὴν ἐνέργειαν τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος. *id eſt*: Quandoquidem omnia efficiuntur à Deo per Jeſum Chriſtum in Spiritu, inſeparabilem video operationem Patris & Filii & Spiritûs Sancti. Vide ſuprà, capitis 17. paragraphum octavum.

4. Johannes Chryſoſtomus, Comment. in illum locum poſterioris Epiſtolæ ad Corinthios, Sine diſcrimine (inquit) nunc hujus, nunc illius hypoſtaſis meminit Apoſtolus, & invenies hunc morem in epiſtolis ſæpius. —— Invenietur autem & dona ipſa iterum mutato ordine [ἀδιαφόρως] narrare. Nam cùm dixiſſet, *gratia Chriſti & charitas Dei & communicatio Spiritûs Sancti*, alibi dicit *communionem Filii*, *& charitatem Spiritûs*. *Obſecro vos*, inquit, *per charitatem Spiritûs*. Et Corinthiis dicit: *Fidelis Deus, per quem vocati eſtis in communionem Filii illius*. Sic ea quæ Trinitatis, indiviſa ſunt [ἄτομα τὰ τῆς Τριάδος, ἀδιαίρετα.] Et ubi Spiritûs eſt communio, ea inventa eſt eſſe etiam Filii: & ubi Filii eſt gratia, & Patris eſt & Spiritûs Sancti. *Gratia enim vobis*, inquit, *à Deo Patre*. Et alibi, cùm multa ejus genera percenſuiſſet, ſubdidit: *Omnia autem hæc operatur unus & idem Spiritus, dividens ſeorſim cuique ut vult*. Et hæc dicit, non confundens perſonas [οὐ συναλείφων τὰς ὑποστάσεις,] abſit! ſed ſciens tum harum proprietates & diſtinctionem, [καὶ τὰ τούτων ἰδιάζοντα καὶ διῃρημένα] tum eſſentiæ unitatem [καὶ τὸ [illegible] τῆς οὐσίας.] Rom. 15, 30. 1. Cor. 1, 9. 1. Cor. 12, 11.

5. Ambroſius etiam lib. 1. de Spiritu Sancto, capitibus 11.12.13. his Apoſtoli verbis intelligi docet, unam gratiam Patris & Filii & Spiritûs Sancti: unam charitatem Patris & Filii & Spiritûs Sancti: unam communicationem Patris & Filii & Spiritûs Sancti. Et commentario in illum locum Apoſtoli 2. Cor. 13. verſ. ult. Trinitatis (inquit) hîc complexio eſt, & unitas poteſtatis, quæ totius ſalutis perfectio eſt.

6. Theodoretus, Commentario in eadem Apoſtoli verba; Non hæc (inquit) poſuit per diviſionem: nec hæc quidem Chriſto tribuit; illa verò Patri; alia autem Spiritui. Sæpe enim charitatem in Spiritu ſtatuit, & communicationem in Filio, & gratiam in Deo & Patre. Ita etiam in priore epiſtola, cùm operationem in Patre poſuiſſet, eam paullò pòſt dixit de Spiritu. Aliter autem etiam poſuit ordinem perſonarum, non eum ſubvertens qui fuit poſitus à Domino, ſed docens; quòd ordo nominum, non ſignificat diverſitatem naturæ vel potentiæ, vel authoritatis aut dignitatis differentiam. Hæc Theodoretus, interprete Gentiano Herveto. 1. Cor. 12.

## CAPUT VIGESIMUM-NONUM.

### *De Deo & Patre Domini noſtri Ieſu Chriſti.*

FIlii ſecundùm Deitatem ſpectati nullus eſt Deus, quia nullus eo major eſt: ſecundùm aſſumtam autem humanitatem eſt ἀμήτωρ, Hebr. 7, 3. ut in uno Dei atque hominis Filio, & ſine Matre Deitas, & ſine Patre ſit humanitas; ut loquitur Leo magnus, ſerm. 8. in ſollemnitate nativitatis Domini. Quamvis in utraque naturâ ſit Dei Filius naturalis; in neutra autem adoptivus; ut rectè contra Elipandum & Felicem docuerunt ac definiverunt Patres Francofurtenſes, anno Domini ſeptingenteſimo nonageſimo quarto. φύσει υἱός, οὐ θέσει. Epiphanius Ancorat. paragr. 6. Idem quidem Deus eſt Deus Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ejuſdem Pater: ſed Deus in Trinitate, Pater autem in ſola perſona Paternâ: nam quà minor in forma ſervi, Deum habet Trinitatem; Filius autem eſt ſolius perſonæ Paternæ, tum ante aſſumtionem carnis, tum in aſſumtâ carne.

2. Unde miretur fortaſſe quiſpiam, ſcriptum eſſe à Cyrillo Alexandrino, in epiſtola ad Neſtorium de excommunicatione, quam ratam habuit tertia ſynodus œcumenica; Chriſtum Immanuelem, non eſſe ſui-ipſius Deum. Nam cùm ſecundùm formam ſervi ſit minor ſeipſo; ut docuimus cap. 23. & ſecundùm eandem formam dicatur habere Deum, adeò ut Deus ſit ipſius Deus: & cùm Chriſtus homo ſit Mediator inter Trinitatem & homines, ut manifeſtum fecimus cap. 19. & cùm ſecundùm hanc formam

servi



ſervi oret Deum ſuum, & ipſo Chriſto orante ipſe idem Chriſtus ſecundùm formam Dei audiat cum Patre & Spiritu Sancto, ut oſtenſum cap. 24. & petita concedat Deus Trinitas operatione indiviſâ: [cap. 23.] manifeſtum eſt, quando Pater dicitur Deus Jeſu Chriſti, non dici ἰδικῶς & κατ' ἀντιδιαστολὴν excludendo Filium & Spiritum Sanctum. Licet ab hac loquutione abſtinendum exiſtimaverit Cyrillus, in diſputatione contra Neſtorium; ne unus Chriſtus & Filius & Dominus in duos dividi videretur: ut ibidem monet Cyrillus. Ideò in ſexto anathematiſmo ad finem ejuſdem epiſtolæ, rectè dicitur: Εἴ τις τολμᾷ λέγειν, Θεὸν ἢ Δεσπότην εἶναι τοῦ Χριστοῦ τὸν ἐκ Θεοῦ πατρὸς Λόγον, καὶ οὐχὶ δὴ μᾶλλον τὸν αὐτὸν ὁμολογεῖ Θεόν τε ὁμοῦ καὶ ἄνθρωπον, ὡς γεγονότος σαρκὸς τοῦ Λόγου, κατὰ τὰς γραφὰς, ἀνάθεμα ἔστω. Nam perverſo iſto ſenſu nefas eſt dicere; Deum Verbum eſſe Deum Chriſti. At conſtitutâ veraci confeſſione de unitate atque adeò identitate perſonæ Verbi incarnati, rectè dicimus; hunc unum eundemque Chriſtum eſſe ſuipſius Deum: nempe non propter diverſas perſonas, ſed propter diverſas naturas in una eademque perſonâ. Et hoc ſano atque Catholico ſenſu intellecta hæc loquutio excludit Arii διαίρεσιν, & Eutychetis σύγχυσιν.

3. Omnia quæ habet Pater ſunt Filii, πλὴν τῆς ἀγεννησίας, πλὴν τοῦ εἶναι πατρὸς, πλὴν τῆς γεννήσεως. ut oſtendimus cap. undecimo, §. 4. Ergo eſſe alicujus Deum, eſt Patri Filioque commune; adeóque & Spiritui Sancto, cui competit quicquid Patri Filioque commune eſt, exceptâ ſolâ ſpiratione activâ. Unde Jeſus Chriſtus ſecundùm humanam naturam agnoſcitur conceptus ex Spiritu Sancto, non utique tanquam Patre, ſed tanquam conditore Deo; &, ut locum Eſaiæ 48, 16. exponunt Hieronymus & Ambroſius, & Auguſtinus, & alii, verba illa de Chriſto intelligenda ſunt, ſecundùm fragilitatem carnis aſſumtæ dicente, & nunc Dominus Deus miſit me & Spiritus ejus. Et Athanaſius oratione 2. contra Arianos, ſcribit Chriſtum propter humanam ſuam naturam ſeipſum minorem Spiritu Sancto pronunciare. Et Hilarius; Non ambigitur, (inquit) quin Deus ſibi ut cunctis ſit, ex ea naturâ, quâ ſervus eſt. lib. 11. de Trinitate. ubi tamen quod addit Hilarius, Chriſtum etiam Patrem ſibi ut cæteris hominibus eſſe, ex ea parte quâ homo eſt, impropriè dicitur, neque imitandum. Nam homines alii ſunt perſonæ adoptabiles: non ita Chriſtus, qui eſt proprius & naturalis Filius Dei. homines alii ſunt ſimpliciter creaturæ: at non ita Chriſtus; qui eſt Verbum caro factum, in unitate perſonæ increatæ. Vide 3. ſent. diſt. 4. & diſt. 11. Vide ſupra cap. 22. §. 4.

4. Athanaſius reſpondens hæreticis abutentibus verbis Domini, quibus Patrem Deum ſuum confitetur, & inde perperam argumentantibus contra unitatem naturæ Patris & Filii, dialogo 1. contra Macedonianos, paullò ante finem, ait: τῇ μὲν θεότητι Πατὴρ αὐτοῦ ἐστιν ὁ Θεός· τῇ δὲ ἀνθρωπότητι Θεός. *id eſt*, Quoad Deitatem quidem ipſius Pater eſt Deus, quoad humanitatem verò eſt ejus Deus. Item, ὥσπερ οὖν ἡμεῖς μέτοχοι τοῦ Χριστοῦ γενόμενοι, ἔχομεν τὸν Θεὸν Πατέρα. οὕτω καὶ ὁ Υἱὸς Λόγος ὢν καὶ Θεὸς, μετέχων αἵματος καὶ σαρκὸς, ἔχει τὸν Πατέρα Θεόν. Διὰ τοῦτο λέγει αὐτῷ· ἐκ κοιλίας μητρός μου Θεός μου εἶ σύ. ἐν κοιλίᾳ δὲ μητρὸς ὁ λόγος ἐγένετο, ὅτε ἡ Παρθένος ἐν γαστρὶ ἔλαβε καὶ ἔτεκε τὸν Ἐμμανουήλ, καὶ οὕτως ὑποτέτακται μορφὴν δούλου λαβών. *id eſt*: Quemadmodum igitur nos, poſtquam Chriſti facti ſumus participes, Deum habemus Patrem: ita & Filius Verbum & Deus exiſtens, poſtquam particeps factus eſt ſanguinis & carnis, Patrem habuit Deum. Quæ cauſſa eſt cur dixerit, *ex utero matris meæ Deus meus es tu*. Ex utero verò Matris Verbum factum eſt, quando Virgo concepit & peperit Emmanuelem: atque hoc modo ſubjicitur, formâ ſervi ſumtâ. Pſal. 22, 11.

5. Gregorius Nyſſenus, in fine orationis 10. contra Eunomium, & initio orationis 11. acriter hoc nomine reprehendit & accuratè refellit Eunomium hæreticum, dicentem, Filii Deum in ipſo myſterio Trinitatis.

6. Gregorius Nazianzenus, oratione 36. quæ eſt 2. de Filio, ait; Deum ejus dici οὐ τοῦ λόγου, τοῦ ὁρωμένου δέ. *id eſt*, non reſpectu Verbi; ſed reſpectu naturæ viſibilis: Patrem autem ejus dici, οὐ τοῦ ὁρωμένου, τοῦ Λόγου δέ, *id eſt*, non humanitatis viſibilis; ſed Verbi reſpectu. Et propriè quidem dici Patrem illius, non propriè autem Deum illius: noſtrum verò dici Deum propriè, & Patrem impropriè. Et Cæſarius Gregorii Nazianzeni frater, dialogo primo, reſp. ad interrogationem 22. εἰκότως οὖν διὰ τὴν σωματικὴν οἰκονομίαν φησί, πορεύομαι πρὸς τὸν Θεόν μου. διὰ δὲ τὴν κατὰ φύσιν τὴν θείαν ἐκ τοῦ πατρὸς γέννησιν, πορεύομαι, φησί, πρὸς τὸν πατέρα μου. Θεὸς τοίνυν τῶν μαθητῶν καὶ πατὴρ τοῦ παιδὸς κατὰ φύσιν. Θεὸς δὲ τοῦ υἱοῦ κατὰ σάρκα, καὶ πατὴρ τῶν μαθητῶν κατὰ χάριν. *id eſt*: Jure igitur propter corpoream diſpenſationem dicit, *proficiſcor ad Deum meum*; at propter divinam ex Patre generationem ſecundùm naturam, *proficiſcor*, ait, *ad Patrem meum*. Eſt igitur diſcipulorum Deus, & Filii Pater, ſecundùm naturam: Filii autem ſecundùm carnem ſpectati Deus, & diſcipulorum Pater eſt, ſecundùm gratiam. Joh. 20, 17.

7. Epiphanius ſimiliter in Ancorato, cap. 10. μετέσχεν τῆς σαρκός, φησί, Θεόν μου. διὰ δὲ τὸ ἀΐδιον αὐτοῦ τὸ γεννητὸν κατὰ φύσιν, λέγει πατέρα μου καὶ διὰ τὴν αὐτοῦ πρὸς τοὺς αὐτοῦ μαθητὰς χάριν, πατέρα ὑμῶν. διὰ δὲ τὸ κατὰ φύσιν αὐτῶν τῶν μαθητῶν πρὸς τὴν αὐτοῦ θεότητα, καὶ τὸ ἀΐδιον αὐτοῦ Πατρὸς, Θεὸν ὑμῶν. Θεὸς γὰρ τῶν μαθητῶν, Πατὴρ δὲ τοῦ Κυρίου κατὰ φύσιν. τῶν δὲ μαθητῶν Πατὴρ κατὰ χάριν, Θεὸς δὲ τοῦ υἱοῦ ἐστιν ὁ Πατὴρ διὰ τὴν σάρκα. Πατὴρ δὲ διὰ τὸ ἀΐδιον καὶ ἀκατάληπτον τῆς αὐτοῦ γεννήσεως, καὶ γνησιότητος. ὅτι ἐν ἀληθείᾳ ἐστὶν αὐτοῦ πατὴρ, γεννήσας αὐτὸν ἀχρόνως, καὶ ἀνάρχως κατὰ τὴν θεότητα. Θεὸν δὲ ἔδει καλεῖν αὐτοῦ, δι' ἣν δι' ἡμᾶς ἀνείληφεν οἰκονομίαν, *id eſt*: Particeps carnis factus dicit, *Deum meum*: at propter æternitatem γεννήσεως ſuæ ſecundùm naturam, dicit, *Patrem meum*. Et propter gratiam ſuam erga diſcipulos, *Patrem veſtrum*. & intuitu naturæ ipſorum diſcipulorum comparatæ ad ipſius Divinitatem æternique ſui Patris, dixit, *Deum veſtrum*. Deus enim diſcipulorum eſt; Pater autem Domini ſecundùm naturam: porrò diſcipulorum Pater eſt per gratiam; Pater autem Deus eſt Filii propter carnem: ejuſdemque Pater propter ſempiternam & incomprehenſibilem ipſius generationem ac germanitatem: quandoquidem verè ipſius Pater eſt, qui ipſum genuit intemporaliter & ſine initio, ſecundùm Deitatem. Deum autem ſuum appellare debuit ob œconomiam ſive ob humanam naturam noſtrâ cauſâ ſuſceptam. Item §, ſeu cap. 32. ἐν αὐτῷ τῷ θεῷ ὑπερφάνει τὰ θεῖα χαρίσματα, ἱερόν τι, καὶ ἄρρητον. διὰ γὰρ



τὸ

[illegible Greek], *id eſt*, Duo quædam in eodem ſcriptura divina declarat: nempe aſpectabile, & non aſpectabile. Ad id quod aſpectabile eſt, verba iſta jure pertinent, *Deus meus*: ſed *Pater meus* ad id refertur, quod non eſt aſpectabile.

8. Hieronymus, in Eſai. cap. 61. verſ. 1. Non quòd Dominus Deus habeat Dominum Deum; ſed quòd juxta diſpenſationem carnis aſſumtæ dicat ea, quæ humilia ſunt. Et in cap. 1. epiſt. ad Epheſ. Deus aſſumti hominis; Pater verò gloriæ, ſapientiæ, veritatis.

9. Theodoretus Comment. in epiſt. ad Epheſ. c. 1. v. 17. exponens verba illa Apoſtolica, Deus Domini noſtri Jeſu Chriſti, Pater gloriæ; Eundem (inquit) ejuſdem Deum & Patrem appellavit, *Deum* quidem, ut hominis, *Patrem* verò, ut Dei.

## CAPUT TRIGESIMUM.

### *De noſtra cum Chriſto fraternitate: & diſcrimine inter naturalem, & adoptivos filios Dei.*

IDem Deus eſt Pater Chriſti & noſter Pater, ſed non eodem modo: nam illius eſt Pater tantùm in perſona Paternâ, & quidem naturalis Pater Filii unigeniti [illegible Greek], *id eſt*; ſecundùm excellſiorem quandam relationem (ut loquitur Gregor. Nazian. orat. 37.) quæ etiam manet in aſſumtâ carne; teſte Apoſtolo dicente: *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis: & vidimus gloriam ejus, gloriam ut unigeniti à Patre*. Joan. 1, 14. Noſter autem Pater eſt Sancta Trinitas, quæ nos adoptat; ut oſtenſum cap. 12. & cap. 18. Pater, inquam, non naturâ, ſed gratiâ adoptionis.

*Vide cap. 25. §. 9.*

2. Unde meritò Gregorius Neocæſarienſis, qui Thaumaturgus dictus eſt, introducit Johannem Baptiſtam dicentem Domino noſtro Jeſu Chriſto; [illegible Greek], non eſt præter te alius naturâ Filius Dei. ſerm. in ſancta Theophania ac de Chriſti baptiſmo.

3. Et Athanaſius, paullò ante finem dialog. 1. contra Macedonianos, explicans diverſum modum Paternitatis Dei erga Chriſtum, & erga nos, ait: [illegible Greek] *id eſt*: Ipſius quidem naturâ Pater eſt; noſter verò gratiâ. Chriſti enim participes facti, inventi ſumus prope, qui procul aberamus naturâ, adeò ut Deus dicatus noſter Pater.

4. Cyrillus Hieroſolymitanus, Catecheſi 7. & Catech. 11. explicans verba illa Domini, *aſcendo ad Patrem meum, & ad Patrem veſtrum*. Non dixit, (inquit) *ad Patrem noſtrum*, [illegible Greek], ne eſſet communio creaturarum cum unigenito: ſed, *ad Patrem meum, & ad Patrem veſtrum*: [illegible Greek], id eſt, aliter *meum*, per naturam: aliter *veſtrum*, per adoptionem.

*Joan. 20, 17.*

5. Epiphanius in Ancorato §. 49. [illegible Greek] *id eſt*; Si enim unigenitus eſt Filius, non eſt ei quiſquam æqualis, aut cum eo comparandus, qui ſimilis Filio ſit, in filiis Dei. Eos enim novit ſecundùm gratiam: illi autem neminem æquari poſſe, eo quòd ſit naturaliter Filius.

6. Hanc diſtantiam generationis & gratiæ oſtendi ait Ambroſius illis Domini verbis, *aſcendo ad Patrem meum & Patrem veſtrum, Deum meum & Deum veſtrum*. Non dixit, *aſcendo ad Patrem noſtrum*: ſed, *aſcendo ad Patrem meum & Patrem veſtrum*. Separatio iſta diverſitatem oſtendit, &c. Ambroſ. lib. 1. de fide cap. 6.

*Joan. 20, 17.*

7. Et Auguſtinus eadem Domini verba exponens, Tract. 121. in Euang. Joan. *aſcendo ad Patrem meum & Patrem veſtrum*. Non ait, *Patrem noſtrum*: aliter ergo meum, aliter veſtrum: naturâ meum, gratiâ veſtrum. *Et Deum meum, & Deum veſtrum*. Neque hic dixit *Deum noſtrum*: ergo & hic aliter meum, aliter veſtrum: *Deum meum*, ſub quo & ego ſum homo: *Deum veſtrum*, inter quos & ipſum Mediator ſum.

8. Filius Dei naturalis, ut nos filios Adami naturales faceret filios Dei adoptivos, adeóque fratres ſuos uniuſque Patris filios; ipſe voluit nobiſcum eſſe hominis filius naturalis, aſſumtâ per miſericordiſſimam diſpenſationem humanitate in unitatem perſonæ ſuæ, adeò ut unus idemque homo Jeſus Chriſtus ſit & hominis filius naturalis, & in eâdem humanitate ſit Dei Filius naturalis. In quo quidem myſterio ſplendidiſſimè relucet Dei gratia; ut docet Auguſtinus Enchirid. cap. 36. & 37. & 40. & Tract. 74. in Euang. Joannis. Rectè tamen dicimus Jeſum Chriſtum eſſe Filium Dei non gratiâ, ſed naturâ; non enim adoptivus eſt ſecundùm humanitatem; (ut impiè dictitabant Neſtorius & Felix & Elipandus, meritis anathematiſmis ob hunc errorem damnati à Conciliis Epheſino & Francofurtenſi.) Non enim unquam homo ille alienus fuit aut non proprius Dei Filius, ut adoptari poſſet: ſed per gratiam, non adoptionis, ſed unionis, homo ille natus eſt Deus & Dei Filius naturalis proprius & unigenitus; unde fuit quodammodo ipſa gratia illi homini naturalis, ut ait Auguſt. Enchir. cap. 40. Non alius eſt homo ille, & alius Deus Filius; ſed Verbum caro factum eſt: neque proprietatem Filii naturalis atque unigeniti amiſit in carne, ſed eandem conſtanter retinet in utraque naturâ. Adeò ut qui per nativitatem ex Virgine naturalis eſt Filius hominis, & omnium hominum naturâ frater, reſpectu communis Patris hominis Adami; idem homo per unionem perſonalem humanitatis cum Deitate in unitate perſonæ unigeniti & naturalis Filii Dei, ſit Dei Filius naturalis: neque illi ulla alia ad Deum relata competit filiatio. Unus eſt enim Filius, nec dividi poteſt, ut ſit unius Patris & naturalis & adoptivus; vel, ut unius Filii quædam pars ſit adoptiva, & altera propria: ſicut prolixè & accuratè docuit Paulinus Epiſcopus Aquilejenſis, lib. 2. & lib. 3. & lib. 7. contra Felicem Urgelitanum, & alibi. quamvis enim carnem Chriſti Deus non genuerit, ſed fecerit; quem tamen ineffabiliter genuit, ipſe eſt qui caro illa factus eſt: ut jam & Deus ſit verè Filius hominis, non adoptivus, ſed naturalis; & homo ille ſit verè Filius Dei, non adoptivus, ſed naturalis.

*Vide lib. 5. cap. 22. & lib. 6. in diſſertatione de adoptionis [illegible].*

*Chriſtus Filius Dei non gratiâ adoptivus, ſed naturâ.*

*Unionis gratia Chriſto quodammodo naturalis.*

*De hac materia [illegible] lib. 5. cap. 21. & 19. & [illegible].*

9. Propterea



9. Propterea autem Filius Dei naturalis voluit eſſe hominis Filius naturalis nobiſcum, ut ipſe, jam in ſua humanitate Filius Dei naturalis, nos ſecum faceret etiam filios Dei, non quidem naturales; (non enim in unitatem perſonæ Divinæ aſſumimur, ſicut illa Chriſti humanitas, qui in utero Virginis in ipſo conceptu verus Deus fuit, nec unquam fuit alienus, ſicut nos:) ſed adoptivos, per gratiam adoptionis, quâ nos ſancta Trinitas ſibi adoptat in filios per hominem illum, qui eſt naturalis Dei Patris Filius, & noſter Mediator ac Trinitati reconciliator. Atque adeò manens proprietate ac naturaliter unigenitus Dei Filius, dici voluit & eſſe (per ſui exinanitionem, & adoptionis gratiam erga nos, quos adoptat ſibi ſecundùm Deitatem ſpectato in filios, ſecundùm humanitatem autem in fratres) primogenitus in multis fratribus, Rom. 8, 29.) Nempe ille Dei Filius naturalis, etiam in ſua humanitate; (hanc enim dignitatem & honorem humanæ naturæ divina gratia contribuit, ut Deus & homo una eſſet perſona: ut loquitur Primaſius, Comment. in epiſt. ad Hebræos, cap. 2. v. 16.) Nos autem per illum Dei filii adoptivi. Quamvis aliquo modo nos etiam naturaliter filios Dei vocet Cyrillus: non quidem in nobis ipſis; ſed, quia fratrem primogenitum habemus Dei Filium naturalem.

*Chriſtus Dei filius naturalis, idemque hominis filius naturalis.*

*Nos hominis filii naturales, & Dei filii adoptivi.*

*Quo ſenſu dicerit Cyrillus, nos eſſe etiam naturaliter filios Dei.*

10. Verba Cyrilli ſunt, lib. de recta fide ad Theodoſium Imperatorem cap. 30. [illegible Greek] *id eſt*: Idem itaque & unigenitus eſt, & primogenitus: unigenitus quidem ut Deus; primogenitus autem in nobis ſecundùm unionem œconomicam, & inter multos fratres ut homo: ut nos ſiamus & in ipſo & per ipſum filii Dei tum naturaliter, tum ſecundùm gratiam. Naturaliter quidem, tanquam in ipſo & quidem ſolo: participatione autem & ſecundùm gratiam, nos per ipſum in Spiritu. Quemadmodum igitur Chriſti humanitati, propterea quòd ſecundùm diſpenſationis copulam Verbo unita eſt, unigenitum eſſe & dici proprium factum eſt: ita Verbo, eò quòd unitum ſit carni, id proprium factum eſt, ut inter multos fratres primogenitus ſit & appelletur.

11. Et eodem lib. cap. 16. ait idem Cyrillus; [illegible Greek] *id eſt*: Unum eundemque & unigenitum credimus & primogenitum: unigenitum quidem tanquam Dei Patris Verbum, ex illius ſubſtantia natum; Primogenitum verò, quatenus factus eſt homo & inter multos fratres. Et cap. 38. ejuſdem libri: Qui non credit Filium, fecit Deum mendacem; quia non credidit teſtimonio, quod teſtificatus eſt Deus de Filio ſuo. Teſtificatus eſt autem; hunc, qui cum carne & in forma ſervi eſt, eſſe unicè & propriè, & verè ſuum Filium. [illegible Greek] [illegible Greek] *id eſt*: Deus eſt Chriſtus unus Filius & Dominus, non eo ſenſu dicimus, quo illi [Neſtoriani], quaſi nimirum Emmanuel ſecundùm gratiam Deus, aut Filius, aut Dominus ſit nominatus, aut per profectum & incrementum ad hoc gloriæ culmen pervenerit, veluti unus è grege noſtro homo communis & ſanctificatus. Verùm hoc dicimus; quod Verbum cùm Deus eſſet, ſe demiſerit ad exinanitionem, & in ſervi formâ deſcendens, nihilominus ſit Deus verus, & naturâ Dominus univerſorum, ſoluſque & propriè Filius. Cui & nos, dum per gratiam ipſius conformes ſimus, ad gloriam adoptionis conſcendimus.

*Idem unigenitus, & primogenitus inter multos fratres adoptivos: ipſe non adoptivus ſed naturalis filius Dei.*

*1. Joan. 5, 10.*

*[illegible]*

12. Idem Cyrillus Alex. lib. 1. ad religioſiſſimas reginas cap. 11. poſt teſtimonium Theophili Epiſcopi, in prima parte Concilii Epheſini œcumenici: [illegible Greek]

13. Joannes Chryſoſtomus, homil. 15. in epiſt. ad Romanos, in illa verba, *ut eſſet primogenitus in multis fratribus*. [illegible Greek] *id eſt*, hæc omnia de incarnationis diſpenſatione dicta eſſe cogita. Nam ſecundùm Deitatem eſt unigenitus. *Rom. 8, 29.*

14. Ambroſius, Comment. in eundem locum Apoſtoli: Primogenitus igitur (inquit) in omnibus frater noſter dicitur; quoniam homo dignatus eſt naſci: Dominus verò, quia Deus noſter eſt.

Eadem verba leguntur apud Sedulium, in ſuo Collectaneo in Epiſt. ad Romanos, in Bibliotheca Patrum, tom. 1. edit. 4.

15. Auguſtinus, lib. contra epiſtolam Manichæi, quam Fundamenti vocabant, cap. 37. Quapropter (inquit) de unico quidem Filio, per quem facta ſunt à Patre omnia bona de nihilo, imperitè atque impiè fratres quæruntur, niſi ex eo quod in homine apparere dignatus eſt. Nam ideò & Unigenitus in ſcripturis & Primogenitus dicitur. *Unigenitus* à Patre, *Primogenitus* ex mortuis. *Et vidimus*, inquit, *gloriam ejus tanquam unigeniti à Patre, plenum gratiâ & veritate*. Et Paulus dicit: *Ut ſit ipſe Primogenitus in multis fratribus*. Hæc Auguſtinus. *Joan. 1, 14. Rom. 8, 29.*

16. Theodoretus in cap. 2. ad Hebræos; Unum (inquit) habemus Patrem, & nos, & ipſe: ſed clarum eſt eum quidem eſſe Filium naturâ; nos autem gratiâ. Hanc enim nos docet differentiam, quòd ille quidem nos ſanctificet; nos verò ſanctificemur. Hæc Theodoretus, interprete Gentiano Herveto.

17. Iſidorus Hiſpalenſis, lib. de differentiis ſpiritualibus, cap. 5. Quòd (inquit) Chriſtus nunc unigenitus, nunc Primogenitus eſſe perhibetur: horum primum ad Patrem pertinet; alterum ad nos. Nam ſecundùm Divinitatis excellentiam, unigenitus eſt à Patre, juxta Euangelium quod dicit: *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre, plenum gratiâ & veritate*. At verò ſecundùm fraternam ſocietatem, Primogenitus univerſæ creaturæ, juxta id quod Apoſtolus *Joan. 1, 14.*



lus

Rom.8, 29. luſ ait; *ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.* Eſt ergo unigenitus in ſubſtantia Deitatis; primogenitus in ſuſceptione humanitatis. Primogenitus in gratiâ; unigenitus in naturâ. Primogenitus ergo, juxta Apoſtolum, in multis fratribus: unigenitus tamen ex Deo ſolus. Inde eſt quòd frater nuncupatur & Dominus: frater, quia Primogenitus; Dominus verò, quia unigenitus. Hæc Iſidorus. Ubi gratiam intellige, non adoptionis, ſed unionis, quoad ipſius Chriſti humanitatem Verbo unitam: nos autem in fratres ei conjungimur per gratiam adoptionis.

18. Ioannes Damaſcenus, lib. 4. orthodoxæ fidei, cap. 1. Primogenitus (inquit) inter multos fratres, quoniam cum Matris etiam ratione unigenitus eſſet (ſiquidem æquè ac nos ſanguinem & carnem aſſumpſit, atque homo effectus eſt: Noſque etiam ipſi per eum filii Dei effecti ſumus, per baptiſmum videlicet adoptati,) ipſe naturâ Dei Filius, inter nos, qui adoptione & gratiâ in Dei filios cooptati ſumus, fratreſque ipſius exſtitimus, primogenitus factus eſt. Eoque etiam nomine dicebat: *aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum.* Non dixit, *Patrem noſtrum*, ſed *Patrem meum*, naturâ videlicet; & *Patrem veſtrum*, beneficio & gratiâ: & *Deum meum & Deum veſtrum*, non dixit, *Deum noſtrum*, ſed *Deum meum*, ſi ſubtili mentis agitatione id quod oculis cernitur, ab eo quod mente ſolâ percipitur, diſtinguas; & *Deum veſtrum*, ut opificem ac Dominum. Hæc Damaſcenus, Jacobo Billio interprete.

Ioan.20, 17.

19. Claudius Epiſcopus Altiſſiodorenſis, vel (ut aliis placet) Taurinenſis, Alcuini quondam in fundatione Academiæ Pariſienſis collega, natione Scotus, in ſua Exegeſi in epiſtolam ad Galatas, in cap. 4. in illa Apoſtoli verba; [*Ut adoptionem filiorum recipiamus.*] Adoptionem (inquit) propterea dixit, ut diſtinctè intelligamus unicum Dei Filium. Nos enim beneficio & dignatione miſericordiæ ejus filii Dei ſumus. Ille naturâ eſt Filius, qui hoc eſt quod Pater. Item, illud autem quod ait, *ut adoptionem filiorum recipiamus*, refertur ad id quod dixit, *factum ex muliere*; Hinc enim adoptionem recipimus, quòd ille unicus non dedignatus eſt participationem naturæ noſtræ, factus ex muliere, ut non ſolùm unigenitus eſſet, ubi fratres non habet, ſed etiam primogenitus ex multis fratribus fieret.

Galat.4,5.

Gal.4,4.

20. Idem etiam in cap. 3. ejuſdem epiſtolæ, in illa verba; *quicunque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Per fidem (inquit) induendo Chriſtum, omnes filii fiunt, non naturâ, ſicut unicus Filius, qui etiam Sapientia Dei eſt; neque potentiâ & ſingularitate ſuſceptionis, ad habendam naturaliter & agendam perſonam Sapientiæ, ſicut ipſe Mediator unum cum ipſa ſuſcipiente Sapientiâ ſine interpoſitione alicujus Mediatoris effectus: ſed filii ſunt participatione Sapientiæ, id eſt, præparante atque præſtante Mediatoris fide, quam fidei gratiam nunc indumentum vocat, ut Chriſtum induti ſunt, qui in eum crediderunt: & ideo filii Dei, fratreſque ejus Mediatoris effecti ſunt. Hæc Claudius, tom. 1. Bibliothecæ Patrum, edit. 4. ubi gratiam unionis vocat potentiam & ſingularitatem ſuſceptionis ad habendam naturaliter & agendam perſonam Sapientiæ.

Gal.3, 27.

Diſt. Proprietas. Adoptio.

21. Paulinus Aquilejenſis, lib. 2. contra Felicem Urgelitanum; In nobis (inquit) eſt perſona adoptionis, non in Filio Dei: quia, ſingulariter ille unus homo, ex Deo conceptus, & in Deum aſſumptus, habet proprietatem Filium Dei eſſe, quod omnes ſancti habent per adoptionem gratiæ Dei. Hæc Paulinus.

22. Oecumenius, Comment. in cap. 8. Epiſt. ad Rom. κατὰ μὲν τὴν οἰκονομίαν, σύμμορφοι καὶ ἀδελφοὶ αὐτοῦ οἱ ἄνθρωποι. κατὰ δὲ τὴν θεότητα μονογενής ἐστι. *id eſt*, Nam ſecundùm incarnationis diſpenſationem conformes & fratres ipſius ſunt homines; ſecundùm Divinitatem autem eſt unigenitus.

23. Alexander Alenſis in ſua ſumma Theologica, part. 3. quæſt. 10. membro 6. art. 1. Sicut (inquit) cùm dicitur principium reſpectu Filii, & reſpectu creaturæ, ratio principii ex parte ejus, quod eſt principium, non mutatur; ſed ex parte illorum ad quæ dicitur principium, unde non eſt dicere plura principia: Simili modo, cùm dicitur Pater Filii, & Pater noſter, non eſt differentia paternitatis ex parte ejus qui dicitur Pater, ſecundùm rem, ſed tantùm ſecundùm modum; ſed ex parte eorum, ad quos dicitur Pater. ſicut cùm dicitur principium Filii, dicitur perſonaliter; cùm verò dicitur principium creaturæ, dicitur eſſentialiter: ſimiliter cùm dicitur Pater Filii, dicitur perſonaliter: cùm dicitur Pater creaturæ, dicitur eſſentialiter; Nec eſt ibi differentia ſecundùm rem, ſed tantùm ſecundùm modum. Item eodem membro, art. 2. *Pater noſter* dicitur communiter de tribus perſonis. Ratio Paternitatis, quâ dicitur *Pater noſter*, convenit toti Trinitati. Hæc Alenſis.

Diſt. Perſonaliter. Eſſentialiter.

24. Dicendum, (inquit Bonaventura,) quòd abſque dubio filiatio per adoptionem competit nobis reſpectu totius Trinitatis, à qua ſumus creati, & recreati: & ſic competit nobis reſpectu Chriſti: unde Chriſtus poteſt dici Pater noſter. Sicut enim in Divinis nomen *principii* accipitur eſſentialiter, utpote cùm dicitur reſpectu creaturæ, accipitur etiam notionaliter, cùm dicitur reſpectu perſonæ: ſic nomen *Patris*, ſi dicatur reſpectu perſonæ, dicitur perſonaliter, ſi verò dicatur reſpectu rationalis creaturæ, eſſentialiter dicitur. Unde, ſicut Pater & Filius & Spiritus Sanctus ſunt unum principium creaturæ, ratione productionis naturæ: ſic ſunt unus Pater, ratione collationis gratiæ. Et ſic adoptio ad totam Trinitatem ſpectat. Ejuſdem ſumus filii nos & Chriſtus, ſcilicet Patris æterni, ex quo omnis Paternitas in cœlo & in terra nominatur: non tamen illius ſolius; quia aliter ſumus nos filii, aliter Chriſtus. Chriſtus enim eſt Filius per generationem, quæ eſt actio perſonalis: nos autem per creationem & gratificationem, quæ eſt actio eſſentialis. Et quoniam Pater communicat toti Trinitati, ideo non ſequitur; quòd ſi ejuſdem ſumus filii, cujus eſt Chriſtus, quòd nullus alterius. Verum eſt tamen, quod Paternitas ipſi perſonæ Patris appropriatur, ſecundùm quod dicitur, reſpectu noſtri. Etſi Chriſtus & Spiritus Sanctus dicuntur eſſe Pater noſter per adoptionem, non tamen ſunt alius & alius Pater: imò tota Trinitas eſt unus Pater noſter, quamvis una ſola perſona ſit Pater Chriſti. Chriſtus eſt Pater noſter, ſecundùm divinam naturam; & eſt frater noſter, ſecundùm humanam naturam. Hoc autem non facit confuſionem proprietatum, nec relationum; quia nec Paternitas illa, nec fraternitas proprietates perſonales important. Hæc Bonaventura in 3. ſent. diſt. 10. art. 2. qu. 3.

Notionaliter.

CA-



## CAPUT TRIGESIMUM-PRIMUM.

### *De objecto doxologiæ & ſupplicationis Apoſtolicæ, 2. Cor. 1, 3. Epheſ. 1, 3. 17. & 3, 14.*

2.Cor.1,3. Epheſ.1,3. QUando Apoſtolus gratias agit Deo & Patri Domini noſtri Jeſu Chriſti, unâ eademque doxologiâ indiviſas agit gratias individuæ Trinitati, *Patri miſericordiarum & Deo omnis conſolationis, qui conſolatur nos in omni noſtra afflictione: qui etiam nos prædeſtinavit, omnique benedictione cumulat, & omnia operatur, ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.* Et quando invocat Apoſtolus *Deum Domini noſtri Ieſu Chriſti, Patrem gloriæ, ut det nobis ſpiritum ſapientiæ*; manifeſtè invocatur tota Trinitas, quæ eſt Deus Domini noſtri Jeſu Chriſti. Et alio loco, *genua flectens Patri Domini noſtri Ieſu Chriſti*, eidem ſupplicat inſeparabili Trinitati *Deo qui donat nobis, ſecundùm divitias gloriæ ſuæ, virtute corroborari per Spiritum, & habere Chriſtum habitantem in cordibus noſtris per fidem, & impleri in omnem plenitudinem Dei.* Nominatur quidem Pater perſona Paterna; ſed eo ipſo intelligitur Filius ὁμοούσιος, ſine quo non eſt Pater: neque excluditur Spiritus Sanctus.

Epheſ.1, 17.

Epheſ.3, 14.

2. Ὁ τὸν Θεὸν πατέρα λέγων, εὐθὺς ἐν αὐτῷ καὶ τὸν υἱὸν σημαίνει, inquit Athanaſ., lib. de Nicænæ ſynodi decretis contra hæreſin Arianam. id eſt: Qui Deum Patrem dicit, ſtatim in ipſo & Filium innuit.

3. Baſilius ait: Τριάδα μὲν ἡ τῶν τριῶν ὀνομάτων παράληψις ἐξαριθμεῖ, καὶ τῆς Τριάδος ἔχει τὴν ἕνωσιν ἡ καθ' ἓν ὄνομα δήλωσις. *id eſt*: Trium enim nominum acceptio Trinitatem enumerat, & Trinitatis unionem habet unius cujuſlibet nominis ſignificatio. Hæc Baſilius, lib. 5. contra Eunomium, cap. quod niſi Spiritum ex Deo quis dicat, nec Verbum.

4. In eandem ſententiam Gregorius Nyſſenus, lib. 1. contra Eunomium, editionis Gretſerianæ: ἡ τοῦ μονογενοῦς ὑπόστασις διὰ τῆς τοῦ Πατρὸς προσηγορίας γνωρίζεται καὶ συνυπακούεται, *id eſt*, Unigeniti perſona per Patris appellationem notificatur & ſimul intelligitur. Idem etiam Nyſſenus, oratione primâ contra Eunomium, in editione Pariſienſ. ann. Dom. 1615. ait: ἡ τοῦ Πατρὸς κλῆσις τῇ σχετικῇ διανοίᾳ καὶ τὸν υἱὸν μεθ' ἑαυτῆς συνενδείκνυται, *id eſt*: Patris appellatio relativâ notitiâ ſecum Filium etiam ſimul demonſtrat.

5. Cyrillus Hieroſolymitanus, Catech. 7. πατέρα τὸν Θεὸν ὀνομάζομεν, ἵνα ἅμα τῷ νοεῖν πατέρα, νοήσωμεν καὶ τὸν υἱόν· υἱοῦ γὰρ καὶ πατρὸς οὐδὲν ἐστι μεταξὺ τὸ ὄν, *id eſt*: Patrem nominavimus Deum, ut ſimul atque cognoverimus Patrem, noſcamus & Filium: nam inter Patrem & Filium nihil eſt medium quod exſiſtat.

6. Cyrillus Alexandrinus, lib. de rectâ fide ad Theodoſium Imperatorem, cap. 13. ὁ ὁμολογῶν τὸν υἱόν, καὶ τὸν πατέρα ἔχει. ἄμφω γὰρ καὶ δι' ἀμφοῖν, καὶ ἕτερος ἐν ἑτέρῳ, πρός γε ἡμῶν αὐτῶν, καὶ τῶν ἁγίων ἀγγέλων ἐπιγινώσκονται, *id eſt*: Qui confitetur Filium, & Patrem habet: uterque enim eſt per utrumque; & uterque cùm ab Angelis ſanctis, tum à nobis ipſis, alter in altero eſſe agnoſcitur. Pater & Filius & Spiritus Sanctus φιλαλλήλους καὶ ἀλληλενδέτους καὶ τὰς ἰδικὰς προσηγορίας ἔχουσι, *id eſt*: mutuò ſe reſpicientes & inter ſe devinctas & proprias appellationes habent: nominato enim Patre, ſignificatur etiam Filius. Ut rectè cum reliqua orthodoxa antiquitate obſervavit Anaſtaſius Sinaita, lib. de creatione hominis ad imaginem Dei.

7. Fides Apoſtolica (inquit Hilarius,) confitendo Patrem confeſſa Filium eſt: credens in Filium, credidit & in Patrem; quia & nomen Patris habet in ſe Filii nomen. non enim niſi per Filium Pater eſt: & ſignificatio Filii, demonſtratio Patris eſt; quia non niſi ex Patre ſit Filius. In unius itaque confeſſione non unus eſt, dum & Patrem conſummat Filius, & Filii ex Patre nativitas eſt. Hæc Hilarius Pictavienſis, lib. 7. de Trinitate.

8. Neque à Patre Filioque ſeparatur Spiritus Sanctus, quem Apoſtolus, loco epiſtolæ ad Epheſios proximè citato, vocat *Spiritum Patris Domini noſtri Ieſu Chriſti*; ut intelligas ipſum etiam Spiritum cum Patre Filioque inſeparabiliter invocari, cùm ſit Spiritus Dei, Spiritus inquam οὐκ ἀνυπόστατος, ἀλλ' ἐνυπόστατος, ut Græci loquuntur, *id eſt*, non ſine ſubſiſtentia, ſed in ſua perſonâ ſubſiſtens: qui non de materia, neque de nihilo eſt, ſicut creaturæ; ſed Deus ex Deo procedens in unitate ejuſdem eſſentiæ. ſicut de Filio argumentatur Auguſtinus, lib. 3. contra Maximinum Arianum, cap. 14. ἐν τῷ λόγῳ τὸ πνεῦμα, τῆς ἑνώσεως τῆς κατὰ τὴν θεότητα μὴ διαιρουμένης. *id eſt*; In Verbo Spiritus eſt, cùm unio ſecundùm Deitatem non dividatur. inquit Baſilius, lib. 5. contra Eunomium, ubi ſuprà. Qui Deus Trinitas poteſt omnia facere ſupra ea quæ petimus aut cogitamus, pro illa potentiâ agente in nobis. Eidemque Trinitati gloria tribuitur in Eccleſia per Jeſum Chriſtum, in omnes generationes ſeculi ſeculorum; Præeunte Apoſtolo in fine illius capitis 3. ad Epheſios. Vide plura doctrinam hujus capitis confirmantia, ſuprà cap. 20.

Epheſ.3, 16.

## CAPUT TRIGESIMUM-SECUNDUM.

### *De ſalutatione Apoſtolis uſitatâ initio epiſtolarum, & quibuſdam aliis ſimilibus dictis.*

Epheſ.1,2. IN illa ſalutatione Apoſtolicâ, [*Gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto*, Epheſ. 1, 2.] & in illa precatione; *pax fratribus & charitas cum Fide, à Deo Patre, & Domino Ieſu Chriſto.* Epheſ. 6, 23. *Pater noſter* eſt ſancta & inſeparabilis Trinitas, quæ eſt Pater noſter adoptione. Si autem vocabulum *Patris* accipiamus perſonaliter, Epheſ. 6, 23. & 2. Tim. 1, 2. ubi non additur ἡμῶν noſtro, tunc dicendum eſt; nominari Patrem, non excludendo Filium & Spiritum Sanctum: cùm tota Trinitas ſit unus indiviſus auctor gratiæ & pacis, &c. Additur autem nomen *Domini Ieſu Chriſti*, tum ut doceamur eum eſſe unam ex illa inſeparabili Trinitate

Epheſ.6, 23.

2. Tim. 1, 2.

te perſonam, Deum verum, qui ſimul adoratur, invocatur, & exaudit cum Patre: tum etiam ut memores reddamur, preces noſtras eſſe Deo acceptas in Ieſu Chriſto.

2. Thess. 2, 16. 2. Eadem ratio illius precationis, ubi præmittitur nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, 2. Theſſ. 2, 16. *Ipſe verò Dominus noſter Ieſus Chriſtus, & Deus & Pater noſter, qui dilexit nos, & dedit conſolationem æternam, & ſpem bonam in gratia, conſoletur corda veſtra, & ſtabiliat vos in omni ſermone & opere bono.* Ubi ſive dicas præmitti nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, propter rationes modò commemoratas, ſive Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum vocari hoc loco & Deum & Patrem noſtrum, nulla cogitanda eſt ſeparatio Trinitatis, quæ ſemper unum eſt indiviſum objectum legitimæ invocationis Dei, ſive unius perſonæ vocabulum, ſive plurium vocabula, ſive commune aliquod trium proferatur.

Apoc. 5, 13. Esai. 6, 1. Ioan. 12, 41. & Act. 28, 25. 3. Idem ſentiendum de illa glorificatione, *ſedenti ſuper thronum & Agno.* Apocal. 5, 13. Trinitas enim ſedet in Throno, ut ex ſacris literis demonſtrat Athanaſius, lib. de communi eſſentia Patris & Filii & Spiritûs Sancti. Idem quoque orat. 2. contra Arianos, τὴν γὰρ τοῦ Πατρὸς βασιλείαν βασιλεύων ὁ υἱὸς, ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ θρόνου τῷ πατρὶ κάθηται. *id eſt*, Filius enim regnum Patris regnans, in eodem throno cum Patre ſedet. Et Gregorius Nazianzenus, Orat. 26. Spiritum Sanctum τὸ πνεῦμα ἅγιον oſtendit eſſe Patri Filioque ὁμοφυὲς καὶ σύνθρονον, καὶ ὁμόδοξον, καὶ ὁμότιμον, *id eſt*: ejuſdem naturæ, ejuſdemque ſeſſorem throni: eandemque eſſe gloriam & eundem honorem Spiritûs Sancti cum Patre Filioque.

Apoc. 22, 3. 4. Primaſius, Comment. in cap. 22. Apocal. verſ. 3. in illa verba: [*Thronus Dei & Agni in ea erit.*] Non dixit *erunt*, neque *throni*. Ubi enim unitas eſt naturalis & indifferens; gloriam Deitatis ibi maximè commendari oportuit, unus thronus indiviſibilis ſeſſionis; qui nec Arianæ pravitatis aſtu dividi, nec Sabellianæ vanitatis poſſit ſuſpicione confundi. Hæc Primaſius.

5. In liturgia Chryſoſtomi, diaconus dicit: Ἐν τάφῳ σωματικῶς, ἐν ᾅδου δὲ μετὰ ψυχῆς ὡς Θεὸς, ἐν παραδείσῳ δὲ μετὰ λῃστοῦ, καὶ ἐν θρόνῳ ὑπῆρχες Χριστὲ μετὰ Πατρὸς καὶ Πνεύματος, πάντα πληρῶν ὁ ἀπερίγραπτος. *id eſt*: In ſepulchro corporaliter, in inferno autem cum animâ, ut Deus: in Paradiſo autem cum latrone; & in throno fuiſti Chriſte cum Patre & Spiritu, omnia implens, qui circumſcribi non potes.

6. Cyrillus Alexandrinus, in Proſphonetico priore ad religioſiſſimas Reginas, cap. 3. in parte primâ Concilii Epheſini. De Domino noſtro Jeſu Chriſto ait; quod ſit σύνεδρός τε καὶ ἰσοκλεὴς τῷ ἰδίῳ γεννήτορι, eandem obtinens ſedem & gloriam cum ſuo proprio genitore.

1. Cor. 8, 6. 7. In eandem ſententiam Epiphanius exponit verba illa Apoſtoli: *Unus Deus, ex quo omnia, & unus Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia.* Cùm enim (inquit) Filium Dominum appellet, neutiquam negavit Apoſtolus eundem Dominum eſſe & Deum [ὁ πάντως ἠρνήσατο τὸ εἶναι τὸν κύριον καὶ θεὸν] ſimiliter quod dixit, *unus Deus per quem omnia*, non negavit eundem Deum eſſe etiam Dominum [οὐκ ἠρνήσατο τὸ εἶναι τὸν θεὸν καὶ κύριον]; ſimul enim & Dominus & Deus, & Deus & Dominus. Epiphan. hæreſ. 76. §. 9.

8. Neque aliud unius orationis objectum eſt in verbis illis Ioannis Apoſtoli, quibus electæ Dominæ ejuſque liberis adprecatur *gratiam, miſericordiam & pacem, à Deo Patre & à Domino Ieſu Chriſto Filio Patris*, [παρὰ Θεοῦ πατρὸς καὶ παρὰ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ υἱοῦ τοῦ πατρός.] Ubi nominatur Pater & Filius, cum quibus συνυπακούεται, ſimul intelligitur Spiritus Sanctus, à Patre Filioque inſeparabilis. Sic etiam in verbis Pauli Apoſtoli, 2. Tim. 1, 2. *Gratia, miſericordia, pax, à Deo Patre & Chriſto Ieſu Domino noſtro.* 2. Ioan. 3. 2. Tim. 1, 2.

9. Athanaſius, orat. 4. contra Arianos, ante medium: Dante Patre gratiam & pacem, eandem Filius dat, [διδόντος τοῦ Πατρὸς χάριν καὶ εἰρήνην, τὴν αὐτὴν ὁ Υἱὸς δίδωσι.] ut Paulus indicat in epiſtolis, ſcribens: *Gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro & Domino Ieſu Chriſto.* Rom. 1, 7. Una enim atque eadem gratia eſt à Patre in Filio: [μία γὰρ ἡ αὐτὴ χάρις ἐστὶ παρὰ τοῦ Πατρὸς ἐν υἱῷ] ſicut una lux eſt Solis & jubaris. Idem ruſus bene precans Theſſalonicenſibus, ait: *Ipſe autem Deus & Pater noſter & Dominus Ieſus Chriſtus dirigat viam noſtram ad vos.* 1. Theſſ. 3, 11. Ubi unitatem [τὴν ἑνότητα] Patris & Filii conſervavit. Non enim dixit, *dirigant* [κατευθύνοιεν] quaſi à duobus id donaretur, duplexque gratia eſſet; ſed, *dirigat*, [κατευθύναι,] ut oſtenderet Patrem per Filium eam gratiam largiri [ἐν ὁ Πατὴρ διὰ τοῦ Υἱοῦ διδοὺς ταύτην.] ——— Nunc autem talis donatio [ἡ τοιαύτη δόσις] demonſtrat unitatem Patris & Filii. Nunquam enim quiſquam precaretur accipere à Deo & ab Angelis, vel ab aliqua creaturarum. Neque diceret quiſquam, *Det tibi Deus & Angelus*, [οὐκ ἂν γοῦν εὔξαιτό τις λαβεῖν παρὰ τοῦ πατρὸς καὶ τῶν ἀγγέλων, ἢ παρά τινος τῶν ἄλλων κτισμάτων. οὐδ᾽ ἂν εἴποι τις, δῴη σοι ὁ Θεὸς καὶ ὁ ἄγγελος.] Sed à Patre & Filio, propter unitatem uniformemque rationem dandi [τὴν ἑνότητα δόσεως.] Nam per Filium dat ea quæ dantur. Neque eſt quicquam, quod non per Filium Pater operetur. [οὐδὲν δέ ἐστιν, ὃ μὴ διὰ τοῦ υἱοῦ ὁ πατὴρ ἐργάζεται.] Ita enim qui accipit, tutam & certam gratiam adipiſcitur. Iam cùm Patriarcha Jacob in benedicendis nepotibus ſuis, Ephraim & Manaſſe, ad iſtum modum loquutus ſit; *Deus qui aluit me à pueritia mea uſque in hunc diem; Angelus qui liberavit me ex omnibus malis, benedicat pueris iſtis.* Gen. 48, 15. 16. Non aliquem Angelorum creatorum & qui naturâ Angeli erant, copulavit cum Creatore Deo, [οὐ τῶν κτισθέντων καὶ τὴν φύσιν ἀγγέλων ἕνα τινὰ συνῆψε τῷ κτίσαντι αὐτοὺς Θεῷ] neq; omiſſo nutritio ſuo Deo, ab Angelo benedictionem ſuis nepotibus poſtulavit. [οὐδὲ ἀφεὶς τὸν τρέφοντα αὐτὸν Θεὸν, παρ᾽ ἀγγέλου τὴν εὐλογίαν ᾔτει τοῖς ἐγγόνοις.] Sed cùm dicere dixerit, *qui liberavit me ex omnibus malis*, oſtendit; non ex creatis Angelis aliquem, ſed Verbum fuiſſe Dei, quem Patri in ſuis precibus conſociavit, per quem Deus liberat quos vult. Hunc enim magni conſilii Patris Angelum dici noverat, nec alium, niſi illum ipſum qui benedicit & liberat ex malis, ſuis verbis expreſſit. ——— Cùm autem non ſit alterius, quàm Dei, benedicere aut liberare, neque alius fuit qui liberavit Iacobum, quàm Dominus; Liberatorem autem ſuum Patriarcha invocaverit ſuper nepotes: clarum eſt, cum in precibus ſuis non copulaſſe alium cum Deo, quàm ipſius Verbum, [οὐδένα ἄλλον ἐν τῇ εὐχῇ συνῆπτε τῷ Θεῷ, ἢ τὸν τούτου Λόγον:] quem Angelum ideo nominavit, quia ſolus hic eſt qui Patrem revelat. Quod etiam ab Apoſtolo factitatum eſt, cùm inquit: *Gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro & Domino* Rom. 1, 7.

*Nunquam precaretur aliquis accipere à Deo & ab angelis, vel ab aliqua creaturarum.*



*Domino Ieſu Chriſto.* Hæc Athanaſius, loco citato.

Ioan. 17, 3. 10. Sic in Euangelio Joannis, cap. 17. verſ. 3. Chriſtus ait: *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum Deum &, quem miſiſti, Ieſum Chriſtum.* Ubi non ſeparat à vera Deitate ſeipſum aut Spiritum Sanctum; ſed, nominato Patre Deo vero, intelligit Trinitatem. *ut cognoſcant te ſolum verum Deum*: hoc dicit (inquit Epiphanius) οὐχ ὅτι οὐκ ἔστιν ὁ Υἱὸς ἀληθινὸς Θεὸς, ἀλλ᾽ ἵνα εἰς μίαν ἑνότητα ἀγάγῃ τὴν Τριάδος ὀνομασίαν, καὶ ἐκκλίνῃ τὴν διάνοιαν τῶν ἀνθρώπων ἀπὸ πολυθεΐας εἰς μίαν θεότητα. *id eſt*: Non, quòd Filius verus Deus minimè ſit; ſed ut Trinitatis nomen ad unam ducat unitatem, atque avertat hominum animos à Deorum multitudine ad unam Deitatem. Epiphan. hæreſ. 62. §. 7. Sic Chryſoſtomus Commentario in eum locum Euangelii, μόνον ἀληθινὸν Θεὸν, πρὸς ἀντιδιαστολὴν τῶν οὐκ ὄντων θεῶν φησὶ, καὶ γὰρ εἰς τὰ ἔθνη αὐτοὺς πέμπειν ἔμελλεν. *id eſt*: *ſolum verum Deum* dicit, ad differentiam eorum, qui non erant dii: etenim ad gentes erat miſſurus ipſos. Sic etiam exponunt Gregorius Nazianzenus, Orat. 36. & Baſilius magnus, lib. 4. & lib. 5. contra Eunomium: & Gregorius Nyſſenus, orat. 1. contra Eunomium, in editione Pariſienſi operum Gregorii Nyſſeni, anno Domini 1615. & Cæſarius, frater Gregorii Nazianzeni, dialogo. 1. reſponſ. ad interrogationem quartam. in Bibliothecâ Patrum, tomo 1. Græcolatin. pag. 551. editionis Pariſ. an. Dom. 1624.

11. Ambroſius, lib. 5. de fide, cap. 3. Ergo in ſolo vero Deo Patre, & Filium Dei ſolum verum ſecundùm Divinitatis intelligimus unitatem: & in Jeſu Chriſti nomine, quod ex Virgine natus accepit, incarnationis cognoſcimus ſacramentum. Hæc Ambroſius. vide ibi plura.

12. Auguſtinus, lib. 6. de Trinitate, capit. 9. duas adfert hujus dicti interpretationes: 1. Ut cognoſcamus non ſolum Trinitatem eſſe unum verum Deum; ſed etiam unamquamque perſonam divinam eſſe unum verum Deum: & ſimul Trinitatem non eſſe tres Deos, ſed unum verum Deum. 2. ſubaudiendo unum verum Deum, poſt illa verba, *& quem miſiſti Ieſum Chriſtum*; ut hæc ſit ſententia: Ut te & quem miſiſti Jeſum Chriſtum, cognoſcant unum verum Deum. Et addit, intelligi etiam Spiritum Sanctum. Hanc poſteriorem interpretationem opponit alibi Paſcentio Ariano, epiſt. 174. Vide quædam ex eodem Auguſt. ad illuſtrationem prioris expoſitionis conducentia, ſuprà, capite 5. §. 6. & infrà, cap. 33. §. 19.

## CAPUT TRIGESIMUM-TERTIUM.

### *Quod in Trinitate Deo ſit unitas & diſtinctio; non autem compoſitio, vel diviſio, vel diverſitas, vel differentia propriè dicta, vel diſcrepantia, vel diſſimilitudo: nec triplicitas, nec ſingularitas, aut ſolitudo, neque confuſio, &c.*

IN Trinitate Deo eſt diſtinctio, eſt τῶν προσώπων ἑτερότης, (ut loquitur Baſilius, homil. 27. contra Sabellianos) eſt & unitas, & in unitate Trinitas; ſed non eſt compoſitio, vel diviſio, vel diverſitas, vel differentia propriè dicta, (quamvis Græci quandam ſano ſenſu dicant διαφορὰν κατὰ τὸ τῆς ὑπάρξεως τρόπον) vel diſcrepantia, vel diſſimilitudo: nec eſt in Deo triplicitas, neque ſingularitas, vel ſolitudo, neque confuſio: neque ſingularem aut ſolitarium, aut unicum Deum dicimus, ſed unum: neque triplicem, ſed Trinum.

2. Autor expoſitionis fidei, quæ Juſtino martyri tribuitur: μονὰς γὰρ ἐν Τριάδι νοεῖται, καὶ Τριὰς ἐν μονάδι γνωρίζεται. *id eſt*: Unitas enim in Trinitate intelligitur, & Trinitas in Unitate innoteſcit.

3. Gregorius Nazianzenus, orat. 23. in laudem Heronis: δίδαξαι τοσοῦτον εἰδέναι μόνον, μονάδα ἐν τριάδι, καὶ τριάδα ἐν μονάδι προσκυνουμένην, παράδοξον ἔχουσαν καὶ τὴν διαίρεσιν, καὶ τὴν ἕνωσιν. *id eſt*: Doce hoc tantùm ſcire, Unitatem quæ in Trinitate, & Trinitatem quæ in Unitate adoratur, quæ admirandam habet tum diſtinctionem, tum unionem.

διαίρεσις. 4. Quamvis, juſto odio συναιρέσεως Sabellianæ, διαίρεσιν quandam dicant: attamen æquè juſto odio illius πονηρᾶς διαιρέσεως, (ut loquitur Nazianzenus, orat. 32. coram 150. Epiſcopis) quam perperam invehebat Arius, iidem aliique orthodoxi Patres διαίρεσιν & diviſionem ſubmoverunt à ſanctâ & individuâ Trinitate, omnemque partibilitatem & diverſitatem. διαιροῦντας γὰρ ἀδιαιρέτως, ἵν᾽ οὕτως εἴπω, καὶ συναπτομένους διῃρημένως. inquit Nazianzenus oratione 39.

5. Illa autem loquutio cavillis minus obnoxia videtur, quâ διάκρισιν dicunt; ſicut Latini diſtinctionem potiùs, quàm diviſionem. τὸ ἀγέννητον καὶ γεννητὸν καὶ ἐκπορευτὸν, οὐκ οὐσίας δηλωτικά, σημαντικὰ δὲ τῶν ὑποστάσεων ἐστίν· ἱκανὰ γὰρ ἡμῖν διακρῖναι τὰ πρόσωπα, καὶ τὴν πατρὸς, καὶ υἱοῦ, καὶ ἁγίου πνεύματος ἰδιάζουσαν ὑπόστασιν παραστῆσαι. *id eſt*: Ingenitum & Genitum & Procedens, non declarant eſſentiam; ſed ſubſiſtentias ſignificant: nam idonea ſunt ad diſtinguendum perſonas, & ad oſtendendum Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, propriam cujuſque ſubſiſtentiam, inquit autor expoſitionis fidei, quæ ſub Juſtini martyris nomine circumfertur. τὸ διάκρισις.

Diſtinctio. ἑνωμένως, διακεκριμένως. 6. Quædam traduntur de Deo in ſacris literis ἡνωμένως, id eſt, ſignificantia unitatem: quædam autem διακεκριμένως, id eſt, ſignificantia diſtinctionem: καὶ οὔτε τὰ ἡνωμένα διαιρεῖν θεμιτὸν, οὔτε τὰ διακεκριμένα συγχεῖν, id eſt: Neque unitatem importantia dividere fas eſt, neque diſtincta confundere. Ut rectè monet Dionyſius Areopagita, lib. de divinis nominibus, capite 2. ubi ἕνωσιν καὶ διάκρισιν exponit, exemplíſque illuſtrat. ἕνωσις καὶ διάκρισις.

Dionyſ. Areop. lib. de divinis nomin. cap. 1. 7. Eodem lib. de divinis nominibus plurimas tradit Dionyſius deſcriptiones ſeu appellationes Dei: ex quibus paucas ſubjiciam, huic Theoremati illuſtrando idoneas. Sic igitur deſcribitur Deus, capite 1. illius libri: ὁ αἴτιος τῶν ὄντων, ὁ ὑπὲρ ἀρχὴν ὤν, ὡς ἐνιαίως ἐν πᾶσιν ἑνο-

 τητος,

[illegible] Et capite ſecundo, [illegible]. Et initio capitis tertii, Deum vocat [illegible]. Et capite decimo tertio ait: [illegible]. Item: [illegible]

Cap. 2.
Cap. 3.
Cap. 13.

8. Nicæni Patres (teſte Athanaſio, lib. de Synodi Nicænæ decretis contra Arianos, poſt medium) dixerunt; Filium eſſe [illegible], id eſt, indiſſimilem per omnia Patri, & in ipſo eſſe indiviſibiliter. Quia (ut ibidem loquitur Athanaſius [illegible]. Et oratione ſecunda contra Arianos, ante medium, Athanaſius ait: [illegible]. Idem in ſuo ſymbolo paſſim recepto; Hæc (inquit) eſt Catholica fides. [illegible] ——— [illegible]. Idem Pater ſerm. in illud dictum, *Omnia mihi tradita ſunt à Patre*, &c. prope finem illius ſermonis: [illegible]. Et epiſt. ad Serapionem, contra eos qui dicunt Spiritum Sanctum eſſe creaturam, haud longè ante finem: [illegible]. Et poſtea, ſub finem illius epiſtolæ, [illegible]. Et lib. de communi eſſentia Patris & Filii & Spiritûs Sancti, cap. quod non tres Dii ſint: [illegible]

*Filius eſt patri per omnia [illegible] & eſt in Patre [illegible] non ſolùm [illegible], ſed etiam [illegible].*

9. Gregorius Thaumaturgus, in expoſitione fidei: [illegible] *id eſt*, Trinitas perfecta, quæ gloriâ & æternitate ac regno non dividitur, neque abalienatur.

10. Baſilius magnus, homil. 15. quæ eſt de fide: Attollens mentem ſuper omnem creaturam, [illegible], &c. [illegible]

11. Gregorius Nyſſenus, libro primo, contra Eunomium [editionis Gretſerianæ] ait; oportere [illegible] Et eodem lib. ſcribit; Spiritum Sanctum à Patre & Filio [illegible]. Item: [illegible]. Idem Gregorius Nyſſenus, oratione nona contra Eunomium [editionis Pariſienſis, anno Domini 1615.] docet; Deum eſſe naturâ ſimplicem, partium expertem, & incompoſitum, [illegible]. Idem, lib. de differentia eſſentiæ & hypoſtaſeos, ad Petrum fratrem ſuum: [illegible] *id eſt*: Ne mireris autem, ſi idem & adunatum & diſcretum eſſe dicimus, & quoddam, quaſi in ænigmate, mente concipimus novum & à communi opinione remotum, tum diſcrimen adunatum, tum diſcretam coadunationem.

12. Gregorius Nazianzenus, oratione vigeſima-quartâ in Ægyptiorum adventum: Pater & Filius & Spiritus Sanctus nec ita à ſe invicem diſtracti ſunt, ut naturâ ſcindantur; [illegible] neque ita in arctum redacti, ut in unam perſonam circumſcribantur: (illud enim furoris Ariani, hoc Sabellianæ impietatis eſt,) ſed magis unum ſunt quàm ea quæ omnino dividuntur, & copioſiora quàm ea quæ prorſus ſingularia ſunt, [illegible]. Et oratione trigeſimâ ſeptimâ: [illegible] *id eſt*: Hæc tria unum ſunt Deitate, & hoc unum tria proprietatibus: ut neque unum Sabellianum ſit, neque tria peſtiferæ hujus diviſionis, quæ nunc ab Arianis introducitur. Similia apud eum legimus oratione trigeſimâ nonâ in ſancta Lumina; ubi ait: Deum autem quando dico, [illegible], &c. Item oratione quadrageſimâ, in ſanctum baptiſma; [illegible] *id eſt*: non conor unum cogitare, quin trium fulgore mox circumfundar; nec tria conor diſcernere, quin ſubitò ad unum referar.

*Una & trina Lux.*

13. Idem, epiſtolâ ad Cledonium, quæ eſt oratio quinquageſima prima, contra Apollinariſtas; Atque (inquit) ut paucis rem complectar, aliud quidem atque aliud ſunt ea ex quibus Salvator; [illegible] Non tamen alius atque alius: [illegible] abſit! [illegible] Dico autem aliud atque aliud, contra ac ſe habet in Trinitate. Illic enim alius atque alius, ne perſonas confundamus: non autem aliud atque aliud; nam tria ſunt unum & idem, quoad divinitatem.

*Aliud & aliud in Chriſto.*

*Alius & alius in Trinitate. Vide lib. 2. cap. 7. §. 2.*

14. Epiphanius, hæreſi ſexageſimâ ſecundâ, paragrapho tertio: [illegible] Non introducimus deorum multitudinem; ſed Monarchiam prædicamus. In Monarchia autem prædicanda nequaquam aberramus; ſed Trinitatem confitemur, unitatem in Trinitate, & Trinitatem in unitate, unam Deitatem Patris, & Filii & Spiritûs Sancti. Subſiſtens eſt Pater, ſubſiſtens Filius, ſubſiſtens Spiritus Sanctus. Sed non confuſio quædam eſt Trinitas, uti Sabellius credidit: nec ab æternitate ſua gloriaque demutata: ut Arius vaniſſimè docuit. ſed Trinitas ſemper fuit Trinitas, neque unquam Trinitas acceſſionem capit, cùm una ſit Deitas, una dominatio, una glorificatio vel gloria celebranda. Attamen Trinitas numeratur, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: non ut idem atque unum tribus nominibus vocatum; ſed verè perfecta ſunt nomina, perfectæ perſonæ, nihil varium ac diverſum. Idem, eâdem hæreſ. 62. §. 7. unus Deus Pater & Filius & Spiritus Sanctus, [illegible] *id eſt*: non ut confuſio quædam Trinitas illa ſit, aut ab unitate ſua diviſa. Item hæreſ. 69. §. 44. [illegible] *id eſt*: nec eſt quicquam in Patre à Filio diverſum, aut in Filio à Spiritu Sancto diſcrepans. Idem etiam, in Ancorato, §. 7. [illegible]. Nec eſt coaleſcens quid Trinitas; nec eſt in ea quidpiam à propria ejus unitate diverſum vel ſejunctum.

*Monarchia.*



15. Zacharias Mitylenſis Epiſcopus, ſciſcitanti Philoſopho; quomodo eandem Trinitatem dicerent Chriſtiani & unitatem? reſpondit: [illegible] *id eſt*: Trinitatem dicimus eſſe in unitate, & unitatem eſſe in Trinitate: Quod perſonæ quidem tres ſint, una autem ſubſtantia. ut ipſe refert Zacharias in ſua diſputatione contra Philoſophos, de Mundi opificio.

*Trinitas in Unitate, & Unitas in Trinitate.*

16. Anaſtaſius Sinaita, lib. de hominis creatione ad imaginem Dei, enumerans multa [illegible], quæ in Trinitate piè dicuntur, in iis ponit [illegible] *id eſt*: Trinitatem perſonarum, naturæ unitatem, æqualitatem naturæ & æternitatis, & indiviſibilitatem. Et poſtea eodem lib. Una (inquit) & ſimilis eſt operatio Patris & Filii & Spiritûs Sancti, [illegible] unum robur, una potentia, una volitio, una ſententia. Quæcumque enim facit Pater, inſeparabilis eſt & ſimul agens etiam Filius: & quæcunque perficit Filius vel Spiritus Sanctus, ſimul & prorſus indiviſè operatur Pater. [illegible] Neque enim Filius ſine Patre ex ſeipſo & per ſeipſum quidquam agit: neque Pater ſeorſim ſine Filio & Spiritu: neque rurſus Spiritus ſine Filio & Patre quidquam efficit.

[illegible]

17. Hilarius lib. 7. de Trinitate, prope finem: Dominus dixit, cùm rogaretur ut oſtenderet Patrem; *Qui me vidit, vidit & Patrem.* Nec ſolitarium ſermo ſignificat, & indifferentem tamen naturam profeſſio docet. Viſum enim in Filio Patrem; nec ſingularis poteſt eſſe, nec diſparis. Per hunc ille viſus, neque non unum ſunt in ſacramenti profeſſione, neque unus, etenim cùm dicitur, *& Patrem*, excluſa eſt ſingularis atque unici intelligentia. Non itaque ipſe ſolitarius, nunc ſibi Filius eſt, nunc ſe ſibi profitetur in Patrem, & naturæ nomina infert, ceſſante naturâ. Alia hic verborum ſimplicitas eſt: nam & Pater Pater eſt, & Filius Filius eſt. Sed in his nominibus ac rebus nihil novum, nihil diverſum, nihilque peregrinum eſt ——— Naturam Dei non degenerat nativitas, dum non aliud aliquid quàm in Deum ex Deo Deus naſcitur. Dum nihil in his novum eſt, nihil alienum, nihil ſeparabile: dum in Patre & Filio credere duos Deos, impium eſt. Dum Patrem & Filium ſingularem Deum prædicare, ſacrilegum eſt: Dum Deum ex Deo quod in ſimilitudine generis unum ſint negare, blaſphemum eſt. ——— Cùm ait, *Verba quæ ego loquor vobis, non à me loquor*; non exemit perſonam, neque ſe Filium denegavit, nec naturam in ſe Paternæ virtutis abſcondit. Nam dum loquitur, ipſe in ſubſtantia manens loquitur. Dum autem non ab ſe loquitur, nativitatem in ſe Dei ex Deo Patre teſtatur ipſe, inſeparabilis ab eo atque indiſſimilis unitate naturæ. ——— Subjecit; *Sed Pater qui in me manet, ipſe facit opera ſua.* Manere in Filio Patrem, non eſt ſingularis atque unici. Operari verò per Filium Patrem, non eſt differentis aut exteri. Idem Hilarius, lib. 8. de Trinitate, paullò poſt principium libri; Uſque eò (inquit) jam ſermonem reſponſionis noſtræ extendimus, ut verum Deum Dei Filium, & indifferentis naturæ à Patre, eodem prædicationis noſtræ curſu doceremus: ita ut nec ſingularem Deum fides Eccleſiæ, nec duos Deos profiteretur; cùm nec nativitas Dei ſolitarium Deum ſineret, nec nativitas perfecta diverſarum naturarum nomina in Diis duobus admitteret. Hæc Hilarius Epiſcopus Pictavorum.

*Joan. 14. 9.*

*Non ſolitarius, non ſingularis, non unicus; ſed unus Deus.*

*Nihil diverſum.*

*Joan. 14. 10.*

*Indifferens atque indiſſimilis natura.*

*Ibidem.*

18. Ambroſius in ſymbol. Apoſt. capit. 10. Filius dicens, *Ego & Pater unum ſumus*. *Unum* dixit, propter naturam Deitatis: *ſumus*, propter perſonarum proprietates. Item lib. 1. de fide, capit. 2. Pater & Filius in divinitate unum ſunt, ubi nec ſubſtantiæ, nec voluntatis ulla eſt differentia. Namque aliter quomodo unum Deum dicemus? Diverſitas plures facit; unitas poteſtatis excludit numeri quantitatem. Et capit. 4. Et Patris & Filii unam imaginem, unam ſimilitudinem lego Geneſ. 1. Similitudo hæc non diverſitatis, ſed unitatis eſt. Et in ſymbolo Apoſtol. capit. 1. Æternitas eſt in Patre; ſpecies in imagine; virtus eſt in munere: Et hæc tamen tria unus eſt Deus, non in unius ſingularitate perſonæ, ſed in unius Trinitatis eſſentiâ. Unus eſt diligens eum, qui ab ipſo eſt: Unus eſt dilectus ab eo, à quo eſt: Una eſt dilectio utriuſque Spiritus Sanctus, idem

*Joan. 10. 30.*

*Nulla ſubſtantiæ nec voluntatis differentia, nulla diverſitas.*

*Non in unius ſingularitate perſonæ; ſed in unius Trinitatis eſſentiâ.*

idem tamen Deus. Et lib. 5. de fide, cap. 1. Non eſt unitas, ubi eſt diverſitas. ——— Evidens *Diſtinctio. Singularitas. Unitas.* eſt igitur, quia quod unius eſt ſubſtantiæ, ſeparari non poteſt; etiamſi non ſit ſingularitatis, ſed unitatis. Singularitatem hanc dico, quæ græcè μονότης dicitur. Singularitas ad perſonam pertinet; unitas ad naturam. Hæc Ambroſius.

*Unus Deus, non numeri, ſed univerſitatis vocabulo dicitur.* 19. Ruffinus in expoſitione ſymboli: Unum Deum, non intelligendum eſt unum numero dici, ſed univerſitate. Verbi gratiâ: Si quis dicat unum hominem, aut unum equum: hic unum pro numero poſuit; poteſt enim & alius homo eſſe & tertius, vel equus. Ubi autem alius vel tertius non poteſt jungi, unus ſi dicatur, non numeri, ſed univerſitatis eſt nomen. Ut ſi, exempli cauſâ, dicamus, unum Solem: hic unus ita dicitur, ut vel alius vel tertius addi non poſſit: unus eſt enim Sol. Multò magis ergo Deus, cùm unus dicitur; unus non numeri, ſed univerſitatis vocabulo nuncupatur, id eſt: qui propterea unus dicitur, quòd alius non ſit. Hæc Ruffinus.

20. Auguſtinus, lib. 5. de Trinitate, cap. 9. Tres utique ſunt; ideoque pluraliter dictum *Joan. 10, 30.* eſt: Ego & Pater unum ſumus. Non enim dixit, *unum eſt*; quod Sabelliani dicunt: ſed unum ſumus. Tamen cùm quæritur; quid tres? magnâ prorſus inopiâ humanum laborat eloquium. Dictum eſt tamen tres perſonæ: non ut illud diceretur; ſed, ne taceretur. Et lib. 7. de Trinitate, cap. 4. Tres ſubſtantias [ὑποστάσεις] ſive perſonas; quibus nominibus non diverſitatem intelligi voluit, ſed ſingularitatem noluit: ut non ſolùm ibi unitas intelligatur, ex eo quòd dicitur *una eſſentia*; ſed etiam Trinitas, ex eo *Vide ſupra, cap. 1. §. 8.* quòd dicuntur *tres ſubſtantiæ ſeu perſonæ*. Hæc Auguſtinus. Qui etiam monet (lib. 5. illius operis. cap. 9.) Latinos non audere dicere; tres ſubſtantias, ſed tres perſonas, unam ſubſtantiam: quia loquendi conſuetudo obtinuit, ut hoc intelligatur cùm dicimus *eſſentiam*, quod intelligitur cum dicimus *ſubſtantiam*. Et lib. 6. de Tri- *Non triplex.* nitate, cap. 7. ait: Nec, quoniam Trinitas eſt, ideo triplex putandus eſt. Alioqui minor erit Pater ſolus, aut Filius ſolus, quàm ſimul Pater & Filius. Quanquam non inveniatur, quomodo dici poſſit, aut Pater ſolus, aut Filius ſolus: cùm ſemper atque inſeparabiliter, & ille cum Filio ſit, & ille cum Patre: non, ut ambo ſint Pater, aut ambo Filius; ſed, quia ſemper in invicem, neuter ſolus. Quia verò dicimus & Deum ſolum ipſam Trinitatem, quamvis ſemper ſit cum ſpiritibus & animabus ſanctis; ſed ſolum dicimus quòd Deus eſt, quia non & illi cum illo Deus ſunt: ita ſolum Patrem dicimus Patrem; non, quia ſeparatur à Filio, ſed quia non ſimul ambo Pater ſunt. Et cap. 8. ibidem: Cùm itaque tantus eſt ſolus Pater, vel ſolus Filius, vel ſolus Spiritus Sanctus, quantus eſt ſimul Pater & Filius & Spiritus Sanctus, nullo modo triplex dicendus eſt. Hactenus Auguſtinus.

21. Fulgentius, lib. 2. ad Monimum, cap. 11. In illa unâ ſubſtantiâ Trinitatis, unitas eſt in origine, æqualitas in prole; in charitate autem unitatis æqualitatiſque communio; nulla eſt diviſio illius unitatis, nulla diverſitas illius æqualitatis, nullum faſtidium illius charitatis: ibi enim nihil diſcrepat; quia æqualitas chara & una, & unitas æqualis & chara, & charitas æqualis atque una, naturaliter & incommutabiliter perſeverat. Quia ex ipſa (ſi dicendum eſt) communione Spiritûs Sancti, charitas una demonſtratur Patris & Filii. Quam communionem beatus Apoſtolus tali ſermone commendat: *Gratia Domini Ieſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio Spiritûs Sancti ſit cum omnibus vobis.* *2. Cor. 13. ult. vide ſupra, aph. 28.* ——— Fidei veritas nullam credit in Trinitate diſtantiam. Item lib. 3. ad Traſimundum, *Pater alterum genuit, non diverſum.* cap. 6. In illo ſempiternæ nativitatis arcano ſempiternus atque incommutabilis Pater alterum genuit, non diverſum. Et libro reſponſionum ad objectiones Arianorum, Reſponſione ad objectionem decimam: Nullis fraudibus aut propriis aut alienis decipitur, qui Deum unum ſic colit, ut in Trinitate noverit nec perſonas confundere, nec ſubſtantiam ſeparare. Et illam unam naturam unum Deum intelligit, in qua æternitatem veræ Divinitatis agnoſcit. ——— In Patre ergo & Filio & Spiritu Sancto unitatem ſubſtantiæ accipimus; perſonas confundere non audemus. Beatus enim Ioannes Apoſtolus teſtatur, dicens: *Tres ſunt, qui teſtimonium perhibent in cælo: Pater, Verbum, & Spiritus: & hi tres unum ſunt.* *1. Joan. 5. 7.* Quod etiam beatiſſimus martyr Cyprianus, in epiſtola de unitate Eccleſiæ, confitetur, dicens: Qui pacem Chriſti & concordiam rumpit, adverſus Chriſtum facit, qui alibi præter Eccleſiam colligit, Chriſti Eccleſiam ſpargit. Atque ut unam Eccleſiam unius Dei eſſe monſtraret, hæc confeſtim teſtimonia de Scripturis inſeruit; dicit Dominus, *ego & Pater unum ſumus*. Et iterum: De Patre & Filio & Spiritu Sancto ſcriptum eſt: *& tres unum ſunt.* Nam & in libro de oratione Dominicâ, ut oſtenderet Trinitatem unius Deitatis eſſe, nec inter ſe aliquam diverſitatem habere; Danielem, & tres pueros, ternarum horarum circulis revolutis, orationem fundere ſolitos memoravit. Ubi & in trium horarum curriculo, & in unius orationis officio, unum Deum eſſe Trinitatem, evidenter oſtendit. Non ergo ex tribus partibus unum colimus Deum, ſed Apoſtolicæ fidei regulam retinentes, &c. Hæc Fulgentius.

22. Petrus Lombardus, 1. ſent. diſtinct. 25. 1. ibi nulla penitus eſt diverſitas; ſicut nec ſingularitas vel ſolitudo; ſed unitas & Trinitas.

23. *Objectio.* Richardus de Sancto Victore, ait: Ubi nulla differentia, nulla pluralitas eſſe poteſt: ubi autem eſt ſummè ſimplex, nulla poteſt eſſe differentia. ergo nulla pluralitas perſonarum. lib. 2. de Trinit. cap. 19. *Objectio.*

*Alia objectio.* Boethius ait, (lib. 1. de Trinitate:) Deus nullas habet differentias: ubi autem differentiæ abſunt, abeſt & pluralitas. *Alia objectio.*

Ad has duas objectiones ſic reſpondet Alexander Alenſis, in ſua ſumma Theologiæ, *Reſponſio ad has duas objectiones.* part. 1. quæſt. 14. membro 5. Dicendum (inquit,) quòd triplex eſt differentia: ſcilicet *differentia ſecundùm ſubſtantiam, differentia ſecundùm accidens, differentia ſecundùm originem ſive ſecundùm relationem.* *Differentia.* In Deo non eſt differentia ſecundùm ſubſtantiam, nec ſecundùm accidens; ſed ſolùm *ſecundùm originem*, quæ ſimplicitati Divinæ eſſentiæ non derogat. Et hanc fuiſſe mentem Boëthii & Richardi; docet ibidem Alenſis. Qui etiam alibi in eadem ſumma (videlicet part. 1. quæſtione 65. membro 1.) excludit à Divinis hæc nomina disjunctiva: *diverſitas*, vel *diverſum*, *diviſio* vel



*Solitudo. Singularitas.* *ſeparatio, ſingularitas* vel *ſolitudo*. Et ait; *ſolitudinem* dicere negationem multarum perſonarum: *ſingularitatem* autem exponit individuitatem per accidentia, ſive plurium excluſionem: & *diverſitatem* interpretatur differentiam in ſubſtantia, vel ſecundùm ſubſtantiam, ſecundùm quod *Diverſitas. Diſtinctio ſive diſcretio.* dicitur eſſentia: *diſtinctionem* verò, ſive *diſcretionem* interpretatur differentiam in ſubſtantia ſecundùm quod perſona.

24. Thomas Aquinas, part. 1. quæſt. 31. art. 2. Ad evitandum (inquit) errorem Arii, vitare debemus in divinis, nomen *diverſitatis* & *differentiæ*, ne tollatur unitas eſſentiæ. Poſſumus autem uti nomine *diſtinctionis*, propter oppoſitionem relativam. Unde ſicubi in aliqua ſcriptura authentica diverſitas vel differentia perſonarum invenitur, ſumitur diverſitas vel differentia, pro *diſtinctione*. Ne autem tollatur ſimplicitas divinæ eſſentiæ; vitandum eſt nomen *ſeparationis* & *diviſionis*, quæ eſt totius in partes. Ne autem tollatur æqualitas, vitandum eſt nomen *diſparitatis*. Ne verò tollatur ſimilitudo; vitandum eſt nomen *alieni* & *diſcrepantiæ*. Ad vitandum verò errorem Sabellii, vitare debemus *ſingularitatem*, ne tollatur communicabilitas eſſentiæ divinæ, debemus etiam vitare nomen *unici*, ne tollatur numerus perſonarum: dicimus tamen unicum Filium; quia non ſunt plures filii in Divinis: neque tamen dicimus unicum Deum; quia pluribus Deitas eſt communis. Vitamus etiam nomen *confuſi*; ne tollatur ordo naturæ à perſonis. Vitandum eſt etiam nomen *ſolitarii*; ne tollatur conſortium trium perſonarum. Hæc ibi Thomas, adjectis quibuſdam Hilarii & Ambroſii teſtimoniis.

### Lectori S.

Hæc ſunt, Chriſtiane Lector, quæ ex antiquitate Catholicâ, de ſummo hoc myſterio, duximus prælibanda; quibus in anteceſſum præcognitis, ſtudioſi ad uberiorem & pleniorem doctrinam capiendam accederent paratiores. Aliâ autem methodo de Deo diſſeruimus in aliis noſtris prælectionibus etiam publicis; quarum compendiariam & facilem ſynopſin, brevibus quibuſdam, eiſque haud obſcuris, theſibus comprehenſam, miſſâ interim prolixiore explicatione, duo iſta proximè ſequentia capita exhibebunt.

## CAPUT TRIGESIMUM-QUARTUM.

### *Theſes de natura Dei.*

*Theſis* 1. DEI *perfectio ac unitas naturalis*, in ſcriptura ſignificatur nomine illo Tetragrammato יהוה quod ſoli vero Deo proprium eſt, neque ulli alii tribuitur. Tremendum hoc & glorioſum nomen neque ſuperſtitioſè tacendum, neque temere uſurpandum eſt; propter ſummam reverentiam non literis, ſed Deo debitam. *Perſonarum pluralitas* in unitate Deitatis ſignificatur in V. Teſt. uno nomine *Elohim*, ubi de vero Deo dicitur, præſertim quando additur verbum vel epithetum plurale. In novo autem Teſtamento, diſtinctis vocabulis *Patris*, & *Filii*, & *Spiritûs Sancti*, multiſque luculentis teſtimoniis ſanctiſſima Trinitas clarius proponitur. Nos nunc inquirimus de natura unius Dei.

2. *Naturam* Dei, pro captu viatorum, declarat nobis ſacra ſcriptura per certa attributa eſſentialia, partim negativa, partim affirmativa: partim etiam, quoad rationem quandam formalem, *Attributa divina incommunicabilia.* analogicè (ſi fas ita loqui) ſeu in imagine quadam & ſimilitudine, communicabilia creaturis; partim incommunicabilia. Etſi univocè nullum ſit communicabile.

*1. Simplicitas.* 3. Primum attributum Dei eſſentiale eſt *Simplicitas*, ſeu, ut ita loquar, *incompoſitio* atque adeo *indiviſibilitas*. Primum, (inquam) quoad noſtrum conſiderandi modum; quamvis in Deo nihil ſit prius, aut poſterius. Deus eſt actus purus: neque ullo modo in ſe compoſitus eſt; neque cum ulla aliâ re compoſitionem propriè dictam ingreditur. Eſt enim Jehovah, ὁ ὤν, eſt maximè ſpiritualis naturæ: ex quibus & aliis Dei nominibus, quæ illi tribuuntur, evidenter demonſtrari poteſt Dei abſoluta ſimplicitas.

*De Anthropomorphitis vide cap. 14.* 4. Neque ex materia & formâ, neque ex partibus integrantibus, (ut ſomniabant inſani Anthropomorphitæ) neque ex ſubjecto & accidente, neque ex genere & differentiâ, neque ex actu & potentiâ, neque ex naturâ & ſuppoſito, neque ex eſſe & eſſentiâ [ἐκ τοῦ εἶναι καὶ τῆς οὐσίας,] neque ullâ prorſus compoſitione propriè dictâ compoſitus eſt Deus in ſe: neque cum ullâ re alia ingreditur compoſitionem.

5. Et quamvis Chriſtum veteres Catholici dixerint eſſe *perſonam compoſitam, propter unionem inconfuſam duarum naturarum in una perſona*; *Vid. lib. 3. cap. 21. §. 11. & ſeq.* ea tamen unio non facit compoſitionem propriè ac ſtrictè ſumtam: duarum enim naturarum compoſitio propriè & ſtrictè ſumta, facit unam ex duabus compoſitam naturam, qualis eſt compoſitio hominis ex anima & corpore, electri ex auro & argento, &c. & qualem in Chriſto unam ex Deitate & humanitate compoſitam naturam eſſe; falsò & impiè aſſerebant hæretici Monophyſitæ. at in mera unione non ſit una natura, ſed manent diſtinctæ naturæ: ut ſi annulo aureo ſmaragdum inſeras, ſit iſtic compoſitio quædam latè ſumta; propriè autem eſt unio. Deus unire ſibi poteſt naturam aliam, at cum ea compoſitionem propriè dictam non ingreditur.

6. Neque talis eſt hæc ineffabilis unio, qualis eſt ea unio quæ cernitur in creaturis: ex eis enim aggregatis conſtituitur totum quoddam collectivum, quod aliquo modo majus eſt qualibet unâ earum rerum, quæ aggregationem illam ingrediuntur, totumque illud conſtituunt. Nam totum eſt majus qualibet ſui parte. At in myſterio incarnationis, etiamſi facta ſit vera & ſemper duratura unio hypoſtatica, quâ Verbum caro factum eſt, & duæ diſtinctæ naturæ, nempe divina & humana, in una Filii perſonâ nunc inveniuntur, quam propterea perſonam compoſitam veteres orthodoxo ſenſu dixerunt; non licet tamen dicere *Deum Filium, aut Deitatem partem eſſe hujus perſonæ compoſitæ*: ſed dicendum eſt, *Deum Filium jam aſſumtâ ſervi formâ, nec amiſſâ Dei formâ, eſſe hanc perſonam compoſitam.* Nam Deus aut Deitas nullius rei pars eſſe poteſt; quia nihil Deo aut Deitate majus eſſe poteſt nec mole, nec virtute, nec dignitate, nec ullâ aliâ perfectione: totum autem majus eſt parte, & pars minor eſt ſuo toto; & (ut loquitur Scotus) omnis pars



poteſt

poteſt excedi, & parte totum eſt perfectius; contra rationem autem infiniti eſt, poſſe excedi, nihil eſt perfectius infinito: ergo Deus, qui infinitus eſt, Deitas quæ infinita eſt, non poteſt eſſe pars. Scot. in 1. ſent. diſt. 8. quæſt. 1. num. 5. & in 3. ſent. diſt. 1. quæſt. 1. num. 16. Aſſumtione humanitatis non augetur Deus: quia non eſt, quo creſcat divina perfectio; ut rectè monet Auguſt. l. 6. de Trin. c. 8. Eſt quidem per eam unionem ſublimata humanitas; at nullum Deo acceſſit incrementum: neque Filium aſſumta caro facit Patre aut Spiritu Sancto majorem; ſed eis manet quoad Deitatem æqualis, quoad humanitatem autem eſt minor Patre & minor Spiritu Sancto, & minor ſeipſo; nam exinanivit ſeipſum, formam ſervi accipiens, non minuens formam Dei. Illud (inquit Thomas) quod eſt perfectum in ſe, non unitur alteri ad acquirendam aliquam perfectionem; ſed ad communicandum: & ſic Deus homini uniri voluit; non propter ſe, quia non habet quo creſcat ejus perfectio, ſed propter hominem, cui ſubveniendum erat. Sicut etiam Deus eſt in omnibus per eſſentiam, præſentiam, & potentiam, ſuam bonitatem in omnibus diffundendo: ex quo tamen nihil ſibi accreſcit. Hæc Thomas, in 3. ſent. diſt. 1. quæſt. 1. ad 2.

7. Ex attributo ſimplicitatis, patet: *Attributa Dei eſſentialia neq; ab eſſentiâ divinâ, neque inter ſe realiter diſtingui. Et quamvis perſonæ realiter inter ſe ſeu à ſe invicem, diſtinguantur, eas tamen non eſſe partes Dei, neque ullam efficere in Deo compoſitionem: aut impedire ſimplicitatem.* Unde ait Auguſtinus: Hæc Trinitas unus eſt Deus: nec ideò non ſimplex, quia Trinitas. Neque enim propter hoc naturam iſtam boni ſimplicem dicimus, quia Pater in ea ſolus, aut ſolus Filius, aut ſolus Spiritus Sanctus. Non enim ſola eſt iſta nominis Trinitas ſine ſubſtantia perſonarum, ſicut Sabelliani hæretici putaverunt. Pater qui genuit ſimplex eſt, & Filius qui genitus eſt pariter ſimplex eſt: & hoc eſt illud de quo genitus eſt. Sed ideò ſimplex dicitur, quoniam quod habet, hoc eſt: excepto quod relativè quæque perſona ad alteram dicitur. Nam utique Pater habet Filium, nec tamen ipſe eſt Filius. Et Filius habet Patrem, nec tamen ipſe eſt Pater. In quo ergo ad ſeipſum dicitur, non ad alterum, hoc eſt quod habet: ſicut ad ſeipſum dicitur vivens, habendo utique vitam, & eadem vita ipſe eſt. Propter hoc itaque natura dicitur ſimplex, cui non ſit aliquid habere, quod vel poſſit amittere; vel aliud ſit habens, aliud quod habet: ſicut vas aliquem liquorem, aut corpus colorem, aut aër lucem ſive fervorem, aut anima ſapientiam: nihil enim horum eſt id, quod habet. Hæc Auguſtinus, lib. 11. de Civitate Dei, cap. 10. Vide 1. ſent. diſt. 8. & ſuprà, cap. 33.

*2. Inviſibilitas.*

8. Simplicitati adhæreſcit *inviſibilitas*. Deitas oculis corporeis cerni non poteſt. Cerni quidem poteſt oculis cordis, ſed diverſimodè: eſt enim quædam Dei viſio non conceſſa immundo cordi; eſt quædam Dei viſio negata miſeris, & ſolis conceſſa beatis. Præterea ne à puris quidem & beatis mentibus videri poteſt perfectè ſeu comprehendi ſecundum perfectionem viſi, etſi perfectè videri poteſt perfectione videntis, eâque inſatiabili.

*3. Perfectio & ſufficientia.*

9. Deus eſt *perfectiſſimus in ſe & ſibi ſufficiens*, neque ullâ aliâ re opus habet ad perfectam beatitudinem: neque lædi neque juvari à quoquam poteſt. Et potens eſt etiam ſine mediis, quamcunque vult, perfectionem conferre creaturæ. Neque eſt ulla extra Deum perfectio, niſi ab ipſo: neque ulla eſt in creaturis perfectio, cujus perfectionis perfectio θεοπρεπῶς unitè & eminenter in una ſimpliciſſimâ Dei eſſentiâ non contineatur. Vide Theſ. 6.

*4. Immutabilitas.*

10. Apud Deum non eſt tranſmutatio aut converſionis obumbratio. *Immutabilitas* tamen hæc non eſt ſaxea, ferrea, rigida, fatalis, implacabilis; ſed eſt divina, perfectiſſima, optima. Etſi Deus pœnitudine propriè dictâ non ducitur; pœnitudinis tamen perfectionem Deum decentem immutabiliter poſſidet, modo mortalibus ineffabili & incomprehenſibili. Ideo pœnitentiâ duci & mutari, dicitur loquutione metaphoricâ, propter pœnitentiæ & mutationis perfectionem θεοπρεπῶς in operibus ejus relucentem, in effectu, ſine mutatione in affectu.

*5. Æternitas.*

11. Deus utrinque *æternus* eſt, ſeu neceſſariò, immutabiliter, ſemper eſt, ſine principio durationis, ſine viciſſitudine, ſine fine.

*6. Immenſitas.*

12. Deus eſſentiâ *immenſus* eſt, & ubique præſens, ſine extenſione, ſine mixtione cum re ullâ, implens omnia, continens omnia, excedens omnia. Deus ſecundùm eſſentiam neque accedit neque recedit; ſed ſecundum quædam effecta & ſigna præſentiæ divinæ.

*Attributa divina communicabilia creaturis. 1. Vita.*

13. Deus vitam vivit perfectiſſimam, eſt incorruptibilis, & ſolus habet immortalitatem, in ſe & ex ſe, neceſſariò & eſſentialiter. Ipſe eſt αὐτοζωή. Reliqua viventia vivunt Dei beneficio & nutu.

*2. Intellectus.*

14. Deus uno ſimplici, æterno, & immutabili actu penitùs cognoſcit, & per ſuam eſſentiam perfectè intelligit omnia intelligibilia, ſeu quicquid unquam ſciri, intelligi, aut cognoſci poteſt. Etiam ſingularia, & internos cogitatus, minima quæque, præterita, præſentia, futura: neceſſaria, contingentia: bona, mala: certò eventura, ſimpliciter eventura, tantùm conditionaliter eventura, non eventura: poſſibilia, impoſſibilia, uno verbo, omnia.

*Scientiæ divinæ diſtinctio.*

15. Quamvis ſimpliciſſimè una ſit *ſcientia* in Deo: noſtro tamen concipiendi modo, quoad objecta externa, non ineptè à ſcholaſticis (1. ſent. diſt. 38. & Thom. 1. part. quæſt. 14. art. 8.) diſtinguitur in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & ſcientiam approbationis, & ſcientiam viſionis. Prima & tertia ſolam important notitiam; ſecunda includit etiam beneplacitum, & ſic eſt omnium rerum decretoria, partim effectivè, partim permiſſivè. Prima decretum antecedit, tertia præſupponit. Etſi ſcientia approbationis & ſcientia viſionis, ſecretâ conſideratione voluntatis, & ſolius notitiæ habitâ ratione, coincidunt. Ut maneat diſtinctio tantùm bimembris: in *ſcientiam ſimplicis intelligentiæ*, quæ ſcientia naturalis dicitur, quâ Deus novit omnia poſſibilia; & *ſcientiam viſionis*, quam vocant ſcientiam liberam & intuitivam, quâ ſolâ intuetur futura & præterita & præſentia. Utraque ſcientia reſpicit non ſolùm abſoluta objecta, ſed etiam conditionata, ſeu rerum connexiones, illa quidem poſſibiles, hæc futuras.

*De ſcientia media.*

16. Quidam Theologi mediam quandam prædicant ſcientiam conditionatorum, determinatam quidem, at hypotheticam, & decreto Dei antecedaneam. Eam nos de futuris peccatis haud gravatè concederemus, niſi quædam argumenta obſtarent. Neque tamen peccatum decreto Dei effectivo (cum Florinianis & Libertinis) acceptum referimus, ſed ſoli creaturæ peccanti, prævio

*De Florinianis & Libertinis vide cap. 17.*



vio tamen decreto Dei permiſſivo, ſine quo peccatum non erit; ac propterea ante aut præter illud decretum non poteſt præſciri ut certò futurum ex quacunque hypotheſi; quia præſuppoſitio decreti permiſſivi ab æterno determinati eſt hypotheſis ſine qua non eſt futurum, adeóque ſine qua ſciri non poteſt ut futurum, ſed tantùm ut poſſibile. (ſicut alia omnia poſſibilia, quæ ſunt objecta ſimplicis intelligentiæ) ſed poſito decreto divino permiſſivo, præſcitur ut futurum: præſcitur, inquam, ſcientiâ viſionis, connexionem permiſſam intuente. Propterea dixit Auguſtinus, non fit aliquid, niſi omnipotens fieri velit, vel ſinendo ut fiat, vel ipſe faciendo. Enchirid. cap. 95. Item: Nihil fit viſibiliter & ſenſibiliter, quod non de interiore inviſibili atq; intelligibili aulâ ſummi Imperatoris, aut jubeatur, aut permittatur. Lib. 3. de Trinit. cap. 4. Omnis igitur ſcientia futuri, ſive abſoluti ſive conditionati, præſupponit Dei decretum de ejus rei futuritione, ſive abſolutâ, ſive conditionatâ; adeóque eſt ſcientia viſionis.

*3. Voluntas.*

17. *Voluntas* in Deo non eſt potentia aut habitus ſine perfectione actûs, ſed eſt purus ac ſimplex actus ſemper exercitus ſive ſemper volens. Adeo ut, quamvis liberrima ſit Dei voluntas, non tamen poſſit ſimpliciter ſuſpendere actum volendi, ita ut ceſſet velle: talis enim libertas imperfectionem ſupponit, ac propterea Deo convenire non poteſt. Libertas autem voluntatis divinæ ad utrumlibet omnis eſt reſpectu quorundam terminorum ſive objectorum, quæ ſimpliciter poſſet velle, aut non velle: quia non habent connexionem naturaliter neceſſariam cum voluntate Dei.

18. Nulla voluntatis perfectio Deum decens deeſt voluntati divinæ. Voluntas enim divina eſt ipſa Dei eſſentia: adeóque naturaliter atque infallibiliter ſanctiſſima, juſtiſſima, optima, imò ipſa ſanctitas, juſtitia, bonitas. Omnis appetitus creati perfectio Deum decens adeſt voluntati divinæ: proinde ad voluntatem divinam pertinet perfectio θεοπρεπὴς amoris, odii, iræ, miſericordiæ, omniumque affectuum, & omnium virtutum moralium; ut juſtitiæ, clementiæ, fortitudinis, liberalitatis, &c.

19. Deus ſuaviſſimâ neceſſitate naturæ divinæ & delectatione ſeu complacentiâ neceſſariâ atque inſeparabili vult ſeipſum, vult ſuam gloriam. Aliam autem extra ſe bonitatem, etiam moralem, non neceſſariò vult, quantum ad exiſtentiam: at exiſtentem bonitatem moralem averſari non poteſt; ſed hypotheticâ neceſſitate eam vult & amplectitur, ut habentem nexum neceſſarium cum ſummo bono ſeu ſanctitate Dei, cum quâ omnis bonitas moralis actu exiſtens conjuncta eſt per ſimilitudinem, ut in imagine.

20. Omnis bonitatis moralis ſuprema regula æternaque lex eſt voluntas Dei. Et nihil eſt moraliter bonum, niſi quatenus conforme eſt divinæ voluntati, quæ eſt ipſa bonitas eſſentialis: adeò ut abſolutè ſine ulla injuſtitiâ à Deo, & quidem ſolo, dici poſſit, *ſic volo, ſic jubeo: ſtat pro ratione voluntas*.

21. Objectum voluntatis per ſe eſt bonum: neque poſſibile eſt, ut malum ſimpliciter ſub ratione mali appetatur ullo appetitu, ſive naturali, ſive animali, ſive intellectuali. Malum tamen appeti poteſt κατ' ἄλλο, ſub ratione boni, aut propter bonum cui adhæret. Et bene ſic appetitur, quando minus malum adhæreſcit majori bono, & non obſtante malo appetitur illud bonum: malè autem appetitur, quando minori bono adhæreſcit majus malum, & non obſtante malo majore appetitur minus illud bonum: id quod fit à peccantibus: malum enim morale, quod malorum eſt maximum, tantum eſt malum, ut nulli poſſit adhærere majori bono, propter quod appetendum ſit. Malum tamen phyſicum poteſt adhærere majori bono per ſe appetibili, propter quod bene (licet κατ' ἄλλο) appeti poteſt ipſum malum phyſicum, quod ſine culpa poteſt aliquis vel efficere vel ſuſtinere, propter majus adjunctum bonum. Hujuſmodi malum intelligitur, quando Dominus apud Eſaiam, 45. 6. dicit ſe creare malum. quem locum, contra hæreſin Colluthi, negantis *Dominum facere mala*, adducit & exponit Auguſt. hæreſ. 66.

*De Colluthio & Colluthianis vide cap. 32.*

22. Deus malum metaphyſicum nullo modo vult: neque quiſquam velle poteſt malum metaphyſicum, neque per ſe neque per accidens. Damnati nolunt eſſe, & volunt mutationem ſui ſtatûs: at non volunt non eſſe; nam velle nihil ſeu non eſſe, eſt non velle. Deus malum phyſicum vult propriè, licet non per ſe, ſed tantùm κατ' ἄλλο, propter majus adjunctum bonum. At malum morale ſeu peccatum Deus non vult propriè ullo modo, neque per ſe neque per aliud: non enim ejus auctor aut ſuaſor eſſe ullo modo poteſt, aut cupere ut ab alio fiat, aut facto delectari. Vult tamen permittere peccatum, non legali, ſed tantùm phyſicâ & ſupernaturali permiſſione, ſeu non-impeditione. Interim divina iſta permiſſio neque otioſa eſt, neque maligna.

23. Bona quędam vult Deus eſſe tantùm legaliter neceſſaria: quędam vult eſſe phyſicè aut ſupernaturaliter neceſſaria. Illa vult exigere; iſta vult etiam efficere, aut ut fiant efficaciter procurare.

24. Appetitio quidem & volitio divina ſemper eſt perfectiſſima, & per ſe, quoad actum volendi, qui non eſt in Deo varius, aut κατ' ἄλλο: quædam tamen objecta, quà talia, non ſunt per ſe appetibilia; quia non ſunt per ſe bona.

25. Optationes illæ & querelæ, quæ ἀνθρωποπαθῶς Deo, in ſacris literis, tribuuntur, non aliquam infirmitatem aut impotentiam important in Deo; ſed naturalem oſtendunt & ſerium Dei amorem, atq; immutabilem bonitatem, quâ amat juſtitiam & obedientiam ſibi à creatura debitam, & ſeriò vult creaturæ obedientis felicitatem: & odit omnem injuſtitiam, neque delectatur morte morientis. uti teſtatur per Prophetas, Jer. Thren. 3, 33. Ezek. 18, 32. & cap. 33. verſ. 11.

26. Quæ Deus vult eſſe legaliter neceſſaria, id eſt, quæ lege ſuâ jubet, illa neque phyſicè neque ſupernaturaliter impedit. Quæ Deus vult eſſe legaliter impoſſibilia ſeu illicita, id eſt, quæ lege ſuâ vetat, ad illa neque phyſicè, neque ſupernaturaliter impellit.

27. Actum moraliter malum, qui Deo tantùm permittente evenit. Deus non vult, ſed averſatur, actûs tamen illius mali uſum bonum Deus vult & efficit. Sic de uſu actûs mali verè dicitur: *ſicut Domino placuit, ita factum eſt*. At de actu ipſo malo non verè dicitur, niſi, vel explicitè vel implicitè, interponatur verbum [*permittere*.] *ſicut Domino placuit* [permittere,] *ita factum eſt*. Non enim id vult Deus quod lege ſuâ prohibet; etiamſi volens permittat, ſeu velit permittere. Vide 2. ſent. diſt. 37.

28. Aliquando bonâ voluntate homo vult, quod Deus non vult. ſic voluit David condere templum.

templum. Et rurſus fieri poteſt, ut malâ voluntate homo velit, quod Deus vult voluntate bonâ, ut Chriſtum pati. Dei autem voluntas ſemper eſt bona.

29. Diſtinctio voluntatis divinæ in abſolutam & conditionatam non eſt repudianda; neque illa in antecedentem & conſequentem, ſano ſenſu intellecta: modò nihil in Dei voluntate incertum, nihil in eâ prius aut poſterius, ſtatuatur.

30. Quicquid vult Deus voluntate ſigni, vel exigere vel efficere, &c. idipſum vult etiam voluntate beneplaciti. Neq; opponenda ſunt voluntati internæ ſigna externa, ſed ſupponenda ſeu ſubjicienda, & cum eâ componenda.

31. Quæcunque vult Deus voluntate revelatâ, eadem prius arcanâ voluntate vult. Diſtinctio autem voluntatis divinę in arcanam & revelatam, non eſt admittenda reſpectu unius ejuſdemque objecti, eodem tempore eodemque modo conſiderati, ac ſi Deus unam eandemque rem velit ſimul arcanâ & revelatâ voluntate; aut eam non eſſe velit arcanâ, quam eſſe vult voluntate revelatâ. Sed intelligenda eſt hæc diſtinctio quoad diverſa objecta ſimul, quorum alterum ſe velle Deus revelavit; alterum vult quidem, at nondum ſe velle revelavit: aut de eodem objecto non eodem tempore ſpectato: aut etiam de ὅτι & διότι ejuſdem volitionis ejuſdem objecti, uno certo tempore ſpectati, ſæpe enim τὸ ὅτι quod Deus velit hoc vel illud, revelatur, cujus tamen volitionis τὸ διότι latet.

32. Moralis perfectio voluntatis divinæ, quatenus eſt in ipſo Deo, infinita eſt, ac neceſſaria, non dependens ab arbitrii libertate. Propterea Deus neceſſariò (neceſſitate ſuaviſſimâ planéque divinâ) & infinitè clemens eſt, & miſericors, & juſtus, &c. At infinitam hanc ſuam perfectionem Deus exſerit in effectis externis, non neceſſariò & ſecundùm modum ſuæ infinitatis; ſed pro arbitrio ſecundùm modum ſuæ libertatis: miſerans quos vult, indurans quos vult, & dona ſua diſtribuens, & judicia exercens, prout vult; illæsâ ſemper naturali & immutabili Dei bonitate, ſeu infinitâ illâ perfectione morali.

33. Deus lætatur in omnibus operibus ſuis: bonus eſt ac benignus omnibus vitam cum ſenſu habentibus: ſolis amicus eſt electis ſuis, Angelis & hominibus. ſolos electos, (ut de hominibus loquamur,) licet per naturam corruptam filios irę, ita gratis dilexit, ut illis ante jacta Mundi fundamenta præparaverit regnum cum beatis Angelis poſſidendum. & illorum eximio atque ineffabili amore, non pepercerit Filio ſuo unigenito, in quo eos elegit ante jactum mundi fundamentum, ſed tradiderit illum in mortem, & propoſuerit ipſum propitiatorium in ſanguine ipſius: idoneum illud quidem & ſufficiens omnibus hominibus reconciliandis & ſalvandis, ſi naturam ſpectes remedii; multiſque etiam reprobis beneficia quædam, etiam ſpiritualia, procuraturum: atque ſi conditio gratuiti fœderis ab omnibus præſtetur, hypotheticè ſalutem etiam æternam omnibus allaturum; ſolis tamen electis in ſalutem æternam profuturum, deſtinato Dei conſilio & certo eventu.

34. Omnes alios homines odit Deus, & manet ſuper eos juſtiſſima Dei ira, & ultricibus flammis, terribili quidem at juſto Dei judicio, ac irreprehenſibili ſeveritate, in æternum addicuntur.

35. Iraſcitur quidem Deus ſuis quandoque electis, ſed irâ tantùm amicâ, Paternâ, & caſtigatrice, ſine odio caſtigati, ſine intercisione æternæ dilectionis. Iræ autem & odii nominibus nulla intelligenda eſt in Deo perturbatio: ſed perfectio quædam ϑελητικὴ ſe exſerens in effectu, quomodo, quando, & erga quos liberrimè & juſtiſſimè vult Deus, ſine ullâ perturbatione in affectu. Nam (ut Auguſtini verba uſurpem) Deus ſecundùm Scripturas iraſcitur, nec tamen ullâ paſſione turbatur. hoc enim verbum vindictæ uſurpavit effectus, non illius turbulentus affectus.

36. Deus *juſtus* eſt in omnibus viis ſuis. Etiam in operibus miſericordiæ relucet hæc juſtitia: nihil enim injuſtè agit: &, quorum vult, miſeretur ſine ulla violatione aut fruſtratione juſtitiæ. Juſtitia autem caſtigatrix & vindicatrix relucet peculiariter in caſtigatione & punitione divinâ. Hanc Deus, in naturæ ſuæ deſcriptione, ſibi vendicat, Exod. 34,7. & Deut. 32,35. & alibi. Illa juſtitia generalis ſpectatur in libertate & ſanctitate Dei, non in merito creaturæ. Iſta judiciaria juſtitia cernitur in merito creaturæ, & ſanctitate etiam Dei, qui mundior eſt oculis quàm ut intueatur, ſeu impunitam dimittat, iniquitatem. Habak. 1,13. Pſal. 5, 5. 6.7. & Pſ. 11, 5.6.7. & executione juſtitiæ delectatur. Prov. 1,26. Jer. 9,24.

37. Deus eſt *omnipotens*. Nihil illi impoſſibile, nihil difficile aut laborioſum. quamvis non poſſit facere, ut contradictoria ſint ſimul vera: quia non poteſt mentiri, aut ſeipſum abnegare.

38. *Unus* eſt Deus. Neq; poſſibile eſt eſſe plures veros Deos. Unus Creator, unus Salvator, Dominus Deus noſter, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Cui ſanctæ & individuæ Trinitati, ſoli vero Deo, ſit omnis laus, honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

## CAPUT TRIGESIMUM-QUINTUM.

### *Theſes de perſonarum Trinitate in unitate ſimpliciſſimæ Deitatis.*

Theſis 1. MYſterium Trinitatis non poteſt homo lapſus certò intelligere per rationem naturalem, abſque revelatione ſupernaturali. quamvis per lumen naturæ certò cognoſcere poſſit ea, quę ad unitatem pertinent eſſentiæ divinæ.

2. Ex divina revelatione patet unum eſſe Deum, non plures naturâ Deos; plures tamen eſſe, nempe tres, inter ſe realiter diſtinctos: quorum unuſquiſque eſt Unus verus ille Deus, & qui omnes ſimul ſunt Unus verus ille Deus.

3. Hi tres ſunt Pater & Filius & Spiritus Sanctus, in quorum trium unum nomen baptizamur. Pater non eſt Filius; Spiritus Sanctus neque Pater eſt neque Filius: ſed propter uniuſcujuſque proprietatem tres perſonæ ſunt, & propter individuam Deitatem ſunt unus Deus, & propter ſingulorum perfectionem partes unius Dei non ſunt.

4. Hujus myſterii non obſcura extant veſtigia in veteri Teſtamento: (Gen. 1,26. 27. & Gen. 3, 22. Pſal. 110,1. Eſai. 48, 16. & alibi) at expreſſa magis & illuſtria ejus documenta in novo Teſtamento reperiuntur; ut in hiſtoria baptiſmi Chriſti, Matth. 3. & Joan. 1. Et in formula baptiſmi per Apoſtolos adminiſtrandi, Matth. 28, 19. Et in illa Chriſti promiſſione, *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis*, &c. & alibi. Joan. 14. 16.

5. Pater



5. Pater ad Deum eſt ſola perſona divina illa, quæ à nullo eſt; at Pater ad creaturam eſt perſona illa non ſola, ſed cum Filio & Spiritu Sancto: quæ ſanctiſſima & individua Trinitas eſt unus noſter Deus & Pater, qui eſt in Cœlis.

6. *Perſonam* quando dicimus in hoc argumento, non intelligimus Larvam; ſed ſubſtantiam ſeu ſubſiſtentiam (ὑπόστασιν) individuam, intelligentē, incommunicabilem, non ſuſtentatam in alio, neque habentem ad aliud dependentiam, quæ completum ſit principium activum, & quæ proprio ſuo ſubſiſtendi modo ab aliis realiter diſtincta ſit. Quâ deſcriptione excluduntur, accidens, & genus, & ſpecies, & differentia, & ſubſtantia ἄλογος: nec ipſa divina eſſentia perſona eſt, quatenus pluribus perſonis communis eſt; excluduntur etiam humana Chriſti natura, & anima humana ſeparata (quę tamen imperfecta vel incompleta perſona dici poſſet) & omnis pars, & omnino omnis natura ſeorſim ab omni completę ſubſiſtentiæ modo conſiderata. Brevius eodem ſenſu deſcribi poteſt perſona: ſuppoſitum intelligentiâ & voluntate præditum, completum liberumque actionum ſuarum principium.

Baſil. lib. de Spiritu Sancto, cap. [illegible]

7. Filius Dei, ſeu ὁ λόγος, non eſt verbum inſitum aut prolativum; ſed eſt Deus apud Deum, ſeu perſona divina, ὡς αὐτοτελὴς, intelligentiâ & voluntate præditus (Joan. 1. Matth. 11. 27. &c.) liberè agens (Joan. 5, 21.) alius à Patre (Joan. 5,32.37. & 8,16. 17. 18.) nempe alius perſonaliter, non aliud. Nam quoad eſſentiam idem eſt cum Patre Deus. (Joan. 20,28. Rom. 9, 5. &c.)

8. Spiritus Sanctus eſt aliquis per ſe ſubſiſtens (Joan. 15, 26. & 16, 13. 14.) intelligens, (1. Corinth. 2.) volens libereque agens, (1. Corinth. 12.) alius perſonaliter à Patre & à Filio. (Joan. 14, 16, 26. & 15, 26.) Idem cum Patre & Filio Deus: eſt enim unus verus ille Deus, in cujus nomen baptizamur, & qui, ſicut promiſit, habitat in nobis ut in templo ſuo, qui remittit peccata, & nos ſanctificat, &c. (Levit. 26, 12. 13. 2. Corinth. 6,16. 1. Corinth. 6, 19. Jerem. 31, 31.32.33.34 &c.

9. In his perſonis ordo originis eſt, ſecundùm quem procedit non eſſentia ab eſſentia, abſolutè & in abſtracto accipiendo eſſentiam, non eſſentia à perſona, non perſona ab eſſentia, non unus Deus ab alio Deo; ſed una perſona ab alia perſona vel aliis perſonis, Deus de Deo: omnes enim perſonæ ſunt unus Deus, & unaquæq; perfectus Deus. Sunt autem in divinis duæ perſonæ procedentes, nempe Filius & Spiritus Sanctus; una perſona prorſus ἄναρχος, nempe Pater. Neque eſt in Divinis præter iſtas tres perſonas aliquis quartus, aut aliquid aliud.

10. Filius procedit à ſolo Patre, qui ſolus generat unigenitum ſuum Filium. Spiritus Sanctus procedit ſecundùm originem à Patre Filioque, ut uno communi, non Genitore, ſed Spiratore. Ideò utriuſque Spiritus dicitur, & ab utroque accipere, ab utroque mitti.

11. Producuntur (ut ita loquar) & procedunt perſonæ divinæ per eſſentiæ divinæ communicationem, quam ſcriptura dationem appellat & acceptionem (Joan. 5,26. & 16,13.14.15. &c) ubi talis intelligenda eſt acceptio, qualis intelligitur quando dicimus; *Filium à Patre accepiſſe naturam, creaturam à Deo accepiſſe ſuum eſſe*: non autem talis, qualis eſt quando pauper accipit eleemoſynam, aut aliquis jam exiſtens accipit aliquid diverſum ab accipiente.

12. Datur autem & accipitur non alia aliqua natura, ſicut in creatione & generatione creaturæ, ſed ipſa eſſentia dantis; adeò ut omnia, quæ habet Pater, eadem ſint & Filii, & nec niſi modo habendi vel ſubſiſtendi diſtinguantur: quæ enim Pater habet ἀγεννήτως, illa omnia Filio dedit gignendo; accepit Filius naſcendo, poſſidetque γεννητῶς. Intelligo autem omnia *communicabilia*, id eſt, omnia præter modum habendi Paternum, ipſamque dationem iſta enim dare, eſſet non dare. Per nativitatem igitur Filius idem eſt per omnia quod Pater, exceptâ paternitate & ἀγεννησίᾳ Paternâ; adeóque etiam hoc ipſo quod Filius eſt, etiam autor eſt idem cum Patre omnium, quorum autor eſt Pater, excepto ipſo Filio, ejuſque generatione. Et Spiritus Sanctus accipiendo ἐκπορευτῶς à Patre & Filio ſimul omnia, quæ illi habent communia, hoc ipſo etiam neceſſariò ac inſeparabiliter autor eſt omnium eorum, quorum autor ſunt Pater Filiuſque, excepto ipſo Spiritu Sancto ejuſque ſpiratione. Non ſpirat Pater ſine Filio ſimul ſpirante: non creant Pater & Filius ſine Spiritu Sancto inſeparabiliter creante. Hinc natum eſt illud veriſſimum axioma, de inſeparabilitate & indiviſione operum Trinitatis ad extra.

13. Si modus quæratur illius communicationis in divinis, per quam producuntur & procedunt perſonæ procedentes, eſt ille planè inenarrabilis & incomprehenſibilis, neque de illo affirmatio plena haberi poteſt ab ipſis Angelis, rudi tamen & maximam partem negativâ deſcriptione imperfectiones ab hac communicatione, ſic removemus: Communicatio per quam producuntur & procedunt perſonæ divinæ, eſt incorporea, impaſſibilis, intranſitiva ſeu immanens, non libera, ſed neceſſaria; non coacta tamen, ſed naturalis; non intentionalis impropria accidentalis, ſed realis propria ſubſtantialis; non partialis, ſed (ut ita loquar) totalis; non ſucceſſiva, non inſtantanea, ſed ſine tempore ſemper perfecta in intemporali infinitate, communicatio ſeu datio, non alienatio, unius illius veræ Deitatis, ſeu eſſentiæ divinæ, per quam ipſum, à quo proceditur, principium unus eſt ille verus Deus, & per quam perſona procedens eſt idem ille unus verus Deus: etſi non ſunt una eademque perſona, ſed plures perſonæ realiter inter ſe diſtinctæ.

14. Solus Filius procedit naſcendo per veram γέννησιν: nam Spiritus Sanctus, quamvis procedat per veram ἐκπόρευσιν, non tamen procedit φυσικῶς, ſed ἐκπορευτῶς; neque eſt alius in Divinis Filius, niſi Unigenitus ille, qui eſt à ſolo Patre. Neque Pater & Filius ſunt Pater, ſed Spirator, Spiritûs Sancti. Quid verò interſit, quoad rationem intrinſecam, inter γέννησιν Filii & ἐκπόρευσιν Spiritûs Sancti, neſcimus; non requirimus. quamvis aliqui diſcrimen iſtud adumbrare conentur per ſimilitudinem intellectûs & voluntatis, quorum ſententiam nos, ut falſam, haudquaquam damnatum imus. Interim τὸ ὅτι compertum habemus: τὸ πῶς οὐ περιεργαζόμεθα.

15. In ſingulis perſonis conſideranda eſt *eſſentia communis*, & *modus proprius*: neque in Deo aliud eſt, aut cogitari debet, præter unam eſſentiam & tres modos, per quos cum eſſentia conſtituuntur perſonæ tres. *Modi* autem ſunt: *modus Patris*, qui ſubſiſtit haberque eſſentiam ἀγεννήτως; & *modus Filii*, qui ſubſiſtit haberque eandem eſſentiam γεννητῶς; & *modus Spiritûs Sancti*, qui in ejuſdem eſſentiæ unitate ſubſiſtit ἐκπορευτῶς.

ὢν· qui tres modi ſimpliciſſimi & ſubſtantiales & ab eſſentia divinâ prorſus inſeparabiles ſunt; neque tamen ullam faciunt in Deo compoſitionem.

16. Horum modorum, ſeu, ut Græci loquuntur, τρόπων ὑπάρξεως, quadruplex munus animadvertere eſt, ſecundùm quadruplicem eorum in ſumma ſimplicitate virtutem. 1. Conſtituunt perſonas, ut modi ſubſiſtendi. 2. Referunt perſonas per relationes, quas includunt. 3. Diſtinguunt perſonas inter ſe, quà proprietates ſunt. 4. Notificant perſonas per rationes quaſdam notificantes quas ſuppeditant, quæ rationes Græcis ἔννοιαι, item γνωριστικά, Latinis *notiones*, nuncupantur.

17. *Modus Paternus* eſt, per quem Pater eſt perſona illa divina, quæ eſt principium prorſus ἄναρχον, generans Filium, & quidem talem, cum quo communi ſpiratione emittit Spiritum Sanctum in unitate numericâ ejuſdem ſimpliciſſimæ eſſentiæ: ita ut ſimul auctor ſit omnium eorum, quorum auctor eſt Filius, aut Spiritus Sanctus. *Modus Filii* eſt, per quam Filius eſt perſona illa divina, quæ eſſentiam à Patre habet γεννητῶς, hoc eſt, ita, ut quicquid Pater eſt, hoc idem Filius ſit, exceptâ Paternitate; & quicquid agit Pater, exceptâ generatione ipſius Filii, hoc ſimul cum Patre & à Patre agat Filius. *Modus Spiritûs S.* eſt, per quem Spiritus Sanctus eſt perſona illa divina, quæ à Patre Filioque, ut uno principio, eſſentiam divinam habet ἐκπορευτῶς, hoc eſt, ita, ut quicquid communiter ſunt, aut agunt, Pater Filiuſque, exceptâ ſpiratione activâ, hoc ipſum cum illis æqualiter ſit agatque Spiritus Sanctus.

*Unitatem numericam hic opponimus unitati ſpeciei aut generis, & pluribus numero differentibus; non autem unitati quoad mortorfiationem, de quâ ſuprà, cap. 13. §. 12.*

18. Ab uno modo plures accipi poſſunt *notiones* ſeu rationes notificativæ, adeò ut minimum quinque ſint notiones, quarum duæ ſunt propriæ Patri: nempe una negativa, quæ ſynecdochicè *innaſcibilitas* dici conſuevit; & alia affirmativa, nimirum Paternitas ſtrictè ſumta, (alia notio eſt, quâ intelligitur genitor; alia, quâ ingenitus: inquit Auguſtinus, libro 5. de Trinitate, capite 6.) una communis Patri Filioque, nempe ſpiratio activa; una propria Filio, nempe filiatio; una propria Spiritui Sancto, nempe proceſſio ſtrictè ſumta, ſeu, ut quidam loquuntur, ſpiratio paſſiva (abſque ulla tamen paſſibilitate in Deo:) unde apparet quatuor eſſe directè relativas notiones, nam innaſcibilitas non niſi reductivè relatio eſt, quia nimirum negat relationem; quatuor uni alicui perſonæ proprias, nam ſpiratio activa communis eſt Patri Filioque; ſeu (ut loquitur Thomas 1. part. quæſt. 36. art. 4. ad 1.) eſt una proprietas in duobus ſuppoſitis, quorum eſt una natura. & quinque minimum notiones. Non tamen idcirco poteſt Deus appellari quinus aut quaternus, ſed tantùm Trinus: quia tres tantum ſunt perſonæ, ſecundùm tres modos perſonarum conſtitutivos, qui Baſilio *characteres* & veluti formæ quædam perſonales; aliis, eodem ſenſu, *proprietates characteriſticæ* non immeritò nuncupantur: qui tres modi perſonas tres, per notiones quæ à modis ſuppeditantur, notificant; per relationes autem, ſive perſonales, ſive communem illam, referunt; per proprietates diſtinguunt, per ſeipſos conſtituunt. Et quamvis duo diſtincti modi in una communi notione aut relatione conveniant, non tamen datur una communis perſonalitas aut perſona ἑνωμένη, ſed manent duæ diſtinctæ perſonæ; quia manent duo diſtincti modi perſonales, qui

*Baſil. lib. 2. contra Eunomium.*

in uno ſuppoſito convenire non poſſunt: per unam tamen communem notionem innoteſcunt ut unum principium, ſeu unus Spirator.

19. *Relationes* & *notiones* plures ejuſdem perſonæ diſtinguuntur inter ſe ſolâ ratione: non tamen purè; ſed eminenter & virtualiter. Modi diverſarum perſonarum inter ſe, item eſſentia & perſona, item perſona & modus, item eſſentia & modus, diſtinguuntur modaliter; ſed diverſis diſtinctionis modalis gradibus. Pura enim & maxima diſtinctio modalis eſt inter oppoſitos modos, quorum alter neque de altero prædicari poteſt, neque in alterius includitur ratione formali; neque cum altero convenire poteſt uni ſuppoſito. Proximus huic diſtinctionis modalis in divinis gradus eſt inter eſſentiam & modum: tertius inter eſſentiam & perſonam: quartus gradus & minima diſtinctio modalis, tantùm non diſtinctio rationis, parum à virtuali diſtans, eſt inter perſonam & modum. Inter ſolas perſonas in Divinis eſt realis diſtinctio, non tamen eſſentialis aut abſoluta; ſed tantùm hypoſtatica, ſeu perſonalis & relativa, ſecundùm oppoſitionem perſonarum inter ſe internam relativam realem.

20. Nulla datur in Divinis *diſtinctio realis abſoluta*; non enim ſunt in Divinis plura realia abſoluta. Nulla datur in Divinis *diſtinctio formalis*, qualis eſt inter gradus eſſentiales; quia una eſt tantùm ſimpliciſſima & perfectiſſima eſſentia. Ideo quicquid de aliqua perſona divinâ abſolutè aut ſubſtantialiter dicitur, id intelligendum eſt communiter, ſine excluſione aliarum perſonarum. Scotus, ponens in Divinis diſtinctionem formalem (in 1. ſent. diſt. 2. quæſt. ult. & diſt. 8. quæſt. 4.) alio ſenſu accipit formalem diſtinctionem, nempe pro non-identitate rationis formalis, qualis reperitur tum in eis, quæ nos dicimus *diſtingui virtualiter*; tum etiam in eis, quæ dicimus *diſtingui modaliter*; quocirca miſsâ omni Logomachiâ, retineamus propoſitam doctrinam de diſtinctionibus in Divinis.

21. Sanctiſſima Trinitas eſt ὁμοούσιος, id eſt, unius ejuſdemque ſimpliciſſimæ eſſentiæ, eſt coæterna, coæqualis, & tam in eſſendo, quàm in operando inſeparabilis, in operatione ad extra: etiamſi operationes ad intra non ſint Trinitati communes; non tamen propterea ulla perſona divina eſt prior aliâ, aut major aliâ, aut ab alia ſeparabilis. Minor quidem eſt Filius, & operatur quædam propria opera externa, ſed non, niſi ſecundùm formam ſervi, quæ forma ſervi opus eſt Trinitatis.

22. Propter ordinem originis mitti dicitur perſona illa, quæ Deus eſt, de Deo; quamvis inſeparabiliter adſint omnes perſonæ.

34. Poteſt una perſona certo modo venire & præſens eſſe, quo præſens non eſt alia, opus tamen illud, per quod modo iſto venit & præſens eſt una perſona, eſt opus Trinitatis: quæ etiam inſeparabiliter præſens eſt, licet non iſto modo, exempli gratiâ, in carne.

24. Omnis perſona divina venit; ſed non omnis mittitur. Eſtque omnis miſſio perſonæ alicujus divinæ ab illo à quo procedit ſecundùm originem. Ideo Filius in forma Dei mittitur à ſolo Patre; in forma autem ſervi, à Trinitate.

25. Adventus omnis, aut miſſio, perſonæ divinæ fit per opus aliquod externum Trinitatis:



tis: non autem per novam aliquam & peculiarem operationem unius perſonæ, vel duarum perſonarum.

26. Quamvis inſeparabiliter operetur Trinitas ad extra; inſeparabilitas tamen non tollit ordinem operandi, qui eſt ſecundùm ordinem perſonarum inter ſe quoad originem. Neque ordo obſtat, quo minùs unaquæque perſona ſit immediatus & perfectus auctor totius operis: eſt enim una ſimplex indiviſa operatio Trinitatis ad extra. Ita Pater per Filium creat, ut ipſe non minùs quàm Filius, & Filius æquè ac Pater, nec minùs Spiritus Sanctus quàm Pater & Filius, ſit immediatus & perfectus Creator; & ipſa Trinitas unus Creator: ſic in omni opere externo.

27. Attributum, aut opus commune, Trinitatis appropriatur ſæpe uni perſonæ, propter ſimilitudinem ad illud, quod revera perſonæ alicui proprium eſt; & propter diſpenſationem myſterii pietatis ac ſalutis humanæ. Sic Patri appropriatur commune nomen *Deus*; Filio nomen ſapientiæ; Spiritui Sancto diſtributio donorum ſpiritualium. Patri etiam præcognitio & electio, &c. Iſtâ tamen appropriatione non excluduntur aliæ perſonæ, neque participationis gradus conſtituuntur: omnia enim illa, quæ determinatis perſonis per appropriationem tribuuntur, ſunt reipſa communia Trinitati, & æqualiter atque indiviſè ſingulis conveniunt perſonis.

28. Unus eſt indiviſus cultus, quo invocatur & colitur à nobis ſanctiſſima Trinitas, Pater & Filius & Spiritus Sanctus: quæ Trinitas eſt unus ille Dominus Deus noſter & Pater Cœleſtis, quem adorare & cui ſoli ſervire debemus, ſive nominetur Pater; ſive Filius; ſive Spiritus Sanctus; ſive omnes tres; ſive Deus, abſolutè. Propter ordinem tamen originis & ordinem diſpenſationis myſterii ſalutis noſtræ, ſæpe (etſi non ſemper) appropriatur Patri precum exauditio; ſicut Spiritui S. appropriatur precum gemituumque ſuggeſtio. Filio autem propter aſſumtum hominem & munus mediatorium, propriè convenit mediatio & interceſſio; quamvis, qua Deus, invocetur & exaudiat cum Patre & Spiritu Sancto.

29. Loquutio de Deo expreſſè in ſcripturis poſita, ſine dubio recipienda eſt, & ἀναντίρρητος haberi debet, ad illamque omnis alia loquutio exigenda eſt. At loquutio, quæ neque αὐτολεξεὶ in ſcripturis divinis exſtat, neque cum expreſſis ſcripturæ loquutionibus ſenſu concordat, eſt ſimpliciter repudianda: quales ſunt multæ hæreticorum loquutiones. Loquutio autem ſenſu congruens cum ſcriptura, & cujus veritas per evidentem conſequentiam ex verbis ſcripturæ demonſtrari poteſt, quamvis expreſſè poſita in ſcripturis non reperiatur, non eſt ſtatim repudianda: ſed, ſi perſpicua ſit & utilis, retinenda eſt; ſi inutilis, mittenda eſt; ſi ambigua ſit aliqua loquutio utilis, adhibenda diſtinctio eſt. Cavenda autem inanis Logomachia; ne, ubi conſtat de re, certemus de nomine.

30. Non videtur rejicienda illa Thomæ Aquinatis admonitio, dicentis: Quia ſpirans adjectivum eſt, ſpirator verò ſubſtantivum, poſſumus dicere, quod Pater & Filius ſunt duo ſpirantes, propter pluralitatem ſuppoſitorum: non autem duo ſpiratores, propter unam ſpirationem: Nam adjectiva nomina habent numerum, ſecundum ſuppoſita; ſubſtantiva verò à ſe ipſis, ſecundum formam ſignificatam. Quod verò Hilarius (lib. 5. de Trin.) dicit; Quòd Spiritus Sanctus eſt à Patre & Filio auctoribus, exponendum eſt, quòd ponitur ſubſtantivum pro adjectivo. Hæc Thomas, 1. part. quæſt. 36. art. 4. ad 7. Secundùm hanc regulam videtur intelligendum, quod dicunt Athanaſius in ſymbolo, & Aug. ſerm. 38. de tempore; non eſſe tres omnipotentes, ſed unum omnipotentem: nempe ſubſtantivè accipiendo nomen, *omnipotens*: vel etiam adjectivè cum ſubſtantivo expreſſo vel ſubaudito multiplicâte eſſentias; non enim ſunt tres omnipotentes dii, ſed unus omnipotens Deus. Alioqui negari non poteſt, attributa divina de uno vero Deo dici etiam in numero plurali, propter pluralitatem perſonarum. Nam in ſacris literis legimus, Elohim Kdoſchim hu, אלהים קדשים הוא, *id eſt: Deus ſancti ipſe.* Josh. 24, 19.] אלהים חיים Elohim chajim, *Deus viventes.* Deuteronom. 5, 26. & Jerem. cap. 10. verſ. 10. & cap. 23. verſ. 36.] Elohim ſchophetim, אלהים שפטים, *Deus judicantes.* Pſal. 58. verſ. ult.] Item, *lætetur Iſraël in facientibus ipſum*, בעשיו *beoſau.* Pſal. 149, 2.] Verba etiam plurali numero, ut Geneſ. 1, 26. *Dixit Deus: faciamus* [נעשה] *hominem ad imaginem noſtram.* Et Geneſ. 20, 13. hithju othi elohim, התעו אתי אלהים, *errare fecerunt me Deus.* Et Geneſ. 35, 7. niglu elau haelohim, נגלו אליו האלהים, *revelati ſunt ad eum Deus.* Item, 2. Sam. 7, 23. הלכו אלהים, halechu elohim, *iverunt Deus.* Quæ omnia pluralitatem indicant ſuppoſitorum in unitate Deitatis. Nomen autem ſubſtantivum Elohim, quamvis in Lingua Ebræa ſit formæ pluralis; quando tamen denotat verum Deum, ſignificationem includit tum ſingularis numeri, propter unam Deitatem quam ſignificat, (juxta illud, *Audi Iſraël*, Jehovah Elohenu Jehovah echad יהוה אלהינו יהוה אחד Κύριος ὁ Θεὸς ἡμῶν κύριος εἷς ἐστι. Deuteronom. 6, 4. Marc. 12, 29. & David dicit: Elohim eli attah. אלהים אלי אתה, *O Elohim! tu es Deus meus.* Pſalm. 63, 2.) tum etiam pluralis numeri, propter Trinitatem perſonarum; ideo aliquando conſtruitur cum verbo vel epitheto plurali, in exemplis quæ memoravimus: addito interdum pronomine numeri ſingularis, הוא, ut in verbis illis Joſhuæ, cap. 24. verſ. 19. ut moneatur Lector, ita eſſe plures, nempe perſonas divinas, quæ dicuntur & ſunt ſanctæ, facientes, judicantes, &c. ut tamen hi tres non ſint tres eſſentiæ, nec partes unius eſſentiæ; ſed unus ille ſimpliciſſimus Deus, יהוה אחד, de quo alibi in ſcripturis dicitur, ואתה הוא σὺ δὲ ὁ αὐτὸς εἶ. Pſal. 102. verſ. penult. Hebr. 1, 12.] אתה הוא יהוה לבדך attah hu Jehovah Lebhaddecha, σὺ εἶ αὐτὸς κύριος μόνος. Nehem. 9, 6.] Et propter hanc ſummam unitatem ſimpliciſſimæ eſſentiæ, & conſubſtantialitatem individuæ Trinitatis, & in unaquaque perſona plenitudinem impartibilis Deitatis, idem nomen Ebraicum & ſingulari numero poſitum, אלוה eloah, ſignificat totam Trinitatem, Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, Pſal. 18, 32. Job. 3, 23. & cap. 4. verſ. 17. & in forma plurali prolatum, non modò plures perſonas, vel individuam Trinitatem, ſed aliquando unam denotat perſonam; ſemperque Græco vocabulo numeri ſingularis exponitur, Θεός, quando de Deo vero dicitur: nam ad Filium dicit Propheta: Thronus tuus, אלהים, ὁ Θεὸς ô Deus, in ſeculum ſeculi, &c. Pſalmo 45, 7. Ep. ad Ebr. 1, 8.] Cogimur docendi cauſâ, receptis uti grammaticorum vocibus, numeri ſingularis & pluralis: Deum tamen non dicimus

I 2 ſingularem;

ſingularem; ſed unum: idque non numero, ſed univerſitate; uti ſuprà declaratum eſt, cap. 33. §. 16. & 17. & 18.

31. Secundum nullum unum nomen, (excepto vocabulo *perſona*, & quæ ejuſdem ſunt ordinis) poteſt dici perſona aliqua divina eſſe illud de illo, niſi ſecundùm commune nomen, in cujus ſignificatione unum ſunt perſona procedens, & perſona à qua proceditur. Sic rectè dicimus: *Deum de Deo, Lumen de Lumine, &c.* non autem, *Patrem de Patre* (accipiendo nomen Patris ad Deum) neque *Filium de Filio*, &c.

32. Vocabulum *perſona* excipio, & quæ ejuſdem ſunt ordinis, ut *hypoſtaſis, ſuppoſitum*: Nam, etſi verè dicitur perſona de perſonâ; non tamen ſunt una perſona, ſicut ſunt unus Deus. Perſona autem ſignificat ſubſiſtens in natura divinâ, diſtinctum proprietate aliquâ incommunicabili & relatione perſonali. ideò *perſona* neque merè ſubſtantialiter dicitur, neque ſecundùm relationem aliquam communem, neque omnino relativè, ſed abſolutè ſecundùm ſubſtantiam & propter relationem perſonalem, quam relationem, etſi non exprimit determinatè, indefinitè tamen importat: ideò non quidem *communiter*, ſed *indifferenter* convenit pluribus, pro numero determinatarum proprietatum. Peperit verò nobis iſta vocabula neceſſitas loquendi, ut pro noſtra inopiâ aliquo modo fari poſſemus, quod effari nullo modo poſſumus; ne omnino taceremus interrogati, *quid tres?* cum tres eſſe credamus & veraciter confiteamur. reſponſum eſt igitur; *non tres Deos, neque tres eſſentias, ſed tres perſonas, tres hypoſtaſes: quæ tres realiter inter ſe diſtinctæ perſonæ, & ſimul omnes & ſingulæ ſunt unus ille verus Deus.*

33. Vocabula *Trinitas* & *Trinus* neque ſubſtantialiter dicuntur, neque relativè, ſed, propter relationes & perſonas, quaſi collectivè. (Nomina tamen propriè collectiva non dantur in divinis; ut rectè Thomas, 1. part. quæſt. 31. art. 1. ad 2.) Eſt autem dicendum *Trinitas* & *Trinus*; non *Triplicitas* & *Triplex*. propter ſummam ſimplicitatem unius veri Dei. Cui per dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ſit omnis Laus, honor & gloria, in ſecula ſeculorum. Amen.

## CAPUT TRIGESIMUM-SEXTUM.

### *De Anthropomorphitis, quorum mentio facta eſt, cap. 34. Theſi quarta.*

*Anthropomorphitarum errores.*

DE Anthropomorphitis ſcripſerunt Epiphan. hæreſ. 70. & in Ancor. § 14. & Aug. hæreſ. 50. & Socrat. lib. 6. hiſt. Eccleſ. cap. 7. & Sozom. lib. 8. capp. 11. & 12. & alii. Putabant Deum eſſe *σωματικὸν ϗ ἀνθρωπόμορφον. id eſt*: corporeum, & humanam habere figuram: & craſsè interpretabantur loquutiones illas metaphoricas in ſacris literis, ubi Deo tribuuntur oculi, pedes, os, manus, &c. & hominem creatum ad Dei imaginem, ſecundum lineamenta corporis exponebant, itidem à Patribus conſpectum Deum oculis corporeis etiam ſecundùm divinam ſubſtantiam putabant. Et hinc dictos eſſe *ἀνθρωπομορφιανοὶ Anthropomorphianos*, ſcribunt Socrates lib. 6. cap. 7. & Sozom. lib. 8. cap. 12. ubi etiam commemorant, eos qui Deum prædicabant *ἀσώματον, καὶ πάσης ἐκτὸς εἶναι σωματικῆς μορφῆς*, (ut loquitur Socrates, id eſt, incorporeum eſſe, & ſine omni ſpecie corporeâ; eos, inquam, ab Anthropomorphianis illis nuncupatos eſſe *Origeniſtas*; quia idipſum Origenes docuiſſet. Cùm autem Theophilus Alexandriæ Epiſcopus, qui Anthropomorphitarum errorem publico ſcripto refutaverat & condemnaverat, quæreretur ad necem ab inſanis quibuſdam monachis errori illi addictis, ipſe eis occurrens Theophilus dixit: *οὕτως ὑμᾶς εἶδον, ὡς Θεοῦ πρόσωπον. id eſt*, ſic vos vidi, tanquam faciem Dei: quo ſermone olim Jacobus Patriarcha uſus fuerat ad Eſavum, ut legimus Geneſ. 33, 10. Hoc dicto Theophilus rudes illos monachos pacatos magis & ſibi placabiliores cùm reddidiſſet, ſic pro ſua inſcitia dictum illud accipientes, ac ſi exiſtimaret Theophilus, Deum habere faciem ſimilem noſtræ, poſtulàrunt ab illo, quandoquidem ita ſentiret, damnaret igitur Origenis libros; quod ille ſe facturum pollicitus eſt. ut referunt Socrat. lib. 6. cap. 7. & Sozom. lib. 8. cap. 11. Id quod etiam non invitus præſtitit Theophilus, quippe jampridem iratus Origeni, ob multos ejus graves errores. quocirca editis illis tribus Paſchalibus epiſtolis, ſeu libris, quos Hieronymus, hortatu ipſius Theophili, in Latinum ſermonem tranſtulit; (quæ Epiſtolæ Paſchales, ſicut ab Hieronymo tranſlatæ ſunt, extant in bibliotheca Patrum, tom. 3. edit. 4.) plurimos Origenis errores enumeravit ac damnavit Theophilus; at eam partem doctrinæ Origenis, quâ Deus aſſeritur eſſe incorporeus, & humanæ expers figuræ, non damnavit Theophilus, cùm idem ipſe cum aliis orthodoxis ſentiret. Idcirco in ſecunda Paſchali epiſtola, paulò ante finem, ait: *Miſericordiâ in pauperes imitemur Deum, cui nulla corporalium naturarum forma conſimilis eſt. Habeamus in cunctos imaginem bonitatis ejus.* Hæc Theophilus.

*Theophilus Epiſc. Alexandrinus.*

2. Epiphanio dicuntur Αὐδιανοὶ, *Audiani*, ſive Ὀδιανοὶ Odiani, à ſectæ hujus conditore *Audio*. Hic Audius è Meſopotamia oriundus, auctor extitit hujus ſectæ Audianorum, temporibus Arii, & circa tempus Nicæni Concilii, ut refert Epiphanius, hæreſ. 70. ubi etiam ſcribit Audium clarum fuiſſe in ſua patriâ, propter integritatem vitæ, & zeli ſecundùm Deum, & fidei: & tandem, ſchiſmate facto, ab Eccleſiæ Catholicæ communione diſceſſiſſe cum multis ſectatoribus. Et memoratum errorem ſcribit ab illis contentioſè & pertinaciter retentum atque defenſum eſſe. Neque tamen eos hæreticis, ſed ſchiſmaticis accenſet. quamvis ipſe contra errorem eorum diſputet, & Deum aſſerat incorporeum eſſe, non habentem manus, aut oculos, aut ulla ejuſmodi membra; ſed eſſe Spiritum ſuper omnem ſpiritum, & incomprehenſibilem, & naturâ inviſibilem, & incomprehenſibilis gloriæ. Interim ex eo quòd Deo omnia ſint poſſibilia, colligit Epiphanius Deum poſſe ita corroborare imbecillam oculorum aciem, ut etiam oculis corporeis verè videat homo illud ipſum, quod eſt inviſibile, etiamſi illud non perfectè comprehendat; ideóque etiam veraciter dicatur illud non videre: & hoc modo Deum aliquando quibuſdam hominibus piis ſeipſum revelare *ἵνα ἴδωσι φύσει Θεὸν*, ut videant naturâ Deum, *τὸ ὂν τῷ ὄντι. id eſt*: verè ipſum Ens ſeu Jehovam, etiamſi non plenè comprehendant. Quemadmodum ſi quis Cœlum per anguſtum foramen conſpiciat: aut ex alto montis

*Audius auctor ſectæ Anthropomorphitarum.*

*Epiphanii lenitas erga Anthropomorphitas.*

*Epiphanii argumentum ab omnipotentia Dei.*

vertice



vertice videat mare. Eoſdem etiam Audianos, tanquam ſchiſmaticos duntaxat, non autem alienam fidem habentes, excuſat Epiphanius, in Ancorato, cap. ſeu §. 14. Propter frigidam iſtam & periculoſam, & à recepta Eccleſiæ Catholicæ doctrinâ, ex ſacris Scripturis acceptâ, diſcrepantem Epiphanii diſſertationem, contigiſſe videtur illud quod narratur à Socrate, lib. 6. cap. 10. in editione Græca; & à Sozomeno, lib. 8. cap. 14. nempe Theophilum Alexandrinum Epiſcopum ſuccenſuiſſe Epiphanio, tanquam fautori erroris Anthropomorphitarum: etiamſi poſtea in amicitiam cum illo redierit. cumque habuerit adjutorem in condemnandis libris Origenis, & in concitandis moleſtiis Ioanni Chryſoſtomo, tunc Epiſcopo Conſtantinopolitano: Romanum obtinentibus Imperium Arcadio & Honorio, fratribus.

3. Effecit autem illa Epiphanii lenitas erga Audianos, ut etiam Ioannes Damaſcenus, lib. de hæreſibus, ſcripſerit Audianorum ſchiſma eſſe & diſſenſionem; non hæreſin. De eiſdem ſcribens Auguſtinus, tranſpoſitis literis primæ ſyllabæ, *Vadianos* vocat. (niſi fortè librariorum lapſus ſit.) Vadianos (inquit,) quos appellat & Epiphanius ſchiſmaticos, non hæreticos vult videri. alii vocant Anthropomorphitas; quoniam Deum ſibi fingunt cogitatione carnali, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis: quod ruſticitati eorum tribuit Epiphanius, parcens eis ne dicantur hæretici. Eos autem ſeparâſſe ſe dicit à communione noſtrâ, culpando Epiſcopos divites, & Paſcha cum Judæis celebrando. Quamvis ſint, qui eos in Ægypto Eccleſiæ Catholicæ communicare aſſeverent. Hæc Auguſtinus, lib. de hæreſibus, ad Quodvultdeum, hæreſ. 50. Parcens Epiphanio, qui Anthropomorphitis pepercit. Neque nos tam eximii doctoris exiſtimationem imminutum imus; ſed, officii neceſſitate obligati, lectorem monemus, ut cautè ambulet, & ſecum reputet, divinam omnipotentiam non præſtare ſuffragium aſſertionibus divinæ veritati repugnantibus, & contradictionem implicantibus; & hujuſmodi argumentatione utentes non eſſe audiendos: quamvis enim omnia poſſit Deus, quæ omnipotentem poſſe æquum aut decorum eſt; non tamen poteſt mentiri, aut ſeipſum abnegare: atque adeò non poteſt Deitatem ſuam facere corpoream, vel ſenſu corporeo viſibilem aut palpabilem. repugnant enim iſta naturæ Divinæ. Et hoc abſurdo admiſſo, corruerent argumentationes orthodoxorum Patrum contra *Monophyſitas*, & *Theopaſchitas*, & *Monothelitas*, & ſimiles hæreticos.

*Vadiani.*

4. Hoc ipſo olim argumento ab omnipotentia divinâ ſumto, uſos eſſe illos qui paſſionem adſcribebant ipſi Deitati Filii, refert magnus Athanaſius. Epiſcopus Alexandrinus, in ſuo ſermone adverſus eos, qui dicebant carnis confeſſores prædicare quaternitatem, loco Trinitatis. ubi etiam monet, nemini fas eſſe, omnipotentiam Dei arripere pro defenſione abſurdæ opinionis, cùm dixerit Apoſtolus: Deum non poſſe mentiri aut ſeipſum abnegare. [tom. 2. opera D. Athan. græc. col. pag. 301. edit. Pariſ. an. Dom. 1627.] Idem etiam in ſuo ſermone contra eos qui dicebant: [illegible] [eodem tomo, pag. 307.] Cùm (inquit) naturam divinam paſſioni obnoxiam eſſe demonſtrare nequeant, voluntatem calumniari non dubitant: & de natura rogati, de voluntate reſpondent. Duplici autem argumento eis occurrit Athanaſius. 1. Quia *σύμφωνον δεῖ τῇ φύσει τὴν βούλησιν εἶναι, id eſt*, oportet conſentire inter ſe naturam & voluntatem. 2. Quia ſacra Scriptura nuſquam docet hoc Deum voluiſſe. Sic etiam prætexentibus Dei omnipotentiam, ut Deo adſcribant *τὰ μὴ ἁρμόζοντα τῇ θείᾳ φύσει. id eſt*, quæ naturæ divinæ non conveniunt, (ut loquitur Athanaſius, ſermone, quem priore loco citavimus) opponimus hæc duo argumenta: 1. Omnipotentiam non pugnare cum ullo alio divino attributo. 2. Scripturam ſacram nuſquam iſtiuſmodi potentiam Deo tribuere; ſed è contrario teſtari, impoſſibile eſſe ut Deus mentiatur, aut ſeipſum abneget.

5. Perinde faciunt qui ex viſionibus, in ſcripturâ memoratis, colligunt conſpectam eſſe oculis corporeis ipſam Deitatem ſive Dei ſubſtantiam, atque illi, quos idem Athanaſius refellit, ſermone adverſus eos qui dicebant, *ſimpliciter accipiendas eſſe ſacrarum literarum loquutiones, nec quid illæ ſignificent, conſiderandum.* [tom. 2. pag. 309. & 310.] ubi dicit, hoc eſſe mentem rationalem hominibus adimere, eoſque in pecudum ordinem detrudere, neque inter animalia munda locum eis concedere, dum non ſinuntur ruminare atque attenuatum rationalem cibum ad interiorem hominem tranſmittere. Deinde ait: [illegible] id eſt: *Non ſunt arripienda verba ſenſu denudata: ſed diligenter conſiderandum eſt, quid Deum deceat, quid nobis conducat, quid ferat veritas, quid legi conſentiat, quid natura reſpondeat, quid fides integritas, quid ſpei firmitas, quid charitatis ſinceritas requirat, quid gloria non contumelioſum, quid ſuperet invidiam, quid gratiâ dignum ſit.* Iſta omnia Athanaſius dicit in meditationibus piis concurrere; deeſſe verò abſurdis novationibus, ad iſtiuſmodi matæologias neceſſariò confugientibus. Et diſſertationem illam claudens, qui (inquit) dictiones arripit, ſignificata autem earum non perſcrutatur, quomodo ea, quæ inter ſe pugnare videntur, promptè intelliget? Quomodo idoneam ſolutionem [*τὴν ἁρμόζουσαν λύσιν*] inveniet? quomodo reſpondebit interrogantibus? quomodo ſervabit illud quod ſcriptum eſt, ut ſciamus quomodo nos oporteat unicuique reſpondere? Superius etiam, eodem ſermone, dixerat evacuari uſum ſermonis Prophetarum & Apoſtolorum, & inutilem reddi, ſi oporteat verba ut ſonant, accipere *ἀνεπισκέπτως ϗ ἀδιακρίτως*, [illegible], ſi quis, neglectâ ſenſus piâ conſideratione, dictis inhæreat *ἁπλῶς ϗ ἀνεπισκέπτως*, audiens quidem verba, & quocumque ipſi viſum fuerit ea trahens; non quærens autem *τὸ ἁρμόζον τῷ θεοπρεπεῖ*, ſenſum decorum, ſed verba accipiens *ἀλόγως ϗ ἀδιακρίτως*: talem ait guſtare quidem verba, ſed neque vires eorum ſentire, neque ſententiarum cognoſcere qualitatem, ſed ſtultè atque improvidè, *ἀνοήτως ϗ ἀφυλάκτως*, omnia ſuſcipere, [illegible]re irrationalium, noxia pariter & utilia, prout ſe obtulerint, admittentem. Hæc Athanaſius.

*Non ſunt ſimpliciter accipiendæ loquutiones ſacrarum literarum abſque prudenti inveſtigatione ſenſus.*

*Coloſſ. 4, 6.*

6. Teſtatur ſacra Scriptura Deum apparuiſſe Abrahamo, & aliis viris ſanctis: & ne quis eam viſionem ſoli menti tribuat, adfert Epiphanius verba Eſaiæ, dicentis *ſe vidiſſe oculis ſuis Domi-* *Eſai. 6, 1. 5*

*num exercituum*, & inde colligit ipſum Deum, ipſum τὸ [illegible], id eſt, ipſam Dei ſubſtantiam, conſpectam eſſe oculis corporeis. Huic expoſitioni opponit illud, quod in Euangelio Joannis ſcriptum eſt: *Deum nemo vidit unquam, Unigenitus autem Deus ipſe narravit.* (Sic enim recitat Epiphanius.) Reſpondet autem: Deum quidem videri, præſertim ab humana natura, non poſſe fatemur; neque quod aſpectabile eſt, videre poſſe illud quod eſt inviſibile. Sed idem tamen inviſibilis Deus, pro ſua erga homines benignitate & potentiâ, imbecillam aciem ita virtute ſuâ corroborare dignatur, ut, quod alioqui videri non poteſt, adſpiciat, [[illegible]] Porrò, quando inviſibile illud & infinitum adſpicit, non, quatenus infinitum eſt, illud intuetur; ſed quatenus capere poteſt natura, impoſſibiliter quidem ſe habens, ſed roborata ad aſſequutionem poſſibilitatis. Atque ita nihil in ſacris literis diſcrepabit, neque ſententia ulla, quæ ab alia ſententiâ diſſideat, invenietur. Res autem ipſa (ut commemoratum à me ſæpius exemplum hoc loco repetam,) ita ſe habet: Quemadmodum ſi quis Cœlum per anguſtum foramen tranſſpiciat, ac Cœlum videre ſe dicat, non utique mentitur; videt enim reverà Cœlum. Quod ſi quis prudenter ei dicat, *non vides Cœlum*, neque iſte mentitur: non enim extenſionem Cœli, neque latitudinem aſpexit. Quocirca neuter eorum mentitus eſt; ſed uterque verum dixit. Sæpe enim & in montis vertice ſtantes conſpicimus mare; neque mentimur ſi dicamus, nos illud videre: atque ſi quis contradixerit, & aſſerat nos illud non vidiſſe, neque is mentitur; propterea quòd, quæ eſt hominis imbecillitas, quo illius amplitudo, aut longitudo, aut profunditas pertingat, quamque alti ſint illius voraginis receſſus, & quæ illius effecta, videre non poteſt. Hæc Epiphanius, hæreſ. 70. ubi exempla iſta applicat ad viſionem illam, quâ putabat Patriarchas & Prophetas vidiſſe reverà ipſum Deum oculis corporeis, licet eum non perfectè comprehenderint.

*Joan. 1, 18. Epiphanii parœmia.*

7. Certè non eſt iſta [illegible], idonea ſolutio: Neque enim Chriſtus, in mundum veniens, ſubſtantiam divinam, ſeu Deitatem, exhibuit conſpiciendam oculis corporeis, perfectè ſecundum Deitatis infinitatem; quod tamen ſolutio iſta Epiphaniana haud obſcurè inſinuat. Negare non poſſumus, hallucinatum hic eſſe Epiphanium; quamvis Joanni, Epiſcopo Hieroſolymitano, in damnatione hæreſeos Anthropomorphitarum palàm conſenſerit: teſte Hieronymo, epiſt. ad Pammachium, adverſus errores Joannis Hieroſolymitani. De antiquis autem illis viſionibus dicendum eſt, cum Auguſtino & aliis orthodoxis Patribus, *Deum juxta natura ſua proprietatem nulli corporali oculo viſibilem eſſe: quando autem Patribus viſus eſt, alicujus conſpicabilis materia diſpoſitione aſſumtâ, ſalvâ ſuâ inviſibilitate, videri potuiſſe.* Hanc appellavimus viſionem ſymbolicam, in diſſertatione de viſione beatificâ.

*Contra ſolutionem Epiphanii.*

*Auguſtin. Epiſt. 111. & 112.*

8. Contra Anthropomorphitarum inſaniam, quâ Deum ſomniant eſſe ἀνθρωπόμορφον, plenæ illuſtribus atque invictis argumentis ſunt ſacræ Scripturæ, plena catholicæ antiquitatis monumenta, plena etiam aliorum volumina orthodoxorum Theologorum, de naturæ divinæ ſimplicitate, immenſitate, immutabilitate, impartibilitate, & inviſibilitate diſſerentium. Eſtque hæreſeos illius abſurditas ita obvia, ut non opus ſit prolixiore adverſus eam diſſertatione. Auguſtinus, lib. de fide & ſymbolo, cap. 7. *Credimus etiam*, (inquit) *quòd ſedet ad dextram Dei Patris. Nec ideò tamen, quaſi humanâ formâ circumſcriptum eſſe Deum Patrem, arbitrandum eſt, ut de illo cogitantibus, dextrum aut ſiniſtrum latus animo occurrat: aut idipſum quod ſedere Pater dicitur, flexis poplitibus fieri putandum eſt, ne in illud incidamus ſacrilegium, quo exſecratur Apoſtolus eos, qui commutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem corruptibilis hominis. Tale enim ſimulacrum Dei nefas eſt Chriſtiano in templo collocare, multò magis in corde nefarium eſt, ubi verè eſt Templum Dei, ſi à terrena cupiditate atque errore mundetur. Ad dextram ergo intelligendum eſt dictum eſſe in ſumma beatitudine, ubi juſtitia & pax & gaudium eſt: ſicut ad ſiniſtram hœdi conſtituuntur, id eſt in miſeria, propter iniquitates, & labores & cruciatus. Sedere ergo quod dicitur Deus, non membrorum poſitionem, ſed judiciariam ſignificat poteſtatem.* Hæc Auguſtinus, loco citato. Huc pertinet etiam illud quod dixit Gelaſius, Epiſcopus Romanus, lib. de duabus naturis in Chriſto, adverſus Eutychen & Neſtorium; *Si* (inquit) *dicunt in nuda Deitate humana forma lineamenta conſtare, quid aliud quàm Anthropomorphitas convincuntur inducere? quos dudum Catholica talia ſomniantes damnavit Eccleſia.* Hæc Gelaſius. *Cùm in Deo vox aut brachium dicitur*, (inquit Gregorius) *cavendum ſummopere, ne quid in eo mens corporeum ſuſpicetur: in Anthropomorphitarum namque hæreſin cadere, eſt eum, qui incircumſcriptè implet & complectitur omnia, infra corporalia lineamenta concludere.* Hæc Gregorius primus, Epiſcopus Rom. lib. 32. Moral. capit. 4. ubi etiam explicat rationem hujuſmodi ſimilitudinum, quæ ad noſtræ humilitatis commodiorem inſtructionem adhibentur.

*Contra hæreſin Anthropomorphitarum.*

*Rom. 1, 23.*

*Simulacrum.*

## CAPUT TRIGESIMUM-SEPTIMUM.

*De Florinianis ſeu Florianis, & de Libertinis, quorum facta eſt mentio cap. 34. theſ. 16. & de portentoſa illorum impietate, quæ illis cum aliis quibuſdam hæreticis communis fuit. & de nocturnis ſacris.*

FLorinus Romanæ Eccleſiæ presbyter excidit eo gradu, propter hæreſin, quâ ea, quæ vetantur, negabat eſſe mala; ſed Deo tanquam auctori tribuebat: & ſequutus eſt errorem Valentini, teſte Euſebio lib. 5. hiſt. Eccleſ. cap. 14. & cap. 19. ſe adjungens *Carpocratianis*, quos propterea etiam *Florianos* appellat Philaſtrius, lib. de hæreſibus, part. 3. cap. 10. Fuit ſic Florinus auditor beati Polycarpi, à cujus ſanâ doctrinâ ſe poſteà avertens, in hæreſin prolapſus eſt; quod ei Jrenæus ejuſdem Polycarpi auditor exprobrat, in epiſtola, quam ad eundem Florinum ſcripſit, *de Monarchia*, ſive *quòd Deus non ſit author malorum.* Et propter eundem Florinum, in errorem Valentini lapſum, ſcripſit idem Jrenæus opus ſuum de Ogdoade; ut refert Euſebius,

*Florini hæreſis.*

*Florinus auditor Polycarpi.*

*[Irenæus auditor Polycarpi ſcripſit contra Florinum & Valentinum & Carpocratianos.]*



bius, libro 5. hiſtor. Eccleſ. cap. 19. & 20.

2. Quæ fuerit autem Valentini, & Carpocratis, (atque adeò Florini,) & ſimilium à Simone Mago deſcendentium, hæreticorum ſententia de malo morali, refert Irenæus, libro 1. adverſus hæreſes Valentini & ſimilium, ubi de Valentini diſcipulis ſcribens, capite 1. ait: *Spiritales*, qui perfectam cognitionem habent de Deo, ſemetipſos dicunt. *Pſychicos* autem, id eſt, animales homines, qui per operationem & fidem nudam firmantur, & non perfectam agnitionem habent, dicunt nos qui ſumus ab Eccleſia. quapropter & nobis quidem neceſſariam eſſe bonam operationem reſpondent; aliter enim impoſſibile eſſe ſalvari. Semetipſos autem non per operationem, ſed eo quod ſint naturaliter ſpiritales, omnino ſalvari dicunt. Et ſemetipſos dicunt, licet in quibuſcunque materialibus operibus ſint, nihil ſemetipſos noceri, neque amittere ſpiritalem ſubſtantiam. Quapropter & intimoratè omnia quæ vetantur, hi qui ſunt ipſorum perfecti, operantur: De quibus Scripturæ confirmant, *quoniam qui faciunt ea, regnum Dei non hæreditabunt.* Nos quidem, qui per timorem Dei timemus etiam uſque in mentibus noſtris & ſermonibus peccare, arguunt quaſi idiotas & nihil ſcientes: ſemetipſos extollunt, perfectos vocantes, & ſemina electionis. Et cap. 9. ejuſdem libri, ſcribit, Marcitas hæreticos ſemetipſos vocare perfectos, & liberè omnia agere, nullum in nullo timorem habentes. Et ca. 20. hanc refert fuiſſe Simonis Samaritæ magi doctrinam: eos qui in eum, & in Helenam ejus ſpem habeant, liberos eſſe agere quæ velint: ſecundum enim ipſius gratiam ſalvari homines, ſed non ſecundum operas juſtas. Nec enim eſſe naturaliter operationes juſtas, ſed ex accidenti, quemadmodum poſuerunt qui Mundum fecerunt angeli, per ejuſmodi præcepta in ſervitutem deducentes homines. quapropter & ſolvi mundum, & liberari eos qui ſunt ejus, ab imperio eorum qui mundum fecerunt, promiſit. Et cap. 23. *Baſilidianos* ait idolochytis ſine aliqua trepidatione uti. Habere autem & reliquarum operationum uſum indifferentem & univerſæ libidinis. Et cap. 24. ſcribens de *Carpocratianis*, qui *Gnoſticos* ſeipſos vocabant: In tantum (inquit) inſaniâ effrenati ſunt, uti & omnia, quæcunque ſunt irreligioſa & impia, poteſtatem habere operari ſe dicant. Solâ enim humanâ opinione negotia mala & bona dicunt. Et cap. 35. Carpocratianis in hac ſcelerata inſaniâ ſimiles eſſe ſcribit *Cainos* hæreticos, qui jactabant hoc eſſe ſcientiam perfectam, ſine tremore in tales abire operationes, quas ne nominare quidem fas eſt. Hæc Irenæus. Et *Carpocraſiorum* (ſive Carpocratianorum) ſententiam deſcribens Epiphanius, ait: Infinitis ſeſe voluptatum generibus dedunt. Dicunt enim, quæ ab hominibus putantur mala eſſe, ea non eſſe mala, ſed honeſta naturâ. Nihil enim naturâ malum eſſe; ſed ab hominibus prava cenſeri. Hæc Epiphanius, hæreſ. 27. §. 4.

*Hæretici illi ſeipſos ſpiritales dicebant; orthodoxos autem appellabant Pſychicos.*

*Sodomitica hæreticorum illorum doctrina & praxis.*

*Gal. 5, 21.*

*Marcitæ.*

*Simonis Magi & Helenæ.*

*Baſilidiani.*

*Gnoſtici ſive Carpocratiani.*

*Caini.*

*Carpocraſii.*

3. Ut autem communes ſint mulieres, & indifferentes coitus, impuri illi Carpocratiani vocabant juſtitiam, ut refert Clemens Alexandrinus, lib. 3. Stromatum, paulò poſt initium libri; ubi etiam eorundem Carpocratianorum, & aliorum etiam quorundam hæreticorum ſimilibus malis addictorum, fœda conventicula, in hunc modum deſcribit: [illegible] *id eſt*: Hos dicunt, & aliquos alios ſimilium malorum æmulatores, ad cœnas convenientes, (neque enim agapen dixerim eorum conventum) viros ſimul & mulieres, poſtquam ſatietate venerem excitante exſatiati fuerint, lumine, quod ſcortatoriam hanc eorum juſtitiam pudore afficere poſſet, è medio ſublato, everſione lucernæ, coire quomodo velint, & cum quibus velint: meditatos autem in ejuſmodi agape communionem, interdiu jam, à quibus velint mulieribus exigere Carpocrateæ (divinæ enim nefas eſt dicere) legis obedientiam. Has leges, ut ſentio, ferre oportuit Carpocratem, canum & ſuum & hircorum libidinibus. Hæc Clemens Alexandrinus, lib. 3. Stromat.

*Florianorum ſive Carpocratianorum fœda conventicula.*

4. Iidem Philaſtrio dicuntur *Floriani*, lib. de hæreſibus, parte tertiâ, cap. 10. ubi legendum eſſe, *Floriniani*, colligi poteſt ex eis quæ ſuperius de Florino hæretico commemorata ſunt. Floriniani (inquit Auguſtinus) à Florino, qui dicebat Deum creaſſe mala. Aug. hæreſ. 66. Eoſdem Philaſtrius ait vocari etiam *milites*, quia de militaribus fuerunt. Idem apud Jrenæum lib. 1. cap. 24. dicuntur *Gnoſtici*. Epiphanius ſcribens de Gnoſticis, hæreſ. 26. §. 3. ait eos in Ægypto vocari [illegible] *Militares* & *Phibionitas*, & à quibuſdam *Zacchæos* dici, & ab aliis *Barbelitas*. De Carpocratianis diſſerit idem Epiphanius, hæreſ. 27. Qui autem *Stratiotici* & *Barbelitæ* dicuntur, eoſdē Theodoretus ſcribit cognominatos eſſe *Borborianos*, id eſt, cœnoſos, à ſceleratiſſima ipſorum vivendi conſuetudine, lib. 1. hæreticarum fabularum. ubi etiam ait, ex Valentini ſeminibus pullulâſſe exſecrandam iſtam ſectam. *Eorum autem myſteria* (inquit) *quis eſt adeò infelix, ut vel linguâ proferat. Omnem enim improbam ratiocinationem, omnem denique exſecrabilem cogitationem ſuperant, quæ ab illis, tanquam divina, peraguntur.* Hæc ille. Librum autem de juſtitia, in defenſionem obſcœnæ illius commixtionis, ſcriptum eſſe ab *Epiphane*, Carpocratis filio, refert Clemens Alexandrinus, lib. 3. Stromatum. Epiphanem autem ſecutus *Prodicus*, (referente Theodoreto, lib. 1. hæreticarum fabularum) eorum conſtituit hæreſin, qui *Adamitæ* dicebantur, & eandem in ſuis conventibus, amoto candelæ lumine, ſpurcitiem exercebant.

*Floriniani.*

*Milites.*

*Gnoſtici. Phibionitæ. Zacchæi. Stratiotici. Barbelitæ.*

*Borboriani.*

*Epiphanes. Prodicus. Adamitæ.*

5. Philaſtrii autem, de Florianis ſive Carpocratianis, hæc ſunt verba: Floriani etiam, ſive Carpocratiani dicuntur, qui & Milites vocantur, quia de militaribus fuerunt, negantes judicium atq; reſurrectionem; Chriſtum natum de Virgine non credentes; omnemq; reſurrectionem in filiorum procreatione, nefandi coitus æſtimantes conſiſtere, ut in Eccleſia ſua poſt occaſionem Solis, lucernis extinctis, miſceri cum mulierculis non dubitaverint, legis præceptum implere putantes; *Naſcimini & multiplicamini.* Iudaiſmo potiùs & paganitati parere nefandæ, quàm Chriſtianæ veritati acquieſcere properantes, pecudumq; potiùs vitam & amentiam detinentes, quos & Scriptura vitæ pecudum comparavit. Hæc Philaſtrius, in

*Nefandi errores Florinianorum, ſive Carpocratianorum.*

*Gen. 1, 28. Creſcite & multiplicamini.*

tertia

tertia parte lib. ſui de hæreſib. ſive, in catalogo hæreſeon, quæ ſub Apoſtolis extiterunt. cap. 10.

6. Sceleſtam Florini inſaniam redarguens Irenæus, ait: ταῦτα τὰ δόγματα, Φλωρῖνε, ἵνα πεφεισμένως εἴπω, οὐκ ἔστιν ὑγιοῦς γνώμης· ταῦτα τὰ δόγματα ἀσύμφωνά ἐστι τῇ ἐκκλησίᾳ, εἰς τὴν μεγίστην ἀσέβειαν περιβάλλοντα τοὺς πειθομένους αὐτοῖς. ταῦτα τὰ δόγματα οὐδὲ οἱ ἔξω τῆς ἐκκλησίας αἱρετικοὶ ἐτόλμησαν ἀποφήνασθαί ποτε. ταῦτα τὰ δόγματα, οἱ πρὸ ἡμῶν πρεσβύτεροι, οἱ καὶ τοῖς ἀποστόλοις συμφοιτήσαντες, οὐ παρέδωκάν σοι. εἶδον γάρ σε παῖς ἔτι ὢν, ἐν τῇ κάτω Ἀσίᾳ παρὰ τῷ Πολυκάρπῳ, &c. Iſta dogmata, Florine, ut parcè loquar, non ſunt ſanæ ſententiæ. Iſta dogmata non concordant cum Eccleſia; eos autem, qui eis obſequuntur, conjiciunt in maximam impietatem. Iſta dogmata, ne hæretici quidem, qui extra Eccleſiam ſunt, auſi ſunt unquam affirmare. Iſta dogmata presbyteri qui ante nos fuerunt, qui etiam erant Apoſtolorum diſcipuli, minimè tibi tradiderunt. Cùm enim adhuc puer eſſem in inferiore Aſia apud Polycarpum, vidi te ſplendidè degentem in aula regia, & annitentem, ut in bona apud Polycarpum exiſtimatione eſſes. Nam illa, quæ tunc geſta ſunt, magis recordor, quàm quæ nuper evenerunt. Cognitio enim, quam à pueris combibimus, cum ætate accreſcit, & animo unita manet. adeò ut poſſim dicere, [ὥστε με δύνασθαι εἰπεῖν.] & locum, in quo ſedens diſſerebat beatus Polycarpus, & tranſitus ejus & introitus, & vitæ modum [τὸν χαρακτῆρα τοῦ βίου.] & corporis ideam, & diſſertationes quas faciebat ad multitudinem, & ut cum Ioanne, & cum aliis qui Dominum vidiſſent, ſe converſatum eſſe narraverit, eorumque ſermones commemoraverit, & quænam illa fuerint quæ ex illis audiviſſet de Domino, ejuſque miraculis, & doctrinâ, quemadmodum illa Polycarpus ab ipſis, qui ſuis oculis Verbum vitæ viderant, accepiſſet, omnia Scripturis conſentientia [πάντα σύμφωνα ταῖς γραφαῖς.] Hæc ego etiam illo tempore, per Dei miſericordiam quam erga me exercebat, diligenter audebam [σπουδαίως ἤκουον] atque ea non in charta, ſed in corde meo memoriæ mandabam. Et perpetuò, per Dei gratiam, ingenuè eadem rumino, [γνησίως αὐτὰ ἀναμαρυκῶμαι:] & poſſum ſanctè coram Deo teſtari, ſi iſtiuſmodi quidpiam audiviſſet beatus ille & Apoſtolicus presbyter; eum continuò exclamaturum fuiſſe, & aures ſuas obturaturum, atque, ut aſſolebat [κατὰ τὸ σύνηθες] dicturum fuiſſe: *O bone Deus, in quæ me tempora reſervâſti, ut iſta ſuſtineam!* [ὦ καλὲ Θεέ, εἰς οἵους με καιροὺς τετήρηκας, ἵνα τούτων ἀνέχωμαι.] Atque ex eo loco, in quo ſedens vel ſtans tales ſermones audiviſſet, protinus aufugiturum. Itemque ex ipſius epiſtolis, tum quas ad vicinas Eccleſias, quò eas confirmaret, tum quas ad quoſdam fratres, quò eos admoneret & cohortaretur, miſit, iſta ita ſe habere, manifeſtè cognoſci poterit [δύναται φανερωθῆναι.] Hæc Irenæus, epiſt. ad Florinum, apud Euſeb. lib. 5. hiſt. Eccleſ. cap. 20.

*Irenæus auditor Polycarpi.*

*πάντα σύμφωνα ταῖς γραφαῖς.*

*Polycarpi aſſidua querimonia.*

7. Hoſtis humani generis, ſuſcitans illis nefandis hæreſibus, ſpargebat ſedulò inter Paganos atrociſſima de ipſis orthodoxis Chriſtianis mendacia: adeò, ut Pagani Chriſtianos omnes impuris illis hæreticis, qui ſolo nomine Chriſtiani dicebantur, putarent ſimiles eſſe, ideóque ab eorum conſortio & religione abhorrerent. Apud Minutium Felicem in Octavio, Cæcilius, adhuc Paganus, exprobrat Chriſtianis infames illas coitiones: *Ad epulas* (inquit) *ſolemni die coeunt, cum omnibus liberis, ſororibus, matribus, ſexûs omnis hominis, & omnis ætatis: illic poſt multas epulas ubi convivium caluit, & inceſtæ libidinis ebrietate fervor exarſit, canis qui candelabro nexus eſt, jactu offulæ ultra ſpatium lineæ, quâ vinctus eſt, ad impetum & ſaltum provocatur: ſic, everſo & extincto conſcio lumine, impudentibus tenebris nexus infandæ cupiditatis involvunt per incertum ſortis.* Ad hanc calumniam reſpondens ibi Octavius, homo Chriſtianus; *De inceſto* (inquit) *convivio fabulam grandem adverſum nos dæmonum concio mentita eſt: ut gloriam pudicitiæ, deformis infamiæ averſione macularet; ut ante exploratam veritatem homines à nobis terrore infandæ opinionis averteret.* Hæc ille. Eandem calumniam refert, ac refutat, Tertullianus in Apologetico adverſus gentes, capitib. 7. & 8. & 9.

*Hæreticorum ſpurcitiem Pagani vitioque adſcribebant religioni Chriſtianæ.*

*Vide infrà lib. 4. cap. 1. § 2.*

8. Quæ à ſceleroſis illis hæreticis fiebant, convertebant inimici ad iniquiſſimam calumniam adverſus Chriſtianos. Unde Irenæus, lib. 1. adverſus hæreſes, cap. 24. ſcribens de Carpocratianis; *Qui & ipſi* (inquit) *ad detractionem divini nominis & Eccleſiæ, quemadmodum & gentes, à Satana præmiſſi ſunt, uti ſecundum alium modum, quæ ſunt illorum, audientes homines; & putantes omnes nos tales eſſe, avertant aures ſuas à præconio veritatis. Aut & videntes quæ ſunt illorum, omnes nos blaſphement in nullo eis communicantes, neque in doctrina, neque in moribus, neque in cotidiana converſatione.* Hæc Irenæus. Et de eiſdem hæreticis Carpocratianis, atque etiam de Baſilidianis, ſcribit Clemens Alexandrinus, ſub initium libri tertii Stromatum, *Maximam ex eorum flagitiosâ doctrinâ & vitâ manâſſe blaſphemiam in nomen Chriſtianum, cum ipſi, Chriſti nomen induentes, & eis, qui in gentibus intemperantiſſimi ſunt, incontinentius viventes, nomini probrum inurerent.* Similia ſcripſit etiam Epiphanius, hæreſ. 27. § 3. ubi loquens de Carpocraſiis (ſeu Carpocratianis) ait, *eos à Satana adornatos atque ſubmiſſos eſſe in probrum & ſcandalum Eccleſiæ Dei. Quippe qui Chriſtianorum ſibi appellationem induderint, ut per illos ſcandalizentur gentes, & à ſanctæ Dei Eccleſiæ utilitate, & à vera prædicatione, abhorreant, propter nefaria illorum ſcelera, & incredibilem nequitiam: dum gentes animadverſis frequentibus illorum ſceleribus, & tales eſſe putantes etiam eos, qui ſunt de ſancta Dei Eccleſia, aures ſuas à Dei doctrina, quæ ſecundum veritatem eſt, avertunt, & omnes Chriſtianos deteſtantur, & eorum ſocietatem fugiunt.* Altera etiam illa in Chriſtianos jactata calumnia de infanticidio & Thyeſtæis epulis, occaſionem inveniſſe videtur à ſanguinaria & horrenda illâ Gnoſticorum epulatione, quæ ab Epiphanio deſcribitur, hæreſ. 26. § 5.

*Priſcillianiſtæ.*

9. Sub finem quarti ſeculi Chriſtiani, reſuſcitata eſt in Hiſpania hæreſis Gnoſticorum, ejuſque ſectatores *Priſcillianiſtæ* ſunt appellati, à *Priſcilliano* hæreſiarcha. Quâ de re ſcribens Sulpicius Severus, Bituricenſis Epiſcopus, in fine ſecundi libri ſuæ hiſtoriæ ſacræ: Sequuntur (*inquit*) ætatis noſtræ gravia & periculoſa, quibus non uſitato modo pollutæ Eccleſiæ, & perturbata omnia. Namque tum primum infamis illa Gnoſticorum hæreſis intra Hiſpanias deprehenſa, ſuperſtitio exitiabilis arcanis occultata ſecretis. Origo iſtius mali oriens ab Ægyptiis. Sed quibus ibi initiis coaluerit, haud facile eſt diſſerere. Primus eam *Marcus* intra Hiſpanias intulit, Ægypto profectus, Memphi ortus. Hujus auditores fuere *Agape*, quædam non ignobilis mulier, & Rhetor *Helpidius*. Ab his *Priſcillianus* eſt inſtitutus, familiâ nobilis

*Marcus Ægyptius. Agape. Helpidius. Priſcillianus.*



nobilis, prædives opibus, acer, inquies, facundus, multâ lectione eruditus, diſſerendi ac diſputandi promtiſſimus: felix profectò, ſi non pravo ſtudio corrupiſſet optimum ingenium: prorſus multa in eo animi & corporis bona cerneres. Vigilare multùm, famem ac ſitim ferre poterat; habendi minimè cupidus, utendi parciſſimus. Sed idem vaniſſimus, & plus juſto inflatior profanarum rerum ſcientiâ. Quin & magicas artes ab adoleſcentia eum exercuiſſe creditum eſt. Is, ubi doctrinam exitiabilem aggreſſus eſt, multos nobilium, pluréſque populares auctoritate perſuadendi, & arte blandiendi, * allicuit in ſocietatem. Ad hoc mulieres novarum rerum cupidæ, fluxâ fide, & ad omnia curioſo ingenio, catervatim ad eum confluebant. Quippe, humilitatis ſpeciem ore & habitu prætendens, honorem ſui, & reverentiam cunctis injecerat. Iamque paulatim perfidiæ iſtius tabes pleraque Hiſpaniæ pervaſerat. Quin & nonnulli Epiſcoporum depravati, inter quos *Inſtantius* & *Salvianus*, Priſcillianum non ſolum conſenſione, ſed ſub quadam etiam conjuratione ſuſceperant. ——— Apud Cæſaraugustam ſynodus congregatur: cui tum etiam Aquitani Epiſcopi interfuere. Verùm hæretici committere ſe judicio non auſi, in abſentes tum lata ſententia, damnatique Inſtantius & Salvianus Epiſcopi, Helpidius & Priſcillianus laici. ---- Interim Inſtantius & Salvianus damnati judicio ſacerdotum, Priſcillianum etiam laicum, ſed Principem malorum omnium, unà ſecum Cæſaraugustanâ ſynodo notatum, ad confirmandas vires ſuas, Epiſcopum in Abilenſi oppido conſtituunt. ——— Omnes omnino, quos labes illa involverat, deduci ad ſynodum Burdigalenſem jubet Maximus Imperator: Ita deducti Inſtantius & Priſcillianus; quorum Inſtantius prior juſſus cauſſam dicere, poſtquam ſe parum expurgabat, indignus eſſe Epiſcopatu pronunciatus eſt. Priſcillianus verò, ne ab Epiſcopis audiretur, ad Principem provocavit. Permiſſumque id noſtrorum inconſtantiâ, quia aut ſententiam in refragrantem ferre debuerant; aut ſi hi ipſi ſuſpecti habebantur, aliis Epiſcopis audientiam reſervare: non cauſſam Imperatori de tam manifeſtis criminibus permittere. Ita omnes, quos cauſſa involverat, ad Regem (tunc Treviris agentem) deducti. ——— Maximus cauſſam præfecto *Euodio* permiſit, viro acri & ſevero. Qui Priſcillianum gemino judicio auditum, convictumque maleficii, nec diffitentem obſcœnis ſe ſtuduiſſe doctrinis, nocturnos etiam turpium fœminarum egiſſe conventus, nudumque orare ſolitum, nocentem pronunciavit; redegitque ad cuſtodiam, donec ad Principem referret. Geſtis ad Palatium delatis, cenſuit Imperator, Priſcillianum ſocioſque ejus capitis damnari oportere. Hæc Sulpicius Severus, loco citato, ubi etiam plura ad hanc hiſtoriam pertinentia lector inveniet.

** allexit.*

*Inſtantius & Salvianus.*

*Synodus Cæſaraugustana.*

*Priſcillianus à ſuis fit Epiſcopus.*

*Synodus Burdigalenſis.*

*Nocturni & obſcœni conventus.*

10. De iiſdem etiam hæreticis ſcribens Auguſtinus; Priſcillianiſtæ, (inquit) quos in Hiſpania Priſcillianus inſtituit, maximè Gnoſticorum & Manichæorum dogmata permixta ſectantur. Quàvis & ex aliis hæreſibus in eas ſordes, tamquam in ſentinam quandam, horribili confuſione confluxerint. Propter occultandas autem contaminationes & turpitudines ſuas, habent in ſuis dogmatibus & hæc verba,

*Iura, perjura: ſecretum prodere noli.*

Hi animas dicunt ejuſdem naturæ atque ſubſtantiæ, cujus eſt Deus. ——— hoc verſatiores etiam Manichæis, quod nihil Scripturarum canonicarum repudiant, ſimul cum apocryphis legentes omnia & in autoritate ſumentes; ſed in ſuos ſenſus allegorizando vertentes, quicquid in ſanctis libris eſt, quod eorum evertat errorem. Hæc Auguſtinus, hæreſ. 70.

*Nihil ſcripturarum canonicarum repudiabant Priſcillianiſtæ.*

11. Extitit, ſuperiore ſeculo, fanatica illa & furioſa ſecta *Libertinorum*, qui veterem Valentinianorum, & Florinianorum, & Priſcillianiſtarum inſaniam renovârunt: ſublato boni & mali diſcrimine, ſine ullo ſcrupulo ſceleratiſſimè viventes ſuo arbitratu: & aſſerentes eſſe Dei opera, adeóque non mala, quæcumq; apud homines putantur eſſe peccata: & in eo Chriſtianam libertatem conſtituentes, quòd ipſis omnia ſine exceptione licita eſſent. Contra eos & blaſphemam eorum amentiam extat Joannis Calvini luculenta Inſtructio; quam in Calvini opuſculis lector inveniet. Ubi etiam ſub finem tertii Capitis Inſtructionis illius adverſus Libertinos, de fallendi artificio quo utebantur, loquens; *Nec priùs* (inquit) *arcanum excubiarum ſymbolum, ut ajunt, ipſi, quos ad ſectam ſuam adducere volunt, revelant, quàm perſpiciant ita à ſe faſcinatos, ut facilè, quicquid voluerint, perſuadeant. Solùm iis, qui veluti jurejurando adſtricti ſunt, detegunt myſteria ſua: niſi quòd primarii doctores ſibi ſemper capita aliqua reſervant, quibus exiſtimationem & dignitatem tueantur.* Hæc ibi. Vide infrà in hoc opere, lib. 5. cap. 20. § 38. ubi ſimilem morem Valentinianorum deſcribit Tertullianus, lib. adverſus Valentinianos, cap. 1. De Arianis etiam ſcribens Hilarius Pictavienſis, lib. 1. ad Conſtantium Auguſtum; *Callidi* (inquit) *& aſtuti artificio quodam utuntur. Incluſam pernicioſam corruptelam exquiſitorum verborum velamine contegunt. Non priùs venenatum virus infundunt, quàm ſimplices & innocentes, ſub prætextu nominis Chriſtiani, raptos atque irretitos involvant; ne ſoli pereant, ſed participes horrendi criminis ſui faciant.* Et Auguſtinus, tract. 97. in Euang. Joan. ait: *Nefarios doctores ipsâ occultatione condire quodammodo ſua venena curioſis, ut ideò ſe exiſtiment aliquid diſcere magnum; quia merentur habere ſecretum: & ſuaviùs hauriant inſipientiam, quam putant ſcientiam.* Pulchrè verò Tertullianus; *Abſcondat* (inquit) *ſe ſerpens quantum poteſt, totamque prudentiam in latebrarum ambagibus torqueat, altè habitet, in cæca detrudatur, per anfractus ſeriem ſuam evolvat, tortuosè procedat, nec ſemel totus, lucifuga beſtia. Noſtra columba domus ſimplex, etiam in editis ſemper & apertis, & ad lucem: amat figuram Spiritûs Sancti, orientem Chriſti figuram. Nihil veritas erubeſcit, niſi ſolummodo abſcondi: quia nec pudebit ullum aures ei dedere.* Hæc ille. Simile eſt illud Hieronymi dictum, epiſt. ad Ruſticum Monachum, quæ incipit; Nil Chriſtiano felicius. *Veritas angulos non amat, nec quærit ſuſurrones.* Præclarè etiam idem Hieronymus, epiſt. de vitando ſuſpecto contubernio. Quæ incipit; Retulit mihi. *Bona* (inquit) *conſcientia nullius oculos fugit.* Idem etiam in proœmio libri quarti Commentariorum in Jeremiam, ait; *hæreticos ſecretò docere, & publicè negare.* adverſus quos hoc utitur dilemmate: *Aut bona ſunt, quæ docetis, aut mala. Si bona; defendite liberè: ſi mala; quid occultè miſeros jugulatis errore, vel aquè ſidei ad decipiendos ſimplices quoſque jactatis expoſitionem?* *Hæretici* (inquit Gregorius) *latenter prædicant, quatenus eorum prædicatio, tanto ſancta, quanto & occulta videatur. Communem au-*

*Libertini.*

*Arcanum excubiarum ſymbolum. Hæreticorum dolosa vafrities, & fallendi artificium.*

*Nihil veritas erubeſcit, niſi ſolummodo abſcondi.*

 tem

*tem ſcientiam habere refugiunt; ne cæteris æquales æſtimentur*, &c. Gregor. lib. 5. Moral. cap. 18. Vide ibi plura. Vide in eandem ſententiam, verba Bedæ, in Commentario, in cap. 9. Proverb. Salomonis, in illa verba; *aquæ furtivæ dulciores*, &c. Vide etiam Bernardi ſerm. 65. ſuper Cantica.

*De nocturnis virorum ſimul & mulierum conventibus.*

12. Nocturnas virorum ſimul & mulierum convocationes non invenimus à Domino inſtitutas eſſe, neque ordinariè habitas eſſe à piis, neque in vetere neque in novo Teſtamento. Quamvis in actis Apoſtol. cap. 12. v. 12. reperiantur in domo Mariæ, multi congregati & orantes, nocte illâ, quâ, poſt recentem Jacobi Apoſtoli necem, Petrus etiam in arctâ cuſtodiâ detinebatur, ducendus ad ſupplicium die proximo, niſi eum Dominus modo quodam extraordinario liberâſſet. Id quod ut à Domino impetraretur, fervens pro eo oratio ab Eccleſia indeſinenter ad Deum fiebat; ut legimus verſ. 5. Quamvis etiam cœtum ſacrum Troade die Dominico congregatum, Paullus Apoſtolus, quia poſtridie abiturus erat, detinuerit in noctem, uſque ad ſequentis diei auroram; ut refert Lucas, Act. 20, 7. 11. Cœtus tamen ordinarios virorum ſimul & mulierum, Chriſtus ejuſque Apoſtoli habuiſſe, habendoſque inſtituiſſe leguntur non niſi diurnos. ut conſtat ex multis Scripturæ locis, Matth. 4. 23. & 5, 1. 2. & 10, 27. & 14. 15. 21. &c. & 26, 55. Luc. 21, 37. 38. *Erat autem diurnis temporibus* [τὰς ἡμέρας] *in Templo docens: noctibus verò, exiens, diverſabatur in monte, qui vocatur olearum. Et totus populus manè veniebat ad eum, ad audiendum eum in Templo.* Sic ordinariæ congregationes ſub Apoſtolis erant diurnæ; ut illa in die Pentecoſtes, Act. 2, 15. Et eodem capite deſcribit Lucas morem primitivæ Eccleſiæ, verſ. 46. inquiens; καθ᾽ ἡμέραν τε. *& quotidie perdurantes concorditer in Templo: & frangentes domatim panem, capiebant cibum cum exſultatione & ſimplicitate cordis.* Nempe, ſoluto publico conventu, diſcedebant ad ſuas ædes, & cum gaudio cibum ſumebant. ſicut feciſſe populum Judaicum, commemoratur, Nehem. 8, 12. Diurnus erat conventus in domo Cornelii; ubi, prædicante Petro, gentiles in Chriſtum crediderunt, Act. 10, 30. ut multa alia exempla prætereàm. Et huc pertinet illa præceptio Apoſtolica: *Omnia decenter, & ordine fiant.* 1. Cor. 14. v. ult.

*Luc. 21, 37. 38.*

13. Hunc etiam morem ſervavit ſuccedens Eccleſia, nam etiamſi, ardente atroci perſecutione, Chriſtianos ſolitos eſſe ſtato die ante lucem convenire, carmenq; Chriſto dicere, ſe ex quibuſdam transfugis didiciſſe ſcribat Plinius Secundus, lib. 10. epiſt. 97. idq; ipſum ex eo repetat Tertullianus, in Apologetico, cap. 2. Illud ipſum tamen non alio ſenſu accipio, niſi quod diurnos ſuos conventus, die Dominico, maturè inchoabant Chriſtiani; ſicut in Euangelio Lucæ dicitur *totum populum veniſſe multo manè, ad audiendum Chriſtum, in Templo, temporibus diurnis differentem.* Id quod loca illa Plinii & Tertulliani propiùs intuenti liquidò conſtare poſſe exiſtimo. Affirmabant (inquit Plinius) hanc fuiſſe ſummam, quòd eſſent ſoliti ſtato die ante lucem convenire: carmenque Chriſto, quaſi Deo, dicere ſecum invicem: ſeque ſacramento, non in ſcelus aliquod, obſtringere; ſed, ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depoſitum appellati abnegarent: quibus peractis, morem ſibi diſcedendi fuiſſe, ruſuſque coëundi ad capiendum cibum, promiſcuum tamen & innoxium. Hæc Plinius, ad Trajanum Jmp. lib. 10. epiſt. 97. Idipſum ex Plinio repetit Tertullianus, Apolog. cap. 2. Iam verò, ſi hanc narrationem cum illa conferas deſcriptione cœtuum Eccleſiaſticorum, apud Juſtinum, ſub finem illius Apologiæ quæ ſecunda dicitur, & apud Tertullianum, Apolog. c. 39. invenies tam prolixam & variam fuiſſe actionem, quæ ibi peragebantur, in precibus & ſacrarum Scripturarum lectionibus, & paſtorali concione, & ſacræ Euchariſtiæ celebratione, & diſciplinæ publicæ adminiſtratione, ut, facto ante lucem initio, perdurare neceſſe fuerit longo tempore poſt Solis ortum. Et Juſtinus. omiſſa mentione matutini temporis, dicit; conventus iſtos habitos eſſe die Solis, quem *Dominicum* vocamus. Tertullianus autem, cap. 39. Apologetici, congregationem tantum & res geſtas commemorat. Non accenſemus nocturnis ſacris ea ſacra, quæ matutinis aut etiam veſpertinis horis celebrantur; nam & juge ſacrificium fiebat apud Jſraëlitas, & quotidianæ Scripturarum in Eccleſiis noſtris lectiones & precationes publicę fiunt, horis matutinis & veſpertinis, atq; adeò ſæpe antelucanis, &, ut ita loquar, poſtlucanis horis, id eſt, paullò ante ortum & poſt occaſum Solis, accenſis luminaribus, nempe hieme, quando brevioribus ſpaciis Solem conſpicimus. Sed nocturnos conventus appellamus eos, qui fiunt tempore nocturno lubrico, ut poſt cœnam, aut in vigiliis illis nocturnis, de quibus loquitur David, quando dicit; *ſe recordari Dominum ſuper ſtratis ſuis*, ſeu in lecto ſuo. *& de illo meditari in vigiliis*, Pſal. 63. Nempe tunc in lecto ſuo David de Domino cogitabat, at cœtus nocturnos non agitabat. Sic Jeſaias, cap. 26. v. 9. Vide etiam Pſal. 4, 5. & Pſal. 6. 7. & Pſal. 119. 62.

*Luc. 21, 38.*

*Pſal. 63.*

*Ieſai. 26. 9.*

14. Auguſtinus differens de acceptione Euchariſtiæ, quam Dominus poſt cœnam Paſchalem, licet ſine mulieribus, inſtituit; *Neque enim* (inquit) *quia poſt cibos dedit Dominus, propterea pranſi aut cœnati fratres ad illud ſacramentum accipiendum convenire debent; aut, ſicut faciebant quos Apoſtolus arguit & emendat, menſis ſuis iſta miſcere.* Et cap. 7. *Sed nonnullos probabilis quadam ratio delectavit, ut uno certo die per annum, quo ipſam cœnam Dominus dedit, tanquam ad inſigniorem commemorationem, poſt cibos offerri & accipi liceat corpus & ſanguis Domini.* Hæc ille. Qui ibidem talibus ſuadet, ut citiùs igitur cibum ſumant illo die, & ad oblationem occurrant ad veſperam. At nulla hìc mentio nocturnorum conventuum. Neque ſatis idonea fuit illa ratio, cùm aliud tempus celebrationi ordinariæ, à Domino imperatæ, ſit magis idoneum. Alios quoſdam Alexandriæ vicinos, & in Thebaide habitantes, Ægyptios, die ſabbati, poſtquam veſperi omnigenis cibis ſe ſaturâſſent, ſolitos eſſe ſacram Euchariſtiam accipere, ſcribunt Socrates lib. 5. hiſt. Eccl. c. 22. ubi ait hoc ab illis fieri præter morem Chriſtianorum, οὐχ᾽ ὡς ἔθ⁰ς Χριστιανοῖς. & Sozomenus, lib. 7. hiſt. Eccleſ. cap. 19. ubi dicit, illud factum eſſe præter communem legem, παρὰ τὸν κοινὸν πάντων νόμον. Sedulius autem, in ſuo Commentario, in 1. Cor. 11, 21. de eiſdem Ægyptiis loquens, ait eos ſic retinere morem illum à Paulo reprehenſum, de gentili ſuperſtitione venientem. *Mos verò iſte* (inquit, *ut referunt, de gentili adhuc ſuperſtitione veniebat: unde etiam in quibuſdam locis per Ægypti vel Syria loca, die ſabbati noctè poſt cœnam dicitur ad Eccleſiam conveniri.* Id ipſum ſcribit Primaſius in ſuo Commentario in eundem locum Apoſtoli. Gregor. Nazianz. orat. 40. diſputans adverſus eos, qui pro baptiſmi dilatione prætendebant exem-

*Epiſt. 118.*



plum Chriſti, qui anno ætatis ſuæ trigeſimo baptizatus eſt, dicit, *tales ſublime exemplum inconſultè & malè ſequi*. & alias etiam adducit inſtantias, in quibus præciſa imitatio eſſet plane præpoſtera, in quibus ponit tempus & locum celebratæ Euchariſtię. Cur autē illo potiſſimum tempore inſtituta à Chriſto ſit hæc myſtica celebratio, ſpirituales afferunt rationes, Cyprianus, epiſt. 63. & Victor Antiochenus, comment. in Marc. 14, 25. & Auguſtinus, epiſt. 118. & Jſidorus Hiſpalenſis, lib. 1. de officiis Eccleſiaſticis, cap. 18. quamvis ejuſdem temporis obſervationem, ſi à nobis fiat, judicent eſſe facti boni imitationem malam.

*Boni exempli mala imitatio.*

*Vigiliæ.*

15. Obtinuit in vetere Eccleſiâ conſuetudo, ut convenirent viri ſimul & mulieres, nocte illâ, quę diem Paſchatis immediatè antecedebat; ibique precibus invigilarent, velut exſpectantes adventum Domini ſummo manè reſurgentis, de qua vigiliâ Paſchatis meminit Tertullianus, lib. 2. ad uxorem, cap. 4. ubi eam hortans, ne poſt ejus obitum, viro nubat infideli, hoc inter alia adhibet argumentum; quòd talis maritus non patienter laturus ſit uxoris ſuæ abſentiam nocturnam in anniverſario pervigilio Paſchatis: Quis (inquit) nocturnis convocationibus, ſi ita oportuerit, à latere ſuo eximi libenter feret? quis denique ſollemnibus Paſchæ abnoctantem ſecurus ſuſtinebit? Inolevit idem mos in aliis etiam feſtis & martyrum natalicii. Sed eâ res in magnos abuſus degeneravit, propter quos abolendas eſſe convocationes nocturnas, monuit Vigilantius Barcilonenſis Eccleſiæ presbyter; in quem Hieronymus, alias etiam ob cauſſas ei infenſus, tantâ acerbitate invectus eſt, libro adverſus Vigilantium, quem etiam per ludibrium Dormitantium nuncupat, ut illo tempore reformatio omiſſa ſit. Error (inquit) & culpa juvenum viliſſimarumque mulierum, qui per noctem ſæpe deprehenditur. non eſt religioſis hominibus imputandus. Hæc Hieronymus. Poſtea tamen, gliſcente ſpurcitie, & multiplicatis ſcandalis, re maturiùs atq; ſedatiùs à piis penſitatâ, itum eſt in eam ſententiam, quam ſuaſerat Vigilantius; & quam Hieronymus, à tali autore profectam, contemſerat. Abrogatis enim nocturnis vigiliis, jejunatum eſt pridiè diei cujuſque feſti, retento vocabulo *vigiliarum*; quamvis diurno tempore obſervarentur. ut monet Polydorus Vergilius, lib. 6. de rerum inventoribus, cap. 4. ubi etiam ait: Nimirum nocturna ſacra ſemper fuere multorum ſcelerum cauſſa; id quod ad extremum fuit, quamobrem Romana ſeveritas, teſte Livio, bacchanalia damnârit; cùm ſub nomine religionis ſtupra puerorum feminarumque promiſcua, atque corruptelæ omnis generis fieri cœpiſſent: & Dyagundas Thebanus, (teſte Cicerone de legibus) omnia nocturna ſacra, ob illud ipſum, apud Græcos lege perpetuâ ſuſtulit. Hæc Polydorus Vergilius.

*Concil. Sabinenſe.*

16. Celebratum eſt anno Domini 1322. Concilium Sabinenſe, apud Vallemoleti Palentinæ diœceſeos, in Hiſpania, præſidente Guillermo Sabinenſi Epiſcopo & Sedis Apoſtolicæ legato. cujus acta exſtant in ſecunda parte tomi ſeptimi Conciliorum, edit. Pariſ. ubi in capite de Iudæis & Sarracenis, pag. 963. prohibentur Chriſtiani facere nocturnas vigilias; propter nefanda, quæ ſæpe earum occaſione committuntur. Verba conſtitutionis ſynodicæ hæc ſunt: *Novit hoſtis Dei calliditas ſub ovina pelle lupum inducere; ac ſub mellis ſimilitudine fel inferre: contra quod à Chriſtum colentibus, ne fallantur, eſt cautela diligens adhibenda. Quia igitur in nocturnis vigiliis, quas in Eccleſiis fieri aliquorum ſimplicium devotio introduxit, nefanda ſæpe ac enormia, ſub hac boni ſpecie, committuntur, ipſas fieri de cætero firmiter prohibemus.* Hæc ibi. Celebratum eſt etiam anno Domini 1596. Concilium Provinciale Aquilejenſe, præſidente Franciſco Barbaro, Patriarchâ Aquilejenſi, cujus acta reperiuntur, tomo nono Conciliorum; ubi, de nocturnis illis vigiliis, conſtitutio facta invenitur, cujus hæc ſunt verba: *Quod fuerat antiquis temporibus piè & laudabiliter inſtitutum, poſteriorum temporum iniquitate à recto ſui ordine inſtituti deflexit: vigilantibus enim populis apud Eccleſias, & memorias ſanctorum nocturno etiam tempore frequentantibus, nihil fuerat olim vel petulantiâ corruptum, vel ſacrilegâ temeritate fœdatum: quod poſteriorum temporum nequitiâ, & graviorum malorum commiſſione obſolevit. Auditum verò eſt; adhuc quibuſdam locis mulieres vigiliis ſanctorum in Eccleſia pernoctare: quod ne fiat, neve prætextu pietatis aliquid gravius contingat; Statuimus, prædictum agendi vigilias ritum omnino tollendum eſſe, ac modis omnibus ab Epiſcopis delendum; ne, quod eſt ſummè periculoſum, vel conniventiâ, vel negligentiâ, perſeveret.* Hactenus verba Concilii illius Aquilejenſis, cap. de Eccleſiis, & pio in eis verſandi modo, pag. 709. & 710. Eaſdem vigilias, propter flagitia, quæ committebantur, intermiſſas eſſe, ſcribit Bellarminus, lib. 3. de Eccleſia triumphante, qui eſt de cultu ſanctorum, cap. 17. ſeu ultimo, ubi ait: *In profeſtis magnorum dierum conſueverat Eccleſia vigilare, & jejunare. —— Cæterùm, quoniam paullatim occaſione nocturnarum Vigiliarum, abuſus quidam irrepere cœperant, vel potiùs flagitia non rarò committi; placuit Eccleſiæ nocturnos conventus, & Vigilias propriè dictas, intermittere, ac ſolùm in eiſdem diebus celebrare jejunia.* Hæc ille.

*Concil. Aquilejenſe.*

17. Ipſi etiam verecundiores Ethnici, ut ſuprà monebamus ex Polydoro Vergilio, nocturnos iſtiuſmodi conventus averſati ſunt ac prohibuerunt. Id quod etiam Cicero, lib. 2. de legibus manifeſtum facit. Ubi in Romanis legibus hanc legem commemorat: *Nocturna mulierum ſacrificia ne ſunto, præter olla, quæ pro populo ritè fient.* Quam legem paullò pòſt ibidem explicans atque defendens, ait: *Quid autem mihi diſpliceat in nocturnis, poëtæ indicant Comici. Quâ licentiâ Romæ datâ, quidnam egiſſet ille, qui in ſacrificium cogitatam libidinem intulit: quò ne impudentiam quidem oculorum adjici fas fuit? Profectò diligentiſſimè ſanciendum eſt, ut mulierum famam multorum oculis lux clara cuſtodiat. Quo in genere ſeveritatem majorum, Senatus vetus autoritas de Bacchanalibus, & Conſulum exercitu adhibito quæſtio, animadverſioque declarat. Atque omnia nocturna (ne nos duriores fortè videamur) in media Græcia Dyagondas Thebanus lege perpetuâ ſuſtulit.* Hæc Cicero, lib. 2. de legibus.

*Lex Romana prohibens nocturna mulierum ſacrificia.*

*Dyagonda Thebani lex.*

## CAPUT TRIGESIMUM OCTAVUM.

### *De Colluthо, cujus mentio facta eſt cap. 34. theſ. 21. ejuſque ſectatoribus Colluthianis.*

COlluthus Alexandrinæ Eccleſiæ preſbyter, tempore Alexandri Epiſcopi Alexandrini, & Arii hæreſiarchæ, regnante Conſtantino magno Romanorum Jmperatore, docuit τινὰ παρεγραμμένα, quædam perverſa; ejuſque ſectatores ſeſe nominârunt *Colluthianos*, Κολλουθιανούς.

Sed diuturna non fuit ejus hæreſis, at ſtatim diſſipata eſt. teſte Epiphanio, hæreſ. 69. (Quæ eſt Arianorum) §. 2. Quænam autem prava docuerit Colluthus, non indicat Epiphanius; ſed à Philaſtrio, & ab Auguſtino, hæretica Colluthi doctrina commemoratur.

2. Philaſtrius ait: *Coluthiani, à Colutho quodam ita dicti ſunt in Ægypto, qui dicunt, Dominum malorum non eſſe factorem. Contrà autem alter quidam opponebat, dicens; Dominum malorum eſſe factorem. Qui & ipſe eſt hæreticus pariter: & cùm utrique contentione ferrentur inani, neſcierunt potentiam rationis. Scriptura enim, Deum facere bona, & nihilominus & mala facere, prædicavit; cùm dicat Propheta: *Ego ſum Dominus, qui facio pacem, & creo mala.* Et alter Propheta: *Si eſt*, inquit, *malitia in civitate, quam Deus non fecit?* ſed mala iſta non naturâ eſſe, dixit Scriptura, à Deo facta, ſed cauſſis exiſtentibus: hominum, ſcilicet in lege peccantium Domino, &c. Hæc Philaſtrius, in catalogo hæreſeωn, quæ ſub Apoſtolis extiterunt. cap. 31. ubi etiam prolixiùs de hac quæſtione diſſerit.

*Eſai. 45. 7. Amos 3. 6.*

3. *Colluthiani* (inquit Auguſtinus) à quodam *Collutho*, qui dicebant Deum non facere mala: Contra illud quod ſcriptum eſt: *Ego Deus creans mala. Floriniani* à Florino, qui è cõtrario dicebat, Deum creâſſe mala: contra id quod ſcriptum eſt; *Fecit Deus omnia: & ecce bona valdè!* Ac per hoc, quamvis contraria inter ſe dicentes, tamen ambo divinis eloquiis reſiſtebant. Creat enim Deus mala, pœnas juſtiſſimas irrogando, quod Colluthus non videbat: non autem malas creando naturas atque ſubſtantias, in quantum ſunt naturæ atque ſubſtantiæ; ubi Florinus errabat. Hæc Auguſtinus, hæreſ. 65. & 66.

*Eſai. 45. Gen. 1. 31. Floriniani.*

4. Alius fuiſſe videtur Colluthus ille hæreticus, cujus hæretica doctrina de una Chriſti voluntate, & unâ ejuſdem operatione, commemoratur, in ſynodo Lateranenſi Martini primi, Epiſcopi Romani, ſecretario quinto, [tom. 4. Concil. edit. Pariſ. pag. 726. & 727.] ubi recitantur Colluthi hæretici verba, ex ipſius *libro de ſatisfactione*, pro tomo Theodoſii hæretici facta. veriſimile eſt autem Theodoſium hæreticum illum intelligi, qui ſub Juſtiniani Imperio obtinebat ſedem Alexandrinam; de quo vide cap. 4. & cap. 18. libri tertii.

## EPILOGUS LIBRI PRIMI,

*Conſtans metro, contemplatione, & doxologiâ.*

1. Metrum, de Deitatis unitate, & perſonarum divinarum Trinitate: item de operationis ad extra indiviſibilitate, & de cultûs inſeparabilitate, &c. in memoriæ ſubſidium.

*Eſt unus verus Deus, una eſſentia ſimplex,*
*tres ſunt perſonæ, Pater, & Patre natus, ab ipſis*
*Sanctus & amborum procedens Spiritus. una*
*indiviſa tribus divina eſſentia. Non ſunt*
*Perſonæ confundendæ, aut natura ſecanda.*
*Eſt divina tribus perſonis omnis ad extra*
*actio communis. Nec diſſocians adorans,*
*aſt indiviſo Trinunum ſuſpice cultu.*
*Namque interna Dei te nulla relatio tangit:*
*inque creaturis externa relatio Numen*
*reſpiciens (non ſuſcepta de Virgine carnis*
*fundata intuitu) Trinunum cuncta regentem*
*Auctorem ſpectat: tibi non eſt una ſeorſum,*
*ſecluſis reliquis, perſona Deusve, Paterve,*
*largitorve boni, ſed ab uno Numine Trino*
*cuncta fluunt, indiviſo præſtantur & actu.*
*Eſt ordo perſonarum; disjunctio non eſt.*
*In forma ſervi Patrem orat Chriſtus Ieſus:*
*Quâ Deus, exaudit cum Patre, & Pneumate*
*Sancto.*

2. Contemplatio.

Auguſtinus in expoſitione *Magnificat*, Cantici Mariæ Virginis, tomo 9. oper. ſuorum. *Duo ſunt* (inquit) *quæ angelorum & hominum beati ſpiritus in illo fonte boni æternâ contemplatione hauriunt: incomprehenſibilis ſcilicet Majeſtas Dei, & ineffabilis bonitas. quorum alterum caſtum timorem gerit; alterum dilectionem parit. Pro Majeſtate venerantur Deum, & pro bonitate amant: ne vel dilectio ſine reverentiâ diſſoluta ſit; vel reverentia ſine dilectione pœnalis. Admirantes enim diligunt, & diligentes admirantur, ut inexſtinguibiliter per admirationem ardeat dilectio, & ſuaviter in dilectione ferveat admiratio. Nam quia eum, quem vident, perfectè comprehendere nunquam ſufficiunt, in eo quaſi per admirationem evigilant: quanto autem perſpicaciùs intuentur, tanto ardentiùs amant, quod vera dulcedo eſt: vera autem dulcedo, quanto perfectiùs ſentitur, tanto deſiderabiliùs appetitur.* Hæc Auguſtinus. Vide etiam diſſertationem noſtram de viſione beatifica.

3. Δοξολογία.

Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, Sanctæ individuæ Trinitati, Regi ſeculorum, incorruptibili, inviſibili, ſoli ſapienti Deo, ſit honor & gloria in Eccleſiâ, per Ieſum Chriſtum, in omnes generationes ſeculi ſeculorum. Amen.





# INSTRUCTIONUM HISTORICO-THEOLOGICARUM

## LIBER SECUNDUS, DE MYSTERIO INCARNATIONIS.

### CAPUT PRIMUM.

*Hiſtorica narratio, de prima claſſe hæreſeωn, quæ contra orthodoxam de Verbi incarnatione doctrinam exortæ ſunt, & ab orthodoxis, ſive Catholicis, rejectæ ac refutatæ: ſeu de primo genere hæreticorum Χριστομάχων: quod eos comprehendit hæreticos, qui de natura & veritate humanitatis Chriſti errârunt.*

Memoriæ juvandæ cauſâ, omnes contra orthodoxam de Verbi incarnatione doctrinam exortas hæreſes, vel errores, ad quatuor ſumma veluti genera referemus: &, ſub ſingulis generibus, certas ſpecies indicabimus.

Primum genus hæreſeωn atque hæreticorum, contra hoc ſecundum Chriſtianiſmi myſterium (primum erat myſterium Trinitatis) continet eas hæreſes, eoſque hæreticos, qui de natura & veritate humanitatis Chriſti errârunt.

Secundum genus eorum eſt, qui veritatem humanæ Chriſti naturæ agnoſcentes, errârunt tamen de ejuſdem naturæ origine.

Tertium genus eſt illorum, qui & naturæ & originis veritatem profitentes, errârunt tamen de perſona.

Quartum denique genus eſt eorum, qui orthodoxam de perſona Chriſti recipientes doctrinam, errârunt circa naturarum in uno Chriſto unionem & proprietates.

*Chriſtomachi.*

Scio *Arianos* Athanaſio dici Χριστομάχους, lib. de decretis ſynodi Nicænæ contra hæreſin Arianam; quia contra Chriſti Deitatem pugnabant. Nos tamen eoſdem non immeritò hæreticis Θεομάχοις accenſuimus, & diſtinctionis ergò Chriſtomachi nobis dicentur illi hæretici, qui de myſterio incarnationis perperam docuerunt.

2. Hæreticorum autem de natura & veritate humanitatis Chriſti errantium ſex ſunt ſpecies. Carnem Chriſti non veram eſſe, ſed putativam & phantaſticam: adeóque Chriſtum non habuiſſe verum corpus; ſed tantùm in phantaſmate & putativè apparuiſſe, & paſſum eſſe, blaſphemabant Saturninus & Baſilides, *Iren. lib. 1. cap. 22. & 23. Et Tertull. de præſcriptionib. adverſus hæreticos, cap. 46.* Marcus & Colarbaſus, *Tertull. de præſcript. cap. 49. & 50.* & Cerdon, & Marcion, & Lucanus, *Tertull. de præſcr. cap. 51.* & Manichæi. *Auguſt. lib. de hæreſib. Ad Quodvultdeum, hæreſ. 46.*

3. Secundam ſpeciem conſtituunt *Apelles* hæreticus, ejuſque ſectatores. Chriſtum ſideream & aëream carnem habuiſſe de ſideribus & de ſubſtantiis ſuperioris mundi contextam, & in reſurrectione ſingulis quibuſque elementis, quæ in deſcenſu ſuo mutuata fuiſſent, in aſcenſu reddidiſſe: & ſic diſperſis quibuſque corporis ſui partibus, in Cœlo ſpiritum tantùm reddidiſſe, aſſerebat impiè Apelles Marcionis diſcipulus; teſte Tertull. de præſcript. cap. 51. Hujus Apellis ſequaces Tertullianus appellat *Apellecianos*. lib. de carne Chriſti cap. 8. Epiphanio Ἀπελλειανοὶ *Apellejani* dicuntur, hæreſ. 44. num. 1.

*Apelleciani.*

4. Sequitur tertia ſpecies. Chriſtum in ſubſtantia corporis noſtri non fuiſſe, ſed ſpiritale neſcio quod corpus de Cœlo deferentem: quaſi aquam per fiſtulam; ſic per MARIAM Virginem tranſmeâſſe, nihil inde vel accipientem vel mutuantem: adeóque Chriſtum per Virginem, non ex Virgine, editum: delatum in Virginem tranſmeatorio potiùs, quàm generatorio, more, proceſſiſſe: per ipſam, non ex ipſa: non matrem eam, ſed viam paſſum: & ſuper hunc Chriſtum devolâſſe tunc in Baptiſmatis ſacramento Soterem per effigiem columbæ, dixit *Valentinus*, & *Valentiniani*; teſte Tertull. de præſcript. cap. 49. & lib. adverſus Valentinianos, cap. 27. (*Gnoſticos* è Valentini ſcholâ prodeuntes Irenæus ait, iſto modo diviſiſſe Jeſum à Chriſto. Iren. lib. 1. cap. 34. *Tertullianus* hic pro Jeſu Chriſtum, & pro Chriſto Soterem appellat, ex eorundem hæreticorum mente.) Quem blaſphemum errorem ſequuti ſunt *Ptolemæus* & *Secundus* & *Heracleon* hæretici; teſte Tertull. de præſcript. ibid. Item *Tacianus*, Juſtini Martyris magiſtri pii impius diſcipulus, ut ſcribit Tertull. de præſcript. cap. 52. In eodem errore erant hæretici illi qui *Ophitæ* nuncupabantur; eò quòd ſerpentem magni facerent, in tantùm, ut illum etiam ipſi Chriſto præferrent. Tertull. de præſcript. cap. 47.

*Valentiniani. Gnoſtici. Ptolemæus. Secundus. Heracleon. Tacianus. Ophitæ.*

5. Carnem Chriſti animalem, & animam carneam eſſe: adeóque carnem Chriſti nihil aliud quàm animam eſſe nunc factam viſibilem, quæ

antea præ impedimento carnis videri non poterat, ſomniârunt nonnulli hæretici, (qui ſpeciem quartam faciunt) quorum abſurdiſſimam imaginationem refert ac refellit Tertullianus, lib. de carne Chriſti cap. 10. & aliquot ſeqq. utitur hoc argumento Tertullianus: Non noſtram animam liberavit, ſi carneam habuit, noſtra enim carnea non eſt: ſed liberatam conſtat illam. Jam ergo, ſi anima non fuit carnalis in Chriſto, nec caro poteſt animalis fuiſſe. Idem etiam ſic eos deridet: Quale erit (inquit) ut per carnem demonſtraretur anima ſibi aut nobis, quæ per carnem non poterat agnoſci, ut ſic oſtenderetur, dum id fit cui latebat, id eſt, Caro tenebras videlicet accepit, ut lucere poſſit! Plura de hoc argumento legere eſt apud Tertullianum in libro illo de carne Chriſti, quem contra quatuor memoratas hæreſes aliaſque conſcripſit, quas quatuor hæreſes ſimul refellens, cap. 15. ait: Si humana non fuit caro Chriſti, nec ex homine; non video, ex qua ſubſtantiâ ſe Chriſtus hominem & filium hominis pronunciârit. [& interjectis aliquot Scripturæ teſtimoniis, in quibus Chriſtus homo & filius hominis dicitur.] Hæc ſola (inquit) ſufficere vice præſcriptionis debuerunt, ad teſtimonium carnis humanæ & ex homine ſumtæ, & non ſpiritalis, ſicut nec animalis, nec ſidereæ, nec imaginariæ: ſi ſine ſtudio & artificio contentionis hæreſes eſſe potuiſſent. Hæc ille.

*Apollinariſtæ διμοιρῖται.* 6. In quinta ſpecie ſunt hæretici *Apollinariſtæ.* Apollinaris junior, Clericus Laodicenſis, in Laodiceâ Syriæ ad Libanum montem ſitæ, ducem ſe præbuit & anteſignanum perniciosiſſimæ hæreſi eorum, qui ob naturæ humanæ in Chriſto diſcerptionem & mutilationem Epiphanio (hæreſi 77.) & Joanni Damaſceno (lib. de hæreſib.) διμοιρῖται dicuntur; quippe negantes eſſe in Chriſti carne animam, ſaltem rationis participem. hi ab Apollinari Apollinariſtæ dicti ſunt. Hanc hæreſin palam profeſſus eſt Apollinaris, tempore Valentis ejuſque ſucceſſoris Gratiani Imperatorum, poſt primum œcumenicum Nicenum Concilium. Eſtque damnata hæc hæreſis, tum in ſecundo œcumenico Concilio Conſtantinopoli celebrato, tum etiam in Concilio Romano à Damaſo Epiſcopo Romano & Petro Epiſcopo Alexandrino, Athanaſii magni ſucceſſore, & ob Arianorum ſævitiam profugo. Ubi unà cum Apollinari anathematizatus eſt etiam Timotheus ejus diſcipulus; ſicut legimus apud Theodoret. lib. 5. hiſtoriæ Eccleſ. capp. 9. & 10. *Theodoret. lib. 5. hiſt. cap. 3. & 9. & 10. Sozom. lib. 6. cap. 25. κε.*

7. Deſcribit autem Theodoretus, cap. 3. illius libri, gradus impietatis Apollinaris: Neque enim in memorato errore conſtitit ejus inſania, etenim de natura divinâ differens, oratione planè adulterinâ uſus eſt: quippe in eâ dignitatum gradus conſtituere, & œconomiæ Chriſti myſterium imperfectum affirmare, & animam rationis participem, cui corporis moderatio commiſſa eſt, ſalute, quæ per Chriſtum parta eſt, privatam dicere non dubitavit. Nam hanc animam, uti ejus ferebat opinio, Dei Verbum non ſumſit, neque ei vel meditari, vel ullum honorem tribuere dignatum eſt: ſed corpus quidem terrenum à poteſtatibus inviſibilibus adoratur; anima autem, quæ ſecundum imaginem divinam facta eſt, infrà manſit, peccati dedecore undique reſperſa. Multas item alias peſtiferas opiniones, propter mentem errore & ignoratione cæcatam, docuit. Nam interdum carnem Chriſti ex ſanctâ Virgine aſſumtam eſſe confitebatur; nonnunquam verò eam cœlitus cum Deo Verbo deſcendiſſe ajebat; aliquando ipſum Deum Verbum factam eſſe carnem, ſed nihil ex nobis accepiſſe. Alias quoque fabulas & nugas divinis adjunxit promiſſionibus. Hæc de Apollinaris hæreſi Theodoretus, loco proximè citato. Similia legere eſt de Apollinaris erroribus apud Gregor. Nazianz. priore epiſt. ad Cledonium, quæ eſt oratio 51. & apud Epiphanium, hæreſ. 77. & rurſus apud Theodoretum lib. 4. hæreticarum fabularum.

8. Idem autem Apollinaris priùs doctrinam orthodoxam, contra Arianos & Paulianos, tempore Athanaſii Alexandrini, ſtrenuè defendebat; ut legimus apud Sozomenum, lib. 6. hiſt. Eccleſ. cap. 21. poſtea autem in hæreſin ſuam lapſus, adjutorem nactus eſt Vitalium Presbyterum Antiochenum, virum in ſumma apud populum veneratione, & ob piam vivendi rationem moreſque ſpectatos, perilluſtrem, qui à Meletio Epiſcopo Antiocheno orthodoxo ſe ſeparans, & Apollinari ſe conjungens, non exiguum hominum numerum, reverentiâ converſationis ejus motum, ad eam ſectam perduxit. Dictique ſunt à Vitalio *Vitaliani*; quemadmodum ab Apollinari Apollinariſtæ: ut ſcribit Sozom. lib. 6. hiſt. Eccleſ. cap. 25. κε. *Vitalius adjutor Apollinaris.* *Vitaliani.*

9. Gregorius Nazianzen. cognomento Theologus, in epiſtola quadam ad Nectarium Epiſcopum Conſtantinopolitanum, queritur calamitatem Eccleſiæ eam eſſe acerbiſſimam; quòd Apollinariſtæ ſuam doctrinam tam liberè & audacter in vulgus efferre permitterentur: & ait, librum quendam Apollinarii in manus ipſius veniſſe; ex quo libro ſummam illius hæreſeos refert Gregorius in hæc verba: Aſſeveranter affirmat Apollinarius, quòd in œconomia incarnationis unigeniti Dei Filii non eſſet caro, ad noſtram naturam reparandam, aliunde aſſumta; ſed quòd ab æternitate carnea illa natura in Filio Dei ineſſet: atque quò hanc abſurdam opinionem confirmet, ſententiam quandam Euangelii, quam malè interpretatus eſt, profert; quæ ita ſe habet: *Nemo aſcendit in Cœlum, niſi qui deſcendit de Cœlo, Filius hominis. Sic, ut priuſquam deſcenderet, Filius hominis fuerit, deſcenderitque ſuam illam ſecum adferens carnem, quam jam in Cœlo habebat, æternam ſcilicet & conſubſtantialem,* [συναιδίως τε καὶ συνουσιωμένην.] Citat porrò quandam Apoſtoli ſententiam; quòd ſecundus homo de Cœlo. Deinde aſſerit hominem illum qui de Cœlo venerit, mentem non habere; ſed Deitatem unigeniti mentis naturam ſuppleviſſe, & in hominis coagmentatione tertiam partem ad animam & corpus (quæ in eo, ut humana fert natura, inerant) adjunctam eſſe: quippe mentem in eo non fuiſſe, ſed Deum Verbum ejus locum ſuppleviſſe. Neque hac abſurdâ doctrinâ contentus acquievit: ſed (quod eſt omnium maximè peſtiferum,) ipſum unigenitum Deum, judicem univerſitatis, principem vitæ, deſtructorem mortis, mortalem eſſe affirmavit, & in ſua ipſius Divinitate paſſum eſſe; & triduo illo, quo corpus mortuum erat, Divinitatem quoque ejus pariter mortuam eſſe, & ita à Patre denuo ex morte excitatam. Hæc de Apollinariis, ſive Apollinari hæreſi, Gregorius Theologus, cujus verba tranſſcripſit Sozomenus, lib. 6. hiſtor. Eccleſ. cap. 27. κζ. *Joan. 3. 13.* *1. Cor. 15. 47.*

10. Idem Gregorius alibi diſputans contra eandem hæreſin, ait: εἴ τις εἰς ἄνουν ἄνθρωπον ἤλπικεν, ἀνόητός ἐστιν αὐτὸς, καὶ οὐκ ἄξιος ὅλος σώζεσθαι. τὸ γὰρ ἀπρόσληπτον, ἀθεράπευτον· ὃ δὲ ἥνωται τῷ Θεῷ, τοῦτο καὶ σώζεται. id eſt: Si quis in hominem mente carentem ſperat, amens profectò eſt, nec dignus qui totus ſalvus fiat: Nam quod aſſumtum non eſt, curationis eſt expers: quod autem Deo unitum eſt, hoc quoque ſalutem conſequitur. Hæc Gregorius Nazianzenus, orat. 51. quæ eſt epiſtola prima ad Cledonium. *τὸ ἀπρόσληπτον, ἀθεράπευτον.*



11. De eadem hæreſi ſic loquitur Auguſtinus: Apollinariſtas Apollinaris inſtituit, qui de anima Chriſti à Catholica diſſenſerunt, dicentes, ſicut Ariani, Deum Chriſtum carnem ſine anima ſuſcepiſſe. in quæſtione teſtimoniis Euangelicis victi, mentem, quâ rationalis eſt anima hominis, non fuiſſe in anima Chriſti; ſed pro hac ipſum Verbum in ea fuiſſe dixerunt. De ipſa verò ejus carne ſic à rectâ fide diſſenſiſſe perhibentur, ut dicerent carnem illam & Verbum unius ejuſdemque ſubſtantiæ, contentioſiſſimè aſſeverantes Verbum carnem factum, hoc eſt, Verbi aliquid in carnem fuiſſe converſum atque mutatum; non autem carnem de Mariæ carne ſuſceptam. Hæc Auguſtinus, lib. de hæreſibus.

12. Ejuſdem Apollinaris hæreſes in hunc modum deſcribit Vincentius Lirinenſis: Apollinaris in unitate quidem Trinitatis quaſi conſentire ſe jactitat, & hoc ipſum non plenâ fidei ſanitate, ſed in Domini incarnatione apertâ profeſſione blaſphemat: dicit enim in ipſa Salvatoris noſtri carne, aut animam humanam penitùs non fuiſſe, aut certè talem fuiſſe cui mens & ratio non eſſet. & ipſam Domini carnem, non de ſanctæ Virginis Mariæ carne ſuſceptam, ſed de Cœlo in Virginem deſcendiſſe dicebat: eamque nutabundus ſemper & dubius, modò coæternam Deo Verbo, modò de Verbi divinitate factam prædicabat: nolebat enim in Chriſto duas eſſe ſubſtantias, unam divinam, alteram humanam: unam ex Patre, alteram ex Matre: ſed ipſam Verbi naturam putabat eſſe diſciſſam, quaſi aliud ejus permaneret in Deo, aliud verò verſum fuiſſet in carnem: ut, cùm veritas dicat ex duabus ſubſtantiis unum eſſe Chriſtum, ille contrarius veritati, ex una Chriſti divinitate duas adſerat factas eſſe ſubſtantias. Hæc de Apollinaris inſaniâ Vincentius, libro adverſus profanas novationes. *Apollinaris nutabundus ſemper & dubius.*

13. In eo libro notatu digna eſt Vincentii de Photino & Apollinari hæreſiarchis obſervatio; Fuiſſe illos homines ingenii viribus valentes, & doctrinæ opibus excellentes, & eloquio præpotentes, imò tantos ac tales, quibus nimium citò in plurimis crederetur. Et de Apollinari loquens; Quid illo, inquit, præſtantius acumine, exercitatione, doctrinâ? quàm multas ille hæreſes multis voluminibus oppreſſerit, quot inimicos fidei confutaverit errores, indicio eſt opus illud triginta non minus librorum nobiliſſimum & maximum, quo inſanas Porphyrii calumnias magnâ probationum mole confudit. Longum eſt univerſa ipſius opera commemorare, quibus profectò ſummis ædificatoribus Eccleſiæ par eſſe potuiſſet, niſi profana illa hæreticæ curioſitatis libidine novum neſcio quod adinveniſſet, quo & cunctos labores ſuos velut cujuſdam lepræ admixtione fœdaret, & committeret, ut doctrina ejus non tam ædificatio, quàm tentatio potius Eccleſiaſtica diceretur. Hæc de illo Vincentius Lirinenſis. Et in eandem ſententiam Theophilus Alexandrinus Epiſcopus, libro primo Paſchali: Ceſſent, inquit, Apollinaris diſcipuli ea, quæ contra Eccleſiaſticas regulas eſt loquutus, propter alia ejus ſcripta defendere: licet enim adverſus Arianos, & Eunomianos ſcripſerit, & Origenem alioſque hæreticos ſuâ diſputatione ſubverterit; tamen qui memor eſt illius præcepti, *Non accipies perſonam in judicio,* veritatem ſemper debet diligere, non perſonas, &c. *Hæretici multis dotibus quandoque abundant. Vide ſupra de Valentino lib. 1. cap. 5. §. 3. & de Priſcilliano, lib. 1. cap. 17. §. 3. & infra, lib. 3. cap. 2. §. 2.* *Deut. 1. 17.*

14. De ejuſdem Apollinaris hæreſi loquens Theodoretus, Ex hac, inquit, radice enata eſt illa pernicies in Eccleſiis, quæ aſſeveravit unam carnis & Divinitatis Chriſti eſſe naturam, quæque Divinitatem unigeniti Dei Filii paſſam eſſe affirmavit: & alia quoque, quæ cùm in populo, tum in ſacerdotibus magnam diſcordiam concitârunt. Hæc Theodoretus, Eutychianam hæreſin ex Apollinariſmo deductam innuens, lib. 5. hiſt. Eccleſ. cap. 3. Idem quoque, ejuſdem libri capite quarto, ſcribit Apollinarem ab Eccleſiarum gubernatione repulſum, deinceps doctrinam, quam ipſe recens excogitârat, palam prædicare, & ſe principem ſectæ profiteri cœpiſſe. Simile de *Montano*, hæretico, Cataphrygum Anteſignano, ſcribit Euſebius, lib. 5. hiſt. Eccleſ. cap. 15. ιϛ. Pagus quidam dicitur eſſe in Myſia Phrygiæ, qui nuncupatur *Ardaban.* ibi ferunt quendam nomine *Montanum*, qui nuper ad fidem venerat, Grato tum Proconſule Aſiæ, primùm inſatiabili quadam animi cupiditate in primatu ambiendo incenſum, ſimulatque aditum Diabolo adverſario ad ſe patefecerat, ſpiritu quodam maligno abripi [πνευματοφορηθῆναι,] & derepente furore & mentis inſaniâ exagitatum bacchari atque mox cœpiſſe garrire, & peregrinas quaſdam voces fundere, &c. En duo horrenda exempla impotentis φιλοπρωτείας! Et quadam non abſimili animi offenſione, ad Apollinarem tranſiit *Vitalius*, teſte Sozomeno, lib. 6. cap. 25. κε. *Montanus hæreſiarcha.* *Φιλοπρωτεία.*

15. Accedo nunc ad ſextam ſpeciem primi generis hæreticorum Χριστομάχων. *Servetus* à Manichæis & Priſcillianiſtis hoc mutuatus, quod *animam* dixerit *ex Deo ſeu ex Dei ſubſtantia eſſe natam*, de ſuo addidit, *etiam ipſam Chriſti carnem ex Deitate ipſa & ex tribus elementis increatis eſſe factam*: ſicut patet ex Refutatione errorum Serveti, in Opuſculis Calvini, & ex ejuſdem Calvini inſtitutione, lib. 2. cap. 14. Illum autem fuiſſe Manichæorum & Priſcillianiſtarum, quem diximus, de anima errorem, patet ex libro Auguſtini de natura boni adverſus Manichæos cap. 42. & ex commonitorio Oroſii ad Auguſtinum de errore Priſcillianiſtarum & Origeniſtarum, quod inſertum eſt operibus Auguſtini Tom. 6. Iſta etiam Serveti deliramenta tam manifeſtè ſunt abſurda & impia, ut longâ refutatione non egeant, imò retuliſſe refutâſſe ſit: prolixam tamen eorum confutationem inveniet lector apud Calvinum, locis citatis. *Servetus.*

CAPUT

## CAPUT SECUNDUM.

*Secundum genus hæreticorum* Χριστομάχων. *quo comprehenduntur illi hæretici, qui veritatem humanæ Chriſti naturæ agnoſcentes, errarunt tamen de ejuſdem naturæ origine.*

IN ſecundo genere ſunt illi hæretici, qui, conceſſâ humanæ in Chriſto naturæ veritate, de ejuſdem origine errârunt. Eorum duæ ſunt ſpecies: nam aliorum error fuit de origine carnis Chriſti, aliorum verò de origine animæ Chriſti.

*Carpocrates.* 1. *Carpocrates*, cum ſua ſectâ, dicebat; Chriſtum non ex Virgine Mariâ natum, ſed ex ſemine *Cerinthus.* Joſeph hominem tantummodò genitum. *Cerinthus* etiam Chriſtum ex ſemine Joſephi natum propoſuit, hominem illum tantummodò ſine *Hebion.* Divinitate contendens. Ejuſque ſucceſſor *Hebion* fuit in eadem hæreſi. ſicut ſcribit Tertull. lib. de præſcriptionib. cap. 48. Irenæus autem, lib. 1. adverſus hæreſes cap. 25, ſcribit; Cerinthum hæreticum diviſiſſe Jeſum à Chriſto, & aſſeruiſſe Jeſum eſſe Joſephi & Mariæ filium ſimiliter ut reliqui homines, non autem ex Virgine natum; plus autem potuiſſe juſtitiâ & prudentiâ & ſapientiâ præ omnibus: & poſt baptiſmum deſcendiſſe in eum Chriſtum, ab ea principalitate, quæ eſt ſuper omnia, figurâ columbæ, & tunc annunciâſſe incognitum Patrem & virtutes perfeciſſe; in fine autem revolâſſe Chriſtum de Jeſu, & Jeſum paſſum eſſe & reſurrexiſſe; Chriſtum autem impaſſibilem perſeverâſſe exiſtentem ſpiritalem. Hæc ibi. Sic etiam Jeſum à Chriſto ſeparârunt *Gnoſtici. Ca. 1. §. 14.* *Gnoſtici*, quamvis non dicerent Jeſum eſſe ex ſemine Joſephi, vel ex Maria Virgine; ut patet ex eodem Irenæo, lib. 1. cap. 34.

*Origeniſtæ.* 2. De origine animæ Chriſti errârunt *Origeniſtæ*. Unde Theophilus Epiſcopus Alexandrinus de Chriſto ſcribens, Nec carnem, inquit, deduxit de Cœlo; nec animam, quæ priùs ſubſliterat, & ante carnem ejus condita erat, ſuo corpori copulavit: ſicut Origenis nituntur docere diſcipuli. Si enim anima Salvatoris, antequam ille humanum corpus adſumeret, in cœlorum regionibus morabatur, & necdum erat anima illius; impiiſſimum eſt dicere, ante corpus eam fuiſſe Domini, agentem aliquid & vigentem, & poſteà in animam illius commutatam. Aliud eſt, ſi poſſunt de Scripturis docere, antequam naſceretur ex Mariâ, habuiſſe hanc animam Deum Verbum, & ante carnis aſſumtionem animam illius nuncupatam. Quod ſi & auctoritate Scripturarum & ipſâ ſuſcipere ratione coguntur, Chriſtum non habuiſſe animam antequam de Maria naſceretur, in adſumtione enim hominis & anima ejus adſumta eſt, perſpicuè convincuntur, eandem animam & illius & non illius fuiſſe dicentes. Sed ceſſent illi à novorum dogmatum impietate ſubundi. Nos ſcripturarum normam ſequentes, totâ cordis audaciâ prædicemus, quòd nec caro illius nec anima fuerint, priuſquam de Maria naſceretur. Nec ante anima in Cœlis ſit commorata, quam ſibi poſtea adjunxerit: nihil enim noſtræ conditionis è Cœlo veniens ſecum Dominus deportavit. Hæc Theophilus Epiſcopus Alexandrinus, libro 1. Paſchali, interprete Hieronymo.

## CAPUT TERTIUM.

*Tertium genus hæreticorum* Χριστομάχων, *In quo genere ſunt errantes de perſona Chriſti, quamvis de humanitatis ejus veritate & origine cum orthodoxis conſentiant.*

SUb hoc tertio genere ſunt quatuor præcipuæ ſpecies.

1. In prima ſpecie ſunt ii, qui divinam perſonam Chriſto competere omnino negârunt: in *Theodotus Bizantius.* quo errore fuit *Theodotus* ille *Bizantius*, qui, poſtquam pro Chriſti nomine comprehenſus negavit, in Chriſtum blaſphemare non deſtitit. Doctrinam enim introduxit, qua Chriſtum hominem tantummodo diceret, Deum autem illum negaret: ex Spiritu quidem Sancto natum ex Virgine, ſed hominem ſolitarium atque nudum, nulla alia præ cæteris, niſi ſola juſtitiæ auctorita-*Theodotus alter hæreticus.* te. Alter poſt hunc *Theodotus hæreticus* erupit, Melchizedecianorum auctor, qui ipſum hominem Chriſtum tantummodo dixit ex Spiritu Sancto ex Virgine Maria conceptum pariter & natum; ſed hunc inferiorem eſſe quàm Melchizedec. ſicut de illis ſcripſit Tertull. de præſcr. cap. 53. Eundem poſtea errorem renovarunt *Paulus Samoſatenus* Antiochiæ Epiſcopus, & *Photinus* *Paulus Samoſatenus. Photinus.* Syrmii Epiſcopus, Chriſtum hominem ſolitarium atque nudum dicentes; de quibus vide ſuprà, lib. 1. cap. 2. § 4.

*Neſtoriani.* 2. In ſecunda ſpecie ſunt *Neſtoriani*, concedentes quidem perſonam divinam; at ab ea humanitatem ſeparantes, & pro una Mediatoris θεανθρώπου perſona duas perſonas introducentes: horum princeps fuit *Neſtorius*, Epiſcopus Conſtantinopolitanus, ob hanc hæreſin abdicatus, decreto Concilii œcumenici tertii. ſicut infrà clariùs elucebit.

3. In tertia ſpecie ſunt reliquiæ Neſtorianorum, quæ damnatę ſunt in quinto Concilio œcumenico; & dici poſſunt *hæretici*, vel ſaltem *ſchiſmatici trium capitulorum*, de quibus infrà, lib. 3. cap. 24. & 25. *Hæretici vel Schiſmatici trium capitulorum.*

4. In quarta ſpecie fuerunt *Adoptionarii, Elipandus & Felix*, eorumque ſequaces, impiè aſſerentes; Chriſtum ſecundum carnem eſſe Dei Patris Filium adoptivum. quæ hæreſis damnata eſt in Concilio Francofurtenſi à ter centum Epiſcopis, regnante Carolo Magno, anno Domini 794. *Adoptionarii.* Nam etſi caro Chriſti non eſt ex Patre, per æternam illam generationem, genita; ille tamen cujus ea eſt caro, genitus eſt per æternam illam generationem. Neque aſſumtione carnis fit duo filii, aut duæ perſonæ; ſed una manet perſona, idemque Filius proprius & naturalis etiam in ſua carne. Neque aſſumſit novam hypoſtaſin, in qua adoptetur; ſed unicus ille & naturalis Filius Dei in una illa ſua atq; æternâ hypoſtaſi univit ſuę Deitati aſſumtam humanitatem, ſive humanam naturam. De quo argumento plura dicemus infrà, lib. 6.

CAPUT.



## CAPUT QUARTUM.

*De quarto genere hæreticorum* Χριστομάχων, *quod complectitur eos hæreticos, qui de perſona Chriſti cum Catholicis conſentientes, errârunt tamen de naturarum in una illa perſona unione & proprietatibus: vel etiam de perſona & naturis; ut Acephali.*

SUb hoc genere quinque ſunt præcipuæ ſpecies veterum hæreticorum: Nempe *Eutychiani, Acephali, Aphthartodocitæ, Agnoïtæ, Monothelitæ.* Et poſteà de hoc dogmate, aliena à veritate docuerunt etiam *Tranſſubſtantiarii*, & *Ubiquetarii*. Ut ſeptem ſint hic errantium ſpecies.

*Eutychiani.* *Eutychiani* ab *Eutychete* Archimandrita Conſtantinopolitano denominati ſunt, qui etiam *Dioſcoritæ* dicti ſunt, ab ejuſdem hæreſeos propugnatore *Dioſcoro*, Patriarchâ Alexandrino. qui ambo in Concilio Chalcedonenſi Oecumenico quarto damnati ſunt, anno Dom. 451. eò quod unam tantùm in Chriſto naturam poſt incarnationem eſſe pertinaciter contenderent. ſicut pluribus infrà docebimus, cap. 9. hujus libri, & ſequentibus.

*Acephali. Vide lib. 3. cap. 14.* 2. In ſecunda ſpecie ſunt *Acephali* hæretici, ſic dicti, quòd nullum haberent unum certum caput & auctorem ſuæ hæreſeos, ſicut obſervant Ado Viennenſis, in Chronico, part. 6. ad annum Dom. 458. & Honorius, Auguſtodunenſis Presbyter, lib. de hæreſib. hæreſi 82. hi, reſumto Eutychetis errore, quædam etiam à Neſtorio mutuati ſunt, contra orthodoxam fidem in Chalcedonenſi Concilio declaratam. Damnati ſunt in Concilio Conſtantinopolitano, quod præſidente Mennâ, Patriarcha Conſtantinopolitano, celebratum eſt, ann. Dom. 536. imperante Juſtiniano ſeniore. quinam verò hujus hæreſeos principes extiterint, & quemadmodum Patriarchales ſedes attaminaverit, pluribus oſtendetur, infrà, lib. 3.

*Aphthartodocitæ.* 3. *Aphthartodocitæ* tertiam conſtituunt ſpeciem, de carnis Chriſti infirmitatibus errantes, de quorum origine & hæreſi pluribus dicemus infrà, lib. 3. cap. 18.

*Agnoïtæ.* 4. In quarta ſpecie ſunt *Agnoïtæ*: de quibus etiam dicemus infrà, lib. 3. cap. 19.

*Monothelitæ.* 5. In quinta ſpecie ſunt *Monothelitæ*, qui, cùm duas Chriſti naturas apertè non auderent negare, neque Chalcedonenſi Concilio palam contradicere, adinveniſſe ſibi viſi ſunt opportunam concordiæ rationem, quâ utramque diſſentientium partem conciliarent: ut nimirum, admiſſo de duabus naturis Concilii Chalcedonenſis decreto, unicam aſſererent in Chriſto voluntatem, neque duas dici in Chriſto voluntates paterentur. hæc erat perverſa prudentia Cyri Epiſcopi Alexandrini, & Sergii Epiſcopi Conſtantinopolitani, aliorumque hujus hæreſeos fautorum; de quibus infrà prolixius dicemus, libro quinto hujus operis. Damnata eſt hæc hæreſis cum ſuis propugnatoribus & fautoribus, in Concilio Lateranenſi Romano centum & quinque Epiſcoporum, præſide Martino, Epiſcopo Romano hujus nominis primo, anno Dom. 649. & poſtea in alio Concilio Romano centum & viginti-quinque Epiſcoporum, præſide Agathone Papa Romano, anno Dom. 680. & tandem decreto œcumenici Concilii ſexti, Conſtantinopoli celebrati, ann. Dom. 681. quæ omnia clarius (volente Deo) patebunt ex eis, quæ dicentur lib. 5.

6. In ſexta ſpecie ſunt *Tranſſubſtantiarii*, qui *Tranſſubſtantiarii.* tradunt ac defendunt converſionem ſubſtantialem, id eſt, Tranſſubſtantiationem panis Euchariſtici in corpus Chriſti, & vini Euchariſtici in ſanguinem Chriſti. Adeò ut multiplicent Chriſto corpora; quamvis ipſi Verbo quidem affirment unicum manere Chriſti corpus, & illud unicum corpus integrum & totum ſedere concedant ad dextram Patris in Cœlis. Re ipſa tamen has ipſos fidei articulos everſum eunt, cùm unum idemque corpus integrum & totum ſimul in multis diſcretis locis exiſtere doceant, & idem illud corpus totum ac integrum ſub ſpeciebus panis & vini contineri: imò totum & integrum Chriſtum ſub panis ſpecie, & ſub quavis ipſius ſpeciei parte; totum item ſub vini ſpecie & ſub ejus partibus exiſtere & contineri. ſicut legimus in Seſſione 13. Concilii Tridentini. De hujus autem hæreſeos initiis & incrementis, item de ejuſdem abſurditate copioſius dicetur infrà, libro undecimo hujus operis.

7. In ſeptima ſpecie ſunt *Ubiquetarii* (quos *Ubiquetarii.* tamen hæreticis non facilè accenſemus,) hi magno cum gemitu & dolore reformatæ Eccleſiæ, errorem Ubiquetatis corporis Chriſti pertinaciter tuentur, & triſte ſchiſma alunt. hi, quamvis diſtinctas naturarum in Chriſto nobiſcum confiteantur proprietates; Ubiquetatis tamen commentum defendunt, quod cum orthodoxa ipſorum confeſſione non bene conciliant. Negant quidem tranſſubſtantiationem; at affirmant ipſum Chriſti corpus adeſſe corporaliter in Cœna, & ab omnibus communicantibus, etiam indignis, ore, & quidem manducando, accipi non ſolùm Sacramentum corporis, ſed ipſum corpus Chriſti quoad ſubſtantiam. & hoc corpus non ſolùm in Cœlo eſſe finitâ & circumſcriptâ quantitate & viſibili ſtaturâ; ſed etiam ubique diffuſum eſſe, & quidem ſecundum ſuam ſubſtantiam ubicunque eſt Chriſti Divinitas, ibidem eſſe ejus humanitatem. Neque verentur affirmare, ipſa divina attributa carni Chriſti per unionem hypoſtaticam eſſe communicata, adeò ut non ſolum Chriſtus ſit ubique ſecundùm Deitatem, ſed etiam caro Chriſti ſit ubique, ſive Chriſtus ſecundùm humanitatem: quemadmodum patet ex Chemnitii libro de fundamentis cœnæ Dominicæ, cum Gerardi libro de perſona & officio Chriſti, & Himmelii Syntagmate diſputationum Theologicarum, diſput. 13. quæ eſt de communicatione naturarum, & naturalium tum proprietatum tum operationum in Chriſto, & aliis. De quo errore plura dicemus, Deo donante, infrà, in fine libri undecimi, & in fine libri decimi-quarti hujus operis.

L CAPUT

## CAPUT QUINTUM.

*Orthodoxa Antitheſis, compendio metrico propoſita, contra omnes memoratas hereſes & errores in argumento de myſterio incarnationis.*

*Non phantaſma caro Chriſti, non eſt animalis:*
*at nec ſiderea eſt eadem, nec ſpiritualis.*
*Non eſt ex ipſa Deitate, tribuſve elementis,*
*Serveti nunquam (proh quæ dementia!) factis:*
*ſed verè humana eſt, ex Virgine matre creata.*
*Corpus habens animamque hominis ratione vigentem,*
*virgineo ſed conceptu non anteriorem,*
*Verus homo, verusque Deus de Virgine Chriſtus,*
*Perſona inſignis naturis una duabus*
*naſcitur, Immanuel, Deus incarnatus, ut idem*
*ſit quod erat, fiat quod non erat, & ſit utrumque.*
*Virgo beata Deum peperit: Deus eſt homo natus.*
*Et naturarum Chriſto ſervantur in uno*
*inconfuſarum diſtincta proprietates.*
*Infirmam aſſumſit noſtraque per omnia carnem,*
*peccato excepto, ſimilem, verèque dolores*
*ſenſit, opuſque habuit requie, potuque ciboque.*
*Verè eſt triſtatus, veréque eſt mortuus. almam*
*non potuit putredo tamen corrumpere carnem.*
*Devictâ de morte redux, non ille dolorem*
*eſuriemve pati potuit, nec vulnere lædi:*
*ſed nullius egens, animos ut diſcipulorum*
*firmaret, cunctis piſcem ſpectantibus edit.*
*Utque duæ ſunt naturæ: ſic bina voluntas*
*unius Chriſti, nec non operatio bina.*
*Ex homine atque Deo non eſt eſſentia miſta:*
*ſic neque ſunt actus miſti, neque miſta voluntas.*
*Actio compoſita eſt ex actibus illa duobus,*
*Non una aut ſimplex; ſed verè eſt actio duplex,*
*Principio à gemino quæ dicta Theandrica priſcis.*
*Chriſtum hominem Deus ipſe ſuum Iordanis ad undas*
*proclamat natum, ſanctique in vertice montis:*
*Hunc illi non Patris adoptio fecit honorem,*
*ſed naturalis proprius Patris omnipotentis*
*Filius omnipotens aſſumtâ in carne perennat.*
*Eſt homo jam proprius naturaliſque Tonantis*
*Filius: hoc naturarum dat hypoſtaſis una.*
*Sacramenta ſui dans corporis atque cruoris,*
*illa ſuum Chriſtus corpus vocat atque cruorem,*
*in Sacramentis conſueto more loquendi.*
*At* naturarum non ſit mutatio; Chriſtus*
*ut ſibi triticeo formet de ſemine corpus,*
*aut uva fiat de ſanguine ſanguis Ieſu.*
*Nec panis vinique fugit ſubſtantia, ſola*
*ut maneant ſpecies, & concludatur iniquis*
*ſalviſicum corpus ſpaciis. Nec ubique, nec uno*
*tempore diu locis in pluribus eſt caro Chriſti.*
*Sicut erat, cùm prima daret myſteria cœna:*
*ſic, poſtquam tumuli calcatâ mole, revixit,*
*verè unum, humanum, finitum corpus Ieſu,*
*humanâ mole, organicum, ſpacio ſimul uni*
*commenſuratum manet, æternumque manebit.*
*Noſtra cui Dominus conformia corpora reddet.*
*Gloria naturam non aufert, addit honorem.*

* Naturarum mutatio non [illegible] vide lib. 11. cap. 4.

*Gregorius Theologus, in gnomis.*

Νήπιος, ὅστις ἄνακτα Θεοῦ Λόγον ἄστε ἰσοῦν
Οὐ τίετ' ἰσόθεως πατρὸς ἀκηράτου.
Νήπιος, ὅστις ἄνακτα Λόγον, βροτὸν ἔσσω φανέντα,
Οὐ τίετ' ἰσόθεον οὐρανίου Λόγου.
Τέμνει δ' ὁ μεγάλοιο πατρὸς Λόγον, ἢ Λόγοιο
Μορφὴν ἀνδρομέην, καὶ πάχος ἀμφότερον·

id eſt:

*Inſanit Regi divinum quiſquis honorem*
*Non tribuit Verbo cum Genitore parem.*
*Inſanit, Verbo incarnato quiſquis eundem*
*Denegat, æthereo qui tribuendus honor.*
*A Patre vel magno Verbum disjungit, ab ipſo*
*Humanum Verbo diſſociatve lutum.*

## CAPUT SEXTUM.

*Duodecim capitula ſeu anathematiſmi Cyrilli, à Synodo tertia œcumenica Epheſinâ approbati, cum hiſtorica præfatiunculâ.*

Quia Neſtorius, Epiſcopus Conſtantinopolitanus negavit, beatam Virginem Mariam dicendam eſſe Deiparam. [Θεοτόκον.] Multi ex populo & clero, & penè omnia monaſteria & Archimandritæ Conſtantinopolitani abſtinuerunt à communione; noluerunt enim cum eo ampliùs communionem habere qui ſic ſentiret: eidemque errori reſtiterunt Epiſcopi aliarum provinciarum, imprimis verò ſtrenuus ille veritatis propugnator *Cyrillus*, Epiſcopus Alexandrinus, qui ea de re ad ipſum Neſtorium literas ſcripſit hortatorias, & alios etiam Epiſcopos ad veritatis defenſionem literis ſuis exſtimulavit. Nam cùm amicis hortamentis, & perſpicuis pro veritate argumentis, apud pertinacem Neſtorium nihil proficeret, ſed è contrario Neſtorius, miſſis ad Cœleſtinum Epiſcopum Romanum literis, Occidentales Epiſcopos in ſuam ſententiam pertrahere niteretur, ſcripſit de ea re totâ Cyrillus ad Cœleſtinum Epiſcopum Romanum, ad Joannem Epiſcopum Antiochenum, ad Juvenalem Epiſcopum Hieroſolymitanum, ad Acacium Epiſcopum Berœenſem; qui omnes Cyrillo conſenſerunt: & Cœleſtinus quidem & Cyrillus, convocatis Synodis, Romanâ & Alexandrinâ, miſerunt à ſua quiſque Synodo literas de excommunicatione ad Neſtorium, eum à communione Chriſtianorum & ab officio Epiſcopali alienum declarantes, niſi abjecto errore orthodoxam fidem à Cyrillo defenſam palàm profiteretur. Ad finem verò epiſtolæ à Cyrillo & Synodo Alexandrinâ ad Neſtorium miſſæ, ponuntur hæc duodecim capitula, ſive anathematiſmi, ex mente Cyrilli & Concilii Alexandrini, quæ etiam capitula poſteà approbata & recepta ſunt in Concilio Oecumenico tertio, quod ob hanc controverſiam celebratum eſt Epheſi; imperante Theodoſio juniore Auguſto, Arcadii filio: cui Concilio præſedit Cyrillus. aderant cum eo Epiſcopi circiter ducenti, eorumque decreto ſynodico hæreticus pronunciatus & exauctoratus eſt Neſtorius, anno Dom. 431. Joannes quidem Antiochenus



Antiochenus aliquandiu Neſtorium tueri conatus, ſe oppoſuit Cyrillo; ſed poſtea miſſo Alexandriam Paulo Epiſcopo Emiſeno, pacem cum Cyrillo fecit: & Neſtorii abdicationem & Synodi decreta approbavit. Neſtorium autem Imperator Oaſim oppidum in Lybiæ deſertis deportari juſſit; ſuffecto in ejus locum Maximiano, in Epiſcopatu Conſtantinopolitano. Hæc omnia ex tom. 1. Concil. & Socrat. lib. 7.

α. Εἴ τις οὐχ ὁμολογεῖ Θεὸν εἶναι κατ' ἀλήθειαν τὸν Ἐμμανουὴλ, καὶ διὰ τοῦτο Θεοτόκον τὴν ἁγίαν παρθένον, γεγέννηκε γὰρ σαρκικῶς, σάρκα γεγονότα τὸν ἐκ Θεοῦ Λόγον· ἀνάθεμα ἔστω.

β. Εἴ τις οὐχ ὁμολογεῖ σαρκὶ καθ' ὑπόστασιν ἡνῶσθαι τὸν ἐκ Θεοῦ πατρὸς Λόγον· ἕνα τε εἶναι Χριστὸν, μετὰ τῆς ἰδίας σαρκὸς, τὸν αὐτὸν δηλονότι Θεόν τε ὁμοῦ καὶ ἄνθρωπον, ἀνάθεμα ἔστω.

Vide lib. 3. cap. 21. §. 4. 13. 41. 42.

γ. Εἴ τις ἐπὶ τοῦ ἑνὸς Χριστοῦ διαιρεῖ τὰς ὑποστάσεις μετὰ τὴν ἕνωσιν, μόνῃ συνάπτων αὐτὰς συναφείᾳ τῇ κατὰ τὴν ἀξίαν, ἤγουν αὐθεντίᾳ, ἢ δυναστείᾳ, καὶ οὐχὶ δὴ μᾶλλον συνόδῳ τῇ καθ' ἕνωσιν φυσικὴν, ἀνάθεμα ἔστω.

δ. Εἴ τις προσώποις δυσὶν, ἤγουν ὑποστάσεσι, τάς τε ἐν τοῖς εὐαγγελικοῖς καὶ Ἀποστολικοῖς συγγράμμασι διανέμει φωνὰς, ἢ ἐπὶ Χριστῷ παρὰ τῶν ἁγίων λεγομένας, ἢ παρ' αὐτοῦ περὶ ἑαυτοῦ, καὶ τὰς μὲν ὡς ἀνθρώπῳ παρὰ τὸν ἐκ τοῦ Θεοῦ Λόγον ἰδικῶς νοουμένῳ προσάπτει, τὰς δὲ ὡς θεοπρεπεῖς μόνῳ τῷ ἐκ Θεοῦ πατρὸς λόγῳ, ἀνάθεμα ἔστω.

ε. Εἴ τις τολμᾷ λέγειν, θεοφόρον ἄνθρωπον τὸν Χριστὸν, καὶ οὐχὶ δὴ μᾶλλον Θεὸν εἶναι κατ' ἀλήθειαν, ὡς Υἱὸν ἕνα καὶ φύσει, καθὸ γέγονε σὰρξ ὁ λόγος, καὶ κεκοινώνηκε παραπλησίως ἡμῖν αἵματος καὶ σαρκὸς, ἀνάθεμα ἔστω.

ς. Εἴ τις τολμᾷ λέγειν, Θεὸν ἢ δεσπότην εἶναι τοῦ Χριστοῦ τὸν ἐκ Θεοῦ πατρὸς λόγον, καὶ οὐχὶ δὲ μᾶλλον τὸν αὐτὸν ὁμολογεῖ Θεόν τε ὁμοῦ τε καὶ ἄνθρωπον ὡς γεγονότος σαρκὸς τοῦ λόγου κατὰ τὰς γραφὰς, ἀνάθεμα ἔστω.

ζ. Εἴ τις φησὶν, ὡς ἄνθρωπον ἐνηργῆσθαι παρὰ τοῦ Θεοῦ λόγου τὸν Ἰησοῦν, καὶ τὴν τοῦ μονογενοῦς εὐδοξίαν περιῆφθαι ὡς ἑτέρῳ παρ' αὐτὸν ὑπάρχοντι [aliter legitur, ἐξουσίαν περιῆφθαι ὡς ἑτέρῳ παρ' αὐτὸν ὑπάρχοντι] ἀνάθεμα ἔστω.

Vide lib. 7. cap. 1.

η. Εἴ τις τολμήσει [al. τολμᾷ] λέγειν, τὸν ἀναληφθέντα ἄνθρωπον συμπροσκυνεῖσθαι δεῖν τῷ Θεῷ Λόγῳ, καὶ συνδοξάζεσθαι, καὶ συγχρηματίζειν Θεὸν, [al. Θεῷ] ὡς ἕτερον ἐν ἑτέρῳ. τὸ γὰρ Σὺν, ἀεὶ προστιθέμενον, τοῦτο νοεῖν ἀναγκάσει, καὶ οὐχὶ δὲ μᾶλλον μιᾷ προσκυνήσει τιμᾷ τὸν Ἐμμανουὴλ, καὶ μίαν αὐτῷ τὴν δοξολογίαν ἀνάπτει, καθὸ γέγονε σὰρξ ὁ λόγος ἀνάθεμα ἔστω.

θ. Εἴ τις φησὶ τὸν ἕνα κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν δεδοξάσθαι παρὰ τοῦ πνεύματος ὡς ἀλλοτρίᾳ δυνάμει τῇ δι' αὐτοῦ χρώμενον, καὶ παρ' αὐτοῦ λαβόντα τὸ ἐνεργεῖν δύνασθαι κατὰ πνευμάτων ἀκαθάρτων, καὶ τὸ πληροῦν εἰς ἀνθρώπους τὰς θεοσημείας, καὶ οὐχὶ δὴ μᾶλλον ἴδιον αὐτοῦ τὸ πνεῦμα φησὶ, δι' οὗ καὶ ἐνήργηκε τὰς θεοσημείας. ἀνάθεμα ἔστω.

Vide lib. 1. cap. 12. §. 4.

ι. Ἀρχιερέα καὶ Ἀπόστολον τῆς ὁμολογίας ἡμῶν γεγενῆσθαι Χριστὸν ἡ θεία λέγει γραφή, προσκεκόμικε δὲ ὑπὲρ ἡμῶν ἑαυτὸν εἰς ὀσμὴν εὐωδίας τῷ Θεῷ καὶ πατρί. εἴ τις τοίνυν ἀρχιερέα καὶ ἀπόστολον ἡμῶν γεγενῆσθαι φησὶν, οὐκ αὐτὸν τὸν ἐκ Θεοῦ λόγον ὅτε γέγονε σὰρξ καὶ καθ' ἡμᾶς ἄνθρωπος, ἀλλ' ὡς ἕτερον παρ' αὐτὸν ἰδικῶς ἄνθρωπον ἐκ γυναικός. ἢ εἴ τις λέγει καὶ ὑπὲρ ἑαυτοῦ προσενεγκεῖν αὐτὸν τὴν προσφορὰν, καὶ οὐχὶ δὴ μᾶλλον ὑπὲρ μόνων ἡμῶν. οὐ γὰρ ἂν ἐδεήθη προσφορᾶς ὁ μὴ εἰδὼς ἁμαρτίαν. ἀνάθεμα ἔστω.

ια. Εἴ τις οὐχ ὁμολογεῖ τὴν τοῦ κυρίου σάρκα ζωοποιὸν εἶναι, καὶ ἰδίαν αὐτοῦ τοῦ ἐκ Θεοῦ πατρὸς λόγου. ἀλλ' ὡς ἑτέρου τινὸς παρ' αὐτὸν, συνημμένου μὲν αὐτῷ κατὰ τὴν ἀξίαν, ἤγουν ὡς μόνην θείαν ἐνοίκησιν [al. οἴκησιν] ἐσχηκότος, καὶ οὐχὶ δὴ μᾶλλον ζωοποιὸν, ὡς ἔφαμεν. ὅτι γέγονεν ἰδία τοῦ λόγου τοῦ τὰ πάντα ζωογονεῖν ἰσχύοντος, ἀνάθεμα ἔστω.

ιβ. Εἴ τις οὐχ ὁμολογεῖ τὸν τοῦ Θεοῦ λόγον παθόντα σαρκὶ, καὶ ἐσταυρωμένον σαρκὶ, καὶ θανάτου γευσάμενον σαρκὶ, γεγονότα τε πρωτότοκον ἐκ τῶν νεκρῶν, καθὸ ζωή τέ ἐστι καὶ ζωοποιὸς ὡς Θεός. ἀνάθεμα ἔστω.

*id eſt:*

1. Si quis non confitetur Immanuelem verum Deum eſſe, & ob id ſanctam Virginem Deiparam; (genuit enim illa incarnatum Dei Verbum ſecundùm carnem.) anathema ſit.

2. Si quis non confitetur, Dei Patris Verbum carni ſecundùm hypoſtaſin unitum, & unum tantùm unà cum ſua carne eſſe Chriſtum, eundem nimirum Deum ſimul & hominem; anathema ſit.

3. Si quis in uno Chriſto poſt unionem dividit hypoſtaſes, eâ duntaxat conjunctione eaſdem inter ſe nectit, quæ eſt ſecundùm dignitatem vel auctoritatem, vel poteſtatem, & non eâ potiùs, quæ eſt ſecundùm naturalem unionem; anathema ſit.

4. Si quis duabus perſonis vel hypoſtaſibus eas voces attribuit, quæ in Euangelicis & Apoſtolicis ſcripturis paſſim occurrunt, quæque à ſanctis de Chriſto, aut ab ipſo quoque Chriſto de ſeipſo, dictæ ſunt, & alias quidem homini ſeorſum à Dei verbo conſiderato adſcribit; alias verò tanquam in divinam Majeſtatem convenientes, ſoli Verbo quod ex Deo Patre eſt, accommodat; anathema ſit.

5. Si quis dicere audet, Chriſtum non eſſe verum Deum, ſed hominem tantum Deiferum; utpote unum naturalemque Filium; quatenus nimirum Verbum caro factum, carni & ſanguini perinde ac nos communicavit; anathema ſit.

6. Si quis Dei Patris Verbum, Chriſti Deum vel Dominum eſſe dixerit; neque poſt Verbum ſecundùm Scripturas incarnatum, unum eundemque Deum ſimul & hominem eſſe confeſſus fuerit; anathema ſit.

Vide lib. 2 cap. 29. §. 2. & lib. 2. cap. 7. §. 4.

7. Si quis Jeſum Chriſtum hominem tantùm divini Verbi vi actum eſſe dixerit: aut illuſtrem illam Unigeniti gloriam illi ipſi homini, veluti alteri cuipiam ab ipſo Verbo, adveniſſe commentus fuerit; anathema ſit.

8. Si quis hominem aſſumtum, unà cum ipſo Dei Verbo adorandum, unà cum illo glorificandum, unà cum illo, tanquam alterum in altero exſiſtentem, Deum appellandum eſſe dicere auſus fuerit: (hunc enim intellectum particula, *Cum*, adjecta, perpetuò & neceſſariò afferre conſuevit) & non unà potius adoratione Immanuelem honorat, unamque illi glorificationem attribuit, quatenus Verbum factum eſt caro; anathema ſit.

*De una adoratione Immanuelis, vide plura, lib. 7. cap. 3.*

9. Si quis unum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum à Spiritu Sancto, tanquam virtute à ſe alienâ, glorificatum dixerit: efficaciamque, quâ contra immundos ſpiritus uteretur, & divina inter homines miracula operaretur, ab ipſo eodem accepiſſe prædicaverit; & non proprium naturalemque illius eſſe Spiritum, per quem divina ſigna edidit; anathema ſit.

10. Chriſtum Jeſum noſtræ confeſſionis Pontificem & Apoſtolum exſtitiſſe, eundemque ſemetipſum pro nobis in odorem ſuavitatis Deo & Patri obtuliſſe, divina Scriptura commemorat. Si quis ergo dixerit, Pontificem & Apoſtolum noſtrum non eſſe ipſum Dei Verbum, poſteaquam caro & homo nobis ſimilis factum eſt: ſed hominem illum, qui ex muliere natus eſt, quaſi alterum quempiam ab ipſo diverſum: aut ſi quis

*Hebr. 3, 1. Epheſ. 5, 2.*

Chriſtum pro ſe ipſo quoque, & non potiùs pro nobis ſolis ſacrificium obtuliſſe affirmaverit; (neque enim is oblatione opus habebat, qui nullum peccatum commiſerat:) anathema ſit.

11. Si quis ipſam Domini carnem vivificam, ipſiuſque Verbi quod ex Patre eſt, propriam eſſe negaverit: ſed alterius cujuſpiam ipſi Verbo ſecundùm dignitatem tantùm conjuncti, aut divinam tantùm inhabitationem ſortiti, eſſe dixerit; neque verò potiùs vivificam confeſſus fuerit, ut modò meminimus, eò quòd Verbi, quod omnia vivificat, facta ſit propria; anathema ſit.

12. Si quis non confitetur, Dei Verbum ſecundùm carnem paſſum, ſecundùm carnem crucifixum, mortemque ſecundùm carnem guſtâſſe, & primogenitum tandem ex mortuis factum eſſe, quatenus videlicet vita eſt, & vivificum ut Deus, anathema ſit.

## CAPUT SEPTIMUM.

*Exegeſis quorundam capitulorum Cyrilli, adjectis quibuſdam aliorum Patrum ſententiis orthodoxis.*

### *Nota in ſextum capitulum Cyrilli.*

Intelligendum eſt iſtud capitulum contra Neſtorianam perſonarum pluralitatem; non autem contra pluralitatem relationum in diverſis naturis fundatarum, & uni eidemque perſonæ Chriſti convenientium. Nam unus idemque Chriſtus ſecundùm formam Dei manet ſemper æqualis; at ſecundùm formam ſervi quam aſſumſit, nunquam eſt æqualis Patri, ſed ſemper eſt minor Patre, & minor ſeipſo. Vide ſuprà, lib. 1. cap. 29. §. 2.

### 2. *Brevis expoſitio decimi capituli ex ipſius Cyrilli Alexandrini Apologiâ ad Epiſcopos Orientales.*

Πίστευσον, ὅτι καίτοι Θεὸς κατὰ φύσιν ὑπάρχων, καὶ ἐν μορφῇ τοῦ πατρὸς ὁ υἱὸς, οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ· ἀλλ' ἑαυτὸν ἐκένωσε, μορφὴν δούλου λαβών· εἰ δὲ γέγονεν ἄνθρωπος, ἔλαβε δὲ καὶ δούλου μορφὴν, πῶς ἡγήσεται μικρὸν, καὶ τοῖς τῆς οἰκονομίας λόγοις ἀνάρμοστον, τὸ χρηματίσαι καὶ ἀπόστολος, καὶ ἀρχιερεύς; καὶ ὁ τὸ καθ' ἡμᾶς ἀνθρωπίνου τὸ μέτρον οὐκ ἀτιμάσας, πῶς ἂν ἀπόβλητα ποιήσαιτο τὰ ἀνθρώπινα; ——— Ἐπειδὴ δὲ γέγονεν ἄνθρωπος, κεχρημάτικε καὶ ἀρχιερεύς· οὐχ ὡς μείζονι Θεῷ προσκομίζων τὴν ἱερουργίαν, ἀλλ' ἑαυτῷ τε, καὶ τῷ πατρὶ τῆς πίστεως ἡμῶν τὴν ὁμολογίαν πραγματευόμενος. ἐρυθριᾷς ἀκούων, ὅτι κεχρημάτικεν ἱερεὺς διὰ τὸ ἀνθρώπινον; εἶτα πῶς οὐ τεθαύμακας, ὅτι μὴ κατὰ τὸ τῶν ἱερέων ἔθος ἑτέρῳ * προσῆγε τῆς ἱερουργίας τὸν τρόπον, ἑαυτῷ δὲ μᾶλλον, ὡς ἔφην, καὶ τῷ πατρί; ὅταν εἴπῃς, οὐκ ἄξιον εἶναι τοῦ Θεοῦ τὸ ἱερουργεῖν, σύμψηφος κἀγώ· ἀλλ' εἰ μόνος ἦν, καὶ δίχα σαρκὸς ὁ λόγος, ὀρθῶς ἂν ἔφης· ἐπειδὴ δὲ γέγονεν ἄνθρωπος, ὅρα καὶ ἱερουργοῦντα διὰ τὸ ἀνθρώπινον, καὶ ἐν ταῖς ὑπὲρ κτίσιν ἀξιώμασιν, ὡς Θεόν· συνεδρεύει γὰρ τῷ Θεῷ καὶ πατρί. ὅρα τοίνυν ἱερατεύοντα μὲν αὐτὸν κατὰ τὸ ἀνθρώπινον, συνεδρεύοντα δὲ, ὡς Θεόν. τί γάρ φησιν ὁ μακάριος Παῦλος; τοιοῦτον ἔχομεν ἀρχιερέα, ὃς ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τοῦ θρόνου τῆς μεγαλωσύνης ἐν τοῖς ὑψηλοῖς. εἰδότες τοίνυν, ὅτι Θεὸς ὢν, γέγονεν ἄνθρωπος· ἔστι δὲ εἷς, ὁ αὐτὸς υἱὸς, αὐτῷ πάντα προσνεμοῦμεν, ὡς ἑνί. καὶ τὰς τῆς οἰκονομίας οὐκ * ἀγνοήσομεν τρόπους, τὴν τῆς ἐννοίας δύναμιν σοφῶς, καὶ ἐμφρόνως ἀεὶ * αἰχμαλωτίζοντες εἰς τὴν ὑπακοὴν αὐτοῦ. *id eſt:*

* παρῆγε

* ἀγνοήσομεν

* ἀδιαλείπτως, ἢ ἀδιαλείπτως.

Crede quòd, quamvis Deus ſecundùm naturam eſſet, & in forma Patris Filius, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo; attamen ſeipſum exinanivit, formam ſervi aſſumens. Si autem factus eſt homo, aſſumſit autem & ſervi formam; quomodo cenſebit parum, & diſpenſationis rationibus incongruum, appellari & eſſe Apoſtolum & Pontificem? & qui menſuram humanitatis noſtræ non dedignatus eſt, quomodo repudianda duceret humana? ——— quando autem factus eſt homo, vocatus eſt etiam Pontifex; non quòd tanquam majori Deo offerret ſacrificium, ſed quòd ſibiipſi & Patri fidei noſtræ confeſſionem procuraret. Audiens quòd dictus eſt ſacerdos propter humanitatem, erubeſcis? Deinde, quomodo non admiratus es, quòd non ſecundùm ſacerdotum morem, alteri detulerit ſacrificii modum, ſed ſibiipſi potiùs & Patri, ut dixi? quando dicis, indignum eſſe Deo ut ſacrificet, adſtipulor & ego. Sed ſi ſolum eſſet, & abſque carne Verbum, rectè diceres: at verò, quia factum eſt caro, vide & ſacrificantem propter humanitatem; & in dignitatibus ultra creaturam, ſicut Deum: conſidet enim cum Deo & Patre. Itaque vide ipſum ſacrificantem, ſecundùm humanitatem; conſidentem autem, ut Deum. quid enim dicit B. Paulus? Talem habemus Pontificem, qui conſedit in dextera throni magnitudinis in excelſis. Scientes igitur quòd factus eſt homo, cùm Deus eſſet, (eſt autem unus & idem Filius) illi omnia tribuemus ut uni; & diſpenſationis modos non ignorabimus, cogitationis vim ſemper providè & ſapienter ad obedientiam ejus convertentes.

Philip. 2. 6. 7.

Vide lib. 1. cap. 13. & cap. 28.

Hebr. 8. 1. & 7. 26.





### 3. *Item ex ejuſdem Cyrilli apologiâ ad Theodoretum, pro eodem Capitulo ſive Anathematiſmo.*

Δίδαξον, εἰπέ μοι, τῆς ἱερωσύνης τὸν τρόπον τοῦ πάντων ἡμῶν σωτῆρος Ἰησοῦ Χριστοῦ. ἀνάρμοστον εἶναί φῂς τῷ Θεῷ λόγῳ τὸ ἱερουργεῖν ἀνθρωπίνως διὰ τὴν οἰκονομίαν; οὐκοῦν ἄφελε τὸ πρόσωπον, ἀρνοῦ μὴ ὑποστελλόμενος τοῦ λόγου τὴν ἐνανθρώπησιν, δι' ἣν ὠνόμασται ἀρχιερεύς. ἆρα θύοντα βλέπεις, ὡς ἑτέρῳ Θεῷ καὶ κρείττονι Θεῷ τῷ πατρί; ——— ὅρα δὲ καὶ ἑτέρως ὄντα Θεὸν, κἂν εἰ ἀνθρωπίνως ἱερᾶσθαι λέγηται διὰ τὴν οἰκονομίαν, συνεδρεύει γὰρ τῷ Θεῷ καὶ πατρὶ, καὶ ἐν τοῖς ἀνωτάτω θρόνοις ἐξετάζεται. θορυβεῖ σε τὸ ἀνθρώπινον; οὐκ ἀπαλλάττει δειμάτων τὸ θεοπρεπές; οὐκ ἀνέχῃ δι' αὐτῶν ἰδεῖν τῶν πραγμάτων, Θεόν τε ὁμοῦ καὶ ἄνθρωπον ὄντα τὸν Ἐμμανουήλ. *id eſt:*

Dic mihi, metuis Pontificii modum Salvatoris omnium noſtrûm Jeſu Chriſti? incongruum eſſe dicis Deo Verbo, humanè ſacrificium miniſtrare propter diſpenſationem? Ergo aufer perſonam, nega haud diſſimulanter inhumanationem Verbi, propter quam nominatum eſt etiam Pontifex. Numquid Patri, ſacrificantem vides tanquam alteri Deo & potiori Deo? ——— Contemplare verò etiam aliter exſiſtentem Deum, licet dicatur humanè ſacerdotio fungi propter diſpenſationem. Adſidet enim Deo & Patri, & in ſublimibus ſedibus decorus apparet. Turbat te quod eſt humanum? quod eſt Deum decens, à terroribus non abſolvit? Non pateris ipſis videre rebus Deum ſimul & hominem exſiſtentem Jmmanuelem.

### 4. *In eandem ſententiam Auguſtinus, lib. 1. de Trinitate, cap. 7.*

Si ergo ita accepta eſt forma ſervi, ut non amitteretur forma Dei, cum & in forma ſervi & in forma Dei idem ipſe ſit Filius unigenitus Dei Patris; in forma Dei, æqualis Patri; in forma ſervi, Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus; quis non intelligat, quòd in forma Dei etiam ipſe ſeipſo major eſt; in forma autem ſervi ſeipſo minor eſt. Non itaque immeritò Scriptura utrumque dicit, & æqualem Patri Filium, & Patrem majorem Filio. Illud enim propter formam Dei; hoc autem propter formam ſervi, ſine ulla confuſione intelligitur. Hæc Auguſtinus.

Vide lib. 1. cap. 23.

### 5. *Item Vigilius lib. 1. contra Eutychen.*

Dominus Ieſus Chriſtus ut oſtendat noſtri generis naturam non fuiſſe conſumtam, veraciter ſe Filium hominis dicit; ſecundùm quam etiam Patrem interpellat pro nobis, juxta Joannis Apoſtoli verba dicentis: *Si peccaverimus, apud Patrem Advocatum habemus Ieſum, ipſe interpellat pro peccatis noſtris.* Dicite ergo, ô Doctores egregii, cùm Patrem hodie Filius interpellat, ſecundùm Deitatem ſuam, an ſecundùm diſpenſationem humanitatis poſtulat? ſed quantum perfidiæ veſtræ intentio monſtrat, qui perimentes humanam naturam, ſolam adſeritis eſſe divinam, ſecundùm Deitatem interpellat, ſecundùm Deitatem advocati officio fungitur, ſecundùm Deitatem ſacerdotis miniſterium implet, ſecundùm Deitatem etiam in noviſſimo Patri ſubjectus erit, quando eidem Filio omnia ſubjecta fuerint. Olim operiebamur, diutiùs præſtolati ſumus, unde erroris veſtri rivulus originem trahat, & quo diſcurſum faciat; tandem reperimus Eutychianam amariſſimam hæreſin, ex Apollinaris amariſſimo fonte derivatam, uſque ad cœnulentam Arii voraginem turbidis ferri meatibus; quibus in tantum perfidiæ copula jungitur, ut omnia ad Divinitatis contumeliam referat, quæ Chriſtus ſecundùm diſpenſationem carnis aut loquutus eſt, aut peregit. Dum unam tantummodo, Divinitatis, contendunt eſſe naturam. Hæc Vigilius.

1. Joan. 2. 1.

### 6. *Ioannes Epiſcopus Antiochenus ſcripſit ad Neſtorium Epiſcopum Conſtantinopolitanum, eumque hortatus eſt, ut non recuſaret dicere, cum ſanctis Patribus, Mariam Virginem eſſe* Θεοτόκον, *& inter alia hoc utitur argumento.*

Καὶ μάτην ἡμεῖς, ὡς ἔοικε, δίχα ἀναγκαίας περιττῆς τινὸς χρείας αὔξησιν ἐνδεχόμενον μόνον βλέποντες, τὰς συνειδήσεις τῶν ἀδελφῶν εἰς οὐδὲν δέον πλημμελοῦμεν, ταράσσομεν, ἁπλῶς καταφρονοῦμεν, ὃ τὴν διάνοιαν δὲ καὶ ἡμᾶς παραδεχόμεθα. εἰ γὰρ τὸ ἐξ αὐτοῦ σημαινόμενον μὴ παραδεχόμεθα, λείπεται περὶ πολλὰ ἡμᾶς διασφάλλεσθαι, μᾶλλον δὲ κινδυνεύειν περὶ τὴν ἄρρητον οἰκονομίαν τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ τοῦ Θεοῦ.

*id eſt:*

Sanè, dum ſupervacaneâ quadam ad varias hæreticorum opiniones ſolùm ſpectante curioſitate incitati, nomen, cujus ſententiam rectè tenemus, pertinaciter reſpuimus; aliud nihil, ut videtur, facimus, quàm quòd fratrum noſtrorum conſcientias, & temere, & abſque ulla utilitate graviter offendimus, planéque contemnimus. Etenim ſi id, quod nominis ſignificatione offertur, non recipimus, reſtat, ut in graviſſimum errorem prolabamur. Imò verò, ut circa inexplicabilem illam Unigeniti Filii Dei œconomiam periculoſiſſimè verſemur. Hæc & plura in eandem ſententiam inveniet lector in illa epiſtola Joannis ad Neſtorium, quæ inſerta eſt primæ parti Concilii Epheſini. In quo Concilio Neſtorius damnatus atque exauctoratus eſt propter hæreſin, quâ duas Chriſti perſonas eſſe impiè aſſeverabat, neque beatam Virginem Mariam Deiparam dici paſſus eſt.

### 7. *Socrates, Hiſtor. Eccleſiaſt. lib. 7. cap. 33.*

Μετὰ δὲ τὴν Νεςορίου καθαίρεσιν, ὀλίγη ἐν τῇ Κωνσταντίνου πόλει ταραχὴ, καὶ τῆς ἐκκλησίας ἐγένετο· διῃρεῖτο γὰρ ὁ λαὸς, διὰ τὴν, ὡς φθάσας εἶπον, ψυχρολογίαν αὐτοῦ, κοινῇ μὲν τῇ ψήφῳ, πάντες οἱ κληρικοὶ αὐτοῦ ἀνεθεμάτισαν. οὕτω γὰρ οἱ Χριστιανοὶ προσαγορεύειν εἰώθαμεν τὴν κατὰ τοῦ βλασφήμου ψῆφον, ὅταν αὐτὴν ὥσπερ ἐν στήλῃ ἀναστήσαντες φανερὸν τοῖς ἅπασι ποιῶμεν. *id eſt:*

Poſt abdicatum Neſtorium gravis tumultus in Eccleſia Conſtantinopolitana excitatus fuit: quippe populus propter inanem & ſtultam (uti ſuprà dixi) Neſtorii doctrinam diviſus eſt. Clerici autem communibus ſuffragiis illi anathema (ſic enim nos Chriſtiani ſententiam, contra alicujus blaſphemiæ autorem pronunciatam, ſolemus appellare, quando eam perinde notam omnibus facimus, ac ſi in columella inciſa in loco publico collocaretur) palàm denunciârunt. Hæc ille. *Anathema.*

### 8. *Vincentius Lirinenſis, in ſuo Commonitorio adverſus profanas novationes, cap. 19. quod triennio ferè poſt tertium œcumenicum Concilium, præſide Cyrillo, Epheſi celebratum, ſe ſcripſiſſe teſtatur.*

In Deo una ſubſtantia; ſed tres perſonæ: in Chriſto duæ ſubſtantiæ, ſed una perſona: in Trinitate alius atque alius, non aliud, atque aliud: In Salvatore aliud atque aliud, non alius atque alius. Quomodo in Trinitate alius atque alius, non aliud atque aliud? Quia ſcilicet alia eſt perſona Patris, alia Filii, alia Spiritûs Sancti: ſed tamen Patris & Filii & Spiritûs Sancti non alia & alia, ſed una eademque natura. Quomodo in Salvatore aliud atque aliud, non alius atque alius? quia videlicet altera ſubſtantia Divinitatis, altera humanitatis: ſed tamen Deitas & humanitas non alter & alter; ſed unus idemque Chriſtus, unus idemque Filius Dei, & unius ejuſdemque Chriſti & Filii Dei una eademque perſona. Sicut in homine aliud caro, & aliud anima, ſed unus idemque homo anima & caro. In Petro vel Paulo aliud anima, aliud caro: nec tamen duo Petri caro & anima, aut alter Paulus anima, & alter caro; ſed unus idemque Petrus, unus idemque Paulus ex duplici diverſâque ſubſiſtens animi corporiſque naturâ. Ita igitur in uno eodemque Chriſto duæ ſubſtantiæ ſunt; ſed una divina, altera humana: una ex Patre Deo, altera ex matre Virgine: una coæterna & æqualis Patri; altera ex tempore & minor Patre: una conſubſtantialis Patri; altera conſubſtantialis matri: unus tamen idemque Chriſtus in utraque ſubſtantiâ. Non ergo alter Chriſtus Deus, alter homo: non alter increatus, alter creatus: non alter impaſſibilis, alter paſſibilis: non alter æqualis Patri, alter minor Patre: non alter ex Patre, alter ex Matre; ſed unus idemque Chriſtus Deus & homo: idem non creatus & creatus: idem incommutabilis & impaſſibilis: idem commutatus & paſſus: idem Patri & æqualis & minor: idem ex Patre ante ſecula genitus: idem in ſeculo ex matre generatus: perfectus Deus, perfectus homo: In Deo ſumma Divinitas, in homine plena humanitas: plena, inquam, humanitas, quippe quæ animam ſimul habeat & carnem, ſed carnem veram noſtram, maternam: animam verò intellectu præditam, mente ac ratione pollentem. Eſt ergo in Chriſto Verbum, anima, caro; ſed hoc totum unus eſt Chriſtus, unus Filius Dei, & unus Salvator ac Redemtor noſter. Unus autem non corruptibili neſcio quâ Divinitatis & humanitatis confuſione, ſed integrâ & ſingulari quadam unitate perſonæ: neque enim illa conjunctio alterum in alterum convertit atque mutavit, qui eſt error proprius Arianorum; ſed ita in unum potiùs utrumque compegit, ut, manente ſemper in Chriſto ſingularitate unius ejuſdemque perſonæ, in æternum quoque permaneat proprietas uniuſcujuſque naturæ: quo ſcilicet nec unquam Deus corpus eſſe incipiat, nec aliquando corpus, corpus eſſe deſiſtat, quod etiam humanæ conditionis demonſtratur exemplo. Neque enim in præſenti tantùm, ſed in futuro quoque unuſquiſque hominum ex anima conſtabit & corpore: nec tamen unquam aut corpus in animam, aut anima vertetur in corpus; ſed unoquoque hominum ſine fine victuro, in unoquoque hominum ſine fine neceſſariò utriuſque ſubſtantiæ differentia permanebit. Ita in Chriſto quoque utriuſque ſubſtantiæ ſuæ cuique in æternum proprietas, ſalvâ tamen perſonæ unitate, retinenda eſt.

*Alius, aliud. Vide lib. 1. cap. 33. § 12.*

## CAPUT OCTAVUM.

### *De Maſſalianis, in Synodo etiam tertia œcumenicâ, Epheſi celebratâ, damnatis, qui & Euchetæ & Enthuſiaſtæ dicuntur.*

Sub finem ſeptimæ actionis Concilii œcumenici tertii (in ſecunda parte Concilii) quod, Cyrillo Alexandrino præſidente, celebratum eſt Epheſi, extat definitio ejuſdem Concilii contra impios Maſſalianitas, qui & *Euchetæ*, & *Enthuſiaſtæ* quoque appellantur.

*Euchetæ. Enthuſiaſtæ.*

2. Hujus hæreſeos originem & inſaniam deſcripſerunt, Epiphanius, hæreſ. 80. Theodoretus, lib. 4. hæreticarum fabularum. Joannes Damaſcenus, lib. de hæreſibus, & Nicephorus Calliſt. lib. 11. hiſt. Eccleſ. cap. 14. Auguſtinus *Pſallianos* vocat, hæreſ. 57. & citat Epiphanium, qui tamen ait, Μασσαλιανοὶ δ' εἰσὶ εὐχῖται, ἑρμηνευόμενοι [illegible]. Maſſaliani autem hi dicuntur, quæ vox *orantes* ſignificat. Et Theodoretus, & Damaſcenus, & Nicephorus eodem nomine illos indigitant, Maſſalianos, & ajunt verſo in græcam linguam hoc vocabulo dici eos εὐχίτας, id eſt, precatores. ideò ſphalma videtur ſcriptoris, qui tranſſcripſit Auguſtini librum de hæreſibus, & pro Maſſalianis Pſallianos ſcripſit: monet ibi Auguſtinus, nomen hoc ex lingua Syra eſſe, & eoſdem græcè dici εὐχίτας, ab orando ſic appellatos.

*Pſalliani.*



3. Valentiniano & Valente Imperatoribus, nata eſt ſecta iſta Edeſſæ in Meſopotamia; unde venerunt Antiochiam; & hinc expulſi ſeceſſerunt in Pamphyliam; & contra Maſſalianos in Pamphylia verſantes factum eſt decretum Concilii œcumenici Epheſini. Regnavit autem *Valentinianus* cum fratre *Valente*, annos ferè duodecim, & mortuus eſt anno Dom. 375. ut ſupputant Cardinalis Baronius, & Sethus Calviſius.

4. Inſana Maſſalianorum placita in monumentis veterum memoratis, hæc referuntur: Dicebant *Chriſtianos nullam ex baptiſmo utilitatem percipere: Et à communione Eccleſiaſtica abſtinebant, dicentes, nihil prodeſſe vel obeſſe cibum illum, qui in Euchariſtia ſumitur: perpetuam autem orationem ajebant peccati radicem radicitus evellere; & malum Dæmonem ex animo expellere.* Et dicebant, *unumquemque hominem, quando naſcitur, Dæmonem protinus ſequi, eumque ad ſceleratas actiones incitare: Nihil autem poſſe ex anima exigere hunc Dæmonem, præterquam orationem ſolam; egredi autem inhabitantem per mucum & ſputorum excrementa.* Nullum opus aggrediebantur; nam opus manuum ut improbum deteſtabantur, perversâ interpretatione abutentes dicto illo Servatoris, *Operamini non cibum qui perit; ſed qui permanet in vitam æternam:* vocabant autem ſeipſos *ſpirituales*. Et orationi vacantes, magnam diei partem dormiebant, & promiſcuè viri & mulieres in eodem loco dormientes jacebant. ſoluti etiam ac vagi ſtipem poſcebant; ipſi autem ab omni miſericordia erga egentes & calamitoſos erant alieni. Agitabantur à Dæmone eos decipiente, quam rem Spiritûs Sancti præſentiam eſſe jactabant: unde etiam aliud cognomen ſortiti, dicebantur, ἐνθουσιασταί, hoc eſt, numine afflati, ſeu, divino furore correpti. Et ajebant ſe vidiſſe revelationem, & Patrem & Filium & Spiritum Sanctum corporeis oculis; & Spiritûs ſancti adventum ſenſu percepiſſe. Repentè ſaltabant, & ſuper dæmones ſe ſaltâſſe jactitabant. Et alia quędam faciebant, quæ phreneſin eorum arguebant. Mala dicebant naturâ evenire. Iurare eis & pejerare fas erat. Atque ſi urgerentur, ſectam ſuam negabant, cum anathemate in eos, qui tale aliquid dicerent.

*Joan. 6, 27.*

5. Hujus ſectæ principes fuerunt *Dadoës, Sabbas, Adelphius, Hermas, & Simeon*, & alii. Quomodo Flavianus Epiſcopus Antiochenus confeſſionem dogmatum Maſſalianorum elicuerit ex Adelphio, inveniet lector, apud Theodoretum, & Damaſcenum, & Nicephorum.

6. Neq; illud prætereundum, quòd cilicium palàm affectabant, quam immodeſtam eorũ hypocriſin arguens Epiphanius (hæreſi 80.) ait: ἔδει δὲ τὰ τῆς ἁγίας παρθένου μητρὸς ἡμῶν τῆς Ἐκκλησίας τέκνα [illegible]. Θεῷ λατρεύοντα κρυφίως τῷ εἰδότι τὰ κρυπτὰ, καὶ ἀποδιδόντι ἐν τοῖς φανεροῖς, καθὼς γέγραπται, καὶ διακονοῦντα διὰ τοὺς ἔξω, καὶ μὴ βάλλοντα [illegible] τὸν μισθὸν, καὶ τὴν χάριν [illegible] τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας [illegible]. *id eſt:* Oportebat autem ſanctæ Virginis Matris noſtræ Eccleſiæ liberos eſſe honeſtos, domum ſervantes, Deoque, *qui abdita novit, ac palàm præmia reddit*, uti ſcriptum eſt, in abdito ſervientes: idque decenter, propter exteros, adeò ut nullam ab intuentibus mercedem aut gratiam exſpectarent. Eſt enim alienum à Catholica Eccleſiâ, cilicium palàm præ ſe ferre.

*Matth. 6, 4. 18.*

*Contra hypocriticam oſtentationem, in publica cilicii geſtatione.*

7. Refert ibidem Epiphanius, eos aluiſſe comas, muliebrem in morem promiſſas: id quod alienum eſſe monet à doctrina Apoſtoli 1. Cor. 11. Compoſuerant etiam Maſſaliani quendam polluttum ſuæ hæreſcos librum, qui dicebatur *Aſceticon*, quem librum Synodus Epheſina anathematizavit; ſicut legimus in definitione illius Synodi contra Maſſalianitas, hoc eſt, Euchetas, qui etiam in eadem definitione Enthuſiaſtæ appellantur.

*De Euphemitis, quæ pars fuerunt Maſſalianorum, vide Harmenopuli catalogum ſectarum, num. 13.*

## CAPUT NONUM.

### *Præfatio hiſtorica, de hæreſi Eutychetis ac Dioſcori, & de occaſione ac definitione quarti œcumenici Concilii, Chalcedone celebrati.*

Neſtorius, præ ſe ferens odium Manichæiſmi & Apollinariſmi, in aliam incidit terram voraginem. Nam non ſolùm, contra Manichæos, Deitatem negavit eſſe paſſibilem; ſed &, ipſum Deum Verbum paſſum eſſe, negavit: & contra Apollinariſtas, non ſolùm perfectam in Chriſto humanam naturam à divina naturâ diſtinxit, ſed etiam ſeparavit. Propter quam hæreſin juſtiſſimâ Epheſini Concilii ſententiâ damnatus & abdicatus eſt, anno Dom. 431. In quo Concilio acutiſſimè contra Neſtorium diſputavit, eumque acerrimè redarguit *Eutyches*, unus ex Archimandritis Conſtantinopolitanis. Quemadmodum autem Neſtorius unum extremum incautè devitans, incidit in aliud: ſic etiam Eutyches, homo non minus præfidentis animi, & obſtinati ingenii, præfervido contentionis æſtu & humanâ quadam animoſitate, quæ juſtitiam Dei non perficit, dum Neſtorianam oppugnat hæreſin, in adverſos ſcopulos præceps abripitur, & novæ hæreſeos, ex Manichæi & Apollinaris lacunis hauſtæ, magiſtrum ſe præbuit: nec tamen ex Neſtorii cœno ſe expedivit. Nam impiè ac ſtultè aſſeruit, *ante incarnationem duas in Chriſto fuiſſe naturas; poſt incarnationem autem, unam duntaxat fuiſſe naturam. Etiam corpus Chriſti* negavit *eſſe matri & nobis conſubſtantiale*. ut legere eſt in epiſtolis Flaviani ad Leonem.

*Eutyches.*

2. Hanc impiam doctrinam cùm Eutycheten prædicantem ac docentem præſens audiviſſet Euſebius, Dorilæi Epiſcopus, neque apud eum quicquam piis admonitionibus profeciſſet; auctor fuit Flaviano Epiſcopo Conſtantinopolitano ad convocandum Synodum, in urbem Conſtantinopolim: in qua Synodo, accuſante Euſebio, Eutyches memoratæ hæreſeos convictus eſt, & cùm errorem abjicere pertinaciter recuſaret, declaratus eſt extraneus ab omni officio ſacerdotali, & à Communione Eccleſiæ, & primatu Monaſterii: Conſentientibus ſuffragiis Epiſcoporum triginta duorum, & Archimandritarum viginti trium, anno Dom. 448.

3. Eutyches ad Imperatorem confugit, *Chryſaphii* Eunuchi amicitiâ fretus; & literas ſcripſit ad Leonem epiſcopum Romanum, per quas conqueſtus eſt, latam eſſe injuſtè contra eum à Flaviano

viano ſententiam, & profeſſus eſt ſe adhærere fidei Concilii Nicæni, & ſtaturum ſententiâ Romani Pontificis. Quibus ejus literis acceptis Leo Flavianum per epiſtolam compellat, & hortatur, ut eum de re totâ certiorem faciat. Quod & præſtitit Flavianus, ſcriptis ad Leonem duabus epiſtolis; quæ exſtant in lib. epiſt. Leonis, ſtatim poſt octavam Leonis epiſtolam.

*Dioſcorus.* 4. *Dioſcorus* autem, Epiſcopus Alexandrinus, Eutychiani erroris ſe patronum præbuit, & ab Imperatore Theodoſio literas Auguſtales pro celebratione œcumenicæ Synodi impetravit. Coactâ igitur Epheſum Synodo, (anno Dom. 449.) ad quam acceſſit *Flavianus*, acceſſit & *Eutyches*. *Leo* quoque ab Imperatore acceritus, legatos ſuos miſit *Iulianum* Epiſcopum, *Renatum* presbyterum, & *Hilarum* diaconum: quibus tradidit encyclicam illam ſuam ad Flavianum ſcriptam epiſtolam contra Eutychetis hæreſin, jam ſibi ex Flaviani literis & geſtis ſynodalibus planè perſpectam. Et aliam ad ipſam Synodum ſcripſit epiſtolam, in qua mentionem facit encyclicæ illius ad Flavianum ſcriptæ: Item aliam ad Theodoſium Imperatorem in eandem ſententiam. Et legatis ſuis mandavit, ut illam Flaviano ſcriptam Epiſtolam exhiberent Synodo publicè legendam. Sed Dioſcorus, Synodi præſes, eam legi paſſus non eſt: & contra omnem legitimum ordinem, per vim & nefas, alios quidem Epiſcopos à ſe diſſentientes exuit Sacerdotio; alios verò captivas manus iniquiſſimæ damnationi Flaviani & abſolutioni Eutychetis addere coëgit; alios etiam nudis chartis ſubſcribere compulit: atque ita ſuo arbitratu decretum quoddam, non tam Synodicum, quàm latrociniale, per Notarios ſuos confecit, pro Eutychete contra Flavianum & Euſebium Dorileníem, quos ambos exauctoravit; Item Theodoretum Cyri Epiſcopum, & Ibam Epiſcopum Edeſſenum; & in eorum ſedes alii ſurrogati ſunt. Appellarunt Flavianus & Theodoretus à judicio Dioſcori; & cùm Flavianus appellationem interpoſuiſſet, ſtatim manus in eum injiciuntur juſſu Dioſcori, raptatur, cæditur, multiſque injuriis & contumeliis afficitur, & tandem dolore plagarum migravit vir ſanctus ad Dominum: atque ita per hoſtium furorem martyrii coronam aſſequutus eſt.

5. Interim Hilarus ille Romanæ Eccleſiæ diaconus, fugâ ſibi conſuluit, ne Flaviani damnationi ſubſcribere cogeretur, & Romam ſe conferens, rem totam, ut geſta erat, Leoni narravit. Romam etiam ſe recepit Euſebius Dorylenſis, & à Leone in communionem admiſſus eſt, ſcriptiſque defenſus. Maximâ autem affectus triſtitiâ Leo, & ſimul pro conſtanti veritatis defenſione confirmato animo, Epheſinum illud latrocinium averſari ſe publicis ſcriptis teſtatus eſt. Et Imperatorem Theodoſium, ejuſque conjugem Pulcheriam, per literas ſeriò rogavit, ut generalis Synodus in Italia celebraretur, quæ omnes offenſiones ita aut repelleret, aut mitigaret, ne aliquid ultra eſſet vel in fide dubium, vel in charitate diviſum. ſed non annuit Theodoſius, at Dioſcorum, ejuſq; conciliabulum defendit. (vide Liberat. c. 12.)

6. Tandem autem, poſt obitum Theodoſii, qui ſequente anno, nempe anno Dom. 450. obiit, indicta eſt ab ejus ſucceſſore Synodus generalis, non quidem in Italia, ſed Nicææ celebranda: ſed quò facilius intereſſe Concilio poſſet ipſe Imperator, alium poſtea locum delegit, nempe Chalcedonem; In hanc urbem, regnante ac jubente Marciano Auguſto, ſucceſſore Theodoſii, convenerunt ſexcenti triginta Epiſcopi, ann. Dom. 451. In hac œcumenicâ Synodo conſentientibus ſuffragiis ſexcentorum triginta Epiſcoporum, damnatus eſt Eutyches, ejuſque defenſor Dioſcorus, qui (accuſante Euſebio Epiſcopo Dorylenſi) hæreticus & homicida pronunciatus eſt, & ab Epiſcopatu dejectus: & ambo in exſilium miſſi ſunt, jubente Imperatore: ſuffecto poſtea in Dioſcori locum Proterio: & reſtituti ſunt Epiſcopi, ab illo latrocinali Concilio, ſeu potiùs tumultu Epheſino abdicati; & ſanctus Flavianus martyr prædicatus eſt, cum honorificentiſſimâ ejus commemoratione. Et encyclica illa Leonis ad Flavianum ſcripta epiſtola coram univerſâ Synodo lecta eſt, & ab omnibus approbata, & geſtis Synodi inſerta, omniumque ſubſcriptionibus roborata eſt. Hæc ex libro epiſtolarum Leonis Papæ I. & ex breviario Liberati, & ex Tomis Conciliorum.

## CAPUT DECIMUM.

*Flaviani Epiſcopi Conſtantinopolitani expoſitio fidei, quam in Concilio Conſtantinopolitano edidit, anno Dom. 448. quam etiam œcumenica Chalcedonenſis Synodus approbavit, anno Dom. 451. ſicut teſtantur acta Synodi Chalcedonenſis, actione primâ; ubi exſtat hæc expoſitio, ejuſdemque approbatio.*

Ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ ὁ μονογενὴς, Θεὸς τέλειος, καὶ ἄνθρωπος τέλειος ἐκ ψυχῆς λογικῆς, καὶ σώματος, πρὸ αἰώνων μὲν ἐκ τοῦ πατρὸς ἀνάρχως γεννηθεὶς κατὰ τὴν θεότητα, ἐπὶ τέλει δὲ καὶ ἐν ὑστέροις καιροῖς ὁ αὐτὸς δι' ἡμᾶς, καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν ἐκ Μαρίας τῆς παρθένου γεννηθεὶς κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα· ὁμοούσιος τῷ πατρὶ κατὰ τὴν θεότητα, ὁμοούσιος τῇ μητρὶ κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα. καὶ γὰρ ἐκ δύο φύσεων ὁμολογοῦμεν τὸν Χριστὸν εἶναι μετὰ τὴν ἐνανθρώπησιν, ἐν μιᾷ ὑποστάσει, καὶ ἐν ἑνὶ προσώπῳ, ἕνα Χριστὸν, ἕνα υἱὸν, ἕνα κύριον ὁμολογοῦμεν.

*id eſt.*

Dominus noſter Jeſus Chriſtus, Filius Dei unigenitus, Deus perfectus, & homo eſt perfectus ex anima rationali & corpore: ante omnia quidem ſecula ex Patre ſine initio genitus, ſecundùm Deitatem; in fine autem, & in noviſſimis temporibus, idem ipſe, propter nos & propter noſtram ſalutem, ex Maria Virgine natus, ſecundùm humanitatem: conſubſtantialis Patri ſecundùm Deitatem, & conſubſtantialis matri ſecundùm humanitatem. Etenim ex duabus naturis confitemur Chriſtum eſſe poſt incarnationem, in una ſubſiſtentiâ, & in una perſonâ, unum Chriſtum, unum Filium, unum Dominum confitemur.

CAPUT



## CAUT UNDECIMUM.

*Encyclica epiſtola Leonis, ejus nominis primi, Epiſcopi Romani, ad Flavianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, contra Eutychetis hæreſin. Quæ epiſtola in concilio œcumenico Chalcedonenſi coram ſexcentis & triginta Epiſcopis lecta eſt, & conſentientibus omnium ſuffragiis approbata, & ſecundæ actioni illius concilii inſerta, omniumque ſubſcriptionibus roborata. Et eſt Epiſtola decima in libro epiſtolarum Leonis, ſex diſtincta capitulis, ſeu ſectionibus, in edit. Lugd. anno 1633. cum ſubjectis capitum, ſeu ſectionum, titulis.*

*1. Quid ignorantia ſcripturarum Eutychen hæreticum fecerit.* 1. LEctis dilectionis tuæ literis, quas miramur fuiſſe tam ſeras, & geſtorum Epiſcopalium ordine recenſito, tandem, quid apud vos ſcandali contra integritatem fidei exortum fuiſſet, agnovimus, & quæ prius videbantur occulta, nunc nobis reſerata patuerunt: quibus Eutyches qui presbyteri nomine honorabilis videbatur, multum imprudens, & nimis imperitus oſtenditur, ut etiam de ipſo dictum ſit à Propheta: *Noluit intelligere ut bene ageret, iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo.* (*Pſal. 36, 4.*) Quid autem iniquius quàm impia ſapere, & ſapientioribus doctioribuſque non credere? Sed in hanc inſipientiam cadunt, qui, cùm ad cognoſcendam veritatem aliquo impediuntur obſcuro, non ad Propheticas voces, non ad Apoſtolicas literas, nec ad Euangelicas autoritates, ſed ad ſemetipſos recurrunt. Et ideò magiſtri erroris exſiſtunt, quia veritatis diſcipuli non fuere. Quam enim eruditionem de ſacris Novi & Veteris Teſtamenti paginis acquiſivit, qui nec ipſius quidem Symboli initia comprehendit? & quod per totum mundum omnium regeneratorum voce depromitur, iſtius adhuc ſenis corde non capitur.

*2. Contra Eutychem in duos filios diſpenſationem Dominicam ſcindentem.* 2. Neſciens igitur, quid deberet de Verbi Dei incarnatione ſentire, nec volens ad promerendum intelligentiæ lumen in ſanctarum Scripturarum latitudine laborare, illam ſaltem communem & indiſcretam confeſſionem ſolicito apprehendiſſet auditu, quâ fidelium univerſitas profitetur credere ſe in Deum Patrem Omnipotentem, & in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum Dominum noſtrum, qui natus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine. Quibus ſententiis tribus omnium ferè hæreticorum machinæ deſtruuntur. Cùm enim Deus & Omnipotens & æternus Pater creditur, conſempiternus eidem Filius demonſtratur, in nullo à Patre differens; quia de Deo Deus, de omnipotente omnipotens, de æterno natus eſt coæternus, non poſterior tempore, non inferior poteſtate, non diſſimilis gloriâ, non diviſus eſſentiâ. Idem verò ſempiterni Genitoris unigenitus ſempiternus, natus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine. Quæ nativitas temporalis illi nativitati divinæ & ſempiternæ nihil minuit, nihil contulit; ſed totam ſe reparando homini qui erat deceptus, impendit, ut mortem vinceret, & Diabolum qui mortis habebat imperium, ſuâ virtute deſtrueret. (*Ebr. 2, 14.*) Non enim ſuperare nos poſſemus peccati & mortis autorem, niſi naturam noſtram ille ſuſciperet, & ſuam faceret, quem nec peccatum contaminare, nec mors potuit detinere. Conceptus quippe eſt de Spiritu Sancto intra uterum Matris Virginis, quæ ita illum, ſalvâ virginitate, edidit, quemadmodum ſalvâ virginitate concepit. Sed ſi de hoc fidei Chriſtianæ fonte puriſſimo ſincerum intellectum haurire non poterat, quia ſplendorem perſpicuæ veritatis obcæcatione ſibi propriâ tenebrârat, doctrinæ ſe Euangelicæ ſubdidiſſet, & dicenti Matthæo; Liber generationis Jeſu Chriſti Filii David, Filii Abraham: (*Matth. 1, 1.*) Apoſtolicæ quoque prædicationis expetiſſet inſtructum, & legens in epiſtola ad Romanos: *Paulus ſervus Jeſu Chriſti, vocatus Apoſtolus, ſegregatus in Euangelium Dei; quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in Scripturis ſanctis de Filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundum carnem:* (*Rom. 1, 1. 2. 3.*) ad propheticas paginas piam ſolicitudinem contuliſſet, & inveniſſet promiſſionem Dei ad Abraham, dicentis: *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes.* (*Geneſ. 22, 18.*) Et ne de hujus ſeminis proprietate dubitaret, ſecutus fuiſſet Apoſtolum dicentem: *Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini ejus. Non dicit, & ſeminibus, quaſi in multis, ſed quaſi in uno, & ſemini tuo, quod eſt Chriſtus.* (*Gal. 3, 16.*) Eſaiæ quoque prædicationem interiore apprehendiſſet auditu, dicentis: *Ecce Virgo in utero concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod eſt interpretatum, nobiſcum Deus.* (*Eſai. 7, 14.*) Ejuſdemque Prophetæ fideliter verba legiſſet: *Puer natus eſt nobis, filius datus eſt nobis: cujus poteſtas ſuper humerum ejus, & vocabitur nomen ejus magni conſilii Angelus, admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, Princeps pacis, Pater futuri ſeculi.* (*Matth. 1, 23. Eſai. 9, 6.*) Nec fruſtratoriè loquens, ita diceret Verbum carnem factum, ut editus utero Virginis Chriſtus haberet formam hominis, & non haberet materni corporis veritatem. An fortè ideo putavit Dominum noſtrum Ieſum non noſtræ eſſe naturæ, quia miſſus ad beatam Mariam Angelus ait: *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi, ideóque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei*; (*Luc. 1, 35.*) ut quia conceptus Virginis divini fuit operis, non de natura concipientis * fieret caro concepti? (* *al. fuerit.*) Sed non ità intelligenda eſt illa generatio ſingulariter mirabilis, & mirabiliter ſingularis, ut per novitatem creationis proprietas remota ſit generis: fecunditatem enim Virgini Spiritus Sanctus dedit; veritas autem corporis ſumpta de corpore eſt, & ædificante ſibi Sapientiâ domum, *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis*, (*Prov. 9, 1. Joan. 1, 14.*) hoc eſt, in ea carne quam ſumpſit ex homine, & quam ſpiritu vitæ rationalis animavit.

*3. Contra eos, qui paſſibilem Divinitatem unigeniti Filii Dei audent aſſerere.* 3. Salvâ igitur proprietate utriuſque naturæ & in unam coëunte perſonam, ſuſcepta eſt à majeſtate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas, & ad reſolvendum conditionis noſtræ debitum, natura inviolabilis naturæ eſt unita paſſibili, ut quod noſtris remediis congruebat, unus atque idem Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus, & mori poſſet ex uno, & mori non poſſet ex altero. In integra ergo veri hominis perfectâque naturâ ve-

M rus

rus natus eſt Deus totus in ſuis, totus in noſtris. Noſtra autem dicimus, quæ in nobis ab initio Creator condidit, & quæ reparanda ſuſcepit. Nam illa quæ deceptor intulit, & homo deceptus admiſit, nullum habuere in Salvatore veſtigium. Nec quia communionem humanarum ſubiit infirmitatum, ideò noſtrorum particeps fuit delictorum. Aſſumpſit formam ſervi ſine ſorde peccati, humana augens, divina non minuens. Quia exinanitio illa, quâ ſe inviſibilis viſibilem præbuit, & Creator ac Dominus omnium rerum unus voluit eſſe mortalium, inclinatio fuit miſerationis, non defectio poteſtatis. Proinde qui manens in forma Dei fecit & hominem, idem in forma ſervi factus eſt homo. Tenet ergo ſine defectu proprietatem ſuam utraque natura: & ſicut formam ſervi Dei forma non adimit, ita formam Dei ſervi forma non minuit. Nam quia gloriabatur Diabolus, hominem ſuâ fraude deceptum divinis caruiſſe muneribus, & immortalitatis dote nudatum, duram mortis ſubiiſſe ſententiam, ſeque in malis ſuis quoddam de prævaricatoris conſortio inveniſſe ſolatium, Deum quoque juſtitiæ exigente ratione erga hominem quem in tanto honore condiderat, propriam mutaſſe ſententiam, opus fuit ſecreti diſpenſatione conſilii, ut incommutabilis Deus (cujus voluntas non poteſt ſuâ benignitate privari) primam erga nos pietatis ſuæ diſpenſationem ſacramento occultiore compleret, & homo diabolicæ iniquitatis verſutiâ actus, in culpa contra Dei propoſitum non periret.

*4. Contra eos, qui in duas naturas Chriſti temperamentum vel confuſionem argumentantur.*

4. Ingreditur ergo hæc mundi infima Filius Dei, de cœleſti ſede deſcendens, & à Paterna gloriâ non recedens, novo ordine, novâ nativitate generatus. Novo ordine, quia inviſibilis in ſuis, viſibilis factus eſt in noſtris. Incomprehenſibilis voluit comprehendi. Ante tempora manens, eſſe cœpit ex tempore. Univerſitatis Dominus ſervilem formam, obumbratâ majeſtatis ſuæ immenſitate, ſuſcepit. Impaſſibilis Deus non dedignatus eſt eſſe homo paſſibilis, & immortalis, mortis legibus ſubjacere. Novâ autem nativitate generatus, quia inviolata virginitas concupiſcentiam neſcivit, carnis materiam miniſtravit. Aſſumta eſt igitur de matre Domini natura, non culpa, nec in Domino Jeſu Chriſto ex utero Virginis genito, quia nativitas eſt mirabilis, ideo noſtræ eſt naturæ diſſimilis: qui enim verus eſt Deus, idem verus eſt homo, & nullum eſt in hac unitate mendacium, dum invicem ſunt, & humilitas hominis, & altitudo Deitatis. Sicut enim Deus non mutatur miſeratione: ita homo non conſumitur dignitate. * Egit enim utraq; forma cum alterius communione quod proprium eſt; Verbo ſcilicet operante quod Verbi eſt, & quod carnis eſt carne exſequente. Unum horum coruſcat miraculis, aliud ſuccumbit injuriis: & ſicut Verbum ab æqualitate Paternæ gloriæ non receſſit; ita caro naturam noſtri generis non reliquit. Unus enim idemque eſt, quod ſæpe dicendum eſt, verè Dei Filius, & verè hominis Filius. Deus per id, quòd in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: Homo per id, quòd Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis. Deus per id, quòd omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil: homo per id, quòd factus eſt ex muliere, factus eſt ſub lege. Nativitas carnis manifeſtatio eſt humanæ naturæ. Partus Virginis divinæ eſt virtutis indicium. Infantia parvuli oſtenditur humilitate cunarum. Magnitudo altiſſimi declaratur vocibus Angelorum. Similis eſt rudimentis hominum, quem Herodes impius molitur occidere: ſed Dominus eſt omnium, quem Magi gaudent ſuppliciter adorare. Jam cum ad præcurſoris ſui Joannis baptiſmum veniret, ne lateret, quod carnis velamine Divinitas tegeretur, vox Patris de Cœlo intonans, dixit: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo bene mihi complacui.* Quem itaque ſicut hominem diabolica tentat aſtutia, eidem ſicut Deo angelica famulantur officia. Eſurire, ſitire, laſſeſcere, atque dormire evidenter humanum eſt. Sed & de quinque panibus, quinque millia hominum ſatiare, & largiri Samaritanæ aquam vivam, cujus hauſtus bibenti præſtat ne ultrà jam ſitiat, & ſupra dorſum maris plantis non ſubſidentibus ambulare, & elationes fluctuum increpatâ tempeſtate conſternere, ſine ambiguitate divinum eſt. Sicut ergo (ut multa prætercam) non ejuſdem naturæ eſt flere miſerationis affectu amicum mortuum, & eundem remoto quatriduanæ aggere ſepulturæ ad vocis imperium excitare redivivum, aut in ligno pendere, & in noctem luce converſâ omnia elementa tremefacere, aut clavis transfixum eſſe, & paradiſi portas fidei latronis aperire: ita non ejuſdem naturæ eſt dicere, *Ego & Pater unum ſumus*: & dicere, *Pater major me eſt.* Quamvis enim Domino Jeſu Chriſto Dei & hominis una perſona ſit; aliud tamen eſt unde contumelia, aliud unde communis eſt gloria. De noſtro enim illi eſt minor Patre humanitas; de Patre illi eſt æqualis cum Patre Divinitas.

5. Propter hanc unitatem perſonæ in utraque natura intelligendam, & Filius hominis legitur deſcendiſſe de cœlo, cùm Filius Dei carnem de ea Virgine, de qua eſt natus, aſſumſerit. Et rurſus Filius Dei crucifixus dicitur ac ſepultus, cùm hæc non in Divinitate ipſa, quâ unigenitus conſempiternus & conſubſtantialis eſt Patri, ſed in naturæ humanæ ſit infirmitate perpeſſus. Unde unigenitum Filium Dei crucifixum & ſepultum omnes etiam in Symbolo confitemur, ſecundum illud Apoſtoli: *Si enim cognoviſſent, nunquam Dominum majeſtatis crucifixiſſent.* Cum autem ipſe Dominus noſter, atque Salvator fidem diſcipulorum ſuorum ſuis interrogationibus erudiret. *Quem*, inquit, *dicunt homines eſſe Filium hominis?* Cumque illi diverſas aliorum opiniones retexuiſſent, *Vos autem*, ait, *quem me eſſe dicitis?* me utique qui ſum Filius hominis, & quem in forma ſervi atque in veritate carnis aſpicitis, quem me eſſe dicitis? Ubi beatus Petrus divinitus inſpiratus, & confeſſione ſuâ omnibus gentibus profuturus, *Tu es*, inquit, *Chriſtus Filius Dei vivi.* Nec immeritò beatus eſt pronunciatus à Domino, & à principali petrâ ſoliditatem & virtutis traxit & nominis, qui per revelationem Patris eundem & Filium Dei eſt confeſſus & Chriſtum, quia unum horum ſine alio receptum non proderat ad ſalutem. Sed æqualis erat periculi, Dominum Jeſum Chriſtum aut Deum tantummodo ſine homine, aut ſine Deo ſolum hominem credidiſſe. Poſt reſurrectionem verò Domini, quæ utique veri hominis fuit, quia alter non eſt reſuſcitatus, quàm qui fuerat crucifixus, & mortuus, quid aliud quadraginta dierum morâ geſtum eſt, quam ut fidei noſtræ integritas ab omni caligine mundaretur? Colloquens enim cum diſcipulis ſuis, & cohabitans atque conveſcens, & pertractari ſe diligenti curioſoque contactu ab

** Agit.*

*Joan. 1, 1.*
*Joan. 1, 14.*
*Joan. 1, 3.*
*Gal. 4, 4.*



eis, quos dubietas perſtringebat, admittens, ideò clauſis ad diſcipulos januis introibat, & flatu ſuo dabat Spiritum Sanctum, & donato intelligentiæ lumine ſanctarum Scripturarum occulta pandebat. Et rurſus, idem vulnus lateris, fixuras clavorum, & omnia recentiſſimæ paſſionis ſigna monſtrabat, dicens: *Videte manus meas, & pedes, quia ego ſum: palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me habere videtis*, ut cognoſceretur in eo proprietas divinæ humanæque naturæ individua permanere: & ita ſciremus verbum non hoc eſſe quod carnem, & ut unum Dei Filium & Verbum confiteremur & carnem. Quo fidei Sacramento Eutyches iſte nimium æſtimandus eſt vacuus, qui naturam noſtram in Unigenito Dei nec per humilitatem mortalitatis, nec per gloriam reſurrectionis agnovit. Nec ſententiam beati Apoſtoli, & Euangeliſtæ Joannis expavit dicentis: *Omnis ſpiritus, qui confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt: & omnis Spiritus, qui ſolvit Ieſum, ex Deo non eſt: & hic eſt Antichriſtus.* Quid autem eſt ſolvere Jeſum, niſi humanam ab eo ſeparare naturam, & ſacramentum fidei, per quod ſalvati ſumus, imprudentiſſimis evacuare figmentis? Caligans verò circa naturam corporis Chriſti, neceſſe eſt, ut etiam in paſſione ejus eadem obcæcatione deſipiat. Nam, ſi crucem Domini non putat falſam, & ſuſceptum pro Mundi ſalute ſupplicium verum fuiſſe non dubitat; cujus credit mortem, agnoſcat & carnem. Nec diffiteatur noſtri corporis hominem, quem cognoſcit fuiſſe paſſibilem: quoniam negatio veræ carnis, negatio eſt etiam corporeæ paſſionis. Si enim Chriſtianam * ſuſcepit fidem, & à prædicatione Euangelii ſuum non avertit auditum; videat, quæ natura transfixa clavis pependerit in crucis ligno, & aperto per militis lanceam latere crucifixi, intelligat unde ſanguis & aqua effluxerit, ut Eccleſia Dei, & lavacro rigaretur, & poculo. Audiat & beatum Petrum Apoſtolum prædicantem, quòd ſanctificatio Spiritûs per aſperſionem fiat ſanguinis Chriſti. Nec tranſitoriè legat ejuſdem Apoſtoli verba dicentis: *Scientes, quòd non corruptibilibus argento & auro redemti eſtis de vana veſtra converſatione paternæ traditionis; ſed pretioſo ſanguine, quaſi agni incontaminati, Ieſu Chriſti.* Beati quoque Joannis Apoſtoli teſtimonio non reſiſtat, dicentis: *& ſanguis Ieſu Filii Dei emundat nos ab omni peccato*; & iterum; *hæc eſt victoria quæ vincit mundum: fides noſtra. Et quis eſt, qui vincit mundum; niſi qui credit, quoniam Ieſus eſt Filius Dei? hic eſt, qui venit per aquam & ſanguinem, Ieſus Chriſtus. Non in aqua ſolum; ſed in aqua & ſanguine. Et Spiritus eſt qui teſtificatur, quoniam Chriſtus eſt veritas: quia tres ſunt qui teſtimonium dant; Spiritus, aqua, & ſanguis: & hi tres unum ſunt.* Spiritus utique ſanctificationis, & ſanguis redemtionis, & aqua baptiſmatis, quæ tria unum ſunt, & individua manent, nihilque eorum à ſui connexione ſejungitur: quia catholica Eccleſia hac fide vivit & proficit, ut in Chriſto Jeſu nec ſine verâ Divinitate humanitas, nec ſine verâ credatur humanitate Divinitas.

*Luc. 24. 39.*
*1. Joan. 4, 2.*
** al. ſeſſio-ne.*
*Joan. 19, 34.*
*1. Petr. 1, 18.*
*1. Joan. 1, 7.*
*1. Joan. 5, 4. 5. 6.*

6. Cum autem ad interrogationem examinis veſtri Eutyches reſponderit, dicens; *Confiteor ex duabus naturis fuiſſe Dominum noſtrum ante adunationem; poſt adunationem verò unam naturam confiteor*: miror tam abſurdam, tamque perverſam ejus profeſſionem nullâ judicantium increpatione reprehenſam, & ſermonem nimis inſipientem, nimiſque blaſphemum ita omiſſum, quaſi nihil quod offenderet eſſet auditum, cùm tam impiè duarum naturarum ante incarnationem unigenitus Dei Filius fuiſſe dicatur, quàm nefariè, poſtquam Verbum caro factum eſt, natura in eo ſingularis aſſeritur. Quod ne Eutyches ideò vel rectè, vel tolerabiliter, æſtimet dictum, quia nullâ veſtrâ ſententiâ eſt confutatum; ſolicitudinis tuæ diligentiâ commonemus, frater chariſſime, ut, ſi per inſpirationem miſericordiæ Dei ad ſatisfactionem cauſa perducitur, imprudentia hominis imperiti etiam ab hac ſenſûs ſui maculâ per te purgetur. Quia quidem ſicut geſtorum ordo patefecit, bene cœperat à ſua perſuaſione diſcedere, cùm ex veſtra ſententiâ coarctatus, profiteretur ſe dicere quod ante non dixerat, & ei fidei acquieſcere, cujus prius fuiſſet alienus. Sed cû anathematizando impio dogmati noluiſſet præbere conſenſum, intellexit eum fraternitas veſtra in ſuâ manere perfidiâ, dignumque eſſe qui judicium condemnationis exciperet: de quo ſi fideliter atque utiliter dolet, & quàm rectè mota ſit Epiſcopalis auctoritas, vel ſerò cognoſcit, vel ſi ad ſatisfactionis plenitudinem omnia, quæ ab eo malè ſunt ſenſa, vivâ voce, & præſenti ſubſcriptione damnaverit, non erit reprehenſibilis erga correctum quantacunque miſeratio. Dominus noſter verus, & bonus paſtor qui animam ſuam poſuit pro ovibus ſuis, & qui venit animas hominum ſalvare, non perdere, imitatores nos vult eſſe ſuæ pietatis, ut peccantes quidem juſtitiâ coerceat, converſos autem miſericordiâ non repellat. Tunc enim demum fructuoſiſſimè fides vera defenditur, quando etiam à ſectatoribus ſuis opinio falſa damnatur. Ad omnem verò cauſam piè ac fideliter exſequendam fratres noſtros Julianum Epiſcopum & Renatum presbyterum tituli Sancti Clementis, ſed & Filium meum Hilarum diaconum vice noſtrâ direximus: Quibus Dulcitium notarium noſtrum, cujus fides eſt nobis ſæpe probata, ſociavimus, confidentes affuturum Divinitatis auxilium, ut is, qui erraverat damnatâ ſenſus ſui pravitate, ſalvetur. Deus te incolumem cuſtodiat, frater chariſſime. Data idus Junii, Aſterio & Protogene viris clariſſimis conſulibus, Æra CCCCLXXXVI. Anno Domini, 449. ut ſupputat Marianus Scotus, & Sethus Calviſius, & Card. Baronius.

*6. Contra eos, qui duas quidem ante adunationem naturas Domini dicunt, unam verò poſt adunationem confingunt.*

## CAPUT DUODECIMUM.

*Synodica fidei expoſitio, à Patribus ſexcentis triginta edita in Concilio Chalcedonenſi, œcumenico quarto, contra hereſin Eutychetis Archimandritæ Conſtantinopolitani, & Dioſcori Patriarchæ Alexandrini, regnante Marciano Imperatore, anno Dom. 451. ex quinta actione illius Concilii. accedunt quædam antiquiorum Patrum teſtimonia.*

Ἑπόμενοι τοίνυν τοῖς ἁγίοις πατράσιν, ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν ὁμολογεῖν υἱὸν, τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, συμφώνως ἅπαντες ἐκδιδάσκομεν. Τέλειον τὸν αὐτὸν ἐν θεότητι, καὶ τέλειον τὸν αὐτὸν ἐν ἀνθρωπότητι, Θεὸν ἀληθῶς, καὶ ἄνθρωπον ἀληθῶς τὸν αὐτὸν ἐκ ψυχῆς λογικῆς καὶ σώματος· ὁμοούσιον τῷ πατρὶ κατὰ τὴν θεότητα, καὶ ὁμοούσιον τὸν αὐτὸν ἡμῖν κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα, κατὰ πάντα ὅμοιον ἡμῖν, χωρὶς ἁμαρτίας, πρὸ αἰώνων μὲν ἐκ τοῦ πατρὸς γεννηθέντα κατὰ τὴν θεότητα, ἐπ' ἐσχάτων δὲ τῶν ἡμερῶν, τὸν αὐτὸν δι' ἡμᾶς καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν, ἐκ Μαρίας τῆς παρθένου τῆς θεοτόκου, κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα. ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν Χριστὸν, υἱὸν, κύριον, μονογενῆ, ἐν δύο φύσεσιν, ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως γνωριζόμενον, οὐδαμοῦ τῆς τῶν φύσεων διαφορᾶς ἀνῃρημένης, διὰ τὴν ἕνωσιν, σωζομένης δὲ μᾶλλον τῆς ἰδιότητος ἑκατέρας φύσεως, καὶ εἰς ἓν πρόσωπον καὶ μίαν ὑπόστασιν συντρεχούσης. οὐκ εἰς δύο πρόσωπα μεριζόμενον, ἢ διαιρούμενον, ἀλλ' ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν υἱὸν, καὶ μονογενῆ, Θεὸν λόγον, Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν. καθάπερ ἄνωθεν οἱ προφῆται περὶ αὐτοῦ, καὶ αὐτὸς ἡμᾶς ὁ κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς ἐξεπαίδευσε, καὶ τὸ τῶν πατέρων ἡμῖν παραδέδωκε σύμβολον. *id eſt*:

*In duabus naturis, ſic etiam reperitur in Synodo Martini, ſecretario quarto, & in quinta œcumenica Synodo, collatione ſexta.*

Sanctos igitur Patres ſequentes, unum & eundem confiteri Filium Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, concorditer omnes docemus: perfectum in Divinitate, & eundem perfectum in humanitate: verum Deum, & verum hominem eundem ex rationali animâ & corpore: coëſſentialem Patri ſecundùm Divinitatem, & coëſſentialem eundem nobis ſecundum humanitatem: per omnia nobis ſimilem, demto peccato: ante ſecula quidem genitum ex Patre ſecundùm Divinitatem, poſtremis verò diebus propter nos & propter noſtram ſalutem, ex Maria Virgine Deiparâ, ſecundùm humanitatem: unum & eundem Chriſtum, Filium, Dominum, Unigenitum, in duabus naturis, inconfusè, inconvertibiliter, indivulsè & inſeparabiliter manifeſtatum; haudquaquam differentiâ naturarum propter unitatem ſublatâ, ſed magis utriuſque naturæ (in unam perſonam & unam hypoſtaſin concurrentis) proprietate ſervatâ: non in duas perſonas bipartitum aut diviſum, ſed unum & eundem Filium, unigenitum, Deum Verbum, Dominum Ieſum Chriſtum: ſicut de illo olim Prophetæ vaticinati ſunt, & ipſe nos Dominus Jeſus Chriſtus inſtruxit, ac Patrum ſymbolum nobis tradidit.

*Teſtimonia quædam orthodoxorum quorundam Patrum, ex eis quæ citantur in Concilii Chalcedonenſis proſphonetico ad Marcianum Imperatorem. initio tertiæ partis, edit. Bin.*

*S. Baſilii, lib. 1. contra Eunomium.*

*Phil. 2, 6. In forma Dei, id eſt, in eſſentia Dei.*

2. Ἐγὼ γὰρ καὶ τὸ ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχειν, ἴσον τῷ ἐν οὐσίᾳ Θεοῦ ὑπάρχειν δύνασθαί φημι. ὡς γὰρ τὸ μορφὴν δούλου ἀναληφθῆναι λέλεκται, ἐν τῇ οὐσίᾳ τῆς ἀνθρωπότητος τὸν κύριον ἡμῶν γεγενῆσθαι σημαίνει, οὕτω λέγων, ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχειν, τῆς οὐσίας τῆς θείας παρίστησι πάντως τὴν ἰδιότητα. *id eſt*: Ego enim & hoc, quod eſt in forma Dei exſiſtere, idem valere atque in eſſentia Dei exſiſtere pronuncio. Sicut enim hoc, quod formam ſervi ſuſcepit, in ſubſtantia humanâ Dominum noſtrum factum eſſe ſignificat: ita cùm dicit, quod in forma Dei eſt; divinæ ſubſtantiæ proprietatem ſine dubitatione commendat.

*Antiochi, Epiſcopi Ptolemaidis.*

3. Μὴ συγχέῃς τὰς φύσεις, καὶ οὐκ ἀπορήσεις περὶ τὴν οἰκονομίαν. *id eſt*: Non confundas naturas, & non obſtupeſces circa diſpenſationem.

*Amphilochii, Epiſcopi Iconii, de explanatione Euangelii ſecundùm Iohannem.*

4. Διάκρινον λοιπὸν τὰς φύσεις, τήν τε τοῦ Θεοῦ, τήν τε τοῦ ἀνθρώπου. οὔτε γὰρ κατ' ἔκπτωσιν Θεοῦ γέγονεν ἄνθρωπος, οὔτε κατὰ προκοπὴν ἐξ ἀνθρώπου Θεός. Θεὸν γὰρ λέγων καὶ ἄνθρωπον, δὸς τὰ παθήματα τῇ σαρκί, δὸς τὰ θαύματα τῷ Θεῷ. *id eſt*: Diſcerne jam naturas, tam Dei, quàm hominis. Neque enim per amiſſionem Dei factus eſt homo, neque ſecundùm provectum ex homine Deus eſt. Deum enim dicens & hominem, da paſſiones carni; da Deo miracula.

*B. Flaviani, Epiſcopi Antiochiæ, in Theophania* εἰς τὰ Θεοφάνεια.

5. Ἀνθρωπίνη φύσις θεότητι συνάπτεται, μενούσης ἐφ' ἑαυτῆς ἑκατέρας φύσεως. *id eſt*: Humana natura Deitati conjungitur, ita ut in ſe utraque natura permaneat.

B. Procli, ex ſermone in illud: *Puer natus eſt nobis, Filius datus eſt nobis.*

6. Καὶ τὰς φύσεις τῷ λόγῳ διαίρει, καὶ τὴν ἕνωσιν τῷ μυστηρίῳ διαλάλησον. *id eſt*: Et naturas ratione diſtingue, [ſeu divide,] & unionem myſterii divinis extolle præconiis.

*B. Cyrilli*



*B. Cyrilli, ex epiſtola ad Neſtorium.*

7. Ἐννοοῦντες τοίνυν τὸν τῆς ἐνανθρωπήσεως τρόπον, ὡς ἔφην, ὁρῶμεν ὅτι δύο φύσεις συνῆλθον ἀλλήλαις καθ' ἕνωσιν ἀδιάσπαστον, ἀσυγχύτως, καὶ ἀτρέπτως· ἡ γὰρ σὰρξ σάρξ ἐστι, καὶ οὐ θεότης, εἰ καὶ γέγονε Θεοῦ [θεία] σάρξ. ὁμοίως δὲ καὶ ὁ λόγος Θεός ἐστι, καὶ οὐ σάρξ, εἰ καὶ ἰδίαν ἐποιήσατο τὴν σάρκα οἰκονομικῶς. *id eſt*: Advertentes igitur modum inhumanationis, ut dixi, videmus, quòd duæ naturæ per individuam unitionem inconfusè atque inconvertibiliter invicem ſibi convenerunt. Caro namque caro eſt, & non Deitas; licet Dei ſit facta caro: Similiter etiam Verbum Deus eſt, & non caro; licet diſpenſatoriè propriam fecerit carnem.

*Ejuſdem ex epiſtola ad B. Iohannem, Antiochiæ Patriarcham.*

8. Δύο γὰρ φύσεων ἕνωσις γέγονε. διὸ ἕνα Χριστὸν, ἕνα υἱὸν, ἕνα κύριον ὁμολογοῦμεν. κατὰ ταύτην τὴν τῆς ἀσυγχύτου ἑνώσεως ἔννοιαν, ὁμολογοῦμεν τὴν ἁγίαν παρθένον θεοτόκον· διὰ τὸ τὸν Θεὸν λόγον σαρκωθῆναι, καὶ ἐνανθρωπῆσαι, καὶ ἐξ αὐτῆς τῆς συλλήψεως ἑνῶσαι ἑαυτῷ τὸν ἐξ αὐτῆς ληφθέντα ναόν. *id eſt*: Duarum namque naturarum unio facta eſt: idcirco unum Chriſtum, unum Filium, unum Dominum confitemur. Secundùm hanc inconfuſibilis unitatis [ſeu, unitionis,] intelligentiam, confitemur ſanctam Virginem Dei genitricem; propterea quòd Deus Verbum incarnatus ſit, & homo factus, & ex ipſa conceptione unierit ſibi quod ex ea ſumptum eſt templum.

## CAPUT DECIMUM-TERTIUM.

*Plura in eandem ſententiam, de incarnatione Domini, ex epiſtolis Leonis I. Epiſcopi Romani. adjecta profeſſione Gregorii I. Epiſcopi Romani de quatuor œcumenicis Conciliis. cum annotatione de Polemone & de Tropitis.*

*Ex undecima epiſtola Leonis, hujus nominis primi, Epiſcopi Romani, ad Iulianum Epiſcopum Coënſem. quæ incipit*: Licet per noſtros.

QUid autem prodeſt imprudentiſſimo ſeni [Eutycheti] Neſtorianæ hæreſeos nomine eorum lacerare opinionem, quorum piiſſimam convellere non poteſt fidem? Cùm, quantum Neſtorius à veritate diſceſſit, Deitatem Verbi ab aſſumti hominis ſubſtantiâ ſeparando, tantum à recto tramite etiam iſte deſciſcat, qui unigenitum Dei Filium ſic de utero beatæ Virginis prædicat natum, ut humani quidem corporis ſpeciem geſſerit, ſed humanæ carnis veritas Verbo unita non fuerit. De quo prodigio falſitatis quis non videat, quæ opinionum monſtra naſcantur? Negator enim Mediatoris Dei & hominum, hominis Jeſu Chriſti, neceſſe eſt ut multis impietatibus impleatur, cumque Apollinaris ſibi vendicet, aut Valentinus uſurpet, aut Manichæus obtineat, quorum nullus in Chriſto humanæ carnis credidit veritatem. quâ utique non receptâ, non ſolùm quod ſecundùm carnem atque animam rationalem, qui erat in forma Dei manens, idem in forma ſervi homo natus, denegatur; ſed etiam quòd crucifixus eſt, & mortuus, ac ſepultus, quódq; die tertiâ ſurrexit, & quod ad dextram Patris ſedens ad judicandos vivos & mortuos in eo corpore ſit venturus, in quo eſt judicatus, abnuitur. quia hæc redemtionis noſtræ ſacramenta vacuantur, ſi Chriſtus veram veri hominis totamque naturam ſuſcepiſſe non creditur. An quia manifeſta erant ſigna divina, falſa dicentur documenta corporea, nec teſtimonia utriuſque naturæ valebunt, ut creatura ſalvetur? quod Deitatis eſt, caro non minuit; quod carnis eſt, Deitas non peremit. Idem enim & ſempiternus ex Patre, & temporalis ex Matre, in ſua virtute inviolabilis, in noſtra infirmitate paſſibilis.

2. *Et paullò poſt ibidem*: In eo quod Eutyches in Epiſcopali judicio auſus eſt dicere, ante incarnationem duas in Chriſto fuiſſe naturas, poſt incarnationem autem unam; neceſſarium fuerat, ut, ad reddendum rationem profeſſionis ſuæ, crebris atque ſollicitis judicum interrogationibus urgeretur, ne tanquam inane aliquid præterflueret, quod non niſi de hauſtu venenatorum dogmatum apparebat effuſum. Arbitror enim talia loquentem hoc habere perſuaſum, quòd anima, quam Salvator aſſumſit, priùs in Cœlis ſit commorata, quàm de Virgine naſceretur, eamque ſibi Verbum in utero copularet. Sed hoc Catholicæ mentes aureſque non tolerant, quia nihil ſecum Dominus de Cœlo veniens noſtræ conditionis exhibuit. Nec animam enim, quæ anterior exſtitiſſet, nec carnem, quæ non materni corporis eſſet, accepit. Natura quippe noſtra non ſic aſſumta eſt, ut prius creata poſt aſſumeretur; ſed ut ipſa aſſumtione crearetur. *Hæc ibi Leo.* *Ut ipſa aſſumtione crearetur.*

*Ex ejuſdem Leonis epiſtola 83. ad Paleſtinos. quæ incipit*: Sollicitudini meæ.

*Una fides.*

3. Una eſt vera, ſingularis, perfecta, inviolabilis, Catholica fides, cui nihil addi, nec minui poteſt: quam Neſtorius priùs, & nunc Eutyches, diverſâ quidem aſſertione, ſed ſimili impietate, impugnare conati ſunt, & Eccleſiæ Dei duas hæreſes ſibimet contrarias inferre tentârunt, ut uterque à diſcipulis veritatis meritò damnaretur; quia inſanum nimis & ſacrilegum fuit, quod variâ falſitate ambo ſenſere.

4. Anathematizetur ergo Neſtorius, qui beatam Virginem Mariam hominis tantummodo credidit genitricem, ut aliam perſonam carnis, aliam faceret Deitatis: nec unum Chriſtum in Verbo Dei & carne ſentiret, ſed ſeparatim ac ſejunctim alium Filium Dei, alium hominis prædicaret: cùm, manente illa incommunicabilis Verbi eſſentiâ, quæ ei cum Patre & Spiritu Sancto intemporalis atque coæterna eſt, ita intra virginea viſcera Verbum caro ſit factum, ut uno conceptu, unoque partu eadem virgo ſecundùm unionem utriuſque ſubſtantiæ, & ancilla Domini eſſet, & mater. quod etiam Eliſabet (ſicut Euangeliſta declarat) intellexit, & dixit: *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me!* *Luc. 1, 43.*

5. Eutyches quoque eodem percellatur anathemate, qui per impios veterum hæreticorum

 volutatus

volutatus errores, tetrum Apollinaris dogma delegit, ut, negatâ humanæ carnis atque animæ veritate, totum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum unius aſſerat eſſe naturæ; tanquam Verbi Deitas ipſa ſe in carnem animamque converterit, & concipi ac naſci, nutriri ac creſcere, crucifigi ac mori, ſepeliri ac reſurgere, & aſcendere in Cœlum, & in Patris dextera, unde ad judicandos vivos & mortuos veniet, conſidere, ejus tantùm eſſentiæ fuerit, quæ nihil horum in ſe ſine carnis veritate recepit: quoniam natura unigeniti, natura eſt Patris, natura eſt Spiritûs Sancti, ſimulque impaſſibilis, ſimul eſt incommutabilis, ſempiternæ Trinitatis indiviſa unitas, & conſubſtantialis æqualitas. Unde, ſi ab Apollinaris perverſitate hæreticus iſte deſciſcit, ne convincatur Deitatem paſſibilem ſentire atque mortalem; & tamen Verbi incarnati, id eſt, Verbi & carnis unam audet pronunciare naturam; non dubiè in Manichæi & Marcionis tranſit inſaniam, & Mediatorem Dei & hominum, hominem Jeſum Chriſtum, ſimulatoriè omnia credit egiſſe, nec humanum in ipſo corpus, ſed phantaſticam corporis ſpeciem oculis apparuiſſe cernentium.

6. Quæ impietatis mendacia, quoniam olim fides Catholica deteſtabatur, & talium ſacrilegia concordibus per totum mundum beatorum Patrum ſunt damnata ſententiis; quicunque illi ſunt ita obcæcati, & à Lumine veritatis alieni, ut Verbo Dei à tempore incarnationis humanam, id eſt, noſtram negent ineſſe naturam, oſtendant in quo ſibi Chriſtianum nomen uſurpent, & cum Euangelio veritatis, quâ ratione concordent, ſi per beatæ Virginis partum, aut caro ſine Deitate, aut Deitas eſt orta ſine carne. Sicut enim negari non poteſt, quòd *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis*: ita negari non poteſt, quod *Deus erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi.* Quæ autem reconciliatio eſſe poteſt, quâ humano generi propitiaretur Deus, niſi omnium cauſſam Mediator Dei hominumque ſuſciperet? quâ verò ratione veritatem Mediatoris impleret, niſi qui in forma Dei æqualis erat Patri, in forma ſervi particeps eſſet & noſtri? ut per unum novum hominem fieret renovatio vetuſtatis, & mortis vinculum unius prævaricatione contractum, unius morte, qui ſolus morti nihil debuit, ſolveretur.

*Joan. 1. 14. 2. Cor. 5. 19. Vide lib. 1. cap. 19.*

7. Effuſio enim pro injuſtis ſanguinis juſti, tam potens ad privilegium, tam dives ad pretium, ut, ſi univerſitas captivorum in Redemtorem ſuum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent: quoniam, (ſicut Apoſtolus ait) *ubi abundavit peccatum, ſuperabundavit & gratia*: & cùm ſub peccati præjudicio nati, poteſtatem acceperint ad juſtitiam renaſcendi; validius factum eſt donum libertatis, quàm debitum ſervitutis.

*Sanguis Chriſti potens ſolvere [illegible] omnes homines, ſi omnes crederent. Rom. 5, 2.*

8. Quam itaque ſibi in hujus ſacramenti præſidio ſpem relinquunt, qui in Salvatoris noſtri corpore negant humanæ ſubſtantiæ veritatem? dicant, in quo ſacrificio reconciliati; dicant, quo ſanguine ſint redemti? quis eſt qui tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis? aut quod unquam ſacrificium ſacratius fuit, quàm quod verus Pontifex altari crucis per immolationem ſuæ carnis impoſuit?

9. Quamvis enim multorum ſanctorum in conſpectu Domini precioſa mors fuerit; nullius tamen inſontis occiſio, propitiatio fuit Mundi. Acceperunt juſti, non dederunt coronas, & de fortitudine fidelium exempla nata ſunt patientiæ, non dona juſtitiæ. Singulares quippe in ſingulis mortes fuere, nec alterius quiſquam debitum ſuo fine perſolvit; cùm inter filios hominum unus ſolus Dominus noſter Jeſus Chriſtus extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes ſepulti, omnes ſunt etiam ſuſcitati, de quibus ipſe dicebat; *Cùm exaltatus fuero, omnia traham ad me*. fides etenim vera juſtificans impios, & creans juſtos, ad humanitatis ſuæ tracta participem, in illo acquirit ſalutem, in quo ſolo homo ſe invenit innocentem: Liberum habens per gratiam Dei de ejus potentia gloriari, qui contra hoſtem ſuperbum in carnis noſtræ humilitate congreſſus, his victoriam ſuam tribuit, in quorum corpore triumphavit.

*Pſal. 115. ſive 116. — Solus Chriſtus; nullus autem alius, alterius debitum ſuâ paſſione perſolvit. Vide lib. 1. cap. 3. §. 6. 7. 8. 9. Joan. 12. 32. Nota de fide & juſtificatione.*

10. Quamvis ergo in uno Domino noſtro Jeſu Chriſto, vero Dei atque hominis Filio, Verbi & carnis una perſona ſit, & utraque eſſentia communes habeat actiones; intelligendæ tamen ſunt ipſorum operum qualitates, & ſinceræ fidei contemplatione cernendum eſt, ad quæ provehatur humilitas infirmitatis, & ad quæ inclinetur altitudo virtutis: quid ſit, quod caro ſine Verbo non agit; & quid ſit, quod Verbum ſine carne non efficit. Sine Verbi enim potentiâ nec conciperet Virgo, nec pareret: & ſine veritate carnis obvoluta pannis infantia non jaceret. Sine Verbi potentiâ non adorarent Magi puerum, novo ſidere declaratum: & ſine veritate carnis non juberetur transferri in Ægyptum puer, & ab Herodis perſecutione ſubduci. Sine Verbi potentiâ non diceret vox Patris, miſſa de Cœlo, *hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*: & ſine veritate carnis non proteſtaretur Joannes, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata Mundi.* Sine Verbi potentiâ non fieret redintegratio debilium, & vivificatio mortuorum: & ſine veritate carnis, nec cibus jejuno, nec ſomnus eſſet neceſſarius fatigato. Poſtremò, ſine Verbi potentiâ, non ſe Dominus Patri profiteretur æqualem: & ſine veritate carnis, non idem diceret, Patrem ſe eſſe majorem: cùm Catholica fides utrumque ſuſcipiat, utrumque defendat, quæ ſecundùm proprietatem divinæ humanæque ſubſtantiæ, unum Dei Filium, & hominem credit, & Verbum.

*Matth. 3. 17. Joan. 1. 29.*

11. Quamvis ergo ab illo initio, quo in utero Virginis Verbum caro factum eſt, nihil unquam inter divinam humanamque ſubſtantiam diviſionis extiterit, & per omnia incrementa corporea, unius perſonæ fuerint totius temporis actiones: ea ipſa tamen, quæ inſeparabiliter facta ſunt, nullâ permixtione confundimus; ſed quid cujus formæ ſit, ex operum qualitate ſentimus. Nec divina enim humanis præjudicant, nec humana divinis; cùm ita in idipſum utraque concurrant, ut in eis nec proprietas abſumatur, nec perſona geminetur. Dicât igitur iſti phantaſmatici Chriſtiani, quæ ſubſtantia Salvatoris affixa ſit ligno, quæ jacuerit in ſepulchro, & revoluto monumenti lapide, quæ tertiâ die caro ſurrexerit, vel quale corpus Jeſus diſcipulorum viſui, clauſis ad eos oſtiis ingreſſus, intulerit; cum ad abigendam cernentium diffidentiam, inſpici oculis, digitiſque tractari, patentes adhuc fixuras clavorum, & recens compuncti lateris vulnus exigeret.

*Eutychiani vere phantaſmatici Chriſtiani.*

12. At, ſi in tanta luce veritatis tenebras ſuas hæretica obduratio non relinquit, oſtendant unde ſibi ſpem vitæ polliceantur æternæ, ad quam niſi per Mediatorem Dei & hominum, hominem Jeſum



Chriſtum, non poteſt perveniri. *Non eſt enim aliud nomen datum hominibus ſub Cœlo, in quo oporteat ſalvos fieri*: nec eſt redemtio captivitatis humanæ, niſi in ſanguine ejus *qui dedit ſemetipſum redemtionem pro omnibus*, qui (ſicut prædicat beatus Paulus Apoſtolus) *Cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo: ſed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, in ſimilitudine hominum factus, & habitu inventus ut homo, humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus illum exaltavit, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: ut in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum; & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.* Quamvis ergo unus ſit Dominus Jeſus Chriſtus, & veræ Deitatis veræque humanitatis in ipſo una prorſus eademque perſona ſit, neque hujus unitionis ſoliditas ullâ poſſit diviſione ſejungi, exaltationem tamen, quâ illum exaltavit Deus, & donavit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, ad eam intelligimus pertinere formam, quæ ditanda erat tantæ glorificationis augmento. In *forma* quippe *Dei* æqualis erat Filius Patri, & inter Genitorem atque Unigenitum nulla erat in eſſentiâ diſcretio, nulla in majeſtate diverſitas; nec per incarnationis myſterium aliquid deceſſerat Verbo, quod ei Patris munere redderetur. *Forma* autem *ſervi*, per quam impaſſibilis Deitas ſacramentum magnæ pietatis implevit, humana humilitas eſt, quæ in gloriam divinæ poteſtatis evecta eſt, in tantam unitatem ab ipſo conceptu Virginis, Deitate & humanitate connexâ, ut nec ſine homine Divina, nec ſine Deo agerentur humana: propter quod ſicut Dominus majeſtatis dicitur crucifixus, ita qui ex ſempiternitate æqualis eſt Deo, dicitur exaltatus. Nec intereſt, ex qua Chriſtus ſubſtantiâ nominetur; cùm, inſeparabiliter manente unitate perſonæ, idem ſit & totus hominis Filius propter carnem, & totus Dei Filius propter unam cum Patre Deitatem.

*1. Tim. 2, 5. Act. 4, 12. Philip. 2, 6. &c. — Communicatio proprietatum.*

13. Quicquid ergo in tempore accepit Chriſtus, ſecundùm hominem accepit, cui quæ non habuit conferuntur. Nam ſecundùm potentiam Verbi indifferenter omnia quæ habet Pater, etiam Filius habet: & quæ in forma ſervi à Patre accepit, eadem in forma Patris etiam ipſe donavit: & idem ipſe & dives & pauper: dives, quia *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Pauper verò; quia *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis.* quæ autem eſt ejus exinanitio, quæve paupertas, niſi formæ ſervilis acceptio, per quam Verbi majeſtate velata, diſpenſatio humanæ redemtionis impleta eſt?

*1. Cor. 8, 6. Joan. 1, 1. 2. 3. Joan. 1, 14. Exinanitio.*

14. Nam, quia captivitatis noſtræ reſolvi originalia vincula non poterant, & ab hoſtis imperio relaxari, niſi exſiſteret homo noſtri generis, noſtræque naturæ, quem veteris debiti præjudicia non tenerent, & qui immaculato ſanguine ſuo *chirographum lethale dilueret*, ſicut ab initio erat divinitus præordinatum, & Prophetarum oraculis prænunciatum: ita eſt in plenitudine præfiniti temporis factum, ut multis modis ſignificata promiſſio in diu exſpectatum veniret effectum, nec poſſet eſſe ambiguum, quod continuis ſignificationibus ſemper fuerat nunciatum. *Hæc Leo magnus, Epiſcopus Romanus.*

*Coloſſ. 2, 14.*

Epiſtolæ Papæ Leonis adverſus Eutychem, de vera Chriſti incarnatione, ad diverſos datæ, à Proſpero Aquitanico dictatæ creduntur; ut ſcribit Gennadius, in Catalogo illuſtrium virorum; in Proſpero.

### *Gregorius cognomento magnus, hujus nominis primus, Epiſcopus Romanus, lib. 5. epiſtolarum ex Regiſtro, cap. 33.*

15. *Nos veneramur ſanctas quatuor ſynodos: Nicænum, in qua Arius; Conſtantinopolitanum, in qua Macedonius; Epheſinum primum, in qua Neſtorius; Chalcedonenſem, in qua Eutyches atque Dioſcorus damnatus eſt. Profitentes, quia quiſquis aliter ſapit, quàm hæ quatuor Synodi, à fide veritatis alienus eſt. Damnamus autem, quoſcunque damnant: & quoſcunque abſolvunt, abſolvimus, &c.*

16. Hanc fidei ſuæ profeſſionem Gregorius Theodelindæ Longobardorum Reginæ, de ejus orthodoxiâ dubitanti, perſcripſit, ut ſcrupulum illum & dubitationem animo Reginæ eximeret, eique perſuaderet; *nullam eſſe cauſſam, propter quam Regina abſtinere deberet ab ejus communione, cùm ipſe ſincerè reciperet quatuor illas Synodos, fidemque in illis promulgatam*: quamvis nonnulli finxerint Gregorium à Chalcedonenſi Synodo eſſe alienum. [nempe propter receptionem quintæ Synodi.] quam ille calumniam hac epiſtolâ refellit. Neque enim propterea hæc Gregorii verba adſcripſimus, ut cum deliris Jeſuitis auctoritatem decretis Conciliorum à Romani Pontificis approbatione arceſſamus: ſed ut ipſi quoque Romano Epiſcopo, non minùs, quàm aliis, neceſſariam fuiſſe agnitionem auctoritatis ſynodicæ, oſtendamus. Idcirco de eiſdem Conciliis alibi loquens idem Gregorius, *dum*, inquit, *univerſali ſunt conſenſu conſtituta, ſe & non illa deſtruit, quiſquis præſumit aut ſolvere, quos religant; aut ligare, quos ſolvunt.* quamvis illo loco de eorum auctoritate etiam hyperbolicè loqui videatur, quam hyperbolen, ſano quidem ſenſu ab illo prolatam, licet apud contentioſos forſitan periculo non vacantem, indicabimus cap. 28. ſequentis libri, §. 19. ubi ejus judicium de primis quinque œcumenicis Conciliis in medium adferemus.

*Lib. 1. ep. cap. 24.*

### *Annotatio de Polemone ſeu Polemio hæretico, (cujus error admodum ſimilis eſt errori Eutychetis) ex Theodoreti lib. 4. hæreticarum fabularum. & de Tropitis, ex Philaſtrio.*

17. *Polemius* quiſpiam ex Apollinaris hæretici ſcriptis anſa ſumta, dicit *fuiſſe factam conſubſtantiationem & commixtionem Divinitatis & corporis*. Hinc germinavit Polemianorum hæreſis. Hæc Theodoretus. *Tropita* ſunt (inquit Philaſtrius) qui dicunt converſum Verbum in carnem: non intelligentes quod ait Apoſtolus Joannes; *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis.* Non attendentes, quod Verbum eſt immutabile, & inconvertibile, id eſt, Deus Dei Filius: caro autem, quam accepit pro noſtra ſalute, ipſe eam formando aſſumſit. Hæc Philaſtrius, in catalogo hæreſeon, quæ ſub Apoſtolis extiterunt. cap. 23.

*Joan. 1, 14. Formando aſſumſit.*

INSTRU-

volutatos errores, tetrum Apollinaris dogma delegit, ut, negatâ humanæ carnis atque animæ veritate, totum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum unius aſſerat eſſe naturæ; tanquam Verbi Deitas ipſa ſe in carnem animamque converterit, & concipi ac naſci, nutriri ac creſcere, crucifigi ac mori, ſepeliri ac reſurgere, & aſcendere in Cœlum, & in Patris dextera, unde ad judicandos vivos & mortuos veniet, conſidere, ejus tantùm eſſentiæ fuerit, quæ nihil horum in ſe ſine carnis veritate recepit: quoniam natura unigeniti, natura eſt Patris, natura eſt Spiritûs Sancti, ſimulque impaſſibilis, ſimul eſt incommutabilis, ſempiternæ Trinitatis indiviſa unitas, & conſubſtantialis æqualitas. Unde, ſi ab Apollinaris perverſitate hæreticus iſte deſciſcit, ne convincatur Deitatem paſſibilem ſentire atque mortalem; & tamen Verbi incarnati, id eſt, Verbi & carnis unam audet pronunciare naturam; non dubiè in Manichæi & Marcionis tranſit inſaniam, & Mediatorem Dei & hominum, hominem Jeſum Chriſtum, ſimulatoriè omnia credit egiſſe, nec humanum in ipſo corpus, ſed phantaſticam corporis ſpeciem oculis appáruiſſe cernentium.

6. Quæ impietatis mendacia, quoniam olim fides Catholica deteſtabatur, & talium ſacrilegia concordibus per totum mundum beatorum Patrum ſunt damnata ſententiis; quicunque illi ſunt ita obcæcati, & à Lumine veritatis alieni, ut Verbo Dei à tempore incarnationis humanam, id eſt, noſtram negent ineſſe naturam, oſtendant in quo ſibi Chriſtianum nomen uſurpent, & cum Euangelio veritatis, quâ ratione concordent, ſi per beatæ Virginis partum, aut caro ſine Deitate, aut Deitas eſt orta ſine carne. Sicut enim negari

*Joan.1,14. 2 Cor. 5. 19.* non poteſt, quòd *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis*: ita negari non poteſt, quod *Deus erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi*. Quæ autem reconciliatio eſſe poteſt, quâ humano generi

*Vide lib. 1. cap. 19.* propitiaretur Deus, niſi omnium cauſſam Mediator Dei hominumque ſuſciperet? quâ verò ratione veritatem Mediatoris impleret, niſi qui in forma Dei æqualis erat Patri, in forma ſervi particeps eſſet & noſtri? ut per unum novum hominem fieret renovatio vetuſtatis, & mortis vinculum unius prævaricatione contractum, unius morte, qui ſolus morti nihil debuit, ſolveretur.

*Sanguis Chriſti potens ſalvos facere omnes homines, ſi omnes crederent. Rom. 5, 2.*

7. Effuſio enim pro injuſtis ſanguinis juſti, tam potens ad privilegium, tam dives ad pretium, ut, ſi univerſitas captivorum in Redemtorem ſuum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent: quoniam, (ſicut Apoſtolus ait) *ubi abundavit peccatum, ſuperabundavit & gratia*: & cùm ſub peccati præjudicio nati, poteſtatem acceperint ad juſtitiam renaſcendi; validius factum eſt donum libertatis, quàm debitum ſervitutis.

8. Quam itaque ſibi in hujus ſacramenti præſidio ſpem relinquunt, qui in Salvatoris noſtri corpore negant humanæ ſubſtantiæ veritatem? dicant, in quo ſacrificio reconciliati; dicant, quo ſanguine ſint redemti? quis eſt qui tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis? aut quod unquam ſacrificium ſacratius fuit, quàm quod verus Pontifex altari crucis per immolationem ſuæ carnis impoſuit?

*Pſal. 115. ſeu 116.*

9. Quamvis enim multorum ſanctorum in conſpectu Domini precioſa mors fuerit; nullius tamen inſontis occiſio, propitiatio fuit Mundi. Acceperunt juſti, non dederunt coronas, & de fortitudine fidelium exempla nata ſunt patientiæ, non dona juſtitiæ. Singulares quippe in ſingulis mortes fuere, nec alterius quiſquam debitum ſuo fine perſolvit; cùm inter filios hominum unus ſolus Dominus noſter Jeſus Chriſtus extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes ſepulti, omnes ſunt etiam ſuſcitati, de quibus ipſe dicebat; *Cùm exaltatus fuero, omnia traham ad me*. fides etenim vera juſtificans impios, & creans juſtos, ad humanitatis ſuæ tracta participem, in illo acquirit ſalutem, in quo ſolo homo ſe invenit innocentem: Liberum habens per gratiam Dei de ejus potentia gloriari, qui contra hoſtem ſuperbum in carnis noſtræ humilitate congreſſus, his victoriam ſuam tribuit, in quorum corpore triumphavit.

*Solus Chriſtus, nullus alius, aliorum debitum ſuâ paſſione perſolvit. Vide lib. 1. cap. 2. §. 6. 7. 8. 9. Joan. 12. Nota de fide & juſtificatione.*

10. Quamvis ergo in uno Domino noſtro Jeſu Chriſto, vero Dei atque hominis Filio, Verbi & carnis una perſona ſit, & utraque eſſentia communes habeat actiones; intelligendæ tamen ſunt ipſorum operum qualitates, & ſinceræ fidei contemplatione cernendum eſt, ad quæ provehatur humilitas infirmitatis, & ad quæ inclinetur altitudo virtutis: quid ſit, quod caro ſine Verbo non agit; & quid ſit, quod Verbum ſine carne non efficit. Sine Verbi enim potentiâ nec conciperet Virgo, nec pareret: & ſine veritate carnis obvoluta pannis infantia non jaceret. Sine Verbi potentiâ non adorarent Magi puerum, novo ſidere declaratum: & ſine veritate carnis non juberetur transferri in Ægyptum puer, & ab Herodis perſecutione ſubduci. Sine Verbi potentiâ non diceret vox Patris, miſſa de Cœlo, *hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*: & ſine veritate carnis non proteſtaretur Joannes; *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata Mundi*. Sine Verbi potentiâ non fieret redintegratio debilium, & vivificatio mortuorum: & ſine veritate carnis, nec cibus jejuno, nec ſomnus eſſet neceſſarius fatigato. Poſtremò, ſine Verbi potentiâ, non ſe Dominus Patri profiteretur æqualem: & ſine veritate carnis, non idem diceret, Patrem ſe eſſe majorem: cùm Catholica fides utrumque ſuſcipiat, utrumque defendat, quæ ſecundùm proprietatem divinæ humanæque ſubſtantiæ, unum Dei Filium, & hominem credit, & Verbum.

*Matth. 3. 17. Joan. 1. 29.*

11. Quamvis ergo ab illo initio, quo in utero Virginis Verbum caro factum eſt, nihil unquam inter divinam humanamque ſubſtantiam diviſionis extiterit, & per omnia incrementa corporea, unius perſonæ fuerint totius temporis actiones: ea ipſa tamen, quæ inſeparabiliter facta ſunt, nullâ permixtione confundimus; ſed quid cujus formæ ſit, ex operum qualitate ſentimus. Nec divina enim humanis præjudicant, nec humana divinis; cùm ita in idipſum utraque concurrant, ut in eis nec proprietas abſumatur, nec perſona geminetur. Dicât igitur iſti phantaſmatici Chriſtiani, quæ ſubſtantia Salvatoris affixa ſit ligno, quæ jacuerit in ſepulchro, & revoluto monumenti lapide, quæ tertiâ die caro ſurrexerit, vel quale corpus Jeſus diſcipulorum viſui, clauſis ad eos oſtiis ingreſſus, intulerit; cum ad abigendam cernentium diffidentiam, inſpici oculis, digitiſque tractari, patentes adhuc fixuras clavorum, & recens compuncti lateris vulnus exigeret.

*Eutychiani vocantur phantaſmatici Chriſtiani.*

12. At, ſi in tanta luce veritatis tenebras ſuas hæretica obduratio non relinquit, oſtendant unde ſibi ſpem vitæ pollicea ntur æternæ, ad quam niſi per Mediatorem Dei & hominum, hominem Jeſum



*1. Tim. 2, 5. Act. 4, 12.* Jeſum Chriſtum, non poteſt perveniri. *Non eſt enim aliud nomen datum hominibus ſub Cælo, in quo oporteat ſalvos fieri*: nec eſt redemtio captivitatis humanæ, niſi in ſanguine ejus *qui dedit ſemetipſum redemtionem pro omnibus*, qui (ſicut

*Philip. 2. 6. &c.* prædicat beatus Paulus Apoſtolus) *Cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo: ſed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, in ſimilitudine hominum factus, & habitu inventus ut homo, humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus illum exaltavit, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jeſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris*. Quamvis ergo unus ſit Dominus Jeſus Chriſtus, & veræ Deitatis veræque humanitatis in ipſo una prorſus eademque perſona ſit, neque hujus unitionis ſoliditas ullâ poſſit diviſione ſejungi, exaltationem tamen, quâ illum exaltavit Deus, & donavit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, ad eam intelligimus pertinere formam, quæ ditanda erat tantæ glorificationis augmento. In *forma* quippe *Dei* æqualis erat Filius Patri, & inter Genitorem atque Unigenitum nulla erat in eſſentiâ diſcretio, nulla in majeſtate diverſitas: nec per incarnationis myſterium aliquid deceſſerat Verbo, quod ei Patris munere redderetur. *Forma* autem *ſervi*, per quam impaſſibilis Deitas ſacramentum magnæ pietatis implevit, humana humilitas eſt, quæ in gloriam divinæ poteſtatis evecta eſt, in tantam unitatem ab ipſo conceptu Virginis, Deitate & humanitate connexâ, ut nec ſine homine Divina, nec ſine Deo agerentur humana: propter quod ſicut Dominus majeſtatis dicitur crucifixus, ita qui ex ſempiternitate æqualis eſt Deo, dicitur exaltatus. Nec intereſt, ex qua Chriſtus ſubſtantiâ nominetur; cùm, inſeparabiliter manente unitate perſonæ, idem ſit & totus hominis Filius propter carnem, & totus Dei Filius propter unam cum Patre Deitatem.

*Communicatio proprietatum.*

13. Quicquid ergo in tempore accepit Chriſtus, ſecundum hominem accepit, cui quæ non habuit conferuntur. Nam ſecundùm potentiam Verbi indifferenter omnia quæ habet Pater, etiam Filius habet: & quæ in forma ſervi à Patre accepit, eadem in forma Patris etiam ipſe donavit: & idem ipſe & dives & pauper: dives; quia *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*. Pauper verò; quia *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis*. quæ autem eſt ejus exinanitio, quæve paupertas, niſi formæ ſervilis acceptio, per quam Verbi majeſtate velata, diſpenſatio humanæ redemtionis impleta eſt?

*1. Cor. 8. 6. Joan. 1, 1. 2. 3. Joan. 1, 14. Exinanitio.*

14. Nam, quia captivitatis noſtræ reſolvi originalia vincula non poterant, & ab hoſtis imperio relaxari, niſi exiſteret homo noſtri generis, noſtræque naturæ, quem veteris debiti præjudicia non tenerent, & qui immaculato ſanguine ſuo *chirographum lethale dilueret*, ſicut ab initio erat divinitus præordinatum, & Prophetarum oraculis prænunciatum: ita eſt in plenitudine præfiniti temporis factum, ut multis modis ſignificata promiſſio in diu exſpectatum veniret effectum, nec poſſet eſſe ambiguum, quod continuis ſignificationibus ſemper fuerat nunciatum. *Hæc Leo magnus, Epiſcopus Romanus.*

*Coloſſ. 2, 14.*

Epiſtolæ Papæ Leonis adverſus Eutychem, de vera Chriſti incarnatione, ad diverſos datæ, à Proſpero Aquitanico dictatæ creduntur; ut ſcribit Gennadius, in Catalogo illuſtrium virorum; in Proſpero.

*Gregorius cognomento magnus, hujus nominis primus, Epiſcopus Romanus, lib. 3. epiſtolarum ex Regiſtro, cap. 33.*

15. *Nos veneramur ſanctas quatuor ſynodos: Nicænum, in qua Arius; Conſtantinopolitanum, in qua Macedonius; Epheſinum primum, in qua Neſtorius; Chalcedonenſem, in qua Eutyches atque Dioſcorus damnatus eſt. Profitentes, quia quiſquis aliter ſapit, quàm hæ quatuor Synodi, à fide veritatis alienus eſt. Damnamus autem, quoſcunque damnant: & quoſcunque abſolvunt, abſolvimus, &c.*

16. Hanc fidei ſuæ profeſſionem Gregorius Theodelindæ Longobardorum Reginæ, de ejus orthodoxiâ dubitanti, perſcripſit, ut ſcrupulum illum & dubitationem animo Reginæ eximeret, eique perſuaderet; *nullam eſſe cauſſam, propter quam Regina abſtinere deberet ab ejus communione, cùm ipſe ſincerè reciperet quatuor illas Synodos, fidemque in illis promulgatam*: quamvis nonnulli finxerint Gregorium à Chalcedonenſi Synodo eſſe alienum. [nempe propter receptionem quintæ Synodi.] quam ille calumniam hac epiſtolâ refellit. Neque enim propterea hæc Gregorii verba adſcripſimus, ut cum deliris Jeſuitis auctoritatem decretis Conciliorum à Romani Pontificis approbatione arceſſamus: ſed ut ipſi quoque Romano Epiſcopo, non minùs, quàm aliis, neceſſariam fuiſſe agnitionem auctoritatis ſynodicæ, oſtendamus. Idcirco de eiſdem Conciliis alibi loquens idem Gregorius, *dum*, inquit, *univerſali ſunt conſenſu conſtituta, ſe & non illa deſtruit, quiſquis præſumit aut ſolvere, quos religant; aut ligare, quos ſolvunt*. quamvis illo loco de eorum auctoritate etiam hyperbolicè loqui videatur, quam hyperbolen, ſano quidem ſenſu ab illo prolatam, licet apud contentioſos forſitan periculo non vacantem, indicabimus cap. 28. ſequentis libri, §. 19. ubi ejus judicium de primis quinque œcumenicis Conciliis in medium adferemus.

*Lib. 1. ep. cap. 24.*

*Annotatio de Polemone ſeu Polemio hæretico, (cujus error admodum ſimilis eſt errori Eutychetis) ex Theodoreti lib. 4. hæreticarum fabularum. & de Tropitis, ex Philaſtrio.*

17. *Polemius* quiſpiam ex Apollinaris hæretici ſcriptis anſa ſumta, dicit *fuiſſe factam conſubſtantiationem & commixtionem Divinitatis & corporis*. Hinc germinavit Polemianorum hæreſis. Hæc Theodoretus. *Tropitæ* ſunt (inquit Philaſtrius) qui dicunt converſum Verbum in carnem: non intelligentes quod ait Apoſtolus Joannes; *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis*. Non attendentes, quod Verbum eſt immutabile, & inconvertibile, id eſt, Deus Dei Filius: caro autem, quam accepit pro noſtra ſalute, ipſe eam formando aſſumſit. Hæc Philaſtrius, in catalogo hæreſeon, quæ ſub Apoſtolis extiterunt. cap. 23.

*Joan. 1, 14. Formando aſſumſit.*

INSTRU-

# INSTRUCTIONUM HISTORICO-THEOLOGICARUM LIBER TERTIUS,

## *DE*

## VARIA ECCLESIARUM
## conditione, multiſque hæreſibus, & diſſenſionibus: & de quinto œcumenico Concilio, & aliis quibuſdam Conciliis: atque adeò de rerum ſtatu, poſt Concilium Chalcedonenſe, uſque ad tempora Heraclii Imperatoris. & de politico Italiæ regimine, uſque ad Carolum Magnum.

### CAPUT PRIMUM.

*Series Imperatorum, qui Romani Imperii ſceptra geſtârunt, à tempore Concilii Chalcedonenſis uſque ad Imperium Heraclii, id eſt, ab anno Domini 451. uſque ad annum Dom. 610. ubi etiam de Odoacre Herulo, & Gothicis Italiæ Regibus, & de Exarchis, & de coronatione Caroli Magni in Imperatorem Occidentis.*

POST Concilium Chalcedonenſe, cùm omnia ad piam & optatam pacem ſpectare viderentur, non ceſſavit ſerpentis antiqui truculenta vafricies; ſed novis molitionibus Chriſtianos adortus eſt, terram variarum hæreſeon colluviem introducens: unde graves diſſenſiones ortæ ſunt, & ſævis contentionum tempeſtatibus agitata eſt Eccleſia: Deo eam per talia exercitamenta, paterno animo, erudiente; & promiſſos Eccleſiæ ſuæ de portis infernalibus triumphos per tot certamina conſtanter præſtante. Varia eſt hiſtoria, multæ ambages; ſed dabo operam, volente Deo, ut ſumma rerum faſtigia candidi Lectoris oculis, commodâ quadam methodo, ſubjiciam. quod ut facilius exſequi valeam, adjumentum haud contemnendum adferent Imperatorum & Patriarcharum catalogi, quos in ipſo libri hujus veſtibulo exhibemus.

*Imp. in Oriente Marcianus.* 2. *Marcianus*, cùm ſeptem ſolùm annos regnâſſet, depoſito hoc regno, ad præſtabilius domicilium migravit, inquit Euagrius, lib. 2. hiſt. Eccleſ. cap. 8. Eique ſuccedit *Leo Thrax*, anno *Leo Thrax.* Domini 457. Imperavit Leo Thrax annis ſeptendecim. Eoque mortuo, Leo nepos Imperator dictus eſt, adhuc infans, tutorem habens parentem *Zenonem Iſauricum*, anno Dom. 474. Et infante Imperatore Leone nepote, paucis poſt avum menſibus mortuo, manſit imperium penes Zenonem. quem *Baſiliſcus* ejecit, imperioque Romano per tyrannidem potitus, regnavit menſes viginti: quibus exactis, Zeno è latebris reverſus, Baſiliſcum tyrannum imperio exturbavit, anno Dom. 477. Baſiliſcus Eutychianæ hæreſi addictus, orthodoxos Epiſcopos ejecit, & hæreticos revocavit. Zeno autem, reſumto Imperii clavo, orthodoxos reſtituit. Et epiſtolam ſive edictum de fide promulgavit, quod vocavit ἑνωτικόν, id eſt, unitivum, quo diſſenſiones tolleret; quod infrà exhibebimus, cap. 10.

3. Zenonem, decimo-ſeptimo Imperii ſui anno extinctum, excepit *Anaſtaſius*, anno Dom. 491. hic non injucunda relatu videtur obſervatio illa Chronologica, quam ad hunc annum repetit ex Euſtathio Syro Euagrius ſcholaſticus, inquiens: *Commemorat porrò Euſtathius præteriiſſe annos ducentos & ſeptem, à regno Diocletiani ad mortem Zenonis, & deſignationem Anaſtaſii: ab Auguſti autem monarchiâ annos quingentos triginta duos, & menſes ſeptem: & à regno Alexandri Macedonis octingentos & triginta duos annos, & menſes itidem ſeptem: à Roma autem conditâ & regno Romuli, mille & quinquaginta duos annos, & inſuper ſeptem menſes; à Troja autem excidio, mille ſexcentos & octoginta ſex annos, & ſeptem præterea menſes.* Hæc Euagrius, lib. 3. hiſt. Eccleſ. cap. 29.

4. Anaſtaſius, præpoſtero quodam pacis ſtudio,



libertatem hæreticis juxta atque orthodoxis conceſſit, unde plurimæ ortæ ſunt diſſenſiones; quas animadvertens Imperator Anaſtaſius, Epiſcopos, ſicubi eos novis rebus ſtudentes, aut quenquam præter conſuetudinem illorum locorum, in quibus ætatem degebat, Concilium Chalcedonenſe prædicantem, aut idem ipſum anathemate damnantem comperiſſet, exturbavit. ut ſcribit Euagrius, lib. 3. cap. 30. Propterea Anaſtaſium Imperatorem, nonnulli tanquam adverſarium Concilii Chalcedonenſis exiſtimantes, ex ſacris tabulis exemerunt. Hieroſolymis autem anathema fuit illi denunciatum [ἀναθεματισθείς.] Eodem teſte Euagrio, lib. 3. cap. 34. Platina etiam in vita Gelaſii I, Papæ Romani, ait eſſe qui ſcribant, Gelaſium excommunicâſſe Anaſtaſium Imperatorem, quòd hæreticis & Acacio faveret. Cùm autem vellet Anaſtaſius Conſtantinopoli ad hymnum triſagium addere illud Petri Gnaphei additamentum, *ὁ σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς, qui crucifixus eſt propter nos.* Magna in populo coorta eſt ſeditio, itaque ab incepto deſtitit Anaſtaſius. Et poſtea ad exiguum temporis ſpatium vitam protrahens, cum viginti ſeptem annos, menſes tres, & dies totidem, Romanum rexiſſet imperium, ex hac luce migravit. ut refert Euagrius, lib. 3. cap. 44. ſeu ult.

5. Defuncto Anaſtaſio, *Juſtinus* genere Thrax à militibus prætorianis purpurâ veſtitur Imperatoriâ, die nono menſis Julii, anno autem 566. ex eo tempore, quo urbs Antiochiæ primum illud nomen accepit. ut ſcribit Euagrius, lib. 4. hiſt. Eccleſ. cap. 1. fuit is annus Chriſti 518; juxta chronologiam Calviſii, & annales Baronii. & ipſe Juſtinus epiſtolâ ad Hormiſdam Papam Rom. docet eam promotionem ſibi nolenti ac recuſanti, divino favore, obtigiſſe, Magno V. C. Conſule. cujus conſulatum huic anno Chriſti tribuunt Calviſius & Baronius. Exſtat ea Juſtini epiſtola, cum Hormiſdæ reſponſo, in epiſtolis Hormiſdæ, tom. 3. Concil. edit. Pariſ. pag. 758. Juſtinus Imperator orthodoxam fidem defendit, & exturbavit hæreticos. Sub hoc Imperatore, habita eſt Synodus illa Conſtantinopolitana orthodoxorum Epiſcoporum, cui præſedit *Iohannes, Cappadox*, hujus nominis ſecundus, Patriarcha Conſtantinopolitanus, cujus Synodi acta exſtant inſerta quintæ actioni ſynodi poſtea ſub Menna Patriarcha habitæ. Celebrata autem eſt Synodus illa, Johanne præſidente, anno primo Juſtini Imperatoris. Ex Imperatoribus primus hic Juſtinus ſenior, & ex Patriarchis primus iſte, de quo loquimur, Johannes, conſenſerunt Romano Pontifici, ut ex ſacris dyptychis deleretur nomē Acacii, quondam Patriarchæ Conſtantinopolitani, quem excommunicaverant Felix III. & Gelaſius, Romani Pontifices: ut ipſorum Juſtini & Johannis literæ ad Hormiſdam ſcriptæ teſtantur. exſtant autem cum epiſtolis Hormiſdæ.

6. Juſtinus Imp. poſtquam annos novem & aliquot inſuper dies regnâſſet, exceſſit rebus humanis, relinquens ſucceſſorem *Juſtinianum*, ex ſorore ſua nepotem. qui imperium adeptus anno Chriſti 527, imperavit annis 38; ſicut de illo ſcripſerunt Euagrius, lib. 4. cap. ult. & Marianus Scotus, ac Sigebertus Gemblacenſis, ad annum 527. Hic eſt ille Juſtinianus Imperator, cujus juſſu collectæ ſunt leges, & volumina illa edita ſunt Inſtitutionum, & Pandectarum, & Codicis, & Novellarum. Hic Italiam à Gothis, & Africam à Vandalis, recuperavit. Sub hoc Imperatore celebrata eſt Synodus Conſtantinopolitana contra Acephalos, præſidente Menna Patriarchâ. Ejuſdemque Imperatoris juſſu celebrata eſt quinta Synodus œcumenica. Errore tamen Aphthartodocitarum deceptum fuiſſe ſcribunt Euagr. lib. 4. ſub finem libri, & Niceph. Calliſt. lib. 17. c. 29. & 30. Et dum in Anaſtaſium Sinaitam, qui tunc Patriacha erat Antiochenus, alioſque hæreſi illi reſiſtentes, perſequutionem parat, moritur Juſtinianus Imperator, ut iidem ſcriptores referunt. Morientem autem pœnituiſſe, & Eutychii Patriarchæ Conſtantinopolitani (quem jam expulerat) reſtitutionem in teſtamento, Juſtino ſucceſſori ſuo mandâſſe, ſcribit Nicephorus Calliſt. lib. 17. cap. 31.

7. *Juſtinus* junior, Curopalates, (ita Græci dicunt magiſtratum, cui palatii cura credita erat) ſororis Juſtiniani filius, avunculo ſuo mortuo *Juſtinus Junior, ſeu Curopalates.* ſuccedit in imperio, anno Chriſti 565. ſecundum ſupputationem Baronii & Calviſii. Hic Imperator orthodoxus edictum de recta fide omnibus ubique Chriſtianis ſcripſit. quod hiſtoriæ ſuæ inſeruit Euagrius, lib. 5. cap. 4. Juſtinus, tranſactis aliquot imperii ſui annis, phrenitide correptus, Cæſarem facit *Tiberium*, genere Thracem, qui *Tiberius Conſtantinus.* reipublicæ adminiſtrationem capeſſit; Et poſtea, mortuo Juſtino, coronâ imperii decoratus eſt. ut referunt Euagrius, lib. 5. capitib. 11. & 19. & Baronius atque Calviſius, ad annum Dom. 575. Tiberius Conſtantinus orthodoxæ fidei addictus fuit, ut & ejus in imperio ſucceſſor *Mauricius*, *Mauricius.* cui Tiberius, morti vicinus, filiam ſuam Auguſtam in matrimonium collocavit: ut ſcribit Euagrius, lib. 5. cap. 22. ubi etiam hos duos imperatores, Tiberium & Mauricium, laudat. Capite autem 23. illius libri, in hunc modum computat tempora Juſtini & Tiberii, ut dicat Juſtinum juniorem per ſe ſolum regnâſſe annis duodecim & menſibus decem cum dimidio; atque unà cum Tiberio annis tribus & menſibus undecim, ut totum Juſtini regnum comprehenderit annos ſedecim & menſes novem cum dimidio: Regnâſſe autem Tiberium per ſe ſolum annos quatuor. Alii aliter hæc tempora dinumerant.

8. Nec de annis Mauricii plenus conſenſus eſt: nam Marianus Scotus, & Sigebertus Gemblacenſis, initium imperii Mauricii adſcribunt anno Dom. 583. eumque regnâſſe ajunt annis 21. quibus adjicit Marianus menſes quatuor. Baronius, priore ſua ſententiâ relictâ, ingreſſum Mauricii refert etiam ad hunc annum 583: motus eis rationibus, quas commemorat Spondanus, in Epitome illius anni, § 4. ubi etiam in ejus ſententiæ confirmationem Spondanus ſe quædam appoſuiſſe profitetur. & regnâſſe dicunt annis viginti. At Sethus Calviſius, in ſua Chronologia, Tiberii exitum, & coronationem Mauricii, accenſet rebus geſtis anno Dom. 582. & pro ea ſententia citat Faſtos Siculos, Iſidorum, Gerundinenſem, Bedam, Cedrenum, & alios, qui Mauricii Imperatoris imperium ab hoc anno ordiuntur, ipſique unanimi conſenſu annos viginti & menſes tres imperii tribuunt.

9. Conſentiunt autem memorati ſcriptores, (exceptis Mariano & Sigeberto) necem Mauricii, & *Phocæ* ingreſſum eveniſſe anno Dom. 602. Romanæ Eccleſiæ Epiſcopatum gerente Gregorio Magno; cujus ſunt illæ ad Mauricium Imperatorem, & alios, & ad ipſum Ioannem, cognomento jejunatorem, Patriarcham Conſtantinopolitanum, ejuſq; ſucceſſorem Cyriacum, epiſtolæ expoſtulatoriæ de vocabulo œcumenici Patriar-



chæ,

chæ, lib 4. & lib. 6. epiſtolar. ex Regiſtro. Cùm autem Phocæ juſſu Mauricius è fuga unà cum conjuge & liberis retractus eſſet Chalcedonem, ibique primùm liberi ejus in ipſius conſpectu necarentur, in uniuſcujuſque eorum cæde, verba illa Pſal. 119. Pater Mauricius protulit, *Juſtus es Domine; & juſtum judicium tuum*. Memor ſcilicet & pœnitens neglectæ redemtionis captivorum, à Chagano Avarum rege, qui, captâ ingenti multitudine ſubditorum Imperii, Anno Dom. 600. eos Mauricio redimendos ſingulos duobus aureis, ut ſcribit Nicephorus, vel ut alii tradunt, ſingulos ſingulis aureis obtulit. cùm verò nec hoc, nec etiam ejus dimidium conſequi poſſet, furore percitus captivos omnes ad unum occidit. Niceph. lib. 18. cap. 38. & cap. 40. & Baronius & Calviſius anno 600. & anno 602. ex Cedreno, & hiſtoria miſcellâ.

*Pſal. 119, 137.*

*Phoca.*

10. *Phocam* (quem Nicephorus peſtiferam belluam vocat) hominem flagitioſum & ſanguinarium, octo ferè annis imperio potitum, profligavit, captumque interfecit *Heraclius*, anno Dom. 610. ut concordant accuratiores Chronologi.

Atque hi fuerunt Romanorum Imperatores, Conſtantinopoli regiam habentes, à tempore Marciani Imperatoris, ſub quo celebratum eſt Concilium Chalcedonenſe, uſque ad Heraclium Imperatorem, qui, occiſo Phocâ, ſuſcepit imperium, & regnavit annos 31.

*Imperatores in Occidente: Majoranus. Severus.*

11. In Occidente interea eorum collegæ rerum-ſummæ præfuerunt, videlicet: *Majoranus*; quem Leo Thrax, Marciani ſucceſſor, miſit ad accipiendum imperium Occidentale, anno Dom. 457. cui ſucceſſit *Severus*, anno Dom. 461. qui obiit, anno Dom. 465. Deinde poſt interregnum unius anni & aliquot menſium, Leo Thrax miſit *Anthemium*, qui coronatus eſt Imperator, anno Dom. 467. & imperavit annos quinque & menſes tres.

*Anthemius.*

12. Anno autem 472. Feſto & Marciano Conſulibus, *Ricimer* Patricius, Anthemii Imperatoris gener, Romæ facto Imperatore *Anicio Olybrio*, Anthemium contra reverentiam Principis & jus affinitatis, cum gravi clade civitatis, extinguit, qui non diutius peracto ſcelere gloriatus, poſt quadraginta dies defunctus eſt: Olybrius autem ſeptimo imperii menſe vitam peregit.

*Anicius Olybrius.*

13. Sequente deinde anno, *Glicerius* Ravennæ ſumſit imperium. quo anno Julius nepos à Leone Thrace Cæſar deſignatus eſt, ut imperium haberet occidentale. Is anno Domini 474. Italiam petit, &, amoto Glicerio, Auguſtalia induit.

*Glicerius.*

14. Vertente anno, *Oreſtes Gothus*, quem Nepos Imperator comitem fecerat, & cum exercitu miſerat, ut laboranti Galliæ ſubveniret, converſis in ipſum Nepotem armis, cum imperio dejecit; & filium ſuum *Momyllum* creavit Auguſtum ſive Imperatorem, qui poſtea quòd exiguæ ſtaturæ eſſet, *Auguſtulus* appellatus eſt vulgo.

*Momyllus.*

15. Proximo deinde anno, *Baſiliſco* 2. & *Armato* Conſulibus, (qui fuit annus Domini noſtri Jeſu Chriſti 476.) ab amicis Nepotis invitatus *Odoacer* Herulorum & Turcilingorum rex, tranſmiſſo Danubio in Italiam venit, & *Oreſtem* fratremque ejus *Paullum* occidit: & Romam proficiſcens eam in deditionem accepit, & Momyllum Auguſtulum, regno depulſum, in Lucullanum Campaniæ caſtrum in exſilium ejecit. Atque ita finis factus eſt imperio occidentali: nomenque Regis Odoacer aſſumſit, cùm tamen nec purpurâ, nec regalibus uteretur inſignibus. Dum interea Conſtantinopoli, pulſo *Zenone*, *Baſiliſcus* tyrannus dominatur.

*Odoacer Herulus, Italiæ rex.*

16. Poſtea *Theodoricus* Oſtrogothorum rex, Arianus, conſentiente Zenone Imperatore, Italiam intravit. Odoacrem Herulum Italiæ Regem multis prælii ſuperavit: & tandem, poſt pacem factam, inſidias molientem, ut ait Caſſiodorus, vel, ut ſcribit Platina in vita Simplicii Papæ, contra datam fidem, eundem Odoacrem interemit: regnoque totius Italiæ potitus eſt, anno Dom. 493. idque obtinuit annis 33. & menſ. ſex. Eique ſucceſſerunt Gothici reges. *Athalaricus* filius Amalaſiunthæ (Theodorici filiæ) & *Theodahatus*, cui Juſtinianus Imperator bellum intulit, & *Vitiges*, quem Beliſarius captivum duxit Conſtantinopolin ad Juſtinianum Imp. anno Dom. 540. Gothi interea, qui cladi ſupererant, regem ſibi elegerunt *Theudibaldum*, cui paullò poſt à ſuis interemto ſucceſſit *Totilas*, anno Dom. 542. qui adverſus Longobardos, *Narſetis Eunuchi* in bello ſocios, fortiter pugnans interficitur, anno Dom. 553. Superſtites Gothi mox Regem ſibi creaverunt *Tejam*, quem Narſes Eunuchus dux exercitûs Juſtiniani Imperatoris ingenti prælio victum fortiterq; dimicantem occidit an. Dom. 554. Atque ita deletum eſt Gothorum in Italia regnum. Erant autem Gothi iſti ſectæ Arianæ addicti, ut monent Anaſtaſius biblioth. in vita Johannis primi, Papæ Rom. & Sabellicus Ennead. 8. lib. 2.

*Gothici reges Italiæ, Arian. Theodoricus. Athalaricus. Theodahatus. Theudibaldus. Totilas. Tejas.*

17. Hæc de Imperatoribus Occidentis, & de Odoacre, & Gothorum in Italia regno, deſumſimus ex Chronico Caſſiodori, & ex Jordani (quem Jornandem quidam vocant) hiſtoriâ de rebus Gothorum, & ex Platina, & ex Sabellico, Ennead. 8. & ex opere Chronologico Sethi Calviſii.

18. Poſthæc Italiæ præfuerunt ab Imperatoribus miſſi præfecti illi, qui dicebantur *Exarchi*, ſedemque Ravennæ tenuerunt: quorum nomina à Sabellico & Calviſio commemorantur. Primus fuit *Longinus*, huic (cum Exarchus fuiſſet annis 16.) ſucceſſor datus eſt *Smaragdus*, à Mauricio Imperatore miſſus, anno Dom. 583. quem excepit *Romanus*, eodem mittente Mauricio, anno Dom. 588. quo mortuo, Exarchus ab eodem Imperatore Mauricio conſtitutus eſt *Callinicus*, an. Dom. 598. qui à Mauricio revocatur, & *Smaragdus* iterum fit Exarchus, anno Dom. 602. Huic à Phoca Imperatore ſucceſſor datus eſt *Johannes Lemigius*, anno Dom. 610. Deinde Heraclius Imperator Johanni mortuo ſucceſſorem miſit *Eleutherium*, qui numeratur ſeptimus Exarchus, anno Dom. 615. Poſt quem Exarchi fuerunt: 8. *Iſaacus Patricius*. 9. *Theodorus Calliopa*. 10. *Olympius*. 11. *Theodorus Calliopa*, iterum. 12. *Theodorus*. 13. *Johannes Platin*. 14. *Theophylactus*. 15. *Johannes Tizocop*. 16. *Scholaſticus*. 17. *Paulus Patricius*. 18. *Eutychius Patricius*.

*Exarchi.*

19. Hic ultimus fuit Exarchus; Nam *Aiſtulphus* Longobardorum Rex, expugnatâ Ravennâ, Eutychium Exarchum Italiâ pepulit, anno Dom. 752. tempore Conſtantini Copronymi Imperatoris, ad quem ſe recepit Eutychius. Neque ex illo tempore quicquam poteſtatis in Italia obtinuerunt Conſtantinopolitani Romanorum Imperatores. Ravennam autem totumque Exarchatum Romano Pontif. tradere coactus eſt Aiſtulphus (anno Dom. 755.) compellente eum Pipino Francorum



Francorum Rege: cujus filium *Carolum Magnum* Leo tertius Papa Romanus, ſollemnibus cerimoniis adhibitis, Romæ, in baſilica S. Petri, ſalutavit Auguſtum & Imperatorem Occidentis, anno Dom. octingenteſimo, in nataliciis Chriſti. Et à cuncto Romanorum populo ter acclamatum eſt: CAROLO *piiſſimo Auguſto, à Deo coronato, magno, pacifico Imperatori, vita & victoria!* Et ab omnibus conſtitutus eſt Imperator Romanorum; ut ſcribit Anaſtaſius bibliothecarius in libro Pontificali, in vita Leonis 3. Papæ Rom. & Regino Abbas Prumienſis, in ſuis annalibus, lib. 2. ad annum Dom. 801. Nam (ut monet Baronius, apud Spondanum, an. 800. §. 3.) qui annos Redemtoris à Natali die Domini auſpicari ſunt ſoliti, in annum Chriſti octingenteſimum primum rejiciunt coronationem Caroli Magni in Imperatorem, quæ ipſo die natali Domini facta eſt: qui autem à Calendis Januarii initium anni ſumere conſueverunt, (ut & nos facimus) anno Domini octingenteſimo ipſam ponunt.

*Pipinus Francorum rex.*

*Carolus Magnus, Francorum Rex, & Imperator Occidentis.*

## CAPUT SECUNDUM.

*Series Pontificum Romanorum, à tempore Concilii Chalcedonenſis, uſque ad Imperium Heraclii: ex libro Pontificali, & Platina, & Sabellico Ennead. 8. & Onuphrio, & Binio, &c.*

*Hilarus.*

POſt Leonem, qui tempore Concilii Chalcedonenſis Romanam regebat Eccleſiam, *Hilarus* ille diaconus, unus ex Legatis quondam Leonis ad conciliabulum Epheſinum à Dioſcoro habitum, creatus & conſecratus eſt Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus, anno Dom. 461. Huic poſtea ſucceſſerunt, *Simplicius*, anno Dom. 467.

*Simplicius. Felix III.*

*Felix III*, anno Dom. 483. de quo vide cap. 11. hujus libri.

*Gelaſius.*

*Gelaſius I.* anno Dom. 492. de quo etiam vide cap. 11.

*Anaſtaſius II. Symmachus.*

*Anaſtaſius II.* an. Dom. 496. de quo vide c. 13.

*Symmachus*, an. Dom. 498. contra quem Laurentius in ſchiſmate Antipapa. Vide cap. 21.

*Hormiſda.*

*Hormiſda*, anno Dom. 514. de quo plura inferiùs cap. 21.

*Johannes I.*

*Johannes I.* anno Dom. 523. qui à Theodorico Oſtrogotho Italiæ Rege, hæretico Ariano, ad Juſtinum Imperatorem orthodoxum miſſus, impetravit, ut hæreticis Arianis in Oriente Eccleſiæ, unde eos Juſtinus expulerat, redderentur: quia, niſi id fieret, interminatus erat Theodoricus gladium & ignem toti Italiæ, & ruinam Eccleſiis Catholicorum. Reverſum autem in Italiam Joannem Pontificem cuſtodiâ maceravit, adeò ut vir ſanctus pedore, ſitu, & inediâ confectus Ravennæ in carcere moreretur. Circa illud tempus duo inſignes Senatores, Symmachus & Boëthius ab eodem Theodorico Rege occiſi ſunt. hæc referunt in vita hujus Joannis Pontificis auctor libri Pontificalis, & Platina.

*Felix IV. Bonifacius II.*

*Felix IV.* Joanni ſucceſſit, anno Dom. 526.

*Bonifacius II.* anno Dom. 530. contra hunc extitit Dioſcorus Antipapa. Plura de Bonifacio iſto invenies infra, cap. 22.

*Johan. II.*

*Johannes II.* cognomento Mercurius, an. Dom. 532. ad hunc Juſtiniani Imperatoris epiſtola, & alia ad eundem Imperatorem ab eodem Joanne ſcripta, leguntur in Codice Juſtiniani, tit. 1. de ſumma Trinitate. in quibus epiſtolis plus deferturi Sedi Romanæ, quàm conciliari queat cum aliis ejuſdem Imperatoris conſtitutionibus, & rebus geſtis; neque congruunt cum hiſtoria de privilegio conceſſo demum à Phoca Imp. rogatu Bonifacii tertii. Has Johannis Papæ & Juſtiniani Imperatoris epiſtolas falſas eſſe & ſuppoſititias, præſtantium Theologorum ac Iureconſultorum ſcripta perſpicuis argumentis & rationibus jampridem conviciſſe, monet Jacobus Lectius JC. lib. 1. Præſcriptionum theologicarum, cap. 1. & libro 2. nota 3. Vide infrà de hoc Johanne, cap. 21.

*Agapetus.*

*Agapetus*, anno Dom. 534. de quo rurſum, cap. 13.

*Silverius.*

*Silverius* (Hormiſdæ Papæ filius) anno Dom. 535. vide cap. 23.

*Vigilius.*

*Vigilius*, anno Dom. 537. de quo plura, cap. 23. & cap. 27.

*Pelagius.*

*Pelagius I.* anno Dom. 556. qui à duobus Epiſcopis, & uno Presbytero Andrea Oſtienſi ordinatus eſt; ut refert Anaſtaſius bibliothecarius, in libro Pontificali, in vita Pelagii primi. Vide cap. 23. §. 7.

*Johan. III.*

*Johannes III.* Catellinus, creatus & conſecratus, anno Dom. 561.

*Benedictus I.*

*Benedictus I.* quem Bonoſum Græci vocant, anno Dom. 575.

*Pelagius II.*

*Pelagius II.* anno Dom. 579. Vide cap. 30.

*Gregorius I.*

*Gregorius I.* cognomento *magnus*, anno Dom. 590. qui epiſtolas illas ad Mauritium Auguſtum, & ad Johannem Epiſcopum Conſtantinopolitanum, ejuſque ſucceſſorem Cyriacum, & alios, ſcripſit expoſtulatorias, de vocabulo œcumenici Patriarchæ: quæ extant in epiſtolis Gregorii ex regiſtro, lib. 4. & lib. 6. Vide infrà, cap. 30.

*Sabinianus.*

*Sabinianus* ſucceſſit Gregorio, an. Dom. 604. quem Platina & Sabellicus ſcribunt fuiſſe memoriæ Gregorii adeò infeſtum, adeò in Gregorium irâ, & invidiâ, & malevolentiâ exarſiſſe, ut parvo minus abfuerit, quin ejus ſcripta incendio aboleverit. Hæc Platina in vita Sabiniani; & Sabellicus, Enneadis octavæ libro ſexto.

*Bonifacius III. Romanæ Eccleſiæ conceſſum à Phoca privilegium de primatu. Vide cap. 3. in Cypriano.*

*Bonifacius III.* mortuo Sabiniano, creatus & ordinatus eſt an. Dom. 605. de quo Anaſtaſius bibliothecarius, in ejus vita. Hic (inquit) obtinuit apud Phocam Principem, ut ſedes Apoſtolica B. Petri Apoſtoli caput eſſet omnium Eccleſiarum, id eſt, Eccleſia Romana; quia Eccleſia Conſtantinopolitana primam ſe omnium Eccleſiarum ſcribebat. Hæc Anaſtaſius Bibliothecarius. quæ etiam Ado Viennenſis, & Marianus Scotus, & Sigebertus, ſuis Chronicis inſeruerunt.

*Bonifacius IV. Pantheon.*

*Bonifacius IV.* ordinatus eſt anno Dom. 606. Hic à Phoca Imperatore impetravit templum, quod appellabatur *Pantheon*, vetuſtum M. Agrippæ opus, & illud ab idolis expurgatum, divino cultui dedicavit. ut ſcribunt Anaſtaſius bibliothecarius, in vita Bonifacii IV, & Sabellicus, Ennead. 8. lib. 6. quod etiamnum hodie B. Mariæ ad martyres nominatur: ut annotat Binius ad vitam Bonifacii IV. ab Anaſtaſio ſcriptam, tom. 4. Concil. edit. Pariſ.

*Deusdedit.*

*Deusdedit* creatus eſt Romanæ Eccleſiæ Epiſc. anno Dom. 613. regnante Heraclio Auguſto.

*Boniſacius V.* *Boniſacius V.* eodem regnante Imperatore, ordinatus eſt 7 Kal. Januarii, ineunte anno Dominicæ nativitatis 617. quem fuiſſe mitiſſimum ſuper omnes homines, & miſericordem, ſcribit Anaſtaſius bibliothecarius in ejus vita.

*Honorius I.* *Honorius I.* ſucceſſit, anno Domini 622. tempore ejuſdem Heraclii Imperatoris. Hic eſt ille Honorius hæreticus Monothelita, qui propter hanc hæreſin poſtea anathematizatus eſt à ſexto œcumenico Concilio, & ab aliis Conciliis, ut prolixè demonſtrabimus, donante Deo, lib. 5. hujus operis.

## CAPUT TERTIUM.

*Series Epiſcoporum, qui Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ præfuerunt, à tempore Concilii Chalcedonenſis uſque ad tempora Heraclii Imperatoris. ex Chronologia Nicephori, Patriarchæ Conſtantinopolitani, & ex aliis ſcriptoribus.*

*Anatolius.* A*Natolius*, in locum Flaviani ab hæreticis Eutychianis in latrocinali conciliabulo Epheſino ordinatus eſt, anno Dom. 449. ut patet ex Liberati breviario, cap. 12. & ex Leonis primi, Epiſcopi Romani, epiſt. 53. & 54. Ipſe orthodoxus fuit, & ſedit in Concilio Chalcedonenſi; ut ipſa Concilii acta teſtantur. Hujus ſucceſſores à Nicephoro Patriarcha hoc ordine recenſentur; adnotatis etiam ab eodem Nicephoro temporum ſpaciis, quibus ſedem Conſtantinopolitanam tenuerunt.

*Gennadius.* *Gennadius*, Presbyter Conſtantinopolitanus, ſedit annis tredecim, & menſibus duobus. Hic orthodoxus fuit, & ordinatus eſt anno Dom. 458. cùm eodem anno ex hac vita deceſſiſſet Anatolius, poſtquam ſediſſet annos octo & totidem menſes. ut monent Baronius & Calviſius, ad hunc annum.

*Acacius.* *Acacius*, Presbyter, curator alendis orbis, ſedit an. 17. menſ. 9. De diſcordia inter hunc & Felicem 3. Pontificem Romanum, dicemus infrà, cap. 11.

*Phrabitas.* *Phrabitas* [Φράβιτας Græcè, apud Euagrium, lib. 3. cap. 23.] ſedit menſes tres & dies 17. hic apud Nicephorum Calliſt. lib. 16. cap. 15. & 19. Flavitas dicitur in Latina verſione Joannis Langi. ubi de Flavita iſto, homine fraudulento, plura Lector inveniet.

*Euphemius.* *Euphemius* ſedit annos ſex & menſes 6. Hic coronationi Anaſtaſii Imperatoris conſentire noluit, niſi ſcriptam ab illo confeſſionem retinuiſſet, quâ approbaret ea, quæ de fide definita ſunt in Concilio Chalcedonenſi; quod Anaſtaſius etiam fecit, ut ſcribunt Theodorus Lector, lib. 2. Collectaneorum; & Euagrius, lib. 3. hiſt. Eccleſ. cap. 32. & Nicephorus Calliſt. lib. 16. cap. 26. Hunc Euphemium poſtea expulit Anaſtaſius Imperator.

*Macedonius II.* *Macedonius*, hujus nominis ſecundus, ab Imperatore Anaſtaſio in Euphemii locum electus eſt, quem etiam, quod libellum illum fidei, quem Anaſtaſius Euphemio dederat, repoſcenti Anaſtaſio reddere, & ſynodum Chalcedonenſem damnare, conſtanter recuſaret, in exilium miſit idem Imperator Anaſtaſius. teſtibus Theodoro Lectore, lib. 2. Collectaneorum, & Nicephoro Calliſt. lib. 16. cap. 26. poſtquam ſediſſet Macedonius annos ſex. Hujus tempore eveniſſe tradunt Theodorus & Nicephorus Calliſt. ut, cùm *Deuterius*, Arianorum Conſtantinopoli Epiſcopus, quendam *Barbam* nomine intenderet baptizare, &, ſpretâ atque corruptâ Dominicâ inſtitutione, diceret; Baptizatur Barbas in nomen Patris, per Filium, in Spiritu Sancto. [εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, δι' υἱοῦ, ἐν ἁγίῳ πνεύματι.] eo dicto, aqua in colymbethra evanuerit. Barbas verò, arreptâ fugâ exiverit, & miraculum hoc cunctis ſignificaverit. Hoc commemorant Theodorus Lector, in Collectaneis, lib. 2. & Nicephorus Calliſti filius, lib. 16. hiſt. Eccleſ. cap. 35.

*Baptiſma reſpuit aqua baptiſmatis.*

*Timotheus.* *Timotheus* ſuccedit, qui homo fuit varius & inconſtans; ut patet ex Theodori Lectoris lib. 2. & Niceph. Calliſt. lib. 16. cap. 33. hic ſedem eam tenuit annis ſex.

*Johannes II. Oecumenicus Patriarcha.* *Johannes* hujus nominis *ſecundus*, Cappadox, ſedit an. 1. menſ. 10. hic eſt ille Joannes, qui multoties appellatur *œcumenicus Patriarcha*, in ſynodo cui ipſe præſedit, & cujus acta inſeruntur quintæ actioni ſynodi, poſtea ſub Menna celebratæ.

*Epiphanius.* *Epiphanius*, Presbyter Conſtantinop. ſub Juſtiniano Imp. ſedit an. 16. menſ. 3. hujus crebra fit mentio in novellis conſtitutionibus Juſtiniani Imperatoris, Novell. 3. & 5. & 6. & 7.

*Anthimus.* *Anthimus*, Trapezunti priùs Epiſcopus & inde tranſlatus Conſtantinopolin, ſedit menſes decem. Hunc Juſtinianus vocat Anthemium, Novell. 16. hic ob hæreſin amotus eſt. Vide cap. 15. hujus libri.

*Menas.* *Menas*, Presbyter, & præfectus hoſpitio Sampſorum, ſedit an. 16. menſ. 6. de hoc Patriarcha Mena (quem Latini *Mennam* vocant) vide etiam infrà, cap. 15.

*Eutychius.* *Eutychius*, Presbyter, & Monachus in monaſterio Amaſiæ, ſedit an. 12. menſ. 2. Hic interfuit atque præſedit quinto Concilio Occumenico, anno 27. imperii Juſtiniani. Hunc poſtea Juſtinianus Imperator, anno imperii ſui 38. jam favens hæreſi Aphthartodocitarum, ejeciſſe fertur, eò quod non reciperet edictum ejus de corpore Chriſti experte omnis labefactionis.

*Johannes III.* *Johannes*, Presbyter Antiochiæ, hujus nominis *tertius*, ex numero ſcholaſticorum, ſedit an. 12. menſes 7.

*Error de carne impalpabili.* *Eutychius*, iterum ſub Juſtiniano juniore reſtitutus, confecit annos 4. menſes 3. Hunc virum pium & Catholicum ab errore, quo tenebatur, de carne impalpabili in reſurrectione ultimâ, revocârunt monitiones Gregorii, tunc quidem Diaconi & Apocriſarii, poſtea autem Epiſcopi Romani; ut refert ipſe Gregorius, lib. 14. Moral. cap. 31. & 32.

*Johannes IV.* *Johannes*, Diaconus Conſtantinopolitanus, cognomento *jejunator*, hujus nominis *quartus*, defuncto Eutychio, ordinatus eſt Patriarcha Conſtantinopolitanus, anno ultimo imperii Tiberii Auguſti, quem fuiſſe annum Dominicæ incarnationis 582. ſcribit Calviſius; Baronius autem 585. ſedit annos tredecim & menſes quinque, ut monet Nicephorus Patriarcha Conſtantinopol. Hic eſt ille Joannes, de cujus ſuperbiâ tantoperè queſtus eſt Gregorius, hujus nominis *primus*, Epiſcopus



*Oecumenicus Patriarcha. Cyriacus.* Romanus, propter vocabulum *Oecumenici Patriarchæ*.

*Cyriacus*, Presbyter Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, & œconomus, Joanni defuncto ſuccedit anno Dom. 596. regnante Mauritio Imperatore, & Romanæ Eccleſiæ Epiſcopatum gerente Gregorio primo; cujus etiam ad Cyriacum & de Cyriaco multæ exſtant epiſtolæ. lib. 6. epiſtolarum ex Regiſtro. Sedit Cyriacus annos undecim. Cùm è Templo abſtrahi Cyriacus Patriarcha non fineret feminas quaſdam, quæ eò confugerant, quas inde abducere volebat Phocas Imperator, redditus eſt Phocas infenſior Cyriaco, & in odium Cyriaci conceſſit Bonifacio tertio, Epiſcopo Romano, ut Eccleſia Romana caput eſſet omnium Eccleſiarum. ut ex Theophane & Paullo Diacono monet Binius, in notis in vitam Bonifacii 3. tom. 4. Concil. edit. Pariſ. & Baronius, anno Dom. 606.

*Thomas.* *Thomas*, Diaconus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, & Sacellarius, mortuo Cyriaco, collocatus eſt in ſede Patriarchali, anno Dom. 606. ſedit annos 3. menſes 5.

*Sergius.* *Sergius*, Diaconus Eccleſiæ ejuſdem, defuncto Thomæ ſucceſſit in ſede Patriarchali, anno Dom. 609. Hic à Syris & Jacobitis generis originem traxit, inquit Nicephorus Calliſti. lib. 18. cap. 44. ſedit annos octo, menſes ſeptem, & dies 21. Hujus perſuaſione Heraclius Imperator edidit Ecthesin illam Monotheliticam; ut teſtatur Synodus Martini Papæ Rom. Secretario 3. in definitione Synodicâ. *Heraclii Ecthesis.*

*Pyrrhus.* *Pyrrhus*, Presbyter ejuſdem Eccleſiæ, Monachus, & Monachorum Magiſter, poſtquam ſedem Patriarchalem tenuiſſet annos 2. menſ. 9. dies 9. ortâ contra ipſam ſeditione ſeceſſit.

*Paullus.* *Paullus*, Presbyter ejuſdem Eccleſiæ, & œconomus, ſedit annos 2. dies 26. Hujus Paulli ſuaſu factus eſt à Conſtante Imperatore, Heraclii nepote, Typus ille in favorem erroris Monothelitarum; ut teſtantur acta Synodi Lateranenſis, ſub Martino 1, Papâ Rom. Secretario quinto, in definitione Synodicâ. Deinde Pyrrhus reſtitutus ſedit menſes 4. dies 23. Succeſſit *Petrus*, qui ſedit annos 12. menſes 7. *Typus Conſtantis. vide lib. 5. cap. 2.* *Petrus.*

Hi quatuor, quos poſtremò nominavimus, Sergius, & Pyrrhus, & Paullus, & Petrus, fuerunt hæretici Monothelitæ; & propter eam hæreſin damnati ſunt in ſexta œcumenica Synodo, unà cum Honorio Romæ, & Cyro Alexandriæ, & Macario Antiochiæ, Epiſcopis etiam Monothelitis: Ut fuſiùs, ſi Deus voluerit, oſtendemus infrà, lib. 5. hujus operis. *Monothelitæ.*

## CAPUT QUARTUM.

*Series Epiſcoporum Alexandriæ, à tempore Concilii Chalcedonenſis uſque ad temporà Heraclii Imperatoris. ex Nicephori Patriarchæ Conſtantinopol. Chronologiâ, & aliis ſcriptoribus.*

*Dioſcorus.* D*Ioſcorus*, Patriarcha Alexandrinus, hæreticus, abdicatus à Concilio Chalcedonenſi, anno Dom. 451.

*Proterius.* *Proterius*, orthodoxus, ſucceſſit anno Dom. 452. & ſedit annos ſex. de quo vide cap. 7.

*Timotheus Ælurus. Schiſma.* *Timotheus Ælurus*, hæreticus, ſedit annos 2. Ab iſto Timotheo duo Epiſcopi Alexandriæ cœperunt eſſe, ſolutâ unitate, & expulſis plurimis Epiſcopis orthodoxis: ut monet Liberatus, Eccleſiæ Carthaginenſis Diaconus, in ſuo breviario cauſſæ Neſtorianorum & Eutychianorum, cap. 15.

*Timotheus.* *Timotheus*, cognomento *Salophaciolus*, ſive *Albus*, orthodoxus, ſedit annos 15. vide plura de duobus iſtis Timotheis, inferiùs. cap. 8. hujus libri.

*Petrus Moggus.* *Petrus Moggus*, (ſeu *Mongus*, μόγγος) hæreticus, ſedit annum 1.

*Ioannes Talaja.* *Ioannes* cognomento *Talaja*, orthodoxus, an. 1. Eoque expulſo, Petrus Moggus iterum ſedem tenuit annos ſex.

*Athanaſius. Iohannes Mela. Iohannes Nicieta.* *Athanaſius*, hæreticus, ſedit annos 7.

*Iohannes* cognomento *Mela*, annos 9.

*Iohannes Nicieta* [vel *Machiota*] annos 11. utrumque Joannem, tum Melam, tum Machiotam, Athanaſii jam memorati veſtigiis inſiſtentem, ſuſcepiſſe quidem unitivum Zenonis edictum; at non ſuſcepiſſe Concilium Chalcedonenſe, & epiſtolam Papæ Leonis, ſcribit Liberatus in breviario, cap. 18.

*Dioſcorus Iunior.* *Dioſcorus Iunior*, ſedit ann. 3. qui teſtatus eſt, in expulſione Synodi Chalced. ſe ſuſcipere dictum unitivum Zenonis; ut refert Liberatus, loco citato.

*Timotheus.* *Timotheus*, tempore Juſtiniani Imperatoris. Sub iſto Timotheo (ut narrat Liberatus in breviario, cap. 19.) De corruptibili & incorruptibili quæſtio mota eſt: de qua infrà dicemus, cap. 18. hujus Libri.

*Gajanus.* *Gajanus*, permanſit in Epiſcopatu Alexandrino dies centum tres.

*Theodoſius.* *Theodoſius*, Gajano in exſilium miſſo, manſit in ſede annum unum & menſes quatuor. Ita Gajani & Theodoſii tempora definit Liberatus, in breviario, cap. 20. ubi ſe illo tempore vixiſſe teſtatur, dicens de Theodoſio exſulante, *Vivit uſque nunc*. At in Chronologia Nicephori Patriarchæ, Gajanus dicitur ſediſſe annum unum; & Theodoſius, annos 2. de iſtis duobus, Gajano & Theodoſio, plura invenies cap. 18. hujus libri.

*Paulus.* *Paullus*, poſt Theodoſium, ſedit annos 2.

*Zoilus.* *Zoilus*, annos ſeptem.

*Apollinaris. Quintum concil. œcum. vide cap. 24.* *Apollinaris*, ſive *Apollinarius*, ſedit annos 19. Hic Apollinarius, Patriarcha Alexandrinus, ſedit in quinto œcumenico Concilio, cum Eutychio Conſtantinopolitano, & Domno Theopolitano, Id eſt, Antiocheno, cæteriſque in eo Concilio Epiſcopis, anno 27. Imperii Juſtiniani, anno autem Dominicæ incarnationis 553.

*Iohannes.* *Iohannes*, ſedit annos undecim.

*Eulogius.* *Eulogius*, mortuo Johanne, anno Dom. 581. ſuffectus eſt in ejus locum eodem anno, & Eccleſiæ Alexandrinæ præfuit annos viginti ſeptem. Ad hunc diverſæ extant epiſtolæ ſcriptæ à Gregorio primo, Epiſcopo Romano, qui etiam eundem Eulogium laudans, ait eum ex percepta luce veritatis, & Eccleſiam prædicationis verbo illuminare, & ad meliorem viam morum ſuorum exemplis conformare. lib. 8. epiſt. Gregor. ex regiſtro, epiſt. 42. ubi etiam meminit ſcriptorum ejuſdem Eulogii contra hæreticos Agnoe- *Ejuſdem laus.*

tas. De quibus vide infrà, cap. 29. hujus libri.

*Theodorus Scriben.* *Theodorus Scriben*, Eulogio defuncto, ſucceſſit in ſede Patriarchali Eccleſiæ Alexandrinæ, anno Dom. 608. ſeditque annos 2.

*Johannes miſericors.* *Iohannes Cyprius*, nominatus *miſericors*, ſuffectus eſt in locum defuncti Theodori, anno Dom. 610. De hoc Johanne ſcribit Sigebertus in ſua Chronographia ad annum Domini 611. eum, ob eximiam in Chriſtum liberalitatem, nomen *Eleemoſynarii* habere meruiſſe. Sedit autem Johannes hic annos decem, juxta Chronologiam Nicephori Patriarchæ Cp.

*Georgius.* *Georgius*, defuncto Iohanne, ſedit in cathedra Alexandrina, annos 14.

*Cyrus.* *Cyrus*, ſuccedens ſedit annos decem. Hic eſt Cyrus ille, qui ſe Principem præbuit hæreſeos Monothelitarum, & propter eam hæreſin poſtea poſt mortem damnatus eſt à ſexto Concilio œcumenico, unà cum Honorio Romæ, & Sergio, Pyrrho, Paullo, & Petro Conſtantinopoleos, & Macario Antiochiæ, Epiſcopis, & aliis Monothelitis. Id quod prolixius explicabitur lib. 5. hujus operis.

## CAPUT QUINTUM.

*Series Epiſcoporum Antiochiæ Syriæ, (quæ etiam Theopolis Θεούπολις dicta eſt) qui eam ſedem obtinuerunt à tempore Concilii Chalcedonenſis, uſque ad tempora Heraclii Imperatoris. ex Chronologia Nicephori Patriarchæ Cp. & aliis ſcriptoribus.*

*Maximus.* M*Aximus*, ab Epheſino Latrocinio, in locum Domni ibi depoſiti, ordinatus, (ut ſcribit Liberatus, cap. 12.) ſedit in Concilio œcumenico Chalcedonenſi, conſentiente Concilio, quamvis ab hæreticis creatus eſſet: & in eo ſententiam dixit, ejuſdemque Concilii decretis, cum aliis Epiſcopis ſubſcripſit. ut acta illius Concilii teſtantur. Hic in ſede Patriarchali Antiochiæ Syriæ ſedit annos 4. & expulſus fuit ob lapſum, ut ſcribit Nicephorus Patriarcha Cp. in Chronologia.

*Baſilius.* *Baſilius*, ſedit annos 2. ad hunc anno Dom. 458. ſcripta extat epiſtola Simeonis τ͂ Κιονίτα, ſeu ϛυλίτα, *Stylitæ*, de orthodoxa fide Concilii Chalcedonenſis, apud Euagrium, lib. 2. cap. 10.

*Simeon Stylites, vide cap. 1. §. 2.* Simeonem hunc Styliten, (ſic dictum, quòd in columna manſionem haberet) magnum illud orbis terrarum miraculum vocat Theodoretus, lib. de vitis ſanctorum Patrum, cap. 26. ubi ejus res geſtas commemorat.

*Acacius.* *Acacius*, defuncto Baſilio, ſedem obtinuit Antiochenam, annum unum. Hoc Acacio præſidente, urbs corruit: ut monet Niceph. Patr. Cp. in Chronologia.

*Antiochiæ ruina ex terræ motu.* Ruinam illam urbis Antiochiæ. ex ingenti terræ motu, anno ſecundo Leonis Thracis Imperatoris (id eſt, anno Dom. 458.) deſcribit Euagrius, lib. 2. cap. 12.

*Martyrius.* *Martyrius*, ſedit annos 13. de quo vide infrà, cap. 12. hujus libri.

*Julianus.* *Iulianus*, ſedit annos 15.

*Petrus Fullo.* *Petrus Fullo*, γναφεὺς, ejectus à Zenone, ſedit annos 3. de Petro iſto conſule cap. 12. hujus libri.

*Johannes.* *Iohannes*, ejectus poſt menſes tres.

*Stephanus.* *Stephanus*, ſedit annos tres, ſecundùm Chronologiam Nicephori Patriarchæ Cp. Hunc Stephanum Antiochiæ Epiſcopum orthodoxum pueri Antiocheni, Petro Gnapheo hæretico adhuc addicti, calamis ad ſimilitudinem haſtarum præacutis interfecerunt, & in Orontem amnem,

*Hæreticorum crudelitas.* qui eam urbem præterfluit, conjecerunt: ſicut ex Johanne Rhetore, harum rerum ſcriptore, commemorant Euagrius lib. 3. cap. 10. & Nicephorus Calliſti, lib. 15. cap. 18. patrata eſt hæc cædes, anno Dom. 479.

*Stephanus II.* *Stephanus* alius, priori Stephano ſuccedens, ſedit annum unum. Juxta Chronologiam Niceph. Patriarchæ. At huic Stephano Juniori triennium tribuunt, Baronius, & Calviſius, ad annum Dom. 482. quo anno mortuum eſſe ajunt hunc Stephanum juniorem, ſtatimque in ejus locum electum eſſe Calandionem.

*Calandion.* *Calandion*, ſedit annos 4. ut ſcribit Nicephorus Patriarcha; alii brevius tempus illi aſſignant. Hic Calandion, cùm eſſet orthodoxus, ſcripſit ad Zenonem Imperatorem, & ad Acacium Patriarcham Conſtantinopolitanum, contra Petrum Moggum, ſedem Alexandrinam, ejecto Iohanne Talaja, tunc obtinentem, vocans eum mœchum, id eſt, alienæ ſedis injuſtum uſurpatorem, & inſuper aſſerens eum Alexandriæ in ſanctam ſynodum Chalcedonenſem anathema conjeciſſe. At ipſe Calandion ad Oaſim in exilio incolendam damnatus eſt, tanquam indevotus Principi, & partes fovens Illi (ſive Elli) & Leontii & Pamprepis, qui à Zenone defecerant, & tyrannidem affectabant. ut ſcribunt Euagrius, lib. 3. cap. 16. & Liberatus in breviario, cap. 18. & Nicephorus Calliſti, lib. 16. cap. 13.

*Petrus Gnapheus.* *Petrus Gnapheus* (γναφεὺς, id eſt, fullo, à primâ forſan arte ſic nuncupatus) ſedem Antiochenam recuperat, ſuſcipiens Zenonis henoticon.

*Palladius.* *Palladius*, mortuo Fullone, ſedem Antiochenam obtinuit, & ſedit annos decem.

*Flavianus.* *Flavianus*, defuncto Palladio, ſucceſſit, anno Dom. 496. Hic ſedit annos ſeptem, vel, ut alii tradunt, bis ſeptem. Hic orthodoxus Epiſcopus expulſus eſt ab Imperatore Anaſtaſio & adverſariis Synodi Chalcedonenſis. vide cap. 16. hujus libri.

*Severus.* *Severus*, ejecto Flaviano, factus eſt Antiochiæ Epiſcopus, ut ſcribunt Euagrius, lib. 3. cap. 33. & Nicephorus Calliſti, lib. 16. cap. 29. Severus omittitur in Chronologia Nicephori Patriarchæ. Plura autem de iſto Severo Acephalo hæretico, ejuſque ſectatoribus, infrà invenies cap. 16. & cap. 17. hujus libri.

*Paullus.* *Paullus*, pulſo Severo, ordinatus eſt Antiochiæ Epiſcopus, ut legimus apud Euagrium, lib. 4. cap. 4. ſedit annos 3 ſecundùm Chronologiam Nicephori Patriarchæ.

*Euphraſius. Ruina urbis Antiochiæ ex terræ motu.* *Euphraſius*, amoto propter ſcandala Paullo, ſedem obtinuit, anno Dom. 521. ſedit annos quinque, oppreſſus eſt ruinâ urbis: de qua ruina, quæ evenit anno ſeptimo (vel ſecundùm alios, anno octavo) regni Juſtini Senioris, ſcripſit Johannes Rhetor, qui hic finem hiſtoriæ ſuæ impoſuit; ut referunt Euagrius lib. 4. cap. 5. & Niceph. Calliſt.



Calliſt. lib. 17. cap. 3. ubi de illo terræmotu & incendio, & de Euphraſii morte loquuntur.

*Euphraimus.* *Euphraimus*, tempore Juſtiniani, hic ſedit annos 18. hujus tempore, nempe biennio & ſex menſibus poſt ſuperiorem cladem anno ſecundo Imperii Juſtiniani, qui numeratur Dominicæ nativitatis annus 528. novis terræ motibus urbs Antiochiæ terribiliter concuſſa eſt, multis eâ clade intereuntibus: & quoniam Deo viſum eſt ex tanta trepidatione & deſtructione urbem liberare, & ab extremo exitio incolumem conſervare,

*Quâ ratione urbi Antiochiæ dicta ſit Theopolis.* novâ indigitatione urbs ea nuncupata eſt Θεούπολις Theopolis, id eſt, *Dei urbs*; quia prius *Antiochia*, id eſt, Antiochi urbs dicebatur. ut legere eſt, apud Euagrium, lib. 4. cap. 6. & Niceph. Call. lib. 17. cap. 3. Hujus Euphraimi Patriarchæ Theopolitani miſſu, ſederunt in Concilio Conſtantinopolitano, quod contra Acephalos, præſidente Mennâ, celebratum eſt, *Magnus* Presbyter, & *Heraclius* Diaconus, Ambaſiatores ſeu legati Euphraimi; uti illius Concilii acta teſtantur.

*Domnus.* *Domnus*, Epiſcopatu eodem, poſt Euphraimum, fungitur, annis 14. hic Domnus ſedit in quinto œcumenico Concilio, ubi appellatur ſanctiſſimus Patriarcha Theopolitanæ magnæ civitatis. anno Dom. 553.

*Anaſtaſius Sinaita.* *Anaſtaſius Sinaita*, mortuo Domno, in ſede Patriarchali collocatur, anno Dom. 561. regnante Juſtiniano Auguſto, cui hæreſin Aphthartadocitarum introducere ſatagenti hic ſanctus Epiſcopus Anaſtaſius liberè & apertè contradixit; ut refert Euagrius, lib. 4. cap. 39. Poſtquam autem Eccleſiam Theopolitanam annis undecim rexiſſet Anaſtaſius Sinaita, miſſus eſt in exſilium, regnante Juſtino juniore.

*Gregorius.* *Gregorius*, in locum Anaſtaſii ſuffectus, ſedit annis 24. Hunc quoque Gregorium à fidei ſanitate vitæque probitate laudant ſcriptores; licet Anaſtaſium immerentem de ſede ſua dejectum eſſe exiſtiment. Propterea Gregorius hujus nominis primus, Papa Romanus, in inſcriptione epiſtolæ Synodalis, quam ad Patriarchas, *de onere Paſtorali ſibi impoſito*, ſcripſit, utrumque nominat, ſic enim ſe habet illa inſcriptio: Gregorius Johanni Epiſcopo Conſtantinopolitano, Eulogio Alexandrino, Gregorio Antiocheno, Johanni Hieroſolymitano, & Anaſtaſio Patriarchę Antiocheno, apatibus. lib. 1. epiſt. 24. Gregorii hujus Antiocheni coætaneum & familiarem ſe fuiſſe ſcribit Euagrius, lib. 6. cap. 7. & cap. 8. & poſtea exercitum Mauricio Imperatori, ductorique Philippico (à quo defecerant) reconciliatum eſſe, operâ & prudentiâ hujus Gregorii Epiſcopi Antiocheni: commemorant idem Euagr. lib. 6. cap. 11. & cap. 12. & Niceph. Call. lib. 18. capitib. 14. 15. 16. ſedit Gregorius annis 24. eoque mortuo reſtituitur Anaſtaſius.

*Anaſtaſius.* *Anaſtaſius* iterum ſedit annos ſex. Extat ad hunc Anaſtaſium Sinaitam, in ſedem Antiochenam jam reverſum, epiſtola gratulatoria Gregorii magni, Epiſcopi Romani; in qua Gregorius Anaſtaſium mirificè laudat, & ingens ſuum gaudium de ejus reſtitutione profitetur. lib. 4. epiſtolarum ex regiſtro, epiſt. 37. ſeu cap. 81. Quamvis autem Gregorius Antiochenus, qui, Juſtino juniore regnante, ſuffectus eſt in locum Anaſtaſii, ſedem illam obtinuiſſe dicatur annis 24. in Chronologia Nicephori Patriarchæ Cp. Euagrius tamen Anaſtaſii σύζυγον & familiaris ſcribit. Anaſtaſium poſt viginti tres annos ad ſuam ſedem reſtitutum eſſe, anno duodecimo regni Mauricii Auguſti, & poſt mortem Gregorii, eodem anno defuncti. Euagr. lib. 6. cap. ult. (Et hic hiſtoriæ ſuæ finem facit Euagrius.) Idemque ſcribit Nicephorus Calliſti, lib. 18. cap. 26. Et monet idem Nicephorus, eodem lib. cap. 44.

*Sinaita cur dictus.* *Sinaitæ* cognomentum huic Anaſtaſio propterea eſſe inditum, quòd in *Sina* monte philoſophatus ſit, & ſenſum ibi carnis domuerit. Quod autem narrat ibidem Nicephorus Calliſti, de hujus Anaſtaſii Sinaitæ obitu, eum aſſerens à Judæis Antiochiæ tumultuantibus crudeliter trucidatum eſſe, tempore Phocæ Imperatoris; id non huic Anaſtaſio Sinaitæ, qui ex hac vitâ deceſſit anno 17. vel 18. Mauritii Imperatoris, ſed ejus ſucceſſori, qui etiam *Anaſtaſius* nominabatur, contigiſſe, anno Dom. 609. & ipſa temporum conſideratio, & aliorum ſcriptorum conſenſus evincunt: ut rectè monet Baronius apud Spondanum, anno Dom. 599. §. 3. & anno 609. §. 1.

*Anaſtaſius II. Judæorum crudelitas. Heraclius.* *Anaſtaſius* hic alius, qui Anaſtaſio Sinaitæ in Patriarchatu Antiocheno ſucceſſit, ſedit annos novem, & à Judæis jugulatus eſt ultimo anno Imperii Phocæ, cui in imperio ſucceſſit *Heraclius*.

## CAPUT SEXTUM.

*Series Epiſcoporum Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, à tempore Concilii Chalcedonenſis uſque ad tempora Heraclii Imperatoris, ex Chronologia Nicephori Patriarchæ Cp. & ex aliis ſcriptoribus.*

*Iuvenalis.* J*Uvenalis*, Hieroſolymorum Epiſcopus, pars fuit Epheſini œcumenici Concilii, cum Cyrillo Alexandrino, contra Neſtorium. Idemque Juvenalis poſtea interfuit latrocinali Conciliabulo Epheſi habito, & conſenſit Dioſcoro contra Flavianum: & propterea de eo ejiciendo quæſtio propoſita eſt in Concilio Chalcedonenſi, cui præſens etiam idem Juvenalis interfuit. Sed quia conſenſit in ſubſcriptione epiſtolæ Leonis Papæ Romani, in Concilio Chalcedonenſi, juſſus eſt ſedere, & ſedit in eo Concilio: uti teſtantur acta Concilii Chalced. actione 4. & id ipſum repetitur ab Euagrio, lib. 2. cap. ult. & à Liberato, in breviario, cap. 13.

*Theodoſius.* Expulſo poſtea ab Eutychianis Juvenale, ſedem occupavit *Theodoſius* quidam Eutychianus; ut refert Euagrius, lib. 2. cap. 5. ſed eo ejecto, Juvenalis in ſedem ſuam eſt reſtitutus, operâ atque autoritate Martiani Imperatoris: ut memorant Euagrius ibidem, & Leo primus, Papa Rom. epiſt. 68. ad Julianum Epiſcopum. Mortuus eſt autem Juvenalis, anno Dom. 457. poſtquam ſediſſet annos viginti octo.

*Anaſtaſius.* *Anaſtaſius*, ſuccedens Iuvenali, ſedit annos 18.

*Martyrius.* *Martyrius*, annos octo.

*Salluſtius.* *Salluſtius*, annos 8. cujus tempore ſeparavit ſe Epiſcopus Romæ, propter edictum Zenonis de conjunctione. ut ſcribit Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus, in ſua Chronologia.

*Elias.* *Elias*, Salluſtii ſucceſſor, expulſus eſt ab Anaſtaſio Imperatore.

*Iohannes I.* *Iohannes*, ſedit annos undecim.

*Petrus.* *Petrus*, tempore Juſtiniani Imperatoris, annos viginti.

viginti. Hujus Legatus Sabinus diaconus interfuit Concilio Conſtantinopolitano, quod, præſidente Mennâ, celebratum eſt, contra Acephalos, anno Dom. 536.

*Macarius.* *Macarius*, ſedit annos duos, & expulſus eſt.

*Euſtochius.* *Euſtochius* ſedit annum 1. Hujus legati ſederunt in quinto Concilio œcumenico, anno Dom. 553.

*Macarius* iterum, annos 4.

*Ioannes 2.* *Iohannes* in ea ſede ſucceſſit. Et poſt Iohannem, *Amos* ſedit annos 8. *Amos.*

*Eſychius.* *Eſychius*, ſeu Iſaacius ſive Iſychius eandem ſedem obtinuit annos 8. ad hunc exſtat epiſtola Gregorii primi, Papæ Rom. lib. 9. epiſt. 40. ubi ejus fidem orthodoxam laudat. exſtant etiam ejuſdem Eſychii libri ſeptem in Leviticum. migravit autem idem Eſychius ex hac vita, anno Dom. 609. eodemque anno ſucceſſit Zacharias.

*Zacharias.* *Zacharias* Patriarcha fuit Hieroſolymitanus annis 24. Diuturnum autem & atrox bellum Phocæ & provinciis Romanorum intulit Coſrhoës *Coſrhoës Perſarum rex.* Perſarum rex, in ultionem cædis Mauricii Imperatoris, quem Phocas occiderat. Neque poſt Phocæ obitum arma depoſuit Coſrhoës, ſed ſucceſſibus inflatus, regiones multas Romani Imperii, etiam tempore Heraclii depopulatus eſt, & anno *Clades Hieroſolymitana.* Dom. 614. civitatem Hieroſolymorum bello captam multis cladibus affecit, & Zachariam Patriarcham, unà cum ligno crucis Dominicæ, multaque aliâ prædâ, in Perſidem abduxit. Poſtea autem Heraclius Imp. multis ingentibus contra Coſrhoëm potitus victoriis, & pace cum Syroë Coſrhois filio factâ, crucem & Zachariam Patriarcham Hieroſolymitanum, cæteroſque captivos, recuperavit, anno Dom. 627. Atque ita in ſedem ſuam reſtitutus eſt Zacharias. Quo abſente *Modeſtus* Abbas curam geſſerat rerum Eccleſiaſticarum Hieroſolymis.

*Modeſtus*, defuncto Zacharia, ordinatus eſt Hieroſolymorum Epiſcopus, qui antea, abſente in Perſide Zachariâ, ſtrenuam operam in adminiſtratione illius Eccleſiæ navaverat.

*Sophronius*, poſt Modeſti mortem, factus eſt Patriarcha Hieroſolymitanus, anno Dom. 633. Hic eſt ille Sophronius, qui veritatem Catholicam contra Cyrum Alexandrinum, alioſque Monothelitas ſtrenuè defendit. De quo infrà plura dicentur, lib. 5. hujus operis, cap. 8. & cap. 9. & cap. 10 § 2. Hujus Sophronii tempore, & regnante adhuc Heraclio Imperatore, Haumar (ſive Omar) Saracenorum Princeps, Syriam ſubegit, & urbem Hieroſolymorum cepit, anno Dom. 635. manſitque ea urbs ſub ſervitute Saracenicâ annos quadringentos ſexaginta tres, donec virtute Francorum, Duce Godefrido Bullionæo, liberata eſt anno Dom. 1099. quâ de re vide plura libro ſequente.

## CAPUT SEPTIMUM.

### *Hiſtorica narratio, de Proterio Epiſcopo Alexandrino.*

POſtquam *Dioſcorus* Concilii Chalcedonenſis decreto abdicatus eſt, & mandato Imperatoris in exſilium miſſus eſt Gangrenam urbem Paphlagoniæ, expleto jam magno & venerabili Chalcedonenſi Concilio, Epiſcopi & Clerici Ægyptii, qui cum Dioſcoro ad Concilium venerant, & in Eutychetis Dioſcorique damnationem conſenſerant, & epiſtolæ Leonis Papæ Romani ſubſcripſerant, reverſi ſunt Alexandriam, ut cum omnium civium voluntate eligerent Ordinandum Epiſcopum, in locum Dioſcori, ſacris (id eſt, imperialibus Marciani Imperatoris) ob hoc literis præcedentibus ad Theodorum tunc Auguſtalem. Collecti ſunt ergo nobiles civitatis, ut eum, qui eſſet vitâ & ſermone Pontificatu dignus, eligerent. Hoc enim & Imperialibus ſanctionibus jubebatur. Cùmque ſuper hoc multa dubitatio proceſſiſſet, quibuſdam adhuc Dioſcoro addictis, tandem communibus Concilii illius Alexandrini ſuffragiis ad Epiſcopatum Alexandriæ *Electio Proterii Epiſcopi Alexandrini.* gerendum electus eſt *Proterius*, cui & Dioſcorus Eccleſiam commendaverat, qui & eum Archipresbyterum fecerat. Ordinatus ergo Proterius, præſentibus Epiſcopis illis, qui Synodo Chalcedonenſi ſubſcripſerant, inthronizatur, anno Dom. 452. Hæc commemorantur à Liberato in breviario, cap. 14. & Euagrio, lib. 2. cap. 5.

2. Proterio in ſede Epiſcopali collocato, tumultum maximum & planè intolerabilem à populo variis æſtuante ſententiis, dum alii Dioſcorum repoſcerent; alii autem Proterio firmè adhæreſcerent, excitatum eſſe, narrat Euagrius loco citato. Et addit Liberatus, cap. 15. multa pericula paſſum eſſe Proterium, ita ut militari pro cuſtodia indigeret auxilio, plurimo tempore ſui Pontificatûs: permanſiſſe autem illæſum in illo Epiſcopatu, quamdiu vixit Marcianus Imperator.

3. Mortuo autem Marciano Imperatore, anno Dom. 457. concitata illicò eſt ſeditio à Timotheo Æluro, quem Eutychiani à Proterio ſeparati ſibi Epiſcopum delegerant, & Petro Moggo diacono, aliiſque hæreticis Dioſcorianæ fautoribus, qui veniunt Alexandriam, & furioſam multitudinem contra Proterium immittunt. Cogitur itaque Proterius fugâ ſalutem quærere. Ideo ſe ſe recepit in baptiſterium, exiſtimans barbarorum crudelitatem in ſacratum illum locum non irrupturam. Sed contrà accidit, nam homicidæ illi, neque loci reverentiâ, neque diei ſollemnitate, (agebatur enim feſtivitas) neque perſonæ dignitate deterriti, irrumpunt in ipſum baptiſterium, & ipſum Proterium unà cum aliis ſex crudeliter interficiunt. Et corporis Proterii reliquias vulneribus undique plenas abducunt ſecum, trahunt per univerſam fere urbem, ludibrio miſerandum in modum exponunt, atrociter verberibus lacerant corpus illud quod verbera minimè ſentiebat, diſcindunt membratim, & nec à viſceribus illius, more ferarum, deguſtandis ſe continuerunt. Poſtremò quod reliquum erat corporis, igni tradunt abſumendum; & cineres illius in ventum ſpargunt, diſſipantque: ut efferatam beſtiarum immanitatem longè ſuperare viderentur. Iſta omnia referunt conquerentes orthodoxi Epiſcopi totius diœceſeos Ægypti, in ſua ſupplicatione miſſa ad Leonem Imperatorem, Marciani ſucceſſorem, in qua etiam ajunt iſtorum omnium malorum autorem & architectum fuiſſe Timotheum. Exſtat ea poſtulatio Epiſcoporum Ægyptiacorum, apud Euagrium, lib. 2. cap. 8. Idem facinus breviter narrat Liberatus, in breviario, cap. 15.





## CAPUT OCTAVUM.

### *De literis Encyclicis Leonis Imperatoris, & de duobus Timotheis, Æluro & Salophaciolo, Epiſcopis Alexandrinis.*

MIſſi ex altera parte quidam Epiſcopi & Clerici, fungentes legatione pro Timotheo Æluro, dederunt & ipſi petitiones Leoni Imperatori, contra Synodum Chalcedonenſem, petentes ut eadem Synodus tolleretur. Et contra illi à parte Proterii vindictam ſceleris poſtulabant. Utriſque auditis, lectiſque utriuſque partis ſupplicibus libellis, Leo Imperator undequaque in Romano imperio Epiſcopos aliarum Eccleſiarum, & alios doctrinâ & vitæ ſanctitate præſtantes viros, per literas conſuluit, miſſis ad eos exemplaribus libellorum ſupplicum utriuſque partis, convenire jubens in particularibus ſynodis, & omnibus rebus ibi diligenter tractatis ac diſquiſitis, eum per literas certiorem facere, quid de Timotheo Æluro, & quid de Concilio Chalcedonenſi ipſis videatur, ut referunt Euagr. lib. 2. cap. 9. & Liberatus, cap. 15.

2. Operæ pretium facturus videor, ſi hic inſeram admodum piam & Chriſtiano Principe dignam Leonis Imperatoris Paræneſin, quâ Epiſcopos & Clericos monet, quo animi affectu convenire, & quomodo in rebus tractandis definiendiſque ſe gerere debeant. Eam deſcribemus ex ipſius Imperatoris literis, ad Anatolium Epiſcopũ Conſtantinopolitanum, quibus ſimiles literas ab eodem Imperatore tum ad alios Epiſcopos, tum ad viros ſanctitate illuſtres, & inter hos ad magnum illum Simeonem Stylitem, *ſtylitam* ſeu *columnarium*, qui primus omnium cœpit in columna habitare, adhuc ſuperſtitem, datas eſſe commemorat Euagrius, lib. 2. cap. 9. ubi etiam hiſtoriæ ſuæ inſerit Euagrius exemplum epiſtolæ illius, quam ſcripſit Leo Imperator ad Anatolium, ex qua hæc pauca in gratiam lectoris depromſimus: *Proinde* (inquit) *tua pietas faciat, ut omnes orthodoxi ſancti Epiſcopi, qui in hac urbe primariâ in præſentia commorantur, quin etiam omnes ſanctiſſimi Clerici confeſtim apud ſe conveniant*, καὶ πάντων ἐπιμελῶς πραχθέντων καὶ διερευνηθέντων, (ἐπειδήπερ ἡ Ἀλεξάνδρου πόλις τετάρακται, ἧς τινὸς τῆς ἁρμονίας καὶ τῆς ἡσυχίας μεγίστη ἐστὶν ἡμῖν φροντίς) εἴπατε τὸ δοκοῦν περὶ τοῦ προειρημένου Τιμοθέου, καὶ τῆς ἐν Χαλκηδόνι συνόδου, ἄνευ τινὸς ἀνθρωπίνου φόβου, καὶ δίχα χάριτος καὶ ἀπεχθείας, μόνον τὸν τοῦ παντοκράτορος θεοῦ φόβον πρὸ ὀφθαλμῶν τιθέμενοι, ἐπειδήπερ οἴδατε ὡς περὶ τοῦ πράγματος τούτου τῷ ἀχράντῳ θείῳ λόγον δώσετε. ἵνα διὰ πάντων ἡμεῖς τῶν ὑμετέρων γραμμάτων τελείως διδαχθέντες τὸν ἁρμόζοντα τύπον ἐκφέρειν δυνηθῶμεν. id eſt; *& omnibus rebus diligenter tractatis ac diſquiſitis (quandoquidem nunc Alexandria turbata eſt, quæ, ut in ſtatu tranquillo & pacato locetur, nobis maximè curæ eſt) quid de eo, de quo ſuprà diximus, Timotheo, & de Chalcedonenſi Concilio, vobis videatur, dicite, ſine ullo humano timore, & abſque gratia & odio, ſolum omnipotentis Dei timorem ante oculos ſtatuentes, quandoquidem noſtis vos de hac re immaculatæ Divinitati rationem reddituros. ut ab omnibus per veſtras literas perfectè edocti, edictum conveniens* *Tui principis exemplum.* *promulgare poſſimus.* Hæc Leo Thrax Imperator. Quem utinam in concedenda idonea libertate, & exigendo debito candore, imitarentur omnes Principes! Optandum quoque, ut commendatam ab hoc pio Principe animi integritatem præſtarent omnes Paſtores & doctores.

3. Leo Epiſcopus Romanus, aliique omnes, ad quos ſcripſerat Imperator (excepto ſolo Amphilochio Sidæ Epiſcopo, ut monet Euagrius lib. 2. cap. 10.) reſcripſerunt Chalcedonenſem Synodum uſque ad ſanguinem eſſe vindicandam: electionem autem Timothei conſentientibus ſuffragiis damnaverunt, eumque non ſolum inter Epiſcopos non habendum, ſed etiam Chriſtianâ appellatione indignum declaraverunt. Et hæ epiſtolæ (inquit Liberatus cap. 15.) vel rationes Epiſcoporum omnium, in uno codicis corpore vocantur *Encyclica*. Literas autem illas, quas ad *Epiſtola Encyclica.* Epiſcopos & Monachos de hac quæſtione miſerat Leo Imperator, ut eorum judicium addiſceret, illas inquam, ipſius Imperatoris Leonis conſultorias epiſtolas, Euagrius vocat ἐγκύκλια *ἐγκύκλια γράμματα.* γράμματα, *Encyclicas literas, ſeu circulares literas*, lib. 2. cap. 9.

4. Acceptis undique literis, ſcripſit Imperator Leo duci Alexandriæ Stilæ, ut pelleret quidem ab Epiſcopatu modis omnibus Timotheum; inthronizaret autem alium decreto populi, qui Synodum Chalcedonenſem vindicaret. Juſſione acceptâ, dux Stila fecit quæ fuerant imperata. Et pulſo in exſilium *Timotheo Æluro*, alius eligitur Timotheus, qui Proterio ſuccederet, cognomento *Salophaciolus* ſive *Aſbus*, quem nonnulli Baſilicum vocarunt, ut legimus apud Liberatum, cap. 15. & cap. 16. & Euagr. lib. 2. cap. 11.

5. Hic Timotheus Salophaciolus Catholicorum Epiſcopus, ejectus eſt poſtea à Baſiliſco tyranno, & reſtitutus eſt Timotheus Ælurus: fugit autem Timotheus catholicus in Canopum caſtellum, & in monaſterio latuit. Tunc Petrus Moggus hæreticus iterum ſe cum Timotheo Æluro junxit, cum quo fuerat antè damnatus. At Zenone ad Imperium revertente, Timotheus Ælu- *Exitus Timothei Æluri.* rus ſibi metuens, humana vitâ, hauſto veneno, ſolutus eſt. Poſt cujus obitum ordinaverunt ſibi hæretici Epiſcopum Petrum illum, cognomento Moggum, hæreticum Eutychianum ſive Dioſcorianum. Quod cognoſcens Imperator Zenon ſcripſit Anthemio Auguſtali, ut Petrum quidem ſacerdotio privaret. Timotheum verò Salophaciolum in Epiſcopatum reduceret. quod etiam factum eſt. Deinde ſine moleſtia ſedem obtinuit Timotheus Salophaciolus, & in pace mortuus eſt anno Epiſcopatûs ſui vigeſimo tertio, menſe ſexto, ut ſcribit Liberatus in breviario, capite 16.

## CAPUT NONUM.

*De Petro Moggo, & Ioanne Talaja, Epiſcopis Alexandrinis, & Calandione Epiſcopo Antiocheno.*

Timotheus Salophaciolus, poſtquam Zenonis Imperatoris auctoritate, pulſo Petro Moggo, ſedem ſuam Alexandrinam recuperavit, miſit Conſtantinopolim quoſdam Clericos gratias agens Imperatori. Cum quibus erat *Ioannes* cognomento *Talaja*, presbyter Tabenneſiotis. [ut refert Liberatus in breviario, cap. 16.] Hic petiit ab Imperatore, ut ſi Alexandriæ Epiſcopus è vita migraret, liceret eis qui Alexandriam incolunt, quem vellent deligere Epiſcopum. Ipſe autem *Ioannes*, juramento interpoſito, promiſit Imperatori, ſe nunquam ſedem Alexandrinam petiturum. Decrevit igitur Zeno, cum poſt mortem Timothei Epiſcopum futurum, quem clerus & laicorum multitudo eligerent. [ut ſcribit Euagrius, lib. 3. cap. 12.] Iuramenti autem à Joanne interpoſiti, poſteàque violati, meminit etiam ipſe Imperator Zeno, in literis ſuis ad Apollonium Auguſtalem & ducem Pergamium, referente Liberato in breviario, capite 17. & in literis ad Simplicium Papam Romanum, referente ipſo Simplicio, epiſt. 17. ad Acacium.

*Electio Epiſcopi Alexandrini.*

2. Poſt mortem autem Timothei Salophacioli, Joannes Talaja, neglecto ſuo juramento, Epiſcopatum Alexandrinum capeſſit. Neque ei curæ fuit ſynodicas literas, de more, dare ad Acacium Conſtantinopolitanum Epiſcopum. Cui (ut refert Zeno, apud Simplicium loco citato) juramentum illud Joannis non erat incognitum. Habens autem memoratus Joannes Talaja amicum Ellum Magiſtrum, cui multa & precioſa xenia direxerat, ei de ſua ordinatione ſcripſit. Scribens etiam Principi, ut per Ellum Magiſtrum omnis ejus cauſa diſponeretur. Ello autem Conſtantinopoli non invento, lator literarum (Magiſtrianum vocat Liberatus) neque Acacio, neque Imperatori literas obtulit, ſed perrexit Antiochiam, illuc enim ab Imperatore miſſus erat Ellus, ut reprimeret Leontium tyrannum, cum quo tamen ſe conjunxit Ellus contra Zenonem. Iſta referuntur à Liberato in breviario, capitib. 16. 17. 18.

3. Acacius poſtea, auditâ Joannis ordinatione, & ægrè ferens non eſſe ad ſe directas ſynodicas literas, perſuaſit Imperatori ut ſcriberet Apollonio Auguſtali, & duci Pergamio, ut Joannem ab Alexandrina ſede pellerent, tanquam perjurum, qui ſedem eam contra ſuum jusjurandum, quod in regia civitate dederat, arripuiſſet: Petrum autem Moggum, jam unitatem & veritatis profeſſionem præ ſe ferentem, in ſedem Alexandrinam reſtituerent, ſi prius ſuſciperet Henoticon Principis, & ſynodicas deſtinaret epiſtolas Conſtantinopolitano Acacio, & Simplicio Romano, & cæteris Archiepiſcopis: & reciperet eos, qui ſtabant à partibus Proterii, & Timothei Salophacioli. Quibus à Petro præſtitis, Alexandrini univerſi conſenſerunt in reſtitutionem Petri, & (ut Liberatus loquitur) Petrus ab omnibus inthronizatur. Qui, concione apud populum habitâ, epiſtolam Zenonis de concordia, ſeu ἑνωτικὸν legit. ut monet Euagrius, lib. 3. cap. 13. quibus literis lectis, (inquiunt Euagr. lib. 3. in fine capitis 14. & Nicephorus Calliſt. lib. 16. in fine capitis 12.) Alexandrini univerſi ſanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ conjuncti unitique ſunt: & quæcunque in medio fuere, offendicula & impedimenta ſuſtulere. Hæc ex Liberato, cap. 17. & cap. 18. & ex Euagrio lib. 3. cap. 12. & cap. 13. & 14. & Nicephoro Calliſti, lib. 16. capitib. 11. &, 12. Illud autem Zenonis ἑνωτικὸν ſequente capite exhibebimus.

4. Synodicam autem illam Joannis Talajæ, quam cum Magiſtriano miſerat, ſuſcepit cum Ello magiſtro *Calandion* Epiſcopus Antiochiæ. Deinde ipſe Joannes Talaja, ejectus de ſede Alexandrinâ, profectus eſt Antiochiam, ut videret amicum ſuum Ellum magiſtrum. Cui cùm narraſſet quæ ſibi evenerant, ejus conſilio ingreſſus eſt ad Calandionem Patriarcham Antiochenum, qui Joannis ſuaſu ſcripſit ad Zenonem Imperatorem & Acacium Patriarcham Conſtantinopolitanum, contra Petrum Moggum, vocans eum mœchum, id eſt, alienæ ſedis injuſtum invaſorem, & dicens eum Alexandriæ ſancto Concilio Chalcedonenſi dixiſſe anathema. Et in favorem Joannis Talajæ ſcripſit etiam Calandion literas commendatitias ad Simplicium Pontificem Romanum, quibus ſumtis ſecum literis, Joannes Talaja Romam ſe contulit. Ac Calandion poſtea ad incolendam Oaſin miſſus eſt in exſilium, quod per eam cauſam occaſionem arripuiſſet fovendi partes Elli & Leontii contra Zenonem. Hæc commemorantur à Liberato, cap. 18. & Euagrio, lib. 3. capite 16. & Nicephoro, lib. 16. cap. 13.

5. Ejecto Calandione, *Petrus Gnapheus* per calliditatem ſedem Antiochenam recuperavit, henotico Zenonis ſubſcribens. Dedit is ad Petrum Moggum Alexandriæ Epiſcopum, & viciſſim ab eodem accepit ſynodales literales. Ad eundem etiam Petrum Moggum literas ſynodicas ſcripſit Martyrius Hieroſolymitanus Epiſcopus, Anaſtaſii ſucceſſor. Et eidem Petro Moggo conjunctus eſt Acacius Patriarcha Conſtantinopolitanus. [Euagrius, lib. 3. cap. 16. & Nicephorus lib. 16. cap. 13.] Atque ita concordia fuit inter quatuor illas ſedes Patriarchales, in confeſſione unius orthodoxæ fidei, quæ Zenonis henotico continebatur.

6. Attamen haud ita multo poſt Alexandriæ quidam à communione Petri Moggi receſſerunt, & ipſe Petrus Chalcedonenſem Synodum palam anathemate damnavit: quod ubi Acacio Patriarchæ Conſtantinopolit. nunciatum eſſet, turbatus eo nuncio Acacius miſit quoſdam Alexandriam, qui quid factum eſſet cognoſcerent: quibus Petrus Moggus homo varius & verſipellis, ἀμφίβολος καὶ τοῖς καιροῖς συμμεταβαλλόμενος, ſatisfacere cupiens, negavit factum, & literas dedit ad Acacium, quibus apertè profeſſus eſt, ſe non damnare, ſed recipere & credendo confirmare Concilium Chalcedonenſe. Extat illa Petri Moggi ad Acacium epiſtola & confeſſio rectæ fidei, apud Euagrium, lib. 3. cap. 17. & Nicephorum, lib. 16. c. 14. Interea Alexandrinis Eutychianis aliud indicabat: ut monet Liberatus, qui

qui



de Petro iſto ait: Permanſit in Epiſcopatu, ſcribens Acacio, quia eſſet Synodi communicator, & fallens Alexandrinos, quia non communicaret Synodo. Hæc Liberatus, cap. 18. ubi etiam monet natum inde eſſe Alexandriæ diſſidium & diviſionem. Poſtea autem Petrus Moggus acta Concilii Chalcedonenſis apertè damnavit, ſcriptis in eam ſententiam literis ad Flavitam Patriarcham Conſtantinopolitanum, Acacii jam defuncti ſucceſſorem, quibus literis lectis, Euphemius, ſucceſſor Flavitæ, ſe à Petri communione ſejunxit, & in ſacris tabulis nomen ejus expunxit. Et paullò poſt mortuus eſt iſte Petrus Moggus. Euagr. lib. 3. capitib. 22. & 23. Niceph. lib. 16. capitib. 19. & 20. Liberatus, cap. 18.

7. Joannes autem Talaja, aliquamdiu Romæ manſit, habens Epiſcopi dignitatem, eique Felix Papa Romanus, Simplicii ſucceſſor, Nolanam dedit Eccleſiam, quæ eſt in Campaniæ regione, in qua plurimos reſidens annos, in pace defunctus eſt. ut ſcribit de eo Liberatus in breviario cap. 18. Quas autem turbas dederit, & quæ diſſidia inter Romanos Pontifices & Acacium Conſtantinopolitanum concitaverit, monebimus, cap. 11. hujus libri.

## CAPUT DECIMUM.

*Ἑνωτικὸν, id eſt, unitivum, ſive epiſtola pacificatoria, Zenonis Imperatoris, ex Euagrii lib. 3. cap. 14. & Liberati breviario cap. 18. & Niceph. Calliſti lib. 16. cap. 12.*

Imperator Cæſar *Zeno*, pius, victor, triumphator, maximus, ſemper Auguſtus, univerſis Epiſcopis ſanctis & populis per Alexandriam, Ægyptum, Libyam, & Pentapolim. Principium & ſtatum, virtutemque & ſcutum inexpugnabile noſtri ſcientes Imperii, ſolam rectam veramque fidem, quam adventu divino expoſuerunt ſoli, qui in Nicæa congregati ſunt, 318. ſancti Patres, firmaverunt autem & qui Conſtantinopolim convenerunt, centum quinquaginta ſimiliter ſancti Patres, noctibus ac diebus, oratione & ſtudio & legibus nitimur multiplicari per eam ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam, incorruptam, & ſine obitu matrem noſtrorum ſceptrorum. In pace verò & concordia, quæ circa Deum eſt, pios populos perſeverantes, acceptabiles pro noſtro imperio ſupplicationes offerre, cum ſanctiſſimis Archiepiſcopis & Dei cultoribus, clericis & archimandritis. Magno enim Deo & Salvatore noſtro Jeſu Chriſto, ex ſancta Virgine Dei genitrice Maria incarnato & nato, ex concordia glorificationem atque culturam laudante, pariterque ſuſcipiente, hoſtium quidem generationes conterentur: omnes autem inclinabunt poſt Deum ſuam poteſtati noſtræ cervicem. Pax autem & bona quæ ex ea ſunt, aeris temperantia, & fructuum ubertas, ſed & alia hominibus utilia ſuppeditabuntur. Cum ſic ergo immaculata fides & nos & Romanam ſervet rempublicam, ſupplicationes nobis oblatæ ſunt à Deo amantiſſimis Archimandritis & Eremitis, & aliis reverendis viris, ſupplicantibus unitatem ſanctiſſimæ Eccleſiæ, ut copulentur membra membris, quæ bonitatis inimicus ex longis retro temporibus ſeparare conatus eſt, ſciens, quia adverſus totum Eccleſiæ corpus exercendo bella devincitur, & ex hoc eveniſſe, generationes innumeras in tantis annis vitâ privatas, alias quidem lavacro regenerationis fraudatas obiiſſe, alias ſacrâ communione nequaquam participantes, ad diſceſſum inevitabilem hominum fuiſſe deductas, necéque præſumtas decies millies, & ſanguinum redundantiâ pollutam non ſolum terram, ſed etiam ipſum aerem. Hæc quis non optet ad bona transformare? Propterea cognoſcere vos ſtuduimus, quia & nos, & ubique ſanctiſſimæ orthodoxorum Eccleſiæ alterum ſymbolum, aut mathema, aut terminum fidei, aut fidem citra prædictum ſanctum Symbolum 318. Patrum, quod etiam firmaverunt memorati centum quinquaginta ſancti Patres, neque habuimus, neque habemus, neque habebimus, neque habentem ſcimus: & ſi quis habuerit, alienum eum exiſtimamus. Hoc enim ſolum noſtrum (ſicut diximus) Imperium ſalvare confidimus. Sed & omnes populi, qui ſalutare baptiſma promerentur, hoc ſolum percipientes baptizantur. Quod ſecuti ſunt ſancti patres, Epheſi congregati, qui depoſuerunt impium Neſtorium & opinionis ejus poſtea ſectatores. Quem Neſtorium, ſimul & Eutychetem, quòd contraria eis quæ dicta ſunt ſapiant, nos etiam anathematizamus. [ἣν ἐξηκολούθησαν οἱ ἅγιοι πατέρες οἱ ἐν τῇ Ἐφεσίων συνελθόντες, οἱ καὶ καθελόντες τὸν ἀσεβῆ Νεστόριον, καὶ τοὺς μετ' ἐκεῖνον τὰ ἐκείνου φρονοῦντας. ὃν Νεστόριον καὶ Εὐτυχέα τὰ ἐναντία τοῖς εἰρημένοις φρονοῦντας, ἀναθεματίζομεν.] Suſcipimus & illa duodecim capitula quæ pronunciata ſunt à ſanctæ memoriæ Cyrillo, qui Alexandrinorum ſanctæ catholicæ Eccleſiæ Archiepiſcopus fuit. Confitemur autem unigenitum Dei Filium & Deum, qui verè homo factus eſt, [τὸν κατ' ἀλήθειαν ἐνανθρωπήσαντα] Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, conſubſtantialem Patri ſecundum Divinitatem, & conſubſtantialem nobis ſecundum humanitatem, eundem, qui deſcendit, & incarnatus eſt ex Spiritu Sancto, & Maria Dei genitrice virgine, unum exſiſtere Filium, & non duos. Unius enim eſſe dicimus unigeniti Filii Dei & miracula, & paſſiones, quas ſponte carne perpeſſus eſt. Eos autem, qui dividunt, aut confundunt, aut phantaſiam introducunt, omnino non recipimus, quippe incarnatio expers peccati, quæ verè facta eſt ex Deipara Virgine, acceſſionem alterius filii non effecit. Nam Trinitas, etiam incarnato uno de Trinitate, nempe Deo Verbo, manet Trinitas [ἐπείπερ ἡ ἀναμάρτητος κατ' ἀλήθειαν σάρκωσις ἐκ τῆς Θεοτόκου, προσθήκην υἱοῦ οὐ πεποίηκε. μεμένηκε γὰρ Τριὰς ἡ Τριὰς, καὶ σαρκωθέντος τοῦ ἑνὸς τῆς Τριάδος, Θεοῦ Λόγου.] Scientes itaque quod neque ſanctiſſimæ ubique orthodoxæ Eccleſiæ, neque harum præſules Deo amantiſſimi ſacerdotes, neque noſtrum imperium, ſymbolum aut terminum fidei citra prædictum ſanctum Mathema receperunt aut recipiunt, univimus nos ipſos, nihil dubitantes [ἑνώσαμεν ἑαυτοὺς, μηδὲν ἐνδοιάζοντες.] Hæc autem ſcripſimus, non innovantes fidem, ſed ut vobis de fide penitus perſuaderemus,



Le

[[illegible].] Omnem vero, qui aliud quicquam ſapuit, aut ſapit, aut nunc, aut aliquando, ſive Chalcedone, ſive in quacunque ſynodo, anathematizamus. præcipuè verò prædictos Neſtorium & Eutychen, & quæ eorum ſunt ſapientes. Copulamini ergo ſpiritali matri Eccleſiæ, eadem ſapientes nobiſcum, in eadem poſiti communione, ſecundum prædictum unum & ſolum fidei terminum eorundem ſanctorum Patrum. Sanctiſſima namque mater noſtra Eccleſia, tanquam quæ genuit vos, filios exſpectat amplecti ex longo poſt tempore, dulcemque vocem veſtram concupiſcit audire. Concitate igitur voſmetipſos. Hæc enim facientes, & Salvatoris noſtri Domini propitiationem ad vos attrahetis, & à noſtro Imperio laudabimini.

## CAPUT UNDECIMUM.

### *De Acacio Epiſcopo Conſtantinopolitano, & de lite inter eum & Felicem III. Papam Romanum.*

GEnnadio, Anatolii ſucceſſore, mortuo, collocatus eſt in ſede Conſtantinopolitana Acacius, anno Dom. 471. regnante Leone Thrace Romanorum Imperatore: cui in Imperio ſucceſſit Zeno, anno Dom. 474. quo expulſo Baſiliſcus tyrannus, ſuaſu Timothei Æluri, literas ſcripſit Encyclicas ad omnes undiquaque Epiſcopos, in condemnationem Concilii Chalcedonenſis, [*Impia ſubſcriptiones.*] quibus impiis literis Epiſcopi ſubſcripſiſſe feruntur quingenti, hoc enim juſſerat in ipſis literis Baſiliſcus: & Epiſcopi Aſiæ Epheſi congregati libellum ſupplicem ſcripſerunt ad Baſiliſcum tunc imperantem, eique apertè declarant atque jurant, ſe non invitos aut vi & neceſſitate adactos, ſed libentibus animis & propenſa voluntate ſuſcepiſſe [*Profana adulatio, cum audaci immanitate. Vide §. 4.*] ejus literas contra Concilium Chalcedonenſe ſcriptas, eiſque libenter pietate planè liberà, ſubſcripſiſſe: eundemque hortantur ut coërceantur adverſarii, nempe Concilii Chalcedonenſis propugnatores, literiſque Baſiliſci ſubſcribere recuſantes, præcipuè verò ut Acacius Epiſcopus Conſtantinopolitanus ab Epiſcopatu pellatur. ſubſcripſerunt autem Baſiliſci literis contra Synodum Chalcedonenſem editis etiam ſedium Patriarchalium Antiſtites, Timotheus Ælurus Alexandrinus, & Petrus Gnapheus Antiochenus, & eiſdem ſubſcripſiſſe etiam fertur Anaſtaſius qui Juvenali ſucceſſit in ſede Hieroſolymitana. ſicut legere eſt apud Euagrium, lib. 3. capitib. 4. & 5.

2. [*Acacii conſtantia.*] Acacio quoque, ut circulares ejus literas reciperet, & Synodum Chalcedonenſem anathemati ſubiiceret, per vim inſtitit Baſiliſcus, cum id jam tres magni throni Patriarchales feciſſent. Sed id facere conſtanter recuſavit Acacius, & convenit contra Baſiliſcum tota civitas, viri ſimul & mulieres in Eccleſia, Acacius autem ſeque ipſum & thronum ſuum, & altare pullà veſte obduxit. [*Daniel ſtylites.*] Tunc etiam Daniel ſtylites ex columna deſcendit, & cum populo & Acacio Eccleſiaſticos conventus egit. Baſiliſcus autem motum urbanæ plebis veritus Senatui indixit, ne moleſtiam Acacio exhiberent. Daniel verò plebis & monachorum multitudine aſſumtâ, ad tyrannum acceſſit, & propalam liberè apud eum de rectis dogmatibus diſſeruit. Effeceruntque Acacius & Daniel, ut contrariæ prioribus literis à Baſiliſco literæ ederentur, quibus Chalcedonenſis ſynodi doctrinam, & adverſus Eutychetem hæreticum decreta approbavit atque defendit. ut referunt Theodorus Lector, lib. 1. Collectaneorum, & Nicephorus Calliſti, lib. 16. cap. 6. & cap. 7. & Euagrius, lib. 3. cap. 7. De Daniele autem ſtylita plura ſcribit Niceph. lib. 15. cap. 22.

3. Zenon autem, recuperato Imperio, legem ſanxit, (ut refert Euagrius, lib. 3. cap. 8.) qua decreta Baſiliſci tyranni contra orthodoxam fidem & Concilium Chalcedonenſe facta, & literis encyclicis comprehenſa, abrogata ſunt, & Petrus Gnapheus Eccleſiâ Antiochena expellitur. Ælurus autem Alexandrinus moritur, pulſoque ejus ſucceſſore Moggo, Timotheus orthodoxus in Epiſcopatum reducitur. ut monuimus ſupra, cap. 8. Antiochenæ autem Eccleſiæ præpoſitus eſt Stephanus, quem Eutychiani hæretici poſtea occiderunt, ſicut indicatum ſupra, cap. 5. hujus libri.

4. Epiſcopi illi Aſiæ, qui Encyclicis Baſiliſci literis ſubſcripſerant, & ad eundem Baſiliſcum libellum ſupplicem contra Acacium dederant, [*Pœnitentia & palinodia Epiſcoporum Aſiæ.*] pœnitentiâ nunc ducti, quo Acacium placarent, deprecari culpam, veniamque petere incipiunt: & miſſis ad Acacium pœnitentiæ libellis, aiunt, per iſtos libellos notum facimus, ſubſcripſiſſe nos Baſiliſci circularibus literis, non ex animi ſententia, ſed neceſſitate adductos, & verbis, non corde, aſſenſum præbuiſſe. Nam Deo, cui noſtræ preces gratæ acceptæque ſunt, annuente, quæ ab orbis terræ luminaribus trecentis decem & octo, & rurſum à centum & quinquaginta ſanctis Patribus accepimus, adhæc quæ à ſanctis Patribus Chalcedone congregatis piè & rectè conſtituta ſunt, credimus. Hæc referunt Euagrius, lib. 3. cap. 9. & Nicephorus Calliſti, lib. 16. cap. 9.

5. Tantis pro veritate certaminibus peractis, Acacius, disjectam Eccleſiarum conditionem intuens, perſuaſit Zenoni (teſte Liberato, cap. 17.) ut fieret henoticon illud, quod ſuperiore capite exhibuimus. Eique ſubſcribentem, & Proterio Timotheoque Catholicis communicantes recipientem, Conciliumque Chalcedonenſe approbantem Petrum Moggum in communionem recepit, eique ſedem Alexandrinam reſtitui curavit, expulſo ob perjurium Johanne Talaja. ſicut eſt ſupra oſtenſum, cap. 9. hujus libri.

6. Romam profectus Johannes Talaja, ferens ſecum (ut cap. 9. dictum eſt) commendatitias Calandionis Antiocheni literas, turbas ibi magnas concitavit, dicens ſe pro decretis Leonis & Chalcedonenſis Concilii exturbatum eſſe ſede ſuâ Epiſcopali, & alium ei eſſe ſurrogatum qui illis adverſaretur. qua narratione motus Simplicius tunc Epiſcopus Romanus, & ægrè ferens Patriarchæ Conſtantinopolitani tantam eſſe apud Orientales autoritatem, ut de ſedibus etiam Patriarchalibus ſtatueret, inconſulto Romano Pontifice, & damnatos, quamvis pœnitentes, in communionem reciperet *ſine Apoſtolicæ ſedis conſultatione*, (ut loquitur Gelaſius Papa, epiſt. 13.) ſcripſit de cauſſa Johannis Talajæ ad Zenonem Imperat. Reſcripſit autem Zeno, Johannem perjurii reum eſſe,





ideóque ſacerdotio eſſe indignum, ac propterea ob crimen perjurii meritò eſſe rejectum, non autem ob aliam cauſſam. ut legimus apud Euagrium lib. 3. cap. 15. & Niceph. lib. 16. cap. 15. & apud ipſum Simplicium, epiſt. 17. quam de eodem negotio ſcripſit ad Acacium. Acacius verò (ut refert Liberatus, cap. 18.) ſuſceptis epiſtolis, ſimpliciter reſcripſit Simplicio, quod Johannem quidem Alexandriæ ignoraret Epiſcopum, Petrum verò Moggum ſuſcepiſſet in communionem in Zenonis Principis unitivo, & quod hoc citra ejus geſſiſſet ſententiam propter unitatem Eccleſiarum, Principis juſſione.

7. Simplicius adhuc contriſtatus, reſcripſit Acacio, hæreticum hominem communi decreto damnatum, Petrum Moggum, non debuiſſe niſi communi conſilio à damnatione liberari. Nec ſufficere ſuſceptionem edicti unitivi, niſi etiam idem Petrus agnoſcat atque recipiat terminum Chalcedonenſis Concilii, & epiſtolam Papæ Leonis. His literis Acacio redditis, cum deliberaret Acacius quid reſcribere oporteret, Papa Simplicius defunctus eſt, & ordinatur Felix Romanæ Præſul Eccleſiæ. Hæc ſcribuntur à Liberato, cap. 18.

8. Felix III. Papa Romanus, zelo ſedis ſuæ Romanæ, & æmulatione accenſus adverſus Patriarcham Conſtantinopolitanum, tantam apud aliarum provinciarum Eccleſias exiſtimationem & poteſtatem obtinentem, inſtigante etiam Johanne Talaja, qui non intermiſit Felici moleſtus eſſe, de Petro Moggo, & de Acacio Moggum in communionem recipiente, eò tandem devenit, ut literas ediderit damnatorias contra Acacium, quibus eum Epiſcopali gradu & fidelium communione privatum eſſe pronunciavit, eo quod alienarum ſibi provinciarum jura temerariè (ut ipſius Felicis verbis utar) vindicaret, & hæreticos damnatos in communionem reciperet. ut legimus apud Anaſtaſium bibl. & Platinam in vita Felicis, & apud Euagrium, lib. 3. cap. cap. 18. & cap. 20. & Niceph. lib. 16. cap. 13. & cap. 16. & extant adhuc in epiſtolis Felicis, literæ illæ damnatoriæ ad Acacium miſſæ. Fel. epiſt. 6. quas literas contemſit Acacius, ut refert Liberatus, cap. 18.

9. Scribit autem apud Nicephorum Calliſti (lib. 16. cap. 17.) Baſilius Cilix Acacium uſque adeò condemnationem eam non reſpexiſſe, ut ipſe Felicis Papæ Romani nomen ex ſacro albo exemerit. Id quod non immeritò ab Acacio factum videri poſſet, ſi concedamus ex diptychis delendos eſſe, non ſolos hæreticos, ſed etiam temerarios pacis publicæ turbatores, & Paſtorum catholicorum injuſtos infamatores & perſequutores, conſervorumque iniquos percuſſores, qui ſuis iniquis præjudiciis ita abripiuntur, & typho ſeculi uſque adeò addicti ſunt, ut potius quàm ventoſæ ſuæ apud homines gloriæ, & ſuperbæ throni ſui arrogantiæ quicquam decedere, aut aliis majorem quàm vellent poteſtatem concedi patiantur, malint Eccleſiarum unitatem piè ac prudenter conſtitutam rumpere, atque omnia tumultuosè miſcere. Scripſerat antea ea de re ad Felicem Zeno Imperator, his verbis, (ut refert Euagrius, lib. 3. cap. 20.) Debes pro certo cognoſcere, & noſtram pietatem, & Petrum ſanctiſſimum, de quo ante dictum eſt [*Petrum Moggum intelligit*] & omnes ſanctiſſimas Eccleſias ſanctiſſimum Concilium Chalcedonenſe amplecti & venerari.

10. Certè Acacium ipſum fuiſſe orthodoxæ fidei tenaciſſimum, & Concilii Chalcedonenſis [*Vide cap. 12. hujus libri §. ultim. & cap. 28. §. 22. & §. 23.*] propugnatorem ſtrenuum & conſtantiſſimum, ex eis quæ ſuperius commemorata ſunt, liquidò conſtat. quod autem henotico Zenonis uſus ſit ad tollendam miſerabilem Eccleſiarum dilacerationem, ut orthodoxæ confeſſioni ſimul omnes aſſuefacti, eo faciliùs ad deponendas offenſiones, quas de Concilio Chalcedonenſi perperam conceperant, adducerentur, atque ita funeſtas inimicitias ex animis prorſus ejicerent; quis æquus rerum æſtimator non agnoſcat prudentis atque fidelis Paſtoris egregium fuiſſe & ſingulari laude dignum conſilium & opus. Non enim cuiquam hæretico indulſit ut hæreſin profiteretur, ſed fidem profitentes orthodoxam communioni promtè, ut pium prudentemque paſtorem decet, reſtituit, præſertim cum videret disjectum Eccleſiarum ſtatum id efflagitare. Ideo Petrum Moggum, & alios, hæreſin profitentes damnavit, & eoſdem fidem orthodoxam confitentes libenter recepit. Unde perſpicitur vanitas illius opprobrii, quo eum injuſtè aſperſit Felix epiſt. 4. quod etiam repetens Felicis ſucceſſor Gelaſius primus Papa Romanus, epiſt. 1. ait; Sed Acacius, inquis, nihil contra fidem, ſicut Eutyches & ſucceſſor ejus, legitur ubicunque dixiſſe: quaſi non ſit deterius, & non ignoraſſe veritatem, & tamen communicaſſe veritatis inimicis. Hæc Gelaſius. At non communicavit Acacius veritatis inimicis apertis, ſed veritatem palàm profitentibus, quos tamen eoſdem inimicitiam contra veritatem profitentes à communione ſua rejecit.

11. Quocirca inutilis eſt & apud cordatos nullo loco haberi debet illa Gelaſii Papæ apologia; Sed neq. (inquit) vos quiſquam circumvenire pertentet, quod dicat non de religione, ſed de moribus eſſe certamen, vel Apoſtolicam ſedem non cauſſam communionis Catholicæ fideique tractare, ſed injuriam dolere cur videatur ab Acacio fuiſſe contemta. quoniam hæc & hujuſmodi quatenus ſimplices quoque decipiant, hi qui in errore ſunt poſiti, ſpargere non quieſcunt. Gelaſ. epiſt. 11. ad Epiſcopos Dardaniæ & Illyrici. Ubi etiam paullò poſt ait, Sedes autem Apoſtolica non contumeliam dolet, ſed fidem defendit. At certè contrarium deprehenſum eſt, nempe, ſub prætextu defendendæ fidei, quam tamen Acacius non minus conſtanter, imò per plura pericula, & multo magis graviter ac decenter defendebat, dolori humano, de accepta, ut ipſis videbatur, contumeliâ, Romanos Pontifices nimium indulſiſſe. quem dolorem idem Gelaſius, epiſt. 13. ad Epiſcopos etiam Dardaniæ, & tomo ſive opuſculo de anathematis vinculo, non diſſimulat, ſed proliſè aperit. quod probè cognoſcentes Acacii ſucceſſores & omnes Epiſcopi Orientales, nomen Acacii per totos triginta annos poſt Acacii obitum in ſacris diptychis retinuerunt.

## CAPUT DUODECIMUM.

*De Martyrio Epiſcopo Antiocheno, & de Petro Gnapheo, ſeu Fullone, etiam Epiſcopo Antiocheno, ejuſque ſectatoribus Fullonianis, ſeu Theopaſchitis, hæreticis.*

CUm Martyrius Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus eſſet, regnante Leone Thrace Imperatore, Zenon prætor gener Imperatoris, (qui etiam poſtea ipſe Imperium adeptus eſt) habens uxorem Ariadnam filiam Leonis Imperatoris, in Orientem miſſus eſt, & venit Antiochiam. In qua profectione eum ſequutus eſt Petrus cognomento γναφεὺς ſeu κναφεὺς, *id eſt*, Fullo, Presbyter Chalcedonenſis. qui cum veniſſet Antiochiam, captus ambitione ſedis illius civitatis, perſuaſit Zenoni ut ipſum juvaret. Et cum Martyrius tunc Antiochenus Epiſcopus in urbe Imperiali, nempe Conſtantinopoli, neceſſitate id flagitante, diutius moraretur, Petrus iſte Gnapheus tumultus non exiguos Antiochiæ excitavit, nova quædam dogmata contra rectam fidem diſſeminans, & res pleraſq; apud plebem per confuſionem miſcens, & mercede conductis quibuſdam Apollinariſtis hæreticis, multa adverſus Martyrium Epiſcopum molitus eſt, & adjecto, ad hymnum terſanctum, hoc additamento; ὁ σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς, *qui crucifixus eſt pro nobis*, anathema dicebat omnibus dicere recuſantibus Deum eſſe crucifixum, ὡς Θεὸς ἐσταυρώθη. atque ita populum per diſſidia in varias partes diſtraxit. ut referunt Theodorus Lector, lib. 1. collectaneorum, & Nicephorus Calliſti, lib. 15. cap. 28.

2. Martyrius cum ad Imperatorem veniſſet, multo cum honore dimiſſus eſt ſtudio & adhortatione Gennadii tunc Patriarchæ Conſtantinopolitani. Reverſus autem Antiochiam, cum Antiochenos tumultuationibus & ſeditionibus delectari, & Zenonem ad hoc illis eſſe ſubſidio cerneret, Epiſcopatui renunciavit, dicens in Eccleſia, Κλήρῳ ἀνυποτάκτῳ, καὶ λαῷ ἀπειθεῖ, καὶ ἐκκλησίᾳ ῥυπαρᾷ ἀποτάσσομαι, φυλάττων ἐμαυτῷ τὸ τῆς ἱερωσύνης ἀξίωμα. *id eſt:* Clero immorigero, & populo inobedienti, & Eccleſiæ contaminatæ renuncio, ſervans mihi ipſi ſacerdotii dignitatem. Poſt ſeceſſum Martyrii, Petrus Gnapheus tyrãnicè ſedem occupavit; & Chalcedonenſem Synodum proſcidit, atque omnes acceſſionem illam ter ſancto hymno adjectam uſurpare coëgit. quibus cognitis, Gennadius cuncta ſignificat Imperatori Leoni, qui Gnapheum in exilium ablegari jubet. Ille autem cum id præſciſſet fugâ elapſus, exſilii pœnam evaſit. Hæc narrantur à Theodoro Lectore, lib. 1. Collectaneorum, & Niceph. lib. 15. cap. 28. Epiſcopatu autem Antiocheno communibus ſuffragiis potitum eſſe Julianum, ſcribit ibidem Theodorus Lector. qui etiam eodem libro commemorat Petrum Gnapheum delituiſſe abſconditum in monaſterio Monachorum Acœmetorum τῶν ἀκοιμήτων, *id eſt:* inſomnium, ſive à ſomno abſtinentium.

*Martyrii renunciatio.*

3. Baſiliſcus tyrannus (eodem referente Theodoro ibidem) Petrum Gnapheum reſtituit in ſedem Antiochenam. De qua rurſum à Zenone Imperatore dejectus eſt Gnapheus, & Epiſcopatum obtinuit Stephanus, quem Fulloniani acutis calamis confoderunt. ut monet Euagrius, lib. 3. cap. 10. Succeſſit alius Stephanus, quem excepit Calandion, cui amicitia cum Illo & Johanne Talaja fraudi fuit, nam ad exſilium damnatus eſt Calandion tanquam fautor atque adjutor perduellionis adverſus Imperatorem, ut ſupra docuimus, cap. 5. & cap. 9. hujus libri. Et ſedem Antiochenam recuperat Gnapheus, ſuſcipiens Zenonis henoticon, fraude in eo negotio uſus, ut monet Niceph. lib. 16. cap. 13.

4. Acceſſionem illam ad hymnum terſanctum, ſectatores ejus Fulloniani retinuerunt, & dicti ſunt *Theopaſchitæ*, Θεοπασχῖται, teſtibus Fauſto Epiſcopo Apolloniadis, & Pamphilo Epiſcopo Amydi, in ſuis epiſtolis ea de re ſcriptis, ad ipſum Petrum Gnapheum, quæ extant in appendice, poſt acta Synodi Mennæ Patriarchæ, tom. 4. Concil. edit. Pariſ. & Nicephoro, lib. 15. cap. 28. Quamvis autem ſenſu recto & orthodoxo dicamus, & fateri oporteat, cum Apoſtolo, Dominum gloriæ crucifixum eſſe, & proprio ſuo ſanguine Deum acquiſiviſſe Eccleſiam ſuam; meritóque damnatus ſit anthropolatra Neſtorius, nudo homini paſſiones Chriſti ſalutiferas tribuens: Non minus tamen fugienda eſt impietas Petri Gnaphei, qui ſub prætextu tuendæ veritatis adverſus hæreſin Neſtorii, aliam retinet ac promovet æquè pernicioſam hæreſin Eutychetis, adjiciens hymno triſagio hæc verba, *qui crucifixus es pro nobis*, non ut doceat unitatem perſonæ Chriſti, habentis in ſe duas verè diſtinctas, licet inſeparabiliter unitas, naturas, ſalvâ cujuſque naturæ proprietate, μηδὲ τῶν φυσικῶν ἰδιοτήτων μεταλλαξάντων, (ut loquitur Leontius, actione prima, de ſectis) adeo ut idem Chriſtus ἀπαθὴς, manens ſecundùm Deitatem impaſſibilis, paſſus ſit ſecundùm humanitatem; ſed ſenſu planè à veritate alieno, confuſionem Eutychianam ſuis ſectatoribus commendans. Deumque paſſum eſſe ſecundùm ipſam Deitatem inſinuans, nempe ſecundùm illam unam naturam, quam ſolam in Chriſto poſt incarnationem agnoſcebant hæretici Eutychiani, non diſtinguentes in illo naturam divinam impaſſibilem, à natura humana paſſibili. Unde etiam alii errores nefandi pullulant, nempe aut Filium eſſe à Patre [illegible], quoad Deitatem, aut ipſam Patris & Filii & Spiritûs Sancti eſſentiam divinam ſeu Deitatem eſſe paſſibilem. Alterutrum iſtorum quiſquis dixerit, is impio atque anathematizando errore tenetur. Verè igitur Felix III. Papa Romanus, ad eundem Petrum Fullonem ſcribens, de hoc additamento ad hymnum terſanctum, epiſt. 3. ait eum, quaſi pietatis obtentu, diram impietatem excogitaſſe.

*1. Cor. 2. 8. Act. 20. 28.*

5. Et Acacius in ſua ad eundem Petrum Gnapheum epiſtolâ, quæ extat in appendice eorum, quæ geſta ſunt in ſynodo Conſtantinopolitana ſub Menna Patriarcha, tom. 4. Concil. editionis Pariſ. an. Dom. 1636. pag. 154. In illa, inquam, ſua epiſtola Acacius Patriarcha Conſtantinopolitanus, redarguens Petri Gnaphei hæreticam impietatem atque inſaniam, ſe prodentem in iſto ſpurio additamento ad hymnum terſanctũ, ὁ σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς, ſic adverſus eum argumentatur: Εἰ μὲν ὁ Λόγος παθητός, ὁμοίως καὶ ὁ πατήρ. εἰ δὲ ἦν ὁ πατὴρ καὶ ὁ λόγος παθητός, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον παθητόν, ἐπειδὴ μία οὐσία, καὶ μία ἡ τούτων θεότης. Εἰ δὲ εἴποις, φεύγων τὸ τῶν Σαβελλιανῶν ἔγκλημα, παθητὸν μὲν τὸν Λόγον, ἀπαθῆ δὲ τὸν πατέρα, καὶ τὸ πνεῦμα, ἔλυσας τὸ ὁμοούσιον, ἐπεισῆξας δὲ καὶ τὴν πολυθεΐαν. *id eſt:* Si igitur Verbum eſt paſſibile, ſimiliter & Pater. Si verò & Pater & Logos paſſibilis, etiam Spiritus Sanctus paſſibilis, ſeu paſſioni obnoxius, quoniam una ſubſtantia & una eſt horum Deitas. Sin autem, fugiens crimen Sabellianorum dicentium Filiopatrem, dicas paſſibile quidem eſſe Verbum, at impaſſibilem eſſe Patrem, itemque Spiritum, diſſolviſti conſubſtantiale, & introduxiſti multitudinem deorum. Atque ita argumento perſpicuo & utrinque pungente Acacius Petrum conſtringit. Deinde eum hortatur ut relicto errore redeat in viam regiam, qua incedentes ſancti Patres Chalcedonenſes cœlo potiti ſunt, τῇ βασιλικῇ ὁδῷ [illegible] οἱ ἐν Χαλκηδόνι ἅγιοι πατέρες βαδίζοντες, οὐρανοβατοῦσι. Adjicit etiam acres interminationes tum ultionis divinæ, tum etiam cenſuræ Eccleſiaſticæ, niſi maturè reſipiſcat. Vide plura de hymno triſagio, & de Gnaphei additamento, ſupra lib. 1. hujus operis, cap. 16.



## CAPUT DECIMUM-TERTIUM.

*De Anaſtaſio, hujus nominis ſecundo, Epiſcopo Romano.*

QUas inimicitias adverſus Acacium Conſtantinopolitanum Antiſtitem exercuerint Felix III. & Gelaſius I. Pontifices Romani, oſtenſum eſt cap. 11. hujus libri. Uſque adeo autem exoſam apud Occidentales, memoriam Acacii reddidit ille Pontificum Felicis & Gelaſii obſtinatus ardor, ut Anaſtaſius ſucceſſor Gelaſii, mitius magiſque pacificè ſe gerens, aculeatos ſcribentium calamos non evaſerit. Ipſa autem verba ſubjiciemus, quibus ſcriptores Romanæ ſedi addicti, hanc rem memoriæ prodiderunt.

2. Anaſtaſius bibliothecarius, in libro Pontificali, in vita Anaſtaſii II. Papæ, Eodem (inquit) tempore multi clerici & Presbyteri ſe à communione ejus erexerunt, eo quod communicaſſet, ſine conſilio Epiſcoporum vel Presbyterorum vel cleri cunctæ Eccleſiæ Catholicæ, Diacono Theſſalonicenſi nomine Photino, qui communis erat Acacio, & quia occultè voluit revocare Acacium, & non potuit. qui nutu divino percuſſus eſt. Hæc de Anaſtaſio II. Papa Romano, liber Pontificalis.

3. Marianus Scotus, in ſuo Chronico, ad annum Dom. 499. Anaſtaſius Papa voluit occultè revocare Acacium Conſtantinopolitanum Epiſcopum damnatum: quare divino nutu percuſſus eſt, & obiit quinto Calend. menſis Julii. Hæc Marianus.

4. Sigebertus Gemblacenſis, in ſua Chronographia, ad annum Dom. 491. Anaſtaſius Romanæ Eccleſiæ 48. præſidet. Huic Achatium damnatum revocare volenti, multi Romanorum non communicabant. Hæc Sigebertus.

5. Platina in vita Anaſtaſii ſecundi; Ab Acacio (inquit) ſeductus, dum eum revocare clanculum tentat, clerum à ſe graviter alienavit, qui ſe à communione Pontificis tum maximè ſubtraxit, quod etiam ſine Catholicorum conſenſu Photino Theſſalonicenſi Diacono communicaſſet, qui tum Acacii errorem imitabatur. Hanc ob rem ferunt divino nutu hominem ſubito morbo correptum interiiſſe. Sunt qui dicant eum in Latrinam effudiſſe inteſtina, dum neceſſitati naturę obtemperat. Hæc Platina.

6. Sabellicus Enneadis octavæ lib. 2. de eodem ſcribens Pontifice Anaſtaſio ſecundo: Contraxit inde Pontifex offenſam indelebilem ab Acacio ſeductus, quem reſtituere adortus, univerſum à ſe clerum, qui hominem infensè oderat, alienavit: ipſe ſubito morbo correptus in latrina, quum ventrem curaret, inteſtinis repentè effuſis, extinctus eſt, altero ſui Pontificatûs anno nondum circumacto. Hæc Sabellicus.

7. Gratianus de eodem Papa Anaſtaſio ſcribit, eum ab Eccleſia repudiari, & à Deo eſſe percuſſum, & recitat verba libri Pontificalis in hunc modum: Anaſtaſius ſecundus, natione Romanus, fuit temporibus Theodorici Regis. Eodem tempore multi clerici ſe à communione ipſius abegerunt, eo quod communicaſſet, ſine conſilio Epiſcoporum vel Presbyterorum & clericorum cunctæ Eccleſiæ Catholicæ, Diacono Theſſalonicenſi, nomine Photino, qui communicaverat Acacio: & quia voluit occultè revocare Acacium, & non potuit; nutu divino percuſſus eſt. 19. diſt. Can. Anaſtaſius. Ubi in gloſſa hæc annotantur: 1. Anaſtaſium incidiſſe in hæreſin jam damnatam, ideoque ab ejus communione clericos meritò receſſiſſe, non exſpectatâ nova aliqua ſententiæ pronunciatione. 2. Ubi de fide agitur, ſynodum majorem eſſe Papa. Obſerva etiam Anaſtaſium hunc, temporibus Gratiani & auctoris illius gloſſæ, adhuc fuiſſe ab Eccleſia Romana repudiatum, & pro hæretico habitum.

8. Guilielmus Occam, lib. 5. de hæreticis, qu. 5. in Epitome Magiſtri Henrici de Zoemereo, ſacræ Theologiæ Profeſſoris & Decani Antuerpienſis, concinnata hortatu Beſſarionis Epiſcopi Tuſculani & Cardinalis; Ab Anaſtaſii ſecundi communione multi clerici ſe abegerunt, quia hæreticis per Eccleſiam condemnatis, ſcilicet Photino & Acacio, ſcienter communicavit in maleficio, ſcilicet in hæreſi: quod inde conſtat, quia Acacium, quem ſcivit propter hæreſin jam damnatam ab Eccleſia condemnatum, voluit revocare, ut patet ex Can. Anaſtaſius diſt. 19. in textu junctâ ſimul gloſſâ. Hæc Occam.

9. Fruſtra autem ſudant quidam ex Papiſtis infallibiliariis, negantes id ab Anaſtaſio factum eſſe. Nos enim illud Anaſtaſii factum benignè interpretamur, neque eum propterea hæreſeos reum judicamus. Attamen ex teſtimoniis modò recitatis evidenter evincimus, multis ſeculis in Romana Eccleſia viguiſſe hanc doctrinam, & pro orthodoxa habitam, ſicut revera eſt, Papam Romanum eſſe poſſe hæreticum, & à Papæ in hæreſin damnatam lapſi communione recedendum eſſe. Ideo Patres Concilii Baſileenſis Anaſtaſium accenſent iis Romanis Pontificibus, quibus Eccleſia obedientiam juſtis ex cauſſis ſubtraxit. In epiſtolis ſynodalibus Concilii Baſileenſis, in Reſponſione ſynodali de auctoritate cujuſlibet Concilii generalis ſupra Papam & quoſlibet fideles. tom. 8. Concil. edit. Pariſ. pag. 129. col. 1. D. & eundem Anaſtaſium Pontificibus illis Romanis qui in fide errarunt, connumerat Alphonſus de Caſtro lib. 1. adverſus hæreſes, cap. 4. Nam, ut ibi ait idem Alphonſus, omnis homo errare poteſt in fide, etiamſi Papa ſit.

*Papa Romanus eſſe poteſt hæreticus & à Papa in hæreſin damnatam lapſi communione recedendum eſt.*

CAPUT

## CAPUT DECIMUM-QUARTUM.

### *De Acephalis hæreticis.*

CUm Petrus Moggus, ſuſcepto Zenonis henotico, ſede potitus eſſet Alexandrinâ, ſcripſit quidem ad Acacium & Simplicium ſe eſſe communicatorem Synodi Chalcedonenſis, at ut retineret Alexandrinos Synodi Chalcedonenſis adverſarios, dicebat illis, ſe non communicare ſynodo, hac ejus fraude animadverſa quidam ſynodi Chalcedonenſis oſores, qui prius cum Petro Moggo communicabant, à communione ejus ſeceſſerunt. Et extra collectas facientes, (ut loquitur Liberatus) id eſt, cœtus Eccleſiaſticos ſeparatim à Petro Moggo celebrantes, non paſſi ſunt nomini ejus communicare, ne tunc quidem quando palàm poſtea in Chalcedonenſem ſynodum anathema conjecit. Neque induci potuerunt ut cum illis Alexandriæ Epiſcopis, Petri Moggi ſucceſſoribus, communicarent, qui nomen Petri Moggi haberent in diptychis. Hæc commemorantur, à Liberato, in breviario, cap. 18. & Nicephoro Calliſti, lib. 16. capitib. 13. & 17. & 20.

2. De his ſcribens Leontius ſcholaſticus Byzantinus, libro de ſectis actione quinta, ait: δεξάμενος οὖν τὸ ἑνωτικὸν ὁ Πέτρος δέχεται καὶ τὸν θρόνον Ἀλεξανδρείας, καὶ οὐκ ἔτι ἐν τῷ κρυφῷ, ἀλλὰ φανερῶς ἐπίσκοπος. ἄλλοι δὲ τινὲς ὑπερβαλλόντως μισοῦντες τὴν ἐν Χαλκηδόνι σύνοδον, ἀπεσχίζοντο πρὸς τὸν Πέτρον, καὶ οὐκ ἐκοινώνουν αὐτῷ, διὰ τὸ δέξασθαι τὸ ἑνωτικὸν, ὡς φανερῶς ἀναθεματίζοντα τὴν σύνοδον. καὶ ἐκλήθησαν οἱ τοιοῦτοι ἀκέφαλοι, διὰ τὸ τὸν πατριάρχην αὐτῶν μὴ ἀκολουθῆσαι, ἀλλ' ἑαυτοῖς ἐκκλησιάζειν. ὅτε οὖν ὁ Πέτρος ἑώρα τὸν λαὸν ἐπὶ πολὺ σχιζόμενον, ἀναγκάζεται φανερῶς ἀναθεματίσαι τὴν σύνοδον, καὶ ἐδέχετο μὲν τὸ ἑνωτικὸν, ἀνεθεμάτιζε δὲ τὴν σύνοδον φανερῶς. ἀλλ' οὐδὲ οὕτως ἐκοινώνουν αὐτῷ οἱ Ἀκέφαλοι, ἐπειδὴ ὅλως ἐδέξατο ἐξ ἀρχῆς τὸ ἑνωτικὸν, μὴ ἀναθεματίζοντος τὴν σύνοδον. Τοῦ δὲ Πέτρου διαδέχεται Ἀθανάσιος. καὶ οὗτος δεξάμενος τὸ ἑνωτικὸν, ἀνεθεμάτιζε τὴν σύνοδον. ἀλλ' οὐδὲ τούτῳ ἐκοινώνησαν οἱ Ἀκέφαλοι, διὰ τὸ Πέτρον δέξασθαι. *id eſt:* Suſcepto igitur unitivo, Petrus [Moggus,] ſolium adipiſcitur Alexandrinum, nec jam amplius occultè, ſed palàm erat Epiſcopus. quidam autem nimio contra Synodum Chalcedonenſem odio impulſi, ſeceſſionem à Petro faciunt, nec cum illo communicabant, ob eam cauſſam, quod unionis ſcripto probato, ſynodum anathemate manifeſto non fuiſſet execratus. Atque vocabantur Acephali (ἀκέφαλοι, capite carentes) quod Patriarcham ſuum minimè ſequuti, ſeorſum communicarent. Hinc Petrus, quum populum multipliciter ſcindi videret, tandem palàm ſynodum anathematizare cogitur. Et ſuſcipiebat quidem unitivum, at ſynodum palàm anathematizabat. Verùm ne ſic quidem Acephali cum illo communicabant, quia ab initio approbaſſet unitivum, non anathematiſata ſynodo. Petro ſucceſſit Athanaſius. Et hic ſuſcepto henotico, anathematizabat ſynodum. Attamen neque cum eo communicarunt Acephali, propterea quod Petrum reciperet. Hæc Leontius.

3. Huic populo (inquit Liberatus de eiſdem ſcribens) à Palæſtina quidam diaconus, nomine Eſaias, ordinatus eſt Epiſcopus, & Alexandriam miſſus eſt, ſed ab omnibus non eſt receptus. Ab illo ergo Eſaiani ſunt in Ægypto. Hæc Liberatus, in breviario, cap. 18. *Eſaiani.*

4. Ideo Acephali, id eſt, ſine capite, nominantur, quia, quis prius eam hæreſin introduxerit, non invenitur. Cujus hereſis peſte plurimi Orientalium languent. inquit Ado Viennenſis, in Chronico, ætate ſexta, ad annum Dom. 458. Non enim ſolis illis Petri Moggi deſertoribus datum eſt hoc nomen, ſed latiore etiam ſenſu ad omnes Monophyſitas, extendebatur, comprehenſis etiam illis qui à ſynodi Chalcedonenſis communione hæſitabundi abſtinebant, & peculiari vocabulo οἱ διακρινόμενοι ſeu hæſitantes vocabantur, ut patet ex Leontii lib. de ſectis. Act. 5. ubi inter ſe opponuntur οἱ διακρινόμενοι hæſitantes, & οἱ συνοδῖται Synoditæ, id eſt, ſynodo Chalcedonenſi addicti. Ad omnes autem Synodi Chalcedonenſis adverſarios, eamque recipere recuſantes porrectum eſſe hoc vocabulum, ut ἀκέφαλοι dicerentur, perſpicitur ex quinta actione Concilii Conſtantinopolitani contra Acephalos hæreticos celebrati, præſidente Menna Patriarcha Conſtantinopolitano. in qua actione, hæreticis Acephalis connumerantur Timotheus Ælurus & Petrus Moggus Epiſcopi Alexandrini, & Anthimus Conſtantinopolitanus, & Petrus Fullo & Severus Epiſcopi Antiocheni; & Zoaras monachus Orientalis: item Xenaias Epiſcopus Hieropolitanus, & Cyrus Edeſſæ Epiſcopus, & Petrus Epiſcopus Apamenſis. Contra Anthimum, Severum, Petrum Apameenſem, & Zoaram, expreſſis eorum nominibus, lata eſt ſententia Synodica in illo Concilio: reliqui autem, quos recenſui, nominantur & damnati declarantur in epiſtola Hormiſdæ Papæ Romani, ſcripta ad Presbyteros & Diaconos & Archimandritas in ſecunda Syria exiſtentes. Quæ epiſtola extat inſerta actis ejuſdem Concilii Conſtantinopolitani ſub Menna celebrati, actione 5. ubi etiam Acacium, licet immerentem, cum ejus ſequacibus, ponit in eodem hæreticorum catalogo: verùm unde nata ſit illa apud Romanos dura opinio de Acacio, ſupra docuimus, cap. 11. hujus libri.

*Acephali.* *Hæſitantes.* *Synoditæ.* *De Concilio Menna vide infra cap. 15. §. 4.*

5. In libello Monachorum, qui Mennæ Patriarchæ & Synodo oblatus eſt, & extat in quinta actione ejuſdem Synodi, hæretici ἀκέφαλοι Acephali deſcendiſſe dicuntur ab Eutychete & Dioſcoro, & quæ Eutychetis ſunt ſapere. Hormiſda autem, in epiſtola memorata, tum Neſtorium tum Eutychetem nominat, quorum ſequaces ſint hæretici Acephali, quamvis Neſtorius & Eutyches oppoſitis inter ſe erroribus veritatem oppugnarint, ſub quadam æqualitate ſacrilegii concordantes, inæquales ſententiis, & unanimes impietate. ut ibi loquitur Hormiſda. Teſtantur etiam Epiſcopi Orientales, in ſuo libello, quem Agapeto obtulerunt contra Anthimum & Severum aliosque Acephalos, Severum iſtum tum Eutychetis ac Manichæi, tum etiam Neſtorii errores laudare, ut legere eſt in Synodo Mennæ, actione primâ. Convenit narratio quam ſcripſit Nicephorus Calliſti, lib. 18. cap. 45. hæreticis Monophyſitis & Acephalis hanc tribuens inſaniſſimam doctrinam, quod in Chriſto una quidem ſit natura, duæ autem ſubſiſtentiæ. Atque ita utriſque, tum Neſtorianis tum Eutychianis, in veritate repugnantes, & in errore conſentientes, utriuſque ſectæ impietate ſe obſtrinxerunt. At-





que hanc quidem abſurdiſſimam hæreſin, ex Neſtorianiſmo ſimul & Eutychianiſmo conflatam, quis primus introduxerit ignoratur, ut monuit Ado Viennenſis, loco ſuperius citato. Præterea anabaptiſmos, aliaque nefandæ obſcœnitatis plena facinora [ἀῤῥητοποιΐας] peragere deprehenſos eſſe Acephalos hæreticos, ſcribit Nicephorus Calliſti, lib. 17. cap. 9. Et in libello Monachorum, quem Agapeto Papæ Romano direxerunt contra Anthimum & Severum, & Petrum & Zoaram aliosque hæreticos Acephalos, dicuntur ἀποσχίσαντες ἢ ἀκέφαλοι, παρασυνάγοντες, καὶ παραβαπτίζοντες κατακρινόμενοι. extat ille libellus in Concilio Mennæ, actione prima. Et Epiſcopi Orientales in ſuo ſuperius memorato libello contra Acephalos, ajunt Zoaram exercere παρασυνάξεις καὶ παραβαπτίσματα, ejuſque ſynagogam impleri mulierculis, quæ comeſſationibus & ebrietatibus, & laſciviis & luſibus deditæ ſunt. Hinc illa vox orthodoxorum clamantium ſub finem quartæ actionis illius Synodi, τοὺς κατ' οἶκον βαπτίζοντας ἔξω βάλε. Eos qui per domos, ſeu domatim, baptizant, ejice foras. id eſt, (uti deſcribuntur iidem hæretici, in ſententia Mennæ ſynodica) τοὺς λάθρα καὶ τοῖς κανόσιν ἀπηγορευμένα διαπραττομένους. qui clàm & occultè faciunt, ea quæ canonibus interdicta ſunt. Sententia autem illa Mennæ contra Severum, & Petrum & Zoaram, & alios, τὰς παρασυνάξεις καὶ παραβαπτίσματα ποιοῦσι, id eſt, illegitima conventicula, & illegitimas baptiſationes facientes, extat in fine quintæ actionis ſynodi Mennæ Patriarchæ. Johanni Damaſceno (lib. de hæreſibus) hæretici iſti dicuntur Ægyptii, iidemque Schematici & Monophyſitæ.

*Acephalorum illegitima conventicula, & illegitimæ baptiſationes.* *Ægyptii hæretici, qui & Schematici.*

6. Extat contra Acephalos prolixa diſputatio Ruſtici diaconi, qui illorum temporibus floruit, quâ oſtendit Chriſtum neque Deo Patri, neque nobis eſſe comperſonalem, ſed pro duabus in una perſona integris ſeu perfectis naturis, Chriſtum eſſe Deo Patri conſubſtantialem ſecundùm Deitatem, & eundem Chriſtum eſſe nobis conſubſtantialem ſecundùm humanitatem. Et initio illius libri, miſerabilem rerum ſtatum commemorans, nunquam (inquit) ſic perturbata fuerunt quæ ad Chriſtianos pertinent, ſicut noſtris temporibus. Eruditè etiam contra hæſitantes diſſerit, eorumque argumenta diſſolvit Leontius, lib. de ſectis, action. 6. & 7. & 8. & 9. Vixiſſe autem hunc Leontium tempore Juſtiniani ſenioris Imperatoris, ſcribit Cardinalis Baronius, apud Spondanum, anno Dom. 535. §. 3. At ipſe Leontius, lib. de ſectis, actione 5. meminit Eulogii Patriarchæ Alexandrini, quem conſtat fuiſſe Gregorio primo Papæ Romano contemporaneum, quem etiam in ſede Alexandrina collocatum eſſe, regnante Imperatore Tiberio, an. Dom. 581. & rebus humanis exceſſiſſe tempore Phocæ Imperatoris, anno Dom. 608. ſcribit idem Baronius.

*Diſſ. comperſonalis. Conſubſtantialis.*

## CAPUT DECIMUM-QUINTUM.

### *De Agapeto Epiſcopo Romano, & Anthimo & Menna Epiſcopis Conſtantinopolitanis. & de ſynodo Mennæ contra Acephalos.*

ANthimus Trapezunti Epiſcopus, deſertâ ſuâ Eccleſia Trapezuntinâ, Conſtantinopolim ſe contulit, ibique ſpeciem præ ſe ferens temperantiæ, viam affectabat ad ſedem Conſtantinopolitanam, quam etiam, captatâ occaſione obitûs Epiphanii Patriarchæ, occupavit, contra canones talem tranſitionem prohibentes. Fovit autem hæreticos Acephalos, quippe ſimiliter cum eis ſentiens, εἰς ἄκρον τὴν ἐρημίαν αὐτοῖς ἀσπασάμενον γνώμην. ſicuti de illo narrant monachi in libello, quem Agapeto obtulerunt contra Anthimum, & alios Acephalos, qui libellus extat in actis ſynodi Conſtantinopolitanæ ſub Menna celebratæ, actione prima.

2. Interea Theodatus, ſive Theodahadus, Gothorum in Italia rex, bellum metuens à Juſtiniano Imperatore, propter Amalaſunthæ necem, minatus eſt civitati Romanæ extrema quæque, niſi Agapetus Epiſcopus Romanus, ſuſceptâ ad Juſtinianum legatione, eum à bello inferendo averteret. Proficiſcitur igitur Conſtantinopolin Agapetus, & benignè ab Imperatore ſuſcipitur. Jubetur interea cum Anthimo Epiſcopo Conſtantinopolitano communicare, & quamvis minas adderet Imperator, non tamen conſenſit Agapetus, niſi Anthimus libello ſe probaret orthodoxum, & ad cathedram ſuam Trapezuntinam reverteretur. Impoſſibile enim eſſe ajebat, tranſlatitium hominem in illa ſede Conſtantinopolitana permanere: paratum etiam ſe eſſe aſſerebat, convincere Anthimum hæreſeos coram Imperatore: Et Imperatori exſilium comminanti dixit, ſe optaviſſe venire ad Juſtinianum Chriſtianiſſimum Principem, invenire autem Diocletianum; nec tamen minas ejus pertimeſcere. Hac viri conſtantiâ & libertate permotus Juſtinianus rem diligentius exploravit, & Anthimum [ſive Anthemium,] hæreſeos Eutychianæ compertum expulit, ſuffecto in ejus locum Menna, Xenodochii majoris, quod Samſon vocabatur, præpoſito, genere Alexandrino, viro Catholico, quem Agapetus ſuis manibus conſecravit. Hæc habentur in libro Pontificali, in vita Agapeti, & in Liberati breviario, cap. 21. & in vita Agapeti à Platina ſcriptâ. Et non multò pòſt ipſe Agapetus Conſtantinopoli communem omnis carnis viam ingreſſus eſt; cujus corpus in loculo plumbeo tranſlatum eſt Romam, & in baſilica Petri ſepultum. ut referunt in ejus vita auctor libri Pontificalis, & Platina.

3. Depoſitionis Anthimi, & electionis atque conſecrationis Mennæ ab Agapeto factæ, meminit etiam ipſe Agapetus in ſua epiſtola ſynodica, quam ea de re ſcripſit ad Petrum Epiſcopum Hieroſolymitanum, quæ extat inſerta primæ actioni ſynodi ſub Menna poſtea celebratæ. Cum itaque (inquit) pervenimus ad comitatum ſereniſſimi Imperatoris filii noſtri, invenimus ſedem Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, contra omnem canonum honeſtatem, ab Anthimo Eccleſiæ Trapezundarum Epiſcopo inconvenienter uſurpatam. Cujus animam non ſolùm ſecundùm iſtam partem, ſed quod majus eſt, in confeſſione veræ fidei à perditione reducere deſideravimus: ſed Eutychis errori inſiſtens, ad viam veritatis redire contemſit. Unde cum ipſius in fide pœnitentiam iſto modo exſpectemus, neque Catholico, neque ſacro nomine interim [ἐν τῷ μεταξὺ] dignum eſſe ſancimus, [ψηφίζομεν,] donec omnia à Patribus tradita, per quæ veræ religionis fides & diſciplina cuſtoditur, ſecundùm congruentem ſatisfactionem ſuſcipiat.

*Vide lib. de cura & reſidentia paſtorali. Ubi de tranſitione vel tranſlatione Epiſcoporum aut presbyterorum.*

——— Hoc autem pro excitando veſtræ conſpiritualitatis [illegible] lætitiam ſignifico, quod Mennam fratrem & coepiſcopum noſtrum, virum multis laudum modis ornatum, prædicta Conſtantinopolitana Eccleſia Epiſcopum ſuſcepit. Cui licet præter cæteros ſereniſſimorum Imperatorum electio arriſerit, ſimiliter tamen & totius cleri ac populi conſenſus acceſſit, ut & à ſingulis eligi crederetur. Etenim alicui neque ſcientiâ neque vitâ fuit ignotus, ſed & fidei integritate, & ſacrarum ſcripturarum ſtudio, atque etiam piæ adminiſtrationis officio ſic prædicti viri reſplenduit opinio, ut ipſi tardius evenire videretur, quo dignus erat. Et hoc dignitati ipſius addere credimus, quod à temporibus Petri Apoſtoli, nullum alium unquam Orientalis Eccleſia ſuſcepit Epiſcopum, manibus noſtræ Sedis ordinatum. Hæc Agapetus.

*Menna electus.*

*Lau.*

4. Mortuo Agapeto, habita eſt Conſtantinopoli ſynodus, præſidente Menna Patriarcha, anno Dom. 536. juſſu Juſtiniani Imperatoris, contra Anthimum, & Severum Antiochenum, & Petrum Apameenſem, Epiſcopos, & Zoaram monachum Syrum, alioſq; hæreticos Acephalos. Et lata eſt ſententia contra Anthimum, actione quarta, & poſtea contra Severum & Petrum & Zoaram, eorumque complices anathema pronunciatum eſt, in fine quintæ actionis illius Synodi.

## CAPUT DECIMUM-SEXTUM.

### *De Xenaja, Epiſcopo Hieropolitano, & de Flaviano ac Severo, Epiſcopis Antiochenis.*

FLaviano Antiochenæ Eccleſiæ clavum regente, & Macedonio præſidente Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, regnante Anaſtaſio Imperatore, cùm jam fautores Dioſcori & Eutychetis ad exiguum numerum redocerentur, & parum abeſſet quin fuiſſent funditus ſublati, *Xenajas* quidam, cognomento Philoxenus, monachus Syrus, & urbis Hierapolis (Antiochiæ finitimæ) Epiſcopus, magnas turbas excitavit, & effecit ut Flavianus Antiochiæ Epiſcopus, Anaſtaſii Imperatoris juſſu, ſolum vertere cogeretur; eò quod Concilio Chalcedonenſi anathema dicere recuſaret. uti narrant Euagr. lib. 3. cap. 31. & 32. & Nicephorus Calliſti, lib. 16. cap. 27. ubi etiam ſcribit Nicephorus, Xenajam iſtum nondum baptiſmo initiatum, creatum eſſe Hierapolis Epiſcopum à Petro Gnapheo, Antiochiæ Epiſcopo: & Petrum, ubi tandem ſe Epiſcopatum viro nondum baptiſato mandâſſe intellexit, dixiſſe, ut ferebatur, ſufficere ei pro baptiſmo conſecrationem.

*Xenajas non baptizatus fit Epiſcopus.*

2. Exacto igitur in hunc modum Flaviano, *Severus* ad Epiſcopatum Antiochiæ promovetur, homo hæreticus [illegible], Dioſcori & Eutychetis imitator, cui patria fuit Sozopolis, urbs Piſidiæ. Hic ſubjectos ſibi Epiſcopos ad hæreſin ſuam pertrahere vehementer ſatagebat, multos reſiſtentes Eccleſiis expulit. Multi omninò conſentire noluerunt, & aliqui fugâ ſibi conſuluerunt. Iſauri etiam reſipiſcentes ob priorem errorem ſe ipſi condemnârunt, & Severo ejuſque ſectatoribus anathema denunciârunt. ut refert Euagrius, lib. 3. cap. 33. & Nicephorus, lib. 16. capitibus 29. & 30.

*Nota diverſitatem errorum in perſecutione.*

3. Quin & *Coſmas*, Epiſcopus Epiphaniæ, Orontem fluvium tangentis, Euagrii patriæ, & *Severianus* Epiſcopus Arethuſæ, urbis finitimæ, acceptis Severi de mutua communicatione literis graviter offenſi, primùm ſe ab ejus communione ſegregârunt, deinde libellum abdicationis [illegible] ad eum, jam tum Epiſcopatum Antiochiæ adminiſtrantem, mittunt. Severus tamen in ſede ſua manſit uſque ad mortem Imperatoris Anaſtaſii. Auctor eſt Euagrius, lib. 3. cap. 34. ex quo eandem narrationem repetit Nicephorus Calliſti, lib. 16. cap. 31.

4. In more poſitum erat, ut Epiſcopi, præſertim verò magnarum ſedium, cùm in ſede Epiſcopali collocati eſſent, ſcriberent de onere ſibi impoſito, & de ea fide quam confiterentur, literas ad alios Epiſcopos, quas appellabant literas [illegible], *ſynodicas*, item [illegible], *Inthroniſticas*, quâ indigitatione denotantur, apud Euagrium lib. 4. cap. 4. & Niceph. lib. 17. cap. 2. Eæ literæ, ſi orthodoxam confeſſionem continerent, recipiebantur ab orthodoxis Epiſcopis ad quos miſſæ erant, & in fraternæ communionis teſtimonium reſcribebant Epiſcopi [illegible], id eſt, *reciproca ſynodica*, ſive literas [illegible], id eſt, reſponſorias, per quas veluti dextras dabant ſocietatis. Sin autem doctrinam exhiberent à veritate alienam, rejiciebantur ab Epiſcopis Catholicis, & ab eis tantùm recipiebantur qui ejuſdem erant ſententiæ. Miſit ejuſmodi literas Severus Antiochenus ad omnes Patriarchas, recipiebantur autem tantùm Alexandriæ, aliis eas rejicientibus; propterea quòd in eis Severus anathema diceret Synodo Chalcedonenſi, id quod etiam indies factitabat. ut referunt Euagrius & Nicephorus, locis modò indicatis.

*Literæ ſynodicæ ſeu inthroniſticæ, vide lib. 5. hujus operis, cap. 9. §. 5. & §. 10.*

5. Mortuo igitur Anaſtaſio Imperatore, cùm Juſtinus ſenior Imperio potiretur, & Johannes Cappadox Conſtantinopolitanæ præeſſet Eccleſiæ, habita eſt Conſtantinopoli ſynodus, præſidente Johanne Patriarcha Conſtantinopolitano. ut patet ex quinta actione ſynodi poſtea ſub Menna celebratæ; ubi extat clericorum & monachorum Antiochiæ ſupplicatio, ad Johannem Patriarcham, & congregatam Synodum, contra Severum, & pronunciatio anathematis contra eundem Severum facta, tum à Patriarcha Johanne in cœtu populi, in ſancta Eccleſia, tum à ſynodo illa ſub Johanne habitâ, cui ſententiæ per literas conſenſerunt Johannes Epiſcopus Hieroſolymitanus, & qui ſub eo erant Epiſcopi; item Epiphanius Epiſcopus Tyri, cum Epiſcopis qui erant ſub illo, & Epiſcopi ſecundæ Syriæ. quorum omnium literæ inſeruntur quintæ actioni ſynodi Mennæ. ubi etiam extat Epiphanii, Patriarchæ Conſtantinopolitani, (qui Joanni ſucceſſit) ſententia ſynodica contra eundem Severum, quem anathemate percutit Epiphanius cum ſancta ſynodo. Multa Severi crimina recenſentur. 1. Quòd injuſtè vexato atque expulſo Flaviano, Severus ſedem Theopolitanam violenter & contra canones ſubripuiſſet. 2. Quòd eſſet hæreticus. 3. Quòd eſſet blaſphemus & ſycophanta contra ſanctam Chalcedonenſem ſynodum, & quòd per calumnias, quas contra iſtam ſynodum jactabat, omnibus ſanctis ſynodis injuriam inferret, &c. Et contra eundem Severum iteratur anathematis ſententia à Menna Patriarchâ, ejuſque ſynodo; ut ibidem legere eſt.

6. Juſtinus



6. Juſtinus Imperator, cùm intelligeret proſcindi quotidiè à Severo Concilium Chalcedonenſe, & hinc etiam in Eccleſia multas naſci contentiones, populo in varias factiones diviſo, mandatum dat Irenæo militiæ magiſtro, ut Severus Conſtantinopolin adduceretur, ut ibi rationem redderet eorum quæ fecerat contra Synodum, & convictus puniretur, & quidem, ut nonnulli referunt, abſciſſione linguæ. quod ſciens Severus, & prævidens quid ſibi immineret, clam fugit Alexandriam. Ordinatus eſt autem pro eo Epiſcopus Antiochiæ Paullus orthodoxus, ſuſcipiens Chalcedonenſem Synodum. Euagrius, lib. 4. cap. 4. Nicephorus, lib. 17. cap. 2. Liberatus, cap. 19.

*Severi fuga. Paulus Epiſcopus Antioch. orthodoxus.*

## CAPUT DECIMUM-SEPTIMUM.

### *De variis Severitarum ſectis, ubi de Monophyſitis, & de Tritheitis: item de Iacobitis, & Armeniis, & Chazinzariis, & Maronitis: item de orthodoxis illis qui dicebantur Melchitæ.*

*Severitæ.*

A Severo illo Antiochiæ Epiſcopo hæretico ſequaces ejus *Severitæ* dicti ſunt: qui poſtea in varias factiones diviſi ſunt: quinque enim diverſas Severitarum ſectas commemorat Nicephorus Calliſti filius, lib. 18. hiſt. Eccleſ. cap. 49. atque omnes habere ſuos Epiſcopos, exceptis iis qui *Contobabditæ* dicebantur, à loco quodam nomine hoc ſumto. de quibus ibi Nicephorus, *Epiſcopos* (inquit) *ſoli Contobabditæ non recipiunt*. Qui autem quintæ ſectæ fuerunt, *Tritheitæ* dicti ſunt, eò quod in ſanctiſſima Trinitate tres ſubſtantias & naturas per omnia ſimiles dicerent, quamvis tres Deitates, aut tres Deos, dicere omnino refugerent, ſed unam aſſererent ſanctam & conſubſtantialem Trinitatem, unam Deitatem, unum Deum: ſic impiè & abſurdiſſimè ſomniantes pluralitatem naturarum in una Deitate. qui autem Petri Fullonis & Severi hæreſin ſequuti ſunt, appellati ſunt etiam *Monophyſitæ*, eò quod unam tantùm naturam in Chriſto Mediatore poſt incarnationem agnoſcerent [Niceph. lib. 18. cap. 45. & 46.]

*Contobabditæ.*

*Tritheitæ.*

*Monophyſitæ.*

2. Hujus hæreſeos inſanus defenſor extitit, tempore Phocæ Imperatoris, *Iohannes Philoponus*, philoſophus Alexandrinus, quem & hæreſeos Tritheitarum ducem fuiſſe ſcribit Nicephorus Calliſti, lib. 18. cap. 46. & 47. Contra Philoponum ejuſque errores ſcripſerunt Leontius monachus, & Georgius Piſides diaconus. [Niceph. lib. 18. cap. 48.] Contra Acephalos & Monophyſitas ſcripſerunt etiam Eulogius, Papa Alexandrinus, & Anaſtaſius Sinaïtes, Antiochiæ antiſtes. qui contemporanei erant Gregorio Papæ Romano, hujus nominis primo. [Niceph. lib. 18. cap. 26. & c. 45.]

3. Eandem Theopaſchitarum & Monophyſitarum hæreſin *Iacobus* quidam, cognomento *Zanzalus*, (genere Syrus, Philopono [illegible], homo obſcurus, qui propter ſuam tenuitatem cognominatus eſt Zanzalus) magnopere apud Syros propagare ſtuduit, ejuſque ſectatores per multa dein ſecula *Iacobitæ* dicti ſunt. [Niceph. lib. 18. cap. 52.] Johannes Damaſcenus de hæreticis ſcribens, quos vocat Ægyptios & Schematicos & Monophyſitas; Horum (inquit) Principes fuerunt Theodoſius Alexandrinus, à quo Theodoſiani: & Jacobus Syrus, à quo Jacobitæ ſunt nominati, conſcii defenſores & propugnatores: [illegible] Severus Antiochenorum pernicies: & qui fruſtra laborem ſuſcepit, Johannes Tritheites [illegible] qui communis ſalutis myſterium negant. Hæc Damaſcenus, lib. de hæreſibus.

4. Orthodoxi autem in Syria, qui rectæ fidei in ſynodo Chalcedonenſi propoſitæ atque Imperatorum edictis defenſæ omnibuſque injunctæ adhæſerunt, appellati ſunt per contumeliam ab adverſariis Jacobitis *Melchitæ*, ac ſi fidem ac religionem pro Regis placito profiterentur. Malca enim Syris regem ſignificat. Impia fuit & importuna ea exprobratio: quaſi verò aut ideo amplectendus ſit error, quod Chriſtiano Principi diſpliceat, aut repudianda veritas, quòd edictis Chriſtianorum Principum defendatur, ejuſq; profeſſio omnibus imperetur? quin potiùs gratulandum Eccleſiæ, & gratiæ Deo agendæ ſunt, de Principum pietate & ſedulitate in defendenda & propugnanda orthodoxæ fidei veritate, per quam pietatem & ſedulitatem ſe exhibent nutricios Eccleſiæ Dei; ſicut promiſit Deus per Prophetam, Eſai. 49, 23. hos Melchitas Brerevvodus, lib. Inveſtig. cap. 16. ait hodieq; cenſeri numeroſiſſimam Chriſtianorum in Oriente ſectam, ejuſdem profeſſos fidei & religionis & communionis cum Græcis Conſtantinopolitanis, ſubiectos tamen non Conſtantinopolitano Patriarchæ, ſed Patriarchæ Antiocheno qui Damaſci reſidet, antiquâ illa Antiochia Syriæ jam in ſolitudinem ferè redactâ: ſicut etiam refert Chytræus in oratione de ſtatu Eccleſiarum. quamvis & Jacobitæ & Maronitæ ſuum quique Patriarcham appellent Antiochenum. Syri Maronitæ ad Libanum montem, olim Monothelitæ, nunc Latinæ Eccleſiæ conformes, referentibus Chytræo & Brerevvodo.

*Orthodoxi dicti Melchitæ.*

*Eidem Catholicos olim ingrati vocabant Audiani, ut refert Epiphanius hæreſ. 70. §. 9.*

*Maronitæ.*

5. Idem quoque Jacobus ille Zanzalus Armeniorum ſectæ dux fuit, qui cum Monophyſitarum erroribus multos quoque alios errores & hæreſes hauſerunt, adeò ut Armeniorum ſecta multarum hæreſium ſentina extiterit. hujus ſectæ portentoſa quædam placita deſcribit Niceph. Calliſti, lib. 18. cap. 53. quamvis nonnulla eis tanquam hæretica imputet, quæ tamen in ſe ſunt adiaphora, ut de azymo, & de vino mero in celebratione cœnæ Dominicæ. Alia tamen de eis commemorat prorſus abominanda. Nempe, quòd cum Ario aberrantes, dicant *Deum Verbum naturam mutationi obnoxiam habentem, carnem animâ carentem aſſumſiſſe*. Cum Apollinari autem, *corpus Domini mentem non habere, eidemque divinam naturam ſufficere, mentiſque vim operatricem perficere*. Et cum aliis hæreticis, *Chriſtum ea qua carnis ſunt, exhibuiſſe in ſpeciem tantùm, ſpectri more, & unam tantùm in Chriſto eſſe naturam: & quod Petri Gnaphei acceſſionem ter-ſancto hymno annexam valdè complectantur, & carmen hoc non ſanctæ Trinitati, ſed Unigenito Verbo Chriſto concini dicant: & quod Paſcha Iudaico more celebrent, boves & oves, juxta ritum Iudaicum, immolantes, & ſanguine Agni adituum poſtes inungentes, agnum Iudaicè ſacrificantes, atque igni torrentes, atque de eo participantes: & quod crucem perinde atque hominem baptizant: & quod imagines etiam Patris & Spiritûs Sancti effigiant*. Has & alias eorum abſurditates narrat ibi Nicephorus.

*Armeniorum ſecta.*



6. Quin

*Abuſus rei adiaphoræ.*

6. Quin & illa ipſa, quæ in ſe adiaphora eſſe diximus, uſurpantur ab illis obſtinatâ quadam pravitate, Nam (ut ibi monet Nicephorus) *ipſi in re divina facienda azyme utuntur, & vinum adhibent aquâ non temperatum, unam eâ re in Chriſto naturam deſignantes.* Alium inſuper Armeniorum ſectæ Magiſtrum commemorat ibidem Nicephorus, nempe *Euchaitum Montacenum*, qui eadem cum Jacobo docuit. Hæ Jacobitarum & Armeniorum ſectæ in Oriente in hunc uſque diem latiſſime patent; ut monet David Chytræus in oratione quam habuit Roſtochii, de ſtatu Eccleſiarum ſui temporis in Græcia, Aſia, &c. anno Dom. 1569. quæ impreſſa eſt Francofurti, anno Dom. 1583. Item Eduardus Brerewodus Anglus, libro inveſtigationum, de diverſis linguis ac religionibus, impreſſo Londini, anno Dom. 1622.

*Euchaitum Montacenus, Jacobitiſmus.*

*Chazinzarii.*

7. Commemorat autem Nicephorus Calliſti quandam Armeniorum ſejunctam à cæteris Armeniis factionem, nempe eorum qui *Chazizarii* ſeu *Chazinzarii* dicuntur. Propoſitis autem Armeniorum placitis & obſervationibus, lib. 18. cap. 53. ſubjungit Nicephorus ſtatim ejuſdem libri cap. 54. hæc verba de Chazinzariis, prout extant in Latina tranſlatione Johannis Langii: *Maximè autem hæc retinent, qui apud eos* [Armenios] *Chazinzarii nominantur. facti autem non minima hæc dogmatis eorum eſt, Staurolatræ ſcilicet. Chazus namque crux ab iis dicitur: propterea quod crucem tantùm adorare & colere dicantur. qui ſanè per omnia illis conſentientes, ne ejuſcemodi maximè à ſectis talibus, & Jacobitis imprimis, diſſentire videntur. quin & iſti non unam confusè naturam, ſicut illi, in Chriſto eſſe opinantur, ſed duas: quemadmodum & nos. Cæterùm aliam peregrinam impietatem perperam inducunt, quia duas perſonas in uno Chriſto eſſe, fabulantium more, nugantur: juxta anthropolatram Neſtorium. Ita ut paſſionis tempore, alteram perſonam in cruce paſſam; alteram autem ab ea ſegregatam, ſeorſim ſtetiſſe, paſſioniſque ſpectatricem fuiſſe dicant. Inſuper alia quoque genera ejuſdem, impietate omni referta deblaterant.* Hæc Nicephorus de Chazinzariis loco citato. ubi etiam de eorum jejunio quod Arziburi dicunt refert, initium ejus ſumtum eſſe ab inſtitutione cujuſdam Sergii apud eos doctoris, ob canis obitum, qui Dæmone agitatus Sergio miniſtraverit. Cani autem nomen fuiſſe Arziburi, id eſt, mandator, Linguâ Armeniorum. hanc quidem illius jejunii veram fuiſſe originem aſſerit Nicephorus. quamvis fateatur ipſos Chazinzarios alioſque Armenios illud jejunium celebrantes aliam profiteri ejus originem & inſtitutionem, & illam de cane nunquam cuiquam interroganti proferre.

*Staurolatra.*

*Neſtorianiſmi aliquid.*

*Ortus jejunii quod Arziburi dicunt.*

## CAPUT DECIMUM-OCTAVUM.

### *De Aphthartodocitis, & eorum hæreſi.*

MOrtuo Imperatore Anaſtaſio, Juſtinus ſenior ejus ſucceſſor miſit *Magiſtrianum*, qui *Severum* Antiochiæ Epiſcopum, ſecta Acephalum, Conſtantinopolim adduceret, ut puniretur, propter convicia quæ contra Chalcedonenſem ſynodum aſſiduè jaciebat. Cum jam ab eodem Imperatore ſede pulſus eſſet *Julianus* Halicarnaſſæus Epiſcopus, eo quòd eandem Synodum rejiceret. Quod ſciens *Severus*, & prævidens quid ſibi immineret, clam nocte deſcendit Seleuciam, & navem conſcendens, fugit Alexandriam, habens ſecum Julianum Epiſcop. Halicarnaſſæum. Gratiſſimè autem à Timotheo Alexandriæ Epiſcopo ſuſcepti ſunt Severus & Julianus. Haud ita multò poſt in illa Eccleſia Alexandrina, ſub iſto Timotheo, de corruptibili & incorruptibili quæſtio mota eſt hoc modo; Percontatus eſt quidam monachus Severum, quid oporteret dicere, de corpore Domini noſtri Jeſu Chriſti, fueritne ante ipſius reſurrectionem, & jam inde à conceptione corruptibile, an incorruptibile; φθαρτὸν, ἢ ἄφθαρτον. Reſpondit Severus, ſanctos Patres corruptibile illud dixiſſe. hoc audientes quidam Alexandrinorum, cum requiſiſſent Julianum in alio loco ſedentem, quid & ipſe diceret de eadem quæſtione, ille dixit; Sanctos Patres contraria dicere, aſſirmans corpus Chriſti eſſe incorruptibile, & in hunc modum argumentabatur pro ſua, & contra Severi ſententiam, ut refert Leontius: εἰ μὴ τὸ σῶμα αὐτοῦ ἄφθαρτον, ἀλλὰ φθαρτόν, διαφορὰν εἰσάγομεν αὐτοῦ τε τοῦ λόγου τοῦ θεοῦ. διαφορᾶς δὲ εἰσαγομένης, δύο φύσεις εὑρίσκονται ἐν τῷ Χριστῷ· καὶ τί λοιπὸν μαχόμεθα τῇ συνόδῳ. id eſt: Nam ſi non incorruptibile, ſed corruptibile ipſum dicerimus, differentiam introducimus inter corpus & Verbum Dei: at verò, ſi differentia introducatur, duæ in Chriſto inveniuntur naturæ. Cur igitur tam importunè ſynodum [Chalcedonenſem] oppugnamus? Hæc Julianus Halicarnaſſæus congruenter errori Monophyſitarum, quo errore ſublato, corruit ejus concluſio, fallaci ſubnixa fundamento. Verè enim & rectè in Synodo Chalcedonenſi definitum eſt, *duas eſſe in Chriſto naturas, inconfusè unitas, ſalvâ utriuſque naturæ proprietate; adeò ut unus idemque Chriſtus & impaſſibilis ſit ſecundum Deitatem, & paſſibilis ſecundum humanitatem.* Redeo autem ad hiſtoriam rei geſtæ, prout eam memoriæ prodiderunt Liberatus, in breviario, cap. 19. & Leontius, lib. de ſectis, actione quintâ. Severus igitur & Julianus inter ſe, de hac quæſtione, diſſidentes, contendere pro ſua quiſque ſententiâ, & libris rem proſequi non deſinebant. Et venientes in multitudinem civitatis, Eccleſiam illam diviſerunt: & alios quidem (ut ſcribit Liberatus) fecerunt *Corrupticolas* [φθαρτολάτρας] appellari: verùm incorruptibilitatis aſſertores, *Phantaſiaſtas*. Hi ſunt qui Johanni Damaſceno, lib. de hæreſibus, & Nicephoro, lib. 17. cap. 29. dicuntur Ἀφθαρτοδοκῆται, *Aphthartodocitæ*, id eſt, incorruptibilitatis opinioni adhærentes.

*Severus & Julianus Epiſcopus Halicarnaſſæus, hæretici, Alexandriam ſe conferunt.*

*Occaſio diſſidii inter Severum & Julianum, de corruptibili & incorruptibili.*

*Corrupticolæ.*

*Phantaſiaſtæ & Aphthartodocitæ.*

2. Hunc in modum duabus Eutychianæ ſectæ factionibus inter ſe contendentibus, ſciſſa eſt illa Eccleſia. Timotheus autem Alexandriæ Epiſcopus, magis ſententiam Severi ſequutus eſt, teſte Liberato: Leontius tamen ſcribit Timotheum modò huic, modò illi conſenſum præbuiſſe. Defuncto autem Timotheo, alii *Theodoſium* elegerunt ei ſucceſſorem, alii *Gajanum*, qui fuit tunc Archiepiſcopus ex parte aſſertorum incorruptibilitatis, unde diviſa eſt tota civitas in *Gajanitas* & *Theodoſianos*, id eſt, Phantaſiaſtas & corrupticolas, ut refert Liberatus, cap. 20. ὁ μὲν γὰρ Γαϊανὸς τὸ Ἰουλιανοῦ δόγμα ἐπρέσβευεν, ὁ δὲ Θεοδόσιος τὸ Σευήρου δόγμα, ut loquitur Leontius, lib. de ſectis, act. 5. id eſt: Nam Gajanus Juliani ſententiam ſectabatur; Theodoſius autem ſententiam Severi. Cum tamen utrique, tum Gajanitæ, tum Theodoſiani, Chalcedonenſem Synodum rejicerent. ut patet ex Liberato, cap. 20. & Leontio, act. 5.

*Timotheus Epiſcopus Alex.*

*Schiſma.*

*Gajanitæ & Theodoſiani.*



*Aphthartodocitarum hæreſi Juſt. ſeductus.*

3. Hæc origo eſt Aphthartodocitarum hæreſeos, quâ (ut ſcribit Nicephorus, lib. 17. cap. 29.) multi mortales ſunt correpti, non ſolum ex iis qui honores & magiſtratus geſſerunt, ſed etiam Hierarchæ primarii, & monachi vitâ illuſtres, & ex ſacerdotali ordine alii, atque adeò ipſe etiam Imperator Juſtinianus. Hic Imperator orthodoxæ fidei & Synodi Chalcedonenſis defenſor, quintam œcumenicam ſynodum curavit celebrandam. Poſtea tamen (ut refert Evagrius ſub finem lib. 4. & eum ſequens Nicephorus, lib. 17. cap. 29.) Juliani & Gajani errore, de incorruptibilitate, ſeductus, Eutychium Epiſcopum Conſtantinopolitanum (qui quintæ Synodi præſes extiterat) errori huic Aphthartodocitarum reſiſtentem ſede expulit: atque edictum ſcripſit, ἐν ᾧ (ut Evagrii verbis utar) ἄφθαρτον τὸ σῶμα τοῦ κυρίου ἐκάλεσε, καὶ τῶν φυσικῶν καὶ ἀδιαβλήτων παθῶν ἀνεπίδεκτον, οὕτω λέγων τὸν κύριον πρὸ τοῦ πάθους φαγεῖν, ὡς μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἔφαγε, μηδεμίαν τροπὴν ἢ ἀλλοίωσιν ἐξ αὐτῆς τῆς ἐν μήτρᾳ διαπλάσεως, μήτε ἐν τοῖς ἑκουσίοις καὶ φυσικοῖς πάθεσι, μήτε μετὰ τὴν ἀνάστασιν τὸ πανάγιον σῶμα αὐτοῦ δεξάμενον. id eſt: in quo incorruptibile vocavit corpus Domini, & naturalium atque irreprehenſibilium paſſionum & affectionum haudquaquam ſuſceptivum: dicens Dominum eodem modo ante paſſionem comediſſe, quo poſt reſurrectionem comedit: & corpus ejus ſanctiſſimum nullam converſionem aut mutationem, jam inde ab ejus formatione quæ in utero facta eſt, neque in affectionibus & paſſionibus voluntariis ac naturalibus, neque poſt reſurrectionem accepiſſe.

4. His opinionibus (ut ibidem narrat Evagrius, nempe lib. 4. cap. 38.) ut ſacerdotes ubique aſſentirentur, compellere inſtituit Juſtinianus Imperator. At illi omnes ſe Anaſtaſii Epiſcopi Antiocheni ſententiam exſpectare reſpondendo, primum illius conatum depulerunt. Hic eſt ille Anaſtaſius è Sina monte, ubi ſtudiis operam dederat, vocatus ad Epiſcopatum Antiochenum, qui ab educationis loco Anaſtaſius Sinaita appellatus eſt. Vir erat (ſicut Evagrius lib. 4. cap. 39. & Niceph. lib. 17. cap. 30. & alii tradunt) in ſacrarum literarum cognitione, & in moribus totâque vitæ ratione apprimè exquiſitus & excellens. Eum ſi expugnaret Imperator, ſperabat facile futurum, ut reliquos omnes everteret. Itaque Anaſtaſium tanquam turrem muniſſimam oppugnare omni machinarum genere aggreſſus eſt.

5. Verum Anaſtaſius (ut Evagrius & Nicephorus, locis proximè citatis, etiam commemorant) ſuper firmam fidei petram conſiſtens, ſic divinâ quadam animi celſitudine elatus fuit, ut Juſtiniano per literas ſuas liberè & apertè contradiceret: tum perſpicuè admodum, tum diſertè oſtendens, divinos Apoſtolos & ſanctos Patres confeſſos eſſe, atque adeò tradidiſſe, corpus Domini internecioni obnoxium ſeu corruptibile eſſe, & affectionum, quæ ſunt naturâ in animis impreſſæ, quæque reprehenſione carent, particeps. [φθαρτὸν τὸ σῶμα τοῦ κυρίου ἐν τοῖς φυσικοῖς καὶ ἀδιαβλήτοις πάθεσι] omniumque mentes confirmavit, & ad certamen pro veritate ineundum præparavit: atque in Eccleſia quotidie lectitavit illam Pauli vaſis electionis ſententiam, *Si quis vobis evangelizaverit, præter id quod accepiſtis, etiamſi angelus de Cœlo ſit, anathema eſto.* Cum autem audiſſet idem Anaſtaſius Juſtinianum velle ipſum in exilium mittere, ſcripſit ad Antiochenos ſuos orationem elegantem, eruditam & gravem, quâ eorum animos in fide confirmaret. Verùm Juſtinianus (ut iidem ſcriptores referunt) paullò poſt ex hac vitâ exceſſit. Neque divulgatus eſt ille exilii libellus. Evagr. lib. 4. hiſt. Eccleſ. cap. 40. & Niceph. Calliſti, lib. 17. capp. 30. & 31.

*Gal. 1, 8.*

*Aphthartodocitarum doctrina.*

6. Leontius, lib. de ſectis, actione 10. & Nicephorus, lib. 17. cap. 29. illam hæreſin Aphthartodocitarum, eique oppoſitam veritatem quam Catholici defendebant, prolixiùs deſcribunt. Leontius ait: Confitentur ergo Gajanitæ Deum Verbum ex Virgine naturam humanam aſſumſiſſe perfectè & verè; ſed jam inde ab unione eſſe corpus incorruptibile dicunt. [ἀπὸ δὲ τῆς ἑνώσεως ἄφθαρτον λέγουσιν εἶναι τὸ σῶμα.] Omnes enim malorum ſpecies Chriſtum perpeſſum aiūt, qui & eſurierit, & ſitiverit, & defatigatus fuerit: at non eodē iſta quo nos modo paſſum. Ajunt enim nos quidem naturali neceſſitate [τῇ ἀνάγκῃ τῆς φύσεως] tum eſurire, tum ſitire. ſed Chriſtum hæc omnia ſponte [ἑκουσίως] ſuſtinuiſſe. Non enim, inquiunt, naturæ legibus ſerviebat, alioqui paſſiones iſtas fatebimur ei præter voluntatem accidiſſe [ἀκούσια τὰ πάθη,] quod eſt abſurdum. Reſpondet Leontius, Catholicos fateri paſſiones & affectiones illas fuiſſe voluntarias [ἑκούσια τὰ πάθη,] quia Chriſtus ſponte ſervivit naturæ legibus, [ἑκουσίως ἐδούλευε τοῖς τῆς φύσεως νόμοις.] voluitque conceſſit corpori, ut ſua perpeteretur eodem modo, quo & nos patimur. [καὶ ἐνεδίδου τῷ σώματι, πάσχειν τὰ ἴδια τῆς αὐτοῦ φύσεως, ὡς καὶ ἡμεῖς πάσχομεν.] Et in hujus orthodoxæ reſponſionis confirmationem adducit teſtimonia orthodoxorum Patrum, Gregorii Nazianzeni, & Cyrilli, & Athanaſii. Nicephorus etiam loco citato, ait; Aphthartodocitarum iſta fuere verba: Nos quidem per neceſſitatem naturæ affectiones ejus, famem ſcilicet & ſitim, & reliquas circumſcrimus: Chriſtus verò, utpote qui ſponte ſuâ paſſus ſit, non itidem, atque nos, naturæ legibus ſubſervit. Adverſus quæ verba pii homines retulerunt: Quamvis ſpontanea Chriſti paſſio fuerit, æque tamen ac nos paſſum eſſe [ἴσως ἡμῖν ἔπαθε.] Quomodo verò poſſet quod qualicunque tandem modo pateretur, incorruptibile propriè, & non corruptibile, perinde atque de nobis ipſis loquimur [ὡς ἐφ' ἡμῶν] dici? &c.

*Catholicorum doctrina. Vide lib. 5. cap. 23. §. 13. & lib. 6. cap. 5. §. 7.*

*Doctrina Aphthartodocitarum. Antitheſis orthodoxorum.*

7. Summa autem Catholicæ veritatis in hac controverſia, hiſce tribus diſtinctionibus comprehenditur. *Prima.* Dominus noſter non ſuſcepit ullam affectionem reprehenſibilem, ſed ſuſcepit affectiones naturales reprehenſione carentes. [πάθη ἀδιάβλητα.] *Diſtinctio 1.*

*Secunda diſtinctio.* Dominus noſter eam corporis corruptibilitatem reſurgendo exuit, quam ante mortem habebat, adeò ut prius quidem corpus habuerit corruptibile, & infirmitatibus irreprehenſibilibus naturaliter obnoxium; poſt reſurrectionem verò corpus ejus ſit incorruptibile & talibus affectionibus minimè obnoxium. Itaque ante reſurrectionem verè eſurivit, verè ſitivit [οὐ δοκήσει, ἀλλὰ φύσει καὶ ἀληθείᾳ] & propter famem ac ſitim comedit ac bibit: at poſt reſurrectionem non famis aut ſitis gratiâ comedit aut bibit, ſed tantùm per œconomiam quandam, ut 2.

clarè oſtenderet ſe eum ipſum eſſe, qui ex mortuis reſurrexit.

*Tertia diſt.* Corruptionis vocabulum duo ſignificat: ejus enim nomine naturales iſtæ & irreprehenſibiles carnis affectiones ſive perpeſſiones intelligendæ veniunt, ſitis ſcilicet, fames, fatigatio, & angor, & aliæ: ad quem modum corruptibile Domini corpus, utpote nobis conſubſtantiale [ὁμοούσιον] dixerunt Catholici; eas quippe perpeſſiones omnes voluntate ſua Deum Verbum, propterea quod homo propriè & verè factus ſit vereque paſſurus erat, ſuſcepiſſe: atque hoc ipſo modo Domini corpus incorruptibile dicere, juxta Juliani Halicarnaſſæi & Gaiani ſententiam, ſummæ eſſe impietatis. Et hæc quidem una corruptio eſt. Eſt autem & alia, corporis ſcilicet in ea elementa, ex quibus compoſitum eſt, ſolutio, & carnis ipſius inquinatio: juxta quam ſignificationem, & Catholici prędicârunt corpus Domini incorruptibile, quod inquinamentum nullum invadere & pertingere potuerit. Hanc diſtinctionem, in hunc modum retulit Nicephorus. Eadem apud Leontium, loco ſuperiùs citato, legitur, his verbis; [illegible] [non prorſus fuiſſe diſſolutum.] Atque hanc eſſe Patrum mentem, docet ibi Leontius, argumento ſumto à ſecunda diſtinctione, inquiens, [illegible] id quod etiam repetit Nicephorus, lib. 17. cap. 29.

*Hypomnema de Justiniano Imperatore.* 8. Refert quoque ibidem Nicephorus, Juſtinianum Imperatorem dogma ipſum non altiùs inveſtigantem, ſed vocabulum corruptibilitatis attendentem, non ſuſtinuiſſe tale quidpiam de Chriſto audire, propter ſummum ipſius erga illum amorem & deſiderium. Principem enim tanto in Chriſtum pietatis ardore flagrâſſe, quanto alius, eorum qui ante eum imperium obtinuerunt, nemo, ter-maximo illo Conſtantino ſemper excepto: itaque propter vehementem in Chriſtum amorem, illius gratiâ multa etiam violenter feciſſe. Hæc obſervatio monet neceſſariam eſſe ſcientiam quæ zelum dirigat: quia ſæpe noxius eſt zelus citra ſcientiam. abjecto errore, in fide ſanus mortuus eſt Juſtinianus, & ab Agathone Papa Rom. & à ſexta œcumenica Synodo, piaque poſteritate, piis Imperatoribus in pace Domini defunctis accenſetur. Quod etiam annotat Nicephorus, lib. 17. cap. 31. Imò Agatho & Synodus Romana omnibus qui ante eum imperârunt, quoad fidei rectitudinem & pietatem, anteponunt piæ memoriæ Juſtinianum Auguſtum, ut legere eſt in quarta actione Sextæ Synodi œcumenicæ.

9. De hoc Theodoſianorum & Gaianitarum ſchiſmate, eorundemque communi hæreſi ſcribit Jſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus, lib. 8. Originum, cap. 5. in hæc verba: *Theodoſiani & Gaianitæ appellati à Theodoſio & Gaiano, qui temporibus Juſtiniani Principis in Alexandria populi perverſi electione uno die ſunt ordinati Epiſcopi. Hi errores Eutychetis & Dioſcori ſequentes, Chalcedonenſe Concilium reſpuunt; ex duabus unam in Chriſto naturam aſſerunt. Quam Theodoſiani corruptam; Gaianitæ incorruptam contendunt.* Hæc ille.

Eadem de verbo ad verbum legimus apud Rabanum Maurum, lib. 2. de inſtitutione clericorum, cap. 58.

10. Vir doctiſſimus Richardus Crakanthorpius in ſuo Vigilio dormitante, cap. 20. falſam eſſe contendit illam Evagrii narrationem de Juſtiniani Imperatoris lapſu in hæreſin Aphthartodocitarum.

## CAPUT DECIMUM-NONUM.

### *De hæreſi Agnoïtarum.*

OLim Ariani negantes æqualitatem Filii cum Patre quoad ipſam divinam naturam, abutebantur, inter alia, his Scripturæ dictis, quibus Dominus noſter neſciiſſe diem judicii, & in ſapientia profeciſſe, & de ſepulchro Lazari interrogâſſe dicitur, Marc. 13. 32. *De die autem illo & horâ nemo novit, neque Angeli qui ſunt in cœlo, neque Filius, niſi Pater.* & Luc. cap. 2. verſ. ultimo. *Jeſus autem proficiebat ſapientiâ, & ſtaturâ, & gratiâ apud Deum & homines.* Joan. 11. 34. *Dixit Jeſus: ubi poſuiſtis ipſum?* hinc hæretici perperam colligebant, Chriſtum diem judicii & multa alia penitus ignorâſſe, etiam quà Deum Deique Filium. & inferebant eum propterea non poſſe eſſe ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ, quòd non eſſet æqualis Patri cognitione & ſapientiâ.

Marc. 13. 32. Luc. 2. 52. Joan. 11. 34. *Arianiſmus.*

*Vindiciæ contra Arianos.* 2. Orthodoxi Patres, ut hanc hæreticorum blaſphemam calumniam repellerent, memorata Scripturæ dicta ab eorum corruptelis vindicârunt, hac adhibita diſtinctione; quòd *iſta de Chriſto intelligenda ſint ſecundùm humanam ejus naturam, quam aſſumſit ex Virgine, ſecundùm quam naturam conſubſtantialis eſt matri; non autem ſecundùm divinam ejus naturam: ſecundùm quam ab æterno eſt conſubſtantialis Patri, ſecundùm hanc enim Chriſtum ſcire omnia quæ ſcit Pater: neque ad Divinitatis contumeliam transferenda eſſe ea, quæ de Chriſto ſecundùm aſſumtam humanam naturam verè & abſque ulla Deitatis ignominiâ dicuntur.* Sic reſponderunt Athanaſius epiſt. ad Serapionem, contra eos, qui dicunt Filium eſſe creaturam, prope finem. Et oratione 4. contra Arianos, & Gregorius Theologus, oratione 36. quæ eſt 4. de Theologia, ad object. 10. & Cyrillus Alexandrinus, in Theſauro lib. 9. c. 4. & lib. 10. cap. 7. & orat. 2. de recta fide ad reginas, cap. 16. & 17. nec diſſimilia habet Ambroſius, lib. 2. de fide cap. 4. Non abs re fuerit quædam ipſorum Patrum verba adſcribere.

3. Athanaſius, in fine epiſtolæ ad Serapionem, contra eos qui dicunt Filium eſſe creaturam; [illegible] dicens, *neque Filius*, humanitùs loquutus eſt. Et cauſſa, cur ita loquutus ſit, fuit idonea. quoniam cum *homo factus eſt*, ut ſcriptum eſt, hominum autem proprium eſt ignorare, quemadmodum & eſurire, aliaque ejus generis, propterea & ignorantiam hominū, tanquam homo factus, oſtendit. Primò quidem, ut oſtendat ſe corpus habere verè humanum; deinde verò, ut ignorantiam etiam hominum in corpore habens, ab omnibus liberatam & mundatam, perfectam atque ſanctam ſiſteret Patri humanitatem. Quem igitur deinceps prætextum invenient Ariani? aut quibus commentis jam deinde obgannient? Deprehenſi ſunt non intelligere hanc ſententiam, *Dominus creavit me.* Et oſtenſum eſt eos non percipere, quid ſibi hoc velit: *de die illo nemo novit, neque angeli, neque Filius.* Nam ſicuti dicens, *creavit me*, humanitatem ſignificat, eo quòd homo factus ſit & creatus; dicens autem, *ego & Pater unum ſumus*: &, *qui me vidit, vidit & Patrem*: &, *ego in Patre, & Pater in me*; æternitatem & cum Patre conſubſtantiam [τὸ ἀΐδιον καὶ τὸ πρὸς τὸν πατέρα ὁμοούσιον] ſignificat. Ita quoque quando ait; *Nullus novit, neque Filius*, iterum ut homo loquitur: hominum enim proprium eſt ignorare. Quando autem ait, *Nullus novit Patrem niſi Filius, neque Filium niſi Pater*, multo magis novit res creatas. Itaque diſcipuli, in Evangelio Joannis, dixerunt Domino, *Nunc ſcimus quòd noveris omnia.* Ex quibus liquet, nihil eſſe quòd ignoret. Cùm Verbum ipſe ſit, per quem omnia facta ſunt. In his autem omnibus (ſeu rerum univerſitate) cùm dies etiam ille comprehendatur, omnino per ipſum fiet. Etiamſi Ariani decies millies ſuâ inſcitiâ rumpantur. Hæc ibi.

Tom. 1. 22. gr. — Joan. 10. & 14. — Matt. 11. 27. Joan. 16. 30.

4. Idem Athanaſius, orat. 4. contra Arianos; Audiant (inquit) in Divinitate ignorantiam non eſſe, ſed id proprium eſſe carnis. ——— Cuivis igitur manifeſtum eſt ignorationem ad carnem pertinere, ipſum autem Verbum, quatenus Verbum eſt, omnia etiam antequam fiant, præcognoſcere. Non enim ideo, quia homo factus eſt, deſiit eſſe Deus: neque quia Deus ſubſiſtit, abducit ſe ab eo quod humanum eſt. abſit! ——— Omnia propter nos ſuſtinuit, ut noſtram ignorationem bajulans, donaret nobis cognitionem veri ſui ipſius Patris. ——— Si igitur, ut ſæpius dictum eſt, Verbum homo non eſt factum, agnoſcamus has voces contra nos eſſe, quòd acceperit, quòd gloriâ indiguerit, quòd ignoraverit. ——— Sed tamen cur ita ſermonem temperârit, ne Filium quidem hoc cognitum habere, cum hoc omnium optimè cognoſceret, ne id quidem infidelibus obſcurum arbitror, cum hic per carnem hominis more, & ex perſona hominis loquutum eſſe. Neq; eſt ut aliquid detrimenti Verbo Dei accidiſſe putes, cùm ignoratio iſta ad humanam naturam, cui id peculiare eſt, ſolummodo pertineat. Ut hoc ipſum eleganter deprehendas ſi, quo tempore id Dominus loquutus eſt, cum bona conſcientia expendas. Non enim in creando cœlo, neque antequam homo fieret, ſed cùm Verbum caro factum eſſet, hoc ſermone uſus eſt: atque ideo quicquid poſt hominem ſumtum humanitus loquitur, ea omnia par eſt humanitati adſcribi. ——— [illegible] &c. id eſt. Clarum eſt quod univerſi finis horā, quatenus Verbū eſt, cognoſcit, at quatenus homo ignorat. Hominis enim proprium eſt ignorare, ac præcipuè ea quæ ſunt iſtius generis, & in eo ipſo proprium quiddam eſt benevolentiæ Servatoris noſtri ergà nos homines. Siquidem homo factus non erubuit propter carnem ignorantem dicere, non ſcio: ut oſtendat quòd ſciens qua Deus, ignoret carnaliter. Quapropter non dictum eſt ab eo, ne Filius quidem Dei, ne Divinitas ignorare videretur, ſed ſimpliciter, ne Filius: ut Filii ex hominibus nati iſta ſit ignorantia. Atque ea de cauſa cum de Angelis loquitur, non addidit altiorem gradum, ut diceret, neque Spiritus Sanctus. ——— eaque res argumento eſt, cum humanitus [ἀνθρωπίνως] iſtic loqui, cum ait: *Ne Filius quidem novit.* ——— & quia carnem induerat ignorationi obnoxiam, carnaliter loquutus eſt, ſe neſcium eſſe. ——— Siquidem carne non noverat, quamvis ut Deus, illam ipſam horam bene cognitam haberet. [illegible] ——— rectè tunc dixit, *neque Filius*, propter corpus, ut oſtendat ſe ut hominem ignorare; quia hominum proprium eſt ignorare. [illegible] ——— Nam ſicuti ut homo cum hominibus eſurit, & ſitit, & patitur, ita cum hominibus, ut homo, non novit. Cæterùm quatenus in Patre divinitus exſiſtit, ut Verbum & Sapientia, novit, & nihil eſt quod non ſciat. [illegible] ——— De die verò & horâ, non voluit divinè dicere, ſe ſcire; ſed carnaliter propter carnem ignorantem, ſicut ſuprà dixi, dixit ſe neſcire [illegible] ut non amplius interrogarent ipſum: & inſuper, ne vel non revelans triſtitiâ eos afficeret; aut revelans contra ipſorum noſtrûmque omnium utilitatem id faceret. Quod enim fecerit [illegible] hoc omnino pro nobis eſt. Quandoquidem & propter nos Verbum caro factum eſt. Propter nos igitur dixit etiam, ne Filium quidē id ſcire. Et neq; mentitus eſt hoc dicens; humanè enim dixit, ut homo, *non novi.* [illegible] Neque permiſit diſcipulis ipſum urgere; Eo enim quod dicebat, *non novi*, & impedivit illorum ulteriorem interrogationem. ——— Utile eſt vobis tum de angelis, tum de Filio iſtiuſmodi negationem ſcientiæ audire, idque propter eos qui alioqui poſtmodum ſuboriri poſſent, ne dæmonibus Angelorū figuram aſſumentibus & de conſummatione ſeculi inceptantibus loqui, ullam fidem habeatis, utpote earum rerum ignaris. Atque ſi Antichriſtus transformatâ ſpecie aſſerat ſe Chriſtum eſſe, & de futura conſummatione inſtituat loqui, ad ſeducendum audientes; vos contra, hanc habentes ex me vocem, quod *neque Filius*, omnem illi fidem abrogetis. Eſt & alia ratio, cur inutile ſit finem, aut finis diem præſciri, ne ſi is maturè pręnoſcatur, tempora intermedia negligentius habeantur, & compendinationibus utantur uſque in dies fini conterminos. ——— Non igitur Verbum, quatenus Verbum, proficiebat; quippe perfectum ex perfecto Patre, nulliuſque rei egens, ſed alios ad proficiendum evehens. Cæterùm etiam hic humano more dicitur proficere; eo quòd hominum ſit proficere. Nam & Evangeliſta

*Vide cap. 20. §. 20. & §. 21. & §. 22.* — *De Chriſti profectu. Luc. 2. ult.*

liſta accuratè cautéque verbis iſtis uſus, profectui aſſociavit ſtaturam ſeu magnitudinem ætate comparatam. Verbum autem Deus quantitate non menſuratur, ſed corporum ſunt quantitates [ἡλικίας] corporis igitur eſt profectus, ipſo enim proficiente, profecit in ipſo & manifeſtatio [ἡ θεοφάνεια] Deitatis eis qui eum videbant. quanto autem magis Deitas revelabatur, tanto magis gratia creſcebat, ut homini apud omnes homines. —— [illegible] &c. id eſt: corpore paullatim adoleſcente, & Verbo ſe-ipſum ſibi ipſi manifeſtante, factum eſt deinde, ut agnoſceretur pro Filio Dei, primùm quidem à Petro, poſtea etiam ab omnibus. —— Judæi, tum priſci, tum neoterici iſti, ultrò oculos ſuos conniventer claudunt, ne videant illud, proficere in ſapientiâ, non eſſe ipſam Sapientiam proficere, ſed humanitatem potiùs in Sapientia progreſſus facere. Etenim Jeſus profecit in ſapientia, & gratiâ. quod ſi disertè, id quod verum eſt, dicendum, ipſe in ſeipſo profecit, [αὐτὸς ἐν ἑαυτῷ προέκοπτε,] nam ſapientia ædificavit ſibi domum, & in ipſa domum proficere fecit. —— Verbum homo factum eſt, & veram carnem geſtavit, & quemadmodum diximus, eum carne paſſum eſſe, carne eſuriſſe, & carne fatigatum eſſe: ſic & convenienter dici poterit, quod carne profecerit [illegible]. Non enim ſegregato Verbo abjunctoque à corpore, profectus iſte, qualis is eſt de quo loquimur, obvenit. In ipſo enim erat caro ea quæ proficiebat, & ipſius dicitur quod in carne ejus contingebat. —— Ideóque ut prolocutus ſum, non Sapientia quatenus ipſe Sapientia eſt, progreſſus fecit, ſed humanitas in Sapientia profecit, [ἀλλὰ τὸ ἀνθρώπινον ἐν τῇ σοφίᾳ προέκοπτεν] tranſcendens paullatim humanam naturam, deificata nimirum & organum Sapientiæ facta, ut per eam ſuam energiam exerceret, ſapientiaque inde elucerct, omnibuſque innoteſceret: ac proinde nequaquam locutus eſt, Verbum, quod Filius Dei eſt, profecit, ſed Jeſus, quo nomine Dominus jam homo factus, nuncupatus fuit, ut ſit humanæ naturæ iſtiuſmodi profectus, [ὡς εἶπον τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως τὴν προκοπήν] quemadmodum ſuperiùs admonuimus. Igitur, quemadmodum proficiente carne, ipſe dicitur proficere, idque ob proprietatem ejus cum corpore: ita quoque ea, quæ circa mortem obtigerunt, ut conturbari, lachrymari, eodem ſenſu accipienda ſunt. [illegible] Si homo merus eſt, qui iſta loquitur (*tranſeat à me calix iſte*, &c.) lachrymetur & horreat mortem, ut homo: ſin autem Verbum eſt in carne (nam eadem dicere non debemus gravari) qui potuit Deus timere? aut unde mortem timeret, cum ipſe vita eſſet, aliôſque è morte liberaret? —— verùm iſta quæ exprobratis, non propria ſunt naturæ Verbi, in quantum Verbum eſt, ſed eatenus ejus ſunt, quatenus Verbum in carne erat, quæ iſtiuſmodi affectus patiebatur. —— Sive igitur ploravit & conturbatus eſt, non erat Verbum, qua Verbum eſt, qui plorabat & conturbabatur; ſed carnis hoc erat propriû: ſive preces fudit ut calix tranſiret, non erat Deitas quæ metuebat, ſed humanitatis propria etiam hæc paſſio, &c. Hæc Athanaſius, oratione quartâ contra Arianos, poſt orationis illius medium.

5. Ex his Athanaſii verbis evidenter colligitur, hanc fuiſſe Athanaſii mentem: 1. *Quod Chriſtus Ieſus non ſolùm in corpore ſuo myſtico, id eſt, in Eccleſia, ſive in hominibus Chriſtianis neſcivérit; ſed etiam cum hominibus, ut homo ipſe ſecundum propriam ſuam & ſingularem humanam naturam, quæ Deitati hypoſtaticè unita eſt, & quam ex hominibus aſſumpſit in unitatem perſonæ Verbi: quòd, inquam, ſecundum eam ipſe Chriſtus neſcíverit diem & horam judicii ultimi, & in ſapientia profecerit. 2. Quando Chriſtus dixit, ſe neſcire diem illum & horam illam, eum nihil falſò dixiſſe, ſed verè, ſicut dixerat, neſcivíſſe eum diem: nempe qua homo erat. 3. Æquè propriè, & citra omnem abſurditatem convenire Chriſto ſecundùm humanam naturam ignorantiam ſeu neſcientiam ultimi judicii, atque ei conveniunt fames, ſitis, paſſibilitas, conturbatio, lachrymatio, &c. Quamvis ſecundum divinam naturam omnia ab æterno habeat penitiſſimè perſpecta.* Hæc de ſententia Athanaſii.

6. *Hinc itaque* (ait Hilarius, paullò poſt initium libri noni de Trinitate) *fallendi ſimplices atque ignorantes hæreticis occaſio eſt, ut quæ ab eo ſecundùm hominē dicta ſunt, dicta eſſe ſecundùm naturā Divinæ infirmitatem mentiantur.* Item in fine ejuſdem libri noni de Trinitate; *Non ergo* (inquit) *quia neſcire ſe diem & momentum Filius dicit, neſcire credendus eſt, ſicuti cum ſecundùm hominem aut flet, aut dormit, aut triſtis eſt, Deus obnoxius eſſe aut lachrymis, aut ſomno, aut timori, eſt confitendus; ſed ſalvâ unigeniti in ſe veritate, ſecundùm carnis infirmitatem fletum, ſomnum, inediam, ſitim, laſſitudinem, metum pati neceſſe eſt. & ſecundùm hominis naturam, diei atque horæ profeſſus eſt inſcitiam.* Hæc Hilarius, Pictavorum Epiſcopus.

7. In eundem ſenſum, ad eandem Arianorum objectionem reſpondit Gregorius Nazianzenus, cognomento Theologus, oratione 36. quæ eſt quarta de Theologia, ad objectionem decimam: Decimo (inquit) loco, ignorantiam ponunt, quódque *extremum diem atque horam nemo cognoſcat, ac ne Filius quidem ipſe, ſed ſolus Pater.* At qui fieri poteſt, ut ſapientia quicquam eorum quæ ſunt ignoret, ille, inquam, ſeculorum factor, &c? —— Eccui igitur dubium eſſe poteſt, quin horam quidem ut Deus cognitam habeat, ignorare autem dicat ut homo, [ὅτι γινώσκει μὲν ὡς Θεός, ἀγνοεῖν δέ φησιν ὡς ἄνθρωπος] ſi quis id quod apparet, diſtinguat ab eo quod mente perſpicitur? Nam quia abſolutè hoc loco ac ſine relatione Filii nomen ponitur, nec adjungitur cujus: idcirco nobis hinc anſa porrigitur ita exiſtimandi; ut ignorantiam hanc ſenſu maximè pio interpretemur, eamq; humanitati, non Divinitati [τῷ ἀνθρωπίνῳ, μὴ τῷ θείῳ] adſcribamus. Siquidem hæc ratio adverſariis ſatisfaciat, hic pedem figemus: nec quicquam ampliùs à nobis inquiratur. Sin ſecus, hoc ſecundum adjicimus, quòd quemadmodum ſingula alia, ita rerum quoque maximarum cognitio ad cauſam referatur, honore Genitoris. Quin ne exiguum quidem mihi intellecturus videtur, qui ſic legerit, ut noſtræ memoriæ vir quidam literarum ſtudioſus, nempe Filium non aliter diem illum vel horam noſſe, quàm ut Pater. Quid enim hinc colligitur? Quoniam Pater cognoſcit, ideo etiam Filius: tanquam videlicet nemo hoc cognoſcere ac percipere queat, præter principem illam naturam. [ὡς δῆλον ὅτι [illegible] πλὴν τῆς πρώτης φύσεως.] Hæc Gregorius Theologus. Cujus ſententia evidentiſſimè hæc eſt; Non



Se-ipſum ſibi ipſi manifeſtabat.

Αὐτὸς ἐν ἑαυτῷ προέκοπτε.

Proficiente carne, ipſe dicitur proficere.

Matth. 26,39.

Summa doctrinæ Athanaſii.

Hilarius [illegible]

Nazianz.



aliter Chriſto illa loquenti tunc cognitum fuiſſe diem ultimum & horam extremi judicii, ſeu non ſecundùm aliam naturam, quam ſicut Pater, ſeu ſecundùm eam naturam, ſecundùm quam diem illum & horam illam novit Pater, id eſt, non niſi ſecundùm Deitatem, quam Gregorius vocat primam ſeu principem naturam.

8. Ambroſius Epiſcopus Mediolanenſis eandem reſponſionem adfert, lib. 5. de fide cap. 7. ita timidè tamen, ut aliam inveſtiget: quamvis hanc, quæ ab Athanaſio & Gregorio allata eſt, referat, & non refellat. Imò ipſe Ambroſius ejuſdem operis *de fide*, lib. 2. cap. 4. circa medium; Conſideremus (inquit) quia nobis prodeſt bene credere, mihi enim prodeſt ſcire, quia propter me Chriſtus ſuſcepit meas infirmitates, mei corporis ſubiit paſſiones, pro me peccatum, hoc eſt, pro omni homine, pro me maledictum factus eſt, pro me, atque in me ſubditus atque ſubjectus; pro me agnus, pro me vitis, pro me lapis, pro me ſervus, pro me filius ancillæ, pro me diem judicii ignorans, pro me neſciens diem aut horam; Nam quomodo poſſet diem neſcire, qui dies fecit & tempora? quomodo poſſet diem ignorare judicii, qui & horam judicii futuri expreſſit & cauſam? factus ergo maledictum, non ſecundùm Divinitatem, ſed ſecundùm carnem. Idem quoque lib. de incarnationis Dominicæ myſterio cap. 7. quomodo proficiebat Sapientia Dei? doceat te ordo verborum. Profectus eſt ætatis, & profectus ſapientiæ, ſed humanæ eſt. Ideò ætatem ante præmiſit, ut ſecundùm hominem crederes dictum: ætas enim non Divinitatis, ſed corporis eſt. Ergo ſi proficiebat ætate hominis, proficiebat ſapientiâ hominis. Sapientia autem ſenſu proficit, quia à ſenſu ſapientia. Jeſus autem proficiebat ætate & ſapientiâ. Quis ſenſus proficiebat? Si humanus, ergo & ipſe ſuſceptus eſt: ſi divinus, ergo mutabilis per profectum. Quod enim proficit, utique mutatur in melius. Sed quod divinum eſt, non mutatur. Quod ergo mutatur, non utique divinum. Senſus igitur proficiebat humanus; ſenſum ergo ſuſcepit humanum. Et ut ſciamus quia ſecundùm hominem loquebatur, præmiſit dicens: *Puer autem creſcebat & confortabatur, & implebatur ſapientiâ, & gratia Dei erat cum illo.* Et *puer*, noſtræ nomen ætatis eſt: nec *confortari* virtus poterat Dei, nec *creſcere* Deus nec altitudo ſapientiæ Dei, plenitudo divinitatis *impleri*. Quæ igitur implebatur, erat non Dei, ſed noſtra ſapientia. Nam quomodo implebatur, Qui ut omnia impleret, deſcendit? per quem autem ſenſum Eſaias dixit, Patrem puer neſciebat aut matrem? Scriptum eſt enim: *Prinſquam ſciat puer Patrem aut matrem, accipiet virtutem Damaſci & ſpolia Samariæ.* Sapientiam enim Dei futura & occulta non fallunt. Expers autem agnitionis infantia, per humanam utique imprudentiam quod adhuc non didicit, ignorat. Hæc Ambroſius, Gregorio Theologo σύγχρονος. Idem etiam Ambroſius in caput 17. Euangelii Lucæ, palàm amplectitur Athanaſii diſtinctionem, dicens, eundem Filium, noviſſe temporum finem, non per naturam hominis, ſed per naturam Dei. Similiter ad eandem quæſtionem reſpondet Chryſoſtomus, [tom. 5. ſerm. 117. pag 753. edit. Savil.] ἀγνοεῖ τοίνυν κατὰ τὸ σχῆμα τῆς ἀνθρωπότητος, ὁ γινώσκων τὰ πάντα κατὰ τὴν δύναμιν τῆς θεότητος. id eſt; Ignorat igitur ſecundùm habitum humanitatis, qui omnia ſcit ſecundùm potentiam Deitatis.

9. *Cyrillus* Alexandrinus, ad eandem Arianorum objectionem, in eundem modum reſpondet, lib. 9. Theſauri, cap. 4. Sed quomodo, inquiunt, ejuſdem cum Patre Filius erit ſubſtantiæ? cum fateatur, neſcire ſe diem ultimum, Patrem autem ſcire. Magna enim hinc naturæ Filii ad naturam Patris differentia emergit. Mirum eſt, quòd per ipſum univerſa, tempora quoque ac ſecula facta eſſe fateamini, deinde quaſi obliti, unum ab eo ignorari diem contenditis. Quomodo enim ignorare poterit ea, quæ ipſe fecit? —— Inconveniens eſt, Deitati ejus accommodare illa, quæ ipſe ut homo protulit: quod certè nemo facit, qui diſpenſationis ſuſcipit modum. Nam ſi homo factus non ſit, cuncta ut Deus loquatur: ſin autem factus eſt homo, concedatur ut more hominum etiam loquatur. Nec enim ulla propter diſpenſationem incarnationis Deitati poteſt fieri injuria, ſi piè cuncta intelliguntur: Quod à Paulo dictum ſic eſt, *Captivantes omnem intellectum in obedientiam Chriſti.* Ut ergo proprium hominis eſt futura ignorare: ſic Verbi Dei, in quantum Verbum eſt, ut omnium quæ per ipſum facta ſunt, & principia & ultimos terminos cognoſcat. —— Non oportet igitur propter hanc vocem ignorationem Dei Verbo inurere; ſed potius miſericordiam ejus admirari, quòd non recuſaverit propter nos ad tantam humilitatem deſcendere, ut omnia noſtra, & ipſam etiam ignorantiam humanam, ſuſciperet. —— Filium etiam ignorare ait, de ſeipſo ut homine loquens, nec ſibi derogans ut Deo: ſcit enim ut Deus, quod ut homo ignorat. idcirco non addidit, quòd Spiritus Sanctus etiam ignoraret. *Spiritus* enim *omnia ſcit, ipſa etiam profunda Dei*, ut ſcribitur. Quod ſi Spiritus Sanctus non ignorat, qui à Filio accipit, (*ille namque*, inquit, *de meo accipiet*) quomodo Filius ignorabit, qui omnia ſcientis Spiritus eſt largitor? —— ſed ignorat videlicet, ut homo, quod ut Deus optimè novit. —— Patet, quia ipſe ut Deus ſcit, ignorat autem in quantum ſervi formam aſſumſit. —— Sicut ergo voluit, tanquam homo fame ac ſiti cæteriſq; hujuſmodi laborare, ſic etiam ut homo diem illum ignorat. Aliquando enim, ut Deus, aliquando ut homo loquitur, ut & Deum & hominem verum ſe oſtendat. —— diem illum & horam & ignorat & ſcit, alterum ut homo; alterum ut Deus. —— Similiter igitur diem & horam adventûs ſui, in quantùm Verbum & Sapientia Dei eſt, non ignorat: ſed ne dolorem teneris adhuc diſcipulis faceret, deſiderantibus illud ſcire, verè ſe dixit ut hominem ignorare: infirmitates enim noſtras omnes accepit. hac de cauſſa ignoraſſe ſe dixit. —— Cum verè ab eo dicatur, ut ab homine. *fratribus enim in omnibus ſimilis fuit*, ſecundùm Paulum. hæc ibi. Item lib. 10. ejuſdem Theſauri, cap. 7. Unus profectò Dominus Jeſus Chriſtus eſt, & non duo, & unus hypoſtaticè atque perſonaliter in duabus naturis. Deus enim hominem aſſumſit atque induit, & ideò Verbum dicitur caro factum eſſe. Cur igitur omnia, quæ homini ſine peccato conveniunt, etiam Verbo non attribuitis? præſertim cum hinc nulla in re Deitati Verbi derogetur. Quoniam igitur carni proficere proprium eſt, dicas eum ut hominem profe-



Ambroſ.

Pro me neſcire ſe diem [illegible]

Proficiebat ſapientia hominis.

Eſa. 7,16.

Chryſoſt.

Cyrillus Alex.

Regula.

2. Cor. 10, 5.

Ignorantiam humanam ſuſcepit.

Scit ut Deus, quod ut homo ignorat.

1. Cor. 2, 10.

Joan. 16, 14.

Ignorat ut homo, quod ut Deus optimè novit.

Verè ſe dixit ut hominem ignorare.

Fratribus ſimilis. Hebr. 2,17.

ciſſe: ſibi enim attribuit quæ carnis ſunt. ſic enim mortem etiam perpeſſum prædicamus, neque ut Deum, ſed ut hominem id perpeſſum credimus. ——— Undique igitur patet, non Sapientiam ipſam, in quantum eſt Sapientia, ſed humanam naturam in ſapientia profeciſſe. Paullatim enim natura noſtra manifeſtabatur, ſicut inſtrumentum eſſe Deitatis, quæ habitavit in ipſa: ideo non dicit Verbum Dei profeciſſe, ſed Jeſum: ne ſcilicet Verbum proficere videretur, ſed humana natura quæ profectus ſuſceptibilis eſt. Sic igitur quæ de Chriſto ſcribuntur, intelligenda ſunt, ut nec quæ Deitati conveniunt, humanitati ejus attribuantur: nec quæ humanitatis propria ſunt, ad Deitatem ipſius diſtorqueantur. Hæc Cyrillus, locis citatis, ex interpretatione latina Georgii Trapezuntii.

*Vt homo profecit.* — *Regula.*

10. Idem Cyrillus ait, lib. 2. ad religioſiſſimas reginas, cap. 16. qui exſtat in prima parte Concilii Epheſini; Illud verò, *Puer autem creſcebat, & confortabatur ſpiritu, plenus ſapientiâ; & gratia Dei erat in illo.* & infrà; *Ieſus proficiebat ſtaturâ, & ſapientiâ, & gratiâ apud Deum & homines.* Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum unum eſſe affirmantes, & eidem tribuentes tum humana, tum etiam ea quæ Deum decent, [ἑνὶ αὐτῷ περιτιθέντες τά τε ἀνθρώπινα καὶ θεοπρεπῆ.] exinanitionis quidē menſura verè convenire aſſerimus, [τοῖς μὲν τῆς κενώσεως μέτροις πρέπειν ἀληθῶς διαβεβαιούμεθα] tum corporalis incrementi ſuſceptionem, atq; etiam acceſſionē roboris, conſolidatis paullatim corporis partibus; tū hoc ipſum etiam, quod ſapientiâ impleri prædicatur, quandoquidem unà cū incremento quod corporis ſtaturæ congruebat, ſapientia quæ in eo erat, magis magiſq; ſeſe oſtendebat. Ubi enim humiliatio in quam ultro ſe demiſit, ſi, quæ humana ſunt, repudiaret? [ποῦ γὰρ ἡ κένωσις, [illegible], εἰ παραιτοῖτο τὰ ἀνθρώπινα;] ——— Cùm igitur audis, *puer autem creſcebat, & roborabatur ſpiritu, & implebatur ſapientiâ*, diſpenſationis cum carne myſterium in cauſæ patrocinium aſſume, [δέχου πρὸς ἀπολογίαν τῆς μετὰ σαρκὸς οἰκονομίας μυστήριον.] ——— Nihil proinde abſurdi aut à ratione alienum, aſſeritur, [τὸ ἀπεικὸς ἀπῇ] dum gratiam habere, vel gratiâ apud Deum & homines proficere aſſeritur. Et cap. 17. ejuſdem libri; proponit hanc Neſtorianorum objectionem adverſus orthodoxos dicentes, Deum Verbum incarnatum unum eſſe Chriſtum; quomodo igitur (inquiebant Neſtoriani) ignoravit conſummationis diem? Quibus reſpondet Cyrillus; ignorationem quorundam in Deo arcanorum neque eſſe inuſitatam, neque indecoram creaturæ. [τῇ κτίσει.] Atque ſi Filius, quatenus homo factus, *paulùlum ab Angelis minoratus* dicitur, non mirum eſſe, ſi ſimul cum Angelis neſcire dicatur illud in Deo arcanum, etiamſi quà Deus nôrit omnia. Et infert hanc concluſionem, οὐκοῦν καὶ ἀγνοεῖν ἀνθρωπίνως λέγεται, ἀλλ' ᾔδει θεϊκῶς. id eſt, quamvis igitur dicatur neſcire ut homo, attamen ſcivit ut Deus. Et hoc ipſum illuſtrat ex hiſtoria de Lazaro, de quo Judæos interrogans, *ubi poſuiſtis eum?* oſtendit fas ſibi eſſe neſcire ſecundum humanitatem, [ὡς ἐξὸν αὐτῷ μὴ εἰδέναι κατὰ τὸ ἀνθρώπινον,] & tamen eundem Lazarum ex mortuis reſuſcitans operationem exercuit divinam, [ἐνέργησε θεϊκῶς.] Et monet in his aliiſque Scripturæ de Chriſto dictis exponendis ſervandam

*Luc. 2. 40. & verſ. 52.* — *Objectio Neſtorianorum.* — *Reſponſio Cyrilli.* — *Heb. 2. 7.* — *Diſtinctio.* — *Ioan. 11. 34.*

eſſe hanc regulam, ut humana tribuamus diſpenſationi incarnationis; divina autem unigenito Dei Verbo, qui homo noſtri ſimilis factus eſt. [Greek: illegible] Hæc Cyrillus Alexandrinus.

*Regula.*

11. *Proclus* Epiſcopus Conſtantinopolitanus, [Flaviani prædeceſſor] in ſua ad Armenios epiſtola, ait: [Greek: illegible] id eſt: Ipſe eſt unus ille & ſolus Filius, *qui eſt priuſquam Abraham exſtiteret*: & in noviſſimis ſapientiâ & ætate profecit ſecundùm carnem: nam Deitas ejus ſemper habet perfectionem. Sic etiam Titus Epiſcopus Boſtrenſis, in ſuo Commentario in Euangelium Lucæ, exponens illa Euangeliſtæ verba, de Chriſti profectu, Luc. 2. verſib. 40. & 52. monet profectum illum pertinere ad carnem à Deo Verbo aſſumtam, quæ proficiebat, & in qua magis ac magis effulgebat ſplendor Deitatis.

*Proclus.* — *Titus Boſtrenſis.*

12. Sciendum autem profectum illum Chriſti manifeſtativum, ex Patrum illorum mente, quoad naturam Chriſti humanam fuiſſe verum ac propriè dictum profectum, vel ſaltem conjunctum cum vero & propriè dicto profectu in ſapientia, ſicut vera propriéque dicta erat fames, ſitis, mors, quæ non in ſpeciem duntaxat, & ſecundùm intuentium opinionem, ſed verè ac realiter pertulit Chriſtus ſecundùm humanitatem. Nam mera manifeſtatio aliis facta illius, quod jam ante in Chriſto erat, convenit ei etiam ſecundùm divinam naturam; neque talis manifeſtationis incrementa, reſpectu rei manifeſtatæ ſunt propria carni: nam & ipſa Deitas & SS. Trinitas per quoſdam revelationis gradus manifeſtatur. non tamen Deitas dici poteſt proficere in ſapientia; non enim id quod revelatur, ſed id cui aliquid magis magiſque revelatur, proficit in ſapientia. Hanc fuiſſe antiquorum illorum Patrum mentem, liquet ex eorum verbis ſuprà citatis. Vide inferius cap. 20. §. 11. ubi de profectu manifeſtativo, & profectu augmentativo vel acquiſitorio.

13. Atque in hunc modum antiqui illi Patres blaſphemam Arianorum & Neſtorianorum inſaniam compeſcuerunt. multò ſanè felicius reſpondentes, quàm alii quidam veterum & recentiorum, qui eam Chriſti neſcientiam ad ſolam referunt reticentiam, quâ diſcipulos celavit diem illum. quam παρερμηνείαν prolixius ἐν Θεῷ, refellemus proximo capite, §. 30. & ſequentibus.

14. At poſtea circa annum Dom. 530. aut 531. qui fuit poſt tertiæ ſynodi celebrationem centeſimus, regnante Juſtiniano ſeniore Auguſto, cœperunt de eorundem ſacræ Scripturæ dictorum interpretatione inter ſe digladiari *Monophyſitæ* Corrupticolæ, à Monophyſitis Phantaſiaſtis jam diviſi. Nam cum *Timotheus*, Epiſcopus Alexandrinus, Corrupticolis aſſentiretur, dixit ei *Themiſtius* diaconus ejus, etiam Corrupticola: Si corpus Chriſti corruptibile eſt, debemus eum dicere & aliqua ignoraſſe, ſicut de Lazaro. Hoc Timotheus negavit dicendum: à cujus communione Themiſtius deſciſcens, ſchiſma fecit, & ab ipſo dicti ſunt in Ægy-

pto



pto *Themiſtiani*. Hæc de origine hæreſeos Themiſtianorum (ſive Agnoëtarum) Liberatus, qui illo tempore vivebat, ſcribit in breviario, in fine capitis 19.

15. Hunc Themiſtianorum errorem Monachi quidam, in ſolitudine Hieroſolymitanâ degentes, circa finem ejuſdem ſexti ſeculi, tuebantur; quâ occaſione Eulogius tunc temporis Epiſcopus Alexandrinus, orationem ſcripſit κατὰ ἀγνοητῶν, contra Agnoëtas, ut legimus in bibliotheca Photii Patriarchæ Conſtantinopolitani, in volumine ducenteſimo trigeſimo, propè finem. ubi Eulogius contendit Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, neque ſecundùm humanitatem quidem, multò minus verò ſecundùm Divinitatem, ignoràſſe ſepulchrum Lazari, neque etiam ultimum illum diem. [ὅτι κατὰ τὸ ἀνθρώπινον, πολλῷ δὲ μᾶλλον οὐδὲ κατὰ τὸ θεῖον, ἀγνοεῖν τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, οὔτε τὸν τάφον τοῦ Λαζάρου, οὔτε τὴν τελευταίαν ἡμέραν.] Hæc ille. Nam Monophyſitæ illi, unam ſolùm in Chriſto naturam poſt incarnationem agnoſcentes, nullam in Chriſto poſt incarnationem agnoſcebant naturam, per quam ſciret illa quæ antiqui Patres dicunt illum ſecundùm humanitatem neſciviſſe; at ſecundùm Deitatem perfectiſſimè cognita ſemper habuiſſe. Quandó igitur Themiſtiani Monophyſitæ dicebant, *Chriſtum ut hominem ignorare diem judicii*, intelligebant eum penitùs ignorare diem judicii, adeò ut ſecundùm nullam in Chriſto naturam diem illum Chriſtus cognoverit. Quod perinde erat ac ſi diſertè cum Arianis aſſeruiſſent, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum non ſcire ſecundùm Deitatem omnia quæ ſcit Pater: penitus enim eum neſcire diem judicii, &c. Quem Agnoëtarum errorem Eulogius refellens, non contentus illâ veterum diſtinctione, utitur ulterius argumento ab imparibus, à minore ad majus, nempe Chriſtum nō ignorare iſta ne ſecundùm humanā quidem naturam, idcóque multò magis [πολὺ μᾶλλον] eum non ignorare iſta ſecundùm Divinitatem. Ex qua Eulogii argumentatione & concluſione liquidò patet Monachos illos Agnoëtas, contra quos ſcripſit Eulogius, ipſiſſimam Themiſtii hæreſin defendiſſe, *nempe Chriſtum Ieſum iſta penitùs ignorare, neque ſecundùm ullam naturam ea ſcire*. Quid verò de illa Eulogii aſſertione, quâ affirmat Chriſtum ne ſecundùm humanam quidem naturam iſta ignoràſſe, quid, inquam, de hac aſſertione ſentiendum ſit, & quo pacto cum antiquorum Patrum doctrinâ conciliari poſſit, infrà diſpiciemus. Nunc autem id tantummodo inveſtigamus, quodnam fuerit dogma hæreſeos Agnoëtarum, propter quod hæretici judicati ſint. hoc autem fuiſſe, quod exiſtimârint Chriſtum ultimi judicii diem & alia quædam penitùs ignoràſſe, adeò ut ne ſecundùm Deitatem quidem ea cognoverit, jam oſtendimus tum ex ipſorum Monophyſitarum doctrinâ, tum etiam ex Eulogio. Id quod aliorum etiam Patrum teſtimoniis oſtenſuri imus.

*Eulogius Alexandrinus.* — *Vide cap. 20. §. 14. & §. 16.* — *Dogma Agnoëtarum.* — *Vide infrà, §. 12. & §. 13. & 14.* — *Vide cap. 20. §. 14. & §. 16.* — *Gregor. I.*

16. *Gregorius* hujus nominis *primus*, Epiſcopus Romanus, memorato Eulogio Patriarchæ Alexandrino fuit contemporaneus, & ab eodem Eulogio de ſcriptis ipſius contra Agnoëtas editis conſultus, reſpondit per epiſtolam quam ſcripſit ad Eulogium illum, Patriarcham Alexandrinum, quæ exſtat lib. 8. epiſtolarum ex regiſtro ejuſdem Gregorii, epiſt. 42. ex qua epiſtola etiam facilè evincitur eum fuiſſe Agnoëtarum errorem, quem ſuprà deſcripſimus. Nam ad objectionem illam ex Marc. 13. ſumtam, poſt alias reſponſiones, hanc poſtremò loco adfert, tanquam tutiſſimam: incarnatum unigenitum, factumque pro nobis hominem perfectum, in natura quidem humanitatis noviſſe diem & horam judicii; ſed tamen hunc non ex natura humanitatis noviſſe. Quod ergo in ipſa novit, non ex ipſa noviſſe; quia Deus & homo factus, diem & horam judicii non niſi per Deitatis ſuæ potentiam novit. ſicut cùm ei in nuptiis Mater Virgo diceret, vinum deeſſe, reſpondit: *Quid mihi & tibi mulier? nondum venit hora mea.* ——— Ac ſi apertè diceret: Unde facere miraculum poſſum, hoc mihi ex Patre, non ex matre eſt. Ex matre enim mori poterat, qui ex natura Patris miracula faciebat. Unde & in cruce poſitus, eandem Matrem moriens recognovit, quam diſcipulo commendavit, dicens: *Ecce, Mater tua!* ait ergo, *quid mihi & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea.* Quod eſt dicere, in miraculo quod ex tua natura non habeo, te minimè recognoſco. ſed cùm hora mortis venerit, cognoſco te Matrem, quia unde mori poſſum, hoc ex te habeo. Itaque ſcientiam, quam ex humanitatis naturâ non habuit, ex qua cum Angelis creatura fuit, hanc ſe cum Angelis, qui creaturæ ſunt, habere denegavit. Diem ergo & horam judicii ſcit Deus & homo. Res autem valde manifeſta eſt; quia quiſquis Neſtorianus non eſt, Agnoëta eſſe nullatenus poteſt. Nam qui ipſam Dei ſapientiam fatetur incarnatam, quâ mente valet dicere, eſſe aliquid quod Dei Sapientia ignoret? Hæc Gregorius.

*In natura humanitatis, ſed non ex ea, neque per eam.* — *Ioan. 2. 4.* — *Ioan. 19. 27.*

17. Ex his patet, Gregorium poſt examinatas alias reſponſiones, hanc tandem cenſuiſſe tutiſſimam, quæ jam olim ab antiquis Patribus contra Arianos veraciter ac feliciter uſurpata eſt, per diſtinctionem duarum in uno Chriſto naturarum, ex qua firmiſſimè evincitur, Chriſtum non poſſe eſſe penitùs ignarum ullius rei quam ſcit Pater; quia unus ille idemque Chriſtus, quamvis ſit homo inferior Patre, in eadem tamen perſonâ æqualis eſt Patri ſecundùm Divinitatem, quam habet eandem immotam cum Patre. & ex ea etiam in carne Deus eſt, adcóque in carne omniſcius; quamvis non ex carne, neque per carnem. Pulchrè *Athanaſius*, oratione 4. contra Arianos, poſt medium ait: ἀληθινὸς γὰρ ἦν Θεὸς ἐν τῇ σαρκί· καὶ ἀληθὴς ἦν σὰρξ ἐν τῷ Λόγῳ, διὰ τοῦτο, &c. quia verus Deus erat in carne, & vera caro in Verbo: ideóque ex operibus quidem notum faciebat ſeque Filium Dei, & Patrem ſuum; ex carnis verò affectionibus declarabat ſe verum corpus geſtare. Hæc ibi. Similes loquutiones vide ſuprà in Symbolo ſynodi Antiochenæ adverſus Paulum Samoſatenum, lib. 1. hujus operis, cap. 4. Item in epiſtola Encyclicâ Leonis Papæ ad Flavianum, & ejuſdem epiſtolâ ad Julianum Epiſcopum Coenſem, lib. 2. hujus operis, capitibus 11. & 13.

*In carne, ſed non ex carne, neque per carnem.*

18. *Leontius* etiam ſcholaſticus Byzantinus, Eulogio σύγχρονος, de Agnoëtarum dogmate diſſerens, lib. de ſectis, actione decimâ, ait: Agnoetę [Ἀγνοηταὶ] confitentes omnia ſicut Theodoſiani, diſcrepant in hoc, quod Chriſti humanitatem ignorare Theodoſiani negant, illis ignorare affirmantibus. [ὅτι οἱ Θεοδοσιανοὶ οὐ λέγουσιν ἀγνοεῖν τὸ ἀνθρώπινον τοῦ Χριστοῦ· οὗτοι δὲ, ἀγνοεῖν.] Ajunt enim per omnia Chriſtum nobis adſimilari. Quod ſi nos ignoramus, & ipſum ignoràſſe. quin

*Leontius.*



&

& in Euangeliis ipſummet ita loqui, ut neminem dicat illum diem & horam noſſe, ne Filium quidem, niſi ſolum Patrem. Et rurſus: *Ubi Lazarum poſuiſtis?* Hæc enim omnia verba, inquiunt, ignorationem ſignificant. Verum alii reſpondent, iſta dixiſſe Chriſtum ſecundum diſpenſationem ut diſcipulos averteret à ſpe diſcendi ex ipſo, horam conſummationis. [illegible] Nempe dicunt, poſt reſurrectionem rurſus ab eis interrogatus, non amplius dicebat, ne Filius quidem, ſed, nemo veſtrum. Nos autem dicimus, non adeò de his ſubtiliter inquirendum: quippe nec ſynodus curioſius de hoc dogmate ſollicita fuit [illegible] Sciendum tamen complures ex Patribus, ac propemodum univerſos videri dicere, quod ignoret. Nam cum per omnia nobiſcum unius eſſe ſubſtantiæ dicatur, & nos ignoremus; nimirum ignorabat & ipſe. Quin & ipſa Scriptura dicit eum profeciſſe ſtaturâ & ſapientia: nempe diſcentem id quod neſciebat, [illegible] Hæc Leontius, adhærens
Vide ſupra §. 15. expoſitioni, quam attulerunt antiquiores orthodoxi Patres. à qua tamen longè aberant Agnoëtæ, quamvis dicerent Chriſtum ut hominem ignorare. non enim agnoſcebant in Chriſto duas diverſas naturas inconfuſè unitas, ſalvâ proprietate utriuſque naturæ; ſed unam tantùm in illo putabant eſſe naturam compoſitam: Neque ſecundùm ullam naturam concedebant Chriſto poſtremi diei cognitionem, atque adeò quod Chriſti neſciebat humanitas, illud Chriſtum penitùs ignoràſſe exiſtimabant.

Agnoëtæ non ſunt, qui Chriſtum confitentur omniſcium ſecundum Deitatem. 19. Quicumque igitur duas in uno Chriſto agnoſcit diſtinctas naturas contra Neſtorium & Monophyſitas; & agnoſcit Chriſtum ſecundùm Divinitatem neque eſurivíſſe, neque ſitiíſſe, neque mortem perpeſſum eſſe, neque quicquam ignoràſſe, quamvis fateatur eidem Chriſto ſecundùm humanitatem iſta omnia contigiſſe, is neque Aphthartodocita, neque Corrupticola, neque Agnoëta eſt, ſed ab omnibus iſtis hæreſibus immunis & alienus, cum ſanctis Patribus Athanaſio, Cyrillo, Gregorio, Leontio, aliiſque ſuprà citatis.

Iſidorus Hiſpal. 20. Idem etiam ex poſteriorum Patrum ſcriptis evidentiſſimè comprobatur. *Iſidorus*, Hiſpalenſis Epiſcopus, (qui præſedit Concilio Toletano quarto, anno Dom. 633.) varias enumerans hæreſes, lib. 8. Originum cap. 5. poſt hæreſeos Theodoſianorum & Gaianitarum eam deſcriptionem, quam in fine ſuperioris capitis exhibuimus; ſubjungit hanc deſcriptionem hæreſeos Agnoëtarum. Agnoëtæ & Tritheitæ à Theodoſianis exorti ſunt: ex quibus Agnoëtæ ab ignorantia dicti: qui perverſitati, à qua exorti ſunt, id adjiciunt, quod Chriſti Divinitas ignoret futura quæ ſunt ſcripta de die & hora noviſſimâ: non recordantes Chriſti perſonam in Eſaia lo-
Isa. 63,4. quentis, *dies judicii in corde meo.* Hæc Jſidorus.

Rabanus Maurus. 21. Jſidori non ſolùm judicium ſequutus eſt, ſed & ipſa ejus verba tranſſcripſit *Rabanus Maurus*, eaque inſeruit operi ſuo de inſtitutione Clericorum, lib. 2. cap. 58. quod opus ſcripſit adhuc presbyter. Poſtea autem factus eſt Rabanus Epiſcopus Moguntinus, & mortuus eſt anno Dom. 855. Epiſcopatûs ſui anno 9. ſicut notat Hiſtorpius. Eandem hæreſeos Agnoëtarum deſcriptio-
nem ex Jſidoro deſumtam inſeruit Decreto *Gratianus*, cauſ. 24. quæſt. 3. Can. *quidam autem*. Claruit autem Gratianus, anno Dom. 1160. ſicut notatur in ejus vita Decreto adjectâ. Gratianus.

22. *Ioannes Damaſcenus*, qui circa annum Dom. 730. ſub Leone Iſaurico Imperatore vixit, teſte Joanne, Patriarcha Hieroſolymitano, in vita Damaſceni, ſcripſit librum de hæreſibus, in quo Agnoëtas ſic deſcribit. [illegible] *id eſt*: Agnoitæ, qui iidem Themiſtiani vocantur, impiè & improbè Chriſtum diem judicii ignorare palàm docent, eumque ignaviæ timiditatiſque arguunt. hi ſunt quædam ſecta Theodoſianorum. Themiſtius enim, qui eorum ſectæ & diſciplinæ princeps fuit, unam in Chriſto naturam compoſitam fuiſſe tradidit. Ioannes Damaſcenus.

23. *Ioannes Maldonatus*, Jeſuita, in Commentario in Matth. 24. idem agnoſcit: *Habiti ſunt*, inquit, *Themiſtiani cognomento Agnoëtæ pro hæreticis, quòd docuerint Chriſtum diem judicii ignoràſſe; ut Damaſcenus, lib. de hæreſibus autor eſt. verùm illi, ut ex eodem Damaſceno colligitur, ſimpliciter, & ſine ulla diſtinctione divina humanæque naturæ, ignorantiam Chriſto tribuebant; quia credebant Divinitatem in humanitatem fuiſſe converſam.* hæc ille. Id ipſum aſſerit, eiſdemque verbis, *Petrus Thyræus* Jeſuita, in ſuo tractatu de glorioſa Chriſti Filii Dei apparitione, cap. 19. Num. 26. & *Adamus Contzen* Jeſuita, in ſuo Commentario in Euangelium Matthæi, in caput 24. v. 36. *Themiſtiani*, inquit, *Divinitatem ignoràſſe putârunt, quòd in humanam converſa naturam, ejus ignorantiam contraxiſſet.*

24. Nimis igitur incautè, & nimis inverecundè *Bellarminus* [lib. 4. de Chriſto cap. 1.] auſus eſt aſſerere, ejuſque defenſor Gretſerus defendere conatur; hanc fuiſſe Agnoitarum hæreſin, quòd *diei judicii ignorantiam non divinitati Chriſti, ſed ejus animæ tribuebant.* In quo ſuam detegunt vel craſſam ignorantiam, vel immanem impudentiam.

25. Certè, inquies, clariſſimum eſt, hæreticos Agnoitas neque ſecundùm Divinitatem Chriſto reliquiſſe ſcientiam illius diei, ideóque hæretici meritò judicati ſunt: idque vel non intellexerunt, vel nequiter diſſimularunt Bellarminus, ejuſque defenſor. Sed miſſos iſtos faciamus. Interea non negligenda videtur altera illa quæſtio, à Scholaſticis multum agitata, de Chriſti etiam ſecundùm humanitatem ſcientia, aut neſcientiâ. De hac igitur quæſtione quid ſtatuendum ſit, ediſſere. Faciam id quidem, Deo donante. ſed prius fallacem Bellarmini prætextum, & Nicephori errorem patefaciam.

26. *Bellarminus* ſuo mendacio hoc prætexit, quòd ita argumentati ſint Agnoitæ: *Verbum accepit corruptibile corpus, ut moriendo pro nobis nos à morte liberaret: ergo accepit etiam noſtram ignorantiam, id eſt, mentem humanam ignorantem, ut nos ab ignorantia liberaret.* Hæc



Hæc ille. Hic in una ſententia bis errat Bellarminus. 1 Sic argumentatos eſſe Agnoitas, nuſquam legit. Refert quidem Liberatus Themiſtium Agnoitarum Parentem hoc modo eſſe argumentatum: *Si corpus Chriſti corruptibile eſt, debemus eum dicere & aliqua ignoràſſe.* at perperam inde colligit Bellarminus, Agnoitas hanc ignorantiam ſoli humanæ menti Chriſti tribuiſſe, & ab ea Divinitatem immunem agnoviſſe. cum ex ſuperioribus liquidò conſtet, eos ignorantiam omni Chriſti naturæ, ne ipſa quidem exceptâ Divinitate, tribuiſſe.

27. Argumentum vero, quod extat apud Gregorium, lib. 8. epiſtolarum ex regiſtro, cap. 42. quod Bellarminus Agnoitarum eſſe dicit, lib. 4. de Chriſto, cap. 5. Non eſt ab Agnoitis, ſed à viro Catholico Anatolio propoſitum, tanquam alia quæſtio; ſicut loco citato commemorat Gregorius. Nec tamen in illo argumento fit mentio vel divinitatis, vel animæ Chriſti, ſed tantummodo objicitur quid ſi Sapientia Dei noſtram ignorantiam ſuſcipere dignata ſit, ut nos ab ignorantia liberaret? Suſceptam quidem ignorantiam aiebant Agnoitæ, ita tamen, ut ipſa Sapientia Dei, quà ſapientia, non jam eſſet immunis ab ea ignorantia: at verò ſalvâ divinæ ſapientiæ omniſcientiâ, ſuſceptam eſſe à Chriſto humanitatem ignorationi obnoxiam, non Agnoitæ, ſed antiqui Patres docuerunt, ſicut ex eorum verbis ſuprà citatis clariſſimè conſtat.

Error Niceph. Calliſti. 28. *Nicephorus Calliſti* heſternus eſt ſcriptor, ſi cum antiquis illis Patribus ſuprà commemoratis conferatur, nam circa annum Dom. 1300. vixit. hic contra omnium veterum ſcriptorum relationes, quodam illius ſeculi crepuſculo occæcatus, vel proprio errore abreptus, de Agnoëtarum hæreſi quædam narrat, veteribus ipſique Nicephoro repugnantia. Nam 1. ait: *Themiſtium philoſophum, ſub Valente Imperatore principem hujus ſectæ extitiſſe.* Hoc refellit ipſe Gretſerus; quia Themiſtius ille Philoſophus Ethnicus fuit. 2. ait Nicephorus; *Agnoëtas dixiſſe, Deum quidem Verbum omnia noſſe; humanitatem verò ſecundùm ſubſiſtentiam ei unitam permulta ignorare. Neſcire ſanè horam & diem Mundi totius conſummationis, utpote Patre minorem: propterea quòd in Euangelio dicat*, de die autem illa & hora nemo novit, neque ipſi Angeli in Cœlis, neque Filius, præterquam ſolus Pater. *Et hujuſmodi vocibus Arium & Aetium, & Eunomium hæreſiarchas impiè uſos eſſe, ut inde inferrent alterius eſſe naturæ Patrem, alterius Filium: & illum quidem principio carentem; hunc autem creaturam, qui temporale principium ſumſerit, Patri per omnia inæqualem. Ideo hæreſin hanc Agnoëtarum rivum quendam Ariani dogmatis appellat* Nicephorus, lib. 18. hiſt. Eccleſ. cap. 50. Hæc autem cum veterum Patrum relationibus pugnant. Nam veteres concorditer teſtantur, Agnoëtas non conceſſiſſe Chriſto ſecundùm ullam naturam, poſt incarnationem, ſcientiam diei ultimi. 3. Hæc etiam Nicephori relatio ſeipſam deſtruit; nam Ariani non conceſſerunt, Verbum omnia noſſe, neque Patris & Filii inæqualitatem aliunde quàm ex ipſius Dei Verbi ſecundùm ejus Deitatem ignorantia, aliiſque inferioris conditionis argumentis adſtruere ſatagebant. Secum ipſe igitur pugnat Nicephorus, quando ait; *Arianorum errorem ab Agnoëtis reſumtum eſſe: & tamen ſoli humanitati ignorantiam ſecundùm Agnoëtas tribuit.* Porrò Nicephorus Severum hujus erroris renovatorem eſſe ſcribit; de quo nihil apud veteres invenitur. Imò è contrario Liberatus ſcribit Severum autorem quidem extitiſſe ſectæ Corrupticolarum, & ex ipſis Corrupticolis præcipuas reſtitiſſe Themiſtio, etiam Corrupticolæ, principi ſectæ Agnoëtarum, & à Themiſtio *Themiſtianos* dictos eſſe.

His præmiſſis, accedimus ad propoſitam quæſtionem de Chriſti ſcientia & neſcientia, & profectu ſecundùm humanitatem, in diebus ejus infirmitatis.

## CAPUT VIGESIMUM.

*Diſſertatio ſcholaſtica, de Chriſti ſcientia & neſcientia, & profectu ſecundùm humanitatem, in diebus ejus infirmitatis: cum refutatione fallaciæ illius artis, quam* æquivocationem *vocant.*

Definiunt antiqui Patres. ANtiqui Patres ad hanc quæſtionem ſimpliciter reſponderunt, Chriſtum & neſciviſſe & profeciſſe ſecundùm humanitatem: neque ullum aſſignant modum, quo Chriſtus tunc non neſciverit diem judicii, niſi ſecundùm Divinitatem. Et *Gregorius* hujus nominis *primus*, Epiſcopus Romanus, ad Eulogium reſcribens, reſponſiones quidem Eulogii benignè interpretatur, nuſquam tamen tutum invenit perfugium, donec ad eandem veterum diſtinctionem ſe recipiat. Idcóque in ea tandem pedem figit. hæc omnia ex ſuperioribus manifeſta ſunt.

Bernard. Claraval. 2. Secundùm eandem antiquorum Patrum diſtinctionem, quæſtionem hanc explicuit *Bernardus*, Abbas Clarævallenſis, in tract. de gradibus humilitatis & ſuperbiæ, paullò poſt principium; ubi hæc ſunt Bernardi verba: *Beatus Dei Filius in ea forma, quâ non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Patri, proculdubio impaſſibilis, priuſquam ſe exinaniſſet formam ſervi accipiens, ſicut miſeriam & ſubjectionem expertus non erat, ſic miſericordiam & obedientiam non noverat experimento. ſciebat quidem per naturam, non autem ſciebat per experientiam. At ubi minoratus eſt uſque ad illam formam, in qua pati & ſubjici poſſet, & in paſſione expertus eſt miſericordiam, & in ſubjectione obedientiam. Per quam tamen experientiam non illi ſcientia, ſed nobis fiducia crevit, dum ex hoc miſero genere cognitionis, is, à quo longè erraveramus, factus eſt propior nobis. quando enim illi appropinquare auderemus in ſua impaſſibilitate manenti?* ——— *Non ergo debet abſurdum videri, ſi dicitur Chriſtum non quidem aliquid ſcire cœpiſſe, quod aliquando neſcierit; ſcire tamen alio modo miſericordiam ab æterno per Divinitatem, & aliter in tempore didiciſſe per carnem. Vide, ne & ſimili loquutionis modo illud dictum ſit, quod Dominus requirentibus diſcipulis de die ultimo ſe neſcire reſpondit. Nam quomodo diem illum ille neſciebat, in quo omnes ſapientiæ & ſcientiæ theſ-* Col. 2,3. *auri ſunt abſconditi? Cur ergo ſe ſcire negabat, quod certum eſt, quia neſcire non poterat? Num quid fortè mendaciter eos voluit celare, quod utiliter non valuit innoteſcere? abſit! Sicut nihil igno-*

*rare poterat, cùm Sapientia ſit: ſic nec mentiri, cùm Veritas ſit. Sed volens diſcipulos ab inutilis inquiſitionis curioſitate compeſcere, quod inquirebant, ſe ſcire negavit: Non omnimodò quidem, ſed tali quodam modo, quo negare veraciter potuit. Nam etſi ſua Divinitatis intuitu æquè omnia, præterita ſcilicet, præſentia, atque futura, perluſtrando, diem quoque illum palàm habebat; non tamen ullis carnis ſuæ ſenſibus experiendo agnoverat. Alioqui jam Spiritu oris ſui, Antichriſtum interfecerat: jam auribus ſui corporis Archangelum vociferantem, & tubam ſonantem, in quo ſtrepitu mortui ſuſcitandi ſunt, audierat: jam oculis ſuæ carnis oves hædoſque, qui ab invicem ſegregandi ſunt, perſpexerat. Denique ut intelligas, quod illa tantùm cognitione quæ per carnem ſit, ſe illum diem neſcire perhibuerit, vigilanter reſpondens,* non ait, nec ego ſcio, *ſed,* nec ipſe, *inquit,* Filius hominis ſcit. *Quid eſt Filius hominis, niſi nomen aſſumtæ carnis? quo ſiquidem nomine intelligi datur, quia dicens ſe aliquid neſcire, non juxta quod Deus eſt, ſed ſecundùm hominem loquitur.— Cùm igitur videas Chriſtum in una quidem perſona duas habere naturas, unam quâ ſemper fuit, alteram quâ eſſe cœpit: & ſecundùm ſempiternum ſuum quidem eſſe, ſemper omnia noſſe: ſecundùm temporalem verò multa temporaliter expertum fuiſſe; cur fateri dubitas, ut eſſe in tempore cœpit ex carne, ſic carnis quoque miſerias ſcire cœpiſſe, illo duntaxat modo cognitionis, quem docet defectio carnis?* Hæc Bernardus, nullum alium oſtendens modum quo Chriſtus illo tempore diem judicii ſciverit, niſi ſecundùm Divinitatem: quamvis humanam ejus neſcientiam per experientiæ ſenſibilis abſentiam interpretetur. floruit autem Bernardus an. Dom. 1130. & 1140.

*Eulogius Alex.*

3. At *Eulogius*, Patriarcha Alexandrinus, Gregorii Romani contemporaneus, in ſua apud Photium oratione adverſus Agnoitas, affirmat Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum neque ſecundùm humanitatem quidem ignoraſſe ultimum illum diem. *Neque enim* (inquit Eulogius) *humanitas Chriſti in unam inacceſſibilis & ſubſtantialis ſapientiæ hypoſtaſin admiſſa, quicquam velut rerum præſentium ita futurarum poterit ignorare.* Hæc ille apud Photium, in bibliotheca Photii, codice 230.

*Johan. Damaſc. Petrus Lombard. Alex. Alenſ.*

4. Id ipſum docet *Iohannes Damaſcenus*, lib. 3. orthodoxæ fidei, cap. 21. Idem tenet etiam *Petrus Lombardus*, lib. 3. ſententiarum diſt. 13. quem ſequitur *Alexander Alenſis*, in ſua ſumma Theologiæ, part. 3. quæſt. 5. memb. 2. art. 1. §. 1.

*Thomas Aq. Scientia beata.*

5. *Thomas Aquinas*, in tertia parte Summæ, quæſt. 9. & aliquot ſeqq. ſcientiam Chriſti quoad humanitatem diſtinguit in *beatam*, & *infuſam*, & *acquiſitam*. *Scientiam beatam* vocat, quam Chriſtus homo in beatificâ Dei viſione, per hypoſtaticam humanitatis cum Deitate in perſona Verbi unionem, ſemper etiam in terris habuit; quippe verus comprehenſor etiam tunc quando erat viator, comprehenſor, inquam, quoad plenam Dei viſionem: ſicut explicat idem Thomas, in eadem tertia parte, quæſt. 15. art. 10. *Scientiam* autem *infuſam* ſive *inditam* vocat Thomas eam, quam habuit Chriſtus per ſpecies intelligibiles, intellectui poſſibili ipſius per Verbum inditas in ipſa prima unione. Et quoad hæc duo cognitionis genera ait, Chriſtum nunquam profeciſſe, ſed ſemper omnia ipſi congrua, adeóque etiam ultimum illum diem judicii perfectè cognoviſſe.

*Scientia infuſa ſive indita.*

Tertium verò genus ſcientiæ ſic deſcribit, quod ſit *ſcientia* quædam in Chriſti mente *acquiſita*, per ſpecies quaſdam intelligibiles, quas intellectus agens abſtrahit à phantaſmatibus, & in intellectum poſſibilem introducit. Et hanc *ſcientiam* vocat *acquiſitam* & *experimentalem*. & ait, hanc etiam Chriſti animæ neceſſariò eſſe tribuendam; quippe humanę animæ connaturalem, ejuſque perfectioni neceſſariam: quemadmodum ei tribuitur ſcientia infuſa per lumen deſuper infuſum, ſecundùm modum cognoſcendi proportionatum naturæ angelicæ. Et ſcientia beata Chriſto tribuitur, cùm ſit cauſſa beatitudinis, adeóque ſcientiæ beatæ in aliis, ſitque ejus humanitas Deo conjunctiſſima, & per eum alii ad Deum & beatitudinem adducantur. quum autem hæc ſcientia acquiſita cauſetur ab intellectu agente, qui non ſimul totum operatur, ſed ſucceſſivè; ideo ſecundùm hanc ſcientiam Chriſtum non à principio ſciviſſe omnia, ſed paullatim & poſt aliquod tempus, & habitum illum acquiſitæ ſcientiæ per novarum ſubinde ſpecierum à phantaſmatibus abſtractionem, operatione intellectûs agentis factam, auctum fuiſſe, aſſerit Thomas, part. 3. quæſt. 12. art. 2. ubi hoc modo exponit verba Euangeliſtæ dicentis, *Chriſtum profeciſſe ſapientiâ & ætate*. quamvis quæcunque Chriſtus hac acquiſitâ ſcientiâ didicit, ea omnia per beatam illam ſcientiam, & per infuſam jam antè perfectè cognoverit; ut docet idem Thomas, eadem part. 3. quæſt. 10. art. 10. & quæſt. 11. art. 1. Hanc Thomæ doctrinam, ut ſanam & Catholicam recipit & laudat *Franciſcus Iunius*, in ſuis animadverſionibus in Bellarminum, lib. 4. de Chriſto, cap. 2.

*Scientia acquiſita & experimentalis.*

6. At *Scotus*, in 3. ſent. diſt. 14. quæſt. 3. non conſentit huic doctrinæ Thomæ. Concludit autem profeciſſe Chriſtum quoad *cognitionem* aliquorum *intuitivam*, tam *actualem* (quæ eſt perfecta intuitiva cognitio rei in proprio genere, prout res eſt in ſe præſens in aliqua exiſtentia actuali,) quàm *habitualem*, quàm vocat intuitivam imperfectam, ex illa perfectâ relictam in memoria, quâ habituali intuitiva cognitione cognoſcuntur objecta quantum ad conditiones exiſtentiæ, non ut præſentia, ſed ut præterita. hoc modo dicit Chriſtum multa didiciſſe per experientiam, hoc eſt, per *cognitiones intuitivas*, id eſt, illorum cognitorum quantum ad exiſtentiam, & per memorias derelictas ab eis. Item, Chriſtum profeciſſe ſecundùm *cognitionem abſtractivam actualem*: licet jam ante habuerit ſpecies intelligibiles perfectiſſimas, per quas intelligebat perfectiſſimè res *cognitione abſtractivâ habitualiter*; ut loquitur Scotus, ibidem, quæſt. 4. Et Chriſtum potuiſſe diſcurrere ad concluſiones, quarum prius habuit cognitionem abſtractivam, vel potuiſſe addiſcere concluſionem ſcientificam, licet præhaberet omnem notitiam quidditativam terminorum, quæ dicitur ſcientia ſecundùm Ariſtotelem, 8. Phyſ. & 2. de anima, licet propriè non ſit habitus concluſionis; ait Scotus, ibidem, qu. 3.

7. Diſtinguit Scotus cognitionem Chriſti ſecundùm humanitatem; in eam cognitionem, quâ Chriſtus res cognoſcit *in Verbo*: (in 3. ſent. diſt. 14. quæſt. 2.) & eam, quâ cognoſcit res *in genere proprio* (ead. diſt. quæſt. 3.) *In Verbo*, ait, Chriſtum hominem videre omnia *habitualiter*, exponens habitualiter, hoc modo, quod Chriſtus homo per aliquem actum videat Verbum, & quod per illum actum, omnia relucentia in Verbo ſint homini Jeſu præſentia actu primo; Verbum autem eſſe



homini Jeſu manifeſtativum, ut ſpeculum voluntarium repræſentans omnia. At eum non videre omnia *in Verbo actualiter*: impoſſibile enim eſſe, potentiam finitam perfectâ attentione videre infinita ſimul. in 3. ſent. diſt. 14. quæſt. 2. num. 20.

8. Diſtinctionem autem illam cognitionis rei *in genere proprio*, in abſtractivam & intuitivam, propoſuit, & clarius explicuit Scotus, in lib. 2. ſent. diſt. 3. quæſt. 9. num. 6. & 7. Poteſt, inquit Scotus, eſſe aliqua cognitio objecti, ſecundùm quod abſtrahit ab omni exiſtentiâ actuali: & poteſt eſſe aliqua ejus ſecundùm quod exiſtens, & ſecundùm quod præſens in aliqua exiſtentiâ actuali. Iſta diſtinctio probatur per rationem, & per ſimile. *Primum* patet ex hoc, quod poſſumus habere notitiam de aliquibus quidditatibus: ſcientia autem eſt objecti, ſecundùm quod abſtrahit ab exiſtentia actuali; alioqui ſcientia poſſet quandoque eſſe, quandoque non eſſe. & ita non eſſet perpetua; ſed corruptâ re, corrumperetur ſcientia illius rei: quod falſum eſt. *Secundum* probatur, quia quod eſt perfectionis in potentia inferiori, videtur eminentius eſſe in ſuperiori, quæ eſt ejuſdem generis: in ſenſu autem, qui eſt potentia cognitiva inferior intellectu, perfectionis eſt, quod eſt cognitiva rei ſecundùm quod in ſe exiſtens eſt, & ſecundùm quod eſt præſens ſecundùm ſuam exiſtentiam: Igitur hoc eſt poſſibile in intellectu, qui eſt ſuprema vis cognitiva: igitur poteſt habere cognitionem rei ſecundùm quod præſens. Et ut brevibus utar verbis, primam voco *abſtractivam*, quæ eſt ipſius quidditatis, ſecundùm quod abſtrahitur ab exiſtentia actuali, & non exiſtentia. Secundam (ſcilicet quæ eſt quidditatis rei ſecundùm ejus exiſtentiam actualem, vel quæ eſt rei præſentis ſecundùm talem exiſtentiam) voco cognitionem *intuitivam*: non prout intuitiva diſtinguitur contra diſcurſivam, quia ſic aliqua abſtractiva eſſet intuitiva: ſed ſimpliciter intuitiva, eo modo quo dicimus intueri rem, ſicut eſt in ſe. Iſtud etiam ſecundum membrum per hoc declaratur, quod non exſpectamus cognitionem de Deo, qualis poſſet haberi de eo, ipſo per impoſſibile non exiſtente, vel non præſente per eſſentiam: ſed exſpectamus intuitivam, quæ dicitur facie ad faciem. quia ſicut ſenſitiva eſt facialis, ſcilicet rei ſecundùm quod eſt præſentialiter exiſtens, ita & illa, quam exſpectamus. Secunda declaratio hujus diſtinctionis eſt per ſimile in potentiis ſenſitivis. Aliter enim potentia, vel ſenſus particularis, cognoſcit objectum, aliter phantaſia; ſenſus enim particularis eſt objecti, ſecundùm quod eſt per ſe vel in ſe exiſtens: phantaſia cognoſcit idem ſecundùm quod eſt præſens per ſpeciem; quæ ſpecies poſſet eſſe ejus, licet non eſſet exiſtens, vel præſens: ita quod cognitio phantaſtica eſt abſtractiva reſpectu ſenſûs particularis; quia quæ ſunt diſperſa in inferioribus, quandoque ſunt unita in ſuperioribus. Ita iſti duo modi cognoſcendi, qui ſunt diſperſi in potentiis ſenſitivis propter organum (quia non eſt idem organum, quod eſt bene receptivum, & quod eſt bene retentivum) uniti ſunt in intellectu, cui ut uni potentiæ poteſt uterque actus competere. Hæc ibi Scotus.

9. Hanc autem diſtinctionem Scotus accommodat ad quæſtionem de cognitione animæ Chriſti, in genere proprio, in 3. ſent. diſt. 14. qu. 3. ubi doctrinam Thomæ ſuperius memoratam de infuſa cognitione & acquiſitâ ei accedente, ex profeſſo oppugnat, hoc argumento: *Quia diſtinctio cauſſarum efficientium non ſufficit ad conſtituendam diſtinctionem diverſarum ſpecierum. Nam diſparitas ortûs non facit diſtinctionem naturæ. ſicut homo creatus & homo genitus, non differunt ſpecie. Si ergo cognitio infuſa & cognitio acquiſita, ſolo ortu differant; erunt ejuſdem ſpeciei, cum ſint circa idem objectum, & ejuſdem potentiæ; & ſolùm differant penes cauſſas efficientes: ſicut homo creatus, & homo naturaliter genitus.* Jam autem ipſius Thomæ dictum eſt, duas formas ejuſdem ſpeciei, non poſſe ſimul ineſſe eidem ſubjecto. (part. 1. quæſt. 35. art. 5.) *Præterea* (inquit Scotus) *etſi poſſunt ſimul eſſe in eodem duæ cognitiones ejuſdem ſpeciei, non tamen duæ perfectæ ejuſdem objecti, & ſecundùm eandem rationem: quia aut utraque illarum cognoſcit objectum perfectè, quantum eſt cognoſcibile, & tunc altera ſuperflua eſt: aut non, & tunc neutra eſt perfecta.* Hæc ibi Scotus.

10. Contra rationem à Thoma allatam, de operatione intellectûs agentis ad acquirendam ſcientiam, etiam earum rerum, quas hactenus anima perfectè ſcit per ſcientiam infuſam, contra iſtam (inquam) rationem argumentatur ibidem Scotus, *quia ea admiſſa beatus, cùm habeat intellectum agentem & poſſibilem, poterit tunc acquirere ſcientiam, & potentia augmentativa & aliæ potentiæ, quæ erunt in beatis ejuſdem rationis cum noſtris, poterunt habere actus ſuos: & ita Adam beatus modò poteſt augeri, ſicut & Adam in ſtatu innocentiæ potuit augmentari.* Ex his inſtantiis, & conſimilibus infert Scotus, falſam eſſe hanc Thomæ propoſitionem, potentias perfectas in quocunque poſſe in actus ſuos. [*id eſt, ſe exercere per actus congruentes illi potentiæ.*] *Hoc enim* (inquit Scotus) *ſolùm eſt verum de imperfecto, quod eſt in potentia ad terminos actionum illarum potentiarum. Sed ſi ab aliquo agente præveniente illas potentias, inducti ſunt termini, ad quos poſſunt eſſe actiones iſtarum potentiarum, non poterunt agere ad illos terminos, non propter imperfectionem ſui, ſed propter poſitionem termini ab alio. Nec propter hoc ſunt neganda eſſe in natura, quia ſunt ſimpliciter perfectiones naturæ, ſive illa habeat terminos perfectionis ab illis, ſive aliunde.* Hæc Scotus, contra Thomam, loco citato. Præfert igitur Scotus ſuam diſtinctionem, ſumtam à diverſa ratione ſciendi, pro diverſa conſideratione, atq; adeò diverſitate objecti, per quam diverſitatem exiſtunt formaliter diſtinctæ ſpecies cognitionis: & concludit Chriſtum ſecundùm aliam atque aliam cognitionis ſpeciem vel profeciſſe, vel non profeciſſe; ſicut ſuprà monuimus. Non autem ſecundùm eandem ſpeciem. hoc enim abſurdum eſſe docet, eamque abſurditatem ex Thomæ doctrina ſequi contendit.

11. Chriſtum quidem verè, non autem duntaxat ſecundùm apparentiam profeciſſe ſcientiâ, rectè affirmant Thomas, part. 3. quæſt. 12. art. 2. & Scotus, in 3. ſent. diſt. 14. quæſt. 3. ubi Scotus auctoritate Auguſtini probat textum Euangelii non eſſe ita exponendum, ac ſi tantum ſecundùm apparentiam Chriſtus profeciſſet; quia ſecundùm Auguſtinum, in lib. 83. qu. contra Apollinariſtas, Euangeliſtę narrât hiſtorias, & ideo verba eorum vera ſunt ut exprimuntur. Non ſic de aliis ſermonibus tropicis Scripturæ Sacræ. *Et hoc etiam* (inquit) *declarat auctoritas Ambroſii, & Apoſtoli ad Ebræos. Quia verè in eo aliquis ſenſus profecit, non quod aliquorum cognitionem abſtractivam habitualem*

*Chriſtus verè profecit.*

*Euangeliſtæ narrant hiſtorias, & ideo verba eorum vera ſunt ut exprimuntur.*

*Diſtinctio profectûs. Vide cap. 19. §. 12.*

*tualem acquiſiverit, ſed intuitivam, tam actualem, quàm habitualem.* Hæc ibi Scotus. Meminiſſe tamen oportet duplicem eſſe profectum, quo Chriſtus profeciſſe dicitur: Unus eſt *manifeſtativus*; alius autem *augmentativus* vel *acquiſitorius*. quod autem à Luca in Euangelio ſcribitur, *Jeſum profeciſſe ſapientiâ & ſtaturâ & gratiâ apud Deum & homines*; illud utrumque proficiendi modum comprehendit. Nam ſtaturâ, & gratiâ apud homines, id eſt, in favore hominum erga eum, profecit Jeſus profectu *augmentativo & acquiſitorio*: ſapientiâ autem profecit utroque profectûs genere; nam creſcente corporis ſtaturâ, tum patefecit ſe magis ac magis ea Sapientiæ plenitudo, quę in eo erat, tum etiam experientiam & intuitivam cognitionem rerum acquirebat, atq; ita verè proficiebat ſcientiâ quadam acquiſitâ; ſicut eſt ſupra explicatum. gratiâ verò apud Deum profeciſſe dicitur, non quòd divinæ erga eum dilectionis facta ſit aliqua acceſſio, ſed quia nova quotidie pignora ſeu ſigna atque effecta accipiebat dilectionis illius, quâ à Deo diligebatur, adeò ut reſpectu effectorum illorum profecerit Jeſus gratiâ apud Deum, profectu quodammodo augmentativo & acquiſitorio: quamvis jam antè etiam perfectè ſciret divinam erga ſe benevolentiam.

*Luc. 2, 52.*

*Marc. 13. 32.* *Proponitur difficilior quæſtio de Chriſti neſcientia diei ultimi.*

12. Difficilior eſt quæſtio de ſenſu illorum verborum Domini, quibus dixit, *neque Filium ſcire diem illum ultimum*. Hanc difficultatem non tollunt Thomæ diſtinctiones ſuperiùs memoratæ. Nam Thomas ait, Chriſtum in ætate perfectâ, ſciviſſe omnia, etiam diem judicii, non ſolùm per ſcientiam beatam, & per ſcientiam infuſam; ſed etiam per ſcientiam acquiſitam. part. 3. quæſt. 12. art. 2. ad 1. Et hoc ipſum ſe ſentire etiam alibi non obſcurè docet, eadem parte, quæſt. 10. art. 2. ad 1. Fuit autem Dominus noſter tunc perfectæ ætatis, quoad ſtatum hujus vitæ, quando diſcipulis dixit ſe neſcire diem judicii; quamvis nondum fuerit glorificatus. Neque huic nodo ſolvendo ſufficiunt diſtinctiones Scoti, ſecundum cujus doctrinam Chriſtus habebat tunc abſtractivam habitualem cognitionem diei judicii, actualem verò abſtractivam in poteſtate habebat: poterat enim facilè ex notitia quidditativa terminorum, quam habebat, diſcurrere ad actualem illationem concluſionis. De *intuitiva* autem illa, ſeu *experimentali cognitione* rei futuræ, quòd eam Jeſus nondum habuerit, non dubitabant diſcipuli; neque gravitati loquentis congruere videtur, ut hanc neſcientiam intellexerit Dominus, quando dixit *ſe neſcire illum diem*.

*Johan. 7. 39.*

13. Quocirca neque *Bernardus Claravallenſis* rem aſſequutus eſſe videtur, quando diei illius ſcientiam, quæ ipſi Filio tunc defuiſſe dicitur, in ſola collocat experientiâ, & ideo Chriſtum dixiſſe ait ſe neſcire illum diem, quia eum nondum ullis carnis ſuæ ſenſibus experiendo cognoverat. Bernard. Tract. de gradibus humilitatis & ſuperbiæ. Certè Chriſtum non de experientia iſta loquutum eſſe ſuadet antitheſis, quæ in textu Euangelico invenitur, inter excidium Hieroſolymorum & diem Mundi ultimum. Nam dicit Dominus, in ea ipſa generatione venturum Hieroſolymorum excidium, ſtatimque ſubjicit *de die illo*, nempe de die ultimi judicii, *neminem ſcire, ac ne Filium quidem, ſed ſolum Patrem*. Jam autem neque excidium Hieroſolymorum tunc ullis carnis ſuæ ſenſibus experiendo cognoverat. Omnes etiam fatentur, Angelos dici neſcire illum diem, quia revera alio modo, quam per abſentiam actualis experientiæ, eum neſciebant. Si verò de actualis hujuſmodi experientiæ defectu exponatur neſcientia Filii; quid vetabit eodem modo exponere neſcientiam Angelorum? Porrò, ſicut modò dicebam, diſcipuli ſciebant nondum adveniſſe diem illum, adeóque Dominum nondum eum ſenſibiliter expertum eſſe. At hic declarat quandam ſuam diei illius & horæ illius neſcientiam, ipſis antè incognitam. Neq; veriſimile eſt de alio ſcientiæ vel neſcientiæ genere diſcipulis reſpondiſſe, quàm de quo, vel cujus intuitu, erat ab eis interrogatus. quærendus eſt igitur alius neſcientiæ modus.

14. Alii, pertendentes Chriſtum illo tempore haudquaquam ullo alio modo neſciviſſe diem judicii, confugiunt ad ſenſum quendam myſticum, & ajunt nomine Filii eo loco intelligi Eccleſiam, quæ eſt myſticè Chriſtus, ut non in capite, id eſt, non in ſeipſo, ſed in nobis membris ſuis, noſtrâ ignoratione neſcire ſe dixerit Filius. Hanc expoſitionem amplectitur *Origenes*, homil. 30. in Matth. quam etiam ſequuti ſunt *Ambroſius*, lib. 5. de fide, cap. 7. & *Eulogius* ſcribens contra Agnoëtas, eandemque laudat *Gregorius I.* Papa Romanus, lib. 8. epiſt. 42. Licet ibidem aliam expoſitionem ipſe poſtea adferat, in qua acquieſcit, quam ſupra referebamus cap. 19. §. 16. Verùm, uti ſuperius monebat Scotus ex Auguſtino, Euangeliſtæ narrant hiſtorias, & ideo verba eorum vera ſunt ut exprimuntur. Et Athanaſius docet (ſicut ſupra obſervatum, cap. 19. §. 5.) Chriſtum non ſolùm in aliis hominibus, ſed etiam cum eis neſciviſſe illum diem: ſic etiam Cyrillus, & alii, ſuperiore capite memorati ſancti Patres. Huic etjam ſymbolicæ interpretationi obſtat Euangelici textûs gradatio, *de die illa & hora nemo novit*, hic omnes meri homines excluduntur, *neque Angeli qui ſunt in Cœlis*, ſupra hos adhuc eſt Filius, homo Jeſus Chriſtus, ad quem etiam aſcendit oratio, per ea verba, *Neque Filius, ſed ſolus Pater*. Præterea *in exponenda ſacra Scriptura non ſunt quærenda figura, quando quod dicitur ſenſum recipit proprium, qui neque ab honeſtate morum, neque charitatis, neque à fidei veritate alienus eſt*, ut rectè docet Auguſtinus, lib. 3. de doctrina Chriſtiana, capitibus 10. 15. 16.

*Supra §. 16.*

*Regula*

15. Quod autem aliorum quorundam nomine refert Thomas de filio adoptivo, part. 3. quæſt. 10. art. 2. 1. neque exemplo, neque idoneâ ratione, muniri poteſt. quis enim locum aliquem Scripturæ monſtrabit, ubi in recenſendis rebus nomen hoc, ὁ υἱὸς, *Filius*, ſimpliciter atque abſolutè abſque ullâ aliâ deſcriptione poſitum, denotet filium adoptivum? Repugnat etiam huic commento ratio gradationis illius, ab Angelis ad aliquem Angelis majorem. Dominus autem noſter Jeſus Chriſtus, qui de ſeipſo ibi loquitur, eſt Dei Filius, non adoptivus; ſed proprius & naturalis. ſicut, ipſo donante, monuimus lib. 1. hujus operis, cap. 30. & infrà prolixiùs demonſtrabitur, libro ſexto.

16. Quidam, clariſſima Scripturæ & Patrum verba attendentes, neque tamen ullam Chriſto neſcientiam (exceptâ experimentali illa ſeu intuitivâ, de quâ nulla eſſe poteſt dubitatio) tribuere ſuſtinentes, locum Marci & verba Patrum ſic intellexerunt; ut verum eſſe concederent, *Chriſtum conſideratum tanquam merum & nudum hominem, quales ſunt alii homines, ignoraſſe ultimum illum diem: atque ita ignorantiam illam ſtatuunt*



*ſtatuunt fuiſſe tantummodo hypotheticam*: at verò, quoniam revera Chriſtus non fuit merus homo, ſed in eadem perſonâ Deus & homo, propterea eum reverâ non ignoraſſe illum diem. Sic Eulogius, Epiſcopus Alexandrinus, in ſua oratione contra Agnoëtas, apud Photium, in bibliotheca, cod. 230. Sed hæc etiam reſponſio textui non congruit; nam evidenter loquitur Chriſtus non de ſuppoſititio, neque de imaginario aliquo filio, ſed de vero illo Filio, id eſt, de ſeipſo, non ſicut ab Ebionitis cogitari poſſet, ſed ſicut revera erat, id eſt, non tanquam de nudo homine, ſed tanquam de Emmanuele. Et hoc ipſum etiam oſtendit illa in textu gradatio ſuperius obſervata.

*Proponitur & pluribus refellitur poſtrema expoſitio, quam Bellarminus & Greſſerus proponunt.*

17. Aliam igitur nonnulli excogitârunt expoſitionem, quam Bellarminus, ejuſque defenſor Greſerus, obviis ulnis amplectuntur, & aliis omnibus expoſitionibus anteponunt, lib. 4. de Chriſto, cap. 5. nempe, quòd Filius dicatur neſcire, quia non ſciebat ad dicendum aliis, & quia eos neſcientes faciebat. Et hoc ſenſu ſolum Patrem dici ſcire, quia fecit ſcire Chriſtum hominem, ut homo erat. Chriſtum autem, dum vult reddere cauſſam, cur non manifeſtet eum diem, dicere hanc eſſe cauſſam, quia non ſcit, id eſt, non didicit hoc à Patre, ut revelaret aliis, ſed ut ſibi ſecretum hoc ſervaret. Et hanc ait Bellarminus eſſe expoſitionem Ambroſii, lib. 5. de fide, cap. 7. Hieronymi, Chryſoſtomi, Theophylacti, in cap. 24. Matthæi, Baſilii, lib. 4. contra Eunomium, Auguſtini lib. 1. de geneſi contra Manichæos, cap. 22. & lib. 1. de Trinitate cap. 12. & Gregorii primi, Papæ Romani, lib. 8. epiſt. 42. ad Eulogium. Potuiſſet adducere potiùs Thomam Aquinatem, part. 3. quæſt. 10. art. 2. ad 1. Omiſſis quibuſdam ex Patribus illis, quos in hac cauſſa Bellarminus non habet ita faventes, ut ipſe jactat. Id quod paucis oſtendere operæ pretium videtur, antequam ad expoſitionis illius examen deſcendamus.

*Septem quæſtiones.*

18. Obſervet igitur Lector has ſeptem diſtinctas atque diverſas quæſtiones. 1. *An omnino perſona illa quæ loquebatur, nempe Chriſtus, ſcivit illum diem, ſaltem ſecundum ſuam Deitatem?* 2. *Cur celavit diſcipulos, ne ſcirent illum diem?* 3. *Quid opus erat, ut diceret, neque Filium ſcire illum diem; cùm diſcipulis ſufficere poſſe videatur, quòd dixerit neminem ſcire, neque Angelos?* 4. *Cur non dixit potiùs, ſe nolle eis revelare, quàm ſe ipſum quoque neſcire?* 5. *An diem illum ipſe Chriſtus, ſecundùm ſuam propriam humanitatem Deitati hypoſtaticè unitam, verè tunc neſciebat, neſcientiâ propriè dictâ, quando dicebat neque Filium ſcire illum diem?* 6. *Quo ſenſu dicitur ſolus Pater ſcire illum diem, quem Filius dicitur neſcire?* 7. *Quo ſenſu dictum eſt, Filium neſcire illum diem?*

*Haeretici triplicis generis negant Chriſtum ſciviſſe diem ultimum ſecundum Deitatem.*

19. Ad primam quæſtionem negativè reſponderunt trium generum hæretici: 1. Illi qui Filium negabant eſſe Deum Patri æqualem & conſubſtantialem; ut *Ariani & Eunomiani*, &c. 2. Qui Chriſtum hominem ex Virgine Maria natum, Deo Verbo negabant eſſe comperſonalem, adeóque negabant unum eundemque Chriſtum eſſe Deum & hominem in una perſona; ut *Neſtoriani*. 3. Quidam ex eis qui poſt incarnationem duas naturas in Chriſto non agnoſcebant, ſed unam duntaxat prædicabant in illo naturam ex Deitate & humanitate compoſitam; ut *Agnoëtæ* ſeu *Themiſtiani*. Omnes illi hæretici dicebant Chriſtum prorſus ignarum fuiſſe illius diei, neque illum cognitum habuiſſe ſecundùm ullam ſuam naturam. Iis ſeſe oppoſuerunt orthodoxi Patres, unanimiter docentes, Chriſtum perfectè ſemper ſciviſſe diem illum, nempe ſecundum ſuam Deitatem: id quod his argumentis ex ſacra Scriptura petitis validiſſimè demonſtrabant: Filius eſt omnium, etiam temporum, Creator; non autem ignorat aliquod ex operibus ſuis: item omnia quę Pater habet, ſunt Filii: ergo Filius notitiam habet eorum omnium, quorum notitiam habet Pater. ſicut Pater novit Filium, & Filius novit Patrem: non igitur ignorabat ea, quæ ſunt minora Patre. Omnia novit uſque ad illam horam: ergo & horam ipſam. In ipſo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi: ergo illam horam non ignorabat. Item, Spiritus Sanctus ſcrutatur profunda Dei, neque quicquam eorum quæ Dei ſunt, adeoque neque diem illum poteſt ignorare: ergo eundem diem novit & Filius; alioqui Spiritu Sancto minor eſſet Filius, quod eſt abſurdum. His omnibus, & non aliis, eodemque ordine quo à nobis hic repetita ſunt, argumentis contra Eunomium utitur Baſilius, lib. 4. quibus probat Filium non fuiſſe ignarum illius diei, ſed eum ſciviſſe, nempe, ut Deum, quod negabat Eunomius. Eadem contra Arianos argumenta adfert Ambroſius, lib. 5. de fide, cap. 7. ubi addit impoſſibile eſſe ut quicquam ignoret Dei Filius, qui natus eſt Sapientia, & perfectus ex Patre proceſſit: & qui de ſeipſo dicit, quòd Filius hominis Dominus eſt ſabbati. qui utique non poteſt exſors eſſe ſcientiæ Paternæ, cujus nequaquam exſors eſt poteſtatis. Eiſdem etiam contra Arium & Eunomium argumentis pugnat Hieronymus, in caput 24. Euangelii Matthæi. Nec aliter argumentantur Chryſoſtomus & Theophylactus, in eundem locum Euangelii Matthæi. Eiſdem etiam armis contra Neſtorianos pugnavit Cyrillus, locis præcedente capite citatis: & contra eoſdem Neſtorianos & contra Agnoëtas eadem adhibet argumenta Gregorius primus, Papa Romanus, libro octavo, epiſtola quadrageſima ſecunda ad Eulogium. quibus etiam olim contra Arianos uſus eſt magnus Athanaſius, locis ſuperiore capite memoratis. Quamvis igitur dixerit Chriſtus ſe diem illum neſcire, ſciebat tamen diem illum, neque eum potuit ignorare, nempe ſecundùm ſuam Deitatem, quia Patri conſubſtantialis eſt. Hoc ſenſu dixit Auguſtinus, *quid enim poteſt eſſe quod ipſe neſciat?* libro 1. de geneſi contra Manichæos, capite 22. perinde ac ſi dixiſſet, non poſſe eſſe quicquam quod neſciat Dei Filius, qui natus eſt Sapientia, &c. Neque aliud ad hanc quæſtionem reſpondet Auguſtinus, locis à Bellarmino citatis.

*Orthodoxorum Patrum argumenta, quibus demonſtrabant Chriſtum ſemper perfectè ſciviſſe diem ultimum, ſecundùm Deitatem.*

*Joh. 16. 15.* *Joh. 10. 15.* *Col. 2, 3.* *1. Cor. 2. 10.* *Marc. 2. 28.*

20. Secunda quæſtio eſt: *Cur celavit diſcipulos, ut non ſcirent illum diem?* Nam cùm ipſe illum diem ſciret, ſaltem ſecundùm ſuam Deitatem, & in ſua divinâ poteſtate haberet non minus tunc revelare diſcipulis illum diem, quàm poſtea eorum mentem aperire, ut intelligerent Scripturas, quod ab eo factum commemoratur, Luc. 24. aut cæcis viſum dare, mortuis vitam reſtituere, & ſimilia divina opera perficere, cujuſmodi multa ab eo fieri viderant diſcipuli, & cùm alia eis revelaverit majora myſteria; quæritur *quam ob cauſſam voluerit denegare eis cognitionem diei ultimi?* Reſpondent uno ore omnes orthodoxi Patres, ideo Dominum

*2. Quæſtio.* *Luc. 24. 45.* *Reſponſio orthodoxorum Patrum.*

celâſſe diſcipulos illum diem, quia ipſis & nobis utile eſt neſcire illum diem, quo ſimus vigilantiores & paratiores: hunc enim uſum commendat Apoſtolis omnibuſque Chriſtianis

*Marc. 13. 33. &c.* ipſe Dominus, dicens, *Vigilate igitur, neſcitis enim quando Dominus domûs veniet, veſpere, an media nocte, an in gallicinio, an manè. Ne cum repente venerit, inveniat vos dormientes. quæ autem vobis dico, omnibus dico: Vigilate.* Idcirco quamvis Dominus noſter Jeſus Chriſtus diem illum & horam illam perfectè cognoſceret ſecundùm ſuam Deitatem, atque adeò in poteſtate ſuâ divinâ haberet, ſi vellet, revelare illa diſcipulis, propter illorum tamen noſtramque utilitatem, οὐκ ἠθέλησε θεϊκῶς εἰπεῖν ὅτι οἶδα, ἀλλὰ σαρκικῶς διὰ τὴν σάρκα τὴν ἀγνοοῦσαν, εἶπεν ὅτι οὐκ οἶδα.

*Vide cap. 19. §. 4.* *id eſt:* noluit divinitus dicere ſe ſcire: ſed carnaliter propter carnem neſcientem, dixit ſe neſcire. ſicut piè & graviter hac de re diſſerit beatus Athanaſius, orat. 4. contra Arianos. Baſilius etiam, poſtquam aliquot argumentis oſtendiſſet Chriſtum diem illum & horam illam ſciviſſe ſemperque ſcire ſecundùm Deitatem, rationem hanc reddit reticentiæ, quâ diem illum Dominus à diſcipulis occultavit; διὰ τὸ μὴ συμφέρειν τοῖς ἀνθρώποις ἀκούειν τὸν καιρὸν τῆς κρίσεως ἀπεσιώπησε. *id*

*Detegitur Bellarmini fraus & impudentia in citandis Patribus.* *eſt:* quoniam ergo non conferebat hominibus audire tempus judicii, reticuit. Hæc ad ſecundam hanc quæſtionem Baſilius, lib. 4. contra Eunomium, ubi de ſequentibus quæſtionibus nihil ampliùs invenitur. Hieronymus etiam in cap. 24. Matthæi, tantùm duas primas quæſtiones tractat & ad eas reſpondet ſicut Baſilius, & alii. & aliquid adjicit pertinens ad quæſtionem ſextam, quod Bellarminianæ expoſitioni repugnat. At-

*Vindicantur Baſilius & Hieronymus.* que ita Bellarmino ademimus Baſilium & Hieronymum, quibus ille injuſtè atque impudenter adſcribit expoſitionem illam, quæ dicit Chriſtum, etiamſi diem illum ſciret ſecundùm humanitatem, dixiſſe tamen ſe neſcire, id eſt, quamvis hoc ut homo didicerit à Patre, non tamen eum, ut hominem, didiciſſe hoc à Patre ut revelaret aliis, ſed ut ſibi ſecretum hoc ſervaret. Cujus tamen expoſitionis nec vola, nec veſtigium, apud illos extat. Neque eſt iſta expoſitio Ambroſii, neque Chryſoſtomi, neque Gregorii, ſicut loca ipſa à Bellarmino citata haud obſcurè teſtantur. Neque etiam hujus expoſitionis aſſertoribus plenè convenit cum Auguſtino, neque cum Theophylacto; ut in progreſſu patebit.

*3. Quæſtio.* 21. Tertia quæſtio eſt: *Quid opus erat, ut diceret, neque Filium ſcire illum diem: cùm diſcipulis ſatisfacere poſſe videatur, quod dixerit, neminem*

*Reſponſio.* *ſcire, neque Angelos?* Reſpondet Chryſoſtomus, in cap. 24. Euang. Matth. verſ. 36. homil. 67. τῷ μὲν εἰπεῖν, οὐδὲ οἱ ἄγγελοι, ἐπεστόμισεν αὐτοὺς ἀπὸ μὴ ζητεῖν μαθεῖν, ὅπερ οἱ ἄγγελοι οὐκ ἴσασι· τῷ δὲ εἰπεῖν, οὐδὲ ὁ υἱός, κωλύει οὐ μόνον μαθεῖν, ἀλλὰ καὶ μηδὲ ζητεῖν. *id eſt:* dicendo quidem, *neque Angeli*, occluſit eis os, ne quærerent diſcere, quod illi non ſciunt: dicendo autem, *neque Filius*, prohibet non ſolùm ne diſcant, ſed etiam ne quærant. Sic in eundem locum Euangelii Theophylactus; Docet (inquit) hoc loco diſcipulos, non quærere ut diſcant humanam naturam tranſcendentia: nam dum dicit, *neque Angeli*, admonet eos, quod diſcere attentant id quod Angeli ignorant: & dum dicit, *Pater ſolus*, prohibet eos anniti ut diſcant poſtea.

*4. Quæſtio.* 22. Quarta quæſtio eſt: *Cur non dixit potiùs, ſe nolle eis revelare, quàm ſe ipſum quoque neſcire?* Reſpondent Ambroſius, lib. 5. de fide cap. 7. & Comment. in cap. 17. Euang. Lucæ, & Chryſoſtomus, & Theophylactus in cap. 24. Matth. hoc à Chriſto, propter amorem, quo diſcipulos proſequebatur, factum eſſe, ut potius quàm ſe ab illo ſperni exiſtimarent: adeóque tanquam ejus rei revelatione indignos rejici, atque ita contriſtarentur eorum animi, ipſe potius ſeipſum diceret neſcire illum diem, etſi cum noverat ſecundùm ſuam Deitatem. Mavult enim Dominus (ſunt iſta verba Ambroſii, lib. 5. de fide cap. 7.) nimio in diſcipulos amore propenſus, petentibus his quæ cognitu inutilia judicaret, videri ignorare quod noverat, quàm negare: pluſque amat noſtram utilitatem inſtruere, quàm ſuam potentiam demonſtrare. Et ne videretur contriſtare diſcipulos (ait idem Ambroſius, in cap. 17. Lucæ) ſi eos aliquid celaverit, ſubjungitur, *Et ait ad diſcipulos ſuos: venient dies.* & in alio libro; *De die autem & hora nemo ſcit, neque Angeli Cœlorum, neque Filius.* Καὶ γὰρ (inquit Chryſoſtomus) σφόδρα ἐμέλεν αὐτῷ τοῦ τιμᾶν αὐτοὺς, καὶ μηδὲν ἀποκρύπτειν. *id eſt:* valde enim ei curæ erat eos honorare, & nihil abſcondere. Hæc quidem Chryſoſtomus, ad iſtas quatuor quæſtiones; ſequentes autem tres quæſtiones non attingit. Et ſic Chryſoſtomum Bellarmino ademtum vindicavimus. *Vindicatur Chryſoſtomus.* quod ſi dixiſſet eis (ait Theophylactus,) Scio quidem, vobis autem dicere nolo, contriſtati eſſent utique, tanquam deſpecti ab eo. & ſubjicit Theophylactus ſimilitudinem ſumtam à rebus humanis: Sicut (inquit) Patres continent quid in manibus, deinde autem dum quærunt hoc filii, & dare ipſi nolunt, occultant dicentes, non habemus quod quæritis, & ſic ploratus filiorum compeſcunt: ita & Dominus ut compeſcat Apoſtolos, ne diſcant de die illo & hora, dixit; *Neq; ego ſcio, niſi Pater ſolus.* Scit enim & ipſe horam & diem illum, id quod ex multis aliis manifeſtum. Cùm enim omnia quæcunq; Pater habet, Filii ſint &c. ex quo argumento patet Theophylactum Chriſto ibi aſſerere notitiam illius diei ſecundùm Deitatem, ſicut alii ſuperiùs memorati Patres, quod etiam inde adſtruit, quia ei nota ſunt omnia ante illum diem, unde infert, ſicut etiam antiquiores Patres, eum non ignoraſſe ipſum diem, quamvis eum à diſcipulis occultaverit, ſicut homines occultare ſolent à filiis nociva, & dicere ſe non habere. Hæc Theophylactus, neque addit plura de hoc negocio. *Vindicatur Theophylactus.* At verò utrum Chriſtus diem illum tunc ſciverit ſecundùm aſſumtam carnem ſeu humanam naturam, nec ne: Et quo ſenſu dicatur ſolus Pater ſcire; Et utrùm Filius dicatur neſcire, verè neſciens ſecundùm humanitatem, an ideo tantùm, quia ſciens quidem diem illum ſecundùm humanitatem, non tamen ſciebat ut diceret diſcipulis, de his inquam, quæſtionibus, in quib. Bellarminianæ expoſitionis robur quærendum eſt, non diſſerit ibi Theophylactus, neque eas attingit. Quod autem ſimilitudinem illam attinet, ab hominum conſuetudine ſumtam, ea non debet ampliùs premi aut ulteriùs ad res divinas applicari, tanquam ex mente Theophylacti, quam ipſarum rerum divinarum natura patitur, prout ab ipſo Theophylacto explicantur. At verò Theophylactus non dicit occultatam fuiſſe illius diei notitiam in Chriſti humanâ mente, ſed eam notitiam tribuit ei ſecundùm Divinitatem. Neque dicit Chriſtum, ut hominem, didiciſſe hoc myſterium à Patre, non ut aliis illud revelaret, ſed ut ſibi ſecretum ſervaret.



Sed quæ ibi hac de re ſcribuntur à Theophylacto, poſſunt conſiſtere cum illa Cyrilli Alexandrini reſponſione ad hanc eandem quartam quæſtionem; Similiter igitur diem & horam adventus ſui, in quantum Verbum & Sapientia Dei eſt, non ignorat: ſed ne dolorem teneris adhuc diſcipulis faceret, deſiderantibus illud ſcire, verè ſe dixit ut hominem ignorare. Hæc & plura in hanc ſententiam, ex Theſauro Cyrilli, lib. 9. cap. 4. recitavimus, præcedente capite, §. 9. Ex his patet non plenè convenire Bellarmino cum Theophylacto. Obſervet etiam Lector, hanc eſſe omnium Patrum ad hanc quartam quæſtionem reſpondentium unanimem ſententiam, quod Chriſtus, quando diſcipulis dixit, *Filium non ſcire diem illum*, voluerit eos ſic intelligere ipſius verba, ſicut ea expoſuerunt Athanaſius, & Hilarius, & Gregorius Nazianzenus, & Cyrillus Alexandrinus, & alii: nempe eum ſecundùm humanam naturam verè neſciviſſe illum diem neſcientiâ propriè dictâ; & quod ſedulò caverit, ne poſſent tunc ex verbis ipſius elicere talem ſenſum, qualem eis inferunt Bellarmines & Gretſerus, ac ſi ipſe, etiam ſecundùm humanitatem, diem illum non neſciret, ſed ſciret quidem, non tamen ad dicendum illis, ſeu quod ipſe non neſciens faceret illos neſcientes; ne ſi eam cogitationem animo conciperent, dolore conficerentur. Jam autem quis hominibus Chriſtianis, iſta omnia maturè conſiderantibus, perſuadebit, Dominum noſtrum, qui eſt ipſa veritas, & æternum Dei Verbum, in carne manifeſtatum, in cujus ore non eſt inventus dolus, habuiſſe alium verborum ſuorum ſenſum in pectore ſuo clauſum, contradictoriè repugnantem illi ſenſui quem vellet diſcipulos ex eiſdem ſuis verbis concipere? aut qua ratione demonſtrabitur, quo Scripturæ teſtimonio comprobabitur, nos debere aliter intelligere illa Chriſti verba, quàm à diſcipulis quibus dicta ſunt ea intelligi Dominus ipſe volebat, aut alium eorum ſenſum concipere, quam illum ad quem exprimendum, & audientium diſcipulorum animis inſinuandum, verba ſua Dominus protulit apréque adhibuit? Atque ita pervenimus ad quintam quæſtionem.

*Obſervatio illa præſens veritatis expoſitionem, quæ Bellarmino & Gretſero tantopere placet.*

*5. Quæſtio.* 23. Quinta igitur quæſtio eſt: *An diem illum ipſe Chriſtus, ſecundùm ſuam propriam humanitatem, Deitati hypoſtaticè unitam, verè tunc neſciebat, neſcientiâ propriè dictâ, quando dicebat, neq;*

*Reſponſio.* *Filium ſcire illum Diem?* Ex illis Patribus, quos Bellarminus pro ſua expoſitione adduxit, major pars, nempe Baſilius, Hieronymus, Chryſoſtomus, Theophylactus, hanc quæſtionem non movent, neque ad eam quicquam reſpondent, locis à Bellarmino citatis. ſoli eam manifeſtè attingunt Ambroſius, lib. 5. de fide, cap. 7. & Gregorius, lib. 8. epiſt. 42. ad Eulogium. eandemque obſcurè tangit Auguſtinus, lib. 1. de Trinitate, cap. 12. Soli, inquam, ex eis qui Bellarmino nominantur tanquam auctores illius expoſitionis, quam ipſe optimam eſſe judicat. Alioquin hanc quæſtionem tractârunt complures alii antiqui Catholici Patres, qui apertè reſponderunt Chriſtum tunc verè neſciviſſe illum diem, ſecundùm ſuam humanitatem, neſcientiâ propriè dictâ; ſicut eſurivit eſuritione propriè dictâ, & lachrymatus eſt lachrymatione propriè dictâ: ſuſcepiſſe enim cum carne, ſive humanitate, has etiam humanas infirmitates, in quibus erat illa neſcientia. ſic reſponderunt Athanaſius & Cyrillus, & alii, quorum verba hoc ipſum teſtantia in medium attulimus præcedente capite. Cum quibus etiam conſenſit Ambroſius, lib. 2. de fide, cap. 4. etſi poſtea in illo opere eandem reſponſionem repetens, alias eam relinquere videatur, & confugere ad expoſitionem figurativam de myſtico Chriſti corpore, & rurſus ad priorem illam Athanaſii expoſitionem redire, lib. 5. de fide cap. 7. dicit quidem eam eſſe in Scripturis divinis conſuetudinem, ut Deus diſſimulet ſe neſcire quod novit; ſcientia autem diei ultimi, quam Chriſto tribuit Ambroſius, planè divina eſt, & ex ea infert Ambroſius contra Arianos, Filium non eſſe minorem Patre. *Vindicatur Ambroſius.* Alibi etiam idem Ambroſius palàm concedit in ſententiam Athanaſii diſertè atque intrepidè affirmans Chriſtum non per naturam hominis noviſſe finem temporum, ſed per naturam Dei. Comment. in cap. 17. Euangelii Lucæ. Expoſitionem autem illam figurativam, de myſtico Chriſti corpore, ut textui non congruentem, ſuperiùs refutavimus, §. 14. eandemque rejicit Bellarminus, lib. 4. de Chriſto, cap. 5. Non ſatis candidè igitur egit Bellarminus, quando expoſitionem illam, quæ ipſi Bellarmino maximè probatur, dixit eſſe expoſitionem Ambroſii: niſi forte præcipiti potius incogitantiæ & negligentiæ Bellarmini in perlegendis Ambroſii diſſertationibus, error hic tribuendus ſit. *Detegitur inſignis Bellarmini fraus vel oſcitantia.* Non ſolùm autem Bellarminianam expoſitionem Ambroſius nuſquam agnoſcit pro ſua, ſed neq; uſquam apud Ambroſium ea commemoratur. Nuſquam enim vel ipſe affirmat, vel ab alio dictum eſſe refert Ambroſius, quòd Chriſtus ſecundùm humanitatem non neſciverit illum diem, ſciverit autem illum, verùm non ad dicendum aliis, ſed ut alios faceret neſcientes, & ſibi ſecretum illud ſervaret, quod ut homo didicerat à Patre. Et quòd hæc fuerit mens Chriſti dicentis, *Neque Filium ſcire illum diem.* Atque ita jam manifeſtè etiam Ambroſii patrocinio excidit Bellarminus.

*Auguſtin.* 24. Ad quintam autem quæſtionem ſuperiùs propoſitam, non invenitur apud Auguſtinum clara reſponſio: inſinuare tamen velle videtur Lectoris animo hunc ſenſum, quòd Chriſtus ſecundùm formam ſervi verè neſciverit diem illum, quamvis ad perſonam relata illa loquutio, qua ipſe ait ſe diem illum neſcire, non ſit ſimpliciter, & propriè exponenda, ac ſi quicquam eſſet quod neſciret Deus Filius, nempe ſecundùm formam Dei. Ideò quando Deus neſcire dicitur, aut pro eo dicitur, quod nō approbat, aut pro eo quod utiliter neſcientes facit. Hæc eſt doctrina Auguſt. lib. 1. de Trinit. c. 12. & lib. octoginta-trium quæſtionum, quæſt. 60. & lib. 1. de geneſi contra Manichæos, cap. 22. Unde etiam alibi exponens verba illa Johannis Apoſtoli, de Chriſto, ſcribentis; *quod ipſe noſſet omnes, & quia opus ei non erat, ut quis teſtimonium perhiberet de homine, ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine.* *Johan. 2, 24, 25.* Plus (inquit) noverat artifex quid eſſet in opere ſuo, quàm ipſum opus quid eſſet in ſemetipſo. Creator hominis noverat quid eſſet in homine, quod ipſe creatus homo non noverat. Hæc Auguſtinus, tractatu undecimo in Euangel. Johannis, argumentans ab omniſcientia divina.

*Antiqui Catholici Patres reſponderunt Chriſtum tunc verè neſciviſſe illum diem, ſecundùm humanitatem, neſcientiâ propriè dictâ. Vide §. 13. & 14.*

*Gregor.* 25. Quæ fuerit de hac quæſtione mens Gregorii primi, Epiſcopi Romani, docent nos ipſius Gregorii verba, lib. 8. epiſt. 42. ad Eulogium Patriarcham Alexandrinum. Ubi propoſitis atque laudatis Auguſtini & Eulogii ſententiis, ſubjungit eam ſententiam, quę fuit magni Athanaſii, &

in eadem tanquam accuratiſſima atque tutiſſimâ acquieſcit. De eo verò (inquit) quod ſcriptum eſt; quia diem & horam neque Filius neque Angeli ſciunt: omnino rectè veſtra ſanctitas ſenſit, quoniam non ad eundem Filium, juxta hoc quod caput eſt, ſed juxta corpus ejus nos quod ſumus, eſt certiſſimè referendum. Qua de re multis locis idem beatus Auguſtinus eo ſenſu utitur. Dicit quoque aliud quod de eodem Filio poſſit intelligi, quia Deus omnipotens aliquando more loquitur humano, ſicut ad Abraham dicit, *Nunc cognovi quia times Deum.* Non quia ſe Deus tunc timeri cognoverit, ſed quia tunc eundem Abrahamum fecit agnoſcere quia Deum timeret. Sicut enim nos diem lætum dicimus, non quòd ipſe dies lætus ſit, ſed quia nos lætos facit: ſic dictum eſt non quòd ipſe neſciat diem, ſed quia hunc ſciri minimè permittat. Unde & Pater ſolus dicitur ſcire, quia conſubſtantialis ei Filius, ex ejus natura qua eſt ſuper Angelos, habet ut hoc ſciat quod Angeli ignorant. Unde & hoc intelligi ſubtilius poteſt, quia incarnatus unigenitus, factuſque pro nobis homo perfectus, in natura quidem humanitatis novit diem & horam judicii: ſed tamen hunc non ex natura humanitatis novit. quod ergo in ipſa novit, non ex ipſa novit, quia Deus & homo factus, diem & horam judicii non niſi per Deitatis ſuæ potentiam novit. Hæc Gregorius, qui ibidem hanc doctrinam prolixius explicat, & contra Agnoetas, contràque Neſtorianos, eandem confirmat argumentis ſumtis ab omniſcientia Deitatis. quia nihil eſt quod Dei ſapientia ignoret. Per Verbum omnia facta ſunt; ſi omnia, procul-dubio etiam dies judicii & hora. quis ergo deſipiat, ut dicere præſumat quia Verbum Patris fecit quod ignorat? Scriptum quippe eſt; Sciens Jeſus, quia omnia dedit ei Pater in manus. Si omnia, profectò diem judicii & horam. Quis ergo ita ſtultus eſt, ut dicat quia accepit Filius in manibus quod neſcit? Hæc ibi Gregorius. Vide præced. cap. §. 16. & §. 17. Eadem diſtinctione uſus eſt Ambroſius, Comment. in cap. 17. Evang. Lucæ, ut ſuprà monebamus, hoc ipſo cap. §. 21. ubi contra Arianos negantes Trinitatem eſſe unius poteſtatis & unius cognitionis, probat Filio per naturam Dei omnia eſſe nota; Quomodo autem (inquit) Filius neſcire poteſt quod Pater novit, cum in Patre Filius ſit, & Spiritus ſcrutetur etiam alta Dei, cùm ipſe Filius altitudo ſit divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei? Hæc ille.

*Marc. 13, 32.* — *Genes. 22, 12.* — *Joh. 13, 3.*

*6. Quæſtio.*

26. Quæſtio ſexta eſt: *Quo ſenſu dicitur ſolus Pater ſcire illum diem, quem Filius dicitur neſcire?* Auguſtinus, lib. 1. de geneſi contra Manichæos, cap. 22. & lib. octoginta-trium quæſtionum, quæſt. 60. ait ſecundum quandam figuram loquutionis dictum eſſe, ſolum Patrem ſcire diem illum, quia facit Filium ſcire illum diem. Hoc Auguſtini dictum refert Bellarminus ad Chriſtum hominem, quaſi Pater ſolus dicatur ſcire illum diem, quia illum ſcire fecerit Chriſtum hominem, ex ſententia Auguſtini. ita Bellarminus, lib. 4. de Chriſto, cap. 5. Et hanc eſſe ipſiſſimam Auguſtini mentem, nempe quòd Pater dicatur ſolus ſcire, quia fecit Filium ſcire diem judicii ſecundum hominem ſeu naturam humanam, contendit Gretſerus, in defenſione illius capitis Bellarmini, columnâ 271. At huic gloſſæ repugnant argumenta, quibus Filio ſcientiam illius diei aſſerit Auguſtinus, quæ ſuperius commemorata ſunt. §. 19. & §. 24. Et Gregorius, Papa Romanus, (lib. 8. epiſt. 42.) hanc Auguſtini doctrinam repetens, dictum illud Auguſtini apertiſſimè refert ad æternam generationem Filii, per quam Pater Filium genuit ſibi conſubſtantialem, adeòque æqualiter omnia ſcientem quæ ſcit Pater. Verba Gregorii exhibuimus ſuperiore paragrapho. Unde perſpicuum eſt, Bellarminum & Gretſerum ab Auguſtini mente diſceſſiſſe, & Gregorio Papæ Romano apertè contradicere. Nudati igitur horum etiam Patrum patrocinio, in manifeſta deprehenduntur falſitate, quando eam expoſitionem quæ à Bellarmino adfertur, & à Gretſero defenditur, ajunt eſſe expoſitionem Gregorii Papæ Romani, & Ambroſii, & Baſilii, & Hieronymi, & Chryſoſtomi, & Auguſtini, & Theophylacti; cum neque horum omnium Patrum, neque cujuſquam eorum ſit iſta expoſitio.

*Bellarminus & Gretſerus ab Auguſtini mente diſſident, & Gregorio primo, Papæ Romano contradicunt.*

*Falſitas Bellarmini & Gretſeri [illegible] Patrum.*

*Refutatur expoſitio Auguſtini.*

27. Non tamen illa Auguſtini expoſitio, quæ à Gregorio repetitur, recipienda eſt. Non enim ſolus Pater ſcire facit communicando omniſcientiam divinam, ſed etiam Filius hoc ſenſu dicendus eſſet ſcire, quia ſimul cum Patre omniſcientiam communicat Spiritui Sancto, qui in unitate divinæ eſſentiæ à Patre Filioque procedit. quantò tutiùs, & ſimpliciùs, & convenientiùs reſponſum eſt ab Athanaſio & Cyrillo, aliiſque orthodoxis Patribus, hanc, quæ ſoli Patri tribuitur, ſcientiam illius diei referentibus non ad internam generationem coæterni Filii, neque ad revelationem aliquam temporalem; ſed ad omniſcientiam divinam, quæ eſt eſſentiale attributum commune individuæ Trinitati, quæ unius eſt cognitionis, ut loquitur Ambroſius in cap. 17. Lucæ, adeò ut (quod etiam monet Hieronymus, in cap. 24. Matthæi) Scriptura dicens Patrem ſolum noſſe, in Patre comprehendat & Filium, neque excludatur Spiritus Sanctus. Vide lib. 1. cap. 8. §. 8. & cap. 11 §. 4. & 5.

*Traditur expoſitio Athanaſii & aliorum.*

*7. Quæſtio.*

28. Septima quæſtio ſuperiùs propoſita fuit: *Quo ſenſu dictum eſt Filium neſcire illum diem?* Reſponderunt directè & apertè Athanaſius, & Hilarius, & Gregorius Nazianzenus, & Chryſoſtomus, & Cyrillus Alexandrinus, & Ambroſius, & Gregorius Rom. locis ſupra citatis, σχεδὸν ἢ πάντες οἱ πατέρες, id eſt, propemodum autem univerſi Patres, teſte Leontio, lib. de ſectis, act. 10. verba iſta eſſe ſimpliciter intelligenda, quòd Filius tunc verè ignoraverit ſeu neſciverit diem illum, ſecundum humanitatem, quam aſſumſit, cum irreprehenſibilibus humanæ naturæ infirmitatibus ſeu affectionibus, quæ Græcis dicuntur φυσικὰ καὶ ἀδιάβλητα πάθη. in quibus hanc, quæ Filio tribuitur, ignorantiam diei judicii ponunt Catholici Patres. Eundem autem Filium ſecundùm Deitatem ſemper ab æterno in æternum ſcire omnia æqualiter cum Patre & Spiritu Sancto, argumentis efficaciſſimis docent iidem Patres. Neque ullam Chriſto homini ineſſe negabant cognitionem ſecundùm humanitatem, quam illi ineſſe pro tempore decebat; neque ullam Chriſto ignorantiam tribuebant, quæ ipſum non deceret, aut defectum aliquem propriè dictum, ſeu officio aut dignitati perſonæ ejus repugnantem vel indecorum importaret. Dupliciter enim dicitur *ignorantia*, (ut rectè monet Franciſcus Junius in animadverſionibus in Bellarm. lib. 4. de Chriſto, cap. 5. nota 3.) nempe, *negativè* aut *privativè*. *Ignorantia negativè* quam & neſcientiam ſcholaſtici dixerunt ἀγνωσίαν, ) etiam in Angelis & beatis eſt ſemper (non enim ſciunt quicquid ſcit Deus) nec, niſi καταχρηστικῶς, dici defectus poteſt.



*Catholici Patres Chriſto ſecundùm humanitatem tribuunt ignorantiam negativam, ſeu neſcientiam, non autem ignorantiam privativam.*

*Ignorantia privativè*, quæ rerum earum eſt quas debet quis ſcire, hæc verè defectus eſt. Chriſto ſecundùm naturam humanam tribuerunt Patres ignorantiam negativam ſeu neſcientiam; non autem ignorantiam privativam. Non defectum aliquem privativum, ſed eam neſcientiam quæ non niſi æquivoce & negativè defectus dici poteſt.

*Sphalma Auguſtini.*

29. Quod autem ſcripſit Auguſtinus, Filium diſcipulis dixiſſe ſe neſcire, quia illos neſcientes occultando faciebat. lib. 1. de geneſi, contra Manichæos, cap. 22. & lib. 1. de Trinitate, cap. 12. & lib. octoginta quæſtionum, quæſt. 60. ſphalma eſt viri magni, noſtro potiùs ſilentio prætereundum, aut humaniter excuſandum, quam juſtâ refutatione exagitandum, niſi nos cogeret illorum improbitas, qui Patrum lapſus in ſuæ nequitiæ patrocinium trahere ſatagunt. O quam deteſtandus eſt error hominum, (ait idem Auguſtinus) qui clarorum virorum quædam non rectè facta laudabiliter ſe imitari putant, à quorum virtutibus alieni ſunt! Aug. lib. de unico baptiſmo, cap. 13. Contra iſtam igitur expoſitionem, ſalvâ honorificentiâ quæ tanto Patri debetur, hæc adferimus argumenta.

*Primum argumentum contra expoſitionem Auguſtini. Regula.*

30. *Primò*, Non convenit cum doctrina quam ibi tractat Auguſtinus, lib. 1. de Trinitate, cap. 12. Nam initio illius capitis hanc proponit regulam intelligendarum ſcripturarum de Filio Dei, ut diſtinguamus quid in eis ſonet ſecundùm formam Dei, in qua æqualis eſt Patri, & quid ſecundùm formam ſervi quam accepit, in qua minor eſt Patre: ut non conturbemur tanquam contrariis ac repugnantibus inter ſe ſanctorum librorum ſententiis. Deinde hujus regulæ hæc adfert exempla: Secundùm formam Dei æqualis eſt Patri Filius; ſecundùm autem formam ſervi minor eſt Patre. Secundùm formam Dei, omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil; ſecundùm formam ſervi, ipſe factus eſt ex muliere, factus ſub lege: Secundùm formam Dei, ipſe & Pater unum ſunt; ſecundùm formam ſervi, non venit facere voluntatem ſuam, ſed voluntatem ejus qui eum miſit. Secundùm formam Dei, ſicut habet Pater vitam in ſemetipſo, ſic dedit & Filio vitam habere in ſemetipſo; ſecundùm formam ſervi, Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem: &, Pater, inquit, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte. Secundùm formam Dei, ipſe eſt verus Deus & vita æterna: ſecundùm formam ſervi, factus eſt obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. Secundùm formam Dei, omnia quæ habet Pater, ipſius ſunt; Et omnia tua mea ſunt, inquit, & mea tua: ſecundùm formam ſervi, non eſt doctrina ipſius, ſed illius qui eum miſit: & de die & hora nemo ſcit, neque Angeli in Cœlo, neque Filius, niſi Pater. [Statimque immediatè ſubjicit Auguſtinus hæc verba;] Hoc enim neſcit quod neſcientes facit, id eſt, quod non ita ſciebat ut tunc diſcipulis indicaret: ſicut dictum eſt ad Abraham, *Nunc cognovi quòd timeas Deum*: id eſt, nunc feci ut cognoſceres: quia & ipſe ſibi in illa tentatione probatus innotuit. Hæc Auguſtinus, lib. 1. de Trinitate, cap. 12. qui etiam hujuſmodi loquutionis aliud adfert exemplum, lib. 1. de geneſi, contra Manichæos, cap. 22. nempe quod à Moſe dicitur, *Tentat vos Dominus Deus veſter, ut ſciat ſi diligatis eum.* Non enim (inquit Auguſt.) ut ſciat ipſe quem nihil latet, ſed ut ſcire nos faciat, quantum in ejus dilectione profecerimus, tentari nos permittit. Secundùm ipſam locutionem dicit & Dominus noſter, neſcire ſe diem & horam de fine ſeculi. Quid enim poteſt eſſe quod ipſe neſciat? Sed quia hoc utiliter occultabat diſcipulis, neſcientem ſe eſſe dixit, quia illos neſcientes occultando faciebat. Hæc ibi. ubi etiam adjicit exempla talis locutionis in conſuetudine hominum, dicentium diem lætum, quia nos lætos facit; & pigrum frigus, quia nos pigros facit, &c. Idem quoque lib. 83. quæſtionum, qu. 60. Sicut (inquit) ſcire Deus dicitur etiam cum ſcientem facit, ſicut ſcriptum eſt, *Tentat vos Dominus Deus veſter, ut ſciat ſi diligatis eum.* Non enim ſic dictum eſt, quaſi neſciat Deus, ſed ut ipſi ſciant, quantum in Domini dilectione profecerint, quod niſi tentationibus quæ accidunt, non plenè ab hominibus agnoſcitur. Et ipſum tentat, pro eo poſitum eſt quod tentari ſinit. Sic & cum dicitur neſcire; aut pro eo dicitur quod non approbat; id eſt, in diſciplina ſua non agnoſcit, ſicut dictum eſt, *Neſcio vos*: aut pro eo quod utiliter neſcientes facit, id quod ſcire inutile eſt. Ideo bene accipitur, id quod dictum eſt, ſolum ſcire Patrem; ſic dictum eſſe quia facit Filium ſcire: Et quod dictum eſt, neſcire Filium; ſic dictum eſſe, quia facit neſcire homines; id eſt, non prodit eis quod inutiliter ſcirent. Hactenus Auguſtinus. Cujus verba prolixiùs deſcribere non piguit, tum ut omnem vitarem iniquam ſuſpicionem, tum etiam ut lectori ad manum ſint ipſiſſima Auguſtini verba, ex quibus contra iſtam ab eodem Auguſtino allatam neſcientiæ expoſitionem argumenta depromimus. Quam bene ſic accipiatur id quod dictum eſt, ſolum ſcire Patrem, ſuperiùs monuimus, §. 27. Iam neque id bene ſic accipi, quod dictum eſt, neſcire Filium, oſtenſum imus. Et primum noſtrum argumentum ſumimus ab ea doctrinâ, quam tradit Auguſtinus lib. 1. de Trin. cap. 12. à qua doctrina expoſitio iſta aliena eſt. Nam occultationem, & neſcientiam pro occultatione ſumtam, Auguſtinus tribuit Deo etiam ſecundùm formam Dei; ſi igitur neſcientia illius diei & horæ ad ſolam occultationem referatur, ceſſat in hoc dicto exemplum illius regulæ ab ipſo Auguſtino propoſitæ, de diſtinguendis eis locutionibus quæ in ſacris Scripturis ſonant de Filio ſecundùm formam Dei, ab eis locutionibus de eodem Filio, quæ ſonant ſecundùm formam ſervi quam accepit: cujus tamen regulæ exemplum adducit Auguſtinus, in hoc ipſo dicto, quo Filius neſcire dicitur diem illum.

*Joh. 1, 3.* — *Gal. 4, 4.* — *Joh. 10, 30.* — *Joh. 6, 38.* — *Cap. 5, 26.* — *Matth. 26, 38.* — *Luc. 22, 42.* — *Philip. 2, 8.* — *Joh. 17, 10.* — *Joh. 7, 16.* — *Marc. 13, 32.* — *Genes. 22, 12.* — *Deut. 13, 3.* — *Matth. 7, 23. & cap. 25, 12.*

*Secundum argumentum contra expoſitionem Auguſtini.*

31. *Secundum* noſtrum argumentum contra iſtam expoſitionem eſt; quòd expoſitio iſta arenoſo & fallaci nitatur fundamento, quo ſubruto, expoſitio ſuperædificata collabitur. Fundamentum ponit Auguſtinus, lib. 83. qu. quæſt. 60. quod cum Deus dicitur neſcire, aut pro eo dicatur quod non approbet, aut eo quod utiliter neſcientes faciat. At Deus iſto poſteriore modo neſcire nuſquam dicitur in ſacris Scripturis, neque ullum ejuſmodi exemplum adfert Auguſtinus, niſi hoc ſolum dictum de quo quæritur, quod ita eſſe exponendum nullo idoneo argumento docet: nam dictum de Filio neſciente ultimum diem, dicit bene accipi ſic dictum eſſe, quia facit neſcire homines: hujus autem expoſitionis hanc adfert rationem, quia ita ſoleat Scriptura de Deo loqui, ut neſcire dicatur Deus, hoc ipſo ſenſu, nempe quod neſcientes faciat: poſtulamus exempla; ingerit nobis hoc ipſum dictum de quo eſt dubitatio & controver-

ſia: quod nihil eſt aliud quam inutili circulo idem per idem velle confirmare.

*Tertium argumentum. Vindiciæ teſtimoniorum ſacræ Scripturæ.* 32. *Tertium* noſtrum argumentum eſt, quòd expoſitionem iſtam non probent alia teſtimonia Scripturæ, quæ pro ea adferuntur. Non enim ad rem faciunt teſtimonia illa, de verbis Domini ad Abrahamum, Geneſ. 22, 12. *Nunc cognovi quòd timeas Deum*. & de verbis Moſis ad populum, Deut. 13, 3. *Tentat vos Dominus Deus veſter, ut ſciat ſi diligatis eum.* Nam 1. etiamſi Auguſtino concederemus *ſcire* illic ſignificare facere ut alius ſciat, non tamen par ratio eſt neſcientiæ, quam Chriſtus in diſcipulis non fecit, ſed invenit. 2. quod dixit Dominus Abrahamo, ſe jam ſcire quòd Abraham Deum timeat, verum erat in ſenſu proprio, ut ſonabat, neque enim verè neſciebat, & ſe ſcire duntaxat per quandam locutionis figuram dicebat, quia Abrahamum faciebat ſcientem; ſicut iſtius, quam oppugnamus, expoſitionis defenſores dicunt Chriſtum dicentem ſe neſcire diem illum, verè quidem ſciviſſe, & non verè neſciviſſe neſcientia propriè dictâ, ſed tantummodo per quandam loquutionis figuram dicere ſe neſcire, quia diſcipulos neſcientes faciebat. 3 Verba Domini ad Abrahamũ, & verba illa Moſis, & ſimiles loquutiones, aliam ſimpliciorem & ſacris literis magis congruentem recipiunt interpretationẽ, nempe ut intelligatur ea Dei ſcientia, quâ *ſcientiam approbationis* vocant Theologi. *Gen. 22, 12.* Nunc ſcio quod timeas Deum, quandoquidem non ſubduxiſti filium unicum tuum à me. Ac ſi diceret: Ego nunc hoc ſpecimen veræ pietatis approbo, & ego nunc tibi teſtimonium perhibeo, quòd Deum timeas. Tentavi te ut aliquod ederes externum ſpecimen timoris Dei, qui in corde tuo habitat, & jam præclarum edidiſti ſpecimen, quod in conſpectu meo rectum eſt, ſeu mihi probatur, & te verè timere Deum egregiè demonſtrâſti; obedientia enim hæc à te præſtita infallibile eſt indicium timoris Dei, etiam me judice, qui & cor & externum opus video, nec falli poſſum, ſic te gerendo ambulâſti coram me *Gen. 17, 1. Col. 1, 10. 1. Theſſ. 4, 1.* ἀξίως τοῦ κυρίου εἰς πᾶσαν ἀρεσκείαν, [illegible] Θεῷ. Hoc inſigni fructu timorem Dei qui in te eſt notificâſti [illegible] mihi; id eſt, tale eſt hoc ſanctæ obedientiæ ſpecimen, ut mihi probetur, mihi placeat, tanquam ex ſincero & excellenti Dei timore verè profectum, gratumque & acceptum in oculis meis. Non ait Dominus, ſe antea neſciviſſe Abrahami pietatem in corde ejus habitantem: ſed ait ſe jam ſcire, (nempe ſenſu memorato) quod omnino verum eſt, ut verba ſonant. Sic Apoſtolus Paulus hortatur Philippenſes, *Phil. 4, 6.* ut Deo notas faciant ſeu notificent ſuas petitiones inquiens, τὰ αἰτήματα ὑμῶν γνωριζέσθω πρὸς τὸν Θεόν. *petitiones veſtræ innoteſcant* ſeu notificentur, *apud Deum*; nimirum interna deſideria expromendo coram Deo, ita ut Deo probetur pia cordis & oris conſonantia, vel fervens contriti cordis ad Deum ſuſpiratio. [illegible] id eſt, has preces agnoſcit Deus; alias autem non novit. talia igitur vota fundite, quæ agnoſcantur. ut monet Chryſoſtomus, ſerm. 14. in epiſtolam ad Philippenſes, exponens hæc ipſa Apoſtoli verba, quæ jam citavimus. Simili loquutione in Cantico Salomonis, cap. 2. verſ. 14. dicit Dominus Eccleſiæ ſuæ, & omni piæ animæ: *Cant. 2, 14.* *Columba mea, in ſciſſuris petræ, in abſcondito gradus, oſtende mihi aſpectum tuum, fac me audire vocem tuam: vox enim tua dulcis, & aſpectus tuus decorus.*

*Quartum argumentum.* 33. *Quartum* noſtrum argumentum eſt: Expoſitio, quam oppugnamus, figurativa eſt, ſeu ſecundùm quandam figuram loquutionis, ut monet Auguſtinus, lib. 1. de geneſi, contra Manichæos, cap. 22. at in exponenda ſacra Scriptura non eſt quærenda figura, quando quod dicitur, ſenſum recipit proprium, qui neque ab honeſtate morum, regnoque charitatis, neque à fidei veritate alienus eſt, ut ſuprà docuimus ex Auguſtino, §. 14. Dictum autem illud, de Filio neſciente diem ultimum, recipit ſenſum proprium qui neque ab honeſtate morum, regnoque charitatis, neque à fidei veritate alienus eſt, teſtibus Athanaſio, & Cyrillo, & aliis orthodoxis Patribus, eorumque judicio conſtat manifeſta ratio, ut ſuperiùs demonſtratum eſt. Ergo locus hic nullus eſt relictus expoſitioni iſti figurativæ.

*Quintum argumentum, ex ipſo etiam Auguſtino ſumtum.* 34. *Quintum* noſtrum argumentum etiam ex Auguſtino deſumimus: Non aliquo genere loquuntur ſcripturæ, quod in conſuetudine humana non inveniatur, quia utique hominibus loquuntur: inquit Auguſtinus, lib. 1. de Trinitate. cap. 12. at iſtud locutionis genus, quo aliquis rem ſciens dicit ſe neſcire, non invenitur in conſuetudine hominum veracium: ergo hoc genere non loquitur Scriptura de Chriſto qui eſt ſemper verax & ipſa Veritas. Non jam loquimur de ſcientia & neſcientia approbationis, ſed apprehenſionis, quæ ſola huc pertinet. Neque quadrat exemplum quod ibi affertur ab Auguſtino, dicente, eo genere locutionis aliquem dici neſcire quod occultat; quo dicitur foſſa cæca, quæ occulta eſt. Eodem utitur exemplo etiam lib. 1. de geneſi, contra Manichæos, cap. 22. Additis etiam aliis exemplis; Talibus (inquit) locutionibus etiam abundat noſtra conſuetudo, cum dicimus lætum diem, quia nos lætos facit: & pigrum frigus, quia nos pigros facit: & foſſam cæcam, quia nos eam non videmus: & linguam politam, quia verba polita facit. Hæc ille. At certè nulla iſtarum loquutionum ſimilis eſt iſti loquutioni, quâ aliquis ſciens rem & occultare volens dicit ſe neſcire, non enim in exemplis illis negatur ineſſe ſubjecto quod ineſt, ſicut in iſta loquutione. Neque metonymia illa effecti pro efficiente habet locum in iſta locutione, nam qui ſic reſpondet non facit, ſed invenit neſcientem, & ſæpe etiam ſcienti dicit aliquis ſe neſcire, adeò ut cum neque inveniat neque faciat neſcientem.

*Sextum argumentum ex Auguſtino.* 35. *Sextum* noſtrum argumentum ipſe etiam nobis ſuppeditat Auguſtinus, epiſt. 8 & 9. & 19. ubi diſſerit contra Hieronymi interpretationem, de Petro repræhenſo à Paullo, id quod non verè ſed ſimulatoriè, & per quandam honeſtam diſpenſationem, & diſpenſatoriam quandam hypocriſin geſtum ſcriptumque eſſe ſcripſit Hieronymus, in ſuo commentario in cap. 2. epiſt. ad Galatas, & rurſum in ſua epiſtola ad Auguſtinum, quæ inter epiſtolas Auguſtini undecima eſt. Occurrit Auguſtinus, & clamat, hac interpretatione ſuſcipi patrocinium mendacii & ſacris Scripturis tribui officioſum mendacium; atque ita labefactari earum autoritatem; neque lectorem certum eſſe poſſe, an non eum fallat ſcribendo vel loquendo Apoſtolus aliquis, aut Propheta, aut Euangeliſta, ſi fallebat Paulus Apoſtolus filios ſuos, quos iterum parturiebat, donec in eis Chriſtus, id eſt, veritas formaretur, ſi inquam, illos honeſto aliquo officio & neſcio quâ



quâ diſpenſatoriâ ſimulatione, & diſpenſativâ *Gal. 1, 20.* falſitate fallebat. præfatus ſe non mentiri, invocato etiam teſte Deo: & iſta fallaci diſpenſatione admiſſâ, non defuturas cauſas, cur aliquis quandoque exiſtimetur non ſolum potuiſſe, verumetiam debuiſſe mentiri: neque poſſe literis explicari, quanta & quam inexplicabilia mala conſequantur ex iſta diſpenſatoriâ expoſitione. Eadem ratio eſt expoſitionis iſtius verborum Domini dicentis, ſe neſcire diem judicii, qua dicunt Dominum hoc dixiſſe κατ' οἰκονομίαν, per quandam diſpenſationem, ut ab ſe averteret diſcipulos hoc myſterium ex ipſo diſcere cupientes, ut refert Leontius lib. de ſectis, act. 10. ubi tamen in iſta diſpenſatoriâ expoſitione non acquieſcit ipſe Leontius: ſed aliam tutiorem ſequitur. Nam certè, admiſsâ iſta expoſitione, quæ dicit Chriſtum non verè neſciviſſe diem illum, ſed ſe dixiſſe neſcire, diſpenſatoriâ quadam ſimulatione neſcientiæ, ut diſcipulos falleret, atque ita ab ulteriore inquiſitione eos averteret: & ut ſine dolore illud non gravatè neſcirent quod ipſum Filium neſcire crederent, etiamſi falsò id crederent, neque verum eſſet quòd credebant; admiſsâ, inquam, iſtâ expoſitione, omnia illa conſequentur abſurda & inexplicabilia mala, quę ex illa Hieronymiana textus Apoſtolici expoſitione inevitabiliter ſequi, demonſtravit Auguſtinus. Sic etiam *diſpenſationis* vocabulo abuſus eſt hæreticus ille Acephalus, cui reſpondens Ruſticus diaconus, in ſuo dialogo contra Acephalos; *Ergo* (inquit) *diſpenſatio & hypocriſis nihil ab invicem differunt, & erit idem ſecundum idem & bonum ſimul & malum.* Hæc ille.

*Septimum argumentum ex à* [illegible] *Auguſtini.* 36. Septimum noſtrum argumentum etiam ex verbis oritur Auguſtini, ſuperius commemoratis, § 29. Nam admiſſa iſta expoſitione, dicetur Pater multa neſcire, quia ea hominibus non revelat, quamvis enim Filio revelet, tacito tamen reſpectu habito ad homines, quibus non revelat, dicetur neſcire, quæ inſolens eſt & abſurda loquutio. Nam in ſacris literis duobus modis dicitur Deus aliquid ſcire, nempe vel apprehenſivè, vel approbativè ſeu cum dilectione: illo modo ſcit omnia, neque quicquam neſcit, καὶ οὐκ ἔστι κτίσις ἀφανὴς ἐνώπιον αὐτοῦ, πάντα δὲ γυμνὰ καὶ τετραχηλισμένα τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ. *Hebr. 4, 13.* Poſteriore quidem *Matth. 7, 23.* modo neſcit, id eſt, non approbat, non diligit, *Luc. 13, 27.* non agnoſcit pro filiis ſuis, operatores iniquitatis. At verò Dominus apud Marcum, cap. 13. loquitur non de improbativa neſcientiâ, ſed de ea quæ ſcientiæ apprehenſivæ opponitur. Joannes Maldonatus, Jeſuita, hoc argumento motus, expoſitioni iſti nuncium mittit, inquiens, illa verò receptiſſima interpretatio eorum, qui exiſtimant ideo Chriſtum dici diem judicii ignorare quod nobis eum non revelaverit, non admodum magna mihi videtur probabilitate, quia iſto modo etiam Pater ignoraret, quia nobis non revelavit. Hæc Maldonatus in ſuo Comment. in Matth. 24.

*Alia argumenta.* 37. Denique ut, brevitatis ſtudio, multa confertim argumenta non levis momenti accumulem, dico iſtam expoſitionem, quæ Bellarmino & Gretſero tantopere arridet, neque neceſſariam eſſe, neque probabilem, & eſſe omnino explodendam; quia eſt à ſacro textu aliena, & vim infert Scripturæ, eam ſine neceſſitate trahendo atque torquendo ad ſenſum inuſitatum & intellectu difficilem, & veracitati inimica eſt, & inductiva in ruinam, & in Chriſtum contumelioſa, & quum ſubeſſe doceat ſermoni Domini conditionem tacitam non obviam aut perceptibilem auditoribus & negotio congruentem, ſed imperceptibilem & à propoſito alienam, & fallacem ad fallendum auditores de induſtria comparatam, latam aperit januam doloſitati, quæ eſt fraus quædam in verbis, aliud promendi, aliud ſentiendi, *Doloſitas quid ſit.* ſicuti doloſitatem definit Auguſtinus, in Pſal. 49. Et introducit iſta expoſitio diabolicam illam mentiendi artem, quam hodie *æquivocationem* vocant, *Æquivocatio.* & nefariæ iſtius artis magiſterium ac patrocinium ab ipſa divina Veritate ſacrilegè arceſſit, & humani commercii certitudinem & candorem aufert, atque è ſocietate hominum tollit ſocietatem, neque ullum veriloqui & mendacii relinquit ſerium & honeſtum diſcrimen, & penitùs tollit rectum verborum uſum, nam ad hoc verba ſunt inſtituta, non ut per ea alii alios fallant, ſed ut per ea in alterius quiſque notitiam cogitationes ſuas perferat, ut loquitur Auguſtinus Enchirid. cap. 22. & omne veri ac falſi judicium labefactat, & penitus deſtruit. Quid enim magis erit in promtu falſis teſtibus aut quibuſcunque mentientibus vel pejerantibus, quam iſtiuſmodi tacitæ conditionis obtentus? Et ſic qui negaverit Chriſtum coram hominibus, qui dixerit ſe neſcire an Deus ſit, & qui atrociſſima mendacia & perjuria fecerit, ſe excuſabit per iſtud *mentalis* (ut vocant) *reſervationis* effugium, *Mentalis reſervatio.* quod ſcilicet, quamvis eas res ſciverit, non tamen ad dicendum illis interrogatoribus ſciverit: ſic peribit omnis commercii inter homines, omnis judicii, omnis doctrinæ certitudo, omnis confeſſionis neceſſitas, & inanes erunt martyrum paſſiones.

*Hæretici veteres deleſtatem docentes.* 38. *Simon Magus* negabat Martyria eſſe facienda. teſte Tertulliano, lib. de præſcriptionibus, cap. 46. Sic etiam *Corpianus* hæreticus negabat debere eſſe martyria. teſte Optato Milevitano, lib. 4. contra Parmenianum. *Heleſaitæ* hæretici, à magiſtro ſuo *Elxai*, qui Trajano imperante extitit, hanc acceperunt traditionem, ut tempore perſecutionis idola adorarent, fidemque ſuam ore negarent, nec iſtiuſmodi negationem, ore factam, putarent eſſe peccatum, dummodo id ex animo non facerent. Teſtes ſunt Euſebius, lib. 6. hiſt. Eccleſ. cap. 31. κεφ. λη. & Epiphanius, hæreſ. 19. & Auguſtinus, hæreſ. 10. Scribit etiam de *Baſilidianis*, Irenæus lib. 1. cap. 23. quòd parati ſint ad negationem, neque pati propter nomen poſſint, cum ſint omnibus ſimiles. *Vide infra, lib. 4. cap. 2.* *Tu enim*, ajunt, *omnes cognoſce, te autem nemo cognoſcat.* Huic Baſilidianæ regulæ ſimile eſt dogma illud Priſcillianiſtarum, quod ab Auguſtino refertur, hæreſ. 70.

*Iura, perjura; ſecretum prodere noli.*

Et de eiſdem *Priſcillianiſtis* alibi ait; *Porrò inter illa dogmata, quæ ſubvertenda ſunt, etiam hoc eſt utique, quod dogmatizant, ad occultandam religionem, religioſos debere mentiri.* Hæc Auguſtinus, lib. contra mendacium, ad Conſentium, cap. 11. Et de *Valentinianis* hæreticis ſcribit Tertullianus, lib. adverſus Valentinianos, cap. 1. *Nihil magis curant quàm occultare quod prædicant, ſi tamen prædicant, qui occultant. Cuſtodia officium, conſcientia officium eſt. Confuſio prædicatur, dum religio adſeveratur. Nam & illa Eleuſinia, hæreſis & ipſa Atticæ ſuperſtitionis, quod tacent pudor eſt.* ——— *Eleuſiniana Valentiniana fecerunt lenocinia, ſanctaque ſilentio magno, ſola taciturnitate cœleſtia. Si bona fide quæras, concreto vultu, ſuſpenſo ſupercilio, altum eſt, ajunt. Si ſubtiliter*

*tiliter tentes ; per ambiguitates bilingues communem fidem adfirmant. Si ſcire te ſuboſtendas, negant quicquid agnoſcunt. Si cominus certes, tuam ſimplicitatem ſuâ cæde diſpergunt. Ne diſcipulis quidem propriis ante committunt, quàm ſuos fecerint. Habent artificium quò prius perſuadeant, quàm edoceant. Veritas autem docendo perſuadet, non ſuadendo docet.* Hæc Tertullianus. *Maſſaliani* ſive *Euchitæ ſunt ad negandum parati, & ſi urgeantur, protinus anathematizant eos qui horum aliquid dicunt.* inquit Theodoretus, lib. 4. hæreticarum fabularum, cap. de Maſſalianis. Et de iiſdem Maſſalianis ſcribit Johannes Damaſcenus, lib. de hæreſibus, quod *jurare eis & pejerare fas ſit. Et quod ſuam ipſorum hæreſin obſcurè deteſtentur.* Hieronymus etiam in apologia adverſus Ruffinum, lib. 1 circa medium, ſcribit, *Origeniſtas inter ſe orgiis mendaciorum fœderari.* Et in proœmio libri quarti commentariorum in Hieremiam, ait ; *Hæreticos ſecretò docere, & publicè negare.* Bernardus etiam, ſerm. 65. ſuper Cantica, diſputat contra quoſdam ſui ſeculi hæreticos, qui jurabant & pejerabant, ne myſterium publicarent. Jam autem per iſtam verborum Domini expoſitionem, quam Bellarminus & Gretſerus lectoribus ſuis commendant, lata panditur janua, per quam liberè introëant & exeant omnes illæ diabolicæ hæreticorum fraudes & blaſphemæ ludificationes. Præclarè verò ait Ambroſius, *Non ſatis eſt involuta reſponſio confitentis Jeſum, ſed aperta confeſſio. quid prodeſt verba involvere, ſi videri vis denegaſſe?* Hæc Ambroſius Commentar. in cap. 22. Euang. Lucæ ubi de negatione Petri. Philaſtrius in ſuo catalogo hæreſeon quæ ſub Apoſtolis extiterunt, cap. 44. ſcribit fuiſſe in Ægypto & Alexandria quoſdam hæreticos, qui *Rhetorii* dicebantur, à quodam *Rhetorio* auctore ſectæ, qui omnes laudabat hæreſes, dicens omnes bene ſentire, & neminem ex eis errare. Hoc Auguſtinus dicit ita eſſe abſurdum, & nimium mirabilis vanitatis, ut ipſi incredibile videatur. hæreſ. 72. At verò, admiſſâ iſtâ Bellarminianâ & Gretſerianâ expoſitione, & fallaci illâ æquivocatione introductâ, ita evaneſcet omne veri & falſi diſcrimen, ut ſtupenda illa & incredibilis *Rhetorianorum* vanitas non ampliùs incredibilis futura eſſe videatur.

*Rhetorii, omnium hæreſeon laudatores.*

39. Multò rectius Athanaſius & alii Patres ſuprà memorati docent, Chriſtum illa de Filii neſcientiâ verè dixiſſe, non autem mentitum eſſe, ſed verè in ſeipſo ſecundùm aliquam ſuam naturam habuiſſe veram quandam ac propriè dictam neſcientiam. Et Bernardus, in tractatu de gradibus humilitatis & ſuperbiæ, paullò poſt initium; *Numquid fortè*, inquit, *mendaciter eos voluit celare, quod utiliter non valuit innoteſcere? abſit! Sicut nihil ignorare poterat, cum Sapientia ſit : ſic nec mentiri, cum veritas ſit.* Hæc ibi.

*Vide ſupra §.22. & §.28.*

40. *Adamus Conzen*, Jeſuita Ingolſtadienſis, in ſuo Comment. in Matth. 24. ſic exponit verba Domini dicentis, neque Filium ſcire ultimum illum diem : ac ſi dixiſſet Dominus ; vos me iſtud interrogatis ut Prophetam, at hoc nulli Prophetæ revelatum eſt, neque ulli meræ creaturæ, neque mihi ut Prophetæ revelatum eſt, ſed quia ſum Filius Dei. Sed hæc expoſitio non habet in textu fundamentum : Chriſtus enim in textu Euangelico nullius officii ſui mentionem facit, neque ſe ab officio denominat, ſed à perſona : non enim ait, *neque Propheta*, ſed, *neque Filius.* quotieſcumque autem in ſacris literis nominatur Filius ille Dei naturalis & proprius, & aliquid de Filio illo enunciatur, neque expreſſa invenitur in textu diſtinctio, neceſſe eſt veritatem ejus inveſtigemus, per diſtinctionem naturarum : quia quicquid de Filio in Scripturis dicitur, illud verum eſt ſecundùm aliquam in Filio naturam, nempe vel humanam vel divinam. neque ulterius progredi tutum eſt abſque Scripturæ Lampade prævia. Præterea, jam ante confeſſi erant diſcipuli illum eſſe Chriſtum Filium Dei viventis, (Matt. 16, 16. Joh. 6, 69.) non igitur jam ut unum ex Prophetis, ſed ut Chriſtum Filium Dei viventis illum interrogabant de die judicii, & quærebant, quænam futura eſſent ſigna adventûs ejus, Matth. 24, 3.

*Adami Conzen expoſitio refellitur.*

41. Quem igitur dicemus eſſe ſenſum illorum verborum Domini profitentis ſe, licet Dei Filium, neſcire ultimum illum diem? Reſponderunt ſimpliciter Athanaſius & Cyrillus, aliique cum eis ſentientes antiqui Patres, per evidentem naturarum diſtinctionem, neſcientiam illam humanitati Chriſti tribuentes ; ſicut in ſuperioribus oſtenſum eſt. Quidam poſtea ulterius progreſſi ſunt, & quem diem ipſe Dominus ſe neſcire ſecundùm humanitatem profitetur, illi affirmârũt eum non neſciſſe illo tempore, ne ſecundum humanitatem quidem. quia autem contradictio non eſt niſi affirmetur & negetur idem eodem modo, propterea ut hanc ſuam aſſertionem tuerẽtur, varios ſcrutati ſunt modos humanæ ſcientiæ Chriſti, quos ſuprà commemoravimus: neq; tamen adhuc aſſignare potuerunt ullum idoneum modum ad declarandam veritatem dicti Dominici, ſalvâ ipſorum hypotheſi de cognitione & non neſcientiâ illius diei, quam Chriſto tribuunt etiam ſecundum humanitatem, tunc quando negabat ſe illum ſcire. hanc autem ſuam hypotheſin videntur ſibi validè demonſtrare per illas humanæ Chriſti ſcientiæ diſtinctiones, ſuprà commemoratas. Et tamen diſtinctiones Thomæ evertit Scotus, neque ipſe Scotus ullum oſtendit ſerium & gravitati loquentis Chriſti convenientem modum neſcientiæ, quo neſciverit Chriſtus diem illum ultimum. Et quæcunque ab aliis adferuntur diſtinctiones, ad retinendam iſtam hypotheſin, vel ſunt ridiculæ, vel evidenter alienæ, vel manifeſtè impiæ, ſicut demonſtravimus.

*Matth. 13. 32.*

42. Certum eſt, ſupereminentem ineſſe Chriſto homini ſcientiam, ſed ſcientiæ illius modum & terminum in Chriſto viatore non aſſequimur: neque audemus affirmare aut ſapere ultra quam ſcriptum eſt. Nec prætereundum, quod ait Scotus in 3. ſent. diſt. 14. quæſt. 2. num. 20. Verbum Chriſto homini eſſe ſpeculum voluntarium. Non ergo quæcunque poteſt, ſed quæcunque vult, revelat ſibi-ipſi homini Deus Verbum, qui omnia operatur ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ. Epheſ. 1, 11. Propterea ex unione humanitatis cum Deitate in perſona Verbi, non ſequitur Chriſtum ſecundùm humanitatem ea omnia ſcire quæ ſcit Verbum, ſive ſcientiâ ſimplicis intelligentiæ, ſive ſcientiâ viſionis, ſed tantummodo ea omnia, quæ voluit Verbum adeóq; ſanctiſſima Trinitas revelare homini Jeſu Chriſto : quænam autem & quouſque voluerit Deus Chriſto viatori revelare, nemo mortalium aſſequi poteſt, tacente Scripturâ, niſi habeat ea de re ſpecialem revelationem. Imò modi ſublimitas, & immenſa illa menſura, ſive immenſitas citra menſuram, quæ fuit in Chriſto etiam viatore ſimul & comprehenſore, ipſis ſupremis Angelis inacceſſa eſt & incomprehenſibilis: nam ſupremi etiam



etiam Angeli beatificâ quidem fruuntur Dei viſione, per quam beati ſunt ; at nullus eorum eſt ille ipſe Deus, cujus viſione beatus eſt. Solus homo Jeſus Chriſtus perfectè novit quid ſit creaturam aliquam eſſe eum perſonaliter cujus viſione beata eſt, adeóque quid ſit hominem eſſe ſui ipſius viſione beatum : nempe quatenus unus idemque Jeſus Chriſtus, ſecundum humanitatem videns, & ſecundùm Deitatem viſus, ſui ipſius viſione eſt beatus. Hac prærogativâ Chriſtus in immenſum, & ſupra omnem humanam vel Angelicam æſtimationem, omnes meras creaturas antecellit. Hujus igitur revelationis modum & diſpenſationem cum nulla aſſequatur mera creatura, tutum hic eſt *non ſapere ſuprà quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem,* Rom. 12, 3. *non ſapere ſupra id quod ſcriptum eſt* 1. Cor. 4, 6. Dicit Pſaltes, *Iudicia Dei eſſe abyſſum magnam,* Pſal. 36, 7. idem meritò ſentiendum de magno illo pietatis myſterio, nempe, *Deo manifeſtato in carne*, &c. ſicut deſcribitur ab Apoſtolo 1. Tim. 3, 16. Dicemus igitur curioſis & nimiâ confidentiâ elatis, quod olim Paullus Apoſtolus ſociis navalibus : Oportebat quidem non provehi à Creta, ac vitare injuriam hanc & damnum, Act. 27, 21. Neque in ea quæ non viderunt, ſe ingerere, temere turgentes ſenſu carnis ſuæ, ſicut idem Apoſtolus loquitur de quibuſdam audacter curioſis, & ſuperbè turgidis, Coloſſ. 2, 18. *Mihi omnino utile eſt* (inquit Auguſtinus) *ut meminerim virium mearum, fratreſq; meos admoneam, ut & ipſi meminerint ſuarum, ne ultra quam tutum eſt humana progrediatur infirmitas.* Hæc Auguſtinus, lib. 3. de Trinitate cap. 10.

*Chriſtus ſui ipſius viſione beatus.*

*Pſal. 36, 7.*

43. Quando igitur audimus Dominum Jeſum de ſe viatore profitentem, quod neſciat diem judicii, ſimplex & tuta expoſitio eſt, per diſtinctionem naturarum, ut cum veteribus Patribus Athanaſio, Hilario, Gregorio Nazianzeno, Ambroſio, Cyrillo, Gregorio Romano, & aliis, dicamus Chriſtum ſecundùm Divinitatem non neſciviſſe, at ſecundum humanitatem diem illum, eo tempore, verè neſciviſſe ; & quidem neſcientiâ propriè dictâ, non tamen ignorantiâ privativâ, ſed tantum negativâ, ſicut eſt ſuperius explicatum : atque ita Domini verba ſimplici & obvio ſenſu exponuntur, & oſtenditur neſcientiæ illius modus aliquis ſerius, qui & Chriſti loquentis gravitati conveniat, & ad præſentem diſcipulorum quæſtionem pertineat. Ulterius qui penetraverit, ſi evidenti Scripturæ teſtimonio probare poterit quod aſſerit, nos in ejus ſententiam libenter ituri ſumus. Interim meminerimus, conſultum non eſſe ut quiſquam tuta timens, & obvia ſpernens, temerariâ præfidentis animi curioſitate ſeſe ingerat in ea quæ non vidit, ne inextricabilibus quæſtionum & difficultatum perplexitatibus implicitus exitum non inveniat. Quocirca memores admonitionis illius Apoſtolicæ, μὴ ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν, ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν, nos in exponendo illo dicto Domini, de Filii neſcientia, in memorata naturarum diſtinctione, cum antiquis Patribus, conſiſtere tutum exiſtimamus.

*Concluſio.*

*Rom. 12, 3.*

## CAPUT VIGESIMUM-PRIMUM.

*De ſchiſmate, quod Romæ fuit, inter Symmachum & Laurentium. & de loquutione iſta qua dicitur, unum de Trinitate crucifixum eſſe. & de Chriſti perſona compoſitâ, ubi de contentione inter Hormiſdam Papam Rom. & Monachos Scythas. & de loquutione illa, ex duabus & in duabus naturis.*

ANaſtaſio ſecundo in ſede Romana ſucceſſit *Symmachus* Papa, anno Dom. 498. regnantibus Anaſtaſio Auguſto, & Theodorico Gothorum in Italia rege. Hic ſub contentione ordinatus eſt uno die cum *Laurentio* : Symmachus in baſilica Conſtantiniana ; Laurentius in baſilica B. Mariæ. Ex qua cauſa ſeparatus eſt clerus, & diviſus eſt Senatus. Alii cum Symmacho erant, alii verò cum Laurentio. Iverunt utraq; pars Ravennam ad regem Theodoricum, qui Symmacho pontificatum confirmavit, ob id quòd prior ordinatus fuiſſet, & plura in ejus electionem & ordinationem ſuffragia conveniſſent : Habitâ autem Synodo, Symmachus Laurentio Nucerinæ civitatis tribuit Epiſcopatum. Poſt annos verò quatuor idem ſchiſma violentius renovatum eſt, non ſine ſanguine. In quo tamen Symmachus ſuperior evaſit. Hæc ex libro Pontificali, in vita Symmachi ab Anaſtaſio bibliothecario ſcripta : Hoc ſchiſma Onuphrius, annotatione in vitam Symmachi à Platina ſcriptam, ait fuiſſe pernicioſum & atrox. & à primo Novatiani ſchiſmate hoc quartum extitiſſe.

*Schiſma inter Symmachum & Laurentium.*

2. Symmachum excepit *Hormiſda* Papa, anno Dom. 514. eiſdem regnantibus Anaſtaſio Auguſto, & Theodorico Gothorum rege. ſedit annos octo aut novem plus minus. Eo autem ſedente, mortuus eſt Imperator Anaſtaſius, & in ejus locum ſurrogatus eſt Juſtinus, anno Dom. 518.

*Hormiſda Papa.*

3. Patres orthodoxi in Concilio Antiocheno, contra Paulum Samoſatenum celebrato, confeſſi ſunt Chriſtum eſſe ἓν πρόσωπον σύνθετον ἐκ θεότητος οὐρανίου, καὶ ἀνθρωπίνης σαρκὸς, unam perſonam compoſitam ex cœleſti Divinitate & humanâ carne, ut legere eſt in ſymbolo illius Concilii, quod exhibuimus, lib. 1. hujus operis, cap. 4. §. 1.

*Chriſtus una perſona compoſita.*

4. Cyrillus contra Neſtorium prædicabat unum Chriſtum conſtitutum ex Deitate & perfectâ humanitate, unitis non ſecundùm dignitatem tantummodo & ſocietatem, ſed ſecundum hypoſtaſin, & ſecundùm naturam, adeò ut poſt unionẽ duæ maneant diſtinctæ naturæ in una hypoſtaſi, ſine confuſione unitæ, καθ' ἕνωσιν φυσικὴν, ut loquitur Cyrillus in epiſt. ad Neſtorium, adjectiſque anathematiſmis.

*Ἕνωσις φυσική. Vide infra, §. 19. 20. 21. 22. 41. 42.*

5. Abdicato Neſtorio, *Maximianus* factus eſt Patriarcha Conſtantinopolitanus, quo poſt biennium & quinque menſes in cœleſtem patriam tranſlato, ſucceſſit *Proclus*, qui in ſua ad Armenios epiſtolâ, hanc contra Neſtorianos doctrinam orthodoxam monet retinendam, ut confiteamur τὸν θεὸν λόγον, τὸν ἕνα τῆς τριάδος σεσαρκῶσθαι, Deum Verbum, unum ex Trinitate incarnatum eſſe.

*Unus ex Trinitate incarnatus eſt.*

6. Has catholicorum Patrum ſanas loquutiones *Petrus Gnapheus*, aliique hæretici Monophyſitæ & Theopaſchitæ, ſenſu inſano in favo-

*Hæretici Theopaſchitæ anſurpant verba Patrum contra mentem Patrum.*

rem ſuæ hæreſeos uſurpârunt, adjicientes hymno triſagio illud additamentum, *qui pro nobis crucifixus eſt*; quod ſupra exploſum vidimus, cap. 12. hujus libri: nam paſſionem ipſi adſcribebant Deitati, unde Θεοπασχῖται dicti ſunt, ut ibi oſtenſum. Eodem etiam ſenſu Gnapheus dicebat, τὸν ἕνα τῆς Τριάδος παθεῖν, unum Trinitatis ſeu unum de Trinitate paſſum eſſe. Propterea duas iſtas Gnaphei Monophyſitæ & Theopaſchitæ loquutiones pariter rejecerunt orthodoxi Patres, & utramq; (ſenſu illo Fullonico, id eſt, Monophyſitico & Theopaſchitico intellectam) accuratè repulerunt. Acacius Patriarcha Conſtantinopolitanus, in ſua ad eundem Petrum epiſtola, (quę exſtat tom. 4. Concil. pag. 154. edit. Pariſ. in appendice poſt acta Concilii Mennæ Patriarchæ) & Felix 3. Papa Romanus, epiſt. 3. ad eundem Petrum Gnapheum, & epiſt. 5. ad Zenonem Imperatorem: ubi Felix Petrum Gnapheum vocat primogenitum & diaboli filium, & ait eundem Petrum auſum eſſe dicere, unum de Trinitate paſſionem pro nobis pertuliſſe in ſubſtantia Deitatis, juxta Arii & Apollinaris, Eunomiique blaſphemiam, & velle hac voce evacuare ſalutarem Domini incarnationem, ſecundùm quam Chriſtus & paſſionem ſubiit. Dicebant etiam Acephali hæretici, μίαν ἐπὶ Χριστοῦ φύσιν σύνθετον, unam in Chriſto naturam compoſitam, ut monet Joannes Damaſcenus, ſcribens de Themiſtio hæretico Agnoeta, lib. de hæreſibus. Sic etiam Armeniorum catholicus, ſeu generalis paſtor, Eutychianæ ſectæ addictus (referente Theoriano in dialogo, ſive diſputatione, quam cum illis habuit) compoſitam dixit naturam, inquiens, μίαν φύσιν σύνθετον λέγω ἐκ θεότητος καὶ ἀνθρωπότητος. Et hanc unam naturam vocabant θεανδρικήν, ideò adverſus hanc hæreſin ſcribens Contianus Herculianorum Epiſcopus, ait: εἴ τις θεανδρικὴν λέγει, καὶ ἐκ Θεοῦ καὶ ἀνθρώπου μᾶλλον λέγει, ἀναθηματιζέσθω. Hæc Contianus in ſua epiſtola ad Petrum Gnapheum, Epiſcopum Antiochenum, quæ exſtat in appendice, poſt acta ſynodi Mennæ Patriarchæ.

*Ideo orthodoxi rejiciunt illa verba, prout ab hæreticis uſurpabantur.*

*Hæretici dicebant unam in Chriſto naturam compoſitam. Vide ſupra, cap. 12. §. 12.*

*Θεανδρικὴ.*

*Origo contentionis inter Hormiſdam Papam & Monachos Scythas de hac loqutione, unus ex Trinitate crucifixus eſt. Item, de Chriſto compoſito.*

7. Poſtea autem regnante ſeniore Juſtino Imperatore, cùm jam hæreſis Theopaſchitarum & Acephalorum paſſim damnaretur, cœperunt inter ſe digladiari illi, qui ſe Chalcedonenſem ſynodum ſequi profitebantur, utrùm rectè dicatur, necne, *Unum ex Trinitate crucifixum eſſe?* Unde nata eſt etiam alia quæſtio de Chriſto compoſito. Summam rei geſtæ paucis exhibebo. *Hormiſda*, Papa Romanus, habebat illo tempore Conſtantinopoli, regnante Juſtino Imperatore ſeniore, legatos ſuæ ſedis, *Germanum & Ioannem* Epiſcopos, *Felicem & Dioſcorum* diaconos, & *Blandum* presbyterum. Quibus Conſtantinopoli degentibus, fervebat quæſtio inter monachos quoſdam Scythas, & Victorem quendam diaconum, de uno de Trinitate crucifixo. Legati ſedis Romanæ Victoris ſententiæ ſuum addiderunt calculum, affirmantes non eſſe dicendum, quòd unus de Trinitate crucifixus ſit; ne viderentur quatuor ſynodis & Epiſtolæ Leonis Papæ quippiam adjicere, aut contradicere. Iudicabant enim abſque prædictarum ſynodorum & epiſtolę contumeliâ, imò abſque catholicæ fidei diſpendio non poſſe ſermonem illum admitti, non enim poſſe cum catholicæ fidei convenire. Quem tamen ſermonem vehementer urgebant ac defendebant Monachi Scythæ, cumque adverſus Neſtorianos uſurpandum eſſe pertendebant, profitentes ſe quoque recipere quatuor ſynodos, Nicęnam, Conſtantinopolitanam, Epheſinã, & Chalcedonenſem, & epiſtolam Leonis Papæ. Ajebant autẽ, obtentu religionis erga ſynodos, memoratam loquutionem [quod unus de Trinitate pro nobis crucifixus ſit] eo ſenſu propoſitam quo ab illis exponebatur, nõ poſſe rejici & damnari abſque manifeſto crimine Neſtorianiſmi. Itaque relictis Romanæ ſedis legatis, tanquam præpoſtero Synodi Chalcedonenſis aliarumque ſynodorum obtentu, ſub ſpecie reverentiæ erga Patres, & fugæ novitatum, Neſtorianiſmo faventibus, aut ſaltem aditum Neſtorianæ hæreſi, per quem in Eccleſiam denuò intraret, aperientibus, per memorati ſermonis [de uno ex Trinitate crucifixo] rejectionem & damnationem; Monachi illi Scythæ ipſam verſus urbem Romam iter inſtituunt, ſperantes ſe Hormiſdæ Papæ Romani conſenſum habituros, quem poſſent legatorum imperitię opponere. Sed de eorum propoſito, & habitâ cum Legatis contentione, certior factus Hormiſda per legatorum ſuorum literas & ſuggeſtiones, ſategit Monachos Scythas de ſententia deducere, quod ubi fruſtra tentâſſet, ratum habuit legatorum ſuorum judicium, & Scythas Monachos ut hæreticos ab urbe expulit. Hæc omnia inveniet Lector in ſuggeſtione Dioſcori diaconi ad Hormiſdam Papam, quæ incipit, *Verum eſt nulla eſſe*, & in ſuggeſtione omnium quinque memoratorum ſedis Romanę legatorum, ſcripta ad eundem Papam Hormiſdam, quæ incipit, *Cum Dei miſericordia.* [quæ duæ ſuggeſtiones exſtant in libro epiſtolarum Hormiſdæ Papæ, poſt epiſtolam 65.] & in alia ſuggeſtione Dioſcori diaconi, ad Hormiſdam Papam, quæ incipit, *Per Eulogium.* [& exſtat poſt Hormiſdæ epiſtolam ſexageſimam ſeptimam.] & in epiſtola 70. Hormiſdæ Papæ Romani, quam ſcripſit Poſſeſſori Epiſcopo Afro, & in Joannis Maxentii reſponſione ad eandem Hormiſdæ epiſtolam.

8. Obſerva autem Hormiſdam, ejuſque legatos, Monachis Scythis unum de Trinitate crucifixum eſſe aſſerentibus, idque catholicè & menti quatuor Synodorum congruenter dici pertendentibus, objeciſſe tum vocum novitatem, tum ſenſûs errorem. Et ob has duas objectiones, pręſertim verò ob poſteriorem, Scythas Monachos pro hæreticis habitos. Libet utramque Hormiſdanorum objectionem, ipſorum verbis in medium adferre, cum reſponſionibus Scytharum, ex eorundem Hormiſdanorum relatione; quas proponemus per modum objectionis & reſponſionis, adhærentes ipſis verbis Hormiſdanorum de hac controverſia.

9. Aſſertio Monachorum Scytharum: *Unus de Trinitate crucifixus eſt.* Contra hanc aſſertionem prior objectio Hormiſdanorum eſt. Hoc nec Patres nec ſynodi dixerunt; ſufficit ſanctum Chalcedonenſe Concilium, in quo & aliæ ſynodi continentur; ſufficiunt epiſtolæ Papę Leonis, quas Synodus confirmavit: Novitatem in Eccleſia introducere nec volumus nec debemus. Si novum aliquid addatur, quicquid factum eſt deſtruitur. Extra ſynodos quatuor, extra epiſtolas Papę Leonis nec dicimus, nec admittimus quicquid non continetur in prædictis ſynodis; aut quod non eſt ſcriptum à Papa Leone, non ſuſcipimus. Quod non eſt in quatuor Conciliis definitum, nec in epiſtolis B. Papæ Leonis, nos nec dicere poſſumus, nec addere. Beati Pauli monita non tacentes, Noli, verbis contendere: ad nihil enim utile eſt, niſi ad ſubverſionem audientium. *2. Tim. 2, 14.*



10. Scytharum reſponſio: Nos ſynodum Chalcedonenſem ſuſcepimus; hoc ſperâmus, ut jubeatis eam nobis exponere, quia non ſufficit, ſic quomodo eſt expoſita, contra hæreſin Neſtorianam. Profiteamur & dicamus, unum de Trinitate paſſum eſſe, ſecundum hanc expoſitionem ſuſcipere debetis Synodum; alioquin eſtis Neſtoriani.

11. Inſtant contra iſtam reſponſionem Hormiſdani, proponentes hanc ſecundam objectionem, quâ ipſum ſenſum illorum verborum, de uno de Trinitate crucifixo, tanquam erroneum & hæreticum rejiciunt, non ſolum, quia loqutione novum & antea inauditum; ſed etiam, quia ipſo ſenſu hæreticum eſſe, & catholicæ fidei minimè poſſe convenire judicant, ut dicatur unum de Trinitate crucifixum eſſe: ideo ex eorum mente nunquam admitti poterit ſermo ille ſine hæreſi. Sed ipſorum Hormiſdanorum verba proferamus; quæ ſic ſe habent: *iſte ſermo* [unum de Trinitate crucifixum] *ideo nunquam eſt in ſynodis à Patribus introductus, quia procul dubio Catholica fidei minimè poterat convenire.* * *venenum hoc eſt, & nefandum ſemen diabolica zizania.* * Hæc omnia inveniet lector apud Hormiſdam ejuſque legatos, locis citatis.

*Suggeſt. Legat. Verum eſt. * Hormiſd. ep. 70.*

*Ioannes Maxentius Scytharum defendit contra Hormiſdam.*

12. Reverſis Conſtantinopolin Monachis Scythis, cùm cernerent epiſtolam Hormiſdæ, ad Poſſeſſorem contra eos ſcriptam, ab eorum adverſariis, & Neſtorianæ hæreſeos fautoribus, jactanter proferri, *Ioannes Maxentius* ociorum ſuorum cauſam ſcriptis ſtrenuè defendit, & epiſtolam illam Hormiſdæ, editâ prolixâ reſponſione, refutavit. In qua reſponſione, priùs quidem, veluti parcens exiſtimationi Hormiſdæ, Epiſcopi Romani, culpam conjicere conatur in hæreticos Neſtorianos, à quibus fortaſſe conficta ſit illa epiſtola; attamen in progreſſu diſertè atque intrepidè clamat, atq; identidem inculcat, auctorem illius epiſtolæ hæreticum eſſe, & inimicum catholicæ veritatis, ſive ipſe Hormiſda ille fuerit, ſive quilibet alius. Præterea ait; Si idipſum non ſolum per epiſtolam, ſed etiam vivâ voce palàm doceret Hormiſda Papa Romanus, non aſſenſuram catholicam Eccleſiam, neque eum ut Epiſcopum catholicum veneraturam, ſed omnino ut hæreticum penitus exſecraturam.

13. Edita ſunt ab eiſdem monachis Scythis, aut certè eorum nomine, à Joanne Maxentio, duodecim capitula, ſeu anathematiſmi, contra Neſtorianos: ex quorum capitulorum primo & tertio colligit *Margarinus de la Bigne*, Theologus Pariſienſis (in priore parte tomi quarti Bibliothecæ Patrum) Maxentium & monachos illos fuiſſe hæreſi Eutychianæ addictos: at certè id perperam & immeritò ab illo factum eſt; nam, ut conſtat tum ex eorum libro ad Fulgentium & alios Epiſcopos Afros, de incarnatione & gratiâ, tum ex Joannis Maxentii ſcriptis, procul aberant ab hac hæreſi, eamque non obſcurè damnabant.

14. Primi capituli, ſeu anathematiſmi, verba hæc ſunt: *Si quis non confitetur in Domino noſtro Ieſu Chriſto duas naturas unitas, hoc eſt, divinitatis & humanitatis, ac ſic unam naturam Dei Verbi incarnatam, ſicut duas unitas in una ſubſtantia atque perſona, ſecundùm quod nobis tradidit veneranda ſynodus Chalcedonenſis, anathema ſit.* Hanc aſſertionem, quâ dicitur, *Unam naturam Dei Verbi vel divinitatem eſſe incarnatam*, Margarinus fatetur eſſe de ſe veram & orthodoxam, & ſic loquutos eſſe Athanaſium & Cyrillum, alioſque Patres catholicos, hoc nimirum orthodoxo ſenſu, quòd natura divina unita ſit carni, vel naturam carnis aſſumpſerit. Cæterùm (inquit) quia Eutychiani eam propoſitionem, unam naturam Dei Verbi incarnatam, pravo & hæretico ſenſu detorquebant, quaſi in Chriſto non fuerit niſi natura divina, in quam converſa fuerit natura humana, nullo pactǫ ferenda eſt in Eutychiano homine, qualis fuit Maxentius. Hanc Margarini injuſtam cenſuram manifeſtè redarguunt ipſius Maxentii, & ipſorum monachorum verba. Maxentius, in ſua de Chriſto profeſſione, ait: *Igitur ſequentes in omnibus fidem ſanctorum Patrum, confitemur, Unum eundemque Filium Dei Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, perfectum eundem in Divinitate, perfectum eundem in humanitate, Deum verum & hominem verum eundem ex anima rationali & corpore. Homouſion Patri ſecundùm Divinitatem, homouſion nobis eundem ſecundùm humanitatem per omnia ſimilem abſque peccato. Ante ſecula quidem de Patre natum, ſecundùm Divinitatem in noviſſimis autem diebus eundem, propter nos, & noſtram ſalutem, ex Maria Virgine Dei genetrice ſecundùm humanitatem. Unum eundemque Chriſtum Filium Dei unigenitum, in duas naturas, inconfusè incommutabiliter, indiviſè inſeparabiliter cognoſcendum. In nullo naturarum diverſitatem propter unitatem perimendam, ſalvâ potius proprietate utriuſque natura, in una perſona undique ſubſiſtentiâ concurrente —— Unam verò duarum naturarum ſubſiſtentiam, ſive perſonam; quam nobis veneranda Chalcedonenſis Synodus tradidit, nullius alterius, niſi Dei Verbi incarnati & hominis facti, confitemur. Propter quod nec illam ſententiam, quam quaſi contrariam quidam ſynodo æſtimant, id eſt, unam naturam Dei Verbi incarnatam, averſamur, quia nihil aliud niſi unam ſubſiſtentiam ſive perſonam in duabus naturis docet unitis.* Hæc ibi. Et adfert ibidem Maxentius verba Flaviani Epiſcopi Conſtantinopol. confitentis unam naturam Dei Verbi incarnatam. Item in alia profeſſione fidei, ait idem Maxentius: *Nemo poteſt eſſe catholicus, niſi qui in Verbo Dei Filio unigenito, duas fuerit profeſſus poſt adunationem ſemper indiſſolubiliter manere naturas, id eſt, Verbi & carnis, Dei & hominis, Divinitatis & humanitatis*, idem quoque in ſuo libello contra Acephalos: *Catholica* (inquit) *fidei profeſſione breviter expoſitâ, pergimus nunc illorum reſpondere definitionibus, qui lapſu miſerabili corruentes, novis & exquiſitis argumentationibus nefarium dogma, Chriſti Eccleſiæ moliuntur inferre, & Deum & hominem, Verbum & carnem confitentes, unam poſt adunationem in Chriſto naturam, ſtultè nimis impudenterque conantur adſtruere.* Hæc Maxentius.

*Iniuſta cenſura Margarini.*

*Vindiciæ Maxentii & Scytharum.*

15. Sic etiam *Petrus* diaconus, & *Ioannes Leontius*, cæterique illi monachi Scythæ, in ſuo libro de incarnatione & gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, ad Fulgentium & alios Epiſcopos Afros, cap. 2. *Igitur* (inquiunt) *juxta ſanctorum Patrum traditionem, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in duabus naturis unitis & inconfuſis, id eſt, Divinitatis & humanitatis, in una perſona ſive ſubſiſtentia confitemur. Nec illis acquieſcentes, qui unam Dei Verbi naturam incarnatam prædicantes, venerabilis Concilii Chalcedonenſis fidem refugiunt, nec illos admittentes, qui* duas

*Monachi Scythæ.*

*duas naturas doloſè pronunciantes, unam Dei Verbi naturam incarnatam minimè confitentur, æſtimantes hoc duarum naturarum profeſſioni contrarium: quaſi aliquid aliud quàm duas naturas ineffabiliter unitas, una Dei Verbi natura incarnata ſignificet.* Hæc illi. & ſubjiciunt, pro hac ſententia, verba Cyrilli Alexandrini. Extat autem ille Petri diaconi & ſociorum liber, cum reſponſione Epiſcoporum Afrorum, in operibus Fulgentii.

*Theorianus.*

16. Hoc Cyrilli dictum, μίαν φύσιν τοῦ Λόγου σεσαρκωμένην, unam naturam Verbi incarnatam, egregiè vindicat Theorianus in ſuo dialogo contra Armenios, perperàm inde colligentes, unam in Chriſto naturam. *Verbum* (inquit) *caro factum eſt; at verò Chriſtus caro factus eſt, non dicimus. Nam Chriſti nomen propriè ſignificat τὸ συναμφότερον, Deum ſimul & hominem; ideo nemo ſanctorum unam Chriſti naturam dicit. Vnam verò naturam Verbi tum ſanctus Cyrillus, tum ſanctus Athanaſius ante ipſum dixit. Quippe cùm dicimus unam naturam Verbi, divinam hoc Filii naturam ſignificat, & cùm adjicimus τὸ, σεσαρκωμένην incarnatam, ſicuti Cyrillus in ſecunda ad Succeſſum epiſtola fecit, tota ratio adminiſtrationis cum carne comprehenditur,* εἰρηκὼς ὁ λόγος τὸ πᾶν τῆς οἰκονομίας εἰσφέρεται.

*Verba Maxentii.*

17. Sumit etiam criminandi occaſionem Margarinus, ex Maxentii tertio anathematiſmo, cujus anathematiſmi hæc ſunt verba: *Si quis non confitetur ſubſtantialem ſive naturalem unitatem, ſecundum id quod manens naturà Deus Verbum naturæ eſt unitus humanæ, ſed ſubſiſtentialem ſive perſonalem dicit unitatem, aut ſecundum illuſtrationem, ſive ſecundum dilectionem, aut ſecundum affectionem, Anathema ſit.* In hunc anathematiſmum cenſura Margarini hæc eſt: *In tertio* (inquit) *anathematiſmo, dolo non carent verba illa, ſubſtantialem ſive naturalem unitatem: poſt unionem duarum naturarum in Chriſto reſultaſſe unitatem quandam ſubſtantiæ vel naturæ, id eſt, non niſi naturam, quæ eſt Eutychiana hæreſis. In eodem anathematiſmo verba illa, ſed ſubſiſtentialem ſive perſonalem dicit unitatem, ſi non palàm hæretica, ſunt tamen abſurda, & impropria. Docet enim fides catholica unionem duarum naturarum in Chriſto ſubſiſtentialem & perſonalem eſſe, quia uniuntur duæ naturæ in una ſubſiſtentia & perſonalitate Verbi. Vide S. Thomam 3. p. qu. 2. art. 2.*

*Cenſura Margarini.*

Hæc Margarinus de la Bigne: affingens Maxentio ſenſum alienum, & verba ejus contra ipſius mentem inverecundè detorquens, niſi libeat excuſando Margarino aut minuendæ ejus culpæ, iniquam hanc cenſuram imperitiæ ejus vel incogitantiæ potiùs, quàm pravæ diſpoſitioni, acceptam referre.

*Margarinus ſuam prodit vel impudentiam, vel imperitiam, vel incogitantiam.*

*Vindiciæ Maxentii.*

18. Certè in explicatione primi anathematiſmi ſatis liquidò apparuit, procul abeſſe Maxentium ab hæreſi Eutychianà; indidem manifeſtum eſt iniquè fieri à Margarino, dum verbis Maxentii in tertio anathematiſmo poſitis affingit ſenſum à conſtanti Maxentii doctrinà abhorrentem, & eorundem explicationem ab ipſo Maxentio traditam negligit. Non exiſtimavit Maxentius, poſt unionem duarum naturarum in Chriſto reſultare unitatem ſubſtantiæ vel naturæ, ſumendo ſubſtantiam pro natura, adeóque poſt adunationem non niſi unam eſſe in Chriſto naturam. Hoc enim nefarium dogma deteſtantem atque oppugnantem vidimus Maxentium, paullò ſuperiùs, §. 14. ubi etiam unam ſubſiſtentiam ſive perſonam in duabus naturis inconfuſè unitis, ſeu duas naturas in una ſubſtantià atque perſonà (ſumens ibi ſubſtantiam pro hypoſtaſi, ſeu ſubſiſtentià) unitas, perſpicuè & orthodoxè confeſſus eſt. Alia igitur quærenda eſt verborum tertii Anathematiſmi interpretatio, quam ipſe Maxentius aliique Catholici Patres ſuppeditant.

*Perverſa & fraudulenta profeſſio Neſtorianorum.*

19. Sciendum eſt igitur, tertium iſtum anathematiſmum opponi perverſæ & fraudulentæ profeſſioni Neſtorianorum, qui unum confitebantur Filium Dei & Filium Virginis Mariæ, unitione duarum perſonarum, nempe divinæ & humanæ: & hanc vocabant unitatem ſeu unitionem ſubſiſtentialem ſive perſonalem, item ſocialem, per inhabitationem Verbi in aſſumto homine Verboq; unito ſecundùm affectû, & gratià, & dignitatem, & conjunctionem, & ſocietatem: at negabant Deum Verbum de Virgine natum eſſe, & naſcendo univiſſe ſibi humanitatem, ſecundùm quam de Virgine naturaliter natus eſt, ſine aſſumtione novæ hypoſtaſeos, quà unitionem naſcendo factam orthodoxi Patres non ſolum καθ' ὑπόστασιν, ſeu perſonalem, diverſo à Neſtorianis ſenſu, ſed etiam κατὰ φύσιν, & φυσικὴν, id eſt, naturalem vocabant, quia non priùs erat homo ille quàm ei Deus Verbum uniretur, neque aſſumta eſt in ſocietatem perſona humana, ſed ipſe Deus Verbum, ſine amiſſione aut converſione, aut diminutione, aut commiſtione ſuæ Deitatis, factus eſt caro, ipſe conceptus & natus eſt homo, ideóque anathema denunciârunt Catholici Patres negantibus ἕνωσιν φυσικὴν, & καθ' ὕπαρξιν, ut cernere eſt in oratione 51. Gregorii Nazianzeni, ad Cledonium, & in tertio anathematiſmo Cyrilli Alexandrini, quem cum reliquis Cyrilli anathematiſmis contra Neſtorium approbavit tertia œcumenica ſynodus Epheſi celebrata. Et in hanc ſententiam dixit Athanaſius, lib. de decretis ſynodi Nicænæ contra hæreſin Arianam, αὐτὴ ἡ σὰρξ οὐκ ἑτέρου, ἀλλὰ τοῦ Λόγου ἐστίν. id eſt: *Ea ipſa caro non alterius cujuſpiam eſt, ſed ipſius Verbi.* Et oratione quartà contra Arianos, *Videat* (inquit) *Dominum factum hominem, Verbum enim*, inquit, *caro factum eſt, & habitavit in nobis: Caro enim homo factus eſt, & non in hominem jam exiſtentem ſupervenit*, ἄνθρωπος γέγονε, καὶ οὐκ εἰς ἄνθρωπον ἦλθε. Et lib. de incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti, quem ſcripſit contra Apollinarium; *Quocirca* (inquit) *errant qui dicunt*, ἄλλον εἶναι τὸν παθόντα υἱὸν, καὶ ἄλλον τὸν μὴ παθόντα, *alium eſſe Filium qui paſſus eſt; & alium qui non paſſus eſt*. οὐ γὰρ ἕτερος ἐστιν, *non enim alius eſt præter Dei Filium, qui mortem & paſſionem ſuſcepit: ſed ipſum impatibile & incorporeum Verbum, carnis humanæ generationem ſuſtinuit, & iis omnibus perfunctus eſt, ut haberet quod offerret pro nobis.* ——— καὶ κατὰ φύσιν Θεοῦ γέγονεν, ἰδία αὐτοῦ ... *id eſt: & ſecundùm naturam caro illa Dei facta eſt, propria non conſubſtantialis Deitati Verbi quaſi coæterna eſſet, ſed quod propria ipſius caro ſecundùm naturam facta ſit, & indiviſibilis ratione coadunationis.* Hæc Athanaſius.

*Petrus & Johannes.*

20. Gregorii Nazianzeni ad Cledonium verba ſunt: εἴ τις ὡς ἐν προφήτῃ λέγοι κατὰ χάριν ἐνηργηκέναι, ἀλλὰ μὴ κατ' οὐσίαν συνῆφθαί τε, καὶ συνάπτεσθαι, εἴη κενὸς τῆς κρείττονος ἐνεργείας. id eſt: *Si quis [divinitatem,] tanquam in Propheta dicat, ſecundùm gratiam inoperatam eſſe, non autem ſecundùm ſubſtantiam ſeu eſſentiam copulatam eſſe & copulari, ſit vacuus melioris operationis.* Cyrillus in ſua epiſtolà ad Neſtorium de excommunicatione, quæ approbata eſt in Epheſina œcumenicà ſynodo, poſtquam dixit: οὐ γάρ ... paullò poſt ait: Non ita in illo habitavit plenitudo Deitatis, ut in ſanctis habitare dicitur. ἀλλ' ἑνωθεὶς κατὰ φύσιν, ſed unitus ſecundùm naturam, & non in carnem converſus, talem fecit habitationem, qualem habere diceretur hominis anima reſpectu ſui corporis. Unus igitur Chriſtus & Filius & Dominus; non ita quaſi homo eam tantùm cum Deo conjunctionem [συνάφειαν] ſortitus ſit, quæ in ſolà dignitatis vel auctoritatis unitate [ἑνότητι τῆς ἀξίας, ἤγουν αὐθεντίας] poſita ſit: non enim honoris æqualitas naturas unit [οὐ γὰρ ἑνοῖ τὰς φύσεις ἡ ἰσοτιμία]. alioqui Petrus & Johannes, honore quidem pares inter ſe fuerunt, quatenus & Apoſtoli & ſancti diſcipuli, at duo illi non erant unus: neque etiam ſecundùm appoſitionem [κατὰ παράθεσιν] modum conjunctionis intelligimus, non enim ſufficit illud ad unionem naturalem [οὐκ ἀρκεῖ γὰρ τοῦτο πρὸς ἕνωσιν φυσικήν,] neque etiam ſecundùm participationem habitualem ſeu relativam [κατὰ μέθεξιν σχετικήν,] quomodo nos Domino adhæremus, & ſicut ſcriptum eſt, unus ſpiritus ſumus πρὸς αὐτόν. Potius autem vocabulum conjunctionis refugimus [τὸ τῆς συναφείας ὄνομα παραιτούμεθα,] tanquam ad exprimendam unionem hanc [τὴν ἕνωσιν] minus idoneum. Hæc ibi Cyrillus. Vide ejuſdem anathematiſmos, ſupra, lib. 2 hujus operis, cap. 6. Eodem ſenſu dixit Fulgentius, lib. de incarnatione & gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, ad Petrum Diaconum ejuſque ſocios, cap. 2. Deus homo eſſe naturaliter voluit. idque explicans cap. 4. ejuſdem libri, non naturali confuſione (inquit) ſed ſolum perſonali unitate.

*Confeſſio Maxentii ...*

21. Neque alio ſenſu Maxentius aſſerit ſubſtantialem ſive naturalem unitatem ſeu unitionem, quam Græci ἕνωσιν φυσικὴν vocant, illam autem Neſtorianam perſonalem unitatem vel unitionem rejicit, in tertio anathematiſmo. eodemque ſenſu, in ſua diſſertatiunculà de ratione adunationis Verbi Dei ad propriam carnem, docet naturalem, non ſocialem adunationem, ſive unitionem, in Chriſto rectiſſimè dici. Et mentem ſuam prolixius explicans in ſua profeſſione de Chriſto, ait: Has igitur duas naturas Dei Verbi Domini noſtri Jeſu Chriſti, hoc eſt, Divinitatis & humanitatis, naturaliter ſive ſubſtantialiter, ſecundum traditionem ſanctorum Patrum, credimus & confitemur unitas, eo quòd natura inviolabilis Dei Verbi, naturæ eſt unita paſſibili: beatiſſimo ſimul atque doctiſſimo Athanaſio dicente; Verbum caro, non caro Verbum factum eſt. Verbum autem caro factum dicitur, quia Verbi facta eſt caro, & non alicujus hominis, hoc eſt, Deus homo factus eſt, & dicitur caro, ne prætereatis carnis nomen. Cur ergo non ſufficit nobis naturalis unitio Verbi ad propriam carnem, & quia Deus homo factus eſt! Hic congruè ſanctiſſimus Theologus Cyrillus ad Neſtorium; Non enim, inquit dicimus, quod Dei natura converſa aut immutata, facta ſit caro, vel quod in totum hominem, qui eſt ex anima & corpore, transformata ſit, ſed illud magis quòd carnem animatam & animam rationalem ſibi copulaverit Verbum, & Filius Dei ſubſiſtentialiter, ineffabiliter, incomprehenſibiliter factus ſit homo, & nuncupatus ſit filius hominis. Nec nudà tantùm voluntate, nec aſſumtione perſonæ, ſed quod diverſæ quidem naturæ in unam convenerint, unus tamen ex utraque Chriſtus & Filius, non evacuatà aut ſublatà naturarum diverſitate propter unionem. Horum igitur ſanctorum Patrum doctrinam ſequentes, abominamur omnia eorum deliramenta, qui Filium filio copulatum, aut alterum inhabitantem in altero, alterum autem alteri confitentur unitum ſecundum affectum, aut gratiam, aut dignitatem, aut æqualem honorem ſive auctoritatem, aut ſecundum connuncupationem, aut concordiam, aut illuſtrationem, ſive ſecundùm inoperationem, aut perſonalem factam credunt unitionem; beato Cyrillo in capitulo tertio contra Neſtorium dicente: Si quis in uno Chriſto dividit ſubſtantias poſt unitatem, ſolà eas ſocietate connectens ſecundùm dignitatem, aut auctoritatem, aut potentiam, & non magis conventu ad unitatem naturalem, anathema ſit! Similiter beatus Gregorius in epiſtola ad Cledonium; Si quis, inquit, ſicut in Propheta ſecundùm gratiam dicit inoperaſſe Deum Verbum, & non ſubſtantialiter factam confitetur unitionem, ſit vacuus melioris inoperationis, magis autem & plenus deterioris. Unam verò duarum naturarum ſubſiſtentiam ſive perſonam, quam nobis veneranda Chalcedonenſis Synodus tradidit, nullius alterius, niſi Dei Verbi incarnati & hominis facti confitemur. Hæc Maxentius.

*Verbum caro, non caro Verbum factum eſt.*

*Cyrill. Εἴ τις ἐπὶ τοῦ ἑνὸς Χριστοῦ διαιρεῖ τὰς ὑποστάσεις μετὰ τὴν ἕνωσιν, μόνῃ συνάπτων αὐτὰς συναφείᾳ τῇ κατὰ τὴν ἀξίαν, ἤγουν αὐθεντίαν, ἢ καὶ δυναστείαν, καὶ οὐχὶ δὴ μᾶλλον συνόδῳ τῇ καθ' ἕνωσιν φυσικὴν, ἀνάθεμα ἔστω.*

22. Eodem planè ſenſu Johannes Damaſcenus, lib. 3. orthodoxæ fidei, cap. 3. differens de Chriſti duabus naturis, rejicit perſonalem illam unionem quæ à Neſtorianis prædicabatur, & tuetur eſſentialem unionem quam Catholici confitebantur. Ex duabus (inquit) naturis perfectis, hoc eſt, divinà & humanà, unionem extitiſſe dicimus: non per conſperſionem, aut confuſionem, aut miſtionem, aut temperationem, velut ille Numinis irà immiſſus *Dioſcorus & Eutyches, & Severus*, quique impiæ eorum claſſis ſunt, aſſeruerunt: nec perſonalem, aut habitualem, aut dignitati conſentaneam voluntatis identitatem, aut honoris aut nominis æqualitatem, aut approbationem, ut Deo inviſus *Neſtorius, & Diodorus*, & Mopſueſtienſis *Theodorus*, & eorum væſana caterva cenſuit: verùm ratione compoſitionis, hoc eſt, hypoſtaſis, ſine ulla converſione & confuſione & mutatione, & diviſione, ac diſtinctione, & in duabus perfectis naturis unam Filii Dei & incarnati perſonam confitemur, unam nempe divinitatis & humanitatis ipſius perſonam dicentes, & duas naturas poſt unionem in ipſo incolumes ſervari confitentes: non tamen utramque harum ſeorſim collocantes, verùm in una compoſita perſonà inter ſe copulatas. Eſſentialem enim eſſe hanc unionem dicimus, hoc eſt, veram, ac non ſpecie tenus. Eſſentialem autem, non quòd duæ naturæ unam compoſitam naturam effecerint, ſed quòd verè in unam Filii Dei compoſitam perſonam inter ſe unitæ ſint. Hæc Johannes Damaſcenus, lib. 3. orthodox. fidei cap. 3. interprete Jacobo Billio, S. Michaelis in eremo Cœnobiarchà. Martinus primus, Papa Romanus, cum ſynodo centum & quinque Epiſcoporum, condemnat negantes ſubſtantialem unitionem naturarum. Vide librum 5. hujus operis, cap. 2. can. 8.

*Martinus Papa Romanus.*

23. Atque hinc jam manifeſta eſt iniquitas cenſuræ illius, quam Margarinus de la Bigne poſuit ante anathematiſmos Maxentii, & temeritas etiam Severini Binii in ſuis notis in Horniſdæ

*Iniquitas Margarini de la Bigne, & Severini Binii.*

epiſtolam 70. ubi Maxentium Binius vocat peſtilentiſſimum hæreticum, nullâ prorſus iracundæ ſuæ aſſertionis probatione in medium allatâ, niſi quia Hormiſdæ Papæ ſtrenuè reſtitit, aſſerens Chriſtum, qui pro nobis crucifixus eſt, eſſe unum ex Trinitate, id quod Hormiſda nimis inconſideratè negavit. Refert autem Maxentius, in ſuo ſecundo dialogo contra Neſtorianos, propè finem illius dialogi, nonnullos confitentes Chriſtum eſſe unam perſonam ex Trinitate, nullatenus adquieviſſe fateri Chriſtum eſſe unum ex Trinitate. quibus ibi reſpondens Maxentius ait: Catholicos non latet, à quibuſdam ita unam perſonam dici Chriſtum, ut tamen non ille qui pro nobis carne eſt crucifixus, una ſit ex Trinitate perſona. Non enim ex duabus naturis naturaliter unitis, unam credunt Chriſti perſonam, ſed ex duabus perſonis per conjunctionem & gratiam copulatis, unam perſonam Chriſti factam eſſe commemorant, dicentes Chriſtum unam ex Trinitate perſonam, unum Chriſtum ex Trinitate fateri nullatenus adquieſcunt, ex quibus te unum eſſe probas, Quia unam perſonam Chriſtum dicens ex Trinitate, unum cum dicere ex Trinitate declinas. quis enim tam ſtultus & vecors eſt qui dicat; Petrus ex hominibus una perſona eſt, non eſt autem unus ex hominibus Petrus? quapropter Catholica eſt definitio, *Deum Verbum Dominum noſtrum Chriſtum cum propriâ carne, unum fateri ex Trinitate, licet non ſit ſecundùm carnem de ſubſtantia Trinitatis*. Hæc ibi Maxentius.

*Alia ſcena Neſtoriana.*

*Juſtini Imp. ad Hormiſdā legatio.*

24. Legatos etiam cum literis, Epiſcopum & Presbyterum & Diaconum, de hac quæſtione quæſituros, miſit ad Hormiſdam Papam Romanum Juſtinus Imperator, cujus epiſtola extat poſt Hormiſdæ epiſtolam 67. Juſtinianus etiam vir illuſtris (qui Juſtino poſtea ſucceſſit in Imperio) præmiſſis ſuis literis, de adventu legatorum Hormiſdam reddidit certiorem, quæ Juſtiniani literæ extant cum epiſtolis Hormiſdę, ante Hormiſdæ epiſtolam ſeptuageſimam-ſeptimam. Ubi Juſtinianus Hormiſdam his verbis ad ſeriam hujus rei curam hortatur: *Quantam venerationem religionis habeamus, quámque ſolliciti ſemper fuerimus propter uniendas ſanctas Eccleſias, teſtis eſt quoque veſtra beatitudo. Poſtquam regnavit etenim Dominus noſter inclytus Imperator, per omnes ad Italiam venientes direximus literas, Apoſtolatum tuum rogantes ſicut decebat. nunc etiam, ne quid eorum quæ fieri convenit, prætermittatur, Iohannes vir reverendiſſimus antiſtes, Heraclianus presbyter, & Conſtantinus diaconus ſacroſanctæ Eccleſiæ hujus inclytæ civitatis, deſtinati ſunt ad Urbem feliciter, ut ſuper omnibus quæ ſcripſit filius noſter ſereniſſimus Imperator, integrum reſponſum accipiant. Dignetur ergo ſanctitas tua ſuſcipere memoratos viros religioſiſſimos libenter, & habitis orationibus, placatâque divinitate, ſic omnia debeat ordinare venerabiliter, ut nihil ultra remaneat in ambiguum. Nobis etenim videtur, quoniam Filius Dei vivi Dominus noſter Ieſus Chriſtus ex Virgine Maria natus, quem prædicat ſummus Apoſtolorum carne paſſum, rectè dicitur unus in Trinitate cum Patre Spirituque Sancto regnare. Majeſtatiſque ejus perſonam in Trinitate, & ex Trinitate nos fideliter credimus.* Hæc Juſtinianus. Et in eadem fuiſſe ſententiâ Epiphanium tunc Epiſcopum Conſtantinopolitanum, aliosque orthodoxos, paullò inferius oſtendetur. Attamen reſcribens ad Juſtinianum Hormiſda,

*Juſtiniani ad Hormiſdam paræneſis.*

*Juſtinianus & alii orthodoxi confitentur Maxentio & Monachis Scythis.*

epiſt. 77. loquutionem hanc, qua Chriſtus dicitur unus ex Trinitate, vocat procacem vocum novitatem, & ſacrilegam diſtinctionem. Et promittit, quando venerint legati, ſe pro univerſitatis informatione reſponſum redditurum. Nempe jam approbaverat illud Dioſcori Diaconi & Legati ſui effatum, *quod iſte ſermo, unum de Trinitate crucifixum, procul dubio Catholicæ fidei minimè poterat convenire*. quæ ſunt ipſiſſima Dioſcori verba, in ejus ſuggeſtione, quæ extat poſt Hormiſdæ epiſtolam 65. Neque aliam reſponſionem pro univerſitatis informatione reddidit Hormiſda.

25. Scribens etiam Hormiſda ad Poſſeſſorem Epiſcopum Afrum, loquutionem illam Monachorum Scytharum, [unum ex Trinitate crucifixum] vocat diabolicę ſemina nefanda zizaniæ. *Et niſi* (inquit) *fidelis populi conſtantia reſtitiſſet, per diabolica ſemina nefanda zizania apud vos diſſenſionem & diſcordiam commoviſſent.* Ad quæ Hormiſdæ verba reſpondens Maxentius, in ſua reſponſione ad illam epiſtolam: *Si diligentius* (inquit) *hæc iſtius verba conſideres, invenies eum Rom. populum quem fidelem aſſerit, non ſolum ut violentum, verùm etiam ut hæreticum, accuſare. Nam ſi de illa ſententia, quam univerſa Dei tenet & defendit Eccleſia, monachis in publico diſputantibus, hoc eſt, quà Chriſtus Filius Dei unus eſſe creditur ex ſancta & ineffabili Trinitate, Rom. populus reſtitit; Iam non tantùm iſte, qui erroris ſui tenebris excæcatur, diabolica ſemina nefanda zizania hanc ſanctam ſententiam aſſerit, verùm etiam omnis antedictus populus hæreticus (quod abſit!) eſſe convincitur.* Hæc Maxentius.

26. Neceſſariam & Eccleſiæ conducibilem fuiſſe ſententiæ ab Hormiſda pronunciatæ refutationem publicam, eventus docuit. Ideirco gliſcente diſcordiâ, etiam *Ferrandus* Diaconus Carthaginenſis, qui eximiâ doctrinæ laude tunc florebat, & *Dionyſius exiguus* magnæ eruditionis vir, aliique orthodoxi ſcientiâ ac pietate pręſtantes, atque adeò ipſe etiam Romanus Pontifex, *Iohannes*, hujus nominis *ſecundus*, ac denique quinta Synodus œcumenica, manum operi admoverunt, & rejectâ vel neglectâ Hormiſdæ imprudenti definitione, loquutionem à Maxentio defenſam, unanimiter approbârunt, eiſdemque quibus ille uſus eſt, adhibitis argumentis eam vindicârunt ac defenderunt. eamque recuſantibus anathema in quinta ſynodo denunciatum eſt. Collat. 8. can. 10. Extant ea de re epiſtolæ duæ Ferrandi, quarum unam ad Anatolium diaconum urbis Romæ; alteram ad Severum ſcholaſticum Conſtantinopolitanum, ſcripſit. Et inveniuntur in bibliotheca Patrum, tom. 3. edit. 4. Dionyſius autem exiguus, Feliciani Paſtoris hortatu, Latinè vertit epiſtolam Procli ad Armenios, & in ſua ad eundem Felicianum præfatione, ait: Venerationis veſtræ juſſione commonitus, beati Procli Conſtantinopolitanæ urbis Epiſcopi literas ad Armenios deſtinatas, Latino eloquio veſtris auribus exhibere curavi: non parum præſentibus æſtimans profuturas, quando eandem nunc Eccleſiis moveat quæſtionem tunc repulſa temeritas, quæ ſub colore religionem molitur evertere. Temporibus antiſtitis memorati, Theodoſio Imperatore regente rempublicam, per Syriam atque Armeniam, diſcipuli Theodori Mopſueſtenæ civitatis Epiſcopi, pravam fidem, corrupto ſymbolo, rudibus populis exorſi ſunt intimare, calliditate ſubtiliſſima beatam



tam Trinitatem ſic unius eſſentiæ prædicantes, ut Chriſtum Dominum noſtrum Conditorem univerſitatis, unum ex Trinitate nullatenus faterentur: unde ſequebatur hæc inepta ſuæ temeritatis abſurditas, ut quum Chriſtum conſtet verum eſſe Deum ac Dominum, quatuor perſonas in tribus adſtruerent, duoſque Dei filios procul dubio prædicarent. Sed huic impietati mirè Pontifex ante-fatus obſiſtens, docuit Chriſtum Dominum noſtrum & in principio Verbum apud Deum, Deum Verbum unum de Trinitate eſſe: per quem omnia facta ſunt, &c. Plura ibi Lector inveniet in hanc ſententiam.

*Verba Ferrandi.*

27. Duos filios (verba ſunt Ferrandi) ignorat fides Catholica. quaternitatis adſertores omnino deteſtatur. & idcirco nunc, quantùm arbitror, quibuſdam rectæ fidei cuſtodientibus regulam, placuit unum de Trinitate paſſum fateri. Nihil quippe aliud ſententia hæc inſinuare cognoſcitur, niſi ipſum eſſe paſſum carne, qui de Patre Deo natus eſt, id eſt, Chriſtum, ne putetur homo purus toleraſſe paſſionis injurias. Hoc ergo dicit, quicunque unum de Trinitate paſſum dicit: Non eſt quarta perſona qui paſſus eſt, ſed ad numerum pertinet Trinitatis. Manens enim Dei Filius impaſſibilis ſecundùm Divinitatem, per ſuſceptionem naturæ paſſibilis paſſioni ſubjacuit. — Nihil planè, diutiùs cogitans, reperire valui, unde poſſit hæc ſententia (quod à quibuſdam jactatur) Eutychianis favorem præbere. — Expugnari magis Eutychianos, quàm foveri, quando unus de Trinitate paſſus adſeritur, velis nolis adverte. Sine dubio enim ſub his verbis etiam prædicator unius in Chriſto ſubſtantiæ confutatur. Ut ſit enim Chriſtus unus de Trinitate, ad divinitatem pertinet, ut credatur paſſus, ad humanitatem. Non eſſet qui paſſus eſt, unus de Trinitate, niſi unam haberet cum Patre, & Spiritu Sancto Divinitatem. Non eſſet paſſus qui unus eſt de Trinitate, niſi conſubſtantialem Matri haberet humanitatem. Sileat ergo unius naturæ in Chriſto prædicator. Duas enim naturas commemorat, qui unum de Trinitate paſſum fatetur. Suſpiciones ſuas inaniter rodet, quiſquis bene dicta dum malè conatur intelligere, calumniari potiùs, quàm doceri ſtudeat. Hæc Ferrandus, in ſua epiſtolâ ad Anatolium.

28. Quanta autem mala Eccleſiæ dederit illa Hormiſdæ inanis ſuſpicio, & contra Monachos Scythas temerè prolata ſententia, orthodoxæque loquutionis injuſta atque intempeſtiva damnatio, audi narrantem Severinum Binium, hominem Pontificium, in ſuis notis in Concilium Romanum, paullò pòſt, ſub Johanne Papâ hujus nominis ſecundo, de hac ipſa quæſtione, celebratum. His (inquit) ita ab Hormiſda Pontifice deciſis, inſtrebant *Neſtoriani*, eorumque defenſores ac ſectarii Acœmetæ Monachi, Si non eſt paſſus unus de Trinitate in carne; ergo neque natus eſt idem in carne; ergo neque verè dici poteſt, ajebant, Mariam verè & propriè eſſe Dei genitricem. His accedebant *Origeniſtæ* negantes Chriſtum unum de Trinitate fuiſſe. Reſiſtebant hæreticis cum Imperatore Epiphanius Conſtantinopolitanus, cæterique orthodoxi Epiſcopi, aſſerentes piè ſancteque dici, unum de Trinitate eſſe paſſum in carne: impiè verò negari, ſanctiſſimam Virginem Mariam verè propriéque Dei Matrem appellandam eſſe. Acœmetę cum à Juſtiniano Imperatore, inſtinctu Epiphanii, magnoperè urgerentur, ad Johannem Romanum Pontificem legatos miſerunt, rogantes ne ſententiam illam viciſſim reciperet, quam Hormiſda ſemel exploſiſſet. Quod cùm Epiphanius & Imperator audiviſſent, ad eundem Johannem Romanum Pontificem, Hypatium Epheſiorum, & Demetrium Cæſarienſem Epiſcopos, legatos cum epiſtolis miſerunt. Exceptis utrinque legatis, lectiſque quas ſecum attulerant epiſtolis, cognitum eſt, rem gravem atque difficilem proponi, quæ diuturniorem inquiſitionem & indaginem requirebat. Poſt factam diligentem quæſtionis indaginem, poſtq; Ferrandi aliorumque tranſmarinorum ſententias exploratas, habito Romæ deſuper Concilio, unanimi Patrum conſenſu, Acœmetarum ſententia recitata eſt, & confutata: ipſius verò Juſtiniani ſcripta fidei profeſſio approbata fuit. Hæc Binius. Eadem narrantur à Cardinali Baronio, ad annos Dom. 533. 534. ubi etiam Acœmetas illos Monachos, aliosque omnes contrarium ſentientes ab Eccleſiæ Catholicæ communione alienos declaratos eſſe in illo Romano Concilio, ſub Johanne ſecundo Pontifice celebrato, commemorat. Scriptionem autem epiſtolæ illius, quam ſcripſit Hormiſda Pontifex Romanus ad Poſſeſſorem Epiſcopum Afrum, contra Monachos Scythas, refert Baronius ad annum Dom. 520. legationem verò cum literis Juſtiniani Imperatoris de eadem quæſtione veniſſe ait ad Johannem hujus nominis ſecundum, Pontificem Rom. anno Dom. 533. totumque illius anni temporis ſpacium in eo inſumtum eſſe, ut quid decernendum eſſet quàm accuratiſſimè quæreretur. Ac deinde anno ſequente, videlicet anno Dom. 534. poſtquam diu multúmque de ea controverſia diſceptatum eſſet, demum habito Romæ Concilio, ex veteri Catholicæ fidei præſcripto, quid ſentiendum eſſet fuiſſe firmiter ſtabilitum.

*Epiphanius Patriarcha Cp.*

*Johannes 2. Papa Rom. ejusq; Synodus Romana approbant ſententiam Juſtiniani, quæ fuit Maxentii, & damnat monachos Acœmetas adhærentes definitioni Hormiſdæ.*

29. Extat ejuſdem Johannis Epiſcopi Romani epiſtola, de eodem argumento, ad illuſtres quoſdam ſenatorii ordinis viros, Avienum Senatorem, Liberium Severinum, Fidelem Avitum, Opilionem, Johannem Sylverium, Clementinum, & Amphelium, eodem tempore ſcripta. In qua Johannis Papæ hæc ſunt verba: Juſtinianus Imperator filius noſter, ut ejus epiſtolæ tenore cognoviſtis, de his tribus quæſtionibus orta certamina eſſe ſignavit, Utrum unus ex Trinitate Chriſtus, & Deus noſter dici poſſit; hoc eſt, una de tribus perſonis ſanctæ Trinitatis ſancta perſona? An Deus Chriſtus carne pertulerit, impaſſibili Deitate? An propriè & veraciter Mater Domini Dei noſtri Jeſu Chriſti Maria ſemper virgo debuit appellari? Probavimus in his Catholicam Imperatoris fidem, & ita eſſe, Propheticis & Apoſtolicis vel Patrum exemplis evidenter oſtendimus. Unum enim ex ſancta Trinitate Chriſtum eſſe, hoc eſt, unam de tribus ſanctæ Trinitatis perſonis ſanctam eſſe perſonam, ſive ſubſiſtentiam, quam Græci ὑπόστασιν dicunt, in his exemplis evidenter oſtendimus. In libro Geneſi, &c. Subjungit autem duo teſtimonia ex ſanctis Scripturis, unum videlicet ex vetere Teſtamento, alterum ex novo Teſtamento: & teſtimonium Synodi primæ œcumenicæ Nicænæ; & aliorum Patrum aliquot teſtimonia, nempe ſancti Auguſtini teſtimonia tria, & Gregorii Nazianzeni unum, & Gregorii Nyſſeni unum, item Procli duo teſtimonia. quibus Johannes Papa probat Chriſtum eſſe unum ex Trinitate, & ſic crediddiſſe ac loquutos eſſe ſanctos Patres. Et profitetur ſibi non deeſſe multò plura adhuc teſtimonia, ſi ea proferre

*Verba Johannis II. Papæ Romani, de hac controverſia.*

*Adducit Johannes teſtimonia Catholicæ Antiquitatis.*

proferre opus eſſet. Hæc, inquit, ex plurimis pauca digeſſimus. Eodem modo & reliquas duas propoſitiones roborat, oſtendens Deum carne paſſum eſſe, & B. Virginem Mariam propriè & veraciter dici genetricem matremque Dei Verbi ex ea incarnati. Et Acœmetas Monachos iſta negantes declarat eſſe Neſtorianos, & à Romana etiam Eccleſiâ damnatos eſſe, & excommunicatos.

*Decreta Romanorū Pontificū, nempe Hormiſdæ, & Joh. II. decreta cathedralia palam inter ſe pugnantia.*

30. Hic habent, in quo ingenia ſua exerceant, infallibilitatis Pontificiæ aſſertores. Nam ſententiam hanc, quâ unus ex Trinitate dicitur paſſus carne, neque ab orthodoxis Patribus uſurpatam eſſe, neque poſſe fidei Catholicæ convenire, ſed eſſe procacem vocum novitatem, & nefandum ſemen diabolicæ zizaniæ, pronunciavit ex cathedra Pontificali, pro univerſitatis informatione, Hormiſda Pontifex Romanus, & loquutionis hujus defenſores expulit & damnavit, anno Dom. 520. Et eandem ſententiam paullo pòſt, nempe anno Dom. 534. Johannes Pontifex Romanus, ex cathedra Pontificali, (eodem ſenſu acceptam, eodemque modo explicatam, quo à Scythis illis Monachis & Maxentio, & Juſtiniano, & Ferrando, & à quinto œcumenico Concilio aliiſque Catholicis defenſa eſt, & quo ab Hormiſda damnata eſt) tum ab orthodoxis Patribus uſurpatam eſſe, tum etiam Catholicæ fidei optimè convenire, pronunciavit; & contradicentes ab Eccleſię communione ejecit. Certè non mediocri ſollertiâ, & haud vulgari opus eſſe videtur artificio, ut quiſquam iſta conciliet, & Lectori cordato nulli parti mancipato, ſed ſincero veritatis ſtudio flagranti, veraciter ac ſerio perſuadeat, & perſpicuè oſtendat, non pugnare inter ſe adverſis frontibus iſta duorum Pontificum cathedralia reſponſa. Periculum fecerunt, ecquid hic præſtare poſſent Cardinalis Baronius, ad annum Dom. 533. & Severinus Binius, in ſuis notis in Concilium illud Romanum, ſub Johanne ſecundo Pontifice celebratum. At quo ſucceſſu, facilè judicabit lector, poſtquam quæ ab illis dicuntur audiverit, atque expenderit.

*Baronii & Binii apologia.*

31. Baronii verba ſunt, apud Spondanum, anno Dom. 533. §. 4. *Cæterùm in hac quæſtione ad memoriam illud revocandum eſt, nunquam quidem eam ſententiam, quâ unus de Trinitate paſſus diceretur in carne, fuiſſe rejectam à Sede Apoſtolica tanquam hæreticam, ſed proſcriptam ut novam atque ſuſpectam, ne ſub eâ Scytharum Monachorum Eutychianorum fallacia occultarentur: re tamen ipsâ, ſi dolus abeſſet, recipi poſſet. quamobrem cùm perſonæ mutatæ eſſent, jamque abuterentur Neſtoriani & Origeniſtæ ipſius Hormiſdæ Apoſtolicâ auctoritate, planè abſque ejus injuriâ revocari poſſe viſum eſt in dubium, quod ipſe aliàs de re illâ reſpondiſſet.* Hæc Baronius. Eodem modo reſpondet Binius.

*Obſervatio [illegible]*

In iſta defenſione obſerva primò, Monachos Scythas non eo ſenſu dixiſſe, unum ex Trinitate crucifixum, quo hæc ſententia à Felice III. Papâ Romano damnata eſt ut hæretica, & quo eam Petrus Fullo hæreticus Eutychianus uſurpaverat, unum de Trinitate dicens paſſionem pro nobis pertuliſſe in ſubſtantia Deitatis. Nam eo ſenſu, quo à monachis illis & Maxentio defenſa eſt, non fuiſſe hæreticam hanc ſententiam, fatentur Baronius & Binius. Deinde obſerva univerſam hanc Baronii & Binii apologiam niti tribus falſis hypotheſibus, quibus diſſipatis, ſtare ampliùs non poterit ſuperſtructa defenſio.

*Tribus falſis hypotheſibus nititur Baronii & Binii apologia.*

*1. Falſa hypotheſis [illegible]*

32. Prima hypoſtaſis eſt: *Scythas illos Monachos fuiſſe hæreticos Eutychianos. atque,* ut ait Binius, *Concilio Chalcedonenſi auctoritatem, & Chriſto divinitatem adimere conatos eſſe.* Hæc hypotheſis falſa eſt: Nam cum ſententia illa, de uno ex Trinitate crucifixo, ſicut à Monachis illis Scythis propoſita ac defenſa fuit, non ſit hæretica, fatentibus etiam id ipſum Baronio & Binio, neque aliud proferant argumentum, quo eos hæreticos fuiſſe demonſtrent, ipſi ſibi, imò Catholicæ antiquitati contradicentes inveniuntur, quando Monachos illos, propter hujus Catholicæ ſententiæ conſtantem defenſionem, audent hæreticis accenſere. Dioſcorus diaconus, benè à monachis dicta conatus malè intelligere, tum iſtam jam memoratam ſententiam, tum hanc etiam eis vitio vertit, quòd dicerent Chriſtum compoſitum: quod tamen ſenſu prorſus orthodoxo ab illis dictum eſſe, paullò pòſt oſtendemus, & anathema in quinto Concilio denunciatum eſt negantibus, eo ſenſu, unam Chriſti ſubſiſtentiam compoſitam. collat. 8. can. 4. Lecto eorundem monachorum libro de incarnatione & gratiâ Chriſti, Fulgentius aliique Epiſcopi Afri, in ſuo ejuſdem argumenti reſcripto, laudant eorum fidem ſaluiferam. *Veſtram* (inquiunt) *ſimul alacres & fidem cognovimus & ſalutem, imò in agnitione fidei veſtræ nobis ſalus innotuit.* Omnes tamen illas loquutiones continet ille Petri diaconi & ſociorum liber, quas in eis damnârunt Hormiſda, ejuſque legati: & eodem modo ibi ab eis exponuntur, quo eas poſtea expoſuerunt Maxentius & Ferrandus, & Johannes Papa, aliique Catholici Patres. Hinc Catholicos fuiſſe conſtat illos monachos: & ab Eutychiana hæreſi eos liberos fuiſſe & alienos, oſtendunt etiam ſcripta Maxentii, contra eandem hæreſin. Neque hoc negligenter prætereundum arbitror, quod (quantum adhibitâ non indiligenti indagine aſſequi adhuc potui) poſtquam Maxentius, in ipſa regia urbe Conſtantinopolitanâ, velut ex arce orbis Romani, & in conſpectu omnium Eccleſiarum, defenſionem cauſſæ monachorum Scytharum contra Hormiſdam ejuſque legatos in lucem publicam promulgavit, ipſumque Hormiſdam hæreticum eſſe & inimicum Catholicæ veritatis, palàm conteſtatus eſt, nemo unquam per totos mille annos extitiſſe Catholicus inveniatur, neque Romæ, neque Conſtantinopoli, neque in Africa, neque Alexandriæ, neque in Occidente, neque in Oriente, neque uſquam alibi inter Chriſtianos, qui in hoc negotio defenſionem Hormiſdæ ſuſceperit, aut Maxentii contra Hormiſdam ſcripta reprehenderit, aut ipſum Maxentium vel monachos illos Scythas hæreſeos inſimulaverit.

*Nota [illegible]*

*2. Falſa hypotheſis.*

33. Secunda hypotheſis eſt: *Sententiam illam, qua Chriſtus, qui pro nobis paſſus eſt carne, aſſeratur eſſe unus ex Trinitate, tunc quando ea ab Hormiſda proſcripta eſt novam fuiſſe, &,* ut loquitur Binius, *inſolitam, & ab hæreticis primùm noviter inventam.* Hanc hypotheſin palàm falſam eſſe, conſtat ex epiſtola Johannis Papæ ad Senatores, & ex aliorum Patrum teſtimoniis ſuprà commemoratis.

*3. Falſa hypotheſis.*

34. Tertia hypotheſis eſt: *Sententiam illam non ut hæreticam ab Hormiſda damnatam eſſe.* Hanc etiam hypotheſin redarguunt verba Dioſcori diaconi, quæ Hormiſdæ approbatione corroborata ſunt, & ipſius etiam Hormiſdæ verba, quibus ſententia illa rejicitur, &, pro univerſitatis informatione, exploditur, atque ſimpliciter,



abſque ullius adjectione conditionis, interdicitur, ut procax verborum novitas, ſacrilegam introducens diſtinctionem, & nefandum ſemen diabolicæ zizaniæ, quod procul-dubio Catholicæ fidei minimè poſſit convenire. Hæc omnia inveniuntur partim in ſuggeſtione Dioſcori, poſt Hormiſdæ epiſtolam 65. partim in Hormiſdæ epiſt. 70. ad Poſſeſſorem, & epiſt. 77. ad Juſtinianum. Ex his manifeſtum eſt, fuiſſe quæſtionem illam de fide, id quod etiam in ſua ad Avienum epiſtolâ declarat Johannes Papa: idemque docent Patres in quinto Concilio œcumenico, denunciantes anathema recuſantibus confiteri Chriſtum eſſe unum de Trinitate. Jam autem de hac fidei quæſtione, ut horum duorum Pontificum Romanorum, nempe Hormiſdæ & Johannis, definitiones cathedrales, in ſeriam ac ſolidam inter ſe concordiam reducantur, num conatus iſti Baronii & Binii ſufficere poſſe videantur, judicium ſit æqui & prudentis lectoris, qui ſemoto partium ſtudio, non quod vult, ſed quod verum eſt, paratus eſt candidè confiteri.

*[illegible]*

35. *Dioſcorus* diaconus, & legatus Hormiſdæ, in ſua ſuggeſtione, quæ incipit, *Per Eulogium.* Poſt Hormiſdæ epiſtolam 67. ſcribit inter Monachos Scythas & Victorem quendam diaconum ortam eſſe, ante Hormiſdæ legatorum adventum, contentionem, de uno de Trinitate crucifixo, & de Chriſto compoſito, & de aliis capitulis. quænam autem fuerint illa alia capitula, non indicat. De illa verò ſententia, quâ unus de Trinitate crucifixus aſſeritur, ſatis impræſentiarum, pro inſtituti noſtri ratione, prolixè diſſeruiſſe videmur. Dicendum nunc de Chriſto compoſito. quædam de hac loquutione ſuggerebamus, lib. 1. hujus operis, cap. 34. theſib. 5. & 6. & ſuperius hoc ipſo capite, §. 3. & §. 4. & §. 5. & §. 6. Summa doctrinæ de iſto ſermone huc redit: *Compoſitio* de Chriſto dicitur, Primò, *ſecundum humanam naturam*, quæ verè compoſita eſt ex anima & corpore: hæc eſt compoſitio propriè & ſtrictè ſumta: *ſimplicitas* autem ſeu *incompoſitio* eidem Chriſto competit *ſecundum divinam naturam.* Et ſic dici rectè poteſt, unum eundemque Chriſtum eſſe & compoſitum ſecundum naturam humanam, & ſimplicem ſecundùm naturam divinam: quemadmodum rectè dicimus, eundem eſſe immortalem & mortalem; impaſſibilem & paſſibilem; Deum & hominem. Secundò dixerunt hæretici, Apollinariſtæ & Monophyſitæ, & Theopaſchitæ, Chriſtum poſt incarnationem, habere unam naturam compoſitam ex Deitate & humanitate. Et hoc ſenſu compoſitionem Chriſto tribuere, abſurdum prorſus & blaſphemum eſt: manent enim diverſæ & perfectæ naturæ, ſalvis utriuſque proprietatibus, unitæ in una perſonâ. Tertiò, compoſitio tribuitur Chriſto ab orthodoxis, propter duas perfectas naturas unius perſonæ, & Chriſtum dicunt eſſe perſonam compoſitam, non quidem compoſitione propriè & ſtrictè ſumtâ, ſicut monuimus, lib. 1. cap. 34. ſed loquendi neceſſitate adhibuerunt hoc vocabulum, ut aliquo modo fari ac tueri poſſent ineffabile illud pietatis myſterium. *Verbum caro factum eſt. Deus manifeſtatus eſt in carne,* & ſic, contra Samoſatenianos & Neſtorianos, fidem ſuam orthodoxam profitebantur, credentes unum eundemque, non autem alium atque alium, Filium Dei natum eſſe ex Deo Patre intemporaliter, conſubſtantialem Patri ſecundùm Deitatem, & natum eſſe ex Virgine matre temporaliter & conſubſtantialem Matri ſecundum humanitatem. & unius ejuſdemque eſſe miracula divina & paſſiones humanas, adeò ut Deum paſſum eſſe in ſua carne, & hominem perfeciſſe miracula virtute ſua divina, cùm unus idemque ſit Deus & homo, Verbum caro factum.

36. Hoc ſenſu dixerunt Patres Antiocheni, Chriſtum eſſe unam perſonam compoſitam ex Deitate cœleſti, & humanâ carne. Et Cyrillus Alexandrinus ſcripſit; τὸν Θεοῦ μεσίτην καὶ ἀνθρώπων, κατὰ τὰς γραφὰς, συγκεῖσθαι φαμὲν ἔκ τε τῆς καθ' ἡμᾶς ἀνθρωπότητος τελείως ἐχούσης κατὰ τὸν ἴδιον λόγον, καὶ ἐκ τοῦ πεφηνότος ἐκ Θεοῦ κατὰ φύσιν υἱοῦ, τουτέστι, τοῦ μονογενοῦς. διϊσχυριζόμεθα δὲ σύνοδον μέν τινα, καὶ τὴν ὑπὲρ λόγον συνδρομὴν, εἰς ἑνότητα ἀνίσων τε καὶ ἀνομοίων πεπρᾶχθαι φύσεων. ἕνα δ' οὖν ἴσμεν Χριστὸν καὶ κύριον Ἰησοῦν, καὶ υἱὸν ὀνομαζόμενον. id eſt: *Mediatorem Dei & hominum, ſecundùm Scripturas, ex humanitate ſecundùm propriam rationem perfectâ & abſolutâ, naturalique Dei Filio, hoc eſt, unigenito, conſtitutum eſſe dicimus. Affirmamus autem coitionem quandam & inenarrabilem concurſum factum eſſe ad unitionem inæqualium & diſſimilium naturarum. Vnum tamen agnoſcimus, qui Chriſtus & Dominus Ieſus & Filius nominatur.* Huc pertinent verba illa Petri diaconi & ſociorum ejus Monachorum Scytharum, libro de incarnatione & gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, ad Fulgentium & alios Epiſcopos Afros, capite tertio. *Deus Verbum non nomine vacuus, non particulâ ſui, ſed naturâ Deus tantus, quantus & Pater eſt, æqualis per omnia Patri; præter hoc tantummodo quod ille Pater eſt, iſte Filius, naturâ ſe humanâ uniens factus eſt homo: Hinc etiam à ſanctis Patribus adunatione ex Divinitate & humanitate Chriſtus Dominus noſter compoſitus prædicatur, quod nolens Paulus Samoſatenus confiteri, damnatus eſt ab Antiochenis Concilio.* Hæc Petrus diaconus cum ſociis. Et Maxentius ait: *Quamvis ex Divinitate & humanitate Deum noſtrum Ieſum Chriſtum compoſitum, ſive unitum, eſſe fateamur, confuſionem tamen naturarum penitùs refugimus. quia utraſque naturas credimus manere perfectas.* Hæc ille, lib. 2. dialogi contra Neſtorianos, cap. 2.

37. Si quæratur, quâ ratione permoti Catholici Patres, tantopere urſerint vocabulum *compoſitionis*, cum propriè loquendo unio potius naturarum facta ſit, neque in hoc myſterio compoſitio propriè dicta locum habeat, quemadmodum ſuperius monebamus: reſpondeo. Quia Paulus Samoſatenus, & poſtea Neſtorius, negabant naturam humanam, quæ aſſumta eſt, eſſe naturam humanam ipſius Dei Verbi, ſed Samoſatenus Chriſtum dicebat eſſe nudum hominem, neq; ab hoc errore receſſit Neſtorius unitionem ſocialem prædicans Dei & hominis; duarum autem naturarum, videlicet Deitatis & humanitatis concurſum ſubſtantialem & naturalem in una hypoſtaſi, ſeu perſona, Verbi factum eſſe negabat, & perſonę Dei Verbi, etiam poſt incarnationem, non niſi unam naturam, nempe Deitatem, dicebat competere naturaliter, humanitatem autem cum ſua humana & creatâ ſubſiſtentiâ eſſe eidem perſonę Dei Verbi conjunctam ſocietate & dignitate: Chriſtum autem, qui de Maria Virgine natus eſt, non naturâ Deum eſſe, ſed tantum unitione ſociali

& dignitate. Atque ita pro duabus naturis duas etiam fingebant ſubſiſtentias ſeu perſonas. quemadmodum eâdem decepti falsâ hypotheſi Eutychiani, pro unitate perſonæ non niſi unam in Chriſto prædicabant naturam, dicentes non eſſe naturam ſine perſona. ut refert Maxentius libro contra Acephalos. Utrique errori reſiſtentes orthodoxi, Deum Verbum carnem factum dicebant eſſe unam perſonam ex duabus & in duabus naturis perfectis, videlicet, Deitate & humanitate, unitis & inconfuſis, compoſitam: ut compoſitio ad dualitatem naturarum in una perſona referatur, & excludantur tum Neſtoriana dualitas ſubſiſtentiarum ſeu perſonarum, tum Eutychiana naturarum confuſio. Idcirco Patres in quinto œcumenico Concilio, collatione octavâ, in ſententia ſynodicâ, anathematiſmo quarto anathema denunciant non confitentibus unam Chriſti ſubſiſtentiam compoſitam. Vide infrà, caput vigeſimum-quintum poſt paragr. 17. anathem. 4.

*Refellitur falſa hæreticorum hypotheſis, dicentium non eſſe naturam ſine perſonâ.*

38. Falſa autem illa hæreticorum hypotheſis, quâ dicebant, non eſſe naturam ſine perſona; luculenter à Maxentio, libro contra Acephalos, & à Ferrando, in ſua epiſtola ad Severum, & à Juſtiniano Imperatore, in ſua confeſſione rectæ fidei contra tria capitula, confutatur, argumento ſumpto à ſanctiſſimæ Trinitatis unâ Deitate, ſeu trium perſonarum una naturâ. Sicut autem in myſterio Trinitatis, ſunt tres hypoſtaſes ſeu perſonæ, & una natura: ita in myſterio Chriſti, eſt una hypoſtaſis, & duæ naturæ. Hoc etiam argumento ducente ad incommodum, refutant inſaniam Eutychianorum, dicentium ante adunationem fuiſſe duas naturas; nam per iſtam abſurdam aſſertionem relabuntur Eutychiani in hæreſin Neſtorianam, à qua videri volunt tantopere abhorrere. *Nam* (ut verbis utar Maxentii) *ſi duas ante adunationem fuiſſe naturas in Chriſto dixerint, duas etiam ſine dubio ante adunationem dicere convincuntur in Chriſto fuiſſe perſonas; quia ſecundùm ipſos, non eſt natura ſine perſonâ. quod cum dicunt, quis eos neſciat Neſtorianæ perfidiæ* (*quod fugiunt*) *laqueis compediri, qui hominem plenum Deo, non Deum hominem factum, prædicare convincuntur*. Hæc ille. At verò naturæ humanæ ſe univit Deus Verbum, concipi volens & naſci verè homo, in propria ſua divina hypoſtaſi, non eſt autem unitus præexiſtenti homini, προϋφεστῶτι ἀνθρώπῳ.

*Acceſſit Deo humana ſubſtantia, non perſona.*

39. *Acceſſit enim Deo humana ſubſtantia, non perſona*. ut loquitur, cum Coepiſcopis Afris, Fulgentius, libro de incarnatione & gratia Jeſu Chriſti, capite quinto. Et in hanc ſententiam præclarè Juſtinianus, in confeſſione rectæ fidei: Secundùm rectam (inquit) rationem, duarum naturarum unitionem dicimus, & unam hypoſtaſin. quoniam Dei Filius, cum eſſet ſecundùm ſubſiſtentiam alter præter Patrem, eandem autem naturam habens Patris, in ſua ſubſiſtentia plaſmavit ſibi carnem animatam animâ rationali & intellectuali [ἐν τῇ ἰδίᾳ ὑποστάσει ἐδημιούργησεν ἑαυτῷ σάρκα ἐψυχωμένην ψυχῇ λογικῇ καὶ νοερᾷ:] quod declarat, humanæ naturæ unitum eſſe Dei Verbum, & non ſubſiſtentiæ ſeu perſonę cujuſdam. [οὐχὶ δῆλαι ἀνθρωπίνῃ φύσει ἑνώθη τὸν τοῦ Θεοῦ Λόγον, καὶ οὐχ ὑποστάσει ἀνθρώπου τινὸς προϋφεστώσῃ.] Eſt igitur Dei Verbum & incarnatus, una ſubſiſtentia in utraque natura cognoſcendus; in divina, in qua erat, prout dictum eſt; qui cùm in forma Dei eſſet; & in humana, ſecundùm hoc quod eſt in ſimilitudinem hominum factus. Et ideo piè dicat aliquis unam ſubſiſtentiam Dei Verbi compoſitam, [μίαν ὑπόστασιν τοῦ Θεοῦ Λόγου σύνθετον.] Et paullò poſt ibidem; ait idem orthodoxus & Chriſtianiſſimus Imperator, approbante quinto œcumenico Concilio, & aliis orthodoxis Patribus, ὅτι γὰρ ἡ ἀνθρωπίνη φύσις τοῦ Χριστοῦ ἀπλῶς οὐ λέγεται, ἀλλ' οὔτε ἰδίαν ὑπόστασιν, ἤτοι πρόσωπον ἔσχεν, ἀλλ' ἐν τῇ ὑποστάσει τοῦ Λόγου τὴν ἀρχὴν τῆς ὑπάρξεως ἔλαβεν: ὅθεν αὐτὸν τὸν Θεὸν Λόγον ἀτρέπτως ἄνθρωπον γεγενῆσθαι ὁμολογοῦμεν, καὶ οὐκ εἰς ἄνθρωπόν τινα αὐτὸν ἐληλυθέναι. Neque enim humana Chriſti natura abſolutè unquam dicitur, ſed neque propriam ſubſiſtentiam, ſeu perſonam habuit, ſed in ſubſiſtentia Dei Verbi initium exſiſtentiæ accepit. Unde ipſum Deum Verbum ſine converſione hominem factum eſſe confitemur, & non in hominem quendam veniſſe. Huc ſpectant verba illa Ferrandi diaconi: *Deus venit ad uterum Virginis, & adventu ſuo munus ei largiens fecunditatis, ſine ſorde libidinis, humanam ſibi naturam potenter atque ineffabiliter adunavit tanto vinculo unitatis, ut perſona Verbi fieret perſona carnis, & deinceps una Verbi perſona eſſet & carnis.* Hæc ille, epiſtola ad Anatolium. Idem etiam in ſua epiſtola ad Severum Scholaſticum Conſtantinopolitanum; *Non utique* (inquit) *perſonam aliam ſuſcepit, quia non hominem paratum invenit; ſed naturam potius humanam, in qua ipſe Deus homo naſceretur, accepit. Habuit igitur humana natura, ex quo creata eſt, perſonam, ſed unam cum Deo, qui eam ſuſcipiendo creavit eſt.* Hæc Ferrandus. Et hanc ob cauſam Maxentius in dialogo contra Neſtorianos, libro primo, capite duodecimo, melius eſſe monet, ſuſceptam à Deo naturam humanam, quam ſuſceptum hominem dicere. quamvis ſano ſenſu ita loquuti ſint quidam Patres, volentes perfectæ humanitatis aſſumtionem denotare, ſine aſſumtione perſonæ. Atque eòdem pertinent illa ejuſdem Maxentii verba, diſputantis contra hæreticum Neſtorianum, eodem lib. cap. 7. *Non confundimus* (inquit) *naturarum diverſitatem. Veruntamen Chriſtum non, ut tu aſſeris Deum factum, ſed Deum factum Chriſtum* (*quod tibi diſplicet*) *confitemur. quia non cùm pauper eſſet, dives factus eſt; ſed cum dives eſſet, pauper factus eſt, ut nos divites faceret. Nec enim, cùm eſſet in forma ſervi, formam Dei accepit; ſed cum eſſet in forma Dei, formam ſervi accepit. Similiter etiam nec, cùm eſſet caro, Verbum eſt factum, ſed cùm eſſet Verbum, caro factum eſt.* Hæc Maxentius.

40. Quamvis autem Neſtoriani aliquando videri vellent confiteri in Chriſto unionem καθ' ὑπόστασιν ſeu hypoſtaticam vel perſonalem; idipſum tamen quod voce fateri videbantur, evertebant per adjectam expoſitionem, dicentes perſonam humanam unitam eſſe perſonæ divinæ. At iſta jam non eſt unio hypoſtatica ſeu καθ' ὑπόστασιν, ſed eſt duarum hypoſtaſium conſociatio, quæ σχετικὴ ἕνωσις dicitur, διὰ τὸ τῶν ὑποστάσεων, ἤτοι προσώπων καθ' ὑπόστασιν ἕνωσιν ἀδύνατον. id eſt, *duarum enim hypoſtaſeum ſeu perſonarum unionem ſecundùm ſubſiſtentiam fieri, impoſſibile eſt*; ut rectè monet Juſtinianus in illa ſua Confeſſione rectæ fidei, adverſus tria capit. quę exſtat in fragmẽtis quintę Synodi, Grecè repertis, tom. 4. Concil. edit. Pariſ. Et hoc ſenſu patres in quinta Synodo, unitionem ſecundùm compoſitionem ajunt eſſe unitionem ſecundùm ſubſiſtentiam, & confitendo unitionem ſecundùm compoſitionem ſive ſecundùm ſubſiſtentiam, dicunt ſe confiteri Chriſtum eſſe unam ſubſiſtentiam compoſitam, unum de ſancta Trinitate, abſque Eutychiana confuſione, & abſque Neſtoriana ſubſiſtentiarum pluralitate. ut legere eſt in anathematiſmis ab ea ſynodo promulgatis, quos inferius exhibebimus cap. 25 hujus libri. Et congruenter Juſtinianus Imperator in memorata Confeſſione rectæ fidei, ait: *In myſterio Chriſti, unitio ſecundùm compoſitionem* [κατὰ σύνθεσιν ἕνωσις,] *confuſionem & diviſionem rejicit, & ſervat quidem utriuſque naturæ proprietatem* [τὴν ἰδιότητα ἑκατέρας φύσεως φυλάττει,] *unam autem ſubſiſtentiam, ſeu perſonam Dei Verbi etiam cum carne oſtendit.* [μίαν δὲ ὑπόστασιν, ἤτοι πρόσωπον τοῦ Θεοῦ Λόγου καὶ μετὰ τῆς σαρκὸς δείκνυσιν.]

*Naz. ep. 1. ad Cled.* [illegible]

41. Hæc unitio Gregorio Nazianz. dicitur ſubſtantialis, κατ' οὐσίαν orat. 51 quæ eſt epiſt. 1. ad Cledonium Presbyterum. Eandem Cyrillus Alexandrinus appellat ἕνωσιν καθ' ὑπόστασιν, unionem ſeu unitionem ſecundùm ſubſiſtentiam; quia Verbum carni unitum eſt ſecundùm ſubſiſtentiam, ἑνώσας σαρκὶ καθ' ὑπόστασιν ὁ Λόγος, & una, quæ Verbi eſt hypoſtaſis incarnata eſt, [ὑποστάσει μιᾷ τῇ τοῦ Λόγου, σεσαρκωμένῃ] item unitionem ſecundùm naturam, & naturalem; quia Deus Verbum carni unitus eſt κατὰ φύσιν, πεισθέντες τῇ καθ' ἕνωσιν φυσικήν. Hæc inveniuntur in Cyrilli Alexandrini epiſt. ad Neſtorium de excommunicatione. Idem quoque in alia epiſtola, ait; σάρκα ἐψυχωμένην ψυχῇ λογικῇ ἑνώσας ὁ Λόγος ἑαυτῷ καθ' ὑπόστασιν, ἀφράστως τε καὶ ἀπερινοήτως γέγονεν ἄνθρωπος. id eſt: carnem animâ rationali animatam Verbum ſibi uniens ſecundùm ſubſiſtentiam, modo ineffabili & incomprehenſibili factum eſt homo. Et paullò poſt, dicit, ſi ἡ καθ' ὑπόστασιν ἕνωσις, unio ſeu unitio ſecundùm hypoſtaſin negetur, tunc introduci errorem illorum qui dicunt, factam eſſe προσώπων ἕνωσιν, id eſt, perſonarum unionem ſeu unitionem, atque ita conſtituunt duos filios. Quem errorem refutat ibi Cyrillus, hoc argumento: *Non dixit ſcriptura, Verbum hominis perſonam ſibi univiſſe; ſed quod Verbum caro factum ſit. Verbum autem carnem factum eſſe, nihil eſt aliud, niſi quod ſimiliter ac nos, participavit de carne & ſanguine, & noſtrum corpus ſibi proprium fecit, & prodiit homo ex muliere, Deitate interim, & ex Patre nativitate, non abjectâ, manſit enim in ipſa quoque carnis aſſumtione quod prius erat.* Hæc Cyrillus, in illa ad Neſtorium epiſtola, quæ incipit, καταφλυαροῦσι, &c. Cui epiſtolæ poſtea ſubſcripſerunt Patres Epheſini, in tertio œcumenico Concilio, actione primâ.

42. Ex his perſpicimus unam eandemque in Chriſto unionem ſeu unitionem, ab orthodoxis Patribus appellari, ἕνωσιν κατὰ σύνθεσιν, & ἕνωσιν καθ' ὑπόστασιν, & ἕνωσιν φυσικήν, ſeu κατὰ φύσιν, vel κατ' οὐσίαν. ut unio ſeu unitio ſecundùm compoſitionem, & unio ſeu unitio ſecundùm ſubſiſtentiam, ſeu hypoſtatica, & unio ſeu unitio ſecundùm naturam ſive ſubſtantiam, ſeu naturalis, in hoc magno pietatis myſterio, una eademque ſit unio ſeu unitio. quæ dicitur unio ſecundùm compoſitionem, quia unita Deo Verbo eſt nova natura, nempe humana, manente etiam altera naturâ, nempe divinâ, inconfuſè, & ſalvâ utriuſque naturæ proprietate. Et dicitur eadem unio ſecundùm ſubſiſtentiam, ſeu hypoſtatica unio, quia non aſſumta eſt nova perſona, ſed ipſe Deus Verbum in ſua propria hypoſtaſi incarnatus eſt. Dicitur denique eadem unio ſeu unio naturalis, ſive ſecundùm naturam, vel ſubſtantiam; quia Deus Verbum non opinione tantum, aut ſpecie tenus, aut ſecundùm ſocietatem, aut favorem, ſed revera naturaliter jam eſt homo; verè enim conceptus & natus homo eſt, atque ita aſſumtæ humanitatis ad Deum Verbum unitio non eſt σχετικὴ, ſed φυσική, & unus idemque Chriſtus in ſua una propria hypoſtaſi eſt naturâ Deus, & naturâ homo.

*Chriſtus una perſona compoſita.*

43. Hinc Chriſtum orthodoxa antiquitas dixit eſſe compoſitum, & eſſe unam perſonam compoſitam, quia ſervatâ unitate ejuſdem hypoſtaſeos, unus idemque Emmanuel eſt tum naturâ Deus & Patri conſubſtantialis ſecundùm Deitatem, tum naturâ homo, & Matri conſubſtantialis ſecundùm humanitatem. Compoſitio igitur iſta non eſt perſonarum unitio, προσώπων ἕνωσις, ſed eſt duarum naturarum, nempe divinæ & humanæ, conventio in una hypoſtaſi ſive perſonâ, ex duabus & in duabus naturis cognoſcenda, inconfuſè, inconvertibiliter, indiviſè, inſeparabiliter. Propterea quidam orthodoxi ſcriptores perſonæ ſimplicitatem cum iſta compoſitione conjunxerunt: quia ita ſunt duæ naturæ unius perſonæ, ut non ſit duplicata perſona. Dicit igitur Dionyſius Areopagita, lib. de divinis nominibus, cap. 1. τὴν θεαρχικὴν ἐροῦμεν, ἑνάδα καὶ τριάδα, φιλανθρώπως, διαφερόντως, ὅτι τοῖς καθ' ἡμᾶς αὐτὴ ἀληθῶς ὅλικῶς ἐν μιᾷ τῶν αὐτῆς ὑποστάσεων ἐκοινώνησε, ἀνακαλουμένη πρὸς ἑαυτὴν καὶ ἀναθεῖσα τὴν ἀνθρωπίνην ἐσχατιάν, ἐξ ἧς ἀρρήτως ὁ ἁπλοῦς Ἰησοῦς συνετέθη. id eſt; *Deum videmus, Unitatem & Trinitatem, excellenter homines diligentem, quoniam in una perſonarum verè perfectèque particeps factus eſt eorum quæ nobis conveniunt, revocans ad ſeipſum atque apponens humanam humilem conditionem, ex qua ineffabiliter ſimplex Ieſus compoſitus eſt.* Et eodem ſenſu Ferrandus in ſua epiſtola ad Anatolium diaconum urbis Romæ; *Crevit* (inquit) *per nativitatem carnis in Chriſto numerus ſubſtantiarum; ſingularitas verò perſonæ perſeveravit. Idcirco quamvis alia ſit natura Divinitatis, alia humanitatis, non fit Trinitas illa quaternitas, quia perſonarum eſt Trinitas; quia in Chriſto una perſona manſit. Unus eſt proinde Chriſtus, & ſemper unus, propter unius perſonæ ſingularitatem, quæ in eo nec dividi, nec ſubdividi, nec duplicari poteſt. quamvis ex duabus, & in duabus credatur eſſe naturis.* Item in ſua epiſtola ad Severum: *Carnem quippe ſuſcipiendo, naturas adunavit, non perſonam duplicavit. Naturas planè adunavit, ſine confuſione permanentes, & in ſecula permanſuras. Sic enim adunavit, ut nec Divinitas in humanitatem mutaretur, nec humanitas à Divinitate abſorberetur; ſed utraque natura incolumis cuſtodita ſuis officiis uteretur, ſuis operibus agnoſceretur, ſuis nominibus vocaretur, veruntamen perſonis propriis non diſtingueretur. Non enim ſic adunata ſunt duæ ſubſtantiæ, divina ſcilicet & humana, ut fieret una ſubſtantia, ſed ut eſſent unius perſona, atque ex eis, & in eis unus ſemper exſiſteret Chriſtus.* Et paullò poſt in eadem epiſtola; *Cum tamen* (inquit) *una ipſa Chriſti perſona, quæ duas, divinam & humanam, id eſt ſimplicem & compoſitam videtur adunare ſubſtantias,*

*Non eſt duplicata perſona.*

*non ſit compoſita, ſed in ſingulis ſimplex, & in utriſque ſimplex, & ita ſimplex, ſicut fuit antequam in ſua unitate ſuſciperet humanam naturam, ut haberet deinceps ſubſtantias duas, unam, ſicut diximus, ſimplicem, aliam verò compoſitam. Sed quid jam pluribus immoramur? De incarnatione Chriſti hæc eſt fides mea, per quam fateor, ex duabus, & in duabus ſubſtantiis unum Chriſtum habere perſonam.* Hæc Ferrandus.

*Ex dua ſummis Concil. Chalced. in ſynodica fidei expoſitione ſupra, lib. 2. cap. 12.*

44. Non ſolum autem contra Neſtorianam perſonarum unitionem, dicebant orthodoxi Patres, Chriſtum eſſe unam perſonam compoſitam ex duabus naturis, ſed etiam, ut inſaniam excluderent Eutychianorum, dicentium non niſi unam in Chriſto poſt adunationem eſſe naturam, aſſerebant etiam Chriſtum in duabus naturis eſſe agnoſcendum, quâ loquutione ſignificabant duas manere in Chriſto naturas inconfuſè adunatas in una perſona. Hæc Ferrandus in ſua memorata epiſtola, ad Severum Scholaſticum Conſtantinopolitanum, his verbis inſinuat: *Si quis enim negaverit Chriſtum Dei hominiſque filium unam habere perſonam, duos prædicat Chriſtos: & ſi duplex adorandus vel colendus eſt Chriſtus, non Trinitatem, ſed quaternitatem adorat. Si quis iterum unam Chriſti dicit eſſe naturam, & quamvis eum ex duabus negare non audeat, in duabus tamen ſubſtantiis confiteri veretur aut dubitat, hic aut unius naturæ abolitionem, aut utrarumque adſeverat confuſionem.* Hæc ille. Vide anathematiſmos quintę œcumenicæ Synodi, quos inferiùs invenies, cap. 25. hujus libri. Vide etiam lib. 5. cap. 2. & cap. 3.

## CAPUT VIGESIMUM-SECUNDUM.

### *De invidia, & injuſtis decretis Bonifacii ſecundi, Papæ Romani: & de ejus epiſtola ad Eulalium.*

*Dioſcorus ille quondam Hormiſdæ legatus, de quo ſupra, cap. 21. & §. 7. & §. 11. &c.*

HOrmiſda (ut ſuprà, cap. 2. monebamus) in Epiſcopatu Romano ſucceſſit *Iohannes primus*; & hunc excepit *Felix quartus*; in cujus demortui locum, diviſo bifariam clero, ſurrogatus eſt hinc quidem *Dioſcorus* ille Hormiſdæ quondam legatus; inde verò *Bonifacius ſecundus*, (anno Dom. 530. regnantibus Juſtiniano Auguſto, & Athalarico Gothorum in Italia rege.) Major autem pars fuit cum Dioſcoro. Manſit ea in clero & ſenatu diſſenſio dies viginti novem: die autem nono & vigeſimo mortuus eſt Dioſcorus. Tunc clerum reconcilians Bonifacius, Dioſcorum jam mortuum anathematis ſententiâ condemnavit, zelo & dolo ductus cum grandi amaritudine: ut in ejus vita loquitur auctor libri Pontificalis. Atque, ut idem ſcriptor refert; Fecit etiam idem Bonifacius Papa conſtitutum ſynodale ut ſibi ſucceſſorem ordinaret, quo conſtituto, cum chirographis ſacerdotum & jurejurando, ante confeſſionem beati Apoſtoli Petri, diaconum Vigilium ſibi ſucceſſorem conſtituit. Eodem tempore factâ iterum ſynodo, hoc cenſuerunt ſacerdotes omnes propter reverentiam ſanctæ ſedis: & quia contra canones hoc fuerat factum, & quia culpa eum reſpiciebat, ut ſucceſſorem ſibi conſtitueret; ipſe Bonifacius Papa reum ſe confeſſus eſt majeſtatis, quòd diaconum Vigilium ſuâ ſubſcriptione chirographi ante confeſſionem B. Apoſtoli Petri conſtituiſſet; ac ipſum conſtitutum in præſentia omnium ſacerdotum & Cleri & Senatûs, incendio conſumſit. Hæc in libro Pontificali Anaſtaſius bibliothecarius, in vita Bonifacii Papæ ſecundi. Hic ille eſt *Vigilius*, qui poſtea, tempore Silverii, Papatum malis artibus invaſit; ut capite ſequente monſtrabitur.

*Bonifacius reus Majeſtatis.*

*Vigilius, de quo cap. 23.*

*Anaſtaſius verum fuiſſe ſcribit Bonifacium II. dolo, violentia, injuſtitia, invidia, & perfidia.*

2. Bonifacio ſecundo ſucceſſit in Epiſcopatu Romano *Iohannes ſecundus*, cognomento Mercurius, & huic *Agapetus*, in cujus vita Anaſtaſius bibliothecarius his utitur verbis: *Hic in ortu Epiſcopatûs ſui, libellos anathematis, quos invidia dolo extorſerat Bonifacius Presbyteris & Epiſcopis contra canones & contra Dioſcorum, in medio Eccleſiæ, congregatis omnibus, incendio conſumſit, & abſolvit totam Eccleſiam ab invidia perfidorum.* Hæc Anaſtaſius, in vita Agapeti.

3. Cùm olim Aurelius & Auguſtinus, aliique Epiſcopi Africani, canonem condidiſſent contra appellationem ad Sedem Romanam & in eadem ſententia ipſi eorumque ſucceſſores conſtanter manerent: Eulalium tandem Epiſcopum Carthaginenſem, poſt centum & amplius annos à condito illo canone, conſ. eſſiſſe ut fierent ad Sedem Romanam appellationes ex Africa, ſcribit Bonifacius ſecundus, Papa Romanus, in ſua epiſtola ad Eulalium Alexandrinum, ſeu potiùs (ſi Lindano & Hardingo aſſentiaris) Theſſalonicenſem Epiſcopum. Exſtat illa epiſtola, tom. 3. Concil. edit. Pariſ. pag. 837. ubi ait Bonifacius Carthaginenſem Eccleſiam ad communionem noſtram rediiſſe, (Domino propitiante,) tradentibus ſignificamus alloquiis. ——— Aurelius, præfatæ Carthaginenſis Eccleſiæ olim Epiſcopus, cum collegis ſuis (inſtigante diabolo) ſuperbire temporibus prædeceſſorum noſtrorum Bonifacii atque Cœleſtini, contra Romanam Eccleſiam cœpit. ſed videns ſe modo peccatis Aurelii Eulalius à Romanæ Eccleſiæ communione ſegregatum, humilians recognovit ſe, pacem & communionem Romanæ Eccleſiæ petens, ſubſcribendo una cum collegis ſuis, damnavit Apoſtolicâ autoritate omnes Scripturas, quæ adverſus Romanæ Eccleſiæ privilegia factæ quoquo ingenio fuerunt. Hæc Bonifacius ſecundus.

4. Certè ſi hæc vera ſunt, ſequetur Aurelium & Auguſtinum & Eugenium Carthaginenſem, & Fulgentium, aliosque omnes Epiſcopos Afros qui, currente illo pluſquam centum annorum intervallo, à tempore Bonifacii primi Papæ Romani, uſque ad Pontificatum Bonifacii ſecundi, ex hac vita migrârunt, mortuos eſſe extra communionem Romanæ Eccleſiæ; & quotquot etiam in perſequutione illa Vandalica (quę à Victore Epiſcopo Uticenſi tribus libris commemorata eſt) martyrio coronati ſunt, & confeſſores alioſque ſanctitate illuſtres, quos tamen hodierna Romana Eccleſia inter ſanctos & martyres numerat; totamque Africam à Romanæ Eccleſiæ communione manſiſſe divulſam. Hanc conſequentiam docent eſſe inevitabilem, Cardinalis Baronius, in ſuis notationibus in Martyrologium Romanum, ad diem 16. Octobris & Severinus Binius in ſuis notis in epiſtolam illam Bonifacii Papæ ſecundi. Propterea falſam eſſe & adulterinam illam epiſtolam contendunt. Quam tamen ut Bonifacii genuinam epiſtolam agnoſcunt alii celebres Theologi Pontificii; videlicet: Antonius Auguſtinus, Archiepiſcopus, Tarraconenſis, in ſuis notis in canones ab Hadriano Papa primo collectos, cap. 12. [tom. 5. Concil. edit. Pariſ. pag. 574.] & Thomas Hardingus, in ſua diſputatione contra Juellum, art. 4. ſect. 28. & Franciſcus Coſterus, in ſuo Enchiridio controverſiarum, cap. 3. in ſolutione decimæ objectionis. [pag. 158. edit. Colon. an. 1585.] & Guilielmus Lindanus Dordracenus, Ruremundenſis Epiſcopus, in ſua Panoplia Euangelica, lib. 4. cap. 89. & Jacobus Pamelius, in Cypriani epiſtolam quinquageſimam quintam, nota 91. & Bartholomæus Carranza, in Summa Conciliorum & Pontificum. Et ante quingentos annos Gratianus, ex eadem Bonifacii epiſtola, deſumſit canonem illum, qui invenitur, 89. diſt. can. ad hoc. Et huic ſententiæ favere videntur verba Anaſtaſii Bibliothecarii, in libro Pontificali, in vita Bonifacii Papæ ſecundi, ubi ait; *Eodem tempore venit relatio ab Afris Epiſcopis de conſtitutione, & ut cum conſilio ſedis Apoſtolicæ omnia Carthaginenſis Epiſcopus faceret.* Hæc Anaſtaſius. Et hanc ipſam hiſtoricam narrationem, ſicut ab Antonino Epiſcopo Florentino reperta eſt, adhibet Lindanus loco citato, unà cum aliis argumentis, in confirmationem ſuæ ſententiæ, contendens genuinam eſſe eam epiſtolam, & revera ſcriptam eſſe à Bonifacio ſecundo, Papa Romano, ad Eulalium Theſſalonicenſem.



## CAPUT VIGESIMUM-TERTIUM.

### *De Silverio Papa Romano: & de illegitima ac ſcelerata irruptione Vigilii: & de Pelagii primi ordinatione.*

AGapeto, poſt Mennæ Patriarchæ conſervationem Conſtantinopoli mortuo, Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus factus eſt *Silverius*, Hormiſdę quondam Papæ Romani filius, regnantibus Juſtiniano Auguſto, & Theodahado Gothorum in Jtalia rege, anno Dom. 536. ut ſcribunt Liberatus, & Anaſtaſius, & Platina, & alii.

2. De Silverii introitu Liberatus illius temporis ſcriptor, in breviario de cauſa Neſtoriana & Eutychiana, cap. 22. hæc ſcribit; *De cujus* [Agapeti Papæ] *deceſſu audiens Romana civitas, Silverium ſubdiaconum, Hormiſdæ quondam Papæ filium, elegit ordinandum.* De eodem etiam Anaſtaſius bibliothecarius in libro Pontificali, in vita Silverii: *Hic* Silverius] *levatus eſt à tyranno Theodato ſine deliberatione decreti. Qui Theodatus corruptus pecunia date, talem timorem indixit clero, ut qui non conſentirent in ejus ordinatione, gladio punirentur. Sacerdotes quidam non ſubſcripſerunt in eum, ſecundum morem antiquum, neque decretum confirmaverunt ante ordinationem. Iam autem ordinato Silverio ſub vi & metu, propter adunationem Eccleſiæ & religionis, poſtmodum ſubſcripſerunt presbyteri.* Hæc Anaſtaſius. De eodem ſcribens Platina, ait: *Silverius natione Campanus, Patre Hormiſda Epiſcopo, Theodahato jubente Pontifex creatur, cum antea non regum, ſed Imperatorum auctoritas interveniret. Plus autem valuere Theodahati mina, quàm decreti ratio. Mortem enim his clericis minatus eſt, qui nomina ſua non ſubſcriberent in creatione Silverii. hanc ob rem, & ut etiam Amalaſunthæ necem ulciſceretur Iuſtinianus, Beliſarium Patricium cum exercitu in Italiam mittit.*

3. De Silverii exitu, & ſcelerato Vigilii introitu, ſcribunt prolixe Liberatus & Anaſtaſius & Platina & alii. Summa huc redit. Theodora Auguſta Juſtiniani imperatoris uxor Acephalis hæreticis favens, Anthimum ſede Conſtantinopolitanâ excuſſum indignata, Silverium per literas hortata eſt, ut abdicato Menna Anthimum revocaret. Recuſante Silverio, vocavit ad ſe Theodora Vigilium diaconum Romanæ ſedis Apocriſarium, tunc Conſtantinopoli degentem, & ab eo flagitavit, ut ſi Papa fieret, tolleret Synodum Chalcedonenſem, & Anthimum revocaret, & per epiſtolam ſuam Anthimi & Severi aliorumque Acephalorum fidem firmaret, promittens dare ei præceptum ad Beliſarium, ut Papa ordinaretur, & dari centenaria ſeptem. Libenter ergo ſuſcepit Vigilius promiſſum ejus, amore Epiſcopatûs & auri: Acceptiſque Theodoræ Auguſtæ literis, in Jtaliam ad Beliſarium ſe contulit: cui promiſit etiam duo auri centenaria, ſi Silverio remoto, ordinaretur ipſe pro eo. Tunc ſuſcipiens Auguſtæ juſſionem Beliſarius Patricius, dixit; *Ego quidem juſſionem facio: ſed is, qui intereſt in necem Silverii Papæ, ipſe reddet rationem de factis ſuis Domino Ieſu Chriſto.* Et urgente juſſione, exierunt quidam falſi teſtes Silverium proditionis accuſantes, quaſi Gothis ſcripſiſſet, ut Romam introirent. Tunc acceſſito Silverio Beliſarius in palatium Pincianum, quod Romæ eſt, omnem clerum ad primum & ſecundum velum retinuit; ingredientibus Silverio cum Vigilio ſolis. & mox ſecutus ſubdiaconus regionarius regionis primæ tulit pallium de collo Silverii, & duxit eum in cubiculum, & exſpolians eum induit eum veſtem monachicam; & abſcondit eum: Tunc Sixtus ſubdiaconus regionis ſextæ, Papam depoſitum eſſe, & monachum factum, clero nunciavit. Quo audito, fugerunt omnes. Beliſarius autem mandavit, ut alium ſibi Papam eligerent. iis dubitantibus, & nonnullis ridentibus, favore Beliſarii ordinatus eſt Vigilius. Silverius autem in exſilium miſſus eſt, in civitatem provinciæ Lyciæ, quæ Patara dicitur. Et procurante Patarenſi Epiſcopo Imperator Juſtinianus juſſit Silverium Romam revocari. Reverſo igitur in Jtaliam Silverio, Vigilius egit cum Beliſario Patricio, ut ſibi traderet Silverium. Quo impetrato, Vigilius Silverium in ſuam quaſi fidem ſuſcipiens, miſit in exſilium in Pontiam ſeu Palmariam inſulam, ſub duorum defenſorum & ſervorum cuſtodiâ, ibique eum ſuſtentavit pane tribulationis & aquâ anguſtiæ, adeò ut Silverius haud ita multo poſt defecerit inediâ. Vigilius autem ſcriptâ epiſtolâ fidem hæreticorum, ſicut promiſerat, firmavit: exſtat ea epiſtola apud Liberatum cap. 22. ubi Liberatus addit; & hæc Vigilius ſcribens hæreticis occultè, permanſit ſedens. In quo impletum eſt illud teſtimonium quod Salomon in proverbiis

bis dicit, *edent via ſua fructus, & conſiliis ſuis ſaturabuntur*. Ab ipſa hæreſi afflictus Vigilius, nec coronatus, qualem vitæ terminum ſuſcepit, notum eſt omnibus. Hæc Liberatus. Qui quintam Synodum hæreſeos aſpergine haud obſcurè, perperam tamen, infamare nititur. Vide cap. 24. § 9.

4. Onuphrius in Platinam, ad vitam Vigilii, *Hujus*, inquit, *Vigilii ingreſſus parum legitimus fuit, cum præter Eccleſiaſticas regulas, prædeceſſore ſuo Silverio vivente, & Pontificatûs adminiſtratione ſubmoto, per vim Pontificatum Romanum occuparet: & idcirco ſextum ſchiſma, quod Silverii morte finitum eſt, notavi. Procul-dubio Vigilius ambitionis ſpiritu diu laboravit. Nam paullò antè, ſub Bonifacio Papa ſecundo, ſe in Pontificatu coadjutorem creari procuraverat, & ea re illi tunc ex animo ſuccedente, aliquo tempore poſt, Silverii locum invaſit. Quæ omnia illi Tiberius exſul in epiſtola quadam, quæ ſecundo Conciliorum tomo excuſa eſt, vehementer exprobrat.* Hæc Onuphrius, auctorem citans bibliothecarium. Exſtat autem illa Silverii epiſtola in editione Biniana Colon. propè finem primæ partis tomi ſecundi Conciliorum, ſtatim poſt vitam Silverii. qua epiſtolâ Silverius, jam exſul, depoſitionis & damnationis ſententiam in Vigilium invaſorem, & eos qui Vigilio conſentiebant, pronunciavit. Et ſic ſe habet ſubſcriptio; *Cælius Silverius Papa urbis Romæ, huic decreto anathematis in Vigilio pervaſore facto ad omnia ſtatuta conſenſum præbens, ſubſcripſi.* Pariter & quatuor Epiſcopi ſubſcripſerunt, id eſt, Terracinenſis, Fundanus, Firmandus, & Minturnenſis. data iſta chartula per Anaſtaſium ſubdiaconum. Hæc ibi. Ab hoc anathemate nuſquam legimus abſolutum eſſe Vigilium. Nam qui eum damnavit Silverius, per inediam ab eo occiſus eſt. & ipſe permanſit ſedens.

*Juſta ſententia anathematizatur Vigilius.*

*Non invenitur Vigilii abſolutio ab illo anathemate.*

5. Theodorâ autem Auguſta exigente à Vigilio, ut, juxta quod promiſerat, Anthimum revocaret, recuſavit Vigilius, agnoſcens ſe prius malè & inſipièter loquutum eſſe. Propterea juſſu Auguſtæ Conſtantinopolin advectus eſt. Motâ autem in Tibride nave, in qua ſedebat Vigilius, cœpit populus jactare poſt eum lapides & fuſtes, quibus Vigilium cum exſecratione imprecabat, dicens, *fames tua tecum; mortalitas tecum: malè feciſti Romanis, malè invenias ubi vadis!* ut ſcribunt Anaſtaſius & Platina. Et cùm Conſtantinopoli affligeretur Vigilius, faſſus eſt ſe digna factis recipere. ut commemorat Anaſtaſius in vita Vigilii.

*Vigilius Anthimum hæreticum revocare recuſat.*

*Imprecationes Romanorum in Vigilium.*

6. Vigilio autem Conſtantinopoli degente, celebrata eſt quinta œcumenica Synodus, cui (ut conſtat ex illius Synodi actis) in quæſtione de tribus capitulis, reſtitit Vigilius, edito Conſtituto, quo capitulorum damnationi vehementer contradixit, ipſo tempore jam ſedentis Synodi. Perpenſo autem Vigilii Conſtituto, cùm nihil in eo animadverterent Patres Synodici propter quod à capitulorum damnatione deſiſterent, perrexerunt in propoſito, & refutatis ac rejectis Vigilii ratiunculis, tria capitula damnaverunt. Et omnes decretis ipſorum reſiſtentes Epiſcopos & clericos, alienos à ſacerdotio & ſtatu eccleſiaſtico declararunt. Et ſiquidem in ea contradictione ad mortem uſque permanerent, anathema eis denunciarunt. Monachos autem vel laicos etiam contradicentes, & decretis Synodi non conſentientes, anathematizârunt. Unde Vigilius, ſententiæ Synodicæ pertinaciter contradicens, in exſilium miſſus eſt, tanquam juſtâ Synodi ſententiâ jam exauctoratus, adeóque à ſacerdotio & ſtatu eccleſiaſtico alienus. Poſtea autem errorem ſuum agnoſcens ac deſerens, & Synodo conſentiens, ab exilio liberatus eſt, & dignitati ac ſedi reſtitutus, rogantibus Romanis (qui jam ſententiam mutaverant, mitiores in eum facti) & eorum hortatu, intercedente Narſete Gothorum domitore. Ad quorum petitionem (teſte Anaſtaſio bibliothecario in vita Vigilii) Imperator Juſtinianus revocatis ab exſilio, atque ad ſe adductis, qui cum Vigilio fuerant, clericis, dixit, Vultis recipere Vigilium, ut fuit Papa veſter? gratias ago. Minuine? hic habetis archidiaconum veſtrum Pelagium & manus mea erit vobiſcum. Reſponderunt omnes: imperet Deus pietati tuæ! reſtitue nobis modò Vigilium: & quando eum voluerit Deus tranſire de hoc ſeculo, tunc veſtrâ præceptione nobis donetur Pelagius archidiaconus noſter. Tunc dimiſit omnes cum Vigilio. Venerunt itaque in Siciliam in civitatem Syracuſas, ubi Vigilius afflictus, calculi dolorem habens, mortuus eſt. Cujus corpus Romam ductum ſepultumque eſt.

*Diſſenſio inter Vigilium Papam Rom. & quintam œcumenicam Synodum.*

*Deponitur Vigilius.*

*In exſilium mittitur Vigilius.*

*Moritur Vigilius.*

7. In locum defuncti Vigilii ſuffectus eſt Pelagius ille archidiaconus, juſſu Juſtiniani. Et dum non eſſent tres epiſcopi qui eum ordinarent, inventi ſunt duo epiſcopi, Joannes de Peruſio, & Bonus de Ferentino, & Andreas presbyter de Oſtia, & ordinaverunt eum Pontificem. Multitudine religioſorum & nobilium & cleri ſe ſubducente ab ejus communione, propter ſuſpicionem, quod ſe in morte Vigilii immiſcuiſſet. Pelagius autem jurejurando cunctis ſatisfecit, quòd nullum malum contra Vigilium peregiſſet. Hæc ex Anaſtaſio bibliothecario in vita Pelagii primi.

8. Ex eo quod Anaſtaſius, in fine vitæ Silverii, dicat ceſſaviſſe epiſcopatum dies ſex, colligit Binius (in ſuis notis ibidem) valde probabile eſſe, Vigilium, poſt obitum Silverii, ſe pontificatu, quem per intruſionem occupaverat, abdicaſſe, ob Simoniæ, expulſi & occiſi Silverii, contemptique anathematis crimina à ſe commiſſa, donec iterum ſecretâ machinatione Beliſarii, univerſi cleri conſenſu legitimè eligeretur: & adſtipulatorem citat Baronium. At dies illos ſex intelligendos eſſe de illo intervallo, quod inter Silverii abdicationem & Vigilii receptionem interceſſit, turbato adhuc clero, necdum ſedatis animis; monet Onuphrius in vita Silverii. De hoc tamen conſentiunt omnes, Vigilium, poſt mortem Silverii, ab univerſo clero populoque Romano ſuſceptum agnitumque fuiſſe ut jam ſolum & verum Papam Romanum, & ut verum Papam Romanum ab aliis etiam Eccleſiis & Patriarchis, & à quinta œcumenica ſynodo, & ab omni poſteritate agnitum eſſe. Atque Vigilium, jam verè Papam Romanum, & ut Papam, reſtitiſſe quintæ Synodo, & Papale ſuum illud ſcripſiſſe conſtitutum de tribus capitulis. Nam mortem Silverii refert Baronius in annum Domini 540. & ejuſdem Vigilii adventum in urbem regiam Conſtantinopolim, contigiſſe ſcribit anno Dom. 547. Celebratam verò eſſe quintam œcumenicam ſynodum, anno Dom. 553. eodemque anno Vigilium miſiſſe ad Imperatorem & Synodum Conſtitutum ſuum, hoc eſt, decretum de tribus capitulis, & illud univerſo etiam orbi catholico commune eſſe voluiſſe. Epiſtolam etiam illam, quâ fidem hæreticorum firmavit, ſcripſiſſe Vigilium, poſt obitum Silverii, colligitur ex narratione ſuperiùs commemoratâ, § 3. Et ex eadem narratione conſtat, ſcriptam eſſe à Vigilio epiſtolam illam, non tempore interregni, ſeu, ſede vacante, ſed tempore Papatus; poſtquam, nimirum, defuncto Silverio, conſtabilita Vigilio eſt, communi conſenſu, dignitas Papalis, & quando jam pro vero Papa Romano Vigilius ab omnibus habebatur, ſeque gerebat ut Papam Romanum. Id quod Liberati etiam verba hæc manifeſtum faciunt; Pelagius verò (inquit) currens cum voluntate Auguſtæ, volebat irritum facere Imperatoris præceptum, ne Silverius Romam reverteretur: ſed prævalente Imperatoris juſſione, Silverius ad Italiam reductus eſt. Cujus adventu territus Vigilius, ne ſede pelleretur, Beliſario mandavit; Trade mihi Silverium, alioqui non poſſum facere, quod à me exigis. Ita Silverius traditus eſt duobus Vigilii defenſoribus & ſervis ejus. Qui in Palmariam inſulam adductus, ſub eorum cuſtodia defecit inediâ. Vigilius autem per Antoninam Beliſarii conjugem implens profeſſionem ſuam, quam Auguſtæ fecerat, talem ſcripſit epiſtolam: *Dominis & Chriſtis Vigilius. Scio quidem, quia ad ſanctitatem veſtram antea fides mea credulitas, Deo adjuvante, pervenit. Sed quia modo glorioſa filia mea Patricia Antonina, Chriſtianiſſima deſideria mea fecit impleri; quid fraternitati veſtræ præſentia ſcripta tranſmitterem: ſalutans ergo vos gratiâ, quâ nos Deo noſtro Chriſto Salvatori conjungimur, & eam fidem, quam tenetis Deo adjuvante, & tenuiſſe & tenere ſignifico. ſciens quia illud inter nos prædicamus & legimus, ut & anima una ſit, & cor unum in Deo, profectûs mei, qui veſter eſt. Deo adjuvante, vobis gaudia maturavit ex meo animo, ſciens fraternitatem veſtram quæ optat, & libenter amplecti. Oportet ergo ut hæc quæ vobis ſcribo, nullus agnoſcat: ſed magis tanquam ſuſpectum hic me ſapientia veſtra ante alios exiſtimet habere, ut facilius poſſim hæc quæ cœpi, operari & perficere.* Et ſubſcriptio: *Orate pro nobis Deum, mihi fratres in Chriſto Domino noſtro charitate conjuncti.* Sub hac epiſtola Vigilius fidem ſuam ſcripſit, in qua duas in Chriſto damnavit naturas, & reſolvens tomum Papæ Leonis, ſic dicit; Non duas Chriſtum naturas confitemur, ſed ex duabus naturis compoſitum unum Filium, unum Chriſtum, unum Dominum. Et iterum: Qui dicit in Chriſto duas formas, unaquâque agente cum ſua communione, & non confitetur unam perſonam, unam eſſentiam, anathema ſit. Qui dicit, quia hic quidem miracula faciebat, hoc verò paſſionibus ſuccumbebat: & non confitetur miracula & paſſiones unius ejuſdemque, quas ſponte ſuâ ſuſtinuit carne nobis conſubſtantiali, anathema ſit. Qui dicit, quod Chriſtus, velut homo, miſericordiâ dignatus eſt: & non dicit ipſum Deum Verbum & crucifixum eſſe, ut miſereatur nobis, anathema ſit. Anathematizamus ergo Paulum Samoſatenum, Dioſcorum, Theodorum, & Theodoritum, & omnes qui eorum ſtatuta coluerunt, vel colunt. Et hæc Vigilius ſcribens hæreticis occultè, permanſit ſedens. Hactenus Liberatus, in ſuo breviario de cauſa Neſtoriana & Eutychiana, cap. 22. Unde patet Vigilium iſta ſcripſiſſe hæreticis, poſt mortem Silverii, non tempore alicujus interregni, ſed quando Vigilius jam ipſe erat ſolus & palàm ab omnibus agnitus Papa Romanus: ſeu quando Vigilius (ut Liberati verba uſurpemus) hæc ſcribens hæreticis occultè, permanſit ſedens.



*Liberat. cap. 22.*

*Hæretica fides Vigilii.*

## CAPUT VIGESIMUM-QUARTUM.

### *De occaſione quinti œcumenici Concilii, rebuſque in eo geſtis, narratio hiſtorica.*

Quintum œcumenicum Concilium, à Juſtiniano ſeniore Imperatore convocatum, celebratum eſt Conſtantinopoli, Anno Dom. quingenteſimo quinquageſimo tertio. idque hac occaſione. Epiſcopalem Hieroſolymorum ſedem poſt Martyrium obtinuit Macarius, Imperatore Juſtiniano nondum ei ſuffragante, ejuſque Epiſcopatum comprobante: qui Eccleſiaſticâ deturbatus eſt cathedrâ, eo quod Origenis dogmata tueretur. Et in ejus locum ſuffectus eſt Euſtochius. hic Euſtochius Hieroſolymorum Epiſcopus, animadvertens illos, qui dogmata Origenis profitebantur, in Paleſtina invaleſcere, & potiſſimum in nova quæ dicebatur Laura, eam ſectam obtinere, omnem curam ac ſtudium eò cōtulit, ut eos expelleret. Proinde ad novâ Lauram profectus, & mandrâ illa occupatâ, illos tanquam communem omnium perniciem inde exegit. Illi autem in varia diſperſi loca, multos in ſuam pellexerunt opinionem. Unde, jubente Imperatore, Synodus coacta eſt, ad quam ſuos miſit Euſtochius legatos.

*Anno Dom. 553.*

*Origeniſtæ.*

2. Poſtquam Patres convenere in urbe Conſtantinopolitanâ, cœperunt cauſſam Origenis, Didymi, & Evagrii in medium proferre: eo quòd Græcorum opiniones rectis Eccleſiæ doctrinis perperam illi immiſcuiſſent. Theodorus autem, Cæſariæ Cappadociæ Epiſcopus, illos ab ea diſceptatione, (ut fertur) ad aliam traducere cupiens, cauſam Theodori Epiſcopi Mopſueſtiæ, & Theodoreti, & Jbæ introduxit. Idque non ſine clementiſſima Dei providentiâ (quemadmodum eſt ab Evagrio & Nicephoro Calliſti obſervatum) qui omnes illas res ita adminiſtravit, ut omnis profana & impia doctrina utrimque rejiceretur.

*Theodorus Aſcidas Cæſariæ Cappadociæ Epiſcopus.*

3. Neceſſitatem autem inquirendi ac decernendi de Theodoro illo Mopſueſtiæ Epiſcopo, impiiſque Theodoreti & Jbæ ſcriptis, attulit impia ſedulitas quorundam Neſtorianiſmo faventium, qui cùm decreta Synodorum Epheſinæ & Chalcedonenſis apertè accuſare non auderent, aliâ aggreſſi ſunt viâ, ut veritatem per cuniculos ſubruerent: diſperſis impiis ſcriptis Theodori quondam Mopſueſtiæ Epiſcopi, à quo & Neſtorius impium ſuum dogma didicerat. [ut monet Evagr. lib. 1. hiſt. cap. 2. & Juſtinianus Imp. in epiſtola ad Epiſcopos & Patriarchas, quæ exſtat in collatione primâ quintæ Synodi. & Patres in collatione quarta ejuſdem Synodi paſſim.] & iis etiam diſperſis, quæ adverſus Cyrillum Alexandrinum Epiſcopum ſcripſerat Theodoretus Cyri Epiſcopus, & epiſtola illa, quam Jbas Epiſcopus Edeſſenus ſcripſiſſe memoratus eſt ad Marim Perſam,

*Tria capitula.*

ſim. Quæ omnia jactabant non eſſe condemnata à Concilio Chalcedonenſi.

*Summa ſententiæ Synodicæ de tribus capitulis, & de Origene, &c.*

4. Ad reprimendam igitur falſam hanc gloriationem, & ad demolienda impia iſta contra veritatem comparata machinamenta, & ad tollendum ſcandalum, res hæc in Synodo agitata eſt, ac de eâ lata eſt ſententia Synodica. Patres in ea Synodo œcumenica quinta ipſum Theodorum Mopſueſtiæ Epiſcopum, quamvis jam olim mortuum, anathematizârunt cum ſuis ſceleratis ſcriptis. Theodoretum autem & Ibam, qui ante obitum reſipuerant, & à Chalcedonenſi Synodo recepti erant, non anathematizârunt, ſed tantummodo illa eorum ſcripta ſuperius commemorata, condemnârunt, propter impietatem quam continebant. Conſiderantes etiam Origenis, Didymi, & Evagrii, eorumque ſequacium cauſam, eos anathematizârunt, eorumque errores exploſerunt. De quibus plura inferius invenies, cap. 26. hujus libri. De iſto (ut videtur) Evagrio ſcripſit olim Hieronymus, epiſt. ad Cteſiphontem, quæ incipit, *Non audacter*. ubi eum vocat Evagrium Ponticum hyperboritam, & cum aliis errorum Magiſtris eum ſcribit ab Epiſcopis damnatum eſſe.

*Evagrius Ponticus hæreticus.*

*Eutychius præſes quintæ Synodi. Patres ſynodici.*

5. Præſedit quinto œcumenico Concilio, ſucceſſor Mennæ, Eutychius Patriarcha Conſtantinopolitanus. Interfuerunt Concilio & ſubſcripſerunt centum ſexaginta quinque Epiſcopi: in quibus erant Patriarchæ tres, in propria quiſque perſonâ, præſentes, nempe Eutychius Conſtantinopolitanus, Apollinarius Epiſcopus Alexandriæ, & Domnus Epiſcopus Theopolitanæ civitatis, id eſt, Antiochiæ Syriæ. & ab Euſtochio Patriarchâ Hieroſolymitano aderant tres Epiſcopi, legationem pro eo obeuntes. Vigilius autem Patriarcha Romanus, quamvis pro tempore eſſet Conſtantinopoli, noluit intereſſe Concilio, ejuſque decretis, tum tempore Concilii, tum poſtea etiam aliquamdiu reſtitit. Ideóque in exſilium à Juſtiniano Imperatore relegatus eſt: tandem autem ab exſilio liberatus eſt, Concilio (ut videtur) conſentiens.

*Vigilius Papa Rom.*

6. Hæc ex Juſtiniani Imperatoris ad Epiſcopos Conſtantinopoli degentes epiſtolâ, quæ exſtat in collatione primâ quintæ Synodi œcumenicæ, & ex ejuſdem Synodi ſententia ſynodicâ in octava collatione. Item ex Evagr. lib. 4. hiſt. Eccleſ. capp. 36. & 37. & Niceph. Calliſt. lib. 17. hiſt. Eccl. capp. 26. 27. 28. & Liberat. breviar. capp. 23. & 24. & Anaſtaſio bibliothecario in vita Vigilii Papæ, & ex Conſtituto ipſius Vigilii de tribus capitulis, quod ipſo Concilii tempore conſcripſit; quod è bibliotheca Vaticana per Annales Cardinalis Baronii acceptum Severinus Binius ſubjunxit epiſtolis Vigilii, in ſecunda parte Tomi 2. Conciliorum, edit. Colon. & tom. 4. edit. Pariſ. Item ex ejuſdem Binii notis in vitam Vigilii ab Anaſtaſio ſcriptam, & notis in Concilium œcumenicum quintum, Item ex S. Cyrilli Alexandrini epiſtola ad clericos & Lamponem presbyterum. & ex epiſtola Rabbulæ Epiſcopi Edeſſeni ad S. Cyrillum. Item ex libellis qui tranſmiſſi ſunt ab Epiſcopis, & Clericis, & Monachis, & cæteris magnæ Armeniæ & Perſidis & aliis gentibus, Proclo ſanctiſſimo Epiſcopo Conſtantinopolitanæ civitatis. prout exſtant illæ Cyrilli & Rabbulæ epiſtolæ unà cum excerptis ex memoratis libellis, in Collatione quartâ quinti Concilii œcumenici. Item ex fragmentis quæ ex variis deſumta autoribus, & res in quinto œcumenico Concilio geſtas declarantia, exſtant in editione Biniana ſtatim poſt octavam Collationem quinti Concilii.

7. Obſervant autem & citant in collatione quintâ Patres quinti Concilii œcumenici, hæc (ad Theodoſium Imp. ſcripta) S. Cyrilli Alexandrini verba, Theodorus quidam fuit, & ante eum Diodorus: hic quidem Tarſi civitatis, ille verò Mopſueſtiæ. Iſti Neſtorii impietatis Patres fuerunt. In ſuis enim libris, quos compoſuerunt, immaniter blaſphemaverunt contra Chriſtum omnium noſtrûm Salvatorem, neſcientes ipſius myſterium. Voluit igitur impius Neſtorius, quæ ſunt illorum, in medium proferre, & expulſus eſt à Deo de ſacra aula. Hæc ibi Cyrillus.

8. Quamvis autem Theodorum Aſcidam Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopum, Origenis & Origeniſtarum fautorem ac defenſorem fuiſſe, ſcribat Liberatus Carthaginenſis Eccleſiæ diaconus: eodemque permovente Theodoro dilatam eſſe in quinta Synodo quæſtionem de Origeniſtis, & ad tria capitula primum dijudicanda Patres ſe contuliſſe ſcribant Evagrius & Nicephorus Calliſti. Utrique tamen relationi repugnare videntur ipſius Theodori Aſcidæ verba in quinta Synodo œcumenica, Collatione quintâ ubi memoratus Theodorus Epiſcopus Cæſareæ Cappadociæ, & Joannes Epiſcopus Nyſſæ, & Baſilius Epiſcopus novæ Juſtinianopoleos, in ſynodo ſurgentes, ut hæreticos in hæreſi jam mortuos jure anathematizari oſtendant, argumentantur etiam ab exemplo Origenis, & ab hoc ipſius quintæ Synodi decreto contra Origenem ſancito. Et multos (*inquiunt*) etiam alios invenimus poſt mortem anathematizatos. Nec non etiam Origenem, & ſi ad tempora Theophili ſanctæ memoriæ, vel ſuperiùs aliquis recurrerit, poſt mortem inveniet anathematizatum: quod etiam nunc in ipſo fecit & veſtra ſanctitas, & Vigilius religioſiſſimus Papa antiquioris Romæ. Hæc ibi Theodorus Epiſcopus Cæſarienſis, cum Joanne & Baſilio. Unde conſtat Theodorum damnationi Origenis conſenſiſſe, eamque approbâſſe, & priùs damnatum eſſe à quintæ Synodi Patribus Origenem ejuſque ſequaces, quàm perventum ſit ad examen trium capitulorum.

9. Et hoc quidem affirmat etiam Liberatus in breviario, cap. 23. ubi ait, damnationi Origenis ſubſcripſiſſe Mennam Archiepiſcopum Conſtantinopolitanum, alióſque Conſtantinopoli repertos Epiſcopos. Deinde eam in Origenem ſcriptam anathematis damnationem directam eſſe Vigilio Romano Epiſcopo, & Zoilo Alexandrino, & Euphremio Antiocheno, & Petro Hieroſolymitano: eiſque eam accipientibus & ſubſcribentibus, Origenem damnatum eſſe mortuum, qui vivens olim fuerat ante damnatus. De qua damnatione ait, [cap. 24.] Theodorum Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopum ita doluiſſe, ut dolore damnationis ejus, ad Eccleſiæ conturbationem, damnationem molitus ſit in Theodorum Mopſueſtenum, eo quòd Theodorus multa opuſcula edidiſſet contra Origenem, &c. ubi pluribus invehitur contra Theodorum Cæſarienſem & trium capitulorum, præſertim Theodori Mopſueſteni, defenſionem non obſcurè profitetur Liberatus. ac propterea non immerito ſuſpecta eſſe poteſt ejus de Theodoro Cæſarienſi relatio.

10. Fieri etiam potuit, ut ſparſa hæc à Theodori Cæſarienſis adverſariis fama poſteriores

ſcriptores



ſcriptores Evagrium & Nicephorum in errorem induxerit. Ipſe Liberatus ait, Theodorum Cæſarienſem ſub nomine Catholico Acephalis ſtuduiſſe. Unde patet Theodorum nullius hæreſeos apertam defenſionem ſuſcepiſſe. Quod autem eum diffamare conetur Liberatus tanquam ſecta Acephalum, & ſub nomine Catholico Acephalis ſtudentem, nihil per hoc decedet exiſtimationi Theodori apud cordatum lectorem, qui ſatis ſciat totam quintam Synodum, omneſque eam recipientes, iſta falſa ſuſpicione & calumniâ impetitos & oneratos eſſe à defenſoribus trium capitulorum. Vide Iſidor. Hiſpal. de viris illuſtribus, cap. 4.

11. Veriſimilius eſt autem, (ut hiſtoricorum relationes cum actis Synodi exſtantibus conciliemus) Theodorum Cappadocem Monachorum ab Euſtochio expulſorum querelam & lamentationem Imperatori notam feciſſe, hortatumque eſſe, ut indicto Conventu Eccleſiaſtico ſecundum æquitatem de ea cauſa ſtatueretur: & re diligenter inquiſitâ damnatum eſſe Origenem, ſedente Menna Patriarchâ. Poſtea autem præſidente Eutychio ſucceſſore Mennæ, ab eiſdem Patribus [etſi non omnibus] qui Origenem damnaverant, aliiſque in concilio œcumenico congregatis, damnata eſſe tria capitula, & poſt trium capitulorum damnationem repetitam eſſe & confirmatam illam Origenis ejuſque errorum damnationem.

De Vigilii autem Epiſcopi Romani conſtituto plura (Deo volente) monebimus infrà, cap. 27.

## CAPUT VIGESIMUM-QUINTUM.

*Sententia Synodica quinti œcumenici Concilii, de tribus capitulis, ex Collatione octava illius Concilii. cui ſententiæ ſubſcripſerunt centum ſexaginta quinque Epiſcopi, anno Dom. 453. & Imperii Juſtiniani ſenioris, anno 27.*

*Matth. 25.*

MAgno Deo & Salvatore noſtro Jeſu Chriſto, ſecundum parabolam in Evangeliis dictam, pro uniuſcujuſque viribus talenta diſtribuente, & operam eorum opportuno tempore exigente, ſi is qui creditum ſibi unum talentum ſine diminutione ſervavit, eo quod non operatus eſt, & amplificavit hoc quod ſibi creditum eſt, condemnatur: quanto majori & horribili judicio ſubjacet, qui non ſolum de ipſo neglexerit, ſed etiam aliis ſcandali & perturbationis cauſam præbuerit? cum ſit omnibus fidelibus manifeſtum, quod quando de fide ratio movetur, non ſolùm impius condemnatur, ſed etiam ille, qui poteſt quidem prohibere impietatem, negligit verò aliorum correptionem. Et nos igitur, quibus regere Eccleſiam Domini creditum eſt, timentes maledictionem, quæ imminet his qui negligenter opera Domini faciunt, feſtinamus bonum fidei ſemen purum conſervare ab impietatis zizaniis, quæ ad inimico inſeminantur. Quoniam igitur videbamus, quod Neſtorii ſequaces conati ſunt per Theodorum impium, qui Mopſueſtiæ fuit Epiſcopus, & impia ejus conſcripta, & inſuper per ea quæ impie Theodoretus conſcripſit, & per epiſtolam ſceleratam, quæ ab Iba dicitur ad Marim Perſam ſcripta eſſe, ſuam impietatem Dei Eccleſiæ applicare: ideo ad eorum quæ movebantur, correctionem ſurreximus, & pro Dei voluntate, & juſſione piiſſimi Imperatoris vocati, ad hanc regiam urbem convenimus.

2. Et quia contingit Vigilium religioſiſſimum in hac regia urbe degentem, omnibus intereſſe quæ his tribus capitulis annotata ſunt, & tam ſine ſcriptis, quàm in Scripturis ea ſæpius condemnâſſe, poſtea tamen & conſenſit in ſcriptis in Concilio convenire, & diſceptare unà nobiſcum de his tribus capitulis, ut definitio communiter ab omnibus nobis præbeatur fidei rectæ conveniens; piiſſimus Imperator ſecundum quod inter nos placuit, tam ipſum quàm nos hortatus eſt communiter convenire, eo quòd Sacerdotes decet, communibus quæſtionibus finem communem imponere. Unde neceſſariò petivimus ipſius reverentiam, ſcriptas ſuas promiſſiones adimplere. Nec enim juſtum eſſe, amplius ſcandalum pro tribus iſtis Capitulis creſcere, & Dei Eccleſiam conturbari. Et pro his ad memoriam ejus perduximus magna illa Apoſtolorum exempla, & Patrum traditiones. Licet enim ſancti Spiritûs gratia & circa ſingulos Apoſtolos abundaret, ut non indigerent alieno conſilio ad ea quæ agenda erant; non tamen aliter voluerunt de eo quod movebatur, ſi oporteret gentes circumcidi, definire, priuſquam communiter congregati, divinarum ſcripturarum teſtimoniis unuſquiſque ſua dicta confirmaverunt.

3. Unde communiter de eo ſententiam protulerunt, ad gentes ſcribentes, Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis, nihil aliud imponere vobis oneris, præterquam neceſſaria, ut abſtineatis ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione. *Act. 15, 28.*

4. Sed & ſancti Patres, qui per tempora in ſanctis quatuor Conciliis convenerunt, antiquis exemplis utentes, communiter de exortis hæreſibus & quæſtionibus diſpoſuerunt, certo conſtituto, quod in communibus diſceptationibus, cum proponuntur quæ ex utraque parte diſcutienda ſunt, veritatis lumen tenebras expellit mendacii.

5. Nec enim poteſt in communibus de fide diſceptationibus aliter veritas manifeſtari, cum unuſquiſque proximi adjutorio indiget, ſicut in Proverbiis dicit Salomon: *Frater fratri adjutorium præſtans exaltabitur ſicut civitas munita; valet verò ſicut regnum fundatum*: Et iterum in Eccleſiaſte dicit: *Optimi duo quam unus, quibus eſt merces bona in labore ipſorum.* Sed etiam ipſe Dominus dicit: *Amen dico vobis, ſi duo ex vobis convenerint ſuper terram, de omni re quamcunque petierint, continget illis à Patre meo qui in cælis eſt. ubicunque enim fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis ſum in medio ipſorum.* *Prov. 18, 19. Eccleſ. 4. 9. Matth. 18, 19. 20.*

*Recuſat Vigilius intereſſe Concilio.*

6. Cum autem ſæpius & à nobis omnibus invita-

tis, & inſuper glorioſiſſimis Iudicibus miſſis ad ipſum à piiſſimo Imperatore, promiſit, per ſe ipſum de iiſdem tribus capitulis ſententiam proferre: hujuſmodi reſponſo audito, Apoſtoli nos admonitiones in corde habentes, quod unuſquiſque pro ſe rationem reddet Deo, timentes autem & judicium imminens eis, qui vel unum ex minimis ſcandalizant, quanto magis Imperatorē ita Chriſtianiſſimum, & populos & Eccleſias totas, & quod dictum à Deo ad Paulum: *Ne timeas ſed loquere, & ne taceas, quoniam ego ſum tecum, & nemo poterit nocere tibi:* congregati ante omnia compendioſe confeſſi ſumus fidem illam tenere, quam Dominus noſter Jeſus Chriſtus verus Deus tradidit ſanctis ſuis Apoſtolis, & per eos ſanctis Eccleſiis, & qui poſt illos fuerunt ſancti Patres & doctores Eccleſiæ, creditis ſibi populis tradiderunt. Tenere autem & ſervare & prædicare ſanctis Eccleſiis confeſſi ſumus hanc fidei confeſſionem, quam latius expoſuerunt trecenti decem & octo ſancti Patres Nicææ congregati, qui ſanctum Mathema ſive ſymbolum tradiderunt: inſuper autem & centum quinquaginta in Conſtantinopoli collecti expoſuerunt, qui eandem fidei confeſſionem ſequuti ſunt & eam explanaverunt: & ducentorum ſanctorum Patrum prius Epheſi collectorum pro eadem fide conſenſum: & quæ à ſexcentis triginta Chalcedone congregatis definita ſunt pro una eademque fide, quam & ipſi ſequuti prædicaverunt. Eos autem, qui pro tempore condemnati vel anathematizati à Catholica Eccleſia & prædictis quatuor Conciliis ſunt, confeſſi ſumus condemnatos & anathematizatos habere.

*Rom. 14. 12. Matth. 18, 6. Scandalizant.*

*Act. 18, 9.*

*Forgiſt Synodus ſine Vigilio.*

7. Cumque hæc ita confeſſi ſumus; initium fecimus examinationis trium capitulorum: & propoſuimus prius de Theodoro Mopſueſteno: & cum in medio prolatæ ſunt blaſphemiæ codicibus inſertæ, mirati ſumus Dei in his patientiam, quod non divino igni ſtatim incenſa eſt lingua & mens, quæ hæc cruſtavit. Et nunquam conceſſiſſemus procedere lectorem prædictarum blaſphemiarum, pro ſola memoria illarum indignationem Dei timentes, (utpote unaquaque blaſphemia magnitudine impietatis antecedentem ſuperante, & mentem auditoris funditus permovente) niſi eos qui talibus blaſphemiis gloriantur, videremus indigere confuſione per manifeſtationem earum iis inferenda: ut nos omnes zelo blaſphemiarum contra Deum expoſitarum incenſi, & in medio lectionis & poſt ipſam, inclamationes & anathematiſmos contra Theodorum ut viventem & præſentem faceremus; propitius ſis Domine, dicentes; nec Dæmones auſi ſunt talia contra te loqui.

*Primum capitulum. Atrocitas blaſphemiarum Theodori Mopſueſteni.*

8. O intolerabilem linguam illam! O pravitatem viri! O altam illam manum, quam extendit contra Creatorem ſuum! Scripturas ſcire miſer ille pollicitus, non meminit Oſeæ Prophetæ dicentis, *Væ illis, quoniam exſilierunt à me: famoſi facti ſunt, quoniam impii fuerunt in me, iniqua locuti ſunt adverſus me, & adverſum me excogitantes loquuti ſunt peſſima. ideo cadent in frameam propter improbitatem linguæ ſuæ. hic contemptus eorum in ſinu eorum: quia tranſierunt teſtamentum meum, & adverſus legem meam impie egerunt.* Illis Theodorus impius merito ſubjicitur. Prophetias enim, quæ de Chriſto ſunt, rejiciens, feſtinavit diſpenſationis pro noſtra ſalute magnum myſterium, quantum ad ſe pertinet, reprobare: fabulas tantummodo ad riſum propoſitas gentibus divina eloquia, multis modis conatus oſtendere; & contempſit tam alias Propheticas pronunciationes contra impios factas, & quod dixit divinus Habbacuc de his qui mendaciter docent: Væ qui adæquat proximum ſibi everſione turbata, & inebriat eum, ut inſpiciat ſpeluncas eorum: id eſt, tenebroſas & omnino à luce alienas doctrinas eorum.

*Oſe. 7, 13.*

*Oſe. 8, 1.*

*Hab. 2, 15. ſec. LXX.*

9. Et quid oportet multa dicere? liceat volentibus codices impii Theodori præ manibus accipere, vel quæ ex impiis codicibus ejus, geſtis apud nos habitis inſerta ſunt, impia capitula; & invenire nimiam inſaniam, & nefanda illa quæ dixit. Ulterius enim procedere, & iterum memoriā repetere nefanda illa veremur. Recitata nobis ſunt & quædam à ſanctis Patribus contra illum & omnes hæreticos ſuperantem ejus inſaniam conſcripta, & inſuper hiſtoriæ, & leges imperiales, illius impietatem ab initio divulgantes.

10. Et quoniam poſt hæc omnia, impietatis illius defenſores, injuriis contra Creatorem ſuum dictis gloriantes, dicebant non oportere eum poſt mortem anathematizare, licet cognoſceremus Eccleſiaſticam de impiis traditionem, quod & poſt mortem hæretici anathematizantur; tamen neceſſarium putavimus & de hoc perſcrutari, & fertur in geſtis, quomodo diverſi hæretici & poſt mortem anathematizati ſunt: & per multa manifeſtatum eſt apud nos, quod qui hæc dicunt, nullam curam Dei judicatorum faciunt, nec Apoſtolicarum pronunciationum, nec Paternarum traditionum. Libenter utique interrogemus eos, quid dicant de Domino dicente de ſe ipſo: *Qui crediderit in eum, non judicatur: Qui autem non crediderit in eum, jam judicatus eſt, quia non crediderit in nomine unigeniti Filii Dei.* & Apoſtolo clamante; *Licet nos, aut Angelus de cœlo Evangelizaverit vobis, præterquam evangelizavimus vobis; anathema ſit! ſicut prædiximus & nunc iterum dico: ſi quis vobis evangelizaverit præterquam quod accepiſtis, anathema ſit.* Domino enim, quod jam judicatus eſt, dicente, & Apoſtolo etiam Angelos, ſi docerent præter quod evangelizati ſumus, anathematizante, quomodo præſumunt dicere, qui omnia audent, de vivis tantummodo hæc dicta eſſe, aut ignorant, magis autem ſcientes ignorare confingunt, quod judicium anathematis nihil aliud eſt, niſi ſeparatio à Deo. Quòd impius, licet non verbo ab aliquo ſuſcepiſſet, tamen anathema ſe ipſa ſibi infert, per ſuam impietatem ſemetipſum à vera vita ſeparans. Quid autem dicunt & ad Apoſtolum iterum dicentem; hæreticum hominem poſt unam & ſecundam correctionem evita, ſciens quoniam perverſus eſt hujuſmodi homo, & peccat, & eſt à ſemet-ipſo damnatus!

*Hæreticos etiam poſt mortem anathematizandos.*

*Joan. 3, 18.*

*Gal. 1, 8. 9.*

*Tit. 3, 10.*

11. Quibus conſonantia ſanctæ memoriæ Cyrillus in libris, quos contra Theodorum ſcripſit, ita dicit: Evitandi ſunt illi, qui tam peſſimis culpis detinentur, ſive in vivis ſunt, ſive non; à nocente enim ſemper refugere neceſſarium eſt, & non ad perſonam magis reſpicere, ſed ad hoc quod Deo placet. Et iterum idem ſanctæ memoriæ Cyrillus ſcribens ad Joannem Epiſcopum Antiochiæ, & congregatam ibi Synodum, de Theodoro utpote una cum Neſtorio anathematizato, ita dicit: Erat igitur neceſſarium, claram propterea ducere feſtivitatem,



expulsâ certè omni voce à quocumque dictâ, quæ conſonat Neſtorii blaſphemiis. Proceſſit enim adverſus omnes qui eadem ſapiunt, vel ſapuerunt aliquando, quod abſolutè nos & veſtra ſanctitas dixit: anathematizamus illos, qui dicunt filios duos, & duos Chriſtos. Unus enim, ut dictum eſt, prædicatur à nobis & vobis Chriſtus & Filius & Dominus, unigenitus & homo, ſecundum vocem ſapientiſſimi Pauli. Sed etiam in epiſtola ad Alexandrum, & Martinianum, & Joannem, & Paregorium, & Maximum Presbyteros, & Patres Monachorum, & eos qui cum ipſis erant ſolitariam vitam exercentes, ita dicit: Jam quidem & ſancta Synodus Epheſi ſecundum Dei voluntatem congregata, contra Neſtorianam perfidiam juſta & ſubtili prolata ſententiâ, & aliorum vaniloquia, qui vel poſtea futuri ſunt, vel jam fuerunt, eadem illi ſapientes & dicere vel ſcribere tale aliquid præſumentes, unà cum ipſo condemnavit, æqualem condemnationem eos imponens. Conſequens enim erat, uno ſemel pro ſuis tam profanis vaniloquiis condemnato, non contra unum tantum venire; ſed (ut ita dicam) contra omnem eorum hæreſin, ſive calumniam quam fecerunt contra pia Eccleſiæ dogmata, duos colentes filios, & dividentes individuum, & anthropolatriæ crimen inferentes cœlo & terræ. Adorat enim nobiſcum ſupernorum ſpirituum ſancta multitudo unum Dominum Jeſum Chriſtum.

*1. Cor. 8, 6.*

*1. Tim. 2, 5.*

*Theodorus anathematizatus.*

12. Sed etiam Auguſtini religioſæ memoriæ, qui inter Africanos Epiſcopos ſplenduit, diverſæ epiſtolæ recitatæ ſunt, ſignificantes quod oportet hæreticos & poſt mortem anathematizare. Talem autem Eccleſiaſticam traditionem & alii Africani reverendiſſimi Epiſcopi ſervaverunt: ſed & Romana ſancta Eccleſia quoſdam Epiſcopos & poſt mortem anathematizavit, licet pro fide in vita ſua non eſſent accuſati: & utrumque apud nos habita geſta ſignificant.

13. Sed quoniam evidentiſſimè veritatem impugnantes Theodori & ipſius impietatis diſcipuli, quædam verba ſanctæ memoriæ Cyrilli & Procli proferre conantur, quaſi pro Theodoro ſcripta opportunum eſt propoſitis aptare verba Prophetæ dicentis: *quia recta ſunt viæ Domini, & juſti ambulant in eis: impii autem infirmabuntur in eis.* Nam & iſti male excipientes ea, quæ bene & opportunè à ſanctis iſtis Patribus ſcripta ſunt, & excuſantes excuſationes in peccatis, hæc verba proferunt. Apparent enim Patres non liberantes anathemate Theodorum, ſed diſpenſative talibus quibuſdam utentes verbis, propter defenſores Neſtorii & ejus impietatis, ut ab hujuſmodi errore eos abſtrahentes, ad perfectum deducerent, & docerent non ſolum diſcipulum impietatis Neſtorium addicere, ſed etiam doctorem ejus Theodorum. Itaque & in ipſis diſpenſationis verbis ſuam Patres intentionem oſtendunt de eo, quod oportet anathematizari Theodorum, ſicut per plurima in geſtis apud nos habitis demonſtratum eſt ex his, quæ ad condemnationem Theodori & ejus impietatis Cyrillus & Proclus ſanctæ memoriæ ſcripſerunt. Et talem diſpenſationem in divina Scriptura eſt invenire: ad hoc & Paulus Apoſtolus in principio prædicationis feciſſe oſtenditur, propter eos qui ex Hebræis erant, Timotheum circumcidens, ut per hanc diſpenſationem & condeſcenſionem ad perfectum eos deduceret. Unde poſtea interdicens circumciſionem, ad Galatas ita ſcripſit: *Ecce ego Paulus, dico vobis, quod ſi circumcidamini, Chriſtus vobis nihil prodeſt.* Invenimus autem & illud quod ſolent hæretici facere, & à Theodori defenſoribus factum. Quędam enim ex his quę S. Patres ſcripſerunt, circumcidentes, quædam verò falſa ex ſemetipſis componentes & confingentes, Cyrilli ſanctæ memoriæ epiſtolâ conabantur, quaſi ex teſtimonio Patrum, prædictum impium Theodorum anathemate liberare: in quibus & ipſis veritas demonſtrata eſt, his quidem quæ circumciſa erant, per ſequentium anteriorum & poſteriorum perlectis, mendacio autem falſitatis per collationem eorum quæ vera erant, per omnia convicto. In omnibus autem iſtis, qui talia vana loquuntur, ſecundùm quod ſcriptum eſt, *Confidunt falſis, & loquuntur vana: quia conceperunt dolorem & pariunt iniquitatem, telam araneæ texentes.*

*Pſal. 24, 8.*

*Act. 16, 3.*

*Gal. 5, 2.*

*Mos hæreticorum.*

*Eſai. 59.*

14. His ita de Theodoro & ejus impietate diſcuſſis, pauca & ex his quæ impiè à Theodorito conſcripta ſunt contra rectam fidem, & duodecim capitula ſancti Cyrilli, & contra Epheſinam primam Synodum, nec non quædam ad defenſionem Theodori & Neſtorii impiorum ab eo conſcripta, ad ſatisfactionem legentium in geſtis apud nos confectis recitari & inſeri perſpeximus, ut ſciant omnes, quod juſtè iſti ejiciuntur & anathematizantur. Tertio loco epiſtola, quam dicitur Ibas ad Marim Perſam ſcripſiſſe, ad examinationem propoſita, neceſſarium eſſe perſpeximus & eam recitari. Statim igitur ex ipſa lectione impietas ei inſerta omnibus manifeſtata eſt.

*Secundum Capitulum.*

*Tertium Capitulum.*

15. Et oporteret quidem, uſque adhuc quæſtione factâ, condemnationem & anathematiſmum prædictorum trium capitulorum facere: ſed quia Theodori & Neſtorii impiorum defenſores alio modo machinabantur confirmare eorum perſonas & impietatem, & dicebant iſtam impiam epiſtolam, quæ laudat & defendit Theodorum & Neſtorium, & eorum impietatem, ſuſceptam eſſe à ſancto Chalcedonenſi Concilio; neceſſarium eſſe putavimus per omnia oſtendere, liberam eſſe ſanctam Synodum ab impietate quę in epiſtola continetur, eo quòd, qui talia dicunt, non favore ſancti Concilii hoc faciunt, ſed ut per ejus nomen, ſuam impietatem confirmarent. Et oſtendebatur in geſtis, quod & anterioribus temporibus accuſatus eſt Ibas propter eandem impietatem, quæ & in epiſtola continetur. Primò quidem apud Proclum ſanctæ memoriæ Epiſcopum Conſtantinopolitanum, poſtea verò apud Theodoſium piæ recordationis, & Flavianum qui poſt Proclum Epiſcopus ordinatus eſt; qui & cauſæ examinationem delegaverunt Photio Epiſcopo Tyri, & Euſtathio Epiſcopo Berytiorum civitatis. Poſtea verò inculpatus idem Ibas, ab Epiſcopatu dejectus eſt. His ita ſubſequutis, quomodo præſumunt aliqui dicere, iſtam impiam epiſtolam ſuſceptam eſſe à ſancto Chalcedonenſi Concilio, eamque per omnia ſequutum eſſe ſanctum Chalcedonenſe Concilium? Tamen, ne quæcunque remaneret occaſio iis, qui tales calumnias applicant ſancto Chalcedonenſi Concilio, recitari perſpeximus ea, quæ apud ſanctas Synodos, Epheſinam primam, & Chalcedonenſem, pro epiſtolis ſanctæ memoriæ Cyrilli, & religioſæ memoriæ Papæ antiquioris Romæ Leonis mota ſunt. Et cum ex his accepiſſemus, quod non aliter oportet ſuſcipi quæ ab aliquo ſcribuntur, niſi prius rectæ fi-

*Regula in Synodo obſervata.*

dei ſanctorum Patrum conſonare demonſtrentur, interlocuti ſumus recitari & definitionem, quæ de fide expoſita eſt à ſancto Chalcedonenſi Concilio, ut conferantur quæ in epiſtola, & quæ in definitione continentur. Quo facto demonſtratum eſt, contrariam per omnia epiſtolam eſſe his quæ in definitione continentur. Nam definitio quidem conſonat his quæ judicata ſunt, pro una eademque fide tam à trecentis decem & octo ſanctis Patribus, quàm à centum quinquaginta, & his qui prius Epheſi convenerunt; impia autem epiſtola illa continet, quæ Theodorus & Neſtorius hæretici blaſphemaverunt, & defendit eos, & doctores ſibi adſcribit; ſanctos autem Patres hæreticos vocat. Et illud autem omnibus facimus manifeſtum, quod nec partes interlocutionum unius vel ſecundi, quibus utuntur Theodori & Neſtorii ſequaces, prætermittere ſuſtinuimus, ſed & iſtis, & aliis omnibus interlocutionibus in medio prolatis, & his quæ iis continentur conſideratis, invenimus quòd non aliter paſſi ſunt prædictum Jbam ſuſcipere, priuſquam exegiſſent eum Neſtorium, & impia ejus dogmata, quæ in epiſtola vindicantur, anathematizare. Et hoc fecerunt tam alii religioſi Epiſcopi prædicti ſancti Concilii, quàm illi duo, quorum interlocutionibus quidam uti conantur. Hoc enim & in Theodorito obſervaverunt, & exegerunt eum anathematizare ea, pro quibus accuſabatur. Si igitur Jbam non alio modo ſuſcipere ſuſtinuiſſent, niſi impietatem, quæ in epiſtola continetur, condemnâſſet, & ſubſcripſiſſet definitioni, quæ pro fide à ſancto Concilio data eſt, quomodo conatur dicere, ſuſceptam eſſe impiam epiſtolam ab eodem ſancto Concilio? *Quæ enim, ut verè dicamus, participatio eſt* 2. Cor. 6. 14. 15. 16. *juſtitiæ & iniquitatis? & quæ ſocietas eſt luci cum tenebris? quæ autem conventio eſt Chriſti cum Belial? aut quæ pars eſt fideli cum infideli? quæ autem eſt commixtio templo Dei cum idolis?*

16. Repetitis igitur omnibus quæ apud nos *Confeſſio.* acta ſunt, iterum confitemur, quod ſuſcipimus ſanctas quatuor Synodos, id eſt, Nicænam, Conſtantinopolitanam, Epheſinam primam, & Chalcedonenſem, & quæ pro una eademque fide definierunt, prædicavimus & prædicamus. Eos autem qui hæc non ſuſcipiunt, alienos Catholicæ Eccleſiæ judicamus, condemnamus autem & anathematizamus, unà cum omnibus aliis hæreticis, qui condemnati & anathematizati ſunt à prædictis ſanctis quatuor Conciliis, & à ſancta Catholica & Apoſtolica Eccleſiâ, & Theodorum qui Mopſueſtiæ Epiſcopus fuit, & impia ejus conſcripta; & quæ impiè Theodoritus conſcripſit contra rectam fidem & contra duodecim capitula ſancti Cyrilli, & contra Epheſinam primam Synodum, & quæ ad defenſionem Theodori & Neſtorii ab eo ſcripta ſunt. Super hæc anathematizamus & impiam epiſtolam, quam dicitur Jbas ad Marim Perſam ſcripſiſſe, quæ denegat Deum Verbum de ſancta Dei genetrice & ſemper Virgine Maria incarnatum, hominem factum eſſe; & ſanctæ memoriæ Cyrillum, qui rectè docuit, tanquam hæreticum & ſimiliter Apollinario ſcribentem, criminatur; & inculpat quidem Epheſinam primam Synodum, tanquam ſine examinatione & quæſtione Neſtorio ab ea depoſito, & duodecim dicti Cyrilli capitula impia & contraria rectæ fidei vocat; defendit autem Theodorum, & Neſtorium, & impia eorum dogmata & conſcripta. Prædicta igitur tria capitula anathematizamus, id eſt, Theodorum impium Mopſueſtenum cum nefandis ejus conſcriptis, & quæ impiè Theodoritus conſcripſit, & impiam epiſtolam quæ dicitur Jbæ, & defenſores eorum, & qui ſcripſerunt vel ſcribunt ad defenſionem eorum, vel recta ea dicere præſumunt, vel omnino impietatem eorum nomine ſanctorum Patrum, aut ſancti Chalcedonenſis Concilii defenderunt aut defendere conantur.

*Anathematizantur hæretici, & tria capitula.*

17. His itaque cum omni ſubtilitate diſpoſitis, in memoria tenentes promiſſiones de ſancta Eccleſia factas, & qui dixit, *Quod portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*, id eſt, hæreticorum mortiferæ linguæ; recordantes autem & quæ per Oſeam de ea prophetata ſunt, in quibus dicit: *Et ſponſabo te mihi in fide, & cognoſces Dominum*: hæreticorum quidem effrænatas linguas, & eorum impiiſſima conſcripta, & eoſdem ipſos hæreticos, qui uſque ad mortem in ſua impietate permanſerunt, Patri mendacii diabolo connumerantes, illis dicemus; *Ecce omnes vos ignem accenditis, & convaleſcere facitis flammam ignis: ambulabitis in lumine ignis veſtri, & per flammam quam accendiſtis*. Nos autem mandatum habentes, per doctrinam rectam exhortari populum, & loqui in Cor Hieruſalem, id eſt, Dei Eccleſiam, meritò ſeminare quidem in juſtitia feſtinamus, vindemiantes fructum vitæ, & illuminantes nobis ipſis lumen ſcientiæ ex divinis Scripturis, & Patrum doctrina, neceſſarium eſſe putavimus capitulis comprehendere, & prædicationem veritatis, & hæreticorum, nec non eorum impietatis condemnationem.

I. Si quis non confitetur Patris & Filii & Spiritûs Sancti unam naturam ſive ſubſtantiam, & unam virtutem & poteſtatem, Trinitatem conſubſtantialem, unam Deitatem in tribus ſubſiſtentiis ſive perſonis adorandam, talis anathema ſit. *Unus enim Deus & Pater, ex quo omnia; & unus Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia; & unus Spiritus Sanctus, in quo omnia.*

II. Si quis non confitetur Dei Verbi duas eſſe nativitates, unam quidem ante ſecula ex Patre ſine tempore incorporaliter; alteram verò in ultimis diebus ejuſdem ipſius qui de cœlis deſcendit, & incarnatus de ſancta glorioſa Dei genetrice & ſemper Virgine Maria, natus eſt ex ipſa, Talis anathema ſit.

III. Si quis dicit, alium eſſe Deum Verbum qui miracula fecit; & alium Chriſtum qui paſſus eſt, vel Deum Verbum cum Chriſto eſſe naſcente de muliere, vel in ipſo eſſe ut alterum in altero, & non unum eundemque Dominum noſtrum JeſumChriſtum Dei Verbum incarnatum & hominem factum, & ejuſdem ipſius miracula, & paſſiones quas voluntariè carne ſuſtinuit, talis anathema ſit.

IV. Si quis dicit: Secundum gratiam, vel ſecundum operationem, vel ſecundum dignitatem, vel ſecundum æqualitatem honoris, vel ſecundum auctoritatem, aut relationem, aut affectum, aut virtutem, [κατὰ χάριν, ἢ κατὰ ἐνέργειαν, ἢ κατὰ ἀξίαν, ἢ κατ' ἰσοτιμίαν, ἢ κατ' αὐθεντίαν, ἢ ἀναφορὰν, ἢ σχέσιν, ἢ δύναμιν] unitionem Dei Verbi ad hominem factam eſſe vel ſecundum bonam voluntatem, [ἢ κατ' εὐδοκίαν,] quaſi quod placuit Deo Verbo homo, eo quòd bene viſum eſt ei, de ipſo, ſicut Theodorus inſaniens dicit: vel ſecundum homonymiam, per quam Neſtoriani Deum Verbum



bum Filium & Chriſtum vocantes, & hominem ſeparatim [κεχωρισμένως] Chriſtum & Filium nominantes, & duas perſonas evidenter dicentes, per ſolam nominationem [κατὰ μόνην τὴν ὀνομασίαν,] & honorem & dignitatem, & adorationem, unam perſonam, & unum Filium & unum Chriſtum confingunt dicere: ſed non confitentur unitatem [ἕνωσιν] Dei Verbi ad carnem animatam animâ rationabili & intellectuali, ſecundum compoſitionem ſive ſecundum ſubſiſtentiam factam eſſe, ſicut ſancti Patres docuerunt, & ideo unam ejus ſubſiſtentiam compoſitam [μίαν αὐτοῦ τὴν ὑπόστασιν σύνθετον,] qui eſt Dominus noſter Jeſus Chriſtus, Unus de ſancta Trinitate, talis anathema ſit. Cum enim multis modis unitas intelligatur, qui impietatem Apollinarii & Eutychetis ſequuntur, interemtionem eorum quæ convenerunt, colentes, unitionem ſecundum confuſionem dicunt: Theodori autem & Neſtorii ſequaces, diviſione gaudentes, affectualem unitatem introducunt. Sancta Dei Eccleſia utriuſque perfidiæ impietatem rejiciens, unitionem Dei Verbi ad carnem ſecundum compoſitionem confitetur, quod eſt ſecundum ſubſiſtentiam. Unitio enim per compoſitionem in myſterio Chriſti non ſolum inconfuſè ea quæ convenerunt, conſervat, ſed nec diviſionem ſuſcipit.

V. Si quis unam ſubſiſtentiam Domini noſtri Jeſu Chriſti ſic intelligit, tanquam ſuſcipientem plurimarum ſubſiſtentiarum ſignificationem, & per hoc introducere conatur in myſterio Chriſti duas ſubſiſtentias, ſeu duas perſonas, & duarum perſonarum quas introducit, unam perſonam dicit ſecundum dignitatem, & honorem & adorationem, ſicut Theodorus & Neſtorius inſanientes conſcripſerunt, & calumniantur ſanctam Chalcedonenſem Synodum tanquam ſecundum iſtum impium intellectum unius ſubſiſtentiæ utentem vocabulo, ſed non confitetur Dei Verbum carni ſecundum ſubſiſtentiam unitum eſſe, & propter hoc unam ejus ſubſiſtentiam, ſeu unam perſonam, & ſic & ſanctum Chalcedonenſe Concilium unam ſubſiſtentiam Domini noſtri Jeſu Chriſti confeſſum eſſe, talis anathema ſit. Nec enim adjectionem perſonæ vel ſubſiſtentiæ ſuſcepit Sancta Trinitas ex incarnato uno de ſancta Trinitate Deo Verbo.

VI. Si quis abuſivè & non verè Dei Genetricem dicit ſanctam glorioſam ſemper Virginem Mariam, vel ſecundum relationem, quaſi homine puro nato, ſed non Deo Verbo incarnato & nato ex ipſa, referendâ autem, ſicut illi dicunt, hominis nativitate ad Deum Verbum, eo quòd cum homine erat naſcente, & calumniatur ſanctam Chalcedonenſem Synodum, tanquam ſecundum iſtum impium intellectum, quem Theodorus execrandus adinvenit, Dei Genetricem Virginem dicentem, vel qui hominis genetricem vocat, aut Chriſtotocon, id eſt, Chriſti genetricem, tanquam ſi Chriſtus Deus non eſſet, & non propriè & verè Dei Genetricem ipſam confitetur, eo quòd ipſe qui ante ſecula ex Patre natus eſt Deus Verbum, in ultimis diebus ex ipſa incarnatus & natus eſt, & ſic piè & ſanctam Chalcedonenſem Synodum Dei Genetricem eam eſſe confeſſam, talis anathema ſit.

VII. Si quis in duabus naturis dicens, non ut in Deitate & humanitate, unum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, cognoſci confitetur, ut per hoc ſignificet differentiam naturarum, in quibus inconfuſè ineffabilis unitio facta eſt, neque Deo Verbo in carnis naturam tranſmutato, neque carne in Verbi naturam tranſducta, (manet enim utrumque hoc quod eſt natura, etiam factâ unitate ſecundum ſubſiſtentiam) ſed pro diviſione per partem, talem excipit vocem in myſterio Chriſti, vel numerum naturarum confitendo in eodem Domino noſtro Jeſu Chriſto Deo Verbo incarnato, non intellectu tantummodo differentiam excipit earum, ex quibus & compoſitus eſt, non interemtam propter unitatem (unus enim ex utroque, & per unum utraque) ſed in hoc numero utitur, ut ſeparatim unaquaque naturâ ſuam habente ſubſiſtentiam, talis anathema ſit.

VIII. Si quis ex duabus naturis Deitatis & humanitatis confitens unitatem factam eſſe, vel unam naturam Dei Verbi incarnatam dicens, non ſic ea excipit ſicut Patres docuerunt, quod ex divina natura & humana, unitione ſecundum ſubſiſtentiam factâ, unus Chriſtus effectus eſt, ſed ex talibus vocibus unam naturam ſive ſubſtantiam Deitatis & carnis Chriſti introducere conatur, talis anathema ſit. Secundùm ſubſiſtentiam enim dicentes unigenitum Deum Verbum carni unitum eſſe, non confuſionem aliquam naturarum in ſe invicem factam eſſe dicimus, ſed magis permanente utraque hoc quod eſt, unitum eſſe carni Deum Verbum intelligimus. Propter quod & unus eſt Chriſtus, Deus & homo, idem ipſe conſubſtantialis Patri ſecundùm Deitatem, & conſubſtantialis nobis idem ipſe ſecundùm humanitatem. æqualiter enim & eos qui per partem dividunt, vel incidunt, & eos qui confundunt divinæ diſpenſationis myſterium Chriſti, rejicit & anathematizat Dei Eccleſia.

IX. Si quis in duabus naturis adorari dicit Chriſtum, ex quo duas adorationes introducunt, ſeparatim Deo Verbo, & ſeparatim homini: vel ſi quis ad interemtionem, vel ad confuſionem Deitatis & humanitatis, unam naturam ſive ſubſtantiam eorum quæ convenerunt, introducens, ſic Chriſtum adorat, ſed non unà adoratione Deum Verbum incarnatum cum propria ipſius carne adorat, ſicut ab initio Dei Eccleſiæ traditum eſt, talis anathema ſit.

X. Si quis non confitetur Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui crucifixus eſt carne, Deum eſſe verum, & Dominum gloriæ, & unum de ſancta Trinitate, talis anathema ſit.

XI. Si quis non anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarium, Neſtorium, Eutychen, Origenem, cum impiis eorum conſcriptis, & alios omnes hæreticos, qui condemnati & anathematizati ſunt à ſancta Catholica & Apoſtolica Eccleſiâ, & à prædictis ſanctis quatuor Conciliis, & eos qui ſimilia prædictis hæreticis ſapuerunt vel ſapiunt, & uſque ad mortem in ſua impietate permanſerunt, vel permanent, talis anathema ſit.

XII. Si quis defendit impium Theodorum *Specimen impiæ doctrinæ Theodori Mopſueſteni.* Mopſueſtenum, qui dixit alium eſſe Deum Verbum, & alium Chriſtum à paſſionibus animæ & deſideriis carnis moleſtias patientem, & à deterioribus paullatim recedentem, & ſic ex profectu operum meliorum, & à converſatione immaculatum factum, & tanquam purum hominem baptizatum eſſe in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti; & per baptiſma Sancti Spiritûs gratiam accepiſſe, & filiationem meruiſſe, & ad ſimilitudinem imperialis imaginis in perſona Dei

Verbi adorari, & poſt reſurrectionem immutabilem cogitationibus & impeccabilem omnino factum fuiſſe. Et iterum dixit idem impius Theodorus, Talem factam eſſe unitionem Dei Verbi ad Chriſtum, qualem dixit Apoſtolus de viro &
1. Cor. 6, 16. muliere, *erunt duo in carne una*. Et ſuper alias innumerabiles blaſphemias auſus eſt dicere, quòd poſt reſurrectionem, cum inſufflaſſet Dominus
Joh. 20, 22. diſcipulis, & dixiſſet, *Accipite Spiritum Sanctum*, non dedit eis Spiritum Sanctum, ſed figuratim tantummodo inſufflavit. Iſte enim & Confeſſio-
Verſ. 27. nem quam fecit Thomas, quum palpaſſet manus & latus Domini poſt reſurrectionem, dicens, Dominus meus & Deus meus, inquit non eſſe dictam à Thoma de Chriſto, nec enim dicit Theodorus Deum eſſe Chriſtum, ſed ad miraculum reſurrectionis ſtupefactum Thomam glorificaſſe Deum, qui Chriſtum reſuſcitavit. Et quod pejus eſt etiam in interpretatione, quam in Actis Apoſtolorum ſcripſit Theodorus, ſimilem fecit Chriſtum Platoni, & Manichæo, & Epicuro, & Marcioni, dicens, Quod ſicut illorum unuſquiſque ex dogmate quod invenit, ſuos diſcipulos fecit vocari Platonicos, & Manichæos, & Epicuræos, & Marcioniſtas; ſimili modo &, cùm Chriſtus dogma inveniſſet, ex ipſo Chriſtianos vocari. Si quis igitur defendit impium prædictum Theodorum, & impia ejus conſcripta, in quibus tam prædictas, quàm alias innumerabiles blaſphemias effudit contra magnum Deum & Salvatorem Jeſum Chriſtum, & non anathematizat eum, & impia ejus conſcripta, & omnes qui ſuſcipiunt vel defendunt eum, & dicunt orthodoxè eum expoſuiſſe; & qui ſcripſerunt pro eo, & eadem illi ſapuerunt, vel ſcribunt pro eo, vel impiis ejus conſcriptis, & eos qui ſimilia illi ſapiunt, vel aliquando ſapuerunt, & uſque ad mortem permanſerunt, vel permanent in tali impietate: talis anathema ſit.

Impia quædam Theodoriti ſcripta anathematizantur. XIII. Si quis defendit impia Theodoriti conſcripta, quæ contra rectam fidem, & contra primam Epheſinam ſanctam Synodum, & ſanctum Cyrillum & duodecim ejus capitula expoſuit, & omnia quæ conſcripſit pro Theodoro & Neſtorio impiis, & pro aliis qui eadem prædictis Theodoro & Neſtorio ſapuerunt, defendens eos & eorum impietatem, & propter hoc impios vocans Doctores Eccleſiæ, qui unitatem ſecundum ſubſiſtentiam Dei Verbi ad carnem confitentur, & non anathematizat ea, & eos qui ſimilia eis ſapuerunt, vel ſapiunt: inſuper autem & omnes qui ſcripſerunt contra rectam fidem, & ſanctum Cyrillum & duodecim ejus capitula, & uſque ad mortem in tali impietate permanſerunt: talis anathema ſit.

XIV. Si quis defendit epiſtolam, quam dicitur Ibas ad Marim Perſam hæreticum ſcripſiſſe, quæ abnegat quidem Deum Verbum de ſancta Dei Genetrice ſemper Virgine Mariâ incarnatum, hominem factum eſſe; dicit autem purum hominem ex ipſa natum eſſe, quem templum vocat, ut alius ſit Deus Verbum, & alius homo; & ſanctum Cyrillum qui rectam fidem Chriſtianorum prædicavit, tanquam hæreticum & ſimiliter Apollinario impio ſcripſiſſe criminatur, & inculpat primam Epheſinam ſanctam Synodum tanquam ſine examinatione & quæſtione Neſtorium condemnantem, & duodecim capitula ſancti Cyrilli impia & contraria rectæ fidei vocat eadem impia epiſtola, & defendit Theodorum & Neſtorium, & impia eorum dogmata & conſcripta. Si quis igitur memoratam impiam epiſtolam defendit, & non anathematizat eam, & defenſores ejus, & eos qui dicunt eam rectam eſſe, vel partem ejus, & eos qui ſcripſerunt vel ſcribunt pro ea, vel pro impietate quæ in ea continetur, & præſumunt eam defendere, vel inſertam ei impietatem nomine ſanctorum Patrum, vel ſancti Chalcedonenſis concilii, & in his uſque ad mortem permanent, talis anathema ſit.

Cum igitur hæc ita rectè confeſſi ſumus, quæ tradita nobis ſunt tam à divinis Scripturis, quàm à ſanctorum Patrum doctrinâ, & ab his quæ definita ſunt de una eademque fide, à prædictis ſanctis quatuor Conciliis, facta autem à nobis & condemnatione contra hæreticos & eorum impietatem, nec non etiam contra eos qui defenderunt, vel defendunt, prædicta impia tria capitula, & permanſerunt in ſuo errore, vel qui permanent: Si quis conatus fuerit contra hæc quæ piè diſpoſuimus, vel tradere, vel docere, vel ſcribere, ſi quidem Epiſcopus, vel clericus ſit: iſte tanquam aliena à ſacerdotibus & ſtatu Eccleſiaſtico faciens, denudabitur Epiſcopatu vel clericatu: Si autem Monachus vel laicus ſit, anathematizabitur.

Hactenus ſententia Concilii quinti œcumenici.

## CAPUT VIGESIMUM-SEXTUM.

*De erroribus Origenis, in quinta Synodo damnatis.*

ANte coactam ſynodum quintam, *Pelagius* diaconus & Apocriſarius [ἀποκρισιάριος] ſedis Romanæ, unà cum Menna Archiepiſcopo Conſtantinopolitano, flagitavit ab Imperatore Juſtiniano, ut damnaretur Origenes, & capitula de libris ejus à monachis quibuſdam Hieroſolymitanis hoc fine excerpta, ut publicâ auctoritate damnarentur. Jubente igitur Imperatore, dictata eſt in Origenem & illa capitula anathematis damnatio, & ſubſcripſerunt Mennas Patriarcha, & qui cum eo Conſtantinopoli reperti ſunt: deinde directa eſt Vigilio Romano Epiſcopo, Zoilo Alexandrino, Euphræmio Antiocheno, & Petro Hieroſolymitano; quibus eam accipientibus & ſubſcribentibus, Origenes damnatus eſt mortuus, qui vivus fuerat ante damnatus. Hæc refert Liberatus in breviario cap. 23.

Tractatus ille qui contra Origenem & nefaria ejus dogmata, juſſu & nomine Imperatoris Juſtiniani ſcriptus & ad Patriarcham Mennam miſſus, omniumque Patriarcharum aliorumque Epiſcoporum ſubſcriptionibus roboratus eſt, exſtat in fragmentis quintæ Synodi, in parte 2. tom. 2. Conciliorum, edit. Bin. Colon. & tom. 4. edit. Pariſ. pag. 341. & clauditur decem anathematiſmis contra Origenem ejuſque errores pronunciatis. Eundem verò tractatum à quinta Synodo ſuſceptum eſſe conſtat, ex Evagr. lib. 4. hiſt. Eccleſ. capp. 36. & 37. & Niceph. Calliſt. lib. 17. hiſt. Eccleſ. capp. 27. & 28. & ex eis quæ ſuprà commemoravimus in fine 24. capitis hujus libri, quæ autem refert illic Nicephorus de Origenis damnatione, ait, ſe ea ex commentariis ipſius ſynodi excerpſiſſe, & decem illos anathematiſmos hiſtoriæ ſuæ inſerit, eoſque ait ſynodum in Origenem contorſiſſe.



*Anathematiſmi, quibus errores Origenis in quinta œcumenica Synodo damnati ſunt. Prout exſtant in tractatu Juſtiniani Imperatoris contra Origenem, in fragmentis quintæ Synodi, & apud Nicephorum Calliſti, lib. 17. hiſtoriæ Eccleſ. cap. 28.*

I. Si quis dicit aut ſentit, præexſiſtere hominum animas, utpote quæ antea mentes fuerint, & ſanctæ virtutes, ſatietatemque cœpiſſe divinæ contemplationis, & in deterius converſas eſſe, atque idcirco refrixiſſe à Dei charitate, & inde ψυχὰς Græcè, id eſt, animas eſſe nuncupatas [ἀποψυγείσας τῆς τοῦ Θεοῦ ἀγάπης. ὅθεν καὶ ψυχὰς ὀνομασθείσας] demiſſaſque eſſe in corpora ſupplicii cauſſa: anathema ſit.

II. Si quis dicit aut ſentit, Domini animam prius extitiſſe, atque unitam fuiſſe Deo Verbo ante incarnationem & generationem ex Virgine: anathema ſit.

III. Si quis dicit aut ſentit, primùm conformatum eſſe corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti in utero B. Virginis, ac poſtea unitum eſſe ei Deum Verbum, & animam utpote quæ antea fuiſſet [ὡς προϋπάρξασαν] anathema ſit.

IV. Si quis dicit aut ſentit, omnibus cœleſtibus ordinibus aſſimilatum eſſe Deum Verbum, Cherubinque factum eſſe ipſis Cherubim, & Seraphim ipſis Seraphim, ac omnibus planè ſupernis virtutibus [δυνάμεσι] ſimilem eſſe factum: anathema ſit.

V. Si quis dicit aut ſentit, in reſurrectione corpora hominum orbiculata [σφαιροειδῆ] ſuſcitari, nec confitetur nos ſuſcitari rectos [ὀρθοὺς] anathema ſit.

VI. Si quis dicit, Cœlum & Solem, & Lunam & Stellas, & aquas quæ ſuper cœlos ſunt, animatas & materiales quaſdam eſſe virtutes: anathema ſit.

VII. Si quis dicit aut ſentit, Dominum Chriſtum in futuro ſeculo crucifixum iri pro dæmonibus, ſicuti & pro hominibus: anathema ſit.

VIII. Si quis dicit aut ſentit, vel finitam eſſe Dei poteſtatem, vel eum tanta feciſſe quanta comprehendere potuit: anathema ſit.

IX. Si quis dicit aut ſentit, ad tempus eſſe Dæmonum & impiorum hominum ſupplicium, ejuſque finè aliquando futurum, ſive reſtitutionem [ἀποκατάστασιν] fore dæmonum, aut impiorum hominum: anathema ſit.

X. Anathema & Origeni qui & Adamantius, qui hæc expoſuit, unà cum nefariâ atque execrabili ſceleſtâque ejus doctrinâ, & cuivis qui ea ſentiat aut defendat, aut ullo modo prorſus quocunque tempore tueri præſumat.

## CAPUT VIGESIMUM-SEPTIMUM.

*Antitheſes conſtituti Vigiliani, & quintæ ſynodi, de tribus capitulis. cum auctario ex Gelaſio & Iſidoro.*

1. VIgilius Papa Romanus in ſuo Conſtituto, ut probet Theodorum Mopſveſtenum jam mortuum non eſſe anathematizandum, neque mortuos eſſe anathemate damnandos, citat acta ſynodi Epheſinæ, item epiſtolam quandam B. Cyrilli Epiſcopi Alexandrini, & epiſtolam Procli Epiſcopi Conſtantinopolitani, & epiſtolam Leonis Papæ Romani; his & aliis allegationibus fretus, concludit non licere Theodorum Mopſveſtenum jam damnare, quippe in pace Eccleſiaſticâ defunctum.

At contra, Synodus, collatione quinta, docet confictam allegari Cyrilli epiſtolam à defenſoribus Theodori; item damnatum eſſe Theodorum in univerſali ſynodo Epheſina. Et verba Cyrilli contra Synuſiaſtas ſcripta perperam in alienum ſenſum detorqueri. dicit enim Cyrillus, quod ſine cauſſa quidem fieri adverſus defunctos non oportet [*utor verbis ſynodicis*] ne inimicitiæ hoc eſſe videatur: dogmaticâ verò propoſita quæſtione. licet defuncti ſint illi, de quibus dicitur quid tale, non oportet tacere, ſed convincere illa, quæ malè illi dixerunt. Oſtendunt ibidem Patres ſynodici Cyrillum & Proclum ſcripſiſſe contra Theodorum jam mortuum, eumque Judæis & Paganis & Sodomitis & hæreticis connumeraſſe. & quod dicitur à quibuſdam (inquiunt Patres ſynodici) quod in communicatione & pace Eccleſiarum defunctus eſt Theodorus, mendacium eſt, & calumnia magis, adverſus Eccleſiam. Ille enim in communicatione & pace Eccleſiarum defunctus eſt, qui uſque ad mortem recta Eccleſiæ dogmata & ſervavit, & prædicavit. Et in fine collationis quintæ; Sancta ſynodus exclamavit de ſymbolo Theodori Mopſveſteni, hoc ſymbolum Epheſina prima ſynodus unà cum auctore ejus anathematizavit. Anathema Theodoro Mopſveſteno. anathema illis, qui non anathematizant eum. Defenſores ejus, Judæi ſunt: ſequaces ejus, Pagani ſunt. Et collatione octavâ, in ſynodica ſententia, ſic loquuntur Patres; Sed quoniam evidentiſſimè veritatem impugnantes Theodori & ipſius impietatis diſcipuli, quædam verba ſanctæ memoriæ Cyrilli & Procli proferre conantur, quaſi pro Theodoro ſcripta, opportunum eſt propoſitis aptare verba Prophetæ dicentis: *quia recta ſunt viæ Domini, & juſti ambulant in eis, impii autem infirmabuntur in eis.* Nam Ose. 14, 8.
& iſti malè excipientes ea, quæ benè & opportunè à ſanctis iſtis Patribus ſcripta ſunt, &c — invenimus autem & illud quod ſolent hæretici facere, & à Theodori defenſoribus factum, quædam enim ex his quæ ſancti Patres ſcripſerunt, circumcidentes; quædam verò falſa ex ſemetipſis componentes & confingentes, &c. quam imperitè autem Leonis teſtimonium citaverit Vigilius, patet ex epiſtola Pelagii Papæ ſecundi ad Eliam Epiſcopū Aquilejenſem, cap. 9. Vide infra, cap. 28. §. 12.

2. Alia

2. Alia antitheſis eſt. Reſtitit Vigilius damnationi ſcriptorum Theodoreti, dicens non convenire, imo ſtatuens ut non fiat illa damnatio, aſſerens hoc eſſe ex mente Patrum.

Synodus contrarium ſtatuit, ſuprà, cap. 25. videatur epiſtola Pelagii Papæ ſecundi ad Eliam Aquilejenſem.

3. Accipe adhuc aliam antitheſin: Vigilius Ibæ epiſtolam, tanquam orthodoxam, defendere conatur, citatione aliquod ſuffragiorum ex Concilio Chalcedonenſi, in fine ſui conſtituti.

At contra, Synodus, in collatione ſexta, hanc ipſam ob cauſam Vigilium clamat eſſe hæreticum, & Chalcedonenſi ſynodo injurium: quoniam (inquit) piiſſimus Imperator his quæ ad nos ſcripſit, & hoc adjecit, quod vindicare quidam conantes epiſtolam quam Ibas ſcripſiſſe dicitur, præſumunt dicere ſuſceptam eam eſſe à ſancto Chalcedonenſi Concilio, verbis uſi unius vel duorum religioſiſſimorum epiſcoporum, qui in eodem Concilio convenerunt, quaſi pro eadem epiſtola dicta, cum alii omnes non ejuſdem facti ſint voluntatis: neceſſarium eſſe putamus, recitationem epiſtolæ fieri. *& factâ epiſtolæ collatione cum definitione Chalcedonenſis ſynodi*, omnes Epiſcopi exclamaverunt, Epiſtola hæretica eſt. Epiſtolam quæ dicitur Ibæ, omnes condemnamus. Iſtam omnes anathematizamus, epiſtola aliena ſynodo eſt, epiſtola contraria definitioni eſt, tota epiſtola hæretica eſt, tota epiſtola blaſphema eſt. Qui hanc non anathematizat, hæreticus eſt. Qui iſtam ſuſcipit, hæreticus eſt. Epiſtolam definitio ſancti Chalcedonenſis Concilii condemnavit. Qui eam ſuſcipit, non confitetur Deum Verbum hominem factum eſſe. Qui eam ſuſcipit, Cyrillum non ſuſcipit. Definitio Chalcedonenſis Concilii epiſtolam quæ Ibæ dicitur ejecit. Qui non anathematizat epiſtolam, Chalcedonenſem ſynodum injuriat. Item in ſententia ſynodica, Collat. 8. Sed quia (inquiunt) Theodori & Neſtorii impiorum defenſores alio modo machinabantur confirmare eorum perſonas & impietatem, & dicebant iſtam impiam epiſtolam, quæ laudat & defendit Theodorum & Neſtorium, & eorum impietatem ſuſceptam eſſe à ſancto Chalcedonenſi concilio [*& quæ ſequuntur, prout invenies ſuprà, cap. 25. §. 15.*]

4. Quamvis Pelagius ſecundus & Gregorius primus Pontifices Romani, quintæ ſynodi defenſores, ut ſchiſmaticos placarent, ſcripſerint, tantùm de perſonis in quinta ſynodo actitatum; non tamen ita ſunt eorum dicta intelligenda, ac ſi omnis illa actio de ſolis fuiſſet perſonis, non autem de dogmatibus. Nam etſi non eſt in controverſiam vocata ſynodi Chalcedonenſis de fide definitio, ſicut rectè contenderunt Pelagius & Gregorius; ſunt tamen examinata quædam dogmatica ſcripta, & quæſtiones quædam dogmaticæ agitatæ. Quæſitum enim. 1. *Vtrum mortuos anathematizare liceret. 2. Vtrum in hæreticis pravitatibus mortui, ſi perſonalem evaſiſſent viventes cenſuram, cenſendi eſſent deceſſiſſe in communicatione & pace Eccleſiæ. 3. Vtrum illa Ibæ epiſtola eſſet hæretica nec ne, adeoque utrum eſſet orthodoxa nec ne. 4. Vtrum illa Theodoreti ſcripta, quæ adverſus capitula Cyrilli & primam Epheſinam ſynodum ſcripſit, explodenda eſſent atque damnanda, tanquam impia & hæretica; an verò abſque periculo retineri poſſent.*

Vide cap. 25. §. 1.

His acceſſerunt quæſtiones hiſtorico-dogmaticæ de mente Patrum & Conciliorum: nempe de mente Cyrilli & Procli & Leonis, & Conciliorum Epheſini & Calcedonenſis. in quibus omnibus quæſtionibus definitio quinti Concilii ex diametro repugnavit conſtituto Vigilii.

5. Ad hæc non levem fuiſſe inter ſynodum & Vigilium diſſenſionem de contumaci ejus à ſynodo abſentiâ, quam Patres divinæ inſtitutionis contemptum cum impio ſcandalo conjunctum interpretati ſunt, patet ex præfatione ſententiæ ſynodicæ. ſupra, cap. 25.

6. Denique Patres, perpenſis omnibus Vigilii rationibus & allegationibus, tria capitula damnaverunt. ſuam autem definitionem atque anathematiſmos hac ſanctione clauſerunt: Cum igitur (*inquiunt*) hæc ita rectè confeſſi ſimus &c. [extat hæc concluſio ſupra in fine capitis vigeſimi quinti.]

7. Hac concluſione Vigilius, ob eas quas memoravimus obſtinatas contradictiones, decundatus eſt Epiſcopatu: & Imperatoris mandato poſtea relegatus eſt, donec veritati & Eccleſiaſticæ autoritati debitum obſequium exhiberet.

8. Iſidorus Hiſpalenſis, erga quintam ſynodum iniquior, laudat Theodorum Mopſueſtenum, & Patres ſynodicos qui illum damnarunt, vocat Acephalorum Epiſcopos, lib. de viris illuſtribus, cap. 4. & de non ferenda de mortuis ſententia, adducit verba Ferrandi, eodem lib. cap. 12. Ferrandus Carthaginenſis Eccleſiæ diaconus (verba hæc ſunt Iſidori) multum in ſacris ſcripturis floruiſſe aſſeritur, multaſque cum beato Fulgentio propoſitiones alternis epiſtolis habuiſſe narratur. Iſte ad Pelagium & Anatoliū Romanos diaconos conſulentes eum, utrum liceat quenquam damnare poſt mortem, edidit reſcriptum, ubi inter alia ſic loquutus eſt, dicens; *quid prodeſt dormientibus Eccleſiam perturbare? Si quis adhuc in corpore mortis hujus accuſatus & damnatus, antequam moreretur abſolvi, de Eccleſia raptus eſt; abſolvi non poteſt humano judicio. Si quis accuſatus & abſolutus in pace Catholicæ Eccleſiæ tranſivit ad Deum, condemnari non poteſt ulterius humano judicio. Si quis accuſatus, ante diem ſacri examinis, repentinâ vocatione præventus eſt, intra ſinum matris Eccleſiæ conſtitutus, divino intelligendus eſt judicio reſervari, & de hoc nullus homo poteſt manifeſtam proferre ſententiam, cui ſi Deus indulgentiam dedit, nihil nocet noſtra ſeveritas, ſed ſi ſupplicium præparavit, nihil prodeſt noſtra benignitas.* Hæc Ferrandus, apud Iſidorum, loco jam citato. Idipſum Gelaſius, hujus nominis primus, Papa Romanus, ſenſiſſe invenitur. Nam de Acacio tunc mortuo ſcribens, in ſua undecima epiſtola, ad Epiſcopos Dardaniæ & Illyrici, *Abſolutionem* (inquit) *quam ſuperſtes nec quæſivit omnino, nec meruit, mortuus jam non poteſt impetrare, ſi quidem ipſis Apoſtolis Chriſti voce delegatum eſt*, quę ligaveritis ſuper terram, & quæ ſolveritis ſuper terram. *Cæterùm jam deeo qui in divino eſt judicio conſtitutus, nobis fas non eſt aliud decernere, præter id, in quo eum dies ſupremus invenit.* Hæc Gelaſius. & hoc Gelaſii prædeceſſoris ſui teſtimonio uſus eſt Vigilius Papa Romanus in ſuo Conſtituto, adjiciens etiam aliud ejuſdem Gelaſii teſtimonium, in eandem ſententiam, ex Gelaſii geſtis ſynodalibus de Miſeni Epiſcopi Cumani abſolutione confectis: ubi in ſynodo Romana quinquaginta quinque Epiſcoporum, totidemque presbyterorum, aſtantibus quoque diaconis, anno Domini 495. Gelaſius Papa Romanus, dixit, To-



*Totum quod ſupra noſtræ facultatis eſt modulum, divino judicio relinquamus. Non autem nobis poterunt imputare, cur prævaricationis offenſam viventibus remittamus; quod Eccleſiæ, Deo largiente, poſſibile eſt: nec nos jam mortuis veniam præſtare depoſcant: quod nobis poſſibile non eſſe manifeſtum eſt, quia cum dictum ſit;* quæ ligaveritis & ſolveritis ſuper terram; *hos quos ſuper terram jam non eſſe conſtat, non humano, ſed ſuo Deus judicio reſervavit. Nec audet Eccleſia ſibimet vendicare, quod ipſis beatis Apoſtolis conſpicit non fuiſſe conceſſum: quia alia eſt cauſſa ſuperſtitum, alia defunctorum.* Hæc Gelaſius, & ex illo Vigilius. Contrarium tamen docuit ac judicavit (invito atque incaſſum obnitente Vigilio) quinta Synodus œcumenica. Et hoc Synodi judicium ſequuti ſunt Romani Pontifices, & ſexta œcumenica ſynodus, & aliæ ſynodi.

## CAPUT VIGESIMUM-OCTAVUM.

### *Quorundam Romanorum Pontificum de quinta Synodo teſtimonia.*

Vigilius Papa Romanus, cum aliis quibuſdam, decreta ſynodalia quintæ ſynodi œcumenicæ de tribus capitulis non recipiens, in exſilium relegatus eſt. ut ſupra monuimus. Eóque adhuc exſulante, quidam Occidentales Epiſcopi, habito Aquilejæ conventu, quintam ſynodum œcumenicam reſpuendam eſſe decreverunt: cenſentes eam fidei Patrum, & quatuor Synodis œcumenicis repugnare. Et in eo ſchiſmate uſque ad tempora Sergii Papæ primi, per annos fere centum perſeveratum eſt; de quo Beda lib. de temporibus, cap. 67. de curſu ſex ætatum, in Tiberio illo qui, vivente adhuc Juſtiniano ſecundo, Imperium uſurpavit. Synodus, inquit, Aquilejæ facta, ob imperitiam fidei, quintum univerſale Concilium ſuſcipere diffidit, donec ſalutaribus B. Papæ Sergii monitis inſtructa, & ipſa huic cum cæteris Eccleſiis adnuere conſentit. Vide etiam Pelagii I. Papæ Romani epiſtolam 14. Binius in notis in illud Concilium Aquilejenſe, poſt quintum Concilium œcumenicum: ubi temporis notam in titulo adjicit, anno Dom. 553. eundem vero annum adnotavit ad quintum Concilium œcumenicum, ſcripſitque Vigilium Papam anno primo poſt abſolutum Concilium œcumenicum quintum, ab exſilio ſolutum eſſe, & tunc primum eidem Concilio œcumenico conſenſiſſe, ipſumque approbaſſe, revocato, quod prius pro defenſione trium capitulorum fecerat, conſtituto. Mortuo autem in reditu Vigilio, vacavit Epiſcopatus Romanus menſes tres & dies quinque, ut ſcribunt Anaſtaſius, & Platina, & Onuphrius. Anno autem Dom. 555. in locum defuncti Vigilii ſurrogatum eſſe Pelagium Papam, hujus nominis primum, ſcribit Binius in notis ad vitam ejuſdem Pelagii. unde manifeſtè colligere eſt, ſynodum illam Aquilejenſem habitam eſſe adhuc exulante Vigilio, & quintam ſynodum ſuſcipere renuente, ob imperitiam fidei, ut Bedæ verbis de Aquilejenſi conventu loquentis utar. ſive propter ignorantiam veritatis. ſicut de Vigilii hac ſententia ſcribit Pelagius Papa ſecundus, in epiſt. ad Eliam Aquilejenſem aliuſque Epiſcopos Iſtriæ, cap. 7.

2. Quamvis autem ſynodum quintam tandem recepiſſe videatur Vigilius, eamque ab ejus ſucceſſoribus Pontificibus Romanis receptam eſſe certò conſtet, non tamen acquieverunt in Romanæ ſedis judicio, ſed obſtinati in ſchiſmate reſtiterunt Ligures, atque Venetici & Hiſtrii Epiſcopi, quos propterea Pelagius Papa I. à Narſete Patricio, Duce exercitus Juſtiniani Imperatoris in Italia, poteſtate ſeculari coërceri & reprimi poſtulat, in tertia ſua epiſtola, ad Narſetem, quæ incipit, Non vos hominum vaniloquia retardent. ——Non perſequitur niſi qui ad malum cogit, &c. quam epiſtolam Pelagius ſic claudit, Ecce Domine, quod animus veſter fortè timidus eſt, ne perſequi videaris; de Patrum vobis auctoritate hæc breviter dirigenda curavi: cum mille alia exempla, & conſtitutiones ſint, quibus evidenter agnoſcitur, ut facientes ſciſſuras in ſancta Eccleſia, non ſolum exſiliis, ſed etiam proſcriptione rerum, & dura cuſtodiâ per publicas poteſtates debeant coërceri. Hæc Pelagius. Schiſmatici autem illi ipſum Narſetem eis non conſentientem excommunicarunt, quo audito, Pelagius Papa Narſeten rurſus hortatur, ut non ſinat graſſari impunitam eam iniquorum hominum præſumtionem, qui ad hoc uſque proſiluiſſent, ut ſuam diviſionem, Catholicam eſſe credentes Eccleſiam, à ſua pollutione eum prohiberent. Pelag. epiſt. 4. Narſæ Patricio. quæ incipit, Relegentes literas excellentiæ veſtræ.

3. Quia enim Pelagius Papa Romanus, hujus nominis primus, quintam ſynodum ſuſcepit, Ligures, & Venetici, & Hiſtrii à Pelagii communione abſtinuerunt, ut patet ex ejuſdem Pelagii epiſtola 5. ad Narſeten, quæ incipit, Non vos hominum. Item Tuſciæ Epiſcopi, eodem teſte Pelagio, epiſt. 13. ad Epiſcopos Tuſciæ. quæ incipit, Diceſtam à vobis. In qua epiſtola eos hortatur, ut, miſſâ diviſione, ad Romanæ atque ad univerſalis Eccleſiæ communionem redeant, atque ut non ſequantur judicium imperitæ plebis, ſed potius popularem ignorantiam ſacerdotali doctrina comprimant. Quo autem clarè demonſtret ſe nullam eis juſtam diviſionis cauſſam præbuiſſe, ſubjicit fidei ſuæ profeſſionem, cum iterata hortatione, his verbis: Sed ne apud vos fortè, vel apud greges qui vobis commiſſi ſunt, de fide noſtra aliqua poſſit remanere ſuſpicio; hoc dilectionem veſtram certiſſimè noſſe deſidero, me illam, donante Domino, cuſtodire fidem, quam ſacra Apoſtolorum doctrina conſtituit, quam Nicænæ ſynodi firmavit auctoritas, quam Conſtantinopolitanæ, Epheſinæ primæ, & Chalcedonenſis ſanctarum ſynodorum explanavere ſententię, nec quicquam de præfatarum ſynodorum definitionibus vel imminuiſſe me aliquid, vel auxiſſe, aut in aliquo permutaſſe; ſed omnia, Deo propitio, quæ ab illis de fidei puritate conſcripta ſunt, inviolabiliter cuſtodire: Anathematis judicio nihilominus ſubdens, quiſquis ad ſupra ſcriptarum quatuor ſynodorum fidem, vel ad B. Leonis Præſulis Apoſtolicæ ſedis Tomum, qui in Chalcedonenſi eſt ſynodo confirmatus, aliqua ex parte vel infirmandum quoquomodo, vel in dubium (quod abſit) deducendum aliquando conſenſerit. Hac igitur dilectio veſtra fidei noſtræ profeſſione munita, ignorantiam hominum (ſicut ſacerdotes decet) in ſpiritu manſuetudinis edocere feſtinet, & à prava intentione modis omnibus revocare,

*Non juſtam Papa Pelagius infallibilitatem Papalem, ſed claram atq; humilis fidei ſuæ profeſſione conatur ſatisfacere iis qui ab ejus communione abſtinebant.*

atque unitati Eccleſiæ reddere. quod ſi quis forte etiam poſthæc aliquem ſibi ſupereſſe credit ſcrupulum, ab inſano tumultu deſinens, ad nos magis venire feſtinet ut ex his quæ dubitat, rationabili ſatisfactione percepta, lætus, Deo propitio, cognita veritate, univerſali reformetur Eccleſiæ. Nos

1. Petr. 3. 15.

enim (ſecundùm Apoſtolicam ſententiam) parati ſumus ad ſatisfactionem omni poſcenti nos rationem, de ea quæ in nobis eſt fide: quia in nullo nos à ſanctis Patribus, cuſtodiente nos divina gratia, cognovimus deviaſſe. Hæc ibi.

4. Idem quoque epiſt. 14. quæ eſt Encyclica ad univerſum populum Dei. Poſſemus, inquit, totius cauſæ rationem ad ſedandos rumores hominum, divina nobis cooperante miſericordia, fiducialiter explicare, nihilque contra fidem Patrum, contraque quatuor ſynodorum firmitatem ullatenus eſſe tentatum, luculentiſſimis approbationibus demonſtrare; magiſque id actum [*in quinta ſynodo*,] ut memoratarum ſynodorum firmitas contra omnes inimicos immobili ſoliditate conſiſteret. Sed quia hoc his qui lacte potius quàm ſolido cibo nutriendi ſunt, neceſſarium eſſe non duximus,

1. Cor. 2, 6.

ut (ſicut Doctor gentium dicit) inter perfectos loquenda ſit ſapientia: hoc interim, quod etiam parvulis abundè ſufficiat, ad notitiam omnium deferendum eſſe perſpeximus. Id autem eſt ut fidem meam annexa ſubter profeſſione definiam, in qua, Deo propitio, & rectæ me Apoſtolorum doctrinæ ad Patrum inhærere veſtigiis evidenter appareat. — De ſanctis verò quatuor Conciliis, id eſt, Nicæno 318. Conſtantinopolitano 150. Epheſino primo 200, ſed & de Chalcedonenſi 630. ita me protegente divina miſericordia ſenſiſſe, & uſque ad terminum vitæ meæ ſentire toto animo & tota virtute profiteor, ut eas in ſanctæ fidei defenſione, & damnationibus hæreſium atque hæreticorum, utpote ſancto firmatas Spiritu, omnimoda devotione cuſtodiam. — Similem

*Synodis reverentiam exhibet.*

igitur ſupra ſcriptis ſynodis reverentiam me ſemper exhibiturum eſſe confido; — hæc eſt igitur fides mea, & ſpes mea quæ in me dono miſericordiæ Dei eſt: pro qua maximè paratos nos eſſe debere præcipit B. Petrus ad reſpondendum

1. Petr. 3, 15.

omni poſcenti nos rationem. Cum hac profeſſione me vivere opto, cum ipſa ante tribunal Chriſti aſſiſtere: per hanc à peccatis meis abſolvi me credo, & ad dextram gloriæ divina miſericordia deportandum. Hæc in epiſtola 14. encyclica.

5. Idem etiam Pelagius Papa, ut Childeberto Francorum regi eundem de fide ipſius ſcrupulum eximeret, hortatu Regis miſit ad eum Tomum Leonis Papæ, manus ſuæ profeſſione ſignatum, & inſuper prolixam fidei ſuæ propriis verbis confeſſionem, quæ extat in ejuſdem Pelagii epiſt. 16. ad Childebertum Francorum Regem. cujus hoc eſt initium. Humani generis Salvator ac Do-

Matt. 18, 14. & verſ. 6.

minus diſcipulos ſuos docens ait, Non eſt voluntas Patris veſtri qui in Cœlis eſt, ut unus ſaltem pereat de puſillis: de quibus nec ſcandalizari quemquam ſine magna aſſerit comparatione ſupplicii. Cum igitur de puſillis iſta forma præcepti ſit: quanto nobis ſtudio ac labore ſatagendum eſt, ut pro auferendo ſuſpicionis ſcandalo obſequium confeſſionis noſtræ Regibus miniſtremus, qui-

*Nota.*

bus etiam nos ſubditos eſſe ſanctæ ſcripturæ præcipiunt? [*Et interpoſita fidei ſuæ confeſſione, ſubjungit hæc verba.*] Hæc eſt igitur fides mea & ſpes, quæ in me dono miſericordiæ Dei eſt, pro

1. Petr. 3, 15.

qua maximè paratos eſſe debere B. Petrus Apoſtolus præcipit ad reſpondendum omni poſcenti nos rationem. Hæc omnia Pelagius Papa primus. qui etiam epiſt. 14. ait, ſchiſmaticos illos zelum quidem Dei habere, ſed ex hoc eos ſine culpa non eſſe, quia non ſecundùm ſcientiam, ſed ſine ſcientia ſunt habentes zelum, ſicut Judæi illi, de quibus loquitur beatiſſimus Paulus Apoſtolus, in epiſt. ad Rom.

*Rom. 10. 2.*

6. Ob eandem cauſſam de tribus capitulis, ſe ab Eccleſiæ Romanæ communione ſegregarunt Epiſcopi Hyberni, ut patet ex Gregorii I. Epiſcopi Romani, lib. 2. epiſtolarum ex regiſtro, cap. 36. Pelagio primo ſucceſſit in Epiſcopatu Romano, Johannes hujus nominis tertius, in cujus vita laudat Platina Paulum Patriarcham Aquilejenſem, ut virum ſanctiſſimum, Johanni Papæ contemporaneum. Johanni ſucceſſit Benedictus hujus nominis primus. quem excepit Pelagius Papa hujus nominis ſecundus, anno Dom. 577. ut notat Binius in notis ad ejus vitam ex libro Pontificali deſcriptam. Hic Pelagius ſecundus, remedium ſchiſmatis adferre conatus, ſcripſit librum ſive epiſtolam pro quinta ſynodo ad Eliam Aquilejenſem & univerſos Epiſcopos Iſtriæ; de cujus epiſtolæ occaſione ſic loquitur Binius in vitam Pelagii ſecundi; Pontificatus illius incidit in calamitoſa tempora, quibus Longobardi Italiam vaſtabant, atque Occidentalis Eccleſia propter quintam ſynodum à ſede Apoſtolica approbatam, diro ſchiſmate, uſque ad Hybernos, diviſa erat. His conſulturus Pontifex ſanctiſſimus, conſilio & auxilio S. Gregorii ſucceſſoris ſui, librum edidit pro quinta ſynodo, quam defendens, ait tria capitula jure meritóque condemnata eſſe. Hæc ille.

*Epiſt. Pelagii ad Eliam, cap. 2.*

7. Extat ea Pelagii Papæ ſecundi epiſtola in fragmentis quintæ ſynodi: ex qua hæc quæ ſequuntur deprompſimus. Per ea (inquit Pelagius) quæ piæ memoriæ Juſtiniani Principis temporibus acta ſunt, fraternitas veſtra ſuſpicatur, ſanctam Chalcedonenſem ſynodum fuiſſe convulſam. ſed abſit hoc à Chriſtiano opere, à Chriſtiana cogitatione. In ipſa quippe [*Chalcedonenſi ſynodo*] Nicæna, Conſtantinopolitana ac prima ſynodus Epheſina firmata eſt: & quiſquis illam [*Chalcedonenſem ſynodum*] parte aliqua convellere nititur, illas nimirum funditus, quæ per hanc firmatæ ſunt, deſtruere conatur. — Quæ B. Leonis ad Leonem Principem verba poſuiſtis, ea ab eo pro cuſtodia inlibatæ fidei, non autem pro cauſſis Epiſcoporum ſpecialibus, quæ apud Chalcedonem geſtæ ſunt, proferuntur.

*Cap. 5.*

8. Si igitur fidem, fratres chariſſimi, in cunctis mundi partibus uno ac ſolido ſtatu vigere non cerneretis, convulſam quidquam de ſancta Chalcedonenſi ſynodo rectè diceretis. At poſtquam nihil nunc aliud niſi de perſonis agitur, nihil de ſancta Chalcedonenſi ſynodi fide quæritis, auctoritatem Patrum quaſi ſequendo declinatis.

*Cap. 6.*

9. Adhuc autem ex ejuſdem beati Leonis epiſtola teſtimonium ſcriptis veſtris inſeritis, quæ ad Baſilium dicit: Piè nobis & conſtanter utendum eſt, ne dum talium diſputatio admittitur, eorum quæ divinitus definita ſunt, auctoritati derogetur. ]Et infra; Nec enim in aliquam diſceptationem plenè definita revocanda ſunt, ne ad arbitrium damnatorum ipſi de his videamur ambigere, quæ manifeſtum eſt per omnia Propheticis & Euangelicis atque Apoſtolicis auctoritatibus conſonare.] quæ autem vel ſuperius definita divinitus, vel inferius plenè definita





aſſerat, ex ipſa vel ex aliis ejus epiſtolis veſtra fraternitas penſet: in quibus nunquam ſpecialia geſta commemorat, ſed ſola quæ de fide ſunt prolata confirmat. Unde in his quoque verbis vigilanter * imprimitur, & quæ plenè definita dixerit * attenditur, cum dicit: ne de his ipſis videamur ambigere quę manifeſtum eſt per omnia Propheticis & Euangelicis atque Apoſtolicis auctoritatibus conſonare.] Penſate quæſo, fratres chariſſimi, ſi ſcripta Theodori Propheticis & Euangelicis atque Apoſtolicis auctoritatibus conſonant, quæ Redemtorem noſtrum iniquis auſibus Dominum negant: penſate ſi illa epiſtola [Ibæ] Propheticis & Euangelicis atque Apoſtolicis auctoritatibus conſonare videatur, in qua & hoſtis Eccleſiæ Neſtorius defenditur, & defenſor Eccleſiæ Cyrillus accuſatur. Penſate, ſi illa Theodoriti ſcripta Propheticis & Euangelicis atque Apoſtolicis auctoritatibus conſonant, quæ prius contra rectam fidem edita, ipſe poſtmodum converſus damnat.

** Exprimitur. * Oſtenditur.*

*Nota de regula ſ. dei.*

*Cap. 7.*

10. Rurſum per epiſtolam veſtram dicitur, à ſede Apoſtolica vos doctos, atque ab ſcrinio ſanctæ Eccleſiæ cui Deo auctore præſumus, confirmatos, ne huic rei quæ ſub piæ memoriæ Juſtiniano Principe geſta eſt, conſentire debeatis. Atque hanc epitulationem excuſationi veſtræ adjungitis dicentes, quòd in cauſſæ principio & ſedes Apoſtolica per Vigilium Papam & omnes Latinarum provinciarum Principes damnationi trium capitulorum fortiter reſtiterunt. In quibus verbis attendimus, quod res quæ provocare vos ad conſenſum debuit, à conſenſu vos ipſa divellit. Latini quippe homines & græcitatis ignari, dum linguam neſciunt, errorem tardè cognoverunt: & tanto eis celerius credi debuit, quanto eorum conſtantia, quouſque verum cognoſcerent, à certamine non quievit. quorum conſenſum certè fraternitas veſtra deſpiceret, ſi auſu præcipiti, priuſquam verum cognoſcerent, conſenſiſſent. At poſtquam diu ab eis laboratum eſt, & longo tempore ad injurias uſque certatum, hinc veſtra fraternitas penſet, quia tot labores repente non relinquerent, niſi quæ vera ſint agnoviſſent. —— Paulus egregius doctor, quia diu veritati reſtitit, inde ad confirmanda corda audientium in ejuſdem prædicatione veritatis adjutorium ſumſit, oſtendens profectò, quia fidem, cui tanto prius labore reſtiterat, poſtmodum ſine magnæ rationis certitudine non tenebat.

*Cap. 8.*

11. Diu reſtitit Petrus Apoſtolus, ne ad fidem gentes ſancta Eccleſia ſine circumciſione reciperet, diu ſe à converſarum gentium communione ſubtraxit. Paulo atteſtante, qui ait; *Cum veniſſet Antiochiam, in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat.* —— qui tamen ab eodem Paulo poſtmodum ratione ſuſceptâ, dum quoſdam conſpiceret, qui gentiles ad Eccleſiam venientes pondere ſervandæ circumciſionis onerarent, dicit: *Cur tentatis Deum, imponentes jugum cervicibus diſcipulorum, quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus?* Nunquid, fratres dilectiſſimi, Petro Apoſtolorum Principi ſibi diſſimilia docenti debuit ad hæc verba reſponderi: hæc quæ dicis, audire non poſſumus, quia aliud ante prædicaſti? Si igitur in trium capitulorum negotio, aliud quum veritas quæreretur; aliud autem inventa veritate, dictum eſt. cur mutatio ſententiæ huic ſedi in crimine objicitur, quæ à cuncta Eccleſia humiliter in ejus auctore veneratur? Non enim mutatio ſententiæ; ſed inconſtantia ſenſûs,

*Act. 11. & 15. & Gal. 2.*

*Act. 15, 10.*

*Cur Romana non ſit mutatio ſententiæ.*

in culpa eſt. Quando ergo ad cognitionem recti intentio incommutabilis permaneat; quid obſtat, ſi ignorantiam ſuam deſerens verba permutet?

12. In his autem teſtimoniis, quæ ex epiſtolis Leonis prædeceſſoris noſtri poſuiſtis, præmiſiſtis dicentes: doctrina veſtræ reverendæ ſedis eſt, per beatum Leonem, ſucceſſoreſque ejus, unde pauca commemorare præſumſimus, mortuum ab hominibus damnari nullatenus oportere.] & tamen nulla ejus teſtimonia ſubdidiſtis, quibus hanc ſententiam firmaretis: etenim quæ à vobis ſubjuncta ſunt, retractationem fidei fieri prohibent, non autem damnari infideles mortuos contradicunt. Sed neque hoc beatum Leonem prædeceſſorem noſtrum quodam loco dixiſſe meminimus. quis autem neſciat, quod in nullo ſibi ejuſdem Leonis & B. Auguſtini prædicatio contradicat? ipſe namque ad Bonifacium comitem ſcribens, ait; Si vera eſſent quæ ab eis objecta ſunt Cæciliano, & nobis poſſent aliquando monſtrari, ipſum jam mortuum, anathematizaremus.] —— Theodorum mortuum ſancta ſynodus prima Epheſina damnavit —— Ejuſdem Theodori ex libris illius dicta replicemus. —— Neque enim noſtra fides patitur, ut qui tot blaſphemiis Redemtori noſtro hoſtis exſtitit, à vobis ulterius defendatur. [*Et interpoſitis Theodori aliquot blaſphemis aſſertionibus ex ipſius Theodori ſcriptis, depromtis pergit Pelagius.*] Hæc de innumeris pauca prætulimus, ut quaſi per foramen anguſtum, quam nimium barathrum intus lateret, monſtraremus. Ecce! quales plus quam decem millia libros Theodorus ſcripſiſſe perhibetur. Penſate quæſo, ſi non tanto acriora tormenta promeruit, quanto pluriora conſcripſit. —— Deductis itaque tot teſtibus, blaſphemias has ejus eſſe quis dubitat? & tantis blaſphemiis illius cognitis, cum damnatum jure quis neget?

*Cap. 9.*

*Vera conſonantiani doctrina Auguſtini & veteris Eccleſiæ Romanæ.*

*Auguſtin. epiſt. 50.*

*Action. 6.*

*Cap. 10.*

*Theodorus Mopſueſtenus ſcripſiſſe perhibetur libros plusquam 10000.*

*Cap. 15.*

13. Diſcuſſo ergo primo de Theodori damnatione capitulo, nunc ad dicta epiſtolæ Ibæ indaganda tranſeamus, cujus tota ſeries ſi ſolerter aſpicitur, ſanctæ Chalcedonenſi ſynodo quam ſit adverſa penſatur. In geſtis Synodi Chalced. Cyrillus prædicatur; in epiſtola verò illa Ibæ Cyrillus [ut] in Apollinaris dogma corruens reprobatur. In geſtis Neſtorius ut Redemtoris noſtri adverſarius jure damnatus oſtenditur; verbis verò epiſtolæ damnatus injuſtè memoratur. In geſtis ſynodi in Dei & Domini noſtri unâ perſona duas naturas Cyrillus confeſſus oſtenditur; in verbis epiſtolæ unam naturam tradere dicitur, atque ab hoc ſenſu correptus, vix reſipuiſſe narratur. In geſtis Synodi anathematizatus Neſtorius etiam poſt mortem dicitur: in verbis verò epiſtolæ etiam poſt depoſitionem ſuam, pro ſolo civium ſuorum odio ad civitatem ſuam non rediiſſe perhibetur. In geſtis ac definitionibus ſynodi unus Filius Jeſus Chriſtus dicitur: at juxta doctrinam Theodori atque Neſtorii Deus tacetur. Et in geſtis ſynodi nuſquam Theodorus veritatis doctor dicitur: in verbis verò epiſtolæ idem, cujus blaſphemias ſupra protulimus, veritatis doctor clamatur. qui nimirum ſi vera dixit, falſa erunt quæ de veritate ſynodus protulit. Quiſquis igitur qui epiſtolam quæ Ibæ dicitur, oſtendere quod ſit de ſynodo nititur, quid aliud quam geſta ejuſdem ſynodi deſtruere conatur? Si enim ſibimetipſis diverſa ſunt, nulla procul-dubio auctoritate ſubſiſtent: quia quæ ſe impugnando deſtruunt, alios ædificare non poſſunt. Si ſibimet-ipſis diverſa ſunt, nulla

*Cap. 16.*

*Antitheſis Synodi Chalcedonenſis & epiſtolæ Ibæ.*

*Quæ ſe impugnando deſtruunt, alios ædificare non poſſunt.*

firmitate convaleſcunt, Domino atteſtante qui ait, *regnum in ſe diviſum non ſtabit.*

*Luc. 11, 17.*

*Cap. 17.*

14. Sed cur tantummodo ſanctam Chalcedonenſem ſynodum convelli dicimus, niſi auctoritatē huic epiſtolæ reprobemus? quæ nimirum ſi vera creditur, etiam tota ſanctæ Epheſinæ ſynodi fides ac reverentia diſſipatur. hæc quippe ait, quod in ea Cyrillus præmiorum medicamine ſapientum oculos excæcavit. Quid ergo illic de veritate certum dicitur, ubi ipſa veritas ſacerdotibus vendita eſſe perhibetur? ſed quis hoc dicere, quis hoc conſentiat patienter audire? reprobetur ergo una epiſtola mentiens, ne utraque ſancta ſynodus tantæ falſitatis crimen ſuſtineat.

*Cap. 20. Non omnia Theodoreti ſcripta damnata ſunt.*

15. Diſcuſſo itaque ſecundo capitulo, tertium ſupereſt. Quod tanto debemus in brevitate conſtringere, quanto & vos nobis hac in re non credimus reſultare. Neque enim Theodoreti omnia ſcripta damnamus, ſed ſola quæ contra duodecim Cyrilli capitula, ſola quæ contra rectam fidem, aliquando ſcripſiſſe monſtratur. Quæ tamen & ipſe damnâſſe cognoſcitur, qui in ſancta Chalcedonenſi Synodo vera confeſſus invenitur. ——— Ipſe Neſtorio ſcribens, ait; In his quæ in tuam venerationem injuſtè atque iniquè prolata ſunt, nec ſi mihi quis utramque manum abſciderit, potero præbere conſenſum, &c. ——— Quis hæc, fratres chariſſimi, plena omni impietate non videat? à quibus tamen conſtat, quod ſe poſtmodum ipſe correxerit, qui in ſancta Chalcedonenſi Synodo Neſtorium anathematizare conſenſit. Quis non videat quantâ temeritate plenum ſit, Theodoreti ſcripta ſuperbiendo defendere, quæ eundem ipſum conſtat, recta poſt profitendo, damnâſſe? Dum verò ejus & perſonam recipimus, & ea quæ dudum latuerant pravæ ſcripturæ probamus, in nullo à ſanctæ Synodi actione deviamus; quia ſola ejus hæretica ſcripta reſpuentes, & cum Synodo adhuc Neſtorium inſequimur, & cum Synodo Theodoretum profitentem recta, veneramur. Alia verò ſcripta illius non ſolum recipimus, ſed eis etiam contra adverſarios utimur.

*T. prava ſcripta reprobamus.*

*Cap. 22. Rom. 10, 2.*

16. Cogor poſthæc, fratres chariſſimi, dolens cum Paulo dicere; *Teſtimonium perhibeo vobis, quod æmulationem Dei habetis, ſed non ſecundum ſcientiam.* ——— Vigilante cura perpendite, quia illam ſciſſionem ſanctæ Eccleſiæ pro Theodoro facere fraternitas veſtra non metuat, quam pro ſe vel profiteri Apoſtolus expavit. *Ego ſum Pauli, ego autem Apollo,* &c.]

*1. Cor. 1, 12.*

*Cap. 23.*

17. Multa loquuti ſumus: ——— unum tamē quod jam ſuperius diximus, non tædet ſi etiam crebro replicemus: quia fidem ſanctæ Chalcedonenſis Synodi illibatam per omnia Deo auctore ſervamus, ejuſque definitiones, ſicut Epheſinæ primæ, Conſtantinopolitanæ, ac Nicænæ Synodi irretractabiles cuſtodimus. Veſtra igitur dilectio communionem fidelium orthodoxorum fratrum non fugiat, ne præſentis vocis noſtræ adjutorium ſi audire neglexerit, contra ſe in teſtimonium vertat. Nos autem ad Dominum poſt verba recurrimus, eumque quantum poſſumus fletibus exoramus, ut hoc quod vobis ad ſequendam concordiam à nobis dicitur, ipſe in veſtris mentibus manu intimæ inſpirationis operetur. Hæc omnia Pelagius Papa Rom. hujus nominis ſecundus, in epiſtola ſeu libro memorato ad Eliam Epiſcopum Aquilejenſem aliosque Iſtriæ Epiſcopos ſchiſmaticos. Qui tamen pertinaces in ſchiſmate permanſerunt.

18. Mortuo Pelagio II. ſucceſſit *Gregorius* Papa Romanus, hujus nominis *primus*, circa annum Dom. 590. regnante Mauritio Imperatore. hic quoque componendo ſchiſmati epiſtolas ad diverſos ſcripſit. ex quibus pauca ſubjiciemus.

19. Gregorius hujus nominis primus Epiſcopus Romanus, lib. 1. epiſtolarum ex Regiſtro epiſt. 24. ad alios Patriarchas. Præterea quia corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem, ſicut ſancti Euangelii quatuor libros, ſic quatuor Concilia ſuſcipere & venerari me fateor. Nicænum ſcilicet, in quo perverſum Arii dogma deſtruitur. Conſtantinopolitanum quoq; in quo Eunomii & Macedonii error convincitur. Epheſinum etiam primum, in quo Neſtorii impietas judicatur. Chalcedonenſe verò, in quo Eutychetis Dioſcorique pravitas, reprobatur, totâ devotione complector: integerrimâ approbatione cuſtodio, quia in his velut in quadrato lapide, ſanctæ fidei ſtructura conſurgit. Et cujuſlibet vitæ atque actionis exſiſtat, quiſquis eorum ſoliditatem non tenet, etiam ſi lapis eſſe cernitur, tamen extra ædificium jacet. Quintum quoque Concilium pariter veneror, in quo epiſtola, quæ Ibæ dicitur, erroris plena, reprobatur, in quo Theodorus perſonam Mediatoris Dei & hominum in duabus ſubſtantiis ſeparans, ad impietatis perfidiam cecidiſſe convincitur, & in quo ſcripta quoque Theodoriti, per quæ beati Cyrilli fides reprehenditur, auſu dementiæ prolata, refutantur. Cunctas verò, quas præfata veneranda Concilia perſonas reſpuunt, reſpuo; quas venerantur, amplector: quia dum univerſali ſunt conſenſu conſtituta, ſe & non illa deſtruit quiſquis præſumit aut ſolvere quos religant, aut ligare quos ſolvunt. Quiſquis ergo aliud ſapit, anathema ſit. Quiſquis verò prædictarum Synodorum fidem tenet, pax ei ſit à Deo Patre per Jeſum Chriſtum Filium ejus, qui cum eo vivit & regnat conſubſtantialiter Deus in unitate Spiritus Sancti, per omnia ſecula ſeculorum. Amen. hæc ibi.

20. Quod autem ait *ſe Concilia illa ſuſcipere ſicut ſancti Euangelii libros*, locutio eſt in ſpeciem quidem hyperbolica, quæ tamen ſenſum ex mente Gregorii habet non improbandum. Neque enim ullius Concilii aut cujuſvis alterius ſcriptoris volumina & placita quâ talia, divinis Euangeliorum Scripturis vult æquare, ſed tantummodo teſtatur ſe eam fidem, quæ in ſanctis illis Conciliis contra hæreticos defenſa & promulgata eſt, agnoſcere orthodoxam eſſe & euangelicam, in ipſis ſacris Euangeliorum Scripturis traditam. Quemadmodum conſtat depromtis ex S. Scriptura teſtimoniis, tum hæreſes confutatas à Patribus & profligatas, tum etiam veritatem confirmatam, & propugnatam.

21. Idem Gregorius lib. 2. epiſtolarum ex regiſtro, cap. 36. ad Epiſcopos per Hyberniam. De cauſa trium capitulorum; Scripta veſtra ſummâ cum gratulatione ſuſcepi: ſed erit in me uberior valde lætitia, ſi mihi de veſtra contigerit reverſione gaudere. Prima itaq; epiſtolæ veſtræ fronte, gravem vos pati perſecutionem innotuit. Quæ quidem perſecutio dum non rationabiliter ſuſtinetur, nequaquam proficit ad ſalutem. Nam nulli fas eſt, retributionem præmiorum exſpectare pro culpa. Debetis enim ſcire, ſicut beatus Cyprianus dixit, *quia martyrem non facit pœna, ſed cauſa.* Dum igitur ita ſit, incongruum nimis eſt de ea vos quam dicitis perſecutione gloriari, per quam vos conſtat ad æterna præmia minimè provehi. Reducat ergo charitatem veſtram tandem integritas fidei ad matrem, quæ vos generavit, Eccleſiam: nulla vos animorum intentio à concordiæ unitate diſſociet, nulla perſuaſio repetendo vos à recto itinere defatiget. Nam in ſynodo in qua de tribus capitulis actum eſt, apertò liquet, nihil de fide convulſum eſſe, vel aliquatenus immutatum: ſed ſicut ſcitis, de quibuſdam illic ſolummodo perſonis eſt actitatum: quarum una, cujus ſcripta evidenter à rectitudine catholicæ fidei deviabant, non injuſtè damnata eſt.

*Theodelinda regina.*

22. *Theodelinda* Longobardorum Regina, à Romanæ Eccleſiæ communione abſtinendum ſibi cenſuit; quia Gregorii Epiſcopi Romani & Eccleſiæ Romanæ fidem habebat ſuſpectam. Volens igitur Reginæ ſatisfacere Gregorius, ſcripſit ad eam de omnibus quinque ſynodis œcumenicis recipiendis; verum illam Gregorii epiſtolam *Conſtantius* Mediolanenſis Epiſcopus, non exſtimavit reddendam Reginæ, ne ejus animus nominatione quintæ ſynodi offenſus negligeret ea, quæ de primis quatuor ſynodis Gregorius ſecundum Reginæ mentem profiteretur. Certior factus Gregorius, laudavit Conſtantii conſilium (lib. 3. epiſt. 37.), & datâ iterum ad Reginam epiſtolâ, quatuor tantummodo ſynodos laudavit. Extat ea Gregorii ad Theodelindam Reginam epiſtola, lib. 3. epiſtolarum ex regiſtro, cap. 33. ubi laudatis quatuor ſynodis, Nicænâ, Conſtantinopolitanâ, Epheſinâ primâ, & Chalcedonenſi, & profeſſus, quia quiſquis aliter ſapit, quàm hæ quatuor ſynodi, illum à fide veritatis alienum eſſe, ſubjicit parænesin, inquiens: Cùm itaque integritatem noſtram ex aperta meâ traditione ſeu profeſſione cognoſcitis, dignum eſt ut de Eccleſia beati Petri Apoſtolorum principis nullum ulterius ſcrupulum dubietatis habeatis, &c. *Leander* Epiſcopus Hiſpalenſis, & alii Hiſpaniæ Epiſcopi, in tertio Toletano Concilio ſola laudant quatuor illa œcumenica Concilia. Et frater Leandri, ejuſdemque in ſede Hiſpalenſi ſucceſſor *Iſidorus*, in ſuo libro de viris illuſtribus cap. 4. apertè rejicit quintam Synodum. Et in Concilio etiam Toletano 14. cap. 7. poſt Chalcedonenſe Concilium, collocatur Synodus illa œcumenica, quæ contra Monothelitas celebrata eſt, quam ſextam dicimus. Et tamen cum his Gregorius ejuſque ſucceſſores Pontifices Romani communicârunt, ut patet ex epiſtolis Gregorii ad eundem Leandrum: (de quibus vide cap. 30. §. 4.) & ex Concilio Toletano quarto, cui præſedit Iſidorus. Videmus Gregorium ſimili uti conſilio, pro conciliandis diſſidentium animis, atque uſus eſt olim *Acacius*, ſuſcipiens eos qui Zenonis henotico ſubſcriberent, & ipſam fidem orthodoxam, quæ Chalcedone promulgata fuerat, ſuſciperent, etiamſi interim ad ſopiendas contentiones diſerta ipſius ſynodi laudatio omitteretur. quinimò *Petrus Moggus*, ab Acacio in communionem admiſſus, non ſolum ipſam orthodoxam fidem profeſſus eſt, & præcedentes ſynodos ſuſcepit, ſed etiam ipſam Chalcedonenſem ſynodum diſertè laudavit. Ejus tamen receptionem ab Acacio factam Romani Pontifices criminati ſunt. Nemo tamen vitio vertit Gregorio, quod in communionem profiteatur paratum ſe eſſe recipere Reginam Theodelindam ejuſque Epiſcopos, etiam rejicientes quintam œcumenicam ſynodum: idemque ſuadeat Conſtantio faciendum cùm Epiſcopo & civibus Brixiæ, qui quintam ſynodum non admittebant. lib. 3. epiſt. 37. Neque reprehenduntur Romani Pontifices, qui communicârunt cum Hiſpanis illis Epiſcopis, non recipientibus quintam Synodum.

*Vide ſuprà cap. 9. & cap. 10. & cap. 11.*

23. Quamvis autem ad Reginam ſcribens Gregorius, miſſam faciat mentionem quintæ ſynodi, quædam tamen de eadem Synodo ſcribit in ſua ad Conſtantium epiſtola: *Quod autem* (inquit,) *ſcripſiſtis, quia epiſtolam meam Regina Theodelinda tranſmittere minimè voluiſtis, pro eo quod in ea quinta Synodus nominabatur: ſi eam exinde ſcandalizari poſſe credidiſtis, rectè factum eſt ut minimè tranſmitteretis. Unde nunc ita facimus, ſicut vobis placuit, ut quatuor Synodos ſolummodo laudaremus. De illa tamen Synodo, quæ in Conſtantinopoli poſtmodum facta eſt, quæ à multis quinta nominatur, ſcire vos volo, quia nihil contra quatuor ſanctiſſimas ſynodos conſtituerit vel ſenſerit, quippe quia in ea de perſonis tantummodo, non autem de fide aliquid geſtum eſt, & de his perſonis, de quibus in Chalcedonenſi Concilio nihil continetur, ſed poſt expreſſas ſynodos ſeu canones facta contentio & extrema actio de perſonis ventilata eſt. Nos tamen ſicut voluiſtis, ita fecimus, ut ejuſdem ſynodi nullam memoriam faceremus. Sed & de Epiſcopis quæ ſcripſiſtis, prædicta filia noſtra Regina ſcripſimus.* Hæc Gregorius, lib. 3. epiſt. 37.

## CAPUT VIGESIMUM-NONUM.

*Duodecim obſervationes, quæ in Pontificum Romanorum teſtimoniis præcedente capite citatis (addito Bedæ teſtimonio) partim expreſſè ponuntur, partim implicitè, id eſt, per evidentem ac neceſſariam conſequentiam, inde promanantes inveniuntur.*

Dicit Gregorius primus lib. 2. epiſt. ex regiſtro cap. 36. & lib. 3. cap. 37. in quinta Synodo nihil aliud niſi de perſonis tantummodo actitatum eſſe, non autem de fide illic eſſe geſtum, id eſt, (ut patet ex iiſdem epiſtolis Gregorii, item ex Pelagii 1. epiſt. 14. & Pelagii 2. epiſt. ad Eliam, capp. 6. 15. 16. 17. 20.) non eſſe illic quicquam de fide Chalcedonenſis ſynodi & præcedentium trium ſynodorum convulſum, aut aliquatenus immutatum, neque quicquam contra quatuor ſynodorum firmitatem Patrumque fidem ulatenus eſſe tentatum, magiſque id in quinta ſynodo actum, ut memoratarum ſynodorum firmitas contra omnes inimicos immobili ſoliditate conſiſteret. Ideoque jure damnata eſſe tria illa capitula, quæ niſi reprobentur primæ Epheſinæ & Chalcedonenſis ſynodorum auctoritas fideique convellitur. Ideoque pari cum præcedentibus ſynodis reverentia ac devotione ſuſcipienda eſt quinta ſynodus, quæ etſi non de fide, id eſt; non de nova aliqua in fide controverſia, pro fide tamen, in præcedentibus ſynodis expoſita ac defenſa, de perſonis, id eſt, de Theodori, Mopſueſtenai perſona & ſcriptis impiis, de Theo-

doceri autem & libræ quibuſdam duntaxat ſcriptis impiis & hæreticis, juſtam & neceſſariam tulit ſententiam. Et quicunque illa capitula poſt latam ſynodicam ſententiam defenderet aut anathematizare recuſaret, illi Synodus anathema vel ſaltem depoſitionem ſi clericus ſit, denunciavit. Quæ omnia ſynodi decreta reverenter ſuſceperunt Pelagius primus & Pelagius ſecundus & Gregorius primus, aliique Epiſcopi Romani. & Pelagius quidem ſecundus de capitulo circa Theodoreti ſcripta loquens, ad Eliam, cap. 20. reſiſtentes arguit temeritatis & ſuperbiæ. Quamvis igitur, ad placandos & revocandos offenſos ſchiſmaticorum animos, dixerit Gregorius non de fide, ſed de perſonis tantummodo in quinta ſynodo actitatum eſſe, non tamen ea mens Gregorii & utriuſque Pelagii fuit, ut ab errore & crimine immunes cenſerentur qui decretis illius ſynodi ſe opponerent, ſed è contrario contendunt id fieri non poſſe ſine errore, ſine ſuperbia, ſine deſtructione ſui ipſius, ut expreſſe loquitur Gregorius lib. 1. cap. 24. Inanis igitur eſt illa defenſio Vigilii quam ex hoc exſculpere conatur Binius, quod ſcilicet de perſonis tantummodo in quinta ſynodo, non autem de fide geſtum eſſe ſcripſerit Gregorius. Nam non potuerunt ſalvâ fide defendi illa tria capitula. [Pelagius 2. ad Eliam, capp. 15. 16. 17. 20. 22.]

*Obſerv. 2.* Vigilius Papa Romanus quintæ ſynodi decreto de tribus capitulis reſiſtens, reſtitit juſtitiæ & veritati; quia ſynodus juſtè & ſecundum veritatem decrevit, [hoc clamant omnia memorata teſtimonia.]

*Obſerv. 3. Vide cap. 22. §. 1. 10. 11.* Vigilius Papa Romanus reſtitit quintæ ſynodo per ignorantiam veritatis & imperitiam fidei. [ex Pelagii 2. epiſt. ad Eliam capp. 7. & 8. cum verbis Bedæ lib. de temporibus.]

*Obſer. 4.* Schiſmatis illius, quod inter Vigilium Papam Romanum & quintam ſynodum exſtitit, culpa penes Vigilium erat, adeoque non erat ſynodus ſchiſmatica, ſed Vigilius, quamdiu ſynodo reſtitit, fuit ſchiſmaticus: ſuam diviſionem catholicã credens eſſe Eccleſiam. [hæc obſervatio conſequitur ex eis quæ ſcripſerunt Pelagius 1. epiſt. 4. & Pelagius 2. ad Eliam cap. 7. & 8. & 22.

*Obſer. 5.* Vigilius Papa Romanus decreto quinti Concilii de tribus capitulis reſiſtens, zelum quidem Dei habebat, at non ſine culpa, quia non ſecundum ſcientiam: Qualis erat zelus Iudæorum reſiſtentium Euangelio. [Pelag. 1. epiſt. 14. & Pelag. 2. ad Eliam capp. 7. & 8. & 22.]

*Obſer. 6.* Vigilius Papa Romanus ſciſſuram faciens in ſancta Eccleſia, jure coercitus eſt per publicam poteſtatem, & quæcunque propter rejectionem quintæ ſynodi paſſus eſt, ea ſunt illi juſtè inflicta, neque per ea potuit de communione paſſionum Chriſti gloriari. Nam nulli fas eſt retributionem præmiorum exſpectare pro culpa: Neque martyrem facit pœna, ſed cauſa. [Pelag. primus, epiſt. 1. & 4. & Pelag. 2. ad Eliam, cap. 7. & Gregor. lib. 2. epiſtolarum ex regiſtro, cap. 36.]

*Obſer. 7. Eccleſia Catholica. vide lib. 1. cap. 2. §. 12.* Tempus erat (Vigilio propter contumacem quintæ ſynodi rejectionem exulante) quando pars conſentiens Romano Epiſcopo, eique ſe in ea controverſia adjungens aut adhæreſcens, erat ſchiſmatica; pars autem à Papa Romano diſſentiens, erat Eccleſia Catholica. [patet ex præmiſſis.]

*Obſer. 8.* Subjectio & obſequium erga ſeculares Principes de jure divino etiam Epiſcopis incumbit, ne ipſo quidem excepto Papa Romano, qua tali. addo autem, qua tali, quia quod jam nulli debeat ſeculari Principi ſubjectionem Epiſcopus Romanus, hoc non habet per ſe, qua Epiſcopus Romanus, ſed per accidens, qua ſupremus jam urbis Romæ & circumjacentis ditionis Dominus temporalis. Quando autem ſupremum temporale dominium urbis Romæ erat penes Imperatores Romanos, aut penes reges Gothicos, debebant illis Imperatoribus & regibus ſubjectionem & obſequium ipſi Epiſcopi Romani. [Pelag. 1. epiſt. 10.] Si dicas Pelagium non fuiſſe Childeberti regis ſubditum. Reſpondeo, ſententiam eſſe generalem, qua Pelagius ſui ordinis homines, id eſt, Epiſcopos, [ſe ipſo incluſo] agnoſcit ſubditos eſſe regum & Principum. Nempe unumquemque Epiſcopum ſui Principis ſubditum. Erat autem Pelagius illo tempore ſubditus Iuſtiniani Imperatoris, ſicuti Epiſcopi Galliæ erant ſubditi regis Childeberti.

*Obſer. 9.* Illa ſolum divinitus & plenè de fide Catholica exiſtimari debent eſſe definita ab Eccleſia, quæ manifeſtum eſt per omnia Prophetica & Euangelicis atq; Apoſtolicis auctoritatibus conſonare. Quibus auctoritatibus, quicquid non conſonat, jure rejicitur. [Pelag. 2. epiſt. ad Eliam, cap. 6.] vide Encyclicam Leonis epiſtolam ad Flavianum, paulo poſt initium.

*Obſer. 10.* Pelagius primus & Gregorius primus Pontifices Romani profitentur, ſe Conciliorum decreta ſuſcipere, & venerari, eis reverentiam exhibere, omnimoda devotione ea cuſtodire, tota devotione complecti: ut hac ſua confeſſione ſe non extra ædificium Eccleſiæ jacere demonſtrent. [Pelag. primus epiſt. 14. Gregor. lib. 1. epiſt. 24.] quæ longiſſimè diſtant à faſtuoſiſſimis citerorum quorundam ampullis, & vanitatis exundantiis. Et huic Pelagii atque Gregorii modeſtiæ conſonat illud dictum Leonis Papæ Romani, hujus nominis tertii, qui in collatione cum Bernario Epiſcopo Wormatienſi ejuſque ſociis, de ſymbolo fidei habita Romæ anno Dom. 809. loquens de Patribus primorum œcumenicorum Conciliorum, nam ut ego (inquit) me illis non dico præferam, ſed etiam illud abſit mihi, ut coæquare præſumam. hæc Leo. extat autem illa collatio apud Binium, part. 1. Tom. 3. Conciliorum, in Concilio Aquiſgranenſi, edit. Colon. ſeu Tom. 6. edit. Pariſ. pag. 210. & 211.

*Obſer. 11.* Ignotum erat priſcis Epiſcopis, tum Orientalibus tum Occidentalibus, nuperum hoc Pontificiorũ commentum de infallibilitate Epiſcopi Romani: neque ipſis Epiſcopis Romanis in mentem venit. Nam renitente & contradicente & fieri non debere clamante Epiſcopo Romano, Orientales tria capitula damnaverunt. Occidentalium autẽ magna pars, ſe à Pelagii primi ejuſque ſucceſſorum Pontificum Romanorum communione ſegregarunt, eo quod Romanos Pontifices haberent de fide ſuſpectos. ut patet ex utriuſque Pelagii, & Gregorii teſtimoniis ſupra allatis. Neque unquam memorati Pontifices Romani eo argumento uſi eſſe reperiuntur, ut ideo dicerent injuſtam eſſe adverſariorum ſuſpicionem, quia habeat ſedes Romana judicii infallibilitatem: ſed longè alia via eam ſuſpicionem revellere conantur; nempe per manifeſtationem æquitatis & neceſſitatis decretorum quinti Concilii, & per apertam fidei ſuæ confeſſionem & profeſſionem.

*Obſer. 12. 1. Petr. 3.* Præceptum illud Petri Apoſtoli [1. Petr. 3. 15.] ut Chriſtiani ſemper parati ſint ad reſpondendum



dendum de ſpe quæ in ipſis eſt omni poſcenti eos rationem; ipſos obligat Pontifices Romanos: ut pro auferendo ſuſpicionis ſcandalo, per evidentem fidei ſuæ declarationem, in nullo ſe à ſacra Apoſtolorum doctrina, in nullo à ſynodicis decretis ſacræ Apoſtolorum doctrinæ conſonis, deviaſſe oſtendant. [Pelag. 1. epiſt. 13. & epiſt. 14. & epiſt. 16.] Atque ſi quenquam vel puſillum ſcandalizent non dando ſatisfactionem de fide & ſpe quæ in ipſis eſt, hoc non ſine magna faciunt comparatione ſupplicii. [Pelag. 1. epiſt. 16.] Ineptè igitur hoc ſeculo Pontifices Romani, de infallibilitate gloriantes, rationem fidei & ſpei quæ in eis eſt, Chriſtianis poſcentibus expromere refugiunt: ſed, è contrario, Chriſtianos rationem fidei & ſpei quæ in eo eſt poſcentes Papa Romanus, in templo Dei tanquam Deus ſedens, ſuperciliosè & impiè contemnit, ac faſtuoſe rejicit, in commentitiæ infallibilitatis latibulum impudentiſſimè ſe abdens. *2. Theſſ. 2. 4.*

## CAPUT TRIGESIMUM.

*De Pelagii ſecundi Pontificis Romani ordinatione abſque juſſione Imperatoris, cum annotatione Onuphrii. Item de obitu Pelagii ejuſque ſucceſſore Gregorio, & Gregorii amico Leandro Epiſcopo Hiſpal. & de converſione Gothorum in Hiſpania. & de converſione Anglorum. & de veteri Eccleſia Scoticana, & de veterum Britannorum converſione ad Chriſtianiſmum.*

ANaſtaſius bibliothecarius in libro Pontificali, in vita Pelagii Papæ Romani, hujus nominis ſecundi; Hic (inquit) ordinatur abſque juſſione Principis, eo quod Longobardi obſiderent civitatem Romanam, & multa vaſtatio ab eis in Italia fieret. Idem ſcribunt, in ſuis Chronicis, Marianus Scotus, & Martinus Polonus. Item Antoninus Florentinus, Hiſtoriarũ parte ſecunda, titulo duodecimo, capitulo ſecundo; Defuncto (inquit) Benedicto, Pontificatum Romanum Pelagius ſuſcepit regendum 61. natione Romanus. Sedit autem annis 10. menſibus 2. diebus 10. hic inconſulto Imperatore Papa conſecratur, quia jam Longobardi urbem obſederant, ut ſecurè egredi non valerent. Sic etiam Platina, in vitâ Pelagii Papæ ſecundi; Hæc autem (inquit) una ſuit cauſſa, quare Pelagius injuſſu Principis tum Pontifex creatus ſit, cum extra obſeſſam ab hoſte urbem mitti quiſpiam non poſſet. Nil enim à clero in eligendo Pontifice actum erat, niſi ejus electionem Imperator approbaſſet. Miſſus itaque Conſtantinopolin ad placandum Imperatorem *Gregorius Magnus.* Gregorius diaconus, vir optimus atque doctiſſimus. Hæc Platina. Gregorium autem intelligit illum qui Pelagio poſtea in Pontificatu ſucceſſit, hujus nominis primus, qui etiam magni cognomentum meruit. Hic Gregorius dum Conſtantinopoli eſſet, Leandrum Hiſpalenſem Epiſcopum, ibi tunc degentem, amicum habuit chariſſimum, ejuſque hortatu libros moralium in Job compoſuit, ut ſcribit Sigebertus Gemblacenſis, in ſua Chronographia. Idq. ipſa Gregorii ſcripta oſtendunt, ut mox indicabimus. *Leander.*

2. Onuphrius Panvinius, ad illa Platinæ verba de Pelagii ſecundi creatione, hanc ponit annotationem, inquiens; In eo quod Platina ſcribit, Pelagium Pontificem injuſſu Principis creatum, nihilque tum à clero in eligendo Pontifice actum eſſe, niſi ejus electionem Imperator approbaſſet, non ita curatè rem hanc attigiſſe viſus eſt, quæ ſic habet: Gothis Italiâ omni per Narſem Patricium pulſis, eâque cum urbe Roma Orientalis Imperii parte factâ; ſub Juſtiniano Imperatore, ex auctoritate Papæ Vigilii, novus quidam in comitiis Pontificiis mos inolevit. Is fuit, ut mortuo Papa, nova quidem electio more majorum ſtatim à clero S. P. Q. R. fieret, verum electus Romanus Pontifex non ante conſecrari atque ab Epiſcopis ordinari poſſet, quam ejus electio ab Imperatore Conſtantinopolitano confirmata eſſet, ipſeque literis ſuis patentibus licentiam electo Pontifici concederet, ut ordinari & conſecrari poſſet; atque ita juriſdictionem Pontificatus tum obtineret. Pro qua licentia conſequenda electo neceſſe erat certam pecuniæ quantitatem Imperatori tranſmittere. Qua venia obtentâ, ipſe poſtea conſecrabatur, & Romanum adminiſtrabat Pontificatum. *Pontificis Rom. electio, & electi conſirmatio Imperialis antecedebant conſecrationem.* Antea enim idem dies comitiorum, & conſecrationis Pontificis renunciati erant. Hoc autem ideo Juſtinianum Imperatorem, vel ex ejus auctoritate Vigilium Papam inſtituiſſe credendum eſt, ut Imperator certus eſſet de conditionibus novi Pontificis, cujus tum maxima eſſe auctoritas cœperat, Imperatoribus præſertim Italiâ abſentibus, ne aliquo Pontifice factioſo, vel Imperatoris hoſte ordinato, Urbs & Italia eo auctore ab Orientali Imperio deficeret, ſeque finitimis barbaris traderet, quod Silverium Papam aliquando quæſiſſe ſibi perſuadebat. Qua ratione fiebat, ut in novis comitiis eum potiſſimum Romanum Pontificem crearent, quem Imperatori, à quo confirmandus erat, amicum eſſe ſcirent, & de quo ille confideret, nihil in Italia contra Imperium moliturum, barbaris præſertim Longobardis, eam paulo poſt vexantibus. Perduravit hæc conſuetudo uſque ad Benedictum ſecundum, cujus ſanctitate permotus Conſtantinus Imperator, Heraclii pronepos, edicto ſuo juſſit, ut deinceps quem clerus S. P. Q. R. Pontificem ſummum delegiſſent, is nulla amplius Imperatoris confirmatione exſpectatâ, more vetuſtiſſimo, ſtatim ab Epiſcopis ordinaretur. *Mutationes variæ.* Rurſus Hadrianus primus hoc jus, & paulo amplius Carolo magno Francorum Regi, & ejus ſucceſſoribus Regibus Francorum, primum, deinde Imperatoribus Romanorum conceſſit: quod ſucceſſoribus ejus ab Hadriano tertio ereptum, Othoni primo Germanorum Regi, & Romano Imperatori reſtituit Leo octavus. Id poſtremò Gregorius ſeptimus, Henrico quarto ademptum, Cardinalibus & clero S. P. Q. R. primum, deinde alii Pontifices, qui ſequuti ſunt, Cardinalibus tantum permiſere, quod ad noſtra uſque ſecula perdurat. Ex epiſtola S. Gregorii 4. libri primi, Anaſtaſio bibliothecario in vitis Pelagii 2. Vitaliani, Agathonis, & Benedicti 2. Romanorum Pontificum. Item poſt Carolum magnum Gregorii 4. Sergii 2. Leonis 4. Benedicti 3. & Nico-

lai,

lii Abbate Urſpergenſe, ex Ademaro monacho S. Germani in eorundem Pontificum enarrationibus, Regiſtro Gregorii Papæ 7. Sigeberto in Chronico, Guillielmo Tyrio, lib. 1. c. 13. de bello ſacro, Gratiano in decretis diſt. 63. Concilii Lateranenſis ſub Alexandro 3. Papa celebrati actis, & aliis vetuſtis S. R. E. monumentis. Hæc Onuphrius. Vide etiam Polydor. Vergil. lib. 4. de inventoribus rerum cap. 10.

3. De obitu Pelagii ſecundi Epiſcopi Romani, ſcribentes Gregorius Turonenſis lib. 10. hiſt. Francorum, cap. 1. & Marianus Scotus, & Sigebertus Gemblacenſis, in ſuis Chronicis, referunt ingentem extitiſſe aquarum inundationem, & ſerpentibus in mare delatis atque in littus rejectis, aërem putrefactum eſſe, & ſequutam eſſe peſtem inguinariam, qua multi mortales immedicabiliter correpti interierunt, & Pelagium Papam ſcribunt primum omnium hac clade percuſſum obiiſſe. Unde etiam Blondus Flavius, hiſtoriarum decadis primæ libro octavo, & Platina, in vita hujus Pelagii, ſcribunt, eum peſtilentia mortuum eſſe. Et Sabellicus, Ennead. 8. lib. 5. poſtquam diram illam aquarum alluvionem commemoravit, inde accidiſſe refert ut ſata cœno obruta, germinare nequiverint, nec arva amplius tractari potuerint, aquis & limo omnia obtinentibus, & ingenti fame preſſam eſſe Italiam, & ortam eſſe ſimul peſtilentiam, quæ multo maximam mortalium partem abſumpſit, & Pelagium Pontificem ea lue conſumptum eſſe. Peſtem autem illam inguinariam Suffridus presbyter Miſnenſis, lib. 1. ſuæ epitomes, ſcribit fuiſſe apoſtema ſive inflaturam in inguine, tam ſæram, ut homines in via, in menſa, in ludis, in colloquiis ſubitò morerentur. Itaque ſæpe eveniſſe, ut, cum quis ſternutaret, cum ipſa ſternutatione ſpiritum exhalaret. ac propterea, cum aliquem ſternutantem quis audiret, ſtatim accurriſſe, &, *Deus te adjuvet*, acclamaſſe. & inde ſervatam eſſe apud poſteros iſtam conſuetudinem, ut ſternutantem quis audiens dicat ei, *Deus te adjuvet*. Hæc autem de Pelagii obitu, ex hiſtoricorum monumentis depromta, hunc in finem commemoranda duxi, ut hujuſmodi exemplis moniti, cogitemus etiam pios quandoque acerbis exerceri cruciatibus, & horrendis mortium generibus finire hanc vitam, neque ſiniſtrum feramus judicium ex calamitatibus hominum, aut ſubita vel ærumnoſa morte. *VVilelmus* Tyri Epiſcopus, in ſua hiſtoria de bello ſacro, & regno Hieroſolymitano, lib. 14. cap. 1. ſcribens de *Fulcone* Hieroſolymorum rege, ait eum fuiſſe, inſtar Davidis, juxta cor Domini, fidelem, manſuetum, & affabilem, benignum & miſericordem, in operibus pietatis & eleemoſynarum largitione liberalem admodum. Ejuſdemque regis poſtea obitum commemorans, ejuſdem hiſtoriæ lib. 15. cap. 27. ſeu ult. Rex autem (inquit) arrepta lancea, ut leporem inſectaretur, ſiniſtro actus caſu, equum ad illas cœpit urgere partes, & curſu vehementer inſtare. Tandem inconſultè feſtinans, equus in præceps agitur; corruenſque in terram, regem dedit præcipitem: jacentique præ caſus dolore attonito ſella caput obtrivit, ita ut cerebrum tam per aures, quàm per nares etiam emitteretur. Inde cum lachrymis in Acconenſem urbem [proximam] deportatus, triduo, ſine ſenſu, tamen adhuc palpitans, protraxit vitam: quartâ demum die, idibus videlicet Novembris, anno ab incarnatione Domini milleſimo centeſimo quadrageſimo ſecundo, regni verò ejus anno undecimo, deficiens, in ſenectute bona ultimum clauſit diem. Inde Hieroſolymam cum debita delatus honorificentia, inter alios felicis memoriæ reges, ejus prædeceſſores, per manum Wilelmi Hieroſolymorum Patriarchæ, regia magnificentia ſepultus eſt. Hæc Wilelmus Tyrius. Inopinatum & multis Chriſtianis luctuoſum obitum *Friderici* primi, Imperatoris, cognomento *Ænobarbi*, refert illorum temporum ſcriptor *Iacobus de Vitriaco*, Epiſcopus Acconenſis, & poſtea Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, in ſua hiſtoria Hieroſolymitana, lib. 1. cap. 99. Dum hæc (inquit) in exercitu ab his qui præceſſerant, variè agerentur, Imperator Romanorum *Fridericus*, cum virtute magna & innumera pugnatorum multitudine per terram profecturus, iter arripuit. Egreſſus autem de ultimis finibus Alemanniæ, tranſiensque Hungariam, Macedoniam, & Græciam, per terras Saracenorum in manu potenti & brachio extento, ſubjugatis ſibi Iconio, Philomena, & aliis pluribus civitatibus, uſque ad Armeniam pervenit: ubi dum æſtu maximo balneandi gratia in fluvium, quem *Ferreum* appellant incolæ, deſcendiſſet, caſu flebili ſubmerſus & ſuffocatus in aquis, peccatis exigentibus, interiit, in totius Chriſtianitatis detrimentum. Adeò enim adventum ejus *Saladinus* [Saracenorum in Ægypto & Syria Sultanus] metuebat, quòd muros Laodiciæ & Gabeli, Tortoſæ, & Biblii, Berithi, & Sidonis, eo quòd per partes illas Imperatorem tranſiturum putabat, dirui præcepit, ſolis munitionibus, oppidis videlicet & turribus, reſervatis. Hæc Jacobus de Vitriaco. Eveniſſe iſtum Friderici exitum die Apoſtoli Barnabæ, anno Dom. 1190. ſcribit Suffridus presbyter Miſnenſis, in ſua Epitome, lib. 1. at Paulus Langius in ſuo Chronico Citizenſi refert ad annum Domini 1189. Exſtat etiam, in Appendice ad Ottonem & Radevicum Friſingenſes epiſtola de illa Friderici expeditione ejuſdemque morte, cujus ſcriptor ſe Imperatori in illo itinere adfuiſſe & ſibi viſa ſcribere profitetur. Is ait: Facto autem ibi prandio, poſt infinitos & intolerabiles labores, quos per menſem jam erat paſſus, & vellet balneari in eadem rapidiſſima aqua, & ita ſe refrigerare vellet natando, Dei judicio, caſu lachrymabili & inopinato ſubmerſus eſt. Cujus reliquias debitâ veneratione nobiſcum portamus. Hæc ille. Imperatorem autem illum Fridericum Radevicus Friſingenſis Canonicus, in ſua Appendice ad Ottonem Friſingenſem Epiſcopum, de rebus geſtis ejuſdem Friderici primi Imperatoris, lib. 1. cap. 43. ſcribit fuiſſe manſuetum ac pium Principem, & lib. 2. cap. 76. ait eum maximam providentiæ partem obſequio pietatis impendiſſe. Et Officiis divinis tantam præbuiſſe venerationem, ut omnem horam, qua coram ipſo Deo pſallebatur, competenti veneraretur ſilentio, nec ullus interim eum auderet de quolibet ſollicitare negotio. Quid referam pientiſſimi regis Joſiæ lachrymabilem in prælio cædem? quem tamen in pace obiiſſe, non obſtante triſti illo caſu, teſtatur divina Scriptura. Quid Jobi liberos in convivio ſubita domus ruinâ oppreſſos, commemorem? quid aliorum quorundam piorum ſubitaneos vel cruciabiles exitus? Pulchrè autor libri Sapientiæ, Δίκαιος δὲ ἐὰν φθάσῃ τελευτῆσαι, ἐν ἀναπαύσει ἔσται, Iuſtus autem, ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Sap. 4. 7. In quem locum Holcot, (referente Cavello) commemorat, de quodam viro ſancto & docto, qui inter libros, in ſuo muſeo obiit repentè, quod cum de hoc nonnulli ſcandalizarentur, repertus eſt, Deo ſic diſponente, digito denotans in libro cui ſtudebat, verſum illum, *Iuſtus quacunque morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit*. ita eum verſum reperit Hugo Cavellus, in ſua Apologia pro Joanne Duns Scoto doctore ſubtili, contra Bzovium, cap. 10. ubi multa alia exempla accumulat. Bene *Auguſtinus*; Mala mors putanda non eſt, quam bona vita præceſſerit. Neque enim facit malam mortem, niſi quod ſequitur mortem. Non itaque multum curandum eſt eis, qui neceſſariò morituri ſunt, quid accidat ut moriantur, ſed moriendo quo ire cogantur. Cum igitur Chriſtiani noverint longe meliorem fuiſſe religioſi pauperis mortem inter lingentium canum linguas, quàm impii divitis in purpura & byſſo, horrenda illa genera mortium quid mortuis obfuerunt qui bene vixerunt. Hæc Auguſtinus, lib. 1. de civitate Dei, cap. 11. vide etiam de hoc argumento inſignem ejuſdem Auguſtini diſſertationem, in Pſal. 33. prope finem: in illud, mors peccatorum peſſima.

*Pelagius 2. Papa Rom. correptus peſte inguinaria, obiit anno Dom. 590.*

*Peſtis inguinaria.*

*Sternutatio lethalis.*

*Vide 1. Pet. 4. 17. Meditatio de retentione ... ærumnoſa morte.*

*Fulconis regis obitus.*

4. *Gregorius*, adhuc diaconus, cùm Conſtantinopoli eſſet Pelagii ſecundi Papæ Romani ἀποκρισιάριος, (Latini apocriſarium vocant, & reſponſalem), pro negotiis Romanæ Eccleſiæ ibi commorans, & ejuſdem Eccleſiæ ibi reſponſa faciens, invenit in eadem urbe Leandrum Epiſcopum Hiſpalenſem, quem illuc injuncta pro cauſis fidei Herminigildi regis Wiſigothorum (Hiſpaniam tunc obtinentium) legatio perduxerat: & cum illo ſanctam amicitiam & familiaritatem contraxit, & quoad vixerunt, conſtanter eorum amicitia perduravit. Cum autem Conſtantinopoli degerent, compoſuit Gregorius ingens illud atque egregium opus morale in librum Job, impulſu Leandri; & poſtea Romam reverſus, jamque Epiſcopus Romanæ Eccleſiæ conſtitutus, illud ipſum opus librariis conſcribendum tradidit. & conſcriptum ad eundem Leandrum tranſmiſit, collocata ante opus ipſum epiſtolâ ad Leandrum, qua iſta narrantur: etſi ſcriptio per librarios Romæ facta, non ibi commemoratur, ſed in opere epiſtolarum ex regiſtro, lib. 1. epiſt. 41. ubi etiam Leandrum alloquens, ait ſe hoc ipſum opus morale in Job ſcripſiſſe ad Leandrum, ut ei (inquit) quem præ cæteris diligo, in meo judicer labore deſudaſſe. In illa autem præliminari ad Leandrum epiſtola, quæ operis moralis præfationem antegreditur, cum multa alia inveniuntur piè & ſapienter dicta, tum etiam celebris illa de ſacræ Scripturæ laudibus, ſententia; *Divinus etenim ſermo ſicut myſteriis prudentes exercet; ſic plerunque ſuperficie ſimplices refovet. Habet in publico unde parvulos nutriat: ſervat in ſecreto, unde mentes ſublimium in admiratione ſuſpendat. Quaſi quidam quippe eſt fluvius (ut ita dixerim) planus & altus: in quo & agnus ambulet, & elephas natet.* Hæc Gregor. epiſt. ad Leand. cap. 4. Extat etiam alia ejuſdem Gregorii Papæ ad eundem Leandrum Hiſpaniarum Epiſcopum epiſtola, quæ incipit; Sanctitatis tuæ ſuſcepi epiſtolam, ſolius charitatis calamo ſcriptam. lib. 7. epiſt. 125.

5. Leandro Hiſpalenſem regente Eccleſiam, Levvigildus Wiſigothorum Rex in Hiſpania regnabat, qui etiam Suevos ibi degentes ſibi ſubjecit. Erat autem Levvigildus Rex profeſſione Arianus, cum ſuis Wiſigothis. Filii Levvigildi Regis erant Herminigildus & Reccaredus (quem nonnulli Richardum vocant.) Herminigildo Childebertus Francorum Rex Ingundem ſororem ſuam (Sigeberti Regis filiam) in uxorem tradidit, orthodoxam & piam feminam: cujus adhortatione, & Leandri Hiſpalenſis Epiſcopi prædicatione, Herminigildus ad fidem catholicam converſus eſt. Quod ubi ejus Pater Levvigildus intellexit, vehementi in filium irâ accenſus eſt, cumque tum pollicitationibus tum minis ad hæreſin Arianam reducere conatus eſt. Sed in ſententia permanſit Rex Herminigildus, qui etiam Leandrum miſit Conſtantinopolin ad implorandum Imperatoris auxilium. Lewigildus autem filium Herminigildum, regno quod ei conceſſerat privavit, rebuſque exſpoliavit omnibus. Cumque nec ſic virtutem mentis ejus exſuperaret, arctæ illum mancipavit cuſtodię, & ferro collum ejus manuſque ligavit. At fortior in certaminibus effectus Rex juvenis Herminigildus, terrena omnia deſpiciens, cogitabat Cœleſtia. Adveniente autem Paſchali feſtivitate, cum ex manu Ariani Epiſcopi, à Levvigildo miſſi communionem Herminigildus accipere conſtanter recuſaret, occiſus eſt nocte intempeſta in carcere, juſſu Lewigildi, apparitore ſecurim cerebro Herminigildi infigente. Atque ita Rex martyr ad cœleſte regnum tranſlatus eſt. Refert Gregorius Levvigildum pœnitentiâ ductum, cum moreretur commendaſſe Leandro alterum filium ſuum Reccaredum. Reccaredus autem, defuncto Patre regnum adeptus, & à Leandro inſtitutus, hæreſi Ariana relicta, fidem Catholicam amplexus eſt, & cum Rege Reccaredo etiam Epiſcopi & clerici & proceres & tota gens Wiſigothorum in Hiſpania. Hęc commemorantur à Gregorio Papa Rom. lib. 3. dialog. cap. 31. & epiſt. ad Leandrum, ante opus morale. & à Gregorio Turonenſi, lib. 5. hiſt. Franc. cap. 38. & lib. 9. capitib. 15. & 16. & ab Iſidoro Hiſpalenſi, & Adone Vienneuſi & Rheginone abbate Prumienſi, & Mariano Scoto, & Sigeberto Gemblacenſi, in ipſorum Chronicis. Et ab Antonino Florentino, in ſecunda parte hiſtoriarum tit. 12. cap. 2. Converſio autem & Catholica confeſſio Reccaredi regis & Epiſcoporum & presbyterorum & diaconorum, & Procerum, & omnium ſeniorum totius gentis Gothicę in Hiſpania inveniuntur in actis Concilii Toletani tertii, juſſu ejuſdem Reccaredi regis celebrati, anno Dom. 589. qui fuit quartus annus regni Reccaredi. Et homilia Leandri ea de re gratulatoria, poſt Concilium & confirmationem canonum in eodem Concilio conditorum, edita eſt. In qua, inter alia, obſervat; Eccleſiam Catholicã dum premitur, erudiri; & dum inſectationem patitur, dilatari: & diſpendiis ſuis proficere, ſuoque damno ſubcreſcere: & virtute ſponſi ejus, deprædatores Eccleſiæ fieri prędam & ad eam reduci & qui hoſtes erant, eidem poſſidendos acquiri. De eadem Reccaredi converſione gaudium ſuum teſtatur Gregorius Papa Romanus, lib. 1. epiſtolarum ex regiſtro, epiſt. 41. ad Leandrum, ubi ait; explere autem loquendo nullatenus valeo gaudiũ meum quod communem filium Rechardum glorioſiſſimum Regem ad catholicam fidem integerrima agnovi devotione converſum. Hujus dum mihi per ſcripta veſtra mores exprimitis, amare me etiam quem neſcio feciſtis. Sed quia antiqui hoſtis

*Ingundis pia regina.*

*Herminigildus rex & martyr.*

*Reccaredus Rex cum ſua gente Wiſigothorum in Hiſpania fidem catholicam amplectitur.*

*Inſignis ſententia Leandri de Eccleſia cum angustiis conflictante.*

*Bellum durius contra victores.*

inſidias ſcitis, quoniam bellum durius contra victores proponit, nunc contra eundẽ ſolertius ſanctitas veſtra evigilet, ut bene cœpta perficiat, nec ſe de perfectis bonis operibus extollat: ut fidem cognitam vitæ quoque meritis teneat, & quia æterni regni civis ſit, operibus oſtendat: quatenus poſt multa annorum curricula, de regno ad regnum tranſeat. Hæc Gregorius.

*Converſio Anglorum.*

6. In hujus Gregorii primi Papæ Romani vita Anaſtaſius ait; Eodem tempore beatiſſimus Gregorius miſit ſervos Dei Mellitum, Auguſtinum, & Ioannem, & alios plures cum eis monachos timentes Deum, in prædicationem ad gentem Anglorum, ut eos converterent ad Dominum Ieſum Chriſtum. Hæc ille. Inter alia innumerabilia Britannorum ſcelera, quę hiſtoricus eorum Gildas flebili ſermone deſcribit, & hoc addebat, ut nunquam genti Saxonum ſive Anglorũ, ſecum Britanniam incolenti, verbum fidei prædicandum committerent. ſed non tamen (inquit Beda hæc referens) divina pietas plebem ſuam quam præſcivit deſeruit, quin multò digniores genti memoratæ præcones veritatis, per quos crederet, deſtinavit. Hæc Beda, libro 1. hiſtorię Eccleſiaſt. gentis Anglorum, cap. 22. Hiſtoriã autem converſionis Anglorũ à Paganiſmo ad Chriſtianiſmum, (adventus Anglorum in Britanniam anno circiter centeſimo quinquageſimo) miniſterio Auguſtini illius (qui primus deinde Cantuariorum Eccleſię apud Anglos Epiſcopus conſtitutus eſt), & Melliti (qui factus poſtea eſt Epiſcopus Londinenſis) & aliorum ſanctorum virorum, per Dei gratiam, tempore Gregorii primi Papæ Romani, factæ, prolixius deſcriptam memoriæ prodidit Beda, lib. 1. hiſt. Eccleſ. gentis Anglorum, cap. 23. & ſequentibus capitibus.

*Malitia Britannorum.*

*De veteri Eccleſia Scoticana.*

7. Narrat etiam eodem opere, lib. 3. cap. 3. & 4. & 5. Scotos, ex monaſterio Hy inſulæ in Angliam miſſos, Euangelium Anglis magno cum fructu prædicaſſe. Monaſterii autem illius primum fundatorem ſcribit fuiſſe ſanctum Columbanum, ſive Columbam, ex Hibernia profectum, anno Dom. 565. lib. 3. cap. 4. & lib. 5. cap. 10. ubi etiam monet, eundem Columbam à nonnullis, compoſito à cella & Columba nomine, Columcelli vocari. Atq; hinc proculdubio natum eſt hodiernum Inſulæ illius nomen Ycolmkill. Hujus Inſulę monaſterium (teſte Beda lib. 3. cap. 3.) in cunctis penè ſeptentrionalium Scotorum & omnium Pictorum monaſteriis non parvo tempore arcem tenebat, regendiſq; eorum populis pręerat. Et cap. 4. tertii libri ejuſdem hiſtoriæ Eccleſiaſticæ gentis Anglorum, de eodem ſcribens monaſterio, ait; Habere autem ſolet ipſa inſula rectorem ſemper Abbatem presbyterum, cujus juri & omnis provincia & ipſi etiam Epiſcopi ordine inuſitato debeant ſubeſſe, juxta exemplum primi doctoris illius, qui non Epiſcopus, ſed presbyter extitit & monachus. De cujus vita & verbis nonnulla à diſcipulis ejus feruntur ſcripta haberi. Verùm qualiſcunque fuerit ipſe, nos hoc de illo certum tenemus, quod reliquit ſucceſſores magna continentiâ ac divino amore regularique inſtitutione inſignes. In tempore quidem ſummæ feſtivitatis dubios circulos ſequentes, utpote quibus longè ultra orbẽ poſitis, nemo ſynodalia Paſchalis obſervantię decreta porrexerat, tantum ea quæ in Propheticis, Euangelicis, & Apoſtolicis literis diſcere poterant, pietatis & caſtitatis opera diligenter obſervantes. Permanſit autem hujuſmodi obſervantia Paſchalis apud eos tempore non pauco,

*S. Columba.*

*Icolmkill.*

*Antiqua Scotorum religio.*

hoc eſt, uſque ad annum Dominicę incarnationis ſeptingenteſimum decimum ſextum, per annos centum quinquaginta. Hæc ibi. ubi anni centum quinquaginta intelligendi ſunt à condito illo per ſanctum Columbam monaſterio in Hy Inſula.

8. Scribit idem Beda, lib. 2. ejuſdem operis, cap. 19. ſolerter, eruditè, atque amanter per literas ea de re admonitos fuiſſe Scotos illos, ab Honorio Papa Romano, & à Ioanne, qui ſucceſſori ejuſdem Honorii Severino ſucceſſit, cum adhuc eſſet electus in Pontificem. Cujus epiſtolæ principium hoc fuiſſe ait ibi Beda; Dilectiſſimis & ſanctiſſimis Thomiano, Columbano, Chromano, Dimano, & Bathano Epiſcopis, Chromano, Hermannoque, Lauſtrano, Stellano, & Segiano presbyteris, Sarano cæteriſque doctoribus ſeu Abbatibus Scotis, Hilarius archiepresbyter & ſervans locum ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, Ioannes diaconus & in Dei nomine electus, item Ioannes Primicerius, & ſervans locum ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, & Ioannes ſervus Dei conſiliarius ejuſdem Apoſtolicę ſedis. Scripta quæ perlatores ad ſanctæ memoriæ Severinum Papam adduxerunt, eo de hac luce migrante, reciproca reſponſa, &c. Hanc epiſtolam ſcriptam eſſe anno Dom. 639. indicat Baronius in Annalibus. Poſtea etiam frequentem & magnam de obſervatione Paſcharis & tonſura & aliis rebus Eccleſiaſticis quæſtionem in Nothumbria factam eſſe per quoſdam de Cantia vel de Galliis advenientes, reſiſtentibus & in ſententia permanentibus Finano & Colmano Epiſcopis Scotis, cum aliis Scotis, commemorat idem Beda, lib. 3. ejuſdem hiſtoriæ, cap. 25. & cap. 26. & utriuſque partis argumenta ibi recenſet. ubi etiam Finanum & Colmanum eorumque ſocios Scotos mirificè laudat, & eorum fidem, ac pietatem, & charitatem, & continentiam magnis extollit præconiis. fuerant autem Finanus, ac deinde Colmanus, in Nordan Hambrorum Anglorum regione Epiſcopi, poſt Aidanum Epiſcopum etiam Scotum, miſſi à Scotis ex ſancti Columbæ monaſterio quod in Hy Inſula erat.

*[illegible]*

9. Habita ſynodo, poſt Finani obitum, ipſo etiam Nordanhumbrorum Rege Oſwi præſente, Colmanus Epiſcopus dicere juſſus qui eſſet ritus, & unde originem ducens ille quem ipſe ſequeretur; Paſcha, inquit, quod agere ſoleo, à majoribus meis accepi, qui me huc Epiſcopum miſerunt, quod omnes Patres noſtri, viri Deo dilecti: eodem modo celebraſſe noſcuntur. Quod ne cui contemnendum & reprobandum eſſe videatur, ipſum eſt quod beatus Euangeliſta Joannes diſcipulus ſpecialiter Domino dilectus, cum omnibus quibus præerat Eccleſiis, prædicaſſe legitur. Tunc ex adverſo Wilfrid presbyter, Agilberti Occidentalium Saxonum Epiſcopi, ibidem præſentis, diſcipulus, jubente Rege, Agilberti hortatu, ut diceret, ita exorſus eſt; Paſcha quod facimus, inquit, vidimus Romæ, ubi beati Apoſtoli Petrus & Paulus vixere, docuere, paſſi ſunt, & ſepulti, ab omnibus celebrari. Hoc in Italia, hoc in Gallia, quas diſcendi vel orandi ſtudio pertranſivimus, ab omnibus agi conſpeximus. Hoc per Africam, Aſiam, & Ægyptum, Græciam, & omnem orbem quacunque Chriſti Eccleſia diffuſa eſt, per diverſas nationes & linguas, uno ac non diverſo temporis ordine geri comperimus: præter hos tantum & obſtinationis eorum complices, Pictos dico, & Britones. ——— Et hoc eſſe verum Paſcha, hoc ſolum fidelibus celebrandum, Nicæno Concilio non ſtatutũ noviter, ſed confirmatum eſt. Hæc & ſimilia loquuto Wilfrido, Colmanus pro ſe adducit etiam Anatolium Epiſcopum Laodicenum, in Eccleſiaſtica Euſebii hiſtoria (lib. 7. capult.) multum laudatum. Item ſanctum Columbam ejuſque ſucceſſores, de quibus loquens, ait; Nunquid reverendiſſimum Patrem noſtrum Columbam & ſucceſſores ejus viros Deo dilectos, qui eodem modo Paſcha fecerunt, divinis paginis contraria ſapuiſſe vel egiſſe credendum eſt: Cum plurimi fuerint in eis quorum ſanctitati cœleſti ſigna, & virtutum quæ fecerunt miracula teſtimonium præbuerunt, quos ut ipſe ſanctos eſſe non dubitans, ſemper eorum vitam, mores, & diſciplinam ſequi non deſiſto. At Wilfridus Anatolium contendit aliter ſenſiſſe, Columbam autem ejuſque ſucceſſores excuſat, quod ſimplicitate ruſticâ ſed intentione piâ Deum dilexerint. Eorumque paucitati opponit univerſalem Eccleſiam, & ſancto Columbæ Apoſtolum Petrum, cui datæ ſunt claves regni Cœlorum. Quo audito, Rex concluſit ſe nolle contradicere Petro qui eſſet oſtiarius, ne forte ipſo adveniente ad fores regni Cœlorum, non ſit qui reſeret averſo illo qui claves tenere probatur. Hæc à Beda referuntur, lib. 3. hiſt. Eccleſ. gent. Angl. cap. 25. Quæ fuerit autem obſervantia Paſchalis apud priſcos illos Scotos, commemorat Beda in fine quarti capitis libri tertii, ejuſdem hiſtoriæ; Paſchæ (inquit) diem non ſemper in luna quartadecima cum Judæis, ut quidam rebantur, ſed in die quidem Dominica, alia tamen quam decebat hebdomada celebrabant. Sciebant enim (ut Chriſtiani) reſurrectionem Dominicam, quæ prima ſabbati facta eſt, prima ſabbati ſemper eſſe celebrandam. Hæc ibi. Quam levi autem argumento motus ſit Rex Oſwi ad relinquendam Scotorum conſuetudinem, jam ex Beda commemoravimus: ac ſi ſoli Petro datæ eſſent claves regni Cœlorum, eaſque adhuc ipſe in ſua perſona geſtaret, & pro ſuo arbitrio advenientibus defunctis aperiret vel negaret introitum in regnum Cœlorum.

10. Colmanus autem & qui cum eo erant Scoti, de ſua ſententia non decedebant, ut refert Beda cap. 26, ejuſdem libri. ubi ait factam eſſe hanc quæſtionem anno Dominicæ incarnationis ſexcenteſimo ſexageſimo quarto. Colmanum autem, cum videret ſpretam ſuam doctrinam, ſectamque eſſe deſpectam, aſſumptis his qui eum ſequi voluerunt, id eſt, (ut ibi exponit Beda) qui Paſcha catholicum & tonſuram coronæ, de qua etiam quæſtio non minima erat, recipere nolebant, in Scottiam regreſſum eſſe, tractaturum cum ſuis quid de his facere deberet. Quid autem à ſuis Conſilii acceperit, facile eſt colligere ex eis quæ ſuperius indicata ſunt, in fine §. 7. ubi ex Beda oſtendimus eos receptam ſuam conſuetudinem tenuiſſe uſque ad annum Dominicæ incarnationis ſeptingenteſimum decimum ſextum, per annos centum quinquaginta à condito monaſterio Hyenſi.

11. Quod ſi altius rem repetas, & mentis aciem retro ad initia palam ſuſcepti à majoribus noſtris Chriſtianiſmi flectas, nempe ad tempus illud, quo Donaldus, hujus nominis primus, Scotorum Rex vigeſimus ſeptimus, & regni proceres ſacro baptiſmi lavacro initiati ſunt, invenies longè amplius temporis ſpatium, quo ea apud Scotos doctrina obtinuit; Nam Donaldum Regem cum ſuis hiſtorici noſtri ſcribunt Chriſtianos ritus palàm recepiſſe anno Dominicæ incarnationis ducenteſimo tertio. Qua de re Joannes Leſlæus Epiſcopus Roſſenſis, lib. 3. de geſtis Scotorum, in Donaldo primo, hos recitat antiquos verſus:

*Chriſti tranſactis tribus annis atque ducentis,*
*Scotia Catholicam cœpit inire fidem.*

Confirmatur id ipſum teſtimonio etiam Tertulliani, qui illo tempore floruit; Britannorum (inquit) inacceſſa Romanis loca, Chriſto verò ſubdita. Hæc Tertullianus, lib. adverſus Iudæos, cap. 7.

12. Ex his quæ commemoravimus, liquere arbitror primitivam Scoticanam Eccleſiam per totos quingentos & tredecim annos, fide catholicam, Chriſtianâ pietate florentiſſimam, & ſanctiſſimorum virorum feracem, multiſque laudibus abundantem, & Deo dilectam, & veteres etiam Britonum, Pictorumque Eccleſias, cum Scotis in religione Chriſtiana conſentientes, ſolas Propheticas Euangelicas, & Apoſtolicas literas agnoviſſe pro regula fidei vitæque Chriſtianæ: ac in rituum obſervatione, & ſacræ Scripturæ interpretatione, ignoraſſe & negaſſe, abſque ſalutis jactura, auctoritatem & infallibilitatem Eccleſiæ Romanæ, neque ejus judicio acquieviſſe, neque ei ſubjectas fuiſſe. Eſt igitur temerarium atque irritum illud Bonifacii Papæ octavi effatum; Porrò (inquit) ſubeſſe Romano Pontifici omni humanæ creaturæ declaramus, dicimus, definimus, & pronunciamus omnino eſſe de neceſſitate ſalutis. Hæc Bonifacius octavus, in Extravagantibus communibus, Titulo, de majoritate & obedientia, cap. 1.

*Veteres Eccleſia Scotica, Pictica & Britannica non agnoverunt infallibilitatem Eccleſiæ Romanæ.*

*Bonifacii Papæ error ex cathedra.*

13. Ingreſſum Euangelii in hanc inſulam Britanniam Gildas cognomento ſapiens, lib. de excidio Britanniæ, ad Apoſtolica refert tempora. & Nicephorus Calliſti, lib. 20. hiſt. Eccleſ. cap. 40. ait Apoſtolum Simonem Zeloten, attuliſſe doctrinam Euangelicam ad Occidentalem Oceanum, Inſulaſque Britannicas. Jacobus Pamelius, in librum Tertulliani adverſus Iudæos, cap. 7. nota 43. refert ex Polydoro, fundamenta fidei Chriſtianæ in Britannia jacta fuiſſe à beato Joſepho ab Arimathia. Et Cardinalis Baronius, anno Dom. 35. narrat ex hiſtoria Anglica. M. S. quæ habetur in bibliotheca Vaticana, eundem Joſephum ex Gallia in Britanniam navigaſſe, illicque poſt prædicatum Euangelium diem obiiſſe. Qua de re etiam ſcribens Joannes Leſlæus, Epiſcopus Roſſenſis, in Parænеſi, quam edidit cum ſua hiſtoria de geſtis Scotorum, ait vetuſtiſſimas Britannorum hiſtorias teſtari Joſephum ab Arimathia ad fundamenta Euangelii ponenda veniſſe in Britanniam, & Glaſſimburiæ ſedem fixiſſe, ibique tumulatum. At Beda lib. 1. cap. 4. converſionem Britannorum non altius repetit, quam ab anno Dominicæ incarnationis centeſimo quinquageſimo ſexto, quo anno Lucius Britannorum Rex cum ſuis fidem Chriſtianam ſuſcepit.

*De veterum Britannorum converſione ad fidem Chriſtianam.*

14. Quod autem diximus Eccleſiam Scoticanam uſque ad annum Dominicæ incarnationis ſeptingenteſimum decimum ſextum, ignoraſſe & negaſſe, abſque ſalutis jactura, auctoritatem & infallibilitatem Eccleſiæ Romanæ; idemque cum Scotis ſenſiſſe atque egiſſe Pictos & veteres Britannos: nolim inde lectorem colligere, quod Eccleſiæ illę eo anno, aut paulo poſt illum annũ, Romanæ Eccleſiæ jugũ ſubierint. Non enim propter auctoritatem & infallibilitatem Eccleſię Romanæ, ſed propter definitionem ſynodicã in primo Concilio œcumenico Nicææ factam, orbiſq;

*Conſenſus non importat ſubjectionem.*

Chriſtiani cònſenſum, receperunt canonicum ritum Paſchalis obſervantiæ, qua in re quidem illis deinceps conveniebat cum Romana Eccleſia;at non inde ſequitur eas fuiſſe ſubjectas Romanæ Eccleſiæ. Nam jam olim canonicum Paſcha celebrabant Aurelius, & Auguſtinus, & alii Patres Africani, qui tamen recuſantes ſubiici Romanæ Eccleſiæ, canonem condiderunt contra appellationes ad tranſmarina. Et Patriarchæ Conſtantinopolitani, quibus Synodus Chalcedonenſis tribuit æqualia privilegia [τὰ ἴσα πρεσβεῖα] cum Pontificibus Romanis. Et canonico more Paſcha celebrabat Joannes ille Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui, fruſtra reclamante Gregorio Papa Romano, ſe conſtanter ſcripſit œcumenicum Patriarcham. Nec in obſervatione Paſchali à decreto Nicæno receſſerunt Patres illi qui, invito Vigilio Papa Romano, quintum Concilium œcumenicum celebrarunt, & tria capitula, Vigilio incaſſum repugnante, damnarunt, & contradicentibus anathema denunciarunt. Neque Sexta œcumenica ſynodus, quæ Honorium Papam Romanum, poſt mortem damnavit, propter hæreſin Monotheliticam. Canonicam etiam Paſchatis celebrationem retinuerunt Patres Quiniſextæ Synodi, qui eandem Honorii damnationem laudarunt, & quædam alia Romanis haud jucunda decreverunt. In obſervatione Paſchatis cum Romanâ Eccleſia conveniebat Eccleſiis Iſtriæ aliarumque regionum, quæ ſe ob quintam ſynodum longo tempore à Romanæ Eccleſiæ communione ſubduxerunt. Quid ego commemorem ſynodos illas poſtea celebratas, quas Romani ſeptimam & octavam œcumenicas vocant, in quibus repetita eſt Honorii damnatio? quid depoſitionem aliorum Romanorum Pontificum, ut notoriorum hæreticorum, in poſterioribus Conciliis, Sutrino, Piſano, Conſtantienſi, &c? Accedit doctrina Concilii Conſtantienſis, & Martini Papæ quinti, de ipſius Papæ ſubjectione Concilio generali. Verùm de iſtis quæſtionibus, ſi Deus voluerit, alius nobis dabitur commodior diſſerendi locus.

*Contra ſuprematum Eccleſiæ Romanæ.*

INSTRU-



# INSTRUCTIONUM HISTORICO-THEOLOGICARUM LIBER QUARTUS,

## *DE* MUHAMMEDE, ejuſque Impietate, & Sectatoribus, & de bello Sacro, & aliis quibuſdam bellis.

Ex Muhammedis Alcorano, & ejuſdem dialogo cum Abdia Judæo, & ex ſummula Petri Abbatis Cluniacenſis, quam contra hæreſes & ſectam diabolicam fraudis Saracenorum præmiſit Alcorano, auſpiciis ipſius in Latinum verſo. Et ex Johannis Damaſceni lib. de hæreſibus. Et Enthymii Zigabeni confutatione ſectæ Iſmaëlitarum, in dogmatica Panoplia, part. 2. tit. 24. & in bibliotheca Patrum, tom. 2. Græcol. Et ex Nicetæ libro, de ordine qui obſervabatur quando aliquis à Saraceniſmo veniebat ad Chriſtianam fidem, in bibl. Patr. tom. 2. Græcol. & ex Theophanis Chronographia in bibl. Patr. ibidem & ex Georgii Cedreni compendio hiſtoriarum. & ex tomo tertio Annalium Johannis Zonaræ. Et ex diſputatione Philoſophi cujuſdam Chriſtiani adverſus Philoſophum Saracenum, apud Vincentium Bellovacenſem, lib. 23. Speculi hiſtorialis. Et ex hiſtoria Wilhelmi Epiſcopi Tyri. Et ex Pauli Æmylii hiſtoria de geſtis Francorum. Et ex Marci Antonii Coccii Sabellici Ennead. 8. lib. 6. Et ex Lodovici Vivis lib. 4. de veritate Chriſtianæ fidei. Et ex Chronico Abrahami Zaccuthi, apud Joſ. Scaligerum, & ex Johanne Leunclavio, & aliis, quorum nomina locis opportunis exhibebuntur.

### CAPUT PRIMUM.

*De occaſione & tempore & loco, quibus ortus Muhammedes, & de origine Hagiræ, & feſtivitate diei Veneris.*

DIffuſa per Orientem impiarum de Chriſto hæreſium colluvie, ſuperius memoratâ, & jactis hæreſeos Monothelitarum mox ſequutæ fundamentis; Deus juſto judicio flagellum furoris ſui, in orbem prodire paſſus eſt, videlicet, impium *Muhammedem*; qui genere Arabs, de gente Iſmaëlitica, Parentibus idololatris prognatus, ipſe etiam idolorum cultor fuit; homo pauper & mercaturam exercens cum Camelis, in Ægypto & Palæſtina. Aſtuto & ad quidlibet audendum præfidenti ingenio. Matrimonio autem opulentæ & potentis viduæ in Corazan provincia dives factus eſt. qui autem militabant ſub Heraclio Imperatore populares ejus Arabes, cum ob non ſoluta ſtipendia diſceſſionem ab Heraclio feciſſent, homo ambitioſus *Muhammedes* inde Principatus affectandi occaſionem nactus eſt, animos militum adverſus Imperatorem acuens & in defectione confirmans. Tum creatus eſt à quadam militum parte dux *Muhammedes*. Sed cum animadverteret humilitatem generis ſui, & vitæ prioris ſordes (exercuerat enim latrocinium) exiſtimationi ipſius non leviter officere apud nobiliores & potentiores, ipſe ut ab illo ſe contemtu vindicaret, divinitatem ſuis artibus, ſceleratiſſima audaciâ, prætendit; non jam ſe ducem tantum & Principem ferens militari favore electum, ſed Prophetam & Nuncium Dei omnipotentis, ut obtentu divinitatis, omnes haberet dicto audientes.

2. Cum hæc ſua venena Mechæ ſive Meccæ (quod Arabiæ oppidum eſt) ſpargere non ceſſaret, magiſtratus illius oppidi eum ut hominem nefarium & ſeditioſum comprehendere, & meritis pœnis ſubjicere decreverunt; quo cognito

Muhammedes clam ex urbe aufugit, anno Dom. ſexcenteſimo vigeſimo ſecundo, die decimo nono Julii, veſpere illo quod inter quintam & ſextam feriam intercedit. & ſe contulit in aliam Arabiæ civitatem, cujus nomen Jetrib ſive Jeſrab, (Euthymio Αἴθριβος Æthribus dicitur) in qua ſedem Principatus ſui collocavit, confluente ad illum undique deluſa multitudine. Hinc civitati illi indita appellatio *Medina Alnabi*, id eſt, civitas Prophetæ, & per excellentiam ſimpliciter *Medina*, id eſt, civitas. Et à tempore illius fugæ ex civitate Mecca, computatur initium æræ Muhammedicæ, quam Hagiram ſive Hegiram vocant, vocabulo Arabico quod fugam ſignificat, à verbo Hagar, fugit: & in memoriam illius temporis, ſacram ſuam ſolennitatem hebdomadariam celebrant Muhammedani feria ſexta ſive die Veneris. Hujus initium apud illos more Hebræorum cenſetur eſſe in illo veſperi quo quinta feria deſinit, & ſexta incipit, Sole cadente.

*Medina Alnabi.*

*Hegira.*

*Obſervatio diei Veneris.*

3. Nec eſt prætereundum quod ſcribit Johannes Damaſcenus, lib. de hæreſibus, Hagarenos ex Hagar Abrahæ Ancilla oriundos, multis ante exortum Muhammedem annis coluiſſe Luciferum ſtellam matutinam, nam & inde videtur ſumta celebratio diei Veneris, adeò ut à Paganiſmo hanc ceremoniam mutuatus ſit Muhammedes.

*Cultus ſtellæ matutinæ.*

4. Commemorat quoque Muhammedes, in dialogo cum Abdia Judæo, fabulam valde ridiculam, & Paganorum fabulis ſimillimam, de ſtellæ illius matutinæ origine. Sciendum eſt obiter, Muhammedem ſectatoribus ſuis prohibuiſſe uſum vini, ne illud bibant: quærit igitur ex illo Abdias Judæus, quis vini uſus futurus ſit in Paradiſo, vel ſi vinum bibere in Paradiſo licitum ſit (ſicut delirat Muhammedes) cur in hoc ſeculo perhibuit Mahumed vinum. Reſp. Muhammed; Tam argutè (inquit) quæris ut una interrogatione geminam neceſſariò reſponſionem extorqueas, utrumque ergo exponam & illic eſſe licitum & hic illicitum. Erant enim Angeli duo, *Aret* & *Maret*, miſſi olim à Deo de Cœlis in terram, gubernando & inſtruendo generi humano tributi, his interdictis ne occiderent & injuſtè judicarent, nec vinum biberent. multo itaque tempore ſic habiti, cum noti eſſent judices univerſo orbi, venit ad eos quædam mulier præ cunctis feminis omnimodo pulcherrima, cauſſam habens adverſus maritum, quæ ut cauſſæ ſuæ accommodaret, Judices quadam die invitavit eos ad prandium, ſequuntur, illa ſatagens convivantibus, inter epulas pocula illa vini apponit, aſtat miniſtrans, offert crebro, inſtat ut ſumant: quid plura, vicerunt blanditiæ mulieris. inebriati poculis in hoſpitam formoſam incaluerunt, victi accubitum petunt, ſpondet conditione, dummodo alter verum doceat per quod aſcendebat in Cœlum, alter per quod deſcendebant, placet conditio, cum id didiciſſet elevata eſt ſubito, & aſcendit in Cœlos, & cum vidiſſet Deus, explorata cauſſa poſuit eam Luciferum, ita pulcherrimam inter ſtellas ut fuerat inter mulieres. Illis in judicium vocatis, propoſuit illis Deus ut eligerent inter pœnas ſeculi hujus & alterius, elegerunt hanc. & ſuſpenſi ſunt per catenas ferreas, demiſſis capitibus, in puteo Bebill uſque in diem judicii. quod, Abdia, nonne ſufficiens videtur cauſa, cur & illic licitum ſit vinum bibere, & hic illicitum? ait Abdias, certe ſatis & merito. Hæc ille. ubi paucis verbis Muhammed multas Ethnicas, magicas, aniles, & riſu dignas, abſurditates complectitur, partim à Paganorum fabuloſo ſeculo, partim à Talmudiſtarum deliramentis, partim ab anicularum nugis, partim etiam ab ebriorum ſomniis petitas. Patefacit Cœlum mulieri ſeductrici & adulteræ, fingit metamorphoſin impudicæ muliercula in ſtellam clariſſimam, nempe Luciferum, & hoc quidem erat numen, ſeu loco numinis, quod adorabant Agareni.

*Fabula de ſtella matutina origine.*

*Cur Muhammed ſuis ſectatoribus interdixerit vini uſu.*

5. Muhammed autem quo facilius Agarenos ſuos ad ſuam pertraheret impietatem, quamvis prohibuerit adorationem ullius ſtellæ, & ſolum Deum juſſerit adorare, hunc tamen honorem habet huic ſtellæ in Alcorano, ut ibi introducat Deum jurantem per ſtellam veſpertinam, quemadmodum & jurantem per ventos, per montem Sinai, per Angelos, per naves æquore currentes, &c. id quod ab Ethnicis deſumſit, quorum dii deſcribuntur jurantes per Stygiam paludem, Dii cujus jurare timent & fallere Numen. Et Ægyptii olim per canes & catos. Cum verus Deus non habens majorem per quem juraret, neque quidquam ſeipſo majus aut ſacratius, juraverit Abrahamo per ſeipſum, ut legimus in divinis literis. Diem etiam Veneris, quem Agareni Veneris cultores celebrabant, retinuit Muhammed pro hebdomadaria feſtivitate.

## CAPUT SECUNDUM.

### *De annis Hagiræ, & menſibus Hagarenis & diebus.*

ANni Muhammedani ſunt merè Lunares, duodecim menſium, quorum impares, nempe primus, tertius, quintus, &c. habent dies triginta: pares verò, ut ſecundus, quartus, ſextus, &c. habent tantum dies viginti novem. ut monet Sethus Calviſius in Chronologia, ad annum Chriſti 622. Joſeph. Scal. lib. 1. Iſagogicorum Chronologiæ canonum, cap. 5. menſem triginta dierum vocat menſem plenum; menſem verò cavum dierum undetriginta. Et Calviſius (in Chronologia loco citato) ſcribit Muhammedanos menſem non, niſi quando Luna tenuiter corniculа, poſt novilunium apparet, inchoare. Conſtat communis annus Hegiræ diebus 354. & horis præterea octo, & aliquot minutis. Annus autem ἐμβόλιμος ſive intercalaris habet dies 355. (aſſumto ſcilicet uno die ex horis & minutis illis quæ inventa ſunt ultra dies 354. in annis communibus) ut ſcribit idem Calviſius, in Iſagoge Chronologica, cap. 13. Monet idem Calviſius annum Hagiræ communem diebus decem & minutis 53. minorem eſſe quàm annum Julianum, quo utimur in æra Chriſtiana. Tradunt Turci (referente Leunclavio in Pandecte hiſtoriæ Turcicæ cap. 11.) poſt triginta duos annos Turcicos ſive Muhammedanos, firmamentum Cœli curſum ſuum abſolvere. Unde propemodum colligi pleriqUe putant (inquit Leunclavius) annis 31. Chriſtianis reſpondere Mahumetanos triginta duos cum exiguo additamento. Nam ſi dies undecim (qui dies emboliſmi ſere loco ſunt ad complendum annum Lunarem) computentur



tur tricies & ſemel, efficientur dies 341. qui paullo minus quam integrum annum conſtituunt, addendum triginta & uni Mahumetanis annis, ut Mahumetani triginta duo annis Chriſtianis triginta & uni reſpondeant. Hæc ille. Calviſius autem loco citato Iſagoges, ſcribit annum Hegiræ in annis Julianis triginta duobus & dimidio omnes menſes anni Juliani initio ſuo percurrere: (nempe propter inæqualitatem annorum Lunarium & ſolarium,) ut, exempli gratia, ſi hoc anno annus aliquis Hegiræ incipiat Calendis Decembris, poſt ſedecim annos initium ejus ad initium Iulii perveniet, inde iterum poſt ſedecim annos ad Decembrem redibit.

2. Hæc omnia clariora erunt ſi conſideremus definitiones illas apud Ioſephum Scaligerum, lib. 1. pag. 80. Iſagogicorum Chronologiæ canonum, cap. 10. quæ ſic ſe habent.

1. Annus Arabicus eſt annus retextus, ſive communis, ſemper 12. menſium, alternis plenorum & cavorum, niſi in anno ἐμβολίμῳ.

2. Annus Arabicus ἐμβόλιμος eſt longior uno die, quam communis, quum ultimus menſis ex cavo ſit plenus.

3. Τριακονταετηρὶς Ἀραβικὴ eſt ſyſtema annorum Arabicorum triginta; 19. quidem communium, 11. autem ἐμβολίμων.

4. Περίοδος ἑβδομαδικὴ eſt ſyſtema τριακονταετηρίδων ſeptem, quo intervallo characteres Neomeniarum Muharram redeunt in orbem.

5. Cyclus magnus Iulianus neomeniarum Muharram eſt ſyſtema annorum Iulianorum 228. quo intervallo Neomeniæ Muharram redeunt in orbem in diebus Iulianis.

6. Cyclus magnus Arabicus Neomeniarum Muharram eſt ſyſtema annorum Arabicorum 235. concurrens cum cyclo magno Iuliano.

7. Neomenia Indica eſt ἔνη καὶ νέα.

8. Neomenia Hagarena, ſive Hegiræ, eſt dies viſionis Lunæ, tertius à jugo Lunæ, aliquando quartus δύο τῆς ἔνης καὶ νέας.

Idem Scaliger lib. 5. ejuſdem operis, in cap. 10 libri primi. Diximus, (inquit,) Neomeniam Indicam eſſe ἔνην καὶ νέαν, atque uno die novilunium antevertere. Contra, Neomenia Hegiræ eſt tertia à jugo Lunæ.

Calviſius in Iſagoge, cap. 13. in tabulis annorum Hegiræ & annorum æræ Chriſtianæ, ponit cum ineunte anno 1630. æræ Chriſtianæ, annum Hegiræ 1038. & inſuper dies 339. minuta 24.

Dies ille excreſcens in anno Arabico ἐμβολίμῳ conficitur ex horis illis & minutis redundantibus ſupra dies 354. in anno Arabico communi. adeò ut reſectis ab anno communi, & reſervatis anno intercalari horis illis 8. & minutis 48, remaneant in anno retexto ſive communi Hagareno tantummodo dies 354. & ſint in anno ἐμβολίμῳ ſive intercalari dies 355. quemadmodum ex quadrante diei multiplicato in annis Iulianis exſurgit dies ulterior, ad finem luſtri Iuliani, id eſt, quadriennii, in anno bis ſextili: adeò ut in annis communibus Iulianis ſint dies 365. annis autem ultimus cujuſque luſtri Iuliani habeat dies 366.

3. Biſſexti, & luſtri Iuliani, & luſtri Romani, has tradit definitiones Ioſephus Scaliger, lib. 1. canonum Iſagogicorum, cap. 2.

Biſſextum eſt dies conſurgens ex quatuor quadrantum appendicibus, & anno quarto Iuliano abſolutè accreſcens.

Luſtrum Iulianum eſt ſyſtema annorum quatuor Iulianorum, quorum ultimus eſt dierum 366. abſolutorum, ſine horarum reliquatione. *Luſtrum Iulianum.*

Luſtrum Romanum eſt quinquennium abſolutum. *Luſtrum Romanum.*

Crebrius autem recurrit annus Arabicus ἐμβόλιμος, quam Iulianus Biſſextilis, quia ex octo horis & 48. minutis multiplicatis citius conſurgit dies, quam ex quadrante diei ſive ſex horis. idcirco etiamſi in ſpacio annorum Iulianorum 32. inveniantur anni biſſextiles tantummodo 8, pro 8. Luſtris Iulianis, in una tamen triacontaeteride Arabica inveniuntur anni ἐμβόλιμοι XI. ſicut dictum eſt ſupra in definitione τριακονταετηρίδος Ἀραβικῆς.

4. Menſium Hagarenorum nomina & ordinem ſic proponit Ioſephus Scaliger, lib. 1. canonum Iſag. cap. 9.

| | | | |
|---|---|---|---|
| 1. *Rabie prior.* | 4. *Giumadi poſter.* | 7. *Ramadhan.* | 10. *Dulhajathi.* |
| 2. *Rabie poſterior.* | 5. *Regeb.* | 8. *Serval.* | 11. *Muharram.* |
| 3. *Giumadi prior.* | 6. *Sahaben.* | 9. *Dulkadathi.* | 12. *Sephar.* |

Poſtea verò eodem libro, cap. 10. in laterculo menſium Arabicorum, ponit primo loco menſem Muharram, & ſecundo Sephar, tertio autem & quarto locis duo Rabie. Et eodem ordine menſes Hagarenos ſive Arabicos recenſet Georgius Chryſococces, apud eundem Scaligerum, lib. 3. can. Iſagog. in cap. 9. qua autem occaſione apud Arabes menſis Muharram cœperit eſſe primus menſium, qui antea penultimus erat in cenſu menſium, declarat Scaliger, eodem lib. 3. cap. 10. & hinc in definitionibus ſupra propoſitis ex lib. 1. can. Iſagog. cap. 10. Neomenias Muharram poſuit pro Neomeniis annorum Hagarenorum incipientium. Et eodem poſteriore ordine menſes Turcicos recenſet Sethus Calviſius, in Iſagoge, cap. 13. in hunc modum. *Neomenia Muharram.*

| | | |
|---|---|---|
| *Muharam,* | *Giumadi prior.* | *Ramadan.* |
| *Sepher.* | *Giumadi poſter.* | *Schebal vel Xevel.* |
| *Rabie evel prior.* | *Regiab vel Rezeb.* | *Dulcada, Silcada.* |
| *Rabie Achir poſterior.* | *Sahaben.* | *Dilhaga, Zilciſcha vel Dhilhitſche.* |

Scribit autem Iohan. Leunclavius in Pandecte hiſtoriæ Turcicæ cap. 11. Turcos referre principium anni ad menſem Silchidze. & nomina menſium apud Turcos hæc eſſe ait;

| | | |
|---|---|---|
| 1. *Silchidze.* | 5. *Rebuil Achir.* | 9. *Schaban.* |
| 2. *Muchavan.* | 6. *Dſiumaſiel evel.* | 10. *Ramazan.* |
| 3. *Saphar.* | 7. *Dſiumaſiel Achir.* | 11. *Schevval.* |
| 4. *Rebuil evel.* | 8. *Rezeb.* | 12. *Sileade.* |

Ioſephi

Ioſeph. Scal. lib. 5. can. in cap. 9. ait in Græcis nominibus menſium apud Georgium Chryſococcen poni τ ζ. pro G. quale eſt Gallis ante e & i ut τζιμαδ pro Giumadi.

3. Leunclavius loco citato, dierum hebdomadis apud Turcos hæc ſcribit eſſe nomina:

1. *Baſar Iuni*, hoc eſt, dies mercatus hebdomadarii, qui reſpondet diei Dominico noſtro. [nempe eo die mercatum habent Muhammedani quaſi in contemtum fidei Chriſtianæ, nam cum Manichæis aliiſque ſceleſtis hæreticis impiè negant iſti Chriſtum verè mortuum eſſe aut reſurrexiſſe.]

2. *Baſar Erteſi*, hoc eſt, poſtridie mercatus, reſpondet diei Lunæ.

3. *Salli*, reſpondet diei Martis noſtro.

4. *Dſar Schamba*, id eſt, quartus dies qui nobis Mercurii dies eſt.

5. *Peſchembe*, hoc eſt, quintus dies, veluti nos feriam quintam vocamus qui Iovis eſt dies.

6. *Dſiuma*, duab. ſyllabis, (*alii Zuma* ſcribunt, & *Zuna*) vel *Dſiuma Iuni*, quod ſignificat diem Eccleſiæ ſive templi, nam Veneris diem feriantur.

7. *Dſiuma Erteſi*, hoc eſt, ἐπίθεον, Græco vocabulo Pindarico, quaſi ſi dicas, poſt feſtum, vulgo Saturni dies. Hæc Leunclavius.

## CAPUT TERTIUM.

### *De origine doctrinæ Muhammedicæ, & Alcorani.*

*Muhammedis adjutores.*

MUhammed Pſeudopropheta, ſuggerente Diabolo, qui mendacii Pater eſt, & adjuvantibus quibuſdam hæreticis Pſeudo Chriſtianis, videlicet Baira Jacobita, & Sergio monacho Neſtoriano: & quibuſdam etiam Judæis ei adhærentibus, puta Phinea, & Abdia ben Salon; qui Arabicè Abdalla dictus eſt. (*Abdia* Hebr. & *Abdalla* Arab. utrumque vocabulum ſignificat ſervum Dei) & aliis: ab utriſque venena & deliramenta veris quibuſdam mixta, eoque ad fallendum rudem plebeculam aptiora, hauriens, eiſque Pagana quædam interſerens, chartas quaſdam ſcripſit per modum legis, impiis blaſphemiis & abſurdiſſimis commentis, impudentiſſimiſque mendaciis refertas, interſperſis quibuſdam generalibus præceptis de colendo uno Deo, de eleemoſyna, de oratione, &c. de quibus quicquid ſanum ſuis diſcipulis commendavit, illud multò clarius, longè jucundius, & immenſo gravius diu ante impoſtoris iſtius tempora traditum eſt in ſacris literis Veteris & novi Teſtamenti. Oras ſcyphi tartareo veneno pleni viſum eſt Diabolo quibuſdam quaſi melleis illectamentis allinere, ad occidendum incautos. Neque tamen pietatis, juſtitiæ, & temperantiæ amantibus, ſed ſolis voluptuariis & pecuinis hominibus illecebroſa eſſe poteſt illa ineptiſſima & ſpurciſſima farrago.

*Muhammedis epilepſia.*

2. Sæpe cadebat Muhammed in paſſione epileptica, ut referunt Johannes Zonaras, tom. 3. annalium, in imperio Heraclii, & Theophanes in ſua Chronographia, in bibl. Patr. tom. 2. Græcol. Et Anonymus auctor hiſtoriæ, de Moametha, in bibl. Patr. ibidem. Et doctus ille Philoſophus Chriſtianus, in ſua diſputatione contra Muhammedis doctrinam & flagitia, apud Vincentium Bellovacenſem, lib. 23. ſpeculi hiſtorialis, cap. 39. Certè videtur dæmoniaca fuiſſe illa Muhammedis epilepſia, qualis erat ille Pythonicus Sybillæ raptus, quem deſcripſit Virgilius, lib. 6. Æneidos his verbis:

*Ante fores ſubitò non vultus, non color unus,*
*Non comta manſere comæ, ſed pectus anhelum,*
*Et rabie fera corda tument: majorque videri,*
*Nec mortale ſonans: afflata eſt numine quando*
*Iam propiore Dei.*

item,

*At Phœbi nondum patiens immanis in antro*
*Bacchatur vates, magnum ſi pectore poſſit*
*Excuſſiſſe Deum. tanto magis ille fatigat*
*Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo.*

Cum Muhammedis uxor nomine Cadigam (quam opulentam viduam duxerat) indignaretur ſe homini impuro & epileptico nupſiſſe, mentiebatur impoſtor (adjuvante eum & idem de eo affirmante blaſphemo quodam Monacho Ariano) Angelum Gabrielem ad ſe miſſum divina ei oracula revelare, & ideo cum ſic corruere & agitari, quod Angeli præſentiam ferre non poſſet, ut ab eiſdem refertur ſcriptoribus, locis citatis. At certè nullus veri Dei Propheta raptu epileptico proſtratus eſt propter Angeli aut Dei ipſius alloquium; contremiſcere, proſterni, obmuteſcere potuerunt, at non volutabantur ſpumantes, ſicut dæmoniacus ille, de quo legimus in Euangelio, Marc. 9. Juſto Dei judicio permiſſum eſt Satanæ, ut ſe transformans in Angelum lucis, ſceleratiſſimo nebuloni Muhammedi forſitan perſuaderet ſe eſſe Gabrielem Cœlitus miſſum & Cœleſte adferre nuncium. quemadmodum quadringentorum Achabi Regis Pſeudo-prophetarum ora mendax ille ſpiritus occupavit. 1. Reg. 22. Et Montanum hæreticum in eam pertraxit inſaniam, ut miſer homuncio ſe jactaret eſſe Paracletum. Manichæo etiam cum ingeſſit furorem, ut ſpurciſſimus hæreticus diceret promiſſionem Chriſti de Paracleto, completam in ipſo eſſe, ſeque ſcriberet Apoſtolum Jeſu Chriſti. ut habes apud Auguſtinum in libro ad Quodvultdeum hæreſi 26. ubi de Montano. & hæreſ. 46. ubi de Manichæo. Neque nos Chriſtianos movere debet obtentus nominis Angelici, qui ex Apoſtolo didicimus anathema dicere docenti contraria Euangelio quod accepimus, etiamſi Apoſtolus ſit, imò etiamſi Angelus de Cœlo ſit. Et ſanè hinc conſtat, ſpiritum illum Muhammedis fuiſſe Angelum abyſſi infernalem.

3. Librum autem impietatis ſuæ Muhammed appellavit modo Alcoran, modò Alfurcan. *Al* articulus eſt; dicitur autem Coran, à verbo Kara quod ſignificat legere vel colligere. ut monet Thomas Erpenius in ſcholiis ſuis in hiſtoriam Joſephi Patriarchæ Alcoranicam, ubi hæc verba ſubjungit; Etſi autem Lectionis notio propterea malè ei convenire non videatur, quod Iudæi quoque legem ſuam, ſeu vetus Teſtamentum, ab eodem themate, Mikra, id eſt, lectionem vocent, quod lectione digna ſit, & in Eccleſia legatur: tamen Arabes eruditi omnes ita dictum volunt à collectione ſuratarum ſeu capitum quæ comprehendit: ſicuti & furcam eum vocant, quod in capita illa variaſque partes ſit diviſus. Hæc



Erpenius. Schindlerus verò in Lexico Pentaglotto in radice *Kara*, ait *Coran* ſignificare confeſſionem, à radice *Karar*, neque dici *Coran* à *Kara*, eo quod litera א in קרן *Koran* ad terminationem ון pertineat, ſicut in *Korban*. Sed accipiamus receptam interpretationem ipſorum Arabum. *Furkan* autem dicitur à radice פרק *Farak*, diviſit, diſcrevit, diſcriminavit. In dialogo illo Abdiæ & Muhammedis, qui appellatur Liber Doctrinæ Muhammedis; Quærit Abdias, cur dictum *Alfurcan*? Dixit [Muhammed] quia diſcretæ ſunt ſententiæ & figuræ ejus: nec enim ſimul deſcendit ſuper me verbum Dei. Hinc Nicolaus de Cuſa Cardinalis in ſua cribratione Alcorani, lib. 1. cap. 1. Eſt, inquit, liber legis Arabum *Alcoran*, ob præceptorum collectionem, atque *Alfurkan* ob diſcretam capitum ſeparationem, nominatus. *Hæc Cuſanus.*

4. Scribunt Joannes Damaſcenus, lib. de hæreſibus, & Euthymius monachus Zigabenus, in confutatione Iſmaelitarum, [in bibl. Patr. tom. 2. græcol.] cum Muhammedani à Chriſtianis urgentur, ut teſtimonium aliquod adferant vel ex Prophetarum prædictionibus, vel ex evidentibus miraculis, quo doceant ſcripturam iſtam Muhammedi à Deo traditam eſſe, reſpondere Muhammedanos, quod Muhammede dormiente deciderit in eum hæc Scriptura, quæ Alcoran dicitur. Et poſtulantibus porrò Chriſtianis, unde nam conſtet iſtam ſcripturam de cœlo eſſe delapſam, cum veriſimilius ſit, vel hominem aliquem ejus ſcriptorem in Muhammedem dormientem ſcripturam iſtam conjeciſſe, vel ipſum potius Muhammedem eam confinxiſſe, & poſtea quaſi cœlitus delapſa ſit prædicaſſe: nihil ſolidi in medium adferre Muhammedanos ad ſui defenſionem. Inferre igitur meritò Chriſtianos, ſcripturam iſtam eſſe hominis ſomniantis deliramentum, nullo Divino teſtimonio commendatum: & cum mulieres, ſervos, pecunias, aſinos, ſine idoneo teſtimonio non poſſideant, prorſus abſurdum eſſe quod fidem & ſcripturam ſine ullo idoneo teſtimonio recipiant. Certè nullum mendacium eſt ex veritate [1. Joan. 2, 21.] At Alcoran fœdum eſt impudentiſſimorum mendaciorum ſterquilinium, ut ex ſpeciminibus impietatis & fabuloſæ vanitatis inferius demonſtrabitur: Non igitur à Deo, qui Veritas eſt, ſed à Diabolo, qui Pater mandacii eſt, oportet profectam eſſe iſtã ſcripturam, quæ Alcoran dicitur.

5. In Speculo hiſtoriali Vincentii Bellovacenſis, lib. 23. cap. 41. & ſequentibus, uſque ad finem capitis 66. inveniuntur excerpta quædam ex diſputatione cujuſdam Philoſophi Chriſtiani eruditiſſimi, qui diu verſatus eſt in magna dignatione apud Principem Saracenorum, contra legem Muhammedis: quæ etiam typis edita ſunt cum Alcorano latino. In ea diſputat. cap. qualiter Alcorani liber connexus ſit; (quod eſt libri Vincentii, cap. 51.) refert Chriſtianus ille Philoſophus Sergium pſeudomonachum Neſtorianũ, in quodam latibulo occultatum, Muhammedi reſponſa furtim dediſſe: & quadam die accidiſſe, ut Hali filius Abitalib, adhuc puer, per quædam devia vagabundus incedens, Latibulum illud Sergii reperiret. Sergium verò, cum ſe deprehenſum videret, effeciſſe partim minis, partim blanditiis apud puerum, ut hoc nulli hominum ſe proditurum reciperet. Et cap. ſeq. ait. Sergium illum ab eis quÿs reſponſa dabat, vocatum eſſe aliquando Gabrielem, aliquando ſpiritum fidelẽ. Fuit iſte Hali patruelis Muhammedis; nam Abitalib fuit patruus Muhammedis. Idem quoque Hali in uxorem duxit Fatemam Muhammedis filiam unicam.

*Alcoranum in hanc, in qua nunc extat, formam non niſi poſt mortem Muhammedis inter ejus diſſenſiones, redactum eſt.*

6. Ricoldus (qui & Richardus) Arabs Chriſtianus, in ſua confutatione legis latæ Saracenis, à maledicto Muhammede, cap. 13. & Philoſophus ille Chriſtianus, apud Vincent. Bellovac. & Cardinalis Cuſanus lib. 1. cribrationis, cap. 1. ſcribunt Librum Alcoran non niſi poſt Muhammedis mortem ex chartis domi ejus inventis fuiſſe in hanc, in qua nunc extat, formam redactam. Ricoldus autem & Philoſophus commemorant nomina ſucceſſorum & diſcipulorum Muhammedis, à ſe invicem de Alcorani coagmentatione & expoſitione diſſidentium. Muhammedi in regno ſucceſſit Abubetar, indignante Hali, qui ad ſuum modum conſtruxit Alcoranum, alium autem Alcoranum conſtruxit Eleage filius Nizef, alia multi alii; additis detractiſque verbis & ſententiis pro cujuſque arbitratu; & inter ſe altercantibus collectoribus. Et diſſenſit populus de Alcorano uſque ad tempus Merpan filii Elezen, qui compoſuit eis hoc Alcoranum quod nunc habent. Combuſtis aliis quæ aſſequi potuit.

*Diſſenſio & ſectæ Muhammedanorum.*

7. Diſſentiunt etiam inter ſe expoſitores, de ejus expoſitione (ut monet Ricoldus.) Et variæ ſunt pugnantes ſectæ, diſcordantibus Orientalibus ab Occidentalibus, & utriſque etiam inter ſe; ita ut unaquæque ſecta condemnet aliam. Quidam enim ſequuntur Muhammedem, & ſunt plures; quidam autem Hali, & ſunt pauciores, & minus mali, & dicunt Muhammedem tyrannica potentia ſibi ipſi uſurpaviſſe, quod fuit Hali. Hæc refert Ricoldus, cap. 13.

8. Philoſophus ille Chriſtianus, poſtquam varias ſcripturæ Saracenicæ mutationes & lacerationes commemoraſſet, (apud Vincentium Bellovacenſem, lib. citato, capitib. 52. 53. 54.) tandem in fine capitis 54. qualiter recollecta & diſſipata ſit, ſubjungit hæc verba: Quod ſi nulla alia varietatis hujuſmodi ſcripturæ cauſa videretur, quàm ex illo habebatur, ſcilicet quod Hali, & Ebuber, & Oſman, & Omar ſemper diſcordes fuerunt & inimici, ſufficeret. Dum pro certo conſtat, ſingulos eorum pro ſua intentione, alterum adverſus alterum, in libro illo juxta propriam voluntatem, quicquid ſibi placuit, ad ſui commodum, vel addidiſſe, vel minuiſſe, vel variaſſe. Hæc ille. Eſt certè Alcoran confuſum Chaos, indigeſtaq; moles, ſine ordine, ſine ratione, ſine ſenſu. Id quod ipſos falſos eſſe Saracenos ſcribit ibidem Diſputator ille Philoſophus Chriſtianus.

*Alcoranũ abſurda confuſio.*

9. Alcoranum de Arabico idiomate in Latinum tranſtulit Robertus Retenenſis Angligena, præcipiente Petro Abbate Cluniacenſi, anno Dom. 1143. Et eam Latinam tranſlationem miſit Petrus Abbas Cluniacenſis ad Bernardum Abbatem ClaræVallis: eum hortans ad ſcribendum contra Muhammedicos errores. Idem Petrus ſummulam brevem ſcripſit contra hæreſes & ſectam Diabolicæ fraudis Saracenorum, ſive Iſmaëlitarum Muhammedem ſectantium.

*Alcorani verſio Latina, qua uſi ſumus.*

10. Dividitur Alcoran in capita quæ vocantur in ſingulari *Sextatan*, & cum articulo *Aſſuratu*, ut monet Erpenius, pro quo Latinus Interpres legit *Azoara*. Erpenius autem pro Azoaris dicit Suratas, in annotationibus ſuis in hiſtoriam de Joſepho Alcoranicam. ubi etiam ait, Suratarum illarum alias inſcribi Meccenſes, quas nimirum diſcipulis ſuis tradidit Muhammed in urbe Mecca ſeu Mecha, celeberrimo Arabiæ Emporio

porio,ante ſuam ex ea urbe fugam,aliasMedinenſes,quas compoſuit in oppido *Iaſrib*, ad quod confugit Muhammed, quod oppidum monuimus ſupra dictum eſſe Medinam. ubi etiam poſtea ſepultus eſt Muhammed, ejuſque filia Fatema. & aliquot Muhammedis ſucceſſores ſive Caliphæ.

## CAPUT QUARTUM.

### *Impietatis doctrinæ Muhammedanæ ſpecimen primum, quod eſt de regula fidei.*

*De regula fidei errores veterum hæreticorum, ab orthodoxis patribus confutati, multis ſeculis ante exortum Muhammedis.*

LOngum eſſet & ab inſtituto noſtro alienum, omnia Muhammedis impia dogmata commemorare:pauca tantum proponemus clariſſima impietatis doctrinæ ejus ſpecimina. & primo, de regula fidei. Tertullianus lib.de præſcriptionibus adverſus Hæreticos, de Valentino Hæretico loquens,cap.49.Legis,inquit, & Prophetarum quædam probat,quædam improbat: id eſt, omnia improbat,dum quædam reprobat. Evangelium habet etiam ſuum,præter hæc noſtra.Item de Apelle Marcionis diſcipulo, cap.51. Legem, inquit,& Prophetas repudiat.——Solo utitur Apoſtolo, ſedMarcionis,id eſt,non toto.——habet præterea privatas,ſed extraordinarias lectiones ſuas, quas appellant phaneroſeis Philumenes cujuſdam puellæ, quam quaſi propheteſſam ſequitur. Idem quoq; de iis hæreticis loquens qui dicuntur ſecundum Phrygas,c.52.Habent,inquit,hi communem blaſphemiam, quâ in Apoſtolis quidem dicant Spiritum Sanctum fuiſſe, Paracletum non fuiſſe: & quâ dicant Paracletum plura in Montano dixiſſe,quam Chriſtum in Euangelio protuliſſe; nec tantû plura, ſed etiam meliora atq; majora. Idem eodem lib. cap.38. Quibus, inquit,fuit propoſitum aliter docendi eos neceſſitas cogit aliter diſponendi inſtrumenta doctrinæ. Alias enim non potuiſſent aliter docere, niſi aliter haberent per quæ docerent hæreſin. Sicut illis non potuiſſet ſuccedere corruptela doctrinæ ſine corruptela inſtrumentorum ejus. Ibidem ait, hæreticos illos objeciſſe Catholicis interpolationem Scripturarum; & hanc calumniam validè refellit.

2. De eiſdem Gnoſticis ſcribens Irenæus, lib. 3.adverſus hæreſes Valentini & aliorum, cap.2. Cum,inquit, ex ſcripturis arguuntur,in accuſationem convertuntur ipſarum ſcripturarum; quaſi non rectè habeant, neque ſint ex authoritate, & quia variè ſint dictæ. & quia non poſſit ex his inveniri veritas, ab eis qui neſciant traditionem: non enim per literas traditam illam, ſed per vivam vocem, ob quam cauſam & Paulum dixiſſe, ſapientiam autem loquimur inter perfectos, ſapientiam autem non mundi hujus. Et hanc ſapientiam unuſquiſque eorum eſſe dicit, quam à ſemetipſo adinvenit,fictionem videlicet, ut dignè ſecundum eos ſit veritas aliquando quidem in Valentino,aliquando autem in Marcione,aliquando in Cerintho,deinde in Baſilide:fuit autem in illo, qui contra diſputat,qui nihil ſalutare loqui potuit.unuſquiſq; ipſorum omnimodo perverſus,ſemetipſum regulam veritatis depravans, prædicare non confunditur. Cum autem ad eam iterum traditionem,quæ eſt ab Apoſtolis, quæ per ſucceſſiones presbyterorum in Eccleſiis cuſtoditur, provocamus eos, qui adverſantur traditioni, dicent ſe non ſolum Presbyteris,ſed etiam Apoſtolis exiſtentes ſapientiores,ſinceram inveniſſe veritatem: Apoſtolos autem admiſcuiſſe ea quæ ſunt legalia Salvatoris verbis. &c. Hæc Irenæus.

*Muhammedis veterum hæreticorum de regula fidei errores ex ea refellit.*

3. Hunc antiquum ſuum contra veram fidei regulam conatum, olim quidem irritum, renovavit Satanas per Muhammedem, nactus opportuniora tempora. Olim enim viri Apoſtolici ſapientiâ & pietate præcellentes, & virtutem ex alto induti,impudentiſſimę diaboli audaciç fortiter reſtiterunt, & hæreticorum agmina ab eo emiſſa veritatis armis profligarunt. At verò ætas illa,quâ exortus eſt Muhammedes, plena fuit inſcitiæ, & hæreſibus pene obrutus erat totus Oriens,ut patet ex iis quę ſuperiore libro cõmemorata ſunt de hęretica Monophyſitis, Acephalis, Tritheitis, Jacobitis, Armeniis,Origeniſtis, Aphthartodocitis, Corrupticolis, Themiſtianis ſive Agnoetis,&c. ſpargere etiam incipiebat Satanas ſemina novę hęreſeos Monothelitarum per Cyrum Patriarcham Alexandrinum, Sergium Patriarcham Conſtantinopolitanum, qui etiam Honorium in Occidente antiquæ Romæ Epiſcopum ſibi fecerunt conſentientem:& hac ipſa hęreſi deceptus eſt ipſe Imperator Heraclius.Afflicta etiam erant jam diuturnis bellis Chriſtianorum arma, quamvis adverſus Perſas pro tempore victricia. Et juſto Dei judicio ille primum latro, mox ſeditioſus miles, & transfuga, tum imperator exercitus defectoris ac tandem pſeudopropheta ſceleratiſſimus Muhammed invaluit ſine repugnantia ingeniorum & lacertorum.Atq; ut intelligamus in hunc unum, velut in ſentinam, confluxiſſe teterrima multarum pernicioſiſſimarum hæreſium venena, fiat tantummodo collatio,& inveniemus eum contra veram fidei regulam ita pugnaſſe, ut manifeſtus Gnoſticorum aſſecla deprehendatur.

4. Facit quidem in Alcorano ſubinde honorificam mentionem legis & Pſalterii veteris Teſtamenti,& Euangelii,& ait hos eſſe libros legiferos à Deo datos,Moyſi, Davidi, Prophetis, Jeſu Chriſto; ait etiam datum eſſe Chriſto Euangelium in confirmationem veteris Teſtamenti: ſed ait nefarius, ſibi datum eſſe Alcoranum in confirmationem Euangelii, ut ex impudentiſſimo hoc mendacio auctoritatem ſuo Alcorano aliquam concilier,apud homines ruſticanos & illiteratos. Neq; tamen patitur impoſtor ſuos aſſeclas ſcrutari Scripturas legales & Euangelicas, quemadmodum Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſuos monuit auditores, ut Scripturas legales & Propheticas ante ſuum in carne adventum traditas, & divino beneficio in Iſraële conſervatas, diligenter ſcrutarentur. Nam veritas non erubeſcit, ſed qui male facit odit lucem, & mendax inſtrumenta veritatis refugit, ne ejus flagitia & mendacia detegantur.

5. Quocirca ſibi ſoli credi vult impius ille pſeudopropheta de doctrina legali & Euangelica, contra manifeſtam Scripturarum lucem,ſeipſum impudẽter pro regula veritatis proponens,quamvis miraculis deſtitutû ſe fateatur:(in Alcorano cap.14. ex verſione latina Roberti Retenenſis.) neque probare poſſit Scripturas veteris & novi Teſtamenti, quas in manibus habent Judæi & Chriſtiani, eſſe mutatas & depravatas, aut ullum novum continere dogma, quod non ſit primitus traditum per Moyſen & Prophetas & Chriſtum; & divina inſpiratione literis ſacris fideliter conſignatum per Spiritus Sancti amanuenſes Moyſen & Prophetas & Apoſtolos & Euangeliſtas. fatetur Chriſtum curaſſe cæcum natum, atque



leproſum, & mortuos reſuſcitaſſe. & quædam etiam ficta de eo fabulatur. in Alcor. cap. 5.&c. Et tamen ſibi credi vult abſque miraculis,abſque legalium & Euangelicarum ſcripturarum teſtimoniis, tantummodo quia audacter mentitur impoſtor ſe eſſe Dei Apoſtolum & Prophetam. quomodo olim Gnoſtici & Montanus & Manichæus, ejuſdem Patris cum Muhammede, id eſt, diaboli filii, ſe Dei nuncios & Apoſtolos eſſe jactabant: & ſeipſos anteponebant veris illis Chriſti Apoſtolis, qui accepto cœlitus Spiritu Sancto, ea quæ Chriſtus docuit, tum veraci prædicatione Eccleſiis tradiderunt, tum etiam ſcriptis conſonantibus per divinam inſpirationem fideliter conſignata reliquerunt.Eamque à Chriſto acceptam ſalutiferam doctrinam clariſſimis legis & Prophetarum teſtimoniis, eo docente, confirmarunt: & illuſtribus miraculis corroborarunt: (vel potius eorum doctrinam miraculis corroboravit Deus.) & libros veteris Teſtamenti,unà cum ſuis ſcriptis Euangelicis, nobis legendos,tanquam unius ejuſdemque immutabilis Dei Spiritu dictatos commendarunt. Et ſic per Euangelium completis V. Teſtamenti prædicationibus, canonem clauſerunt. Et ſoli huic doctrinæ, uſque ad diem judicii,locum reliquerunt.

6. Prædixerunt quidem venturos pſeudoprophetas, & ſigna etiam & prodigia mendacii edituros; ſed ab eis diligenter cavendum eſſe monuerunt; nihil enim allaturos hos novos doctores, niſi damnabiles hæreſes, & doctrinas dæmoniorum,& carnalium ſordium tendiculas,quibus ineſcarent & illaquearent homines incautos, & veritatis dilectione deſtitutos. Hæc tradiderunt & ſcripta reliquerunt Apoſtoli,prout eos ipſe Chriſtus docuit, atteſtante Spiritu Sancto per multa evidentiſſima, omnemq; diabolorum verſutiam tranſcendentia miracula. quicunque hos Chriſti Apoſtolos eorumque verba contemnit, eum Chriſti ipſius,ejuſq; doctrinæ contemtorem eſſe Chriſtus ipſe pronunciavit. Si quis nobis aliud euangelizaverit,præterquam quod per eos accepimus, anathema ſit, etiamſi Angelus de Cœlo ſit.(Galat.1.) ędificavit Deus Eccleſiam ſuam ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, exiſtente imo angulari lapide ipſo Jeſu Chriſto (Ephes. 2,20.) Videat unuſquiſque quomodo ſuperædificet; fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere præter hoc quod [per Apoſtolos & Prophetas] poſitum eſt: quod eſt Chriſtus Ieſus. (1.Cor.3.10.11.)

7. Muhammed autem,ne videatur Chriſti doctrinæ contradicere, ait Chriſtianos quorundam eis præceptorum oblitos eſſe [Alcor.cap.12.] At cum ipſe Muhammed fateatur Chriſtianos habere librum legiferum, nempe Euangelium à Deo hominibus traditum, quod Chriſtus docuit filios Iſrael. [Alcor.cap.1.& 3.] quærendum hic eſt à Muhammedanis, quos dicat Muhammed Chriſtianos oblitos eſſe præceptorum Chriſti? utrum ipſos Chriſti Apoſtolos, & Euangeliſtas qui nobis Euangelium conſcripſerunt? an tantummodo poſteriores Chriſtianos? veteres Gnoſtici calumniati ſunt poſteriores Chriſtianos corrupiſſe ſcripta Apoſtolica; quos hæreticos validè confutarunt & eam calumniam refellerunt Irenæus initio libri 3. adverſus Hæreſes, & Tertullianus libr. de præſcriptionibus adverſus Hæreticos,c.36.& 37.& 38.& lib.4.adverſus Marcionem cap.4.& 5.adhuc enim apud Eccleſias Apoſtolicas ipſæ authenticæ Apoſtolorum literæ extabant,ſonantes vocem & repræſentantes faciem uniuſcujuſque. eiſque conſonantem doctrinam conſtanter ad eam uſque ætatem tenuerunt Epiſcopi Eccleſiarum ab Apoſtolis conſtituti, eorumque ſucceſſores, & Eccleſiæ quibus præſidebant,ſicut inſtitutâ collatione & examine, demonſtrarunt Patres illi,locis citatis.

8. Summam autem doctrinæ Catholicæ de Deo & Chriſto,quam in ſacris ſcripturis traditam defenderunt orthodoxi Patres illorum temporum, contra fanaticos Hæreticos, prout ab Irenæo & Tertulliano proponitur, exhibebimus in demonſtratione ſecundi ſpeciminis impietatis Muhãmedicæ. Eandem etiam doctrinam ſcripturæ Legales & Euangelicæ,in hunc uſq; diem divino beneficio conſervatæ, conſtanter nobis exhibent; eandemque ſacris ſcripturis congruentem Chriſtiani orthodoxi, omnibus ſeculis profeſſi ſunt, hodieq; profitentur; & conſentiunt codices Hebræorum, & omnes per omnia ſecula codices Chriſtianorum toto orbe diſperſi;& in omnium gentium linguas;jam olim (ante Muhammedem) verſi;ſicut docuimus in exercitationibus noſtris de Verbo Dei,in diſſertatione de verſionibus vernaculis.Et eaſdem ſcripturas,eademq; ſcripturarû verba allegaverunt antiquiſſimi & poſteriores Patres contra hęreticos,quibus & nos utimur.Certû eſt igitur nos eaſdem habere incorruptas ſcripturas veteris & novi Teſtamenti,quas habuerunt Irenæus & Tertullianus, aliiq; orthodoxi Patres, & quas ipſi Prophetæ & Apoſtoli,divinâ inſpiratione ducti, veraciter & fideliter ſcripſerunt,& Eccleſiis Apoſtoli tradiderunt, ut eſſent conſtans fundamentum & columna fidei noſtræ. Non enim per alios (inquit Irenæus) diſpoſitionem ſalutis noſtræ cognovimus, quam per eos per quos Evangelium pervenit ad nos, quod quidem tunc præconiaverunt,poſtea verò per Dei voluntatem in ſcripturis nobis tradiderunt fundamentum & columnam fidei noſtræ futurum. Hæc Irenæus lib. 3.adverſus Hæreſes, cap.1.

9. In has redacti anguſtias veteres hæretici,ab orthodoxis Patribus, demonſtrantibus has ipſas ſcripturas ſacras,quas tunc in manibus habebant orthodoxi Patres, & nos per Dei gratiam hodiè habemus has ipſas,inquam,eſſe verè Apoſtolicas & Eccleſiis ab Apoſtolis traditas, & prout ab Apoſtolis traditæ ſunt, cuſtoditas eſſe in Eccleſiis inviolatas; In his,inquam, anguſtiis deprehenſi diabolici quidam hæreſiarchæ, ad inſanas blaſphemias contra ipſos Apoſtolos eorumque doctrinam converſi,eò amentiæ, agitante diabolo, proruperunt, ut ipſos Apoſtolos modo quidem inſcitiæ,modo autem infidelitatis inſimulare auſi ſint:& ſeipſos Apoſtolis cum ſapientiores,tum in diſpenſanda veritatis doctrina fideliores eſſe, ſacrilego quodam furore, jactârint, ut referunt Irenæus lib. 3.adverſus Hæreſes, cap.1. & cap. 2. & c.5.& Tertullianus libro de præſcriptionibus adverſus Hæreticos c.22.ubi etiam hanc furentium hæreticorum dementiam perſpicuè & validè confutant. Nec enim (inquit Irenæus) fas eſt dicere, quoniam ante prædicaverunt [Apoſtoli.] quam perfectam haberent cognitionem, ſicut quidam audent dicere,gloriantes emendatores ſe eſſe Apoſtolorum. Poſtea enim quam ſurrexit Dominus noſter à mortuis, & induti ſunt ſuperveniente ſpiritu ſancto virtutem ex alto,de omnibus adimpleti ſunt,& habuerunt perfectam agnitionem, exierunt in fines terræ, ea quæ à Deo nobis bona ſunt Euangelizantes, & cœleſtem pacem homi-

nibus annunciantes. qui quidem & omnes pariter & ſinguli eorum habentes Euangelium Dei. ——Et omnes iſti unum Deum factorem Cœli & terræ à lege & Prophetis annunciatum, & unum Chriſtum Filium Dei tradiderunt nobis. quibus ſi quis non aſſentit, ſpernit quidem participes Domini, ſpernit & ipſum Chriſtum Dominum, ſpernit & Patrem, & eſt à ſemetipſo damnatus, reſiſtens & repugnans ſaluti ſuæ, quod faciunt omnes hæretici. (hic finis eſt capitis 1. pergit Irenæus cap. 2. Cum enim ex ſcripturis arguuntur, in accuſationem convertuntur ipſarum ſcripturarum &c. Hæc Irenæus, lib. 3. adverſus hæreſes Valentini & ſimilium, cap. 1. & c. 2. idem quoq. ait, Apoſtoli diſcipuli Veritatis exiſtentes extra omne mendacium ſunt. eod. libro, cap. 5.

10. De iiſdem etiam hæreticis loquens Tertullianus, Solent, inquit, dicere non omnia Apoſtolos ſciſſe, eadem agitati dementia qua rurſus convertunt, omnia quidem Apoſtolos ſciſſe, ſed non omnia omnibus tradidiſſe: in utroque Chriſtum reprehenſioni ſubiicientes, qui aut minus inſtructos, aut parum ſimplices Apoſtolos miſerit. quis enim integræ mentis credere poteſt aliquid eos ignoraſſe, quos Magiſtros Dominus dedit, individuos habitos in comitatu, in diſcipulatu, in convictu, quibus obſcura quæque ſeorſim diſſerebat, illis dicens datum eſſe cognoſcere arca-

*Joan. 16. 12. 13.*

na? ——Dixerat planè aliquando; multa habeo adhuc vobis loqui, ſed non poteſtis modò ea ſuſtinere. tamen adiiciens; Cum venerit ille Spiritus veritatis, ipſe vos deducet in omnem veritatem: oſtendit illos nihil ignoraſſe, quos omnem veritatem conſequuturos per Spiritum veritatis repromiſerat. Et utique implevit repromiſſum, probantibus Actis Apoſtolorum deſcenſum Spiritus Sancti. Hæc Tertullianus lib. de præſcript. cap. 22. idem poſtea eodem libro, c. 27. Ergo, inquit, incredibile eſt vel ignoraſſe Apoſtolos plenitudinem prædicationis, vel non omnem ordinem regulæ omnibus edidiſſe. Hactenus Tertull.

11. Certè cum Dominus noſter Jeſus Chriſtus, ad perficiendum magnum illud à Prophetis de eo prædictum opus converſionis omnium gentium per prædicationem Euangelii, non ipſe in propria perſonæ ſuæ humanitate perrexerit, ſed diſcipulos ſuos orbi Magiſtros miſerit, accu-

*Joan. 17. Matt. 10. 14. 15. 40. Luc. 10. 16. Joan. 13. 20.*

ratâ inſtitutione ante præparatos, & ardenti precatione Deo & Patri ſuo commodatos, & Spiritu Sancto plenos, atque adeò ad tantum opus ſufficienter inſtructos & idoneos, & in divina veritate ſanctificatos; & oraverit pro omnibus in eum per eorum ſermonem credituris, ut det eis Deus pacem & gloriam cœleſtem; & pronunciaverit contemtores eſſe ipſius Chriſti & Patris, quicunque contemſerint Apoſtolos eorumque doctrinam; auſcultantes autem Apoſtolis, auſcultare ipſi Jeſu Chriſto & Patri qui Chriſtum miſit: Et quum Chriſti juſſu miſſuque exeuntes Apoſtoli, Spiritu Sancto pleni, ea quæ à Chriſto didicerant, ſuggerente ipſis Spiritu Sancto, fideliter annunciarint Iudæis & Gentibus, Domino unà operante, & teſtimonium perhibente, ſermonemque confirmante per ſubſequentia ſigna & portenta variaſque virtutes, & Spiritus Sancti diſtributiones, pro ipſius voluntate; Neque in ſuis prædicationibus Apoſtoli quidpiam dixerint extra ea quę Prophetæ & Moyſes futura eſſe prædixerant; ſuamque doctrinam clariſſimis legis & Pſalmorum & Prophetarum teſtimoniis irrefragabiliter demonſtrarint, & contradicentes Iudæos per ipſas veteris Teſtamenti ſcripturas convicerint: Et magnum illud opus converſionis gentium, quod per adventum & doctrinam Meſſiæ peragendum eſſe prædixerant Prophetæ, perfecerit Deus miniſterio Apoſtolorum & virorum Apoſtolicorum non armis carnalibus utentium, ſed virtute Chriſti eos corroborantis per afflictiones & perſequutiones multiplicesque anguſtias fortiter gradientium; & hoſtiles gladios ac ſecures paſſionis conſtantiâ hebetantium, rogos ſuo ſanguine humectantium, belluarum dentes ſuis carnibus, medullis, oſſibus, fatigantium, & omnem perſequentis tyrannidis truculentiam totumque ungularum, laminarum, equuleorum ac reliquæ carnificinæ apparatum viriliter, imò pluſquam virili & per Chriſti gratiam planè invicta animi magnitudine contemnentium; & per glorioſiſſima martyriorum confeſſionumque certamina palmas de diabolo & idololatria omnique hoſtili immanitate referentium, & ſpectante Deo agonotheta & remuneratore, contuentibus Angelis & hominibus, gratulante cœlo, mirante terrarum orbe, attonito tartaro, profligatiſque omnibus portarum infernalium copiis, & machinamentis, glorioſè ſemper triumphantium per Chriſtum Ieſum ipſos corroborantem; & contrariis ratiocinationibus everſis, & proſtrata omni ſublimitate ſe extollente adverſus cognitionem Dei, captivam ducentium omnem cogitationem ad obediendum Chriſto: non vi armorum carnalium, ſed armis ſpiritualibus à Deo traditis, & Dei potentiâ validis ad ſubverſionem munitionum: Neque poſtea ulli venerint falſitatis doctores, niſi quos ipſi, Chriſto revelante, prædixerunt venturos; quin & quorundam prædixerint cum fore maledictum ſucceſſum, ut ingentem multitudinem peſtiferâ deceptione ſeducerent; quoſdam etiam ſignorum ac portentorum mendacii operatione tantam ſui admirationem concitaturos ut ſeducerent, ſi poſſibile, ipſos etiam electos; non tamen actu ſeducturos niſi homines inconſtantes & à veritatis dilectione alienos: uſuros etiam deceptores audacibus blaſphemiis & carnalibus illecebris ad decipiendum incautos: Cum, inquam, hæc omnia clariſſimè ſic ſe habeant, certiſſimum eſt, & luce meridiana clarius, Apoſtolos ipſiſſimam divinam veritatem, quam eos Dominus Ieſus Chriſtus docuit, mundo fideliter annunciaſſe, & ſcriptis conſonantibus conſignatam Eccleſiis tradidiſſe. Marcus & Lucas viri Apoſtolici, Apoſtolorum diſcipuli & comites & adjutores fuerunt, ſuaq; Euangelia conſcripſerunt, dictante S. Spiritu, ſcriptis Apoſtolorum congruentia, & ab ipſis Apoſtolis ſuſcepta & approbata: unde par eorum cum reliquis ſcripturis Apoſtolicis eſt auctoritas. quâ de re accuratè ex profeſſo diſſeruerunt Irenæus lib. 3. cap. 2. & cap. 11. & cap. 14. & Tertullianus lib. 4. adverſus Marcionem, capitib. 2. 3. 4. 5. vide in eandem ſententiam Auguſtin. lib. 1. de conſenſu Euangeliſtarum, cap. 1. tom. 4. oper. Aug. Et præfat. in Euangelium Iohannis, tom. 9. operum Auguſtini. & ſerm. 146. de tempore tom. 10. oper. Auguſtin. item Hieronym. in catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum, cap. 17. & cap. 18. & c. 19.

12. Per hæc concidit & illa calumnia Paganorum, quos Diabolus, amiſſis hæreticis ſuis copiis, in eandem blaſphemiam excitavit; qui ipſum quidem Dominum Ieſum Chriſtum non amplius audentes culpare aut blaſphemare, excellentiſſimam ei attribuebant ſapientiam, ſed tan-

quam



quam homini, & honorandum affirmabant, tanquam virum ſapientiſſimum; licet colendum tanquam Deum negarent; diſcipulos verò ejus dicebant magiſtro ſuo amplius tribuiſſe quàm erat, ut eum Filium Dei dicerent, & Verbum Dei per quod facta ſunt omnia; & ipſum ac Deum Patrem unum eſſe, ac ſi qua ſimilia ſunt in Apoſtolicis literis, quibus eum cum Patre unum Deum colendum eſſe didicimus. Hanc Paganorum calumniam & blaſphemiam refert Auguſtinus lib. 1. de conſenſu Euangeliſtarum, cap. 7. Eandemque prolixè & nervoſè refellit reliquo illo libro. Summa hæc eſt: quicquid de Chriſto prædixerunt Prophetæ, illud omne de ſe Chriſtus ipſe docuit: at quicquid Chriſti diſcipuli de Chriſto docuerunt, illud omne de Chriſto prædixerunt Prophetæ; ergo quicquid de Chriſto docuerunt ejus diſcipuli, illud omne de ſe Chriſtus ipſe docuit. Major patet; quia Chriſtus vir ſapientiſſimus non docuit contra fidem divinarum de eo Prophetiarum, neque neceſſariam ullam doctrinam omiſit; omne autem illud neceſſarium quod prædixerunt Prophetæ. Minorem collatio doctrinę Apoſtolicę cum Prophetica demonſtrat. Neque fides deroganda eſt Prophetis, quorum prædictiones tantâ manifeſtatione completæ ſunt.

13. Neque objici poteſt confictas à Chriſtianis eſſe illas Prophetias; cum eas in ſuis codicibus circumferant Iudæi, Chriſtianorum & Chriſti inimici, Auguſt. lib. 1. de conſenſu Euang. cap. 26. & cap. 32. Quod argumentum & alibi in ſuis ſcriptis non raro urget Auguſtinus. Ejus hæc ſunt verba epiſt. 3. Inter hæc omnia contra Eccleſiam Chriſti impiarum gentium infidelitas fremit: evincit illa patiendo & inconcuſſam fidem inter obſiſtentium ſævitiam profitendo; revelatæ veritatis, quæ diu promiſſis myſticis velabatur, ſacrificio ſuccedente, illa ſacrificia, quibus hoc figurabatur, Templi ipſius everſione tolluntur: reproba per infidelitatem gens ipſa Iudæorum à ſedibus exſtirpata, per mundum uſquequaque diſpergitur, ut ubique portet codices ſanctos, ac ſic Prophetiæ teſtimonium, qua Chriſtus & Eccleſia prænunciata eſt, ne ad tempus à nobis fictum exiſtimaretur, ab ipſis adverſariis proferatur, ubi etiam ipſos prædictum eſt non fuiſſe credituros. Templa & ſimulacra dæmonum, rituſque ſacrilegi paulatim atque alternatim ſecundum prædicta Prophetica ſubvertuntur: hæreſes adverſus nomen Chriſti, ſub velamento tamen nominis Chriſti, ad exercendam doctrinam ſanctæ religionis, ſicut prænunciatæ ſunt, pullulant. Hæc omnia, ſicut leguntur prædicta, ita cernuntur impleta, atque ex his jam tot & tantis quæ reſtant exſpectantur implenda. Quæ tandem mens avida æternitatis, vitæque præſentis brevitate permota, contra hujus divinæ auctoritatis culmen lumenque contendat? Hæc ibi. Item epiſt. 59. Nullo enim evidentiore documento oſtenditur gentibus quod ſaluberrimè advertitur, non inopinatum & repentinum aliquid inſtitutum ſpiritu præſumtionis humanæ, ut Chriſti nomen in ſpe ſalutis æternæ tantâ auctoritate præpolleat, ſed olim fuiſſe prophetatum atque conſcriptum. Nam ipſa Prophetia quid aliud niſi à noſtris putaretur eſſe conficta, ſi non de inimicorum codicibus probaretur? ideo ne occideris eos, &c. Item ſerm. 30. de Tempore: quid aliud, hic ſignificavit divina providentia, niſi apud Iudæos ſolas divinas literas remanſuras, quibus Gentes inſtruerentur, illi excæcarentur; quas portarent non ad adjutorium ſalutis ſuæ, ſed ad teſtimonium ſalutis noſtræ? Nam hodieque cum præmiſſas prophetias de Chriſto proferimus, jam rerum completarum luce declaratas, ſi forte Pagani quos lucrari volumus dixerint, non eas tanto ante prædictas, ſed poſt rerum eventum, ut hæc quæ facta ſunt prophetata putarentur, à nobis eſſe confictas, Iudæorum codices recitamus, ut tollatur dubitatio Paganorum. Hæc ibi.

*Iudæorum codices recitamus, ut tollatur dubitatio Paganorum.*

14. Unde alibi idem Auguſtinus Iudæos vocat capſarios & librarios Chriſtianorum; Sic enim de eis ſcribit, in Pſal. 40. ad finem illius Pſalmi; Major ſerviet minori; modo impletum eſt: modo, fratres, nobis ſerviunt Iudæi; tanquam capſarii noſtri ſunt, ſtudentibus nobis codices portant. Audite in quo nobis Iudæi ſerviunt; & non ſine cauſa. Cain ille frater major, qui occidit minorem fratrem, accepit ſignum ne occideretur, id eſt, ut maneat ipſe populus. Apud illos ſunt Prophetæ & Lex; in qua lege & in quibus Prophetis Chriſtus prædicatus eſt. Quando agimus cum Paganis, & oſtendimus hoc evenire modò in Eccleſia Chriſti, quod ante prædictum eſt de nomine Chriſti, de capite & corpore Chriſti; ne putent nos finxiſſe illas prædicationes, ex his rebus quæ acciderunt, quas exiſtimant nos conſcripſiſſe quaſi futuræ eſſent; proferimus codices Iudæorum. Nempe Iudæi inimici noſtri ſunt: de chartis inimici convincitur adverſarius: Omnia enim Dominus diſtribuit: omnia pro ſalute noſtra ordinavit. Prędixit ante nos: implevit hoc tempore noſtro. Et quæ nondum implevit, impleturus eſt. Ita tenemus redditorē, ut credamus debitorem. quia & illa, quæ nondum dedit, dabit; ſicut ea, quæ nondum dederat, dedit. Si quis probare vult ubi ſint ſcripta; legat Moyſen & Prophetas. Si aliquis perſtrepit inimicus, & dicit; vos vobis Prophetias finxiſtis: proferantur codices Iudæorum: quia major ſerviet minori: ibi legant iſta prædicta, quæ modo videmus impleta: & dicamus omnes; Benedictus Dominus Deus Iſraël, à ſeculo & in ſeculum. Et dicet omnis populus, fiat, fiat. Hæc ibi. Item in Pſal. 56. Diſperſi (inquit) ſunt per omnes gentes: nuſquam habentes ſtabilitatem, nuſquam certam ſedem. Propterea autem adhuc Iudæi ſunt, ut libros noſtros portent ad confuſionem ſuam. Quando enim volumus oſtendere prophetatum Chriſtum; proferimus Paganis iſtas literas. Et ne forte dicant duri ad fidem, quia nos illas Chriſtiani compoſuimus, ut cum Euangelio quod prædicamus finxerimus Prophetas; per quos prædictum videretur quod prædicamus: hinc eos convincimus, quia omnes ipſæ literæ, quibus Chriſtus prophetatus eſt, apud Iudæos ſunt, omnes ipſas literas habent Iudęi: proferimus codices ab inimicis; ut confundamus alios inimicos. In quali ergo opprobrio ſunt Iudæi? Codicem portat Iudæus, unde credat Chriſtianus. Librarii noſtri facti ſunt: quomodo ſolent ſervi poſt dominos codices ferre; ut illi portando deficiant, illi legendo proficiant. In tale opprobrium dati ſunt Iudæi, & impletum eſt, quod paulo ante prædictum eſt, dedit in opprobrium conculcantes me. Quale autem opprobrium eſt, fratres? ut hunc verſum legant, & ipſi cæci attendant ad ſpeculum ſuum? Sic enim apparent Iudæi de Scriptura ſancta quam portant, quomodo apparet facies cæci de ſpeculo: ab a-

*Iudæi capſarii Chriſtianorum.*

*Major ſerviet minori.*

*Iudæi librarii Chriſtianorum.*



liis

lis videtur, ab ipſo non videtur. Dedit in opprobrium conculcantes me. hæc omnia B. Auguſtinus, locis citatis.

15. Similia ante Auguſtinum ſcripta inveniet lector apud Juſtinum Martyrem in Apologia ſecunda circa medium, ubi hanc doctrinæ Chriſtianæ probationem per libros veterum Prophetarum, quos Iudæi Chriſtianorum inimici geſtant, vocat maximam & veriſſimam demonſtrationem. Neque dubitat ipſos etiam Ethnicos Chriſtianorum accuſatores & perſequutores de hac re appellare. Alibi etiam adverſus Iudæos, in dialogo cum Tryphone Iudæo, veritatem Chriſtianæ fidei & religionis ex veterum Prophetarum vaticiniis prolixè demonſtrat. Meritò igitur Auguſtinus primo illo libro de conſenſu Euangeliſtarum, poſt prolixam objectionum Paganicarum diſcuſſionem ſolidamque refutationem, contra Paganos illos, quos vocat vanos, malos, perverſos Chriſti laudatores; & Chriſtianorum obtrectatores, religioniſque Chriſtianæ execratores; tandem cap. 35. ſeu ultimo, ſubjungit hæc verba; Proinde qui Prophetas ante deſcenſionem ſuam præmiſit, ipſe & Apoſtolos poſt aſcenſionem ſuam miſit. Omnibus autem diſcipulis ſuis, per hominem quem aſſumpſit, tanquam membris ſui corporis caput eſt. itaque cum illi ſcripſerunt quæ ille oſtendit & dixit, nequaquam dicendum eſt quod ipſe non ſcripſerit: quandoquidem membra ejus id operata ſunt, quod dictante capite cognoverunt. Quicquid enim ille de ſuis factis & dictis nos legere voluit, hoc ſcribendum illis tanquam ſuis manibus imperavit. Hoc unitatis conſortium, & in diverſis officiis concordium membrorum ſub uno capite miniſterium quiſquis intellexerit, non aliter accipiet quod narrantibus diſcipulis Chriſti in Euangelio legerit, quam ſi ipſam manum Domini, quam in proprio corpore geſtabat, ſcribentem conſpexerit. Hactenus Auguſtinus.

*Pagani perverſi laudatores Chriſti, & obtrectatores Chriſtianorum, religioniſque Chriſtianæ execratores.*

*Authoritas atque perfectio ſacræ Scripturæ.*

16. Quæ cum evidentiſſimè ita ſe habeant, quilibet ſanæ mentis facilè perſpicit, de doctrina Chriſti prudentius & tutius credi ejus diſcipulis, qui ipſum viderunt & audiverunt, quos ipſe elegit & accuratiſſimâ educatione familiariter inſtruxit, quibus ipſe etiam teſtimonium coram Patre cœleſti perhibuit, quod ipſi à Patre dati ſint, & ſermonem Patris ſervaverint & quod verba quæ ipſi dederat Pater, dederit illis, & illi acceperint, & crediderint; quos Patri ſervandos à malo, & in veritate ſanctificandos commendavit; quibus Chriſtus ipſe promiſit, ſeſſuros eos ſuper thronos, & judicaturos duodecim tribus Iſraeli; & quos miſit in mundum, ſicut ipſum miſit Pater in mundum: quibus promiſſum Paracletum à Patre miſit, qui, Deo faciente, mortuos ſuſcitarunt, dæmonia ejecerunt, aliaque omnem creaturæ poteſtatem ſuperantia multa ſigna & portenta ediderunt, omnemque ſuam doctrinam teſtimoniis legis & Pſalmorum & Prophetarum clariſſimè confirmarunt, & de rebus à Chriſto geſtis partim ad Prophetarum irrefragabilia & in ipſis inimicorum, id eſt, Iudæorum codicibus extantia oracula, partim ad recentem hominum Chriſto viatori contemporaneorum memoriam intrepidè provocarunt; Neque poterant adverſarii res illas non in angulo, ſed in luce geſtas inficiari: quilibet, inquam, non ultrò & deſperatè inſaniens, quem diabolus non excæcavit, haud dubiè fatebitur tutius credi Apoſtolis de doctrina Chriſti, quænam ea fuerit; quam vel rebellibus Iudæis, vel pſeudochriſtianis hæreticis, vel inſanientibus Paganis, vel blaſphemo pſeudoprophetæ Muhammedi, qui neque ipſe Chriſtum vidit, neque cum eis qui eum viderunt, ſermonem habuit; ſed multis poſt Chriſti in cœlum aſcenſionem centuriis annorum, exſiliit, Diabolo inſtigante, blaſphemias impuriſſimo gutture eructans contra divinam veritatem, tot ſanctorum ab orbe condito Prophetarum oraculis, & ipſius Chriſti præconio, & Apoſtolicis prædicationibus ſcriptiſque orbi manifeſtatam, tot miraculis confirmatam, ipſiuſque Chriſti & multarum myriadum ſanctorum Martyrum ſanguine obſignatam, à quinque œcumenicis multiſque aliis ſynodis, ante impoſtoris iſtius tempora, conſtanter agnitam. & Dei beneficio huc uſque in ſancta Dei Eccleſia apud omnes Chriſtianos unanimiter conſervatam, & in finem mundi, imò in omnem æternitatem duraturam.

*Ioan. 17.*

*Matth. 19, 28. Ioan. 20, 21. Act. 1. &c.*

*Oſtenditur fidem adhibendam eſſe Apoſtolis non autem rebellibus Iudæis, neque Paganis, neque pſeudopropheta Muhammedi.*

17. Et certè ſingulariter notabili ac miſericordiſſima Dei providentiâ factum eſt, ut non prius ſineret peſtem illam (Muhammedem intelligo ejuſque ſacrilegam impietatem) in mundum erumpere, quam profligatis infidelium Iudæorum, & hæreticorum pſeudochriſtianorum, & Paganorum copiis, adverſus ſanctam Dei veritatem, in vetere & novo Teſtamento revelatam congregatis, ſacræ Scripturæ legales, Propheticæ, & Euangelicæ inexpugnabilem inconcuſſæ autoritatis arcem palàm & irrefragabiliter obtinerent: adeò ut, exhauſto jam Diaboli armamentario, nullum invenerit telum diabolicus pſeudopropheta Muhammed, quod adverſus ſanctas V. & N. Teſtamenti ſcripturas auſu nefario intorqueret, niſi illa quibus jam olim partim Iudæi, partim Gnoſtici & Manichæi, partim Pagani infeliciter uſi ſunt, quæ à priſcis Chriſtianis ſcuto fidei, & gladio verbi Dei jampridem repulſa & confracta ſunt. Proinde jam nemini nocere poterunt, niſi gladium Spiritus & ſcutum fidei ultro abjicienti, aut non aſſumenti.

18. Prolixè jam in ſuperioribus & luculenter demonſtravimus ſacras ſcripturas (eas intelligo quas reformatæ noſtræ Eccleſiæ agnoſcunt, & nobiſcum univerſa quacunque ſe per orbem diffundit Chriſti Eccleſia; nam de Apocryphis & controverſis non eſt quod impræſentiarum laboremus, cum ſcripturæ ab omnibus Chriſtianis unanimiter agnitæ ſufficiant contra Muhammedis blaſphemias) ſacras inquam ſcripturas V. & N. Teſtament. prout à Prophetis & Apoſtolis & Euangeliſtis ſcriptæ ſunt, eſſe divinas ſeu divinitus inſpiratas: eaſdemque adhuc incorruptas, integras, inviolatas in hunc uſque diem, per Dei providentiam, contra omnes Satanæ inſultus, cuſtoditas eſſe, in manibus Iudæorum & Chriſtianorum: adeò ut quicunque hiſce ſcripturis contradicit, is Deo ipſi contradicat. Quocirca rectè facimus, credentes Deo per ſanctos Prophetas, Apoſtolos, & Euangeliſtas in ſacris ſcripturis loquenti: hæc vox Paſtoris noſtri eſt. Non igitur audimus vocem peregrini: neque auſcultamus diabolo per Gnoſticos, per Manichæos, per Paganos, per nefarium pſeudoprophetam Muhammedem extra & contra divinas Scripturas, tartareum impudentiſſimorum mendaciorum & horrendiſſimarum blaſphemiarum virus evomenti.

19. Audiamus ſermones Chriſti, eiſque obſequamur; & ſic ædificabimus ſuper petram, ſtabitque adverſus omnes portarum infernalium



impetus inconcuſſum noſtrum ædificium. Adſcendamus in arcem S. Scripturarum, & inde hoſtes ſubtus poſitos, arcemque inexpugnabilem caninâ rabie & cruentis rictibus incaſſum allatrantes, denſis telorum divinitus nobis traditorum imbribus obruamus. Huc nos Deus vocat, per præcones ſuos ſanctos Prophetas & Apoſtolos & Euangeliſtas. hoc munimen experti beati Martyres, aliique ſancti Patres, nos magno clamore eodem invitant. Hæ ſcripturæ nos ſapientes reddent ad ſalutem; habitet opulenter in nobis hoc Dei verbum; meditemur ipſum noctu & interdiu; non recedat hic liber legis Domini ab oculis noſtris; teneamus in manibus ancipitem hunc gladium Spiritus; cum ſcuto fidei; & facilè omnia quæcumcunque ignita Diaboli tela reſtinguemus. Amemus, quæramus, retineamus hæc Sapientiæ verba, melle & favo jucundiora, auro & gemmis pretioſiora, terrâ & cœlo durabiliora, imò in æternum manentia; nobiſque in via gratiæ prælucentia, & ad gloriam patriæ nos obſequentes haud in certo tramite infallibiliter perductura. In hoc culmine collocati ſancti Prophetæ & Apoſtoli, eoſque ſequuti pii Patres, omnes hoſtium minas contempſerunt, jactantias riſerunt, inſidias detexerunt, copias profligarunt: noſque ſuis exemplis, & ſaluberrimis hortamentis, ad ſimiles conflictus, cum certa minimèq; fallaci victoriæ ſpe, ſuſtinendos inſtruxerunt. His armis tentatorem Satanam Dominus noſter Jeſus Chriſtus devicit; omnibuſque ſuis adverſariis ora obturavit.

20. Exſurgant licet pſeudoprophetæ, polliceantur cœlum ſuis ſectatoribus, denuncient æternos cruciatus omnibus non ſequentibus eos, (ſicut faciunt omnes hæretici, & Pagani, & rebelles Iudæi, & impii Muhammedani,) jactent ſe Angelos de cœlo eſſe, operentur ſigna & prodigia, trahant poſt ſe orbem terrarum, trucident ſanctos & fideles Chriſti ſervos, ac proſtratis inſultent; terra concutiatur, fluctuet reſonetque mare & ſalum, cœlum ruat; ſtabit tamen hoc Dei verbum quod in ſanctis Scripturis revelatum eſt, & juſtificabitur ſapientia à filiis ſuis. neque fraudabitur puſillus Chriſti grex promiſſo regno. Cœlum & terra præteribunt; verba autem Domini non præteribunt. Veritas ut prior mendacio eſt, ita etiam conſtantior & durabilior eſt. Permaneatque Deus verax, etiamſi omnis homo ſit mendax. Adorent gentes quem quæque ſibi elegerit Deum; nos cum ſancto Joſhua ſolum adorabimus Dominum Deum Abrahami, Jſaaci, & Jacobi, Deum & Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti. Abeant licet craſſi Capernaitæ; nos cum beato Petro & coapoſtolis adhærebimus Chriſto habenti verba vitæ æternæ. Hæc vita æterna eſt ut cognoſcamus Patrem Domini noſtri Chriſti unum verum Deum, & quem miſit Jeſum Chriſtum. ut, inquam, eum agnoſcamus Chriſto revelante; nemo enim novit Patrem niſi Filius & cui voluerit Filius revelare: in hoc beati ſumus quod Pater Cœleſtis nobis revelaverit Chriſtum Filium ſuum: ſuper hanc petram ædificata eſt Chriſti Eccleſia; neque adverſus eam prævalebunt portæ inferni. fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Jeſus Chriſtus. Hoc eſt illud fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, id eſt, ab Apoſtolis & Prophetis voce prius, deinde ſcriptis orbi annunciatum, & caput anguli. Non audimus addentes aut dementes verbis Domini quæ in ſcripturis legalibus, & Propheticis, & Euangelicis accepimus. Væ addentibus, væ detrahentibus. Nullus novæ doctrinæ locus relictus eſt uſque ad conſummationem ſeculi ſeu diem judicii. Hæc omnia ex eiſdem divinitus inſpiratis ſcripturis manifeſta habemus.

21. His congruenter Juſtinus Martyr, in dialogo cum Tryphone Iudæo; (pag. 228. editionis Pariſienſis græcolatin. in folio, apud Michaëlem Sonnium, anno Dom. 1615.) ait; αἰώνιός τε ἡμῖν νόμος καὶ τελευταῖος, ὁ Χριστὸς ἐδόθη, καὶ ἡ διαθήκη πιστή, μεθ' ἣν οὐ νόμος, οὐ πρόσταγμα, οὐκ ἐντολή. id eſt; poſtrema & ſempiterna lex nobis data eſt, Chriſtus; atque item teſtamentum fidele; poſt quod teſtamentum jam non lex, non præceptum, non mandatum erit ullum.

22. Et in eandem ſententiam Tertullianus, lib. de præſcriptionibus adverſus hæreticos, cap. 8. Nobis, inquit, curioſitate opus non eſt poſt Chriſtum Jeſum: nec inquiſitione poſt Euangelium. Cum credimus, nihil deſideramus ultra credere. Hoc enim prius credimus, non eſſe quod ultra credere debeamus. hæc ille. Monet Joannes Apoſtolus, ut quod audivimus à principio, id in nobis maneat: ſi enim in nobis manſerit quod audivimus à principio, nos quoque in Filio & Patre manſuros 1. Ioan. 2. 24. Clamat Deus per ſanctum Prophetam Jeremiam; Sic dicit Dominus: State ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quænam ſit via bona, & ambulate in ea: & invenietis requiem animæ veſtræ. Ierem. 6. 16. idem Propheta alibi, Ecce! inquit, verbum Domini reprobaverunt, & ſapientia cujus rei eſt in eis. Ierem. 8. 9. ideo ait Abraham in parabola: Habent Moyſen & Prophetas, audiant illos. Luc. 16. 29. Et Apoſtolus Paulus; Improbi autem (inquit) homines & impoſtores proficient in pejus, tum ſeducentes alios, tum ſeducti ipſi. At tu mane in eis quæ didiciſti, & quæ tibi concredita ſunt, ſciens à quo didiceris. Et quod à puero ſacras literas noveris, quæ te poſſunt peritum reddere, quod ad ſalutem attinet, per fidem quæ eſt in Chriſto Jeſu. Tota enim ſcriptura divinitus eſt inſpirata, &c. 2. Tim. 3. 13, 14, 15, 16. Et Petrus Apoſtolus monet, ut memores ſimus verborum quæ prædicta ſunt à ſanctis Prophetis, & doctrinæ Apoſtolorum Domini noſtri Jeſu Chriſti. 2. Petr. 3. 2. caventes ne errore nefariorum abducti excidamus à propria ſtabilitate. verſ. 17. eandem nobis diligentiam commendat Iudas Apoſtolus, Iud. 17. &c. Appoſitè Tertullianus; Revertar (inquit) ad principalitatem veritati & poſteritatem mendacitati deputandam, ex illius quoque parabolæ patrocinio, quæ bonum ſemen frumenti à Domino ſeminatum primò conſtituit, avenarum autem ſterilis fœni adulterium ab inimico diabolo poſtea ſuperducit. Propriè enim doctrinarum diſtinctionem figurat, quia & alibi verbum Dei ſeminis ſimilitudo eſt. Ita ex ipſo ordine manifeſtatur id eſſe Dominicum & verum, quod ſuperius traditum: id autem extraneum & falſum quod ſit poſterius immiſſum. Ea ſententia manebit adverſus poſteriores quaſque hæreſes, quibus nulla conſtantia de conſcientia competit ad defendendam ſibi veritatem. hæc Tertullian. lib. de præſcript. cap. 31. Item cap. 32. Cæterum ſi quæ audent interſerere ſe ætati Apoſtolicæ, ut ideo videantur ab Apoſtolis traditæ, quia ſub Apoſtolis fuerunt: poſſumus dicere, edant ergo origines Eccleſiarum ſuarum, evolvant ordinem

*Prior eſt veritas.*

Epiſco-